# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS, IN ACADEMIA PATAVINA PHILOSOPHI PRIMI.

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium,

## PARS PRIMA.

*Cui nuper adiecta est integra & germana Secundi Libri Physicorum expositio, quæ iam antea deerat.*

Serenissimo FERDINANDO Medici Magno Hetruriæ Duci dicata.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, Apud Hæredes Francisci de Franciscis. M D C.

# SERENISSIMO
# FERDINANDO MEDICI,
## MAGNO HETRVRIÆ
## DVCI,

Domino colendiſſimo,

*Franciſcus Piccolomineus ſeruus humiliſſimus perennem fœlicitatem.*

SVB regio & ampliſſimo tuo Imperio, Inuictiſſime FERDINANDE, Vrbs Senarum vniuerſa, tibi deuotiſſima exultat; iubilant in ea iuuenes, & ſenes omnes, nemoque eſt, qui non ſummopere glorietur tua eximia Poteſtate regi, tuaque eminenti Iuſtitia gubernari. Hoc cum ſit commune cunctis eius Vrbis, magis tamen eis competit, qui exactius ſublimes virtutes tuas, intimius eximia merita, diſtinctiusque præclara facinora intuentur, & meditantur; Nil enim in te eſt quod non ſit magnum; nil à te excogitatur, niſi magnum; nil ex te prodit, niſi magnum; nilque à te agitur niſi magnum; Tu in honore es magnanimus, in diſtribuendis Fortunæ muneribus es magnificentiſſimus, in ſeruanda Iuſtitia & æquitate es Heroicus, in tuenda demum Religionis dignitate, etiam ſupra Herois conditionem erigeris, adeo vt longe maior ſis animo, quàm fortuna, intus quàm extra, meritis quàm nomine, opera quàm verbis; Propterea iure optimo deditiſſimorum tibi Senenſium nemo eſt, cuius cogitationes, facultates, & opera, tua non ſint; tibiq; ſtatim ab ortu dicata, & conſecrata. Quare ſi Liber hic tuo præclaro nomine inſignitus in lucem prodit, lucique traditus ad ſublimem tuam dignitatem celer properat, & properans eximia humilitate ſalutat, mirum profectò non eſt; ipſo enim iure te colentium tua ſunt omnia, & ſine vlla externa inſcriptione tua ſemper ſunt iudicanda; Et quamuis ego ſeorſum à Patria (vt mea ſors tulit) ętatem meam ferè totam tranſigerim, nemini tamen in te magnificiendo, & colendo principatum vn-

quam concessi, quod eo libentius à me factum glorior, & lętor, quo vniuersam familiam Piccolomineam, tuæ Amplitudini in dies magis ac magis addictam, & deuotam intueor, cuius præstantis officij conspicua mihi testimonia præbent duo præclara nostræ familiæ lumina, & Religionis acerrimi custodes, & defensores, Ascanius vnus, Senarum Archiepiscopus religiosissimus, cui iungitur Siluius frater, animo & Arte militari conspicuus; Franciscus Maria alter, Pientiæ ac Montis Ilcini Episcopus meritissimus, quem sequitur, olim Clementis fratris filius, Ioannes Baptista Primicerius, Iure Ciuili, & Pontificio insignis; ac insuper id ipsum magno spiritu testantur Emilius, mihi arcto cognationis nodo coniunctus, nec non Hyppolitus Hieronymi olim mei fratris filius, Iuris vtriusque Doctor, hi omnes ex familia Piccolominea, vt cæteros silentio prætereram, adeo sunt tui iuris, adeo constanti animo te venerantur & colunt, tamque flagranti desiderio tuæ voluntati satisfacere cupiunt, quod etiam si sanguinem tui gratia effunderent, amplitudini desiderij ad votum non satisfacerent. Iure optimo itaque ego & vt Patria Senensis, & vt ex familia tui obseruantissima ortus, & vt Philosophię studiosus, cuius conditio est sublimia intueri & colere, & vt propria quadam interna commotione ad tui obsequium tuorumq; meritorum admirationem procliuis, in te colendo nemini cedo, nec mei aliquid nosco, quod tuum non iudicem; proprerea si meas has vigilias Sublimitati tuæ dicatas, nunc tibi offero, non aliquid denuo trado, sed ea quæ tua sunt, hilari animo resigno, & me totum libentissime tui esse iuris publicè testor, & manifesto. Quod officium ob id præsertim tibi non ingratum fore iudico, quia sermo est De placitis Sapientum, De communibus principijs, virtute & facultate vniuersam Scientiam De Natura includentibus, nec non De communibus affectionibus, sublimi tuæ conditioni eximiè congruentibus. Serena itaque fronte ea, quæ tua sunt inspice, suscipe, & foue, vt Deus Principum Princeps, dignitatem tuam amplificet, tueatur, & foueat. Diu fœlix pro tuorum populorum tranquillitate viue, & vale. Patauij Kl. Iunij M D XCVI.

# SERIES LIBRORUM
## PRIMAE PARTIS.

*Introductio ad scientiam de Natura, Liber unus.*
*De Placitis Philosophorum, Liber unus.*
*Expositio primi Libri Physicorum.*
*Expositio partis secundi Libri.*
*De quatuor communibus affectionibus.*
*De Motu Libri duo.*

Secundæ Partis.

*De Mundo Liber unus.*
*De Cælo Liber unus.*
*De Motoribus Cælorum Liber unus.*
*De Creatione noua & aeterna Libri duo.*

Tertiæ Partis.

*De Materia Libri tres.*
*De quatuor primis qualitatibus Liber unus.*
*De Affectione & perpeßione operantium per naturam Liber unus.*
*De quatuor Elementis Libri duo.*
*De Mixtione Liber unus.*
*Consideratio multitudinis formarum in eodem indiuiduo.*

Quartæ Partis.

*Meteororum Liber unus.*
*De Ortu mixtorum Liber unus.*
*De Putredine Liber unus.*
*De ortis ex Putri Liber unus.*
*De Concoctione Liber unus.*

Quintæ Partis.

*De Sede Animæ Liber unus.*
*De Accretione Liber unus.*
*De Sensu visus Liber unus.*
*De Sensibus internis Liber unus.*
*De humana Mente Libri tres.*
*De facultate qua animalia sponte mouentur Liber unus.*

# INDEX
# PRINCIPALIVM CAPITVM
## SINGVLORVM LIBRORVM
### PRIMAE PARTIS.


| | | |
|---|---|---|
| LIBRI pro introductione, | | |
| Proœmium. | | pag. 1 a |
| Quæ sint partes Iuuenis, Sapientię Studiosi. | Cap. 1 | ibid. b |
| Diuisio disciplinarum. | Cap. 2 | pag. 2 b |
| Diuisio disciplinarum Principalium. | Cap. 3 | pag. 3 a |
| De disciplinis inspectricibus. | Cap. 4 | 4 a |
| Diuisio Mathematicarum. | Cap. 5 | 4 b |
| De scientia Physica, & eius diuisione. | Cap. 6 | 6 a |
| Dubia ex diuisionibus prodeuntia. | Cap. 7 | ibid. b |
| Dubia alia ad idem attinentia. | Cap. 8 | 7 a |
| Insuper dubia alia. | Cap. 9 | 8 a |
| An Mathematicæ sint pars inspectricis Philosophiæ. | Cap. 10 | ibid. b |
| De ordine disciplinarum Organicarum. | Cap. 11 | 9 b |
| De ordine principalium. | Cap. 12 | 10 b |
| De ordine partium inspectricis Philosophiæ opinio propria. | Cap. 13 | 11 a |
| Dubia ad id pertinentia. | Cap. 14 | ibid. b |
| De ordine Mathematicarum. | Cap. 15 | 12 b |
| Ordo partium Naturalis scientiæ. | Cap. 16 | 13 b |
| Ordo declaratorum in primis duobus libris Physicorum. | Cap. 17 | 14 a |
| Ordo communium affectionum corporis Physici. | Cap. 18 | 15 a |
| Definitio Philosophiæ. | Cap. 19 | 16 a |
| Resolutio Philosophię in quatuor genera causarum. | Cap. 20 | ibid. b |
| Vtilitas Philosophiæ. | Cap. 21 | 17 a |
| Dubia ad vtilitatem attinentia. | Cap. 22 | 18 a |
| De subiecto Naturalis scientiæ. | Cap. 23 | 19 a |
| Diuisio subiecti & eius conditiones. | Cap. 24 | ibid. b |
| De subiecto naturalis scientiæ opiniones variæ. | Cap. 25 | 20 a |
| Reijciuntur opiniones duæ. | Cap. 26 | 21 a |
| Reijciuntur opiniones aliæ. | Cap. 27 | 22 b |
| Resolutio difficultatis. | Cap. 28 | 23 b |
| Dubia nonnulla ad id pertinentia. | Cap. 29 | 24 a |
| De subiecto octo librorum Physicorum. | Cap. 30 | 25 a |
| De inscriptione communi eorum. | Cap. 31 | ibid. b |
| De inscriptione partium. | Cap. 32 | 26 a |


### *Libri de Placitis Philosophorum.*


| | | |
|---|---|---|
| Proœmium. | | pag. 28 a |
| Prima opinionum Capita. | Cap. 1 | ibid. b |
| Opinio putantium id quod est esse vnum & immobile. | Cap. 2 | 29 b |
| Quot modis id quod est possit dici vnum. | Cap. 3 | 30 a |
| Quid nomine entis veteres denotarint. | Cap. 4 | 31 a |
| Opinio putantium id quod est esse vnum & mobile. | Cap. 5 | ibid. b |
| Opinio Pythagoræ. | Cap. 6 | 32 b |


Opinio

| | | | |
|---|---|---|---|
| Opinio Aristotelis, & comparatio eius cum opin. Platonis. | Cap. 8 | 34 | b |
| Opinio Empedoclis. | Cap. 9 | 36 | a |
| Opinio Democriti & Epicuri. | Cap. 10 | ibid. | b |
| Opinio Anaxagoræ. | Cap. 11 | 37 | a |
| Opinio putantium Principia partim vnum, partim plura. | Cap. 12 | ibid. | b |
| Placita Veterum de Mundi Ortu & interitu. | Cap. 13 | 38 | a |
| Capita opinionum de essentia animorum. | Cap. 14 | ibid. | b |
| Sequuntur controuersię quindecim attinentes ad placita veterũ. | | 39 | a |
| Expositio primi libri Physicorum. | | 46 | a |
| Expositio secundi libri cum digressionibus ad Naturam & causas attinentibus. | | 103 | a |

## *De communibus affectionibus corporis Physici.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Proponitur de infinito agendum, eiusq; distinctiones traduntur. | Cap. 1 | 141 | a |
| An infinitum sit. | Cap. 2 | ibid. | b |
| Quale sit infinitum. | Cap. 3 | 142 | b |
| Dubia varia ad infinitum pertinentia, | Cap. 4 | 143 | a |
| De infinito actu & potestate, & num hoc prodeat ex materia. | Cap. 5 | 144 | a |
| Diluuntur tria dubia ad infiniti notitiam attinentia. | Cap. 6 | ibid. | b |
| Quomodo à Mathematico & Physico varia sine pugna proferantur. | Cap. 7 | 145 | b |
| De Loco. | Cap. 8 | 146 | a |
| Quid sit locus, opiniones variæ. | Cap. 8 | ibid. | b |
| Quid sit locus, opinio Aristotelis. | Cap. 9 | 147 | a |
| Diluuntur instantiæ relatæ aduersus opin. Aristotelis. | Cap. 10 | ibid. | b |
| De Inani. | Cap. 11 | 148 | b |
| Resolutio difficultatis an detur inane. | Cap. 12 | 149 | a |
| De Tempore diuisiones & opiniones. | Cap. 13 | ibid. | b |
| De Tempore opinio Aristotelis. | Cap. 14 | 150 | b |
| Dubia ex Temporis definitione prodeuntia. | Cap. 15 | 151 | a |
| An Tempus potius interitus, quàm ortus sit causa. | Cap. 16 | 152 | a |
| De Anno. | Cap. 17 | ibid. | b |
| De Anno Magno. | Cap. 18 | 153 | b |
| De Anno communi, siue Solis. | Cap. 19 | 154 | a |
| De Mense. | Cap. 20 | 155 | a |
| De Die. | Cap. 21 | ibid. | b |
| De Hora. | Cap. 22 | 156 | a |
| De Olympiade. | Cap. 23 | ibid. | b |
| De terminis Temporis. | Cap. 24 | 157 | a |
| De æternitate, æuo, & ætate. | Cap. 25 | ibid. | a |

## *Primi Libri de Motu.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Proponitur de motu agendum & manifestatur ordo seruandus. | Cap. 1 | 159 | a |
| An Motus sit. | Cap. 2 | ibid. | a |
| Quid sit Motus. | Cap. 3 | 160 | a |
| Diluuntur dubia ex definitione motus prodeuntia. | Cap. 4 | ibid. | b |
| Distinctiones nonnullæ Motus. | Cap. 5 | 161 | b |
| Quotuplex sit Motus. | Cap. 6 | 162 | a |
| De distinctione Motus à mutatione. | Cap. 7 | 163 | a |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| De oppositionibus Motus. | Cap. | 8 | ibid. | b |
| An continuum sit in ratione Motus. | Cap. | 9 | 164 | b |
| Motum sui conditione esse continuum, | Cap. | 10 | 165 | a |
| Opinio Zim. & Balduini euertitur. | Cap. | 11 | ibid. | b |
| Vnde oriatur continuatio Motus. | Cap. | 12 | 166 | a |
| Diluuntur aduersæ rationes. | Cap. | 13 | 167 | a |
| De quo Motu quæratur in octauo Physic. an sit æternus. | Cap. | 14 | ibid. | b |
| Opinio putantium quæri de Motu vniuersè. | Cap. | 15 | 168 | b |
| Diluuntur rationes aduersæ. | Cap. | 16 | 169 | a |
| Ad quem pertineat considerare, an Motus sit æternus. | Cap. | 17 | ibid. | b |
| Lationem præferri origine cæteris Motibus. | Cap. | 18 | 170 | b |
| De ordine perfectionis Motuum. | Cap. | 19 | 171 | a |
| De præstantia Motus in Orbem. | Cap. | 20 | 172 | a |
| Dubia ad id pertinentia. | Cap. | 21 | 173 | a |
| Quomodo posterius origine sit prius perfectione. | Cap. | 22 | 174 | a |
| Resolutio difficultatis. | Cap. | 23 | ibid. | b |


## *Secundi Libri de Motu.*


| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Institutum auctoris & ordo seruandus. | Cap. | 1 | 175 | a |
| Capita variarum opinionum de æternitate Motus. | Cap. | 2 | ibid. | a |
| Ratio Prima Aristotelis pro æternitate Motus, | Cap. | 3 | ibid. | b |
| Ratio secunda pro eodem. | Cap. | 4 | 176 | b |
| Ratio tertia pro eodem. | Cap. | 5 | 177 | b |
| Ratio quinta, & sexta. | Cap. | 6 | 178 | a |
| Ratio septima, & octaua. | Cap. | 7 | ibid. | b |
| An Motus ex se, vel ab alio sit æternus opinio Auer. | Cap. | 8 | 179 | a |
| Euersio relatæ opinionis. | Cap. | 9 | ibid. | b |
| Instantiæ nonnullæ aduersus æternitatem Motus. | Cap. | 10 | 180 | b |
| Declarantur nonnulla conducentia pro solutionibus. | Cap. | 11 | 181 | a |
| Soluitur ratio ducens ad absurda. | Cap. | 12 | ibid. | b |
| Diluuntur reliquæ instantiæ. | Cap. | 13 | 182 | a |
| Motum in Orbem posse esse vnum, æternum, & continuum. | Cap. | 14 | ibid. | b |
| Lationem rectam non posse esse vnam, æternam, & continuam. | Cap. | 15 | 183 | a |
| Inter Motus oppositos mediare quietem. | Cap. | 16 | ibid. | b |
| Instantiæ aduersus id. | Cap. | 17 | 184 | a |
| Resolutio difficultatis & aduersarum rationum. | Cap. | 18 | ibid. | b |
| Quomodo ea quę sunt in vniuerso ad Motum & eius oppositum se habent. | Cap. | 19 | 185 | a |
| Quietem non esse explodendam. | Cap. | 20 | ibid. | b |
| Absoluta veritas de æternitate Motus, | Cap. | 21 | 186 | b |


FINIS.

# INDEX
# SINGVLARVM RERVM
## ET SENTENTIARVM, QVAE IN VNIVERSO OPERE PROFERVNTVR, ET EXPLICANTVR.

A


*Abstractio multiplex lib. 2. Phys. cont. 18 f. 2. l. 8.* 121
*Abstractiones mathematicæ principia sunt ad diuinorum contemplationem. cap. 10. l. 34.* 9
*Et docentur per eas.* ibid.
*Abstractio duplici modo consideratur. cap. 13. f. 2. l. 14.* 11
*Abstractum dicitur prius ratione concreto, non autem essentia. cap. 13 f. 2. l. 23.* 11
*Accidentia eidem competentia sunt vnum numero lib. 1. Phys. cont. 60. l. 35.* 82
*Accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua lib. 2. Phys. cont. 19. l. 31.* 123
*Actio qualiter in scientijs consideretur. cap. 10. l. 21.* 9
*Actio per naturam contradistinguitur ab actione per cognitionem. lib. 1. cont. 2. in dub. l. 27.* 53
*Actus & potentia communia principia eorum quę sunt. lib. 1. cont. 56. in annot. l. 4.* 77
*Actus est forma, potentia ex subiecto & priuatione existit.* ibid.
*Aequale summitur dupliciter lib. de affect. f. 2. l. 49.* 143
*Aeternitas quid lib. de affect. cap. 25. l. 34.* 158
*Aeternitas non est causa præstãtiæ, sed signum lib. de affect. cap. 6. f. 2. l. 9.* 145
*Aeternitas, æuum, & ætas varie sumi. lib. de affect. cap. 25.* 157
*Aeternitatis, ætatis, & æui differentia. lib. de affect. cap. 25. f. 2. l. 1.* 157
*Aeternum duplex lib. 2. de motu, cap. 5. l. 28.* 178
*Aeterni nomine quid lib. de motu 2. c. 1. l. 21.* 175
*Aeuum quid lib. de affec. cap. 25. l. 32.* 158
*Aeuum quadrupliciter contingit lib. de affect. cap. 25. f. 2. l. 24.* 157
*Aeui distinctio lib. de affec. cap. 25. f. 2. l. 24.* 157
*Aeui ratio in quo lib. de affec. cap. 25. l. 40.* 158
*Aeuum mensuratur ex septem ex Scoto.* ibid.
*Aeui opinio authoris lib. de affec. c. 25. f. 2. l. 4.* 158
*Aeuum quotuplex lib. de affec. c. 25. f. 2. l. 15.* 158
*Affectio posterior est rei cuius est affectio, conditio autem interior. lib. 1. cont. 42. in exam. l. 38.* 63
*Affectiones communes quæ priores, & quo ordine adinuicem connectantur. cap. 18. f. 2. l. 43.* 15
*Affectiones communes corporis physici lib. 1. de motu, cap. 1. l. 7.* 141
*Affectiones communes cur tantum sex lib. 1. de motu, cap. 1. l. 15.* 141
*Affectionum principalissima. lib. 1. de motu, cap. 1. lin. 21.* 141
*Affinitatem habẽtia cum natura tria. lib. 2. Phys. cont. 45. f. 2. l. 1.* 109
*Agens per naturam, non est causa secundum se oppositorum, lib. 2. Physic. cont. 30. l. 20.* 131
*Agentis intentio quæ. lib. 1. cont. 43. in dub. l. 3.* 65
*Albedo est prior ratione homine albo. cap. 13. f. 2. lin. 24.* 11
*Aliquid esse æternum varie. lib. de affect. cap. 25. lin. 27.* 158
*Amor, & odium dici principia, lib. 2. Physic. cont. 15. l. 46.* 119
*Amor principium generationis. de plac. cap. 5. lin. 22.* 32
*Amoris nomine quid denotetur. de plac. cap. 5. lin. 18.* 32
*Amor vnde ortum habuit. de plac. c. 20. l. 30.* 42
*Amicitia duplex in rerum ortu. de plac. cap. 9. f. 2. lin. 11.* 36
*Analogia quæ. lib. 1. cont. 48. f. 2. l. 43.* 68
*Analogia quid. lib. 2. Phys. cont. 69. f. 2 l. 12.* 89
*Anaxagoras quomodo intelligendus de mundi æternitate. de plac. cap. 21. f. 2. l. 31.* 42
*Anaxagoras quo tempore floruerit. de plac. cap. 11. lin. 1.* 37
*Eiusq; laudes. ibid. f. 2. l. 7.*
*Anima an ex contrarijs sit constituta. de plac. cap. 17. l. 4.* 40
*Anima dicta ignis est. lib. 1. contex. 54. in dub. f. 2. lin. 48.* 75
*Animalia quamuis dormiant tamen mouentur. lib. 2. de motu, cap. 19. l. 31.* 185
*Animorum natura in quot opinionum capita redigatur. de plac. cap. 14. f. 2. l. 2.* 38
*Animus in quot diuidatur partes; & quid de eius nomine. de plac. cap. 14. f. 2. l. 3. & seq.* 38
*Et ex quibus consistat secundũ aliquos. ibid. l. 18.*
*Estque incorporeus. ibid. l. 23.*
*Et an si immortalis vel ne. ibid. l. 27.*
*Et est origo motus. ibid. l. 32.*
*Annus duplex lib. de affec. cap. 17. f. 2. l. 15.* 152
*Anni magni varia opiniones.* ibid.
*Anni magni magnitudo.* ibid.
*Anni magni, authoris opinio. lib. de affect. cap. 18. f. 2.* 153
*Annus communis parcus dicitur. lib. de affect. cap. 19.* 154


*Annus*

# INDEX


*Annus quis proprius.* 154
*Anni principium quod.ibid.lin.14.cap.19.* 154
*Appetere aliud, dupliciter contingit.lib.1.Physic. cont.81.l.42.in dub.* 99
*Appetitio tria requirit.lib.1.Phys.cõt.81.l.20.* 98
*Appetere formam per se dupliciter intelligitur.lib. 1.Phys.cont.81.f.2.in dub.l.13.* 98
*Appetitus an requirat priuationem.lib.1.Physic. cont.81.l.6.in dub.* 99
*Aqua an sit rerũ principiũ.de plac.c.5.f.2.l.8.* 31
*Arã duplare quo intelligendum.cap.5.f.2.l.24.* 5
*Argumenta propria cuiusque artis quæ sint.cap.8. f.2.l.28.* 7
*Arist. quid recta ratione facere debuerit de motu. lib.1.de motu,cap.15.f.2.l.6.* 168
*Arist.cur distincte de fato non egerit. lib.2. Phys. cont.15.l.11.* 119
*Arist.quomodo dissentiat a Platone de fato. lib.2. Phys.cont.15.l.18.* 119
*Arist.de quo motu loquatur in 8.Phy.dũ in proœmio,q̃rit an sit æternus.l.1.de motu,c.14.f.2,* 167
*Aristot. cur in definitione formæ dixerit quid erat esse.lib.2.Phys.f.2.l.4.* 135
*Arist.cur distincte non protulit,an materia cœli ad Phys. ptineat.lib.2.Phys.cõt.26.f.2.l.11.* 128
*Arist.loquẽs de materia,nõ assignauit terminos cõsiderationis materiæ, assignauit tamen ex parte modi considerandi.l.2.Phy.cõt.26.f.2.l.16.* 128
*Et loquens de forma assignauit terminos ex parte vtriusque.* ibid.
*Arist.locus primo Post.tex.23.declaratur.cap.12. lin.10.* 11
*Arist.dum refert Platonis principia de rerum generatione,quas contrarietates patiatur,& quomodo intelligendus.de plac.cap.18.per totũ.* 41
*Arist.in 2.cont.vsque ad finem proœmii loqui de sola via, & non de ordine, ex propria opinione. lib.1.cont.4.l.14. & seq.* 57
*Arist. cõparatio cum opinione Platonis, de rerum principijs.de plac.cap.8.per totum.f.2.* 34
*Arist.locus ex primo de Cælo 54.declaratur. cap. 32.lin.12.* 27
*Ars militaris iuncta cum ciuili scientia. cap. 3. lin.37.* 3
*Ars quid sit. cap.3.l.16.4.& cap.7.l.13.* 7
*Ars proprie dicta in quo differat ab artibus ingenuis.cap.7.l.12.* 7
*Ars nulla quare a Metaphysica ortum non ducat. cap.6.f.2.l.18.* 6
*Ars demonstrandi dupliciter consideratur. cap.8. f.2.l.32.* 7
*Ars dirigens etiam cognoscens dicitur.lib.2.Phys. cont.25.l.2.f.2.* 127
*Ars quomodo efficiat materiam.lib.2.Phys. cont. 24.f.2.in dub.l.9.* 126
*Artes omnes includuntur sub disciplina,quæ in effectione versatur.cap.3.l.14.* 4
*Artes ingenuæ vocantur,disciplinæ organicæ.cap. 7.lin.9.* 7
*Artes sunt de rebus singularibus cum materia iuncti.cap.6.f.2.l.19.* 6
*Artes an diuidantur in theoricam, & practicam, cap.10.l.9.* 9
*Artes logicæ quæ.cap.2.l.39.* 3
*Artes fructus dicuntur philosophiæ, ex fine prouenientes.cap.22,l.10.* 19
*Artes diuinatrices sub physica continentur.cap.9. lin.15.* 8
*Artes diuinatrices proprie artes non sunt. cap.9. lin.19.* 8
*Artes quomodo se habeant in consideratione materia,& forma.lib.2.Phys.cont.25.l.5.* 127
*Artes quatuor gradus habent. lib.2. Physic.cont. 25.l.5.* 127
*Artium propria quæ sint.cap.7.l.11.* 7
*Artifex in cognitione artis,et philosophus naturalis in cognitione naturæ æquiparantur. lib. 2. Phys.cont.25.l.26.* 127
*Artifices q̃ pprie dicãtur.l.2.phy.cõt.25.l.7.* 127
*Artifices in quo differant a naturali philosopho. lib.2.Phys.cont.25.l.22.* 127
*Artificiosa fieri a simili.lib.2. Phys.cont.13.f.2. lin.29.* 114
*Artificiosa an habeant naturam.lib.2. Phys.cont. 13.f.2.l.11.* 114
*Arithmetica prius est addiscẽda quàm Geometria, & Stereometria.cap.15.f.2.l.5.* 12
*Arithmetica cõtinet sub se Musicam.cap.5.l.36.* 5
*Astrologus quomodo consideret motum & substantiam.lib.2.Phys.cont.20.f.2.l.12.* 124
*Astronomus non considerat motum æternum.lib.1. de motu,cap.17.l.39.* 170
*Atomi & mixta consimilia longe recedunt a conditione materiæ.lib.1.cont.54.in dub.in fi.* 76
*Atomi quid sint,de plac.cap.10.f.2.l.8.* 36
*Et an sint infinita.ibid.l.25.*
*Et de earum operationibus.* ibid.
*Authoris opinio an creatis competat fuisse semper, & carere primo.lib.2.de motu,c.13.l.14.* 182


B


BONUM & verum sunt principium & scopus humanarum actionum.lib.1.cont.48.in annot. f.2.l.21. 69


C


CAEcus cur nõ iudicat de coloribus.lib.2.Physic.tex.6.in dub.l.8. 11
*Causa & concausa quid sibi velit.lib.2.Phy.l.22. cont.38.* 134
*Causa dicitur multipliciter, non æquiuoce sed ab vno.lib.2.Phys.cont.32.33.34.l.21.* 132
*Cã cõtinuationis motus.lib.1.de motu,c.12.l.4.* 166
*Causa & principium quomodo dicantur genera causarum & quomodo non.lib.2.Phys.l.33.* 134
*Cã et cõcausa q̃ dicatur.l.1.Phys.cõt.80.l.49.* 197
*Causa dicitur actu, & potestate & quando, lib.2. Phys.cont.32.33.34.l.36.* 132
*Causa præstantiæ non est æternitas sed signum. lib. de affect.cap.6.f.2.l.8.* 145

# INDEX


Cā summa quæ sit.lib.2.Phys.cōt.38.f.2.l.15. 133
Causa oppositorū potest esse idem secundū se vnius, per accidēs alterius.lib.2.Phy.cōt.30.l.16. 131
Causa secundum se, & secundum accidēs quomodo intelligatur.lib.2.Phy.cōt.32.33.34.l.22.132
Causa non datur, ob quam res sit id quod est. lib.1. cont.42.in exam f.2.l.14. 63
Causa efficiens de mundi ortu an fuerit ab antiquis cognita.de plac.26.l.6. 45
Causas cognoscere an sit necessariū pro exacta rei cognitione.lib.1.cont.1.in dub.f.2.l.25. 48
Causæ declaratæ, in secundo physicorum communiores sunt principijs declaratis in primo, & elementis, declaratis in principio secundi. cap.17. f.2.l.40. 14
Causæ etiam externæ demonstrationem ingrediuntur.lib.1.cont.1.in dub.l.16. 49
Causæ quo in loco ab Arist.declarantur.lib.1.cont. 1.l.42. 47
Causæ internæ & externæ quæ.de plac.c.1.l.5. 29
Causæ noīe quot denotentur.de plac.c.1.f.2.l.1. 28
Causæ quadrupliciter dicuntur.lib.2.Phy.l.2.134
Causæ vel sunt cum connexione vel simplices. lib. 2.Phys.cont.36.37.f.2.l.5. 132
Causæ variæ nostrarum deceptionum. lib.1. Phys. cont.71.72.l.1.in dub. 92
Causæ quot.lib.2.Phys.in proœm.l.21. 103
Causæ secundæ sunt solum instrumenta primæ. lib. 2.Phys.f.2.l.38. 140
Causæ vnde.lib.2.Phys.cont.1.& 2.l.8. 104
Causarum genera rerum naturalium quatuor sunt. cap.17.f.2.l.4. 14
Causarum diuisio.lib.2.Phys.tex.38.l.41. 134
Centrum propriè non esse Dei sedem, sed carcerem Iouis, & locū inferū.de plac.c.25.f.2.l.28. 44
Chaos quid. de plac.cap.11.l.4. 37
Chaos quid denotare videntur.de plac.cap.20.f.2. lin.15. 41
Chaos secundum Hesiodum ante omnia fuisse, deinde terrā latam, & amorē.de plac.c.5.l.17. 32
Ciuilis scientiæ definitio.cap.3.l.11. 4
Ciuilis disciplina in actione consistit.cap.3.l.25. 3
Et in tres diuiditur partes. ibid.
Ciuilis scientiæ officium quale. cap.8.l.12. 8
Cælum Deorum locus dicitur.de plac. cap.25.f.2. lin.24. 44
Cælum ignem esse secundum antiquorū opinionem. de plac.cap.5.l.34. 32
Cæli differentiæ loci quatuor, nempe dextrum & sinistrum, sursum, & deorsum assignantur. de plac.cap.27.f.2.l.6. 45
Cælum immune ab ortu & interitu.lib.1.cont.47. in annot f.2.l.4. 67
Cælum an moueatur.lib.1.de motu,c.21.l.36.173
Cælum in orbem motum, tripliciter considerari.lib. 1.de motu,cap.21.f.2.l.20. 173
Cælum non mouetur in infinitum. lib. 1. de motu, cap.21.l.29. 173
Cælum dupliciter considerari.lib.1.Phys.cont.57. in dub.f.2.l.16. 79
Cælū quō physicū.lib.1.Phy.cōt.57.f.2.l.35. 79
Cælum, & mundus, quomodo sint in loco.lib. de affect.cap.10.f.2.l.26. 147
Cælum non moueri motu secundum locum. lib. de affect.cap 10.l.30. 148
Cæli immobilitas triplex. lib.1.de motu, cap. 21. lin.23. 173
Cognitio Dei est distincti generis a cognitione nostra.lib.de affect.cap.3.l.33. 143
Cognitio per analogiam, & negationem competit Deo, & materiæ, sed oppositis cōditionibus. lib. 1.Phys cont.69.70.f.2.l.4. 90
Cognitio materiæ quomodo pateat. lib. 1. Physic. cont.69.70.l.10.in dub. 90
Cognitio, & imperium se connectuntur.lib.2.Phy. cont.25.f.2.l.1. 127
Cognitio quantitatis cum materia concretæ, ad quē primo pertineat, an ad physicū, an vero ad mathematicum.cap.12.l.28.& cap.13.f.2.l.1.11
Cognitio principiorum est mentis cognitio. lib. 1. cont.5.in dub.f.2.l.6. 58
Cognitio veri dicitur esse dux probarum actionum. cap.21.f.2.l.7. 17
Et eius principium.ibid.l.9. 18
Cognitio distincta, est principiorum cognitio per effecta & confusa.lib.1.cont.3.in dub.l.33. 56
Cognitio quæ primo nobis se offert est quantitas iuncta materiei.cap.12.l.26. 11
Cognitio duplex, exacta vna, & simplex altera. lib.1.cont.1.in dub.f.2 l.35.& 46. 48
Cognitio rei & causæ an sint idem. lib.1. cont.1.in dub.l.22. 48
Cognitio nostra naturam sequens, est cognitio confusa.lib.1.cont.5.f.2.l.4. 58
Cognitio per materiam quomodo fiat.lib.1.cont.1. in dub.f.2.l.15. 48
Cognitio quando possit iudicari perfecta.lib.1.cont. 1.f.2.l.48. 47
Cognitio a nobis notioribus an vera sit de omni.lib. 1.cont.2.in dub.l.16. 52
Cognitio omnis nostra ortum ducit a sensu. lib. 1. cont.2.in dub.l.13. 53
Cognitionis principium an sit materia.lib.1.cont.1. in dub.l.33. 48
Cognitionis confusæ sermo Arist.est. lib.1. cont.3. in dub.l.31. 56
Cognitionis nomine quid denotetur. lib.1. cont.1. f.2.l.26. 47
Communius duplex.cap.17.l.3. 15
Communia cur primo declaranda.lib.1.Phys. contex.57.in dub.l.25. 79
Communia ducunt in notitiam simplicium & distinctorum principiorum.lib.1.cont.4.f.2.l.33. 56
Cōmunia prius declarari, est secundum naturam. lib.1.cont.2.in dub.l.32. 54
Cōmunia cur primo declaranda.cap.16.f.2.l.9.13
Communia per vniuersalia denotari. lib.1. cont.4. f.2.l.19.& 36.56.& l.1. cum seq. 57

FRANCISCI

# PICCOLOMINEI

## SENENSIS,

## IN ACADEMIA PATAVINA

PHILOSOPHI PRIMI.

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium

## PARS PRIMA,

*Cui nuper adiecta est integra & germana Secundi Libri Physicorum expositio, quæ iam antea deerat.*

Serenissimo FERDINANDO Medici Magno Hetruriæ Duci dicata.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, Apud Hæredes Francisci de Franciscis. M D C.

# SERENISSIMO
# FERDINANDO MEDICI,
## MAGNO HETRVRIÆ
## DVCI,

Domino colendissimo,

*Franciscus Piccolomineus seruus humilissimus perennem fœlicitatem.*

SVB regio & amplissimo tuo Imperio, Inuictissime FERDINANDE, Vrbs Senarum vniuersa, tibi deuotissima exultat; iubilant in ea iuuenes, & senes omnes, nemoque est, qui non summopere glorietur tua eximia Potestate regi, tuaque eminenti Iustitia gubernari. Hoc cum sit commune cunctis eius Vrbis, magis tamen eis competit, qui exactius sublimes virtutes tuas, intimius eximia merita, distinctiusque præclara facinora intuentur, & meditantur; Nil enim in te est quod non sit magnum; nil à te excogitatur, nisi magnum; nil ex te prodit, nisi magnum; nilque à te agitur nisi magnum; Tu in honore es magnanimus, in distribuendis Fortunæ muneribus es magnificentissimus, in seruanda Iustitia & ęquitate es Heroicus, in tuenda demum Religionis dignitate, etiam supra Herois conditionem erigeris, adeo vt longe maior sis animo, quàm fortuna, intus quàm extra, meritis quàm nomine, opera quàm verbis; Propterea iure optimo deditissimorum tibi Senensium nemo est, cuius cogitationes, facultates, & opera, tua non sint, tibiq; statim ab ortu dicata, & consecrata. Quare si Liber hic tuo præclaro nomine insignitus in lucem prodit, lucique traditus ad sublimem tuam dignitatem celer properat, & properans eximia humilitate salutat, mirum profectò non est; ipso enim iure te colentium tua sunt omnia, & sine vlla externa inscriptione tua semper sunt iudicanda; Et quamuis ego seorsum à Patria (vt mea sors tulit) ętatem meam ferè totam transigerim, nemini tamen in te magnifaciendo, & colendo principatum vn-

quam concessi, quod eo libentius à me factum glorior, & lętor, quo vniuersam familiam Piccolomineam, tuæ Amplitudini in dies magis ac magis addictam, & deuotam intueor, cuius præstantis officij conspicua mihi testimonia præbent duo præclara nostræ familiæ lumina, & Religionis acerrimi custodes, & defensores, Ascanius vnus, Senarum Archiepiscopus religiosissimus, cui iungitur Siluius frater, animo & Arte militari conspicuus; Franciscus Maria alter, Pientiæ ac Montis Ilcini Episcopus meritissimus, quem sequitur, olim Clementis fratris filius, Ioannes Baptista Primicerius, Iure Ciuili, & Pontificio insignis; ac insuper id ipsum magno spiritu testantur Emilius, mihi arcto cognationis nodo coniunctus, nec non Hyppolitus Hieronymi olim mei fratris filius, Iuris vtriusque Doctor, hi omnes ex familia Piccolominea, vt cæteros silentio prætercam, adeo sunt tui iuris, adeo constanti animo te venerantur & colunt, tamque flagranti desiderio tuæ voluntati satisfacere cupiunt, quod etiam si sanguinem tui gratia effunderent, amplitudini desiderij ad votum non satisfacerent. Iure optimo itaque ego & vt Patria Senensis, & vt ex familia tui obseruantissima ortus, & vt Philosophię studiosus, cuius conditio est sublimia intueri & colere, & vt propria quadam interna commotione ad tui obsequium tuorumq; meritorum admirationem procliuis; in te colendo nemini cedo, nec mei aliquid nosco, quod tuum non iudicem; propterea si meas has vigilias Sublimitati tuæ dicatas, nunc tibi offero, non aliquid denuo trado, sed ea quæ tua sunt, hilari animo tesigno, & me totum libentissime tui esse iuris publicè testor, & manifesto. Quod officium ob id præsertim tibi non ingratum fore iudico, quia sermo est De placitis Sapientum, De communibus principijs, virtute & facultate vniuersam Scientiam De Natura includentibus, nec non De communibus affectionibus, sublimi tuæ conditioni eximiè congruentibus. Serena itaque fronte ea, quæ tua sunt inspice, suscipe, & foue, vt Deus Principum Princeps, dignitatem tuam amplificet, tueatur, & foueat. Diu fœlix pro tuorum populorum tranquillitate viue, & vale. Patauij Kl. Iunij M D XCVI.

# SERIES LIBRORVM
## PRIMAE PARTIS.

*INtroductio ad scientiam de Natura, Liber vnus.*
*De Placitis Philosophorum, Liber vnus.*
*Expositio primi Libri Physicorum.*
*Expositio partis secundi Libri.*
*De quatuor communibus affectionibus.*
*De Motu Libri duo.*

Secundæ Partis.

*De Mundo Liber vnus.*
*De Cælo Liber vnus.*
*De Motoribus Cælorum Liber vnus.*
*De Creatione noua & æterna Libri duo.*

Tertiæ Partis.

*De Materia Libri tres.*
*De quatuor primis qualitatibus Liber vnus.*
*De affectione & perpeßione operantium per naturam Liber vnus.*
*De quatuor Elementis Libri duo.*
*De Mixtione Liber vnus.*
*Consideratio multitudinis formarum in eodem indiuiduo.*

Quartæ Partis.

*Meteororum Liber vnus.*
*De Ortu mixtorum Liber vnus.*
*De Putredine Liber vnus.*
*De ortis ex Putri Liber vnus.*
*De Concoctione Liber vnus.*

Quintæ Partis.

*De Sede Animæ Liber vnus.*
*De Accretione Liber vnus.*
*De Sensu visus Liber vnus.*
*De Sensibus internis Liber vnus.*
*De humana Mente Libri tres.*
*De facultate qua animalia sponte mouentur Liber vnus.*

# INDEX
## PRINCIPALIVM CAPITVM SINGVLORVM LIBRORVM PRIMAE PARTIS.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Libri pro introductione, | | | |
| Prooemium. | | | pag. 1 a |
| Quæ sint partes Iuuenis, Sapientię Studiosi. | Cap. | 1 | ibid. b |
| Diuisio disciplinarum. | Cap. | 2 | pag. 2 b |
| Diuisio disciplinarum Principalium. | Cap. | 3 | pag. 3 a |
| De disciplinis inspectricibus. | Cap. | 4 | 4 a |
| Diuisio Mathematicarum. | Cap. | 5 | 4 b |
| De scientia Physica, & eius diuisione. | Cap. | 6 | 6 a |
| Dubia ex diuisionibus prodeuntia. | Cap. | 7 | ibid. b |
| Dubia alia ad idem attinentia. | Cap. | 8 | 7 a |
| Insuper dubia alia. | Cap. | 9 | 8 a |
| An Mathematicæ sint pars inspectricis Philosophiæ. | Cap. | 10 | ibid. b |
| De ordine disciplinarum Organicarum. | Cap. | 11 | 9 b |
| De ordine principalium. | Cap. | 12 | 10 b |
| De ordine partium inspectricis Philosophiæ opinio propria. | Cap. | 13 | 11 a |
| Dubia ad id pertinentia. | Cap. | 14 | ibid. b |
| De ordine Mathematicarum. | Cap. | 15 | 12 b |
| Ordo partium Naturalis scientiæ. | Cap. | 16 | 13 b |
| Ordo declaratorum in primis duobus libris Physicorum. | Cap. | 17 | 14 a |
| Ordo communium affectionum corporis Physici. | Cap. | 18 | 15 a |
| Definitio Philosophiæ. | Cap. | 19 | 16 a |
| Resolutio Philosophię in quatuor genera causarum. | Cap. | 20 | ibid. b |
| Vtilitas Philosophiæ. | Cap. | 21 | 17 a |
| Dubia ad vtilitatem attinentia. | Cap. | 22 | 18 a |
| De subiecto Naturalis scientiæ. | Cap. | 23 | 19 a |
| Diuisio subiecti & eius conditiones. | Cap. | 24 | ibid. b |
| De subiecto naturalis scientiæ opiniones variæ. | Cap. | 25 | 20 a |
| Reijciuntur opiniones duæ. | Cap. | 26 | 21 a |
| Reijciuntur opiniones aliæ. | Cap. | 27 | 22 b |
| Resolutio difficultatis. | Cap. | 28 | 23 b |
| Dubia nonnulla ad id pertinentia. | Cap. | 29 | 24 a |
| De subiecto octo librorum Physicorum. | Cap. | 30 | 25 a |
| De inscriptione communi eorum. | Cap. | 31 | ibid. b |
| De inscriptione partium. | Cap. | 32 | 26 a |


### *Libri de Placitis Philosophorum.*


| | | | |
|---|---|---|---|
| Prooemium. | | | pag. 28 a |
| Prima opinionum Capita. | Cap. | 1 | ibid. b |
| Opinio putantium id quod est esse vnum & immobile. | Cap. | 2 | 29 b |
| Quot modis id quod est possit dici vnum. | Cap. | 3 | 30 a |
| Quid nomine entis veteres denotarint. | Cap. | 4 | 31 a |
| Opinio putantium id quod est esse vnum & mobile. | Cap. | 5 | ibid. b |
| Opinio Pythagoræ. | Cap. | 6 | 32 b |


Opinio

| | | | |
|---|---|---|---|
| Opinio Aristotelis, & comparatio eius cum opin. Platonis. | Cap. | 8 | 34 b |
| Opinio Empedoclis. | Cap. | 9 | 36 a |
| Opinio Democriti & Epicuri. | Cap. | 10 | ibid. b |
| Opinio Anaxagoræ. | Cap. | 11 | 37 a |
| Opinio putantium Principia partim vnum, partim plura. | Cap. | 12 | ibid. b |
| Placita Veterum de Mundi Ortu & interitu. | Cap. | 13 | 38 a |
| Capita opinionum de essentia animorum. | Cap. | 14 | ibid. b |
| Sequuntur controuersię quindecim attinentes ad placita veterū. | | | 39 a |
| Expositio primi libri Physicorum. | | | 46 a |
| Expositio secundi libri cum digressionibus ad Naturam & causas attinentibus. | | | 103 a |


## *De communibus affectionibus corporis Physici.*


| | | | |
|---|---|---|---|
| Proponitur de infinito agendum, eiusq; distinctiones traduntur. | Cap. | 1 | 141 a |
| An infinitum sit. | Cap. | 2 | ibid. b |
| Quale sit infinitum. | Cap. | 3 | 142 b |
| Dubia varia ad infinitum pertinentia. | Cap. | 4 | 143 a |
| De infinito actu & potestate, & num hoc prodeat ex materia. | Cap. | 5 | 144 a |
| Diluuntur tria dubia ad infiniti notitiam attinentia. | Cap. | 6 | ibid. b |
| Quomodo à Mathematico & Physico varia sine pugna proferantur. | Cap. | 7 | 145 b |
| De Loco. | Cap. | 8 | 146 a |
| Quid sit locus, opiniones variæ. | Cap. | 8 | ibid. b |
| Quid sit locus, opinio Aristotelis. | Cap. | 9 | 147 a |
| *Diluuntur instantiæ relatæ aduersus opin. Aristotelis.* | Cap. | 10 | ibid. b |
| De Inani. | Cap. | 11 | 148 b |
| Resolutio difficultatis an detur inane. | Cap. | 12 | 149 a |
| De Tempore diuisiones & opiniones. | Cap. | 13 | ibid. b |
| De Tempore opinio Aristotelis. | Cap. | 14 | 150 b |
| Dubia ex Temporis definitione prodeuntia. | Cap. | 15 | 151 a |
| An Tempus potius interitus, quàm ortus sit causa. | Cap. | 16 | 152 a |
| De Anno. | Cap. | 17 | ibid. b |
| De Anno Magno. | Cap. | 18 | 153 b |
| De Anno communi, siue Solis. | Cap. | 19 | 154 a |
| De Mense. | Cap. | 20 | 155 a |
| De Die. | Cap. | 21 | ibid. b |
| De Hora. | Cap. | 22 | 156 a |
| De Olympiade. | Cap. | 23 | ibid. b |
| De terminis Temporis. | Cap. | 24 | 157 a |
| De æternitate, æuo, & ætate. | Cap. | 25 | ibid. a |


## *Primi Libri de Motu.*


| | | | |
|---|---|---|---|
| Proponitur de motu agendum & manifestatur ordo seruandus. | Cap. | 1 | 159 a |
| An Motus sit. | Cap. | 2 | ibid. a |
| Quid sit Motus. | Cap. | 3 | 160 a |
| Diluuntur dubia ex definitione motus prodeuntia. | Cap. | 4 | ibid. b |
| Distinctiones nonnullæ Motus. | Cap. | 5 | 161 b |
| Quotuplex sit Motus. | Cap. | 6 | 162 a |
| De distinctione Motus à mutatione. | Cap. | 7 | 163 a |


De

| | |
|---|---|
| De oppoſitionibus Motus. | Cap. 8 ibid. b |
| An continuum ſit in ratione Motus. | Cap. 9 164 b |
| Motum ſui conditione eſſe continuum, | Cap. 10 165 a |
| Opinio Zim. & Balduini euertitur. | Cap. 11 ibid. b |
| Vnde oriatur continuatio Motus. | Cap. 12 166 a |
| Diluuntur aduerſæ rationes. | Cap. 13 167 a |
| De quo Motu quæratur in octauo Phyſic. an ſit æternus. | Cap. 14 ibid. b |
| Opinio putantium quæri de Motu vniuersè. | Cap. 15 168 b |
| Diluuntur rationes aduerſæ. | Cap. 16 169 a |
| Ad quem pertineat conſiderare, an Motus ſit æternus. | Cap. 17 ibid. b |
| Lationem præferri origine cæteris Motibus. | Cap. 18 170 b |
| De ordine perfectionis Motuum. | Cap. 19 171 a |
| De præſtantia Motus in Orbem, | Cap. 20 172 a |
| Dubia ad id pertinentia. | Cap. 21 173 a |
| Quomodo poſterius origine ſit prius perfectione. | Cap. 22 174 a |
| Reſolutio difficultatis. | Cap. 23 ibid. b |


## *Secundi Libri de Motu.*


| | |
|---|---|
| Inſtitutum auctoris & ordo ſeruandus. | Cap. 1 175 a |
| Capita variarum opinionum de æternitate Motus. | Cap. 2 ibid. a |
| Ratio Prima Ariſtotelis pro æternitate Motus, | Cap. 3 ibid. b |
| Ratio ſecunda pro eodem. | Cap. 4 176 b |
| Ratio tertia pro eodem. | Cap. 5 177 b |
| Ratio quinta, & ſexta. | Cap. 6 178 a |
| Ratio ſeptima, & octaua. | Cap. 7 ibid. b |
| An Motus ex ſe, vel ab alio ſit æternus opinio Auer. | Cap. 8 179 a |
| Euerſio relatæ opinionis. | Cap. 9 ibid. b |
| Inſtantiæ nonnullæ aduerſus æternitatem Motus. | Cap. 10 180 b |
| Declarantur nonnulla conducentia pro ſolutionibus. | Cap. 11 181 a |
| Soluitur ratio ducens ad abſurda. | Cap. 12 ibid. b |
| Diluuntur reliquæ inſtantiæ. | Cap. 13 182 a |
| Motum in Orbem poſſe eſſe vnum, æternum, & continuum. | Cap. 14 ibid. b |
| Lationem rectam non poſſe eſſe vnam, æternam, & continuam. | Cap. 15 183 a |
| Inter Motus oppoſitos mediare quietem. | Cap. 16 ibid. b |
| Inſtantiæ aduerſus id. | Cap. 17 184 a |
| Reſolutio difficultatis & aduerſarum rationum. | Cap. 18 ibid. b |
| Quomodo ea quę ſunt in vniuerſo ad Motum & eius oppoſitum ſe habent. | Cap. 19 185 a |
| Quietem non eſſe explodendam. | Cap. 20 ibid. b |
| Abſoluta veritas de æternitate Motus. | Cap. 21 186 b |


FINIS.

# INDEX
# SINGVLARVM RERVM
## ET SENTENTIARVM, QVAE IN VNIVERSO OPERE PROFERVNTVR, ET EXPLICANTVR.

### A


*Abstractio multiplex lib. 2. Phys. cont.18.f.2.l.8.* 121

*Abstractiones mathematicæ principia sunt ad diuinorum contemplationem:cap.10.l.34.* 9

*Et docentur per eas.* ibid.

*Abstractio duplici modo consideratur. cap.13.f.2. l.14.* 11

*Abstractum dicitur prius ratione concreto, non autem essentia.cap.13 f.2.l.23.* 11

*Accidentia eidem competentia sunt vnum numero lib.1.Phys.cont.60.l.35.* 82

*Accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua lib.2.Phys.cont.19.l.31.* 123

*Actio qualiter in scientijs consideretur. cap. 10. l.21.* 9

*Actio per naturam contradistinguitur ab actione per cognitionem.lib.1.cont.2.in dub.l.27.* 53

*Actus & potentia communia principia eorum quæ fiunt.lib.1.cont.56.in annot.l.4.* 77

*Actus est forma,potentia ex subiecto & priuatione existit.* ibid.

*Aequale summitur dupliciter lib. de affect. f. 2. l.49.* 143

*Aeternitas quid lib.de affect.cap.25.l.34.* 158

*Aeternitas non est causa præstãtiæ, sed signum lib. de affect.cap.6.f.2.l.9.* 145

*Aeternitas,æuum, & ætas varie sumi. lib. de affect.cap.25.* 157

*Aeternitatis, ætatis, & æui differentia. lib. de affect.cap.25.f.2.l.1.* 157

*Aeternum duplex lib.2.de motu,cap.5.l.28.* 178

*Aeterni nomine quid lib.de motu 2. c.1.l.21.* 175

*Aeuum quid lib.de affec.cap.25.l.32.* 158

*Aeuum quadrupliciter contingit lib.de affect. cap. 25.f.2.l.24.* 157

*Aeui distinctio lib.de affec.cap.25.f.2.l.24.* 157

*Aeui ratio in quo lib.de affec.cap.25.l.40.* 158

*Aeuum mensuratur ex septem ex Scoto.* ibid.

*Aeui opinio authoris lib.de affec.c.25.f.2.l.4.* 158

*Aeuum quotuplex lib.de affec.c.25.f.2.l.15.* 158

*Affectio posterior est re cuius est affectio, conditio autem interior.lib.1.cont.42.in exam.l.38.* 63

*Affectiones communes quæ priores, & quo ordine adinuicem connectentur.cap.18.f.2.l.43.* 15

*Affectiones communes corporis physici lib. 1. de motu,cap.1.l.7.* 141

*Affectiones communes cur tantum sex lib.1.de motu,cap.1.l.15.* 141

*Affectionum principalissima.lib.1.de motu, cap.1. lin.21.* 141

*Affinitatem habẽtia cum natura tria.lib.2.Phys. cont.45.f.2.l.1.* 109

*Agens per naturam,non est causa secundum se oppositorum,lib.2.Physic.cont.30.l.20.* 131

*Agentis intentio quæ.lib.1.cont.43.in dub.l.3.* 65

*Albedo est prior ratione homine albo.cap.13.f.2. lin.24.* 11

*Aliquid esse æternum varie.lib.de affect. cap. 25. lin.27.* 158

*Amor,& odium dici principia,lib.2.Physic.cont. 15.l.46.* 119

*Amor principium generationis. de plac. cap. 5. lin.22.* 32

*Amoris nomine quid denotetur. de plac. cap. 5. lin.18.* 32

*Amor vnde ortum habuit.de plac.c.20.l.30.* 42

*Amicitia duplex in rerum ortu.de plac.cap.9.f.2. lin.11.* 36

*Analogia quæ.lib.1.cont.48.f.2. l. 43.* 68

*Analogia quid.lib.2.Phys.cont.69.f.2 l.12.* 89

*Anaxagoras quomodo intelligendus de mundi æternitate.de plac.cap.21.f.2.l.31.* 42

*Anaxagoras quo tempore floruerit.de plac.cap.11. lin.1.* 37

*Eiusq; laudes.ibid. f.2.l.7.*

*Anima an ex contrarijs sit constituta.de plac. cap. 17.l.4.* 40

*Anima dicta ignis est.lib.1. contex.54. in dub. f.2. lin. 48.* 75

*Animalia quamuis dormiant tamen mouentur.lib. 2.de motu,cap.19.l.31.* 185

*Animorum natura in quot opinionum capita redigatur.de plac.cap.14.f.2.l.2.* 38

*Animus in quot diuidatur partes; & quid de eius nomine. de plac.cap.14.f.2.l.3.& seq.* 38

*Et ex quibus consistat secundũ aliquos. ibid. l.18.*

*Estque incorporeus.ibid.l.23.*

*Et an si immortalis vel ne.ibid.l.27.*

*Et est origo motus.ibid.l.32.*

*Annus duplex lib.de affec.cap.17.f.2.l.15.* 152

*Anni magni variæ opiniones.* ibid.

*Anni magni magnitudo.* ibid.

*Anni magni,authoris opinio. lib.de affect. cap.18. f.2.* 153

*Annus communis parcus dicitur. lib. de affect. cap.19.* 154


*Annus*

*Annus quis proprius.* 154
*Anni principium quod.ibid.lin.14.cap.19.* 154
*Appetere aliud,dupliciter contingit.lib.1.Physic. cont.81.l.42.in dub.* 99
*Appetitio tria requirit.lib.1.Phys.cõt.81.l.20.* 98
*Appetere formam per se dupliciter intelligitur.lib. 1.Phys.cont.81.f.2.in dub.l.13.* 98
*Appetitus an requirat priuationem.lib.1.Physic. cont.81.l.6.in dub.* 99
*Aqua an sit rerũ principiũ.de plac.c.5.f.2.l.8.* 31
*Arã duplare quõ intelligendum.cap.5.f.2.l.24.* 5
*Argumenta propria cuiusque artis quæ sint.cap.8. f.2.l.28.* 7
*Arist. quid recta ratione facere debuerit de motu. lib.1.de motu,cap.15.f.2.l.6.* 168
*Arist.cur distincte de fato non egerit. lib.2. Phys. cont.15.l.11.* 119
*Arist.quomodo dissentiat a Platone de fato. lib.2. Phys.cont.15.l.18.* 119
*Arist.de quo motu loquatur in 8.Phy.dũ in procemio,q̃rit an sit æternus.l.1.de motu,c.14.f.2.* 167
*Aristot. cur in definitione formæ dixerit quid erat esse.lib.2.Phys.f.2.l.4.* 135
*Arist.cur distincte non protulit,an materia cæli ad Phys. ptineat.lib.2.Phys.cõt.26.f.2.l.11.* 128
*Arist.loquẽs de materia,nõ assignauit terminos cõsiderationis materiæ, assignauit tamen ex parte modi considerandi.l.2.Phy.cõt.26.f.2.l.16.* 128
*Et loquens de forma assignauit terminos ex parte vtriusque.* ibid.
*Arist.locus primo Post.tex.23.declaratur.cap.12. lin.10.* 11
*Arist.dum refert Platonis principia de rerum generatione,quas contrarietates patiatur,& quomodo intelligendus.de plac.cap.18.per totũ.* 41
*Arist.in 2.cont. vsque ad finem procemii loqui de sola via, & non de ordine, ex propria opinione. lib.1.cont.4.l.14 & seq.* 57
*Arist. cõparatio cum opinione Platonis, de rerum principiis.de plac.cap.8.per totum.f.2.* 34
*Arist.locus ex primo de Cœlo 54.declaratur. cap. 32.lin.12.* 27
*Ars militaris iuncta cum ciuili scientia. cap. 3. lin.37.* 3
*Ars quid sit. cap.3.l.16.4.& cap.7.l.13.* 7
*Ars proprie dicta in quo differat ab artibus ingenuis.cap.7.l.12.* 7
*Ars nulla quare a Metaphysica ortum non ducat. cap.6.f.2.l.18.* 6
*Ars demonstrandi dupliciter consideratur. cap.8. f.2.l.32.* 7
*Ars dirigens etiam cognoscens dicitur.lib.2.Phys. cont.25.l.2.f.2.* 127
*Ars quomodo efficiat materiam.lib.2.Phys. cont. 24.f.2.in dub.l.9.* 126
*Artes omnes includuntur sub disciplina,quæ in effectione versatur.cap.3.l.14.* 4
*Artes ingenuæ vocantur,disciplinæ organicæ.cap. 7.lin.9.* 7
*Artes sunt de rebus singularibus cum materia iunctis.cap.6.f.2.l.19.* 6
*Artes an diuidantur in theoricam, & practicam, cap.10.l.9.* 9
*Artes logica quæ.cap.2.l.39.* 3
*Artes fructus dicuntur philosophiæ, ex fine prouenientes.cap.22.l.10.* 19
*Artes diuinatrices sub physica continentur.cap.9. lin.15.* 8
*Artes diuinatrices proprie artes non sunt. cap.9. lin.19.* 8
*Artes quomodo se habeant in consideratione materia,& forma.lib.2.Phys.cont.25.l.5.* 127
*Artes quatuor gradus habent. lib.2. Physic.cont. 25.l.5.* 127
*Artium propria quæ sint.cap.7.l.11.* 7
*Artifex in cognitione artis,et philosophus naturalis in cognitione naturæ æquiparantur. lib. 2. Phys.cont.25.l.26.* 127
*Artifices q̃ pprie dicãtur.l.2.phy.cõt.25.l.7.* 127
*Artifices in quo differant a naturali philosopho. lib.2.Phys.cont.25.l.22.* 127
*Artificiosa fieri a simili.lib.2. Phys.cont.13.f.2. lin.29.* 114
*Artificiosa an habeant naturam.lib.2. Phys.cont. 13.f.2.l.11.* 114
*Arithmetica prius est addiscẽda quàm Geometria, & Stereometria.cap.15.f.2.l.5.* 12
*Arithmetica cõtinet sub se Musicam.cap.5.l.36.* 5
*Astrologus quomodo consideret motum & substantiam.lib.2.Phys.cont.20. f.2.l.12.* 124
*Astronomus non considerat motum æternum.lib.1. de motu,cap.17.l.39.* 170
*Atomi & mixta consimilia longe recedunt a conditione materiæ.lib.1.cont.54.in dub.in fi.* 76
*Atomi quid sint.de plac.cap.10.f.2.l.8.* 36
*Et an sint infinita.ibid.l.25.*
*Et de earum operationibus.* ibid.
*Authoris opinio an creatis competat fuisse semper, & carere primo.lib.2.de motu,c.13.l.14.* 182

B

*Bonum & verum sunt principium & scopus humanarum actionum.lib.1.cont.48.in annot. f.2.l.21.* 69

C

*CAEcus cur nõ iudicat de coloribus.lib.2.Physic.tex.6.in dub.l.8.* 11
*Causa & concausa quid sibi velit.lib.2.Phy.l.22. cont.38.* 134
*Causa dicitur multipliciter, non æquiuoce sed ab vno.lib.2.Phys.cont.32.33.34.l.21.* 132
*Cã cõtinuationis motus.lib.1.de motu,c.12.l.4.* 166
*Causa & principium quomodo dicantur genera causarum & quomodo non.lib.2.Phys.l.33.* 134
*Cã et cõcausa q̃ dicatur.l.1.Phys.cõt.80.l.49.* 197
*Causa dicitur actu, & potestate & quando. lib.2. Phys.cont.32.33.34.l.36.* 132
*Causa præstantia non est æternitas sed signum. lib. de affect.cap.6.f.2.l.8.* 145

*Causa*

# INDEX


Cãſumma quæ ſit.lib.2.Phyſ.cõt.38.f.2.l.15. 133
Cauſa oppoſitorũ poteſt eſſe idem ſecundũ ſe vnius, per accidẽs alterius.lib.2.Phy.cõt.30.l.16. 131
Cauſa ſecundum ſe, & ſecundum accidẽs quomodo intelligatur.lib.2.Phy.cõt.32.33.34.l.22. 132
Cauſa non datur, ob quam res ſit id quod eſt. lib.1. cont.42.in exam f.2.l.14. 63
Cauſa efficiens de mundi ortu an fuerit ab antiquis cognita.de plac.26.l.6. 45
Cauſas cognoſcere an ſit neceſſariũ pro exacta rei cognitione.lib.1.cont.1.in dub.f.2.l.25. 48
Cauſæ declaratæ, in ſecundo phyſicorum communiores ſunt principijs declaratis in primo, & elementis, declaratis in principio ſecundi. cap.17. f.2.l.40. 14
Cauſæ etiam externæ demonſtrationem ingrediuntur.lib.1.cont.1.in dub.l.16. 49
Cauſæ quo in loco ab Ariſt.declarantur.lib.1.cont. 1.l.42. 47
Cauſæ internæ & externæ quæ.de plac.c.1.l.5. 29
Cauſæ noĩe quot denotentur.de plac.c.1.f.2.l.1. 28
Cauſæ quadrupliciter dicuntur.lib.2.Phy.l.2. 134
Cauſæ vel ſunt cum connexione vel ſimplices. lib. 2.Phyſ.cont.36.37.f.2.l.5. 132
Cauſa varia noſtrarum deceptionum. lib.1. Phyſ. cont.71.72.l.1.in dub. 92
Cauſæ quot.lib.2.Phyſ.in proœm.l.21. 103
Cauſæ ſecundæ ſunt ſolum inſtrumenta primæ. lib. 2.Phyſ.f.2. l.38. 140
Cauſæ vnde.lib.2.Phyſ.cont.1.& 2.l.8. 104
Cauſarum genera rerum naturalium quatuor ſunt. cap.17.f.2.l.4. 14
Cauſarum diuiſio.lib.2.Phyſ.tex.38.l.41. 134
Centrum proprie non eſſe Dei ſedem, ſed carcerem Iouis, & locũ inferu.de plac.c.25.f.2.l.28. 44
Chaos quid. de plac.cap.11.l.4. 37
Chaos quid denotare videntur.de plac.cap.20.f.2. lin.15. 41
Chaos ſecundum Heſiodum ante omnia fuiſſe, deinde terrã latam, & amorẽ.de plac.c.5. l.17. 32
Ciuilis ſcientiæ definitio.cap.3. l.11. 4
Ciuilis diſciplina in actione conſiſtit.cap.3.l.25. 3
Et in tres diuiditur partes. ibid.
Ciuilis ſcientiæ officium quale.cap.8.l.12. 8
Cælum Deorum locus dicitur.de plac. cap.25.f.2. lin.24. 44
Cælum ignem eſſe ſecundum antiquorũ opinionem. de plac.cap.5.l.34. 32
Cæli differentiæ loci quatuor, nempe dextrum & ſiniſtrum, ſurſum, & deorſum aſſignantur. de plac.cap.27.f.2.l.6. 45
Cælum immune ab ortu & interitu.lib.1.cont.47. in annot f.2.l.4. 67
Cælum an moueatur.lib.1.de motu,c.21.l.36. 173
Cælum in orbem motum, tripliciter conſiderari.lib. 1.de motu,cap.21.f.2.l.20. 173
Cælum non mouetur in infinitum. lib.1. de motu, cap.21.l.29. 173
Cælum dupliciter conſiderari.lib,1.Phyſ.cont.57. in dub.f.2.l.16. 79
Cælũ quõ phyſicũ.lib.1.Phy.cõt.57.f.2.l.35. 79
Cælum, & mundus, quomodo ſint in loco.lib. de affect.cap.10.f.2.l.26. 147
Cælum non moueri motu ſecundum locum. lib. de affect.cap 10.l.30. 148
Cæli immobilitas triplex. lib.1.de motu, cap.21. lin.23. 173
Cognitio Dei eſt diſtincti generis a cognitione noſtra.lib.de affect.cap.3.l.33. 143
Cognitio per analogiam, & negationem competit Deo, & materiæ, ſed oppoſitis cõditionibus. lib. 1.Phyſ cont.69.70.f.2.l.4. 90
Cognitio materiæ quomodo pateat. lib.1, Phyſic. cont.69.70.l.10.in dub. 90
Cognitio, & imperium ſe connectuntur.lib.2.Phy. cont.25.f.2.l.1. 127
Cognitio quantitatis cum materia concretæ, ad quẽ primo pertineat, an ad phyſicũ, an vero ad mathematicum.cap.12.l.28.& cap.13.f.2.l.1. 11
Cognitio principiorum eſt mentis cognitio. lib.1. cont.5.in dub.f.2.l.6. 58
Cognitio veri dicitur eſſe dux probarum actionum. cap.21.f.2.l.7. 17
Et eius principium.ibid.l.9. 18
Cognitio diſtincta, eſt principiorum cognitio per effecta & confuſa.lib.1.cont.3.in dub.l.33. 56
Cognitio quæ primo nobis ſe offert eſt quantitas iuncta materiei.cap.12.l.26. 11
Cognitio duplex, exacta vna, & ſimplex altera. lib.1.cont.1.in dub.f.2.l.35.& 46. 48
Cognitio rei & cauſæ an ſint idem. lib.1. cont.1.in dub.l.22. 48
Cognitio noſtra naturam ſequens, eſt cognitio confuſa.lib.1.cont.3.f.2.l.4. 58
Cognitio per materiam quomodo fiat.lib.1.cont.1. in dub.f.2.l.15. 48
Cognitio quando poſſit iudicari perfecta.lib.1.cont. 1.f.2.l.48. 47
Cognitio a nobis notioribus an vera ſit de omni.lib. 1.cont.2.in dub.l.16. 52
Cognitio omnis noſtra ortum ducit a ſenſu. lib.1. cont.2.in dub.l.13. 53
Cognitionis principium an ſit materia.lib.1.cont.1. in dub.l.33. 48
Cognitionis confuſæ ſermo Ariſt.eſt. lib.1. cont.3. in dub.l.31. 56
Cognitionis nomine quid denotetur. lib.1. cont.1. f.2.l.26. 47
Communius duplex.cap.17.l.3. 15
Communia cur primo declaranda.lib.1.Phyſ. contex.57.in dub.l.25. 79
Communia ducunt in notitiam ſimplicium & diſtinctorum principiorum.lib.1.cont.4.f.2.l.33. 56
Cõmunia prius declarari, eſt ſecundum naturam. lib.1.cont.2.in dub.l.32. 54
Cõmunia cur primo declaranda.cap.16.f.2.l.9. 13
Communia per vniuerſalia denotari. lib.1. cont.4. f.2.l.19.& 36.56.& l.1. cum ſeq. 57


* 2 Com-

*Cōiora quō sint nobis primo nota.c.14.f.2.l.6.* 12
*Et quare primo declaranda.c.17.f.2.l.39.* 14
*Cōmuniora quando nobis notiora, & quando remotiora a nobis dicātur.lib.1.cont.5.f.2.l.30.* 59
*Et quomodo sint nobis & natura priora & notiora.ibid.l.38.*
*Communes affectiones sunt alterum principale mēbrum totius physicæ.cap.17.l.9.* 14
*Et sunt sub quæstione quale est.ibid.*
*Cōmunes affectiones sunt numero sex.c.18.l.6.* 15
*Et quæ.* *ibid.*
*Et dupliciter considerantur.ibid.l.15.*
*Commune & vniuersale quando ducat in notitiam principiorum.lib.1.cont.3.in dub.f.2.l.34.* 55
*Comparatio duplex inter confusa, & principia. lib.1.cont.5.in dub.l.31.* 59
*Cōparatio inter obiecta quadruplex.lib.1.cont.48. in annot.l.14.* 70
*Comparatiuum magis,quare ab Arist. additum ad confusa declaranda.lib.1.cōt.3.in dub.l.10.* 56
*Compositio & diuisio an & quomodo dicantur vere methodi.lib.1.cont.2.in dub.l.6.* 53
*Cōpositio & resolutio sunt inuicem opposita.lib.1. cont.1.in dub.l.31.* 49
*Compositio nulla vel arte vel natura sine ordine datur.lib.1.cont.45.in dub.l.27.* 67
*Compositionis & resolutionis ordo a quo incipiat. lib.1.cont.1.in dub.l.30.* 49
*Vbi traditur opinio propria.ibid.l.42.*
*Compositiuus ordo qualis.lib.1.cont.1.f.2.l.38.* 47
*Cōposita quare dicātur.lib.1.cōt.51.in d.f.2.l.7.* 73
*Composita quomodo fiant ex priuatione.lib.1.cont. 52.in dub.f.2.l.23.* 74
*Cōpositum quale.lib.1.cont.3.in dub.f.2.l.25.* 55
*Compositum cur denotetur per id quod est. lib.1. cont.50.in dub.l.31.* 71
*Compositum potest resolui in formam.lib.1.Physi. cont.82.l.19.in dub.* 101
*Compositum dupliciter considerari. lib.1. Physic. cont.64.in dub.f.2.l.22.* 85
*Compositum definibile per nomen, & definitionem denotari.lib.1.cont.5.l.6.* 58
*Conciliatio philosophorum, & Arist. circa locum lib.de affec.cap.9.l.21.* 147
*Conciliatio Platonis, & Arist. quia ille definiuit naturam per postremum principium hic per primum.lib.2.Physi.cont.3.f.2.l.1.* 108
*Condictio loci.lib.de affec.cap.9.l.14.* 147
*Conditiones principiorum quæ.lib.1.contex.41. in exam.l.4.* 63
*Conditiones naturæ quot sint.c.29.f.2.l.51.* 24
*Conditio rem antecedit,affectio sequitur. lib.1.cōt. 42.in exam.l.38.* 63
*Conditiones quæ requirantur pro iuuene studioso formando.cap.1.l.7.* 1
*Confusum quid.lib.1.cont.3.in dub.f.2.l.24.* 55
*Confusum actu duplex.lib.1.cont.5.l.3.* 58
*Confusum potestate vniuersale dici:actu vero compositum.lib.1.cont.4.f.2.l.17.* 57
*Confusorum ad principia comparatio duplex.lib.1. cont.5.in dub.l.31.* 59
*Confusum nobis familiarius & prius notum quam distinctum.lib.1.cont.5.l.15.* 58
*Confusum ita se habere ad distinctum, sicut pueri ad patres & matres.lib.1.cont.5.f.2.l.11.* 58
*Confusi nomine quid denotetur.lib.1.cōt.3.in dub. f.2.l.5.* 55
*Vbi opinio propria.ibid.l.22.& 40.*
*Confusa ad quid,dirigantur. lib.1.cont.3.in dub. l.5.56.& cont.5.in dub.l.21.* 59
*Confusa magis,quæ nō sunt nobis notiora,quæ sint, et quō intelligenda.lib.1.cont.3.in dub.l.36.* 56
*Confusa primo nobis nota, debere intelligi tam de cognitione sensus quàm intellectus.lib.1.cont.5. f.2.l.18.* 58
*Confusa quotuplicia dicantur.lib.1.cont.3.in dub. f.2.l.24.55.& cont.4.f.2.l.6.* 56
*Confusa cognitio qualis.lib.1.cont.5.f.2.l.4.* 58
*Consensiones & dissensiones inter philosophos de principijs,& eorum nomine,quę.lib.1.cont.48. f.2.l.2.cum seq.68.& in annot.l.2.cum seq.* 69
*Cōsensio,et disensio vnde.li.2.Phy.cōt.15.l.31.* 119
*Contemplatio actio dicitur.cap.10.l.20.* 9
*Contemplationis finis qualis.cap.21.f.2.l.51.* 17
*Et est principium rectæ actionis.ibid.l.8.* 18
*Continuatio in motu quid. lib.1. de motu, cap.12. lin.33.* 166
*Continuum nō est aptum diuidi in infinita sed in infinitum lib.1.de motu,cap.2.f.2.l.1.* 142
*Continuum est prima affectio communis, si absolute consideretur.cap.18.l.15.& f.2.l.42.* 15
*Et declara,vt ibid.*
*Continuum tria includit.cap.18.f.2.l.46.* 15
*Contrarietas quot modis vsurpetur.lib.1.cont.41. in dub.f.2.l.15.* 62
*Cōtrarietas magis sub sensum cadit.lib.1.cont.41. f.2.l.1.* 61
*Contrarietas compositorum quomodo magis lateat. lib.1.cont.45.in dub.f.2.l.25.* 66
*Contrariorū cōditio quæ.l.1.cont.55.in d.l.40.* 77
*Contraria non fieri ex se vic.ssim quomodo intelligi debeat.lib.1.cont.43.l.9.* 64
*Contrarium quomodo possint esse vnum.lib.1.cont. 50.in dub.l.9.* 71
*Contraria quot modis sint vnum. lib.1. cont.50.in dub.l.16.* 71
*Contraria medium constituere, lib. 1. contex. 51. in dub.l.8.* 73
*Contraria ex contrarijs fieri intelligi dupliciter. lib.1.cont.43.in dub.f.2.l.45.* 65
*Et quomodo fiant.ibid.l.12.* 66
*Contraria sola non esse sat s pro constituendis rerū principijs.lib.1.cont.51.f.2.l.5.* 72
*Contraria quomodo sint eiusdem generis. lib.1.cōt. 56.in annot.f.2.l.18.* 78
*Contraria sola nihil gignere possunt, vel saltem id esset simplex,si ex eis aliquid gigni posset. lib.1. cont.51.in dub.f.2.l.7.* 73


*Contrarij*

# INDEX


*Contrarii nomine quid denotetur. lib. 1. cont. 52. in dub. f. 2. l. 10.* 74
*Contraria, esse principia rerum, & quæ. lib. 1. contex. 48. l. 6. cum seq.* 68
*Contrarietas substantiæ quomodo sit prima. lib. 1. cont. 50. in dub. f. 2. l. 50.* 71
*Contrarietas cur in omni genere prima vna sit. lib. 1. cont. 50. in dub. f. 2. l. 14.* 71
*Contrarietates principiorum an pro materia sumãtur. de plac. cap. 17. f. 2. l. 7.* 40
*Et an sint vnũ infinitum, & immobile. ibid. l. 21.*
*Contrarietas triplex. lib. 1. cont. 47. f. 2. l. 11.* 67
*Contraria mutuo se destruunt. lib. 1. cont. 51. in dub. l. 20.* 73
*Contrarium quando pro abstracto, & quando pro concreto intelligendum. lib. 1. cont. 47. in annot. f. 2. l. 12.* 67
*Contraria quomodo concurrant ad rerum ortum. lib. 1. cont. 51. in dub. l. 11.* 73
*Contrarietas prima quæ. lib. 1. cont. 50. in dub. f. 2. lin. 37.* 71
*Cõtrarietas prima vnius generis cur vna sit. lib. 1. cont. 50. in dub. f. 2. l. 34.* 71
*Contraria prima non fieri ex aliĳs. lib. 1. cont. 42. lin. 2.* 63
*Contrarium dupliciter vsurpari. lib. 1. cont. 43. in dub. l. 9.* 66
*Contrarĳ nomine etiam denotari media. lib. 1. cont. 43. f. 2. l. 6.* 64
*Contrariorum duo gradus, vnum continens, alterũ contentum. lib. 1. cont. 55. in dub. f. 2. l. 6.* 76
*Corpus medium cur infinitum secundum aliquos. de plac. cap. 5. f. 2. l. 37.* 31
*Corpus physicum quale, & quis sit eius modus considerandi. cap. 29. l. 3. cum seq.* 24
*Corpus physicum quo in loco ab Arist. definiatur. cap. 30. l. 32.* 25
*Corpus quot modis accipiatur, & quotuplex sit. cap. 26. l. 32. & 48.* 21
*Corpora cælestia quomodo famulentur Deo. lib. de motu, cap. 1.* 159
*Creatio nõ dicitur mutatio. l. de motu, c. 7. l. 29.* 163
*Creatio præ cæteris mutationibus præstat. lib. 1. de motu, cap. 19. f. 2. l. 50.* 171
*Creatio, num fiat ex non ente. lib. 1. Phys. cont. 76. f. 2. l. 7.* 94
*Creaturæ an competere valeat fuisse semper & carere primo. lib. 2. de motu, cap. 13.* 182
*Cura ea diligentia in quibus perficienda. c. 1. l. 13.* 2

*D*

DEclaratio quoad ordinem non est incipienda a notioribus nobis. lib. 1. cont. 2. in dub. l. 5.* 52
*Definitio vniuersæ philosophiæ. cap. 19. l. 17.* 16
*Inspectricis. ibid. l. 21.*
*Metaphysicæ. ibid. l. 24.*
*Physicæ. ibid. l. 26.*
*Mathematicæ. ibid. l. 29.*
*Definitio rei diuisionem præcedit. cap. 18. l. 26.* 15
*Definitio causæ secundum authorem. lib. 2. Physic. cont. 27. l. 28.* 129
*Definitio cur dicatur forma. lib. 1. Phys. cont. 66. lin. 9.* 87
*Definitio fati ex quibusdam. lib. 2. Physic. cont. 15. lin. 23.* 119
*Definitio materiæ cur traddatur. lib. 2. Phys. cont. 82. f. 2. l. 13. in dub.* 100
*Definitio materiæ ex Arist. lib. 2. Phys. cont. 28. f. 2. l. 5.* 129
*Definitio materiæ. lib. 1. Phys. cont. 82. l. 4.* 100
*Definitio ideæ diuinæ authoris. l. 2. Phy. l. 24.* 139
*Definitio resoluit in sua principia, & elementa definitum. lib. 1. cont. 3. in dub. l. 26. 56. & cont. 5. lin. 21.* 58
*Definitio vt sit bona, ex quibus constare debet. cap. 19. l. 8.* 16
*Definitio ex principĳs constat, & in ea resoluit. lib. 1. cont. 1. in dub. f. 2. l. 30.* 50
*Definitio causæ, & cur omnes causam concessere. lib. 2. Phys. f. 2.* 133
*Definitio quando dicatur resolutio, vel ne. cap. 18. f. 2. l. 38.* 15
*Definitio quando vt causa consideretur. lib. 1. cont. 42. in exam. f. 2. l. 19.* 63
*Definitio an sit methodus. l. 1. cõt. 2. in dub. l. 33.* 52
*Definitio mensis ciuilis. lib. de affec. cap. 20.* 55
*Definitio mensis. lib. de affec. cap. 20.* 155
*Definitionis tẽporis explicatio. l. de aff. c. 14. l. 6.* 151
*Definitionem tradere vniuersæ philosophiæ ad Metaphysicum pertinet. cap. 19. f. 2. l. 10.* 16
*Definitiones variæ ideæ diuinæ, li. 2. Phy. l. 14.* 139
*Definitiones quando dicantur natura priores & notiores, et quãdo nobis. lib. 1. cõt. 2. in dub. l. 13.* 55
*Definitiones variæ naturæ. l. 2. phy. cõt. 3. l. 23.* 109
*Dæmones incogniti ab Arist. cap. 9. f. 2. l. 7.* 8
*Demonstratio, quia, ab authore ostensio dicitur. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 24. & alibi sæpe.* 54
*Densitas quo pacto raritatem facere nata sit. lib. 1. cont. 51. f. 2. l. 12.* 72
*Descriptio materiæ. li. 1. Phys. cõt. 69. 70. l. 34.* 90
*Descriptiones ex quibus sumantur. c. 19. l. 13.* 16
*Deus quõ immobilis. li. 1. de motu, c. 2. f. 2. l. 41.* 159
*Deus solus in vniuerso absolute simplex. lib. 1. cõt. 50. in dub. l. 33.* 71
*Deus principium infinitum, cui subest chaos secundum Anaxagoram. de plac. cap. 11. l. 2.* 37
*Deorum nomine etiam Deos sublunares denotari, sicut Dæmones, & hoĩes. de plac. c. 25. l. 26.* 45
*Deus & Natura sunt principia communia & remota philosophiæ. cap. 20. l. 16.* 17
*Dialectica opinionem parit. cap. 4. l. 7.* 4
*Et in quo versetur. ibid. l. 10.*
*Et quõ cũ Metaphysica copuletur. ibid. 25. et seq.*
*Dialectica, Rhetorica, Poetica, & Sophistica quomodo inter organicas disciplinas enumerentur. cap. 8. l. 11. & seq.* 7
*Dialectica quos libros contineat. cap. 9. l. 9.* 8

# INDEX


*Dialectica quare dicitur apex scientiarum. cap. 4. f.2.l.16.* 4
*Dialecticus quid considerat, & in quo versetur. cap.4.l.14.& f.2.l.15.* 4
*Dialogi sub dialectica continentur.cap.9.l.11.* 8
*Dialogus contradistinguitur ab auscultatorio sermone.cap.31.l.9.* 26
*Dies duplex.lib.de affec.cap.21.f.2.l.1.* 155
*Diei diuisio.* ibid.
*Dies artificiosus inaequalis.* ibid.
*Dies naturales inaequales.* ibid.
*Dierum principium.lib.de affec.c.21.f.2.l.45.* 155
*Differentia inter causas actu & potestate. lib. 2. Phys.cont.26.37.l.10.* 133
*Differentia ordinis secundum essentiam & ex accidenti.lib.2.Phys.f.2.cont.38.l.28.* 134
*Differentia vltima definitionis quae.lib.1. cont.5.in dub.l.46.* 59
*Differentia aeui, aeternitatis, & aetatis.lib.de affec. cap.25 f.2.l.1.* 157
*Differentia inter nomen & definitionem quae.lib.1. cont.5.l.9.* 58
*Differentia materiae a priuatione,lib.1. Phys.cont. 66.l.23.* 87
*Differentiae materiae a priuatione secundũ modum loquendi.lib.1.Phys.cont.59.l.1.* 81
*Differentia materiae duplex a priuatione.lib.primo Phys.cont.76. l.11.* 96
*Differentia scientiarum in quo sita.lib. 2. Physic. cont.18.! 6.* 121
*Differentia inter instrumentum & secundam causam.lib.2.Phys.f.2.tex.38.l.7.* 137
*Differentiae duodecim ex toto.lib.1.Phys. cont.66. in dub. l.1.* 88
*Differentiae tres modi loquẽdi de generatione lib. 1. Phys.cont.58.f.2.l.1.in dub.* 80
*Differentiae definitio.lib.1.cont.4. l.12.* 58
*Diogenis explicatio de ordine principiorum reprobatur.de plac.cap.6.l.26.* 33
*Disciplina principalis duplex.cap.3.l.2.* 3
*Disciplina ad operandum dirigens duplex. cap.3. lin.7.* 3
*Disciplina contemplatiua duplex.cap.4.l.4.* 4
*Disciplina contemplatiua communis triplex. cap. 4.lin.6.* 4
*Disciplina ad operandum dirigens, quae in effectione versatur, artes omnes includit.cap.3.l.14.* 4
*Disciplina contemplatiua propria duplex. cap. 4. f.2.l.18.* 4
*Disciplina ciuilis in actione versatur. c.3.l.15.* 3
*Et in tria diuiditur capita.* ibid.
*Disciplinae mediae quae, & quare sic dicantur. cap. 5.f.2.l.40.* 5
*Disciplinae organicae ad artes rediguntur, & artes ingenuae nuncupantur.cap.7.l.9.* 7
*Disciplinae in quibus rebus versentur.cap.3. l.1.* 3
*Disciplinae humanae diuisio. cap.2. l.18.* 2
*Disciplinae omnes dupliciter considerantur. cap.8. f.2.l.48.* 7
*Disciplinae Rhetorica & Dialectica dupliciter cõsiderantur.lib.1.cont.1.in dub.f.2.l.20.* 50
*Disciplinae organicae quibus modis versentur in principalibus disciplinis.cap.2.l.13.* 3
*Disciplinae diuisio.cap.2.l.4.* 2
*Disciplinae iuncta cum ciuili scientia, quae sint.cap. 3.l.36.* 3
*Disciplinae contemplatiuae in totum partes tres. cap.4.f.2. l.20.* 4
*Disciplinae organicae definitio.cap.2.l.37.* 3
*Disciplinarum principalium capita tria. cap.3. lin. 10.* 3
*Disciplinas Arist.tradidit modo auscultatorio: Plato autem modo dialogi. cap.31.l.15.* 26
*Dispositio erga scientiam quadrupliciter consideratur.cap.22.f.2.l.38.* 18
*Distantia infiniti actu & potestate lib.de affec.cap. 5.lin.3.* 144
*Distãtia duo maxime.lib. 2.Phys.cõt.69.70.4.* 90
*Distinctio per modum considerandi, an competat omnibus scientijs.lib.2.Phys.cont.18.l.18.* 122
*Diuisio librorum Physicorum. lib. 2. Physic. in proœm. l.7.* 103
*Diuisio pertinet ad quaestionem simplicem, per quã partes inueniuntur.cap. 18. l.26.* 15
*Diuisio a quo ordiatur. lib.1. contex.1.in dub.f.2, lin.31.* 50
*Diuisionis nomine etiam resolutionem comprehendi.lib.1.contex.3.in dub.l.25.56. & contex.5. lin.20.* 58
*Diuisionis progressus qualis, eiusque effectus.lib.1. cont.2.in dub.l.9.* 53
*Dubitatio de numero specierum motus; lib. de motu,cap.6.f.2.l.7.* 161
*Dubia circa temporis definitionem. lib. de affect. cap.15.* 151
*Duces seligendi quales.cap.1. l.6.* 2

E

*EA quae, sunt trium conditionum. lib.2. Phys. cont.18.f.2.l.1.* 121
*Efficiens facit simile non materia.lib.2.Phys.cont. 13.f.2. l.36.* 114
*Efficiens ad tria refertur.lib.2.Phys.l.36.* 136
*Efficientis diuisio.lib.2. Phys.l.1.* 136
*Efficientis definitio.lib.2.Phys. l.30.* 136
*Efficientis ratio in quo posita. lib.2. Physicorum, lin.35.* 136
*Efficientium sex gradus subordinati. lib.2. Phys. lin. 20.* 136
*Effectum a natura & forma cur dicatur natura, & effectum ab arte cur denominetur ab ea. lib. 2.Phys.cont.14.l.9.* 116
*Efficere, verbum quid denotet. lib.1. cont. 55. in dub.f.2.l.24.* 76
*Efficere dupliciter vsurpari.lib.1.cont.51. in dub. lin.14.* 73
*Elementa vbi ab Arist.explicanda ponũtur.lib.1. contex.1.*

*contex 1.l.42.* 47

*Elementa rerum naturalium sunt materia, & forma.cap.17 f.2.l.1.* 14

*Elementa moueri motu secundum locum. lib.de affect.cap.10.l.30.* 148

*Elementa rei genitæ quot.lib.2.Physic.in proœm. lin.20.* 103

*Elementa a philosophis vocata principia. lib. 1. cont.48.f.2.l.2.68.& in annot.f.2.l.7.* 69

*Elementa quomodo exposcant duas primas qualitates summas & sinceras.lib.1.cont.54. in dub. f.2.l.33.* 75

*Elementi nomen de quibus dicatur.lib.1. cont.48. in annot.f.2.l.3.* 69

*Elementis quatuor Empedocles addidit litem, & amicitiam. de plac.cap.9.l.4.* 36

*Elementorum significatione denotantur proxima, & interna principia.lib.1.cont.1.f.2.l.39.* 47

*Elementum quid significet.de plac.c.1.f.2.l.3.* 28

*Empedocles Pythagoræ assecla.de plat.c.9.l.1.* 36

*Endelechia quid.lib.2.Phys.cont.13.l.1.* 114

*Ens quomodo fiat ex non ente. lib.1. Physic. cont. 76.l.12.* 94

*Ens non interire. lib.1.Phys.cont.71.72. l.8.in dub.f.2.* 91

*Ens & vnum dupliciter summi.lib.1. Phys. cont. 70.f.2.l.32.* 90

*Ens & vnum an de solo Deo verificetur, siue supra Mente, secundum veteres. de plac. cap. 3. l.29.cum seq.* 30

*Et quid secundum opinionem propriam.cap.4.per totum.* 31

*Ens rationis proprie non esse ens. c.9.f.2.l.15.* 8

*Et tripliciter considerari.l.18.* 5

*Ens an cum calido & igne collocetur, secundũ Parmenidem.de plac.cap.15.f.2.l.45.* 39

*Et an denotet materiam.ibid.l.47.*

*Ens apud Platonem quomodo vsurpetur. de plac. cap.8.l.34.* 35

*Ens esse vnum secundum Melissum. de plac. cap.2. lin.7.* 30

*Et ingenitum.ibid.l.12.& cap.seq.l.26.*

*Ens vnum & immobile.lib.1.cont.41.in dub. f.2. lin.8.* 62

*Ens ex non ente fieri, quomodo intelligendum, ex Aristotele, Platonem referente.de plac.cap.19. f.2.l.2.* 41

*Et an fiat ex suo contrario.ibid. l.4.*

*Encyclici libri & dialogi ad dialecticam pertinẽt. cap.9.l.11.* 8

*Enunciata a Mathematico de infinito. lib. de affec. cap 7.l.1.f.2.* 145

*Enunciata a physico definito.* ibid.

*Esse absolute non datur, causa tamen inherentiæ datur.lib.2.de motu,cap.5. l.14.* 178

*Esse internum dupliciter contingit. lib. 2. Physic. cont.3.l.11.* 108

*Esse vnum subiecto dupliciter cõtingit lib.1.Phys. cont.60.f.2. l.24.* 81

*Esse finem, & esse vltimum differunt. lib.2. Phys. cont.20.f.2.l.7.* 124

*Essentia rei dupliciter accipitur.lib.1. contex.1. in dub.l.26.& f.2.l.22.* 48

*Essentia materiæ per potentiam denotatur. lib. 1. Phys.cont.82.f.2.l.5. in dub.* 100

*Essentia rei semper est forma.lib.1.Phys.cont.60. f.2.l.33.* 81

*Essentia cur dicitur forma.lib.1.Phys.contex.66. lin.9.* 87

*Excellentia quærenda est. cap.1.l.5.* 2

*Exemplar physicum duplex.lib.2.Phys.l.16.* 140

*Exemplar humanum multiplex. lib. 2. Physic. lin.24.* 140

*Exemplar triplex pro effectione attinẽte ad artes. lib.2.Phys.l.27.* 140

*Exẽplar triplex pro actione.lib.2.Phys.l.33.* 140

*Exemplar quotuplex.lib.2.Phys.f.2.l.1.* 138

*Exemplaris nomine quid denotetur.lib.2. Physic. f.2.l.1.* 138

*Explicatio definitionis temporis.lib.de affect. cap. 14.l.6.* 151

*Ex, particula quid denotet.lib.1.contex.43.in dub. lin. 34.* 65


*F*


F*Abula ex quibus constet.de plac.c.9.l.15.* 36

*Facultas non cognoscens, dirigere non potest. lib.2.Phys.cont.25.f.2.l.3.* 127

*Facultas famulam quæ dicatur. lib.2. Phys. cont. 27.f.2.l.3.* 127

*Famulanti arti non est necessaria cognitio. lib. 2. Phys.cont.25.f.2.l.4.* 127

*Fati definitio authoris. lib.2. Physic. contex. 15. lin.30.* 119

*Fati definitio ex quibusdam.lib.2. Physic.cont.15. lin.23.* 119

*Fati diuisio.lib.2.Phys.cont.15. l.36.* 118

*Fato non omnia fiunt.lib.2.Phys.cont.15.l.4.* 119

*Fatum quæ causa sit.lib.2.Phys.cont.15.l.4.* 119

*Fælicitatis humanæ gradus duo.c.21.f.2.l.4.* 17

*Fieri dici multipliciter lib.1.Phys.cont.62.l.1.* 84

*Fieri contingit dupliciter.lib.1.Physic.contex.62. in dub.l.19.* 84

*Fieri ab aliquo dupliciter.lib.1.Phys. cont.73.74. f.2.l.19.* 92

*Fieri ex aliquo quotupliciter contingat.lib.1. cont. 52.in dub.f.2.l.15.* 74

*Figura an sit effectio corporis physici.lib.1.de motu,cap.1.l.11.* 141

*Finis quis proprie dicitur.lib.2.Phys.f.2.l.8.* 136

*Finis diuisio.lib.2.Phys.l.1.f.2.* 136

*Finis conditiones.* ibid.

*Finis definitio.* ibid.

*Finis ratio quadrupliciter sumitur. lib.2. Physic. f.2.l.45.* 136

*Finis quomodo sit causa.lib.2. Phys.l.3.* 137

*Finis quis præstantior, generationis, an rei genitæ lib.2.*

lib.2.Physic.l.36. 137
Finis generationis quis.lib.2. Phys. cont. 23.l.5. in dub. 126
Finis alicuius continui duo requirit.lib.2. Physic. cont.23. f.2. l.10. 125
Finis motus cœli.lib.1.de motu,cap.21.l.32. 173
Finis æterni motus.lib.1.de motu,c.17.l.31. 170
Finis vt assequatur quid agendum.cap.1.l.6. 7
Fines habituum quales.cap.3.l.7. 3
Finis vt scopus proponendus.cap.1.l.1. 2
Finis speculatiuæ & ciuilis scientiæ est honestum. cap.7.f.2. l.12. 6
Artis vero vtile.ibid.l.17.
Finis contemplationis qualis.cap.21.f.2.l.51. 17
Finis contemplationis est principium & regula recta actionis.cap.21.l.8. 18
Finis duplex.cap.7.l.21. 7
Finis sapientis honestum.cap.7.f.2.l.9. 6
Finis logicæ proprius qualis.cap.7.l.24. 7
Fluxus & refluxus tres.lib.2.Physic.contex.15. f.2.l.16. 119
Forma diuiditur in principalem, & priuationem oppositam.lib.2.Phys.cont.15.f.2.l.6. 116
Forma quomodo finis. lib. 2. Physic. contex. 24. l.14. 126
Forma & materia sunt principia rerum.lib.primo Phys.cont.65. 86
Forma constituit vnum non duo. lib.1. Phys. cont. 66.l.40. 87
Forma multipliciter nominatur. lib. 2. Physic. lin.7. 135
Forma quæ recipiat magis, & minus. lib.2.Phys. cont.14.l.19. in dub. 116
Forma est semper essentia rei.lib.1.Phys.cont.60. f.2.l.33. 81
Forma materiata appetit pro facultate seruari in ea.lib.1.Phys.cont.81.l.3. 99
Forma dicitur ratio tribus de causis.lib.2.Physic. cont.28.l.14.f.2. 129
Forma dicitur ratio.lib.1.Phys. cont.69.70. f.2. lin.42. 90
Forma omnis est essentia simplex.lib.1.cont.51.in dub. in fi. 73
Forma & priuatio quomodo sint in subiecto.lib.1. cont.52.in dub.l.34. 74
Forma quid sit.lib.2.Phys.l.37. 135
Forma corporis coæua materia nō datur.lib. Physic.cont.85.l.21. 102
Forma tripliciter consideratur. lib.2. Physic.f.2. lin.21. 133
Forma quando origine, instituto sit prior, vel posterior materia.lib.1.cont.52.in dub.f.2.l.6. 74
Forma non recipit magis & minus, nisi quatenus in materia suscipitur.lib.1.cont.51.in dub.f.2. lin.11. 73
Forma sola nec cum priuatione iuncta non est essentia eorum quæ fiunt, sed cum materia.lib.1. contex.52.in dub.l.26. 74
Forma duplex.lib.1.cont.1.in dub.l.6. 49
Forma est finis materiæ.lib.1.cont.52. in dub.f.2. lin. 6. 74
Forma & priuatio sunt duo principia contraria, sub nomine transmutationis.lib.1.contex.50.in dub.l.48. 72
Formæ omnes vt sub scientiam cadunt in tria capita rediguntur.lib.2.Phys. l.31. 135
Formæ nomen quomodo vsurpetur.lib.1.Physic. cont.60.f.2.l.28. 81
Formæ prædicamentorum non dicuntur fieri.lib.1. Phys.cont.64. lib.6.in dub. 85
Formæ sunt quatuor graduum.lib.2.Phy.cont.11. 12.in dub.f.2.l.34. 114
Formæ physicæ an possint ratione seiungi. lib.Physic.cont.11.12.in dub. f.2.l.1. 114
Formæ propria ratio quæ.lib.secundo Physic.f.2. l.12. 135
Formarum substantiæ septem gradus. lib.2.Phys. lin.18. 135
Formarum accidentium septem gradus.lib.2.Physic.l.25. 135
Formarum diuisio varia.lib.2. Phys.l.9. 135
Fundamēta tria principalia vniuersæ philosophiæ. de plac.cap.13.l.1. 38

G

GEnera rerum quinque secundum Platonem. lib.1.de motu.cap.3.l.8. 160
Generatio non est prima mutatio. lib. 1. de motu, cap.19.f.2.l.40. 171
Generatio in eodem mobili est prima. lib.1. de motu,cap.18.f.2.l.20. 170
Generatio tribuitur quatuor.lib.1.Phys. cont.64. in dub.f.2.l.1. 85
Generatio duplex.lib.1.Phys.cont.58 l.7. 80
Generatio tribus dari.lib.1.Phys.cont.58.l.8. 80
Generatio physica vt dicitur natura ita generatio artificiosa potest dici ars.lib.2. Phys. cont.14. f.2.l.6. in dub. 116
Generatio inter quæ versetur.lib.1.cont.56.in annot.f.2.l.28. 78
Generationis principia interna quot.lib.2.Phys.in proœm.l.18. 103
Generationis modi quinque. lib.1. Phys. cont.63. f.2.l.19. 84
Generationis finis quis.lib.2.Physic.cont.23.l.5. in dub. 126
Generatione posterius est prius perfectione. l.b. 1. de motu, cap.22. 174
Generatione posteriora, natura sunt priora. lib.1. cont.2. in dub.f.2.l.2. 53
Generi cur addatur vnum.lib.1. cont.50. in dub. f.2.l.7. 71
Generi vniuoco proprie cōpetit contrarietas. lib.1. cont.50.in dub.f.2.l.9. 71
Et quare non generi ab vno. ibid.
Genus duplex. libro primo,contex.50.in dub.f.2. lin.10. 71

Genus materiæ subiectum.lib.1.Phy.cont.82.f.2.l.24.in dub. 100
Genitura ex qua animalia gignuntur quare humida & aquea.de plac.cap.5.f.2.l.14. 31
Geometria in quo uersetur.cap.5.f.2.l.2. 5
Geometriæ, Stereometria iuncta est.c.5.f.2.l.8. 5
Et quæ ei subijciantur.ibid.l.17.
Gigni ex solum contrarijs nihil potest, vel saltem id esset simplex, si aliquid ex eis gigni posset. lib.1.cont.51.in dub.f.2.l.7. 73
Gigni simpliciter duobus modis cõtingit. lib.1.Physic.cont.62.in dub.l.1. 84
Gigni cuncta ex contrario a Platone prius ostensum.lib.1.cont.45.f.2.in dub.l.2. 66
Gradus quatuor in artibus considerantur, lib.2.Phys.cont.25.l.5. 127
Gradus principiorum motus.lib.2.Phys.cont.1.2.f.2.l.16. 104
Gradus duo humanæ fælicitatis.c.21.f.2.l.4. 17
Gradus triplex considerationis rerum. lib.1.cont.1.l.20. 47
Grammatica in quo differat a Logica. cap.2.l.13.& 36. 3

H

HAbitus mentis quinque ad tria capita rediguntur.cap.7.f.2.l.26. 6
Habitus mentis disciplinæ organicæ quot sint, cap.7.lin.2. 7
Habitus mentis quare ex sententia Arist.non comprehendant opinionem, & pædium.cap.7.l.7. 7
Habitus ad efficiendum dirigens non est sub nomine philosophia.cap.7.f.2.l.14. 6
Habitus vnde eliciatur.cap.3.l.6. 3
Habitus rationis ad tres rediguntur.cap.3.l.12. 3
Habituum fines qui sint.cap.3.l.7. 3
Hebdomada vnde.lib.de affect.cap.21.l.6. 156
Hesiodi opinio de Chao pro princ. sumpto, de quo intelligenda.de plac.cap.11.f.2.l.16. 37
Historia proprie in ciuilibus versatur actionibus. cap.8.l.16. 8
Historia iuncta cum scientia ciuili.cap.3.l.37. 3
Historia & omnes aliæ disciplinæ & facultates, dupliciter considerantur.cap.8.f.2.l.48. 7
Hymenæus naturæ magia dicitur naturalis.cap.6.f.2.l.15. 6
Hoc aliquid, consideratur quinque modis. lib.1.Phys.cont.66.in dub.f.2.l.21. 87
Hoc aliquid, duplex.lib.1.Phys.cont.66.l.20. 87
Homo, & Musica distinguitur ratione.lib.1.Phys.cont.65.f.2.l.19.in dub. 86
Homo cum moueatur intellectu, an per motus animalium numeretur.lib.2.Physic.cont.1.2.f.2.lin.23. 104
Homo cur non moueatur in orbem, cum eius anima sit a materia secreta, sicut intelligentia.lib.1.de motu,cap.20.f.2.l.1. 172
Homo quomodo finis.lib.2.Phys.cont.24.l.4. 126
Homo quando moriatur. lib.1.de motu, cap.13.lin.20. 167
Homine non existente, an esset tempus, cum homo solus numeret.lib.de affect.cap.14.l.42. 150
Homo cur sapientissimus. de plac.c.6.f.2.l.23. 33
Homo quotupliciter consideretur. lib.1.cont.3.in dub.l.48.& f.2.l.1. 56
Et quando operetur secundum notiora natura, & quando secundum notiora nobis. ibid.
Homo duplicis reperitur dispositionis.lib.1.cont.2.in dub.l.50. 54
Hora duplex.lib.de affec.cap.22.f.2.l.1. 156
Horæ præterita non sunt plures mensibus. lib.2.de motu,cap.12.f.2.l.28. 181
Hora nomen multiplex.lib.de affec.cap.22. 156
Hora duplex.lib.de affec.cap.22.f.2.l.1. 156
Hora quid.lib.de affec.cap.22.f.2.l.1. 156
Humanæ res in duo contraria genera distincta secundum Alcmæonem.de plac.c.6.f.2.l.28. 32

I

IDea ex D.Aug.denotat verbum erat apud Deũ. lib.2.Phys.f.2.l.20. 138
Idea & exemplar vsurpantur dupliciter, lib.2.Phys.f.2.l.21. 140
Idea materiæ non datur. lib.2.Phys.l.44. 139
Idea compositi non datur sed formæ.lib.2.Physic.lin.46. 139
Idea animæ vna. lib.2.Physic.f.2.l.23. 139
Idea accidentium non datur per se.lib.2.Phys.f.2.lin.29. 139
Idea generum non dantur.lib.2.Phys.l.46. 139
Ideæ indiuiduorum non dantur. ibid.
Ideæ sunt solum postremarum specierum. ibid.
Ideæ animalium ex Platone quatuor. lib.2.Phys.f.2.l.11. 139
Ideæ quarum rerum dentur.lib.2.Phys.l.31. 139
Ideæ quomodo ex Arist.dentur.lib.2.Physic.f.2.lin.13. 140
Idearum septem gradus.lib.2.Phys.f.2.l.41. 139
Ideis varia tribui possunt.lib.2.Phys.l.28. 139
Ideæ Plationis quatenus darentur, ad Metaphysicum pertinerent.cap.4.f.2.l.29. 4
Ideæ quæ sint, & vnde proueniant. de plac, cap.6.f.2.l.36. 32
Ignis forma obtinet conditionem, alia elementa materiam.lin.1.cont.54.in dub.f.2.l.46. 75
Ignis principium rerum secundum aliquos.de plac.cap.5.l.34. 32
Ignari conditio prior origine conditione sapientis. lib.1.cont.2.in dub.f.2.l.1. 54
Imitatio duplex.lib.2.Physic.cont.21.22.in dub.lin.6. 125
Immobilia quatuor principalia.lib.de motu,cap.8.f.2.l.13. 163
Immusici nomine quid denotetur.lib.1.contex.43.in dub.l.48. 65
Vbi opinio propria.ibid.f.2.l.19.

Impe-

*Imperium & cognitio connexa sunt.lib.2. Physic. cont.25.f.2.f.1.* 127
*Inane quid.lib.de affec.cap.11.l.19.* 148
*Inane quod dubitatur an detur.* ibid.
*Inane quid denotet.lib.de affec.cap.11.f.2.* 148
*Inane an detur.lib.de affect.cap.11.f.2.l.39.* 148
*Infinitum an arguat imperfectionem vel perfectionem.lib.de affec.cap.6.l.32.* 145
*Infinitum pertransiri dupliciter. lib.de motu, cap. 2.lin.2.* 160
*Infinitum an repugnet numero.lib.2. de motu,cap. 11.l.14.* 181
*Infinitum quomodo ignotum.lib.1. de motu, cap.3. f.2.l.4.* 141
*Infinitum potestate, vario modo competit, cõtinuo, & discreto.lib.de motu,cap.2.l.44.* 142
*Infinitum dupliciter considerari.lib. de affect. cap. 5.l.14.* 144
*Infinitum potestate an veniat ex materia.lib.de affect.cap.5.l.14.* 144
*Infinitum an crescat siue minuatur, lib. de affect. lin.2.* 144
*Infinitum actu quam longe distet ab infinito potestate.lib.de affec.cap.5.l.3.* 144
*Infinitum an diuidi possit inaqualia. lib. de affect. cap.5.f.2.* 144
*Infinitum ex vna parte an sit etiam ex alia. lib. de affec.cap.5.f.2.l.21.* 144
*Infinitum an sit aptum moueri.lib.de affect. cap.6. lin.5.* 144
*Infinitum an sit totum.lib.de affec.cap.4.l.10.* 143
*Infinitum quomodo careat partibus.* ibid.
*Infinitum non est perfectum.* ibid.
*Infinitum caret ordine & ratione.* ibid.
*Infinitum ad quod prædicamentum reducatur. lib. de affec.cap.1.f.2.l.5.* 141
*Infinitum duplex.lib.de affec.cap.1.f.2.l.18.* 141
*Infinitum actu quatuor requirit.lib.de affect.cap.1. f.2.l.19.* 141
*Infinitum dupliciter considerari. de plac. cap. 17. f.2.l.30.* 40
*Infinitum potestate quincuplex.lib.de affect.cap.1. f.2.l.22.* 141
*Infinitum triplex in motu.lib.1.de motu, c.14.* 168
*Infinitum modo aliquo definitum est. lib.de affect. cap.1.f.2.l.32.* 141
*Infinitum quod dubitetur an sit.lib.de affec.cap.2. f.2.l.5.* 141
*Infinitum actu non datur.lib.de affect. cap. 2. f.2. lin.8.* 141
*Infiniti nomen quinque modis vsurpatur.lib. de affect.cap.2.f.2.* 141
*Infiniti significationes.lib.de affect.cap.1.l.29.* 141
*Infinito sex tribuuntur. lib. de affect. cap. 1. f. 2. lin.10.* 141
*Infinito non competunt partes nisi infinita. lib. 2. de motu,cap.11.* 181
*Infinita an sint æqualia.lib.de affect.f.2.l.44.* 143
*Inscriptio a quo sumatur.cap.31.f.2.l.3.* 25
*Inscriptio libri Physicorum duplex. cap. 31.f. 2. lin.12.* 25
*Et a quo sumpta sit secundum opinionem propriã. ibid.l.29.*
*Inscriptio propria partium physicorum qualis. capit.32.l.2.* 26
*Instans vnum tempore sunt duo instantia naturæ. lib.2.de motu,cap.16.l.2.* 184
*Instantia aliqua aduersus æternitatem motus. lib. 2.de motu,cap.10.f.2.* 179
*Instans an detur.lib.de affect.cap.24.l.10.* 157
*Instans duplex.* ibid.
*Instrumenti definitio.lib.2.Physic.f.2.l.27.* 137
*Instrumenti conditiones.lib.2.Phys.f.2.l.30.* 137
*Instrumenti conditio.lib.2.Phys.l.41.* 138
*Instrumentum cur non sit causa.lib.2.Physic.f.2. lin.41.* 137
*Instrumentum non sit causa absolute cui generi causa proprie inseruiat.lib.2. Phys.l.12.* 138
*Instrumenti nomẽ sex modis vsurpatur.lib.2. Physic.f.2.l.4.* 137
*Interitum suum an aliquid optet.lib.1. Phys.cont. 81.l.17.in dub.* 99
*Intelligentia mouentur in orbem. lib. 1. de motu, cap.20.f.2.l.2.* 172
*Intelligentia cur moueantur in orbem. lib. de motu,cap.20.l.8.* 172
*Intelligere & scire quot modis vsurpentur. lib.1. cont.1.f.2.l.9.* 46
*Intentio Arist.in 1.& 2. cont. 1. Phys. de ordine, & methodo qualis.lib.1.cont.5.in dub.l.12.* 59
*Intentio & subiectum in propria eorum significatione distinguuntur.cap.23.f.2.l.3.* 19
*Intentio Arist. a 2. cont. primi libri Physicorum vsque ad finem proœmij qua sit.lib.1. contex.4. l.14.& seq.* 57
*Intentio,intendens siue expetens,consilium, institutum, & id quod intenditur siue optatur, quid sint.cap.23.l.28.* 19
*Interire ex accidenti dupliciter.lib.1. Phys. cont. 82.l.24.in dub.* 101


L


*Latio quomodo competat cælo. lib.1. de motu, cap.18.l.18.* 171
*Latio recta non est vna continua æterna,vt motus. lib.2.de motu.cap.15.* 183
*Latio absolute præesse cæteris motibus.lib.1. de motu.cap.18.f.2.l.22.* 170
*Latio sine motibus, motus tamen sine latione esse non possunt.lib.1.de motu,cap.18.f.2.l.27.* 170
*Latio quomodo dicatur postrema. lib. 1. de motu, cap.18.f.2.l.46.* 170
*Latio maxima & minima quomodo.lib.1. de motu, cap.21.f.2.l.12.* 173
*Latio præstantissima mutationum. lib. 1. de motu, cap. 19.f.2.l.29.* 171
*Lectores seligendi in qualibet scientia.cap.1.l.6.* 2


Et

*Et quales, ibid.* 7
*Idemq́ honorandi tanquàm parentes.ibid.* 8
*Leges duæ naturæ.lib.1.cont.50.f.2.l.47.* 70
*Lex naturæ.lib.de motu,cap.7.f.2.* 178
*Liber primus Physicorum non ex accidenti,sed vere esse primus.lib.2.Phy.in proœm.f.2.l.6.* 103
*Libri duo primi Physici solum esse de principijs. lib.2.Physi in proœm.f.2.l.1.* 103
*Libri de Mineralibus, & Metallis an includantur inter libros Meteororum.cap.9.f.2.l.23.* 8
*Libri Physicorum de principijs qui, & qui de motu cap.3 2.l 4.* 26
*Opinio propria.ibid.f.2.l. 43.*
*Lignum putrescens an generet lignum.lib.2. Phys. in dub.f.2.l.4 cont.7.8.9.10.* 112
*Ligna an sint terrea, vel aerea.lib.2.Phys.in dub. cont.7.8.9 10.l.9.* 113
*Lis inter Platonem & Arist. de principijs rerum internis, est tantum in verbis.de plac.cap.8.f.2. lin.44.* 35
*Locus quid.lib.de affec.cap.9.f.2.l.3.* 146
*Locus quid ex Arist.* ibid.
*Locus proprie competit mortalibus. lib. de affect. cap.9. l.14.* 147
*Locus dupliciter consideratur.lib.de affec. cap. 10. f.2.l.9.* 147
*Locus est coniunctus cum motu.lib.de affect.cap 8. lin.5.* 145
*Locum esse patet.lib.de affec.cap.8.f.2.l.1.* 146
*Loci conditio.lib de affec.cap 9 l.14.* 147
*Loco sex competunt.lib.de affec.cap.8 l.5.* 146
*Loquens de animalibus cur numerauit partes,in alijs autem non.lib.2.Phys.tex.1.2.l.23.* 104
*Logica secundas intentiones considerat vt instrumenta denotandi primas.cap.7.l.32.* 7
*Logica quomodo sit scientia, & quomodo ars. cap. 8.f.2.l.22.* 7
*Logici officium quale.cap.2.l.28.* 3
*Logici officium quale.cap.8.l.7.* 8
*Magia naturalis ad physicam pertinet, & Hymenæus naturæ dicitur,cap.6.f.2.l.10.& 15.* 6
*Magia diuina quæ.cap. 9.l.22.* 8
*Et quæ Astronomica. ibid.* 27
*Et quæ physica. ibid.f.2.l.4.*
*Et quæ dæmonica.ibid.f.2.l.6.*

*M*

M*Agia in quatuor distribuitur gradus. cap. 9. lin.21.* 8
*Magis, comparatiuum quare additum ab Arist. ad confusa declaranda.lib.1.cont.3.in dub.l.10.* 56
*Magnitudo maxima vel minima non dicitur dari a Mathematico.lib.de affect.cap.7.f.2.l.30.* 145
*Magnum & paruum quare notiora ratione, & rarum & densum notiora sensu. lib.1. cont. 48. in annot.f.2.l.50.& seq.* 69
*Maleficium priuationis.lib.1.Physic.cont.80.f.2. lin.14.* 97
*Manus cur dicatur instrumentum instrumentorum. lib.2.Phys.f.2.l.12.* 137
*Materia an cognitionis sit principium.lib.1.cont.1. in dub.l.33.* 48
*Materia ab Arist.cur dicitur natura media. lib.1. cont.56.in annot.l.24.* 78
*Et quomodo sit media.ibid.l.33.*
*Materia qualis triplicia via cognoscitur.lib.1.Physic.tex.69.70.l.14.in annot.* 90
*Materia aliquid distinctum a quatuor elementis. lib.1.cont.54 l.6.* 75
*Materia an sit ens, & sic quomodo concordetur opinio Platonis cum Arist.de plac.cap.8.l.28.* 35
*Materia principij nomine denotatur secundum aliquos.de plac.cap.5.f.2 l.5.* 31
*Et dicitur esse vniuersa rerum natura & essentia.* ibid.
*Materia dupliciter potest considerari.lib.2. Phys. tex.28.l.2.* 130
*Materia quomodo sit fœmina & turpis.lib.1. Physic.tex.61.l 37.* 83
*Materia ad duo refertur.lib.2.tex.28.l.10.* 130
*Materia quomodo efficiatur ab arte.lib.2. Physic. tex.24.f.2.in annot.l.9.* 126
*Materia est genus Physicum.lib.1.cont.56. in annot.f.2.l.17.* 78
*Materia non efficit simile sed efficiens.lib.2. Phys. tex.13.f.2.l.36.* 114
*Materia res fiunt forma res sunt.lib.2.tex.31.f.2. lin.12.* 131
*Materia est quodam modo substantia.lib.1. Physi. tex.76.in annot.l.11.* 96
*Materia dicitur vna numero cũ priuatione potius quam cum forma.lib.1.Phys.tex.60.l.26.* 82
*Materia paratur pro forma substantiæ tantum.lib. 2.Phys.tex.24.f.2.in annot. l.1.* 126
*Materia dupliciter considerari.lib.1.Phy.tex.60. f.2.l.44.* 81
*Materia an efficiat infinitum potestate. lib. de affect.cap.5.l.14.* 144
*Materia qualis.lib.1. cont.54.l.14.* 75
*Materia est principium internum. de plac. cap. 2. lin.13.* 29
*Materia ex Theologis non per generationem sed per creationem sumpsit principium.lib.1. Phy. tex.82.l.5. in annot.* 100
*Materia quomodo per priuationem intereat. lib.1. Phys.tex.82.l.9. in annot.* 100
*Materia partim gignitur, partim non. lib.1. Phys. tex.82.f.2.l.8.* 99
*Materia duplex.lib.1.Phys.tex.82.f.2.l.9.* 99
*Materiæ definitio.lib.1.Phys.tex.82.l.4.* 100
*Materia & forma principia sunt per quæ res fiunt, & sunt.lib.1.cont.2.in dub.f.2.l.13.* 48
*Materia & forma sunt principia rerum.lib.1. cõt. 1.in dub.l.18.* 50
*Materia vna & æterna.lib.1.cont.41.in dub.f.2. l.2.& seq.* 62
*Materia quatuor modis considerari. lib.1.Physic. tex.58.*

tex.58.f.2.in annot. l.25. 80

Materia est prior generatione & origine, forma vero natura & essentia. lib.1.cont.2.in dub.f.2. lin 4. 53

Materia cur dicatur magnum & paruum. lib.1. Physf.tex.80.f.2.l.6.in annot. 96

Materia & matris similitudo.lib.1.Physf.tex.80. lin.34. 97

Materia quomodo concausa.lib.1.Physic.tex.80. lin.39. 97

Materia an sit vna.lib.primo, contex.56.in annot. lin.15. 78

Materia quid.lib.de affec.cap.10.f.2.l.26. 147

Materia quomodo ab Empedocle accepta. de plac. cap.9.l.3. 36

Materia & forma sunt principia rerum.lib. primo Physf. tex.65. 86

Materia analogia cognoscitur.lib.1.Physf.tex.69. 70.f.2. l.21. 89

Materia & species considerantur a scientiis vsque ad aliquid. lib.2. Physic. tex. 21. 22. cap. an. lin.9. 125

Materia quomodo cognoscatur. lib.1. Physic.tex. 69.70.f.2. l.6. 89

Materia quomodo intereat.lib.1.Phy.tex.82.f.2. l.49.in annot. 100

Materia est causa sine qua non interitus.lib.1.Physic.tex.82.l.7.in annot. 101

Materia seu subiectum quare sit tertium principium.lib.1.cont.52.f.2.l. 11. 73. & cont.53. f.2.l.3. 74

Materia quid secundum veteres.lib.1. contex.53. lin.3. 75

Materia quomodo dicitur hoc aliquid.lib.1.Physf. tex.66.f.2.l.28. 87

Materia tripliciter dicitur compositio. lib. 2. tex. 31.f.2.l.1. 131

Materia quando sit principium essendi.lib.1.cont.1. in dub.f.2. l.6. 48

Materia quomodo mala & fœmina.lib.1. Physic. tex.81.f.2.l.12. 98

Materia an appetat formam.lib.1.Physic.tex.81. f.2.in annot.l.2. 98

Materiam an appetat formam secundum se. lib.1. Physf.tex.81.in annot.l.13. 98

Materia quomodo dici potest principium infinitum. de plac.cap.5.l.2. 32

Et quare dicatur esse corpus secundum veteres. ibid. l.4.

Materia quomodo ab artifice & quomodo a philosopho naturali accipiatur.lib.2.Physic.tex.25. f.2.l.18. 127

Materiam primam considerare cuius sit proprium. lib.2.Physf.tex.26.l.40. 128

Materiam propriam & distinctam cur quæuis prima contrarietas sibi exposcat. lib.1. cont.56.in annot.l.23. 78

Materiam esse, non ostendi a Philosopho, sed eam numerandam inter principia, & quæ ac qualis sit, ex propria opin.lib.1.cont.51.l.39. 73

Materiam esse turpem ex se dupliciter intelligi.lib. 1.Physf.tex.81.f.2.l.4. in annot. 99

Materiæ cognitionem quomodo habeamus. lib.1. Physf.tex.69.70.l.10.in annot. 90

Materiæ differentia a priuatione. lib.1.Physf.tex. 66. l.23. 87

Materiæ quando competat conditio naturæ. lib.2. Physf.tex.7.8.9.10.cap.annot.f.2.l.6. 113

Materiæ principalis cõditio quæ.l.1.cont.54.l.13. & in dub.f.2. l.26. 75

Materiæ descriptio.lib.1.Phy.tex.69.70.l.34. 90

Materia est æterna ex philosophis. lib.1. Physic. tex.82.in annot.l.1. 100

Materiæ essentia per potentiam denotatur. lib.1. Phy.tex.82.f.2.l.5.in annot. 100

Materiæ definitio cur tradatur.lib.1.Phy.tex.82. f.2.l.13.in annot. 100

Mathematica communis an detur.cap.5.f.2.l.5. 4

Mathematica an cõtineatur sub philosophia Theorica.cap.10.f.2.l.1. 8

Et in quibus versetur.ibid. 5

Mathematica est ordine quoad nos prior; & ideo primo addiscenda.cap.12.f.2.l.34. 10

Mathematica in quo versetur.cap.5.f.2.l.1. 4

Et est duplex.ibid.l.3.

Mathematica proprie non est scientia.cap.10.l.4. 9

Intellige tamen, vt ibid. l.24. & seq.

Mathematica quomodo sint in loco. lib. de affect. cap.10.l.42. 148

Mathematica communis an detur.cap.5.f.2.l.5. 4

Et dari determinat, non tamen distinctam a Geometria, & Arithmetica.ibid.l.13.& seq. 5

Mathematica pura pars est philosophiæ inspectricis.cap.10.l.24. 9

Mathematica ad duplicem materiam potest referri.lib.2.Physf.cont.29.l.37. 123

Mathematicæ media, an sint magis physicæ. lib.2. Physf.cont.20. in dub. 124

Mathematicæ duplices.lib.2.Physf.contex.16.17. lin.6. 120

Mathematicæ definitio.cap.5.l.18. 5

Mathematicæ ob quod inuentæ.cap.10.l.33. 9

Mathematicæ quando nobis prima, mediæ, & vltima sint, ex vario considerandi modo. cap 13. l.4.cum seq. 11

Mathematicæ puræ quæ sint.cap.15.f.2.l.5. 12

Et quæ mediæ.ibid.l.16. 13

Mathematicæ artes varias pariunt.c.5.f.2.l.47. 5

Mathematicus an mendax cum consideret rem secus, ac se habet.lib.2. Physic. contex. 18. f.2. l.25. 121

Mathematicus licet a Physico consideret quantitates vt sic, modo tamen diuerso considerat. lib.2. Physf.cont.18.f.2.l.16. 121

Mathematicus quid de infinito enunciet. lib. de affect.cap.7.f.2.l.1. 145

Mathematicus nunquã dicit magnitudinẽ dari minimã, vel maximã.lib.de aff.c.7.f.2.l.30. 145.


Mathe-

*Mathematicus dicitur ex abstractione, seu abstractionem considerat. capitulo decimotertio, fac. 2. lin. 8.* 11
*Mathematicus substantiam non considerat. cap. 10. f. 2. l. 9.* 8
*Mathematicus in quibus versetur. capitulo duodecimo, l. 22.* 10
*Mathematicus vltimo in quid est resoluit. lib. 1. contex. 2. in dub. l. 16.* 55
*Mathematicorum principio quæ sunt. lib. 1. cont. 2. in dub. l. 11.* 55
*Mas quomodo optet fœminam. lib. 1. Physf. tex. 81. l. 40. in annot.* 99
*Media licèt ex extremis constent, sunt tamen formæ simplices. libro primo, contex. 51. in dubit. in fi.* 73
*Mediare nihil inter primum & secundum Physicorum. libro secundo Physic. in proœm. fac. 2. lin. 8.* 103
*Medium multiplex. libro primo, contex. 56. in annot. l. 34.* 78
*Medium quale, & quomodo intelligendum. libro primo, contex. 42. in exam. fac. secunda, lin. 13. & 33.* 63
*Medium duplex. libro primo, contex. 54. in dub. fac. 2. l. 28.* 75
*Medium an detur inter formam & priuationem. libro primo, contex. 43. in dubitatio. fac. secunda, lin. 16.* 65
*Medium ex contrariis constare. lib. 1. contex. 51. in dub. l. 8.* 73
*Medium inter formam & priuationem non dari per compositionem. libro primo, contex. 51. in dub. f. 2. l. 10.* 73
*Medium multiplex. libro primo, contex. 43. in dub. lin. 40. fac. 2. l. 20. 65. & contex. 47. in annot. f. 2. l. 20.* 67
*Medium potestate ab elementis distinctum materiam dici. lib. 1. cont. 54. l. 15.* 75
*Medium ex contrariis constare. lib. 1. contex. 47. f. 2. l. 8.* 67
*Medium ex contrariis constare. libro primo, cont. 43. f. 2. l. 7.* 64
*Melissus quid senserit de principiis. de plac. cap. 2. f. 2. l. 13.* 29
*Qui etiam dixit, ens esse vnum. ibid. l. 7.* 30
*Mendatium in mendatijs pariendis fœcundius quam veri veris. libro primo Physic. tex. 71. 72. f. 2. lin. 3.* 91
*Mensis definitio. lib. de affect. cap. 20.* 155
*Mensis duplex. lib. de affect. cap. 20.* 155
*Mensis ciuilis, definitio.* ibid.
*Mensis naturalis duplex. lib. de affec. cap. 20.* 55
*Mensis solis quid.* ibid.
*Mensis lunæ triplex.* ibid.
*Mensium nomina vnde. lib. de affec. cap. 20.* 155
*Mensis nomine phantasiam denotari secundū Auerroem. lib. 1. cont. 5. in dub. l. 8.* 59
*Mens quomodo consideretur a physico. capit. 26. f. 2. l. 28.* 21
*Mens hominis non est natura. lib. 2. Physi. tex. 11. 12. cap. annot. f. 2. l. 40.* 114
*Mens quomodo singularium, cum proprie sit vniuersalium. libro primo, contex. 48. in annotat. f. 2. l. 46.* 69
*Mens duplex. cap 3. l. 5.* 3
*Mensurabilia quinque. libro de affect. cap. 25. f. 2. lin. 15.* 157
*Metaphysica quomodo ars artium dicta sit. cap. 6. f. 2. l. 20.* 6
*Metaphysica cur prima philosophia. libro primo Physf. tex. 83. f. 2. l. 19.* 101
*Metaphysica quare nullam artem pariat. capit. 6. f. 2. l. 18.* 6
*Metaphysica in quibus versetur. capitulo quarto, f. 2. l. 3.* 4
*Metaphysica quot & quibus nominibus ab Arist. nuncupata. cap. 4. f. 2. l. 34.* 4
*Metaphysica an prima dicatur philosophia. cap. 14. l. 4. f. 2. 11. & l. 41.* 12
*Metaphysica scientiam parit. cap. 4. l. 7.* 4
*Et est definiti generis. ibid. 9.*
*Et quo modo vim Dialectica connectatur. ibidem. 25. & seq.*
*Metaphysici officium quale. cap. 11. l. 30. 10. & cap. 14. f. 2. l. 11.* 12
*Metaphysicus quid considerat. capitulo quarto, lin. 12.* 4
*Metaphysicus quid consideret. capit. vigesimonono, lin. 1.* 25
*Metaphysicus quid consideret. capit. decimoquarto, fac. 2. l. 11.* 12
*Metaphysicus cognoscit materiam per negationem. lib. 1. Physf. tex. 69. 70. l. 25.* 90
*Metaphysicus de abstractis dicitur. cap. 13. f. 2. lin. 8.* 11
*Metaphysicus in quod disentiat a Physico de infinito. lib. de affect. cap. 7. l. 10. f. 2.* 125
*Methodus & cognoscendi via idem. cap. 16. fac. 2. lin. 21.* 13
*Methodus cognitionis secundum Platonem qualis. lib. 1. cont. 2. l. 28.* 51
*Methodus inueniendi, & ratiocinandi a quia ad propter quid, & econtrario, qualis, & quomodo in ordine seruanda. libro primo, contex. 2. in dub. f. 2. l. 42.* 52
*Methodus quotuplex sit, & quot modis capiatur. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 2.* 50
*Methodus quomodo ab ordine distinguatur. lib. 1. cont. 1. in dub. f. 2. l. 9. 50. & cont. 2. l. 18.* 51
*Methodus diuisiua, & definitiua an principiis sit prædita. libro primo, contex. 1. in dubit. l. 43. & f. 2. l. 28.* 50
*Methodus cognitionis a quo progrediatur, & quot locis ab Aristotele sit declaratus. lib. 1. cont. 2. l. 19. & 25.* 51

*Methodus de vniuersalibus ad singularia, quomodo intelligenda, vt euitetur oppositio de singularibus ad vniuersalia, libro primo, cont. 5. in dub. f. 2. l. 15. cum seq.* 59
*Methodus indagandi causas est demonstratio quia. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 38.* 52
*Methodus & ordo diuersa sunt. lib. 1. cont. 1. f. 2. lin. 35.* 46
*Methodus quid, & quotuplex. libro primo, cont. 1. lin. 37.* 46
*Methodus & ordo diuersa sunt, capit. decimosexto, f. 2. l. 21.* 13
*Methodus indagandi definitiones qualis. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 39.* 52
*Methodus omnis an habeat sua propria principia, causas, & elementa. libro primo, contex. 1. in dub. l. 41.* 50
*Methodi nomen quot modis capiatur. lib. 1. cont. 1. f. 2. l. 35.* 46
*Methodi nomen dupliciter sumi. libro primo, cont. 2. in dub. f. 2. l. 20.* 52
*Methodi de principijs per nobis notiora dantur. lib. 1. cont. 1. in dub. f. 2. l. 19.* 50
*Methodi definitio quæ. libro primo, contex. 1. in dub. l. 45.* 50
*Methodum tantum doceri ab Arist. non autem ordinem, a 2. contex. primi Physic. vsque ad finem procemij. libro primo, contex. quarto, lin. 14. & seq.* 57
*Methodum tradere addiscendi ad quem pertineat. libro primo, contex. secundo, in dubitatio. fac. 2. lin. 4.* 51
*Militiæ finis qualis. cap. 3. l. 7.* 4
*Mirabile & impossibile quid. tex. 76 lib. 1. Physic. in dub. l. 7.* 94
*Modi generationis quinque. lib. 1. Physic. tex. 63. f. 2 l. 19.* 84
*Modi varij continendi vniuersum tempus. lib. de affec. cap. 25. f. 2. l. 40.* 157
*Modi nouem quibus res generantur. lib. 1. Physic. tex. 71. 72. l. 21. in annot.* 92
*Modi loquendi de generatione duo. lib. 1. Physic. tex. 58. l. 17.* 80
*Modi loquendi differentiæ tres. lib. 1. Physi. tex. 58. f. 2. in annot. l. 1.* 80
*Modus considerandi corpus Physicum. capit. 29. lin. 12. cum seq.* 24
*Modus rem subiectam considerandi qualis. capit. 24. l. 8.* 20
*Modus noscendi materiam per negationem est metaphysici. libro primo Physicorum, tex. 69. 70. lin. 25.* 90
*Modus noscendi materiam per analogiam est Physici. libro primo Physicorum, textu 69. 70. lin. 26.* 90
*Mors honesta turpi vitæ quando præferenda. cap. 31. l. 17.* 18
*Et quando optabilis dici possit. ibid. l. 22.*
*Modorum generationis ordo. lib. 1. Physic. tex. 63. in annot. 85.*
*Mors an sit finis. libro secundo Physic. tex. 23. lin. 6.* 126
*Mos philosophandi secundum veteres Philosophos. de plac. cap. 12. l. 12.* 38
*Mortalia mouentur vt quiescant cœlum mouetur, vt moueatur. libro primo de motu, cap. 20. f. 2. lin. 22.* 172
*Motorem esse vel in medio, vel in circulo, de primo Arist. intellexisse dicendum est. de plac. cap. 25. f. 2. l. 35.* 44
*Motores sub Deo positi quomodo Deum intelligant. lib. 1. de motu, cap. 20. l. 13.* 172
*Motus in orbem ex motore. libro primo de motu, cap. 20. l. 6.* 172
*Motus an sit æternus ex se vel ab alio. lib. de motu, cap. 8.* 179
*Motus locum habet coniunctum. lib. de affect. cap. 8. l. 5.* 146
*Motus numerans an fecerit mentionem de ortu & interitu. libro secundo Physicorum, tex. 1. 2. f. 2. l. 9.* 104
*Motus animalium an sint secundum naturam. libro 2. Physic. tex. 1. 2. f. 2. l. 11.* 104
*Motus nomine quid. libro secundo de motu, cap. 1. lin. 16.* 175
*Motus late sumptus in quot diuidatur. libro primo de motu, cap. 18. f. 2. l. 8.* 170
*Motus definitio an competat illuminationi. libri de motu, cap. 4. l. 39.* 161
*Motus variæ distinctiones. libri de motu, capit. 5. fac. 2.* 161
*Motus elementorum ex Platone in suum locum nō est naturalis. libro primo de motu, cap. 5. fac. 2. lin. 10.* 161
*Motus vt sint vnus quid requiratur. lib. 1. de motu. cap. 5. f. 2. l. 29.* 161
*Motus quotuplex. lib. 1. de motu, cap. 6.* 162
*Motus distributio in decem gradus ex Academicis. lib. 1. de motu, cap. 6. l. 14.* 162
*Motus principium quid denotet. lib. 2. Physic. tex. 1. 2. f. 2. l. 7.* 104
*Mundus & cœlum quomodo sint in loco. lib. 1. de affec. cap. 10. f. 2. l. 26.* 147
*Motus est prima affectio communis si cum relatione ad naturam consideretur. cap. 18. l. 17.* 15
*Et cur primo de eo tractetur ab Aristotele. ibidem, lin. 22.*
*Et quid sit & quotuplex. ibid. l. 24.*
*Et quot sint de eo quæstiones. ibid.*
*Et cur in eo inferatur infinitum, locus, vacuus & tempus. ibid. l. 32.*
*Motus cur versatur inter contraria, generatio & interitus inter contradictoria. lib. 1. de motu, cap. 7. f. 2. l. 21.* 163
*Motus dupliciter considerari. libro primo de motu, cap. 11. f. 2. l. 3.* 165


*Motus*

# INDEX


*Motus simplices duo. libro primo de motu, cap. 12. lin. 14.* 166

*Motus continuatio vnde. libro primo de motu. capit. 12.* 166

*Motus æternitas quomodo consideretur. lib. 2. de motu. cap. 21. f. 2.* 186

*Motus animalium in partem seruant figuram circuli. lib. 1. de motu, cap. 20. f. 2. l. 12.* 172

*Motus præstantia vnde. libro primo de motu, cap. 20. f. 2. l. 14.* 172

*Motus an possit competere infinito. lib. 1. de affect. cap. 6. l. 5.* 144

*Motus in orbem vere vnus æternus & continuus. lib. 2. de motu, cap. 14. f. 2.* 182

*Motus quatuor prædicamentis competit ex Arist. lib. 1. de motu, cap. 6. f. 2. l. 2.* 161

*Motum necessario continuum esse. libro 1. de motu, cap. 2. f. 2. l. 20.* 166

*Motui in orbem non competit contrarium. lib. 2. de motu, cap. 14. f. 2. l. 16.* 182

*Motus in cælo qui dicatur origine primus. lib. primo de motu, cap. 18. l. 1.* 171

*Motum omne ab aliquo moueri. lib. 2. de motu, cap. 6. lin. 3.* 178

*Motus contrarij dupliciter considerari. lib. 2. de motu, cap. 18. f. 2. l. 5.* 184

*Motus an sit continuus. libro primo de motu, cap. 9. fac. 2.* 164

*Motus nomine & continui quid intelligendum. lib. 1. de motu, cap. 9. l. 5. f. 2.* 164

*Motum in communi subiectum esse æternitatis. lib. 1. de motu, cap. 1. l. 23.* 169

*Motum in communi esse sine quiete. libro primo de motu, cap. 16. f. 2. l. 4.* 169

*Motus an sit æternus ad quem spectet considerare. lib. 1. de motu, cap. 17. f. 2.* 169

*Motus qui sit dignitate prior. libro primo de motu, cap. 19. l. 41.* 171

*Motus an sit æternus variæ opiniones. libro secundo de motu, cap. 2.* 175

*Motus dupliciter dicitur secundum naturam. libro secundo Pysicorum, textu primo, secundo, fac. 2. lin. 46.* 104

*Motus in orbem non habet contrarium. lib. 2. de motu, cap. 7. f. 2. l. 16.* 178

*Motuum qui origine primus. libro primo de motu, cap. 18. f. 2. l. 16.* 170

*Motus vt sit vnus quatuor requiri. lib. 2. de motu, cap. 15. l. 24.* 183

*Motus & substantia quomodo considerantur ab astrologo. libro secundo Physicorum, tex. 20. f. 2. l. 12.* 124

*Motui in orbem multiplices oppositiones competere. lib. 2. de motu, cap. 14. f. 2. l. 20.* 182

*Motum esse æternum considerari diuersimode. lib. primo de motu, cap. 17. l. 11.* 170

*Motus definitio. libro secundo de motu, cap. 3. f. 2. lin. 11.* 175

*Motus cæli summam velocitatem & summam tarditatem habet. libro primo de motu, capit. 20. f. 2. l. 33.* 172

*Motus an detur. lib. de motu, cap. 2.* 159

*Motus definitiones. libro de motu, capitulo tertio, lin. 33.* 160

*Motus quid ex authore. libro de motu, cap. tertio, lin. 18.* 160

*Mouentibus & mobilibus non dari progressum in infinitum. libro secundo de motu, capit. sexto, lin. 4.* 178

*Moyses quomodo intelligendus quando ait solem productum esse die quarto cum sol efficiat dies. lib. 2. de motu, cap. 4. l. 27.* 177

*Mundus an sit æternus vel ne, ex sententia Anaxagoræ quomodo intelligatur. de plac. cap. 21. f. 2. lin. 31.* 42

*Mundus vnde ortum duxit. de plac. capit. 26. f. 2. lin. 10.* 45

*Et an casu factus. ibid. l. 14.*

*Mundus sphærus & amicitiæ qui. de plac. cap. 9. lin. 24.* 36

*Et quare dicatur amicitiæ. ibid. l. 25.*

*Et litis qui. ibid. l. 30.*

*Et quare sic dicatur. ibid.*

*Mundus vnde ortum habuerit. de plac. capit. 6. lin. 26.* 33

*Mundus vniuersus corporeus in quot diuidatur partes. de plac. cap. 13. l. 5.* 38

*Et quid de eo sentiatur, variæ referuntur opiniones. ibid. f. 2. l. 7.*

*Et quid secundum Theologos. ibid.*

*Mundus quibus ex partibus constituatur. de plac. cap. 23. f. 2. per totum.* 43

*Et an genitus sit, vbi multorum controuersiæ soluuntur. ibid. cap. 24. per totum.* 44

*Mundus & cælum quomodo sint in loco. lib. de affec. cap. 10. f. 2. l. 26.* 147

*Mundus vniuersus & singulæ eius partes quæ sub sensum cadunt, sunt physicæ subiectum. capit. 6. lin. 4.* 6

*Mundus cur non titubet. lib. de affect. cap. vndecimo, lin. 8.* 149

*Mundum non posse fuisse semper. lib. 2. de motu, cap. 11. f. 2. l. 5.* 181

*Musica sub Arithmetica posita est. capit. quinto, lin. 36.* 5

*Musica an præferatur Astronomiæ. capit. decimoquinto, l. 36.* 13

*Musicæ variæ distinctiones. cap. 5. l. 37.* 5

*Mutari secundum partem dupliciter accidit. libro primo Physic. tex. 63. in annot. l. 7.* 85

*Mutatio quæ sit tota simul non datur. lib. de motu, cap. 10. l. 32.* 165

*Mutatio sumi dupliciter ex Aristot. lib. de motu, cap. 7. l. 12.* 163

*Mutatio an sit continua. libro primo de motu, cap. 12. f. 2. l. 26.* 166

*Mutationis differentia a motu.lib. de motu, cap.7. lin.16.* 163
*Mutationes momentaneæ an dentur. lib. de motu, cap.13 f.2.l.12.* 167
*Mutationes denominari a fine non a principio. lib. 2.Phys.tex.14.l.14. in annot.* 116
*Mutationes simplices duæ.libro primo de motu, capit.18.f.2.l.12.* 170

## N

*NAscentes morimur an sit verum.lib. 2. de motu,cap.20.l.20.* 186
*Natura quid.lib.1.cont.41.f.2.l.23.* 61
*Natura de quibus dicatur.lib.2.Phys. tex.15.in digr.l.13.* 117
*Natura rei absoluta, conditiones, & principia in qualibet re considerantur.libro primo, cont.42. in exam.f.2.l t.* 63
*Natura sui prius, & notius quid sit.lib.1.cont.2. in dub.l.36.* 53
*Natura primum an singulare, an vniuersale sit. lib.1.cont.5.in dub.f.2. l.29.* 60
*Natura quomodo operetur per causas, Aristot.locus indicatur.lib.1.cont.1.l.46.* 47
*Natura definita an includat etiam animam. lib.2. Phys.tex.3.f.2.l.32.* 106
*Natura cur dicatur ordo.lib.2.Phys. tex.24. f.2. in annot.l.40.* 146
*Natura materiam ad opus proximum parat.lib.2. Phys.tex.25.l.16.* 127
*Natura an habeat causam efficientem.* ibid.
*Natura prius non semper dici natura notius.lib.1. cont.2.in dub.f.2.l.6.* 53
*Natura prius duplex.lib.1.contex.2.in dub.l.39. 53.& l.40.* 54
*Natura dupliciter consideratur.libro primo, cont. 2.in dub. l.41.* 53
*Natura definita an sit per solam materiam aut per solam formam aut per vtrunque.libro secundo Phys.tex.3.l.43.* 106
*Natura, quæ constant in quatuor gradus. libro 2. Phys.tex.1.2.l.17.* 104
*Natura ex cælo gignitur. libro secundo Phys.tex. 15.f.2.l.31.* 119
*Natura priora & notiora an eadem nobis esse possint.libro primo,contex.secundo,in dubit.fac.2. lin.35.* 53
*Vbi opinio propria. ibid.l.44.* 54
*Natura notius per definitionem, nobis autem per nomen.lib.1.cont.2.in dub.f.2. lin.41.* 54
*Natura notius dicitur simpliciter notius.lib.1.contex.2.in dub.l.29.* 53
*Natura prius a priore ratione distingui.lib.1.contex.2.in dub.f.2.l.28.* 53
*Natura notius, & notius ratione non idem esse,ex propria opinione.libro primo,contex.2. in dub. f.2.l.17.* 53
*Natura primo quid expetat. lib.1. cont.5. in dub. f.2.l.51.* 60
*Natura vt est in fato. libro secundo Physic. tex. 15.l.49.* 118
*Natura mortalium in secundo Physic. tractanda. lib.2.Phys.tex.83.l.31.* 102
*Natura an sit principium motus vel quietis.lib.2. Phys.tex.3.l.1.* 108
*Natura an agat propter finem.lib.2.l.11.* 134
*Et an finis sit causa propter quem natura operetur.* ibid.
*Naturæ significatio.libro secundo Physic. tex.15. in digress.* 117
*Natura definita an sit sola mortalium vel communis omnibus.tex.3.l.7.* 106
*Naturæ definitio,tex.3.an communis sit cælo, & mortalibus.lib.2.Phys.tex.3. l.20.* 105
*Naturæ definitio.lib.2.Phys.tex.3.* 105
*Naturæ definitionis explicatio. libro secundo Physic.tex.3.f.2.* 105
*Naturæ munera duo.libro secundo Physic. tex.3. lin.17.* 109
*Naturæ distinctiones. libro secundo Physic. tex. 15. in digress.* 117
*Naturæ vniuersalis triplex.lib.2.Physic.tex.15. in digress.f.2.l.36.* 117
*Naturæ connexio cum fato.lib.2.Physic. tex.15. lin.19.* 118
*Naturæ conditiones. libro secundo Phys.tex.7.8. 9.10.l.3.* 112
*Naturæ duæ leges. libro primo,contex.50.fac. 2. lin.47.* 70
*Naturæ leges quæ. libro primo,contex.41. fac.2. lin.21.* 61
*Naturam sapiens mutari debet.libro primo, cont. 5.f.2.l.22.* 58
*Nerui constituentes totum trium ordinum sunt. lib.2.Phys.tex.15.f.2.l.5.* 119
*Nerui primi cuncta ligantes. libro secundo Physi. tex.15.f.2.l.5.* 119
*Nomen nobis familiarius quàm definitio,ideo confusum. libro primo, contex. quinto, lin.11. & fac.3.l.23.* 58
*Nomen quare confuse rem denotet. libro primo, cont.5.in dub.f.2.l.2.* 59
*Nominis & definitionis differentia quæ.lib.1.cont. 5.lin.9.* 58
*Non ens priuatio ens materiam denotet.lib. primo Phys.tex.75.f.2.l.14.* 93
*Nota & prima singulis, parum sæpe nota esse, & parum,aut nihil entis participare. libro primo, cont.2.in dub.f.2. l.21.* 54
*Nota primo nobis referri debere ad imperitum,& sic intelligi debere de cognitione origine prima. lib.1.contex.2.in dub.l.51.* 54
*Secus tamen de sapiente.ibid.*
*Nota nobis absolute non esse omnia postrema, sed proximiora sensibus. libro primo,contex.secundo,in*

do, in dub. l. 37. 55
Nota nobis & natura non opponi, sed singularia & vniuersalia. libro primo, contex. secundo, in dub. l. 38. 55
Notiora nobis & notiora naturæ qua comparatione cognoscantur. libro primo, contex. 2. in dub. f. 2. l. 28. 54
Notiora nobis & natura in mathematicis non semper eadem. libro primo, contex. secundo, in dub. lin. 48. 54
Cuius declarationem vide, ibid. f. 2. l. 34. 54
Notiora nobis & natura in mathematicis aliquando eadem, sed non semper. libro primo, cont. 2. in dub. l. 48. 54
Notiora nobis et natura in mathematicis quæ sint. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 46. 54
Vbi opinio propria. ibid. l. 8. 55
Notiora nobis & natura quomodo in physicis & mathematicis possint & non, esse eadem. lib. 1. cont. 2. in dub. l. 25. 55
Notiora nobis quæ sint. libro primo, cont. 2. in dub. lin. 1. 52
Notius nobis & natura quomodo intelligendum. libro primo, contex. secundo, in dub. lin. 12. 23. & 31. 53
Notius nobis per nomen, natura per definitionem. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 41. 54
Declara tamen. ibid. l. 13. 55
Notius nobis dupliciter contingi. libro primo, cont. 2. in dub. l. 17. 53
Notum simpliciter, & nobis notum quid. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 22. 54
Notum nobis est, quia: natura, propter quid. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 24. 54
Notum nobis & natura aliquando idem, dum natura accipitur pro instituto et appetitione. lib. 1. cont. 2. in dub. f. 2. l. 25. 54
Numerorum quatuor gradus ex Procli sententia. de plac. cap. 6. f. 2. l. 19. 35
Numerus præteritorum reuolutionum cœli, an sit infinitus. lib. 2. de motu, cap. 12. l. 30. 181
Numerus numerans an sit, lib. de affect. 14. fac. 2. lin. 27. 150
Numerus est prior continuo. libro de affect. cap. 15. lin. 14. 151
Numeri in quo genere causæ sint principia. de plac. cap. 6. f. 2. l. 31. 33

O

Obiecta sensuum natura priora actionibus spiritalibus. lib. 1. cont. 2. in dub. l. 25. 54
Obiecta varia, distinctis facultatibus respondentia, quomodo dici possint notiora vna facultate, cum per alteram non cognoscantur. lib. 1. cont. 48. in annot. l. 9. 20
Obiectum Philosophi speculatiui quale. capit. 22. lin. 7. 18
Oculus animi qui. lib. 2. Phys. tex. 6. l. 16. 111
Officia sapientis duo. cap. 7. f. 2. l. 7. 6
Officia principalia idearum tria. lib. 2. f. 2. l. 31. 138
Officium Logici quid. cap. 2. l. 28. 3
Officium Physici quale. lib. 2. Phy. tex. 26. l. 2. 127
Olympiadis nomen vnde. lib. de affect. c. 23. f. 2. 156
Olympias prima quando cœperit. ibid.
Olympias dicitur lustrum. ibid.
Olympias quid. lib. de affec. cap. 29. f. 2. 156
Olympiodorus naturalem philosophiam in duas diuisit partes. cap. 6. l. fin. 6
Omne, quot modis capiatur. lib. 1. contex. 5. in dub. f. 2. l. 20. 58
Omnia non necessario fieri. libro secundo Physic. tex. 15. l. 6. 119
Opera animæ nutrientis tria. libro primo de motu, cap. 19. l. 13. 172
Operationes & obiecta priora secundum rationem sentiendi facultatibus. libro primo, contex. 2. in dub. l. 15. 54
Opinio authoris quid Arist. per principium denotet. libro primo Physicorum, tex. 83. lin. 13. in annot. 102
Opinio propria de continuitate motus. lib. de motu, cap. 10. 165
Opinio Arist. de tempore. lib. de affect. cap. 14. f. 2. lin. 22. 150
Opinio authoris de infinito rerum a materia abstractarum. lib. de affect. cap. 6. l. 26. 145
Opinio & pædia quare ex Aristot. sententia non enumerantur inter habitus mentis. cap. septimo, lin. 7. 7
Opinio de quo motu dubitet an sit æternus in proœmio 8. Physic.
Opiniones variæ. lib. de motu, cap. 14. l. 15. 168
Opiniones multorum infinitum dari actu. lib. primo de motu, cap. 2. l. 10. 142
Opiniones variæ quid Arist. 2. Physic. tex. 15. nomine priuationis intellexerit, fac. secundo, in annot. 116
Opiniones quorundam concedentes quidem omnia se habere ad motum sed differentes de modo. lib. 2. de motu, f. 2. l. 18. cap. 19. 185
Opinio authoris circa instrumentum cui generi causæ proprie inseruiat. lib. 2. l. 16. 138
Opiniones variæ circa instrumentū cui generi proprie inseruiat. lib. 2. l. 12. 138
Opinio quorundam de subiecto Physic. lib. 1. Phys. tex. 57. in annot. f. 2. l. 5. 79
Opinio propria de diuisione fati. lib. 2. Phy. tex. 15. lin. 40. 118
Opiniones variæ temporis. lib. de affect. capit. 13. lin. 13. 150
Opiniones multorum dicentium id quod est esse vnum. libro primo Physic. tex. 71. 72. lin. 17. in annot. f. 2. 91
Opiniones variæ philosophorum circa essentiam rerum. lib. 2. Phys. tex. 7. 8. 9. 10. l. 1. 112

*Opiniones variæ ad quem pertineat considerare an motus sit æternus. libro primo de motu, cap.17. fac.2.* 169
*Oppositio prima differentiarum, quæ lib.1. cont.50. in dub. f.2. l.9.* 71
*Oppositio inter motum & statum quæ. lib. de motu, cap.8. f.2. l.16.* 163
*Oppositio motus et quietis. lib. de motu, cap. octauo, lin.6.* 164
*Oppositio inter motus dici contraria. lib. de motu, cap.7. f.1. l.7.* 163
*Oppositio generationis & interitus dici contradictio.* ibid.
*Oppositio inter motum & motum. lib. de motu, cap. 8. l.31.* 164
*Oppositio quæ maior inter motum quietem vel inter potentiam qua motus opponitur motui. libro de motu, cap.8. l.47.* 164
*Oppositiones motus variæ. lib. de motu, cap. octauo, fac.2.* 163
*Oppositionum quatuor quæ in compositis considerantur, ordo qualis. libro primo, contex. 45. in dub. l.4.* 67
*Optare interitum sui dupliciter potest. lib.1. Phys. tex.81. l.20. in annot.* 99
*Optimum omne est vltimum. lib.2. Physic. tex.23. l.25. in annot.* 126
*Ordo non comprehenditur in Methodo seu via ex notioribus. lib.1. cont.2. in dub. f.2. l.23.* 51
*Ordo compositiuus, & resolutiuus quomodo inter se considerentur. cap.14. l.22.* 12
*Ordo naturæ qualis. cap.17. l.19.* 14
*Ordo inter scientias an sit ex accidenti vel per se. cap.14. l.5.* 12
*Ordo inter mathematicas puras addiscendas, qualis seruandus. cap.15. f.2. l.4.* 12
*Et qualis intermedias. ibid. l.12.*
*Ordo inter principales disciplinas qualis. cap.12. f.2. l.3.* 10
*Et quis primus inter Theoricam, & Practicam. ibidem.* 6
*Inter ciuilem & artes. ibid.9.*
*Inter contemplationem & artes. ibid.13.*
*Inter partes philosophiæ contemplatiuæ. ibid. l.24.*
*Ordo an sine compositione reperiri possit. libro primo, cont. 45. in dub. l.27.* 67
*Ordo seruatus ab Aristot. in primo Physic. agendo primo de principijs, rectus est. cap.17. fac. secunda, l.48.* 14
*Ordo quatuor oppositionum, quæ ab Arist. in compositis considerantur, qualis. lib.1. contex.45. in dub. l.4.* 67
*Ordo duplex tribuitur causis. lib.2. f.2. l.20.* 134
*Ordo qualis à studiosis seruandus. cap.1. l.34.* 2
*Ordo regressus ad propter quid quomodo seruandus in via methodi. libro primo, cont.2. in dub. f.2. lin.42.* 52
*Ordo ab Arist. in primi Physic. ostensus, & iu 2. Methodus declaratur, libro primo, contex.5. in dub. l.12.* 59
*Ordo principiorum, & numerus qualis. de plac. cap.6. l.2.* 33
*Ordo duplex. cap.16. f.2. l.31.* 13
*Item absolutus duplex. ibid.* 33
*Ordo studendi a scolari seruandus. libro primo, con tex.1. l.1.* 46
*Ordo modorum generationis, libro primo Physic. tex.63. in annot.* 85
*Ordo inter libros Physicorum qualis. cap.16. f.2. lin. 7.* 13
*Ordo in libris Physicorum, & partibus eorum qualis. cap.17. l.4.* 14
*Ordo omnis ad vnum primum habet relationem, quod dicitur principium illius ordinis. lib.1. contex.1. in dub. l.40.* 49
*Ordo considerationis rerum qualis. lib. 1. cont.1. lin.20.* 47
*Ordo non est incipiendus a notioribus nobis. lib.1. cont.2. in dub. f. 2. l.36.* 51
*Ordo seruatus naturæ ab Arist. in Physicis. lib.2. Phys. in proœm. f.2. l.5.* 103
*Ordo multiplex. cap.11. f.2. l.8.* 9
*Ordo quid. ibid. l.11.*
*Ordo in organicis disciplinis qualis. ibid. l.18.*
*Ordo compositionis qualis. cap.27. l.36.* 14
*Ordo compositionis seruatus ab Arist. in Physicis. cap.17. l.36.* 14
*Ordo compositionis est progredi ab internis principijs ad externa. cap.17. l.36.* 14
*Ordines varij causarum. lib.2. f.2. l.5.* 134
*Organicæ disciplinæ quot habitus mentis habeant. cap.7. l.2.* 7
*Organicæ disciplinæ primo sunt addiscendæ. cap.11. f.2. l.18.* 9
*Ortu rerum quatuor considerari. lib.1. cont.42. in exam. l.31.* 63
*Ortus & interitus in contrarijs versari, & quomodo. libro primo, contex.43. in dub. l.6.65. & cont.47. f.2. l.2.* 67

P

*Parmenidis opinio de principio quomodo intelligenda. de plac. cap.15. f.2. l.18.* 39
*Et quid de ente cum calido & igne. ibid. l.45.*
*Et an ens denotet materiam. ibid. l.47.*
*Parmenidis opinio quod principia sint vnum. de placitis capitulo secundo, fac. secunda, lin. decimatertia.* 29
*Pædia quid sit. cap.8. l.3.* 8
*Pædiæ nomen dupliciter accipitur. capit. octauo, lin.4.* 8
*Perfectio in ternario posita. lib.2. de motu, cap.7. lin.10.* 179
*Perfectio in tribus esse posita. libro de motu, cap. 4. lin.3.* 161

Perfe-

Perfectum prius imperfecto ratione, natura, ex tempore. libro primo, contextu secundo, in dub. f.2.l.19. 53
Permutatio triplex. libro primo, contex.47.f.2. lin.13. 67
Pertransiri vsurpari dupliciter. lib. de affec. cap.5. f.2.l.1. 44
Philon Iudaus vult Moysem primum ideas patefactum fuisse. libro secundo, fac. secunda, lin.22. 158
Philosophia quare in Theoricam, & Practicam diuidatur. cap.7.f.2.l.19. 6
Philosophia non est natura vna in omnibus eadem, sed ab vno. capitulo decimonono, fac. secunda, lin.1. 16
Philosophia naturalis disciplina dicitur. cap. secundo, l.1. 2
Philosophia vniuersa in tribus consistit fundamentis, & qua ea sint. de plac. capit. decimotertio, lin.1. 38
Philosophia ex quatuor generibus causarum consistit, in easque resoluitur. capitulo vigesimo, f.2.l.3. 16
Philosophia artes parit, eisque principia largitur. cap.22.l.7. 19
Philosophia inspectrix ciuilem parere dicitur. cap. 21.f.2.l.7. 17
Philosophia an sit. cap.19.l.3. 16
Philosophia quare mater artium dicatur. capit.6. f.2.l.17. 6
Philosophia quid. cap.7.f.2.l.4. 6
Philosophia inspectris quid quarat. capit. 21. f.2. lin.13. 17
Philosophia partes tot sunt, quot substantia. cap. 10 f.2.l.8. 8
Intellige tamen, vt ibid.l.41. 9
Philosophia vniuersa definitio. capitulo decimonono, l.17. 16
Inspectricis. ibid.l.21.
Metaphysica. ibid. l.24.
Physica. ibid.l.26.
Mathematica. ibid.l.29.
Philosophia principia ex causa efficiente qua. cap. 20.l.1. cum seq. 17
Philosophia vtilitates qua. capit.21. lin.5. cum sequen. 17
Philosophia causa formalis. capitulo vigesimo, f.2.l.4. 16
Materialisque eius, qua duplex est. ibidem, lin.15.
Efficiens, qua in plures diuiditur. ibid. l.19.
Finalis. ibid. in fine. 17
Philosophia nomen cui disciplina proprie conueniat. cap.7.f.2.l.4. 6
Philosophia partes dua principales. capit. septimo, f.2.l.18. 6
Philosophari quid sit. cap.19.l.5. 16
Philosophus varia sortitur nomina secundum eius triplicem relationem. capitulo vigesimosecundo, f.2.l.47. 18
Philosophus fabulas diligit. de plac. capitulo nono, lin.15. 36
Philosophi omnes dicunt materiam esse aternam. libro primo Physicorum, tex.82. in annotatio. lin.1. 100
Philosophia inspectrix quomodo vtilitatem ciuili prabeat. cap.22. per totum. 18
Philosophus naturalis in quo differat ab artifice. lib.2. Phys. tex.25.l.22. 127
Philosophi speculatiui munus & officium seu obiectum quale. cap.22.l.7. 18
Philosophus naturalis in cognitione natura aquiparatur artifici in cognitione artis. lib.2. Phys. tex.25. l.26. 127
Philosophandi modus veterum philosophorum. de plac. cap.12.l.12. 38
Philosophorum veterum varia sententia de natura animorum. de plac. cap.14. f.2.l 1. 38
Physica quid consideret, de eius subiecto. capit.6. lin.2. 6
Physica vt ancilla inseruit metaph. lib.1. de motu, cap.17.l.26. 170
Physica quas artes pariat. cap 6 f.2.l.8. 6
Physica omnia esse pradita principio interno motus omnia alia externo. libro secundo Phys. tex. 3 f.2.l.46. 105
Physica diuisio. cap.6.l.6. 6
Physici munus quale, lib.2. Physic. tex.26. f.2. lin.2. 127
Physicus cognoscit analogia materiam. lib.1. Physic. tex.69 70.l.26. 90
Physicus quid enunciet de infinito. lib. de affec. cap. 7.l.1.f.2. 145
Physicus in quod disentiat a metaphysico de infinito. lib. de affect. cap.7. l.10.f.2. 145
Physicus considerat res cum materia concretas. cap.13.f.2.l.8. 11
Physicus qui proprie dicatur. lib. de affect. cap.7. lin.21. 146
Physicus quid consideret. cap.29.l.2. 25
Physicorum singuli libri quid singillatim tractent. cap.18. per totum. 15
Physicorum libri cur primi sint. capitulo 16.f.2. lin.5. 13
Et quomodo eorum partes inter seiuncta sint. ibidem. 6
Physicorum libri cur in duas principales partes diuidantur. cap.17.l.8. 14
Et cur prima pars in quatuor. ibid.l.17.
Physicorum libri de principijs qui, & qui de motu. cap.32.l.4. 26
Opinio propria. ibid.f.2. l.43.
Physicorum libri cur primo declarandi. cap.16. lin.1. 14
Platonis & Pythagora consensio de rerum principijs. de plac. cap.7.l.30. 34

# INDEX


Platonis sententia de rerum principijs varia. de plac.cap.7.f.2.l.3. 33
Eiusq; explicatio.ibid.l.2. 34
Poetica vnde oriatur. cap.2.l.27. 3
Poetica iuncta cum ciuili disciplina, capit. tertio, lin. 37. 3
Posteriora notiora sensu, priora ratione. lib. 1. cont.48. l.18. 69
Præstantia motus in orbem. libro primo de motu, cap.20. 172
Principia quomodo contraria sint ex opinione Pythagoræ.de plac.cap.6.l.6. 33
Principia cur plura duobus. lib.1.contex.51.f.2. lin. 10. 72
Principia philosophiæ ex causa efficiente quæ. cap. 20.l.1.cum seq. 17
Principia ad supera, infera, & æqualia referri.lib. 1.cont.42.in exam.l.3. 63
Principia quare primo declaranda, cap. decimosexto,l.1. 14
Principia scientiæ, seu de subiecto quomodo debeãt ostendi competere ex opinione propria, lib. 1. cont. 1.in dub.f.2. l.26. 49
Principia rerum varia, libro primo Physic. tex. 67.f.2.l.1. 88
Principium internum mortalium nullum. lib. primo Phys.tex.67.f.2.l.19. 88
Principia posita a Parmenide quomodo intelligenda.de plac.cap.15.f.2.l.18. 39
Principia rei, & nobis nota quæ. lib. 1. contex. 1. in dub.f.2. l.19. 50
Principia Dialectica quæ, & quæ Rhetoricæ.lib.1. cont. 1.in dub.f.2.l.24.& 26. 50
Principia rerum quomodo sint contraria. lib. 1. cont.55.in dub.l.2.cum seq. 77
Principia substantiæ cur tradantur.lib.1.cont.50. in dub.f.2.l.43. 71
Principia rerum contraria, & de contrarijs prædicari.lib.1.cont.41.f.2.l.35. & seq. 61
Principia rerum ex quibus communibus, & confusis cognosci doceat, lib. 1. cont. 47. in annot. f.2.l.6. 67
Principia cæterorum prædicamentorum regulantur secundum principia prædicamenti substantiæ. libro primo, contex.56. in annotatio. f.2. lin.22. 78
Principia per confusa cognosci, quomodo intelligendum.lib.1.cont.3.in dub.f.2. l.34. 55. & cont. 4.f.2.l.7. 56
Principia esse plura qui dicunt, aliqui finita, alij vero infinita esse contendunt. de plac.cap.6.f.2. lin.5. 32
Et qui dicunt esse finita, multi enumerantur.ibid. per totum, & cap.7.8. & 9.
Et qui infinita, similiter.cap.10.& 11.per totum. 36. & 37.
Principia pertinentia ad agens quod est externum, cur etiam Arist. inserit principijs internis.lib. 1.cont.43.in dub.f.2. l.13. 64
Principia an primo in omni ordine sint declaranda.lib. 1.cont.1.in dub.l.29. 49
Principia quomodo intelligantur non fieri ex alijs. libro primo, contextu 42.in examin. fac. secunda,lin.46. 63
Principia generationis posita a Platone quomodo intelligenda, & ita soluendus Aristot. ab illorum contrarietate relata. de plac. cap.18. per totum. 41
Principia interna ex quibus composita constant, per resolutionem tantum cognosci.lib.1. cont.3. f.2. l.7. 55
Principia quare ab Aristotele primo ponantur, deinde elementa, & postea causæ. lib. 1. contex.1. f.2. l.1. 47
Principia quomodo sint eiusdem generis.lib.1.cõt. 56.in annot.f.2.l.18. 78
Principia ortus rerum, Mundi conditio, & Natura animorum sunt tria fundamenta vniuersæ philosophiæ.de plac.cap.13.l.2. 38
Principia an sint vnum vel plura, vel partim vnum, partim plura, variæ referuntur opiniones.de plac.cap.2.f.2.l.2. vsque ad cap.13. 29. vsque ad 38.
Principia interna, quæ secundum se sunt principia rei genitæ, sunt rerum essentia. lib. 1. cont.52. in dub.l.28. 74
Principia substantiæ cur etiam principia omnium prædicamentorum. libro primo, contex. 50. in dub.l.9. 72
Principia simplicia & distincta denotari per singula.lib.1.cont.4.f.2.l.35. 56
Principia rerum esse atomos, & infinitum inane secundum aliquos. de plac.capitulo decimo, f.2. lin.8. 36
Principia rerum qua ratione sint cõtraria. de plac. cap.16.l.25. 40
Et an hoc sit verum. ibidem, capit. sequen. per totum.
Principia rerum sunt forma & materia.lib.primo Phys.tex.65. 86
Principia quare non infinita. lib.1. cont. 50. f.2. lin.11. 70
Principia sunt natura priora affectionibus.cap.17. lin.10. 14
Principia, & communes affectiones sunt partes duæ principales totius physicæ. capit. duodecimo,l.9. 14
Principia quando primo considerentur.cap.14.f.2. lin.16. 12
Principia qua methodo inuestiganda. lib.1. cont. 4. lin.45. 57
Principia rerum contraria, & quæ.lib.1. cont.48. l.6.cum seq. 68
Principia qua ratione probantur esse contraria. lib.1.cont.42.in exam.f.2. l.5.63. & cont. 43. in dub.f.2.l.3. 64


Prin-

Principia rerum quæ, ex sententia Pythagoræ. de plac.cap.6.f.2.l.30. 33
Principia communia numero quatuor causarum respondent.cap.17.l.29. 14
Principia rerum tria, & non plura tribus. lib.1. cont.56.f.2.l.3. 77
Principia subiecto competere non posse per se ostendi.lib.1.cont.1.in dub.l.4. 50
Principia rerum sunt materia & forma.lib.1.con tex.1.in dub.l.18. 50
Principia plura & infinita. libro primo, cont.41. f.2.l.17. 61
Principia Mathematica quæ sint. lib.1. contex.2. in dub.l.11. 55
Principia interna generationis sunt materia, forma, & priuatio.cap.17.l 40. 14
Principia, causæ, & elementa varias habent significationes.capitulo decimoseptimo,fac.secunda,l.28, 14
Et quare sic dicantur.ibid. 25
Principia interna generationis rerum quot. lib.1. cont.1.l.36. 47
Et quo in loco ab Aristotele tractentur. ibidem, lin.41. 46
Principia redigi ad id prædicamentum, cuius sunt principia. libro primo. contex. 56. in annotat. f.2.l.10. 78
Principia specierum sunt genera, & differentiæ, lib.1.cont.1.in dub.f.2.l.31. 50
Principia duo tantum ex parte contrariorum. lib. 1.contex. 50.in dub.lin.48. & contex.51.f.2. lin.10. 72
Principia plura & finita ex sententia Platonis. de plac. capitulo septimo, fac. secunda,lin.2.& sequen. 33
Principia plura & finita ex Aristotelis sententia. de plac. capitulo octauo, fac. secunda, lin.1. & seq.per totum. 34
Principia quomodo oportet semper manere. lib.1. cont.50.in dub.l.15. 72
Principia quo priora & simpliciora, eo nobis sunt obscuriora. libro primo, contextu secundo, in dub.f.2.l.38. 51
Principia, causæ, & elementa quot modis accipiantur. libro primo,contextu primo,fac.secunda,lin.46. 46
Opinio propria.ibid.l.12. 47
Principia quomodo sint vnum, vel infinita. lib.1. cont.50.in dub.f.2.l.2. 72
Principia qua via cognoscantur. libro primo, contex.2.l.4. 51
Principia quæ apud Platonem. lib. 1. cont.55. in dub.f.2.l. 38. 76
Principia exacte ssime fuisse declarata.lib.2. Phys. in proœm.f.2.l.3. 103
Principij nomen aliter captum a Platone, & aliter ab Aristotele. de plac.capitulo octauo, f. 2. lin.2. 35
Principij nomen quot habeat significationes.lib.1. cons.1.in dub.l.22. 50
Principiorum numerus quis. lib.1.contex.50.f.2. lin.4. 70
Principiorum diuisio, libro primo, contex. primo, in dub.f.2.l.26. 49
Principiorum ordo, & numerus. de plac. capit.6. lin.2. 33
Principiorum quomodo non dantur principia. lib.1. cont.52.in dub.l.30. 74
Principiorum potissima conditio quæ. libro primo, cont.42.in exam. l.19. 63
Principiorum cur conditiones tres. lib.1. cont.42. in exam.l.2. 63
Et an sint communes principijs omnibus. ibidem. l.29.& l.9. 64
Principium essendi dupliciter intelligitur.lib.1.con tex.1.in dub.f.2.l.9. 48
Principium rerum an sit aqua. de plac.cap.3.f.2. lin.8. 31
Et quid de aere, terra, & igne. ibidem. lin.10.14.34. 
Principium secundum formam quid.lib.1.Physic. tex.83.l 8. 101
Principium eorum quæ sunt, cur infinitum secundum aliquos. de plac. capitulo quinto, fac. secunda, l.37. 31
Principium vnum nomine chaos constituit Anaxagoras.de plac.cap.12.l.2. 38
Principium nomine elementi significatur. de plac. cap.1.l.1. 29
Et præsertim denotat causas externas. ibidem, lin.5.
Et imo internas secundum veteres quos sequutus est Auctor.ibid.l.11.
Et quæ sint. ibid.
Principium esse vnum siue mobile, siue immobile secundum aliquorum opinionem.de plac. cap.5. per totum,f.2.l.2. 31
Priora, & notiora ea sunt sapienti, quæ etiam sunt natura talia. libro primo,contex. secundo, in dub. f.2.l.5. 54
Priora & notiora viro sapienti quæ.lib.1. cont.2. in dub.l.46. 54
Priora & notiora nunquam idem esse ratione, licet aliquando idem numero siue subiecto. lib.1. cont.2.in dub.l.47. 54
Quod declara. ibidem, fac. secunda, lin. vndecima,cum seq.
Primum absolute nec fieri, nec interire. lib. 2. de motu,cap.6.f.2.l.1. 178
Primum in intentione vltimum in executione. vnde proueniat. libro primo,contextu secundo, in dub.l.45. 53
Primum an detur in motu. libro primo de motu, cap.12.l.12. 166
Primum natura duplex. libro primo de motu.cap. 22.lin.9. 174


Primum

*Primum ad tria refertur . lib. 2. Physic. tex. 3. lin.41.* 100
*Primum & postremum quando idem sint . lib.1. cont.2.in dub. l.37.* 55
*Et quando inter se sint opposita . ibid. l.38.*
*Primum dupliciter summi . libro primo de motu , cap.18.f.2.l.13.* 170
*Primum duplex.libro primo,contex.primo,in dub. lin.41.* 49
*Primum secundum institutum,postremum origine . lib.1.cont.1.in dub. l.47.* 49
*Prius ratione distingui a priore secundum substantiam,quod est prius natura.lib.1.cont.2.in dub. f.2.l.27.* 53
*Prius natura, prius etiam declarandum in ordine absoluto . capitulo decimosexto,fac.secunda, lin.37.* 13
*Prius illud declarandum,sine quo alia distincte nosci non possunt.ibid.l.38.*
*Prius natura duplex . libro primo, cont.2. in dub. l.39.53.& l.40.* 54
*Prius ratione , non semper prius substantia. lib.1. cont.2.in dub.f.2.l.23.* 53
*Prius & posterius in causa consideratur dupliciter.lib.2.tex.32.33.34.l.17.* 132
*Prius natura non semper dici natura notius. lib.1. cont.2.in dub.f.2.l.6.* 53
*Prius quale . capitulo decimoquinto, fac. secunda, lin.23.* 12
*Priuatio an sit principium internum secundum se . libro primo Physicorum,textu 80.fac.secunda, lin.19.* 97
*Priuatio potest dici interitus sed non principium rei corruptæ . libro primo Physicorum,tex.80. f.2.l.35.* 97
*Priuatio quare a Platone non numerata inter principia,de plac. cap.8.f.2.l.1.* 35
*Priuatio quotupliciter consideretur.lib.1.cont.55. in dub.f.2.l.41.* 76
*Priuatio dicitur forma licet sit contraria non tamen albedo dicitur nigredo.lib.2.Phys.tex.15. in annot.l.19.* 117
*Priuatio quomodo sit principium.lib.1. cont.52.in dub.f.2.l.23.* 74
*Priuatio duplex.libro primo Physicorum,tex.60. lin.17.* 82
*Priuationis differentia a materia.lib.1.Phys.tex. 66.l.23.* 87
*Priuatio non est principium per se . lib. 1 . Physic. tex.68. l.26.* 89
*Priuatio non est ens per se.* ibid.
*Priuatio quid . libro primo Physicorum , tex.61. lin.2.* 83
*Priuatio differt a negatione .* ibid.
*Priuatio tres gradus habet . lib.1 .Physic. tex.61. lin.26.* 83
*Priuationis tres gradus . libro primo Physic. tex. 61.l.26.* 83
*Priuationis interitus quid . lib.1.Physic. tex.81. l.15. in annot.* 99
*Priuatio duplex. libro primo Physic.tex.81.l.14. in annot.* 99
*Priuatio inter principia ab Aristotele enumeratur,sed non est causa.libro primo,contex.primo, lin.1.* 47
*Et quod sint duo,nempe materia, & forma . ibidem,lin.38.*
*Priuatio vt est ens ita principium . lib. 1. Physic. tex.66.l.25.* 87
*Priuatio vt est accidens . libro primo Physic.tex. 66.l.27.* 87
*Priuatio quotuplex . lib.1.Physic.tex.61.f.2.l.7. indigress.* 82
*Priuatio quomodo principium . libro primo Phys. tex.61.f.2.l.9.* 83
*Priuatio vt principium dupliciter ad ortum referri potest . libro primo Physic.tex.61.fac.secunda,lin.15.* 83
*Priuatio non appetit formam.lib.1.Phys.tex.81. f.2.l.30.in annot.* 98
*Priuatio ad duo posse referri . lib.1. contex.43. in dub.f.2.l.38.* 65
*Proæmij conditiones quæ . lib.1 . contex.1. in dub. l.30 & f.2.l.38.* 50
*Proæmium Rhetoricum differre a philosophico. lib.1.cont.5.l.5.* 60
*Problematum libri ad Dialecticam pertinere dicuntur.cap 9 l.9.* 8
*Progressus diffinitiuus duplex.lib.1.cont.2.in dub. f.2.l.27.* 52
*Progressus a nobis notioribus an de omni dicatur. libro primo,contextu secundo,in dubitatio. lin.24.* 52
*Progressus a quia ad propter quid , & econtrario in regressu qualis,& quomodo seruandus in ordine . libro primo,contextu secundo, in dub.f.2. lin.42.* 52
*Propter quod vnumquodque tale , &c. quando sit verum . libro primo Physicorum,tex.64.in annot. l.17.* 85
*Prudentia duplex . cap.3.l.29.* 3
*Pueri quare primum appellāt omnes viros patres, & fœminas matres . libro primo , cont.5.l.29. cum seq.* 58
*Pythagoræ opinio de rerum principiis intrinsecus consentanea rationi . de plac.capitulo sexto,f.2. lin.32.* 33
*Pythagoræ sententia de numero principiorum . de plac.cap.6.f.2.l.6.* 32
*Et de decem contrarietatibus. ibid.l.16.*

## Q

*QVæstiones de motu tam simplices,quàm compositæ quales. capitulo decimooctauo,l.24. & f.2.l.6.* 15

*Quæ-*

*Quæstiones duæ simplices de philosophia dantur. cap.19.l.3.* 16
*Quantitas licet sit materiata tamen dupliciter seiungitur.lib.2.Phys.tex.19.l.14.* 123
*Quantum duplex.cap.5.f.2.l.2.* 4
*Quantum secretum ratione duplex. lib.2. Physic. tex.16.17.l.7.* 120
*Quantum vt quantum est nobis notius quàm corpus physicum.cap. l.18.* 11
*Quid de motus æternitate absolute sit dicendum, lib.2.de motu,cap.21.f.2.* 186
*Quies an medietur inter motus oppositos. lib.2. de motu,cap.16.f.2.* 183
*Quies non necessario mediatur inter omnes motus uarios,sed inter oppositos.libro secundo de motu, cap.17.l.18.* 184
*Quies dupliciter dicitur. libro secundo Physic. tex.3.f.2.l.18.* 107
*Quies dupliciter considerari.libro de motu, cap 8. lin.20.* 164
*Et an quid dicatur fieri,motus,an quies. ibidem. lin.24.*
*Quies cur in mortalibus præstet in cælo non. libro primo de motu,cap.21.l.27.* 173
*Quinque pertinentia ad motum & eius opposita. lib.2.de motu,cap.19.l.1.* 185

R

*RArum & densum duplex.libro de affect. cap. 12.f.2.l.4.* 149
*Ratio quid. libro primo Physicorum, tex.69.70. f.2.l.11.* 89
*Ratio distincta puncti & nunc.libro secundo de motu,cap.4.f.2.l.2.* 177
*Ratio cur dubitat Aristot. an Mathematica secernatur a Physica,& non Arithmet..lib.2. Physic.tex.16.17.f 2.l.14.in annot.* 120
*Ratio propria materiæ. libro secundo, textu 28. lin.16.* 130
*Ratio cur cæcus non iudicat de coloribus. libro 2. Physic.tex.6.cap.annot.l.8.* 111
*Rationes variæ ex Aristot. pro æternitate motus. lib.2.de motu,cap.3.4.5.6.& 7.f.2.* 175
*Ratione vna idem potest dici causa alia instrumentum.lib.2.l.9.* 138
*Regulæ debent intelligi per se.lib.1. Phys. tex.73. 74.in annot. l.1.* 93
*Regulæ omnes & institutiones ad pædium rediguntur.cap.8.l.2.* 8
*Regulæ debent semper intelligi per se. libro primo Physic.tex.66.in dub.f.2.l.44.* 87
*Relata dupliciter considerantur. libro secundo,tex. 36.37.l.19.* 133
*Rem esse semper contingit dupliciter.libro de affect. cap.25.f.2.l.19.* 157
*Rem fi, quomodo per contrarium fiat. lib.1.cont. 43.in dub.f.2.l.27.* 65
*Rerum permanentium non datur vltimum esse. libro secundo de motu,capitulo decimosexto, f.2. lin. 29.* 183
*Rerum considerationem triplici gradu fieri. lib.1. cont.1.l.20.* 47
*Res ex priuatione quomodo fiant.lib.1. Phys. tex. 75.f.2.l.7.in dub.* 93
*Res fieri per materiam dicuntur, per formam vero esse. libro primo, contextu primo, fac.2. lin.2. in dub.* 48
*Resolutio,quædam diuisio dicitur. lib.1. cont.3. in dub.l.25.* 56
*Resolutio omnis est reditus in principia, non autem progressus ad opera. capitulo decimooctauo,f.2. lin.41.* 15
*Resolutiuus ordo qualis. libro primo, contex.1. f.2.l.49.* 47
*Rhetorica cuncta cum ciuili philosophia. capit.3. lin.37.* 3
*Rhetorica,Poetica, Dialectica, & Sophistica quomodo ennmerentur inter organicas disciplinas. cap.8.l.11.& seq.* 7
*Reuolutio quomodo ex innumeris reuolutionibus numero distinctis consurgat vna numero. lib.2. de motu,cap.14.l.2.* 183

S

*SApiens cum natura conformatur. lib.1. cont.2. in dub.f.2.l.3.* 54
*Sapientis officia duo.cap.7.f.2.l.7.* 6
*Sapiens cum natura conformari debet. lib.1. cont. 2.l.22.* 58
*Sapientia quid. cap.7.f.2.l.5.* 6
*Scientia prior qualis.capitulo decimoquinto,fac.2. lin.7.* 12
*Scientia perfecta vt habeatur ad duo referri debet. lib.1.cont.1.l.30.* 46
*Scientia de ente distincta a scientia de substantia & accidente non datur.cap.5.l.16.* 5
*Scientia speculatiua, & ciuilis dignæ sunt nomine philosophiæ. capitulo septimo, fac. secunda, lin.11.* 6
*Scientia naturalis secundum ordinem artium cognoscitur. libro secundo Physicorum, tex.25. lin.29.* 127
*Scientiæ sibi mutuo inseruiunt. lib.1. de motu.cap. 17.l.26.* 170
*Scientiæ quomodo sibi inuicem subalternent. lib.2. Phys.tex.20.f.2.l.21.* 124
*Scientiarum distinctio ad quem pertineat. lib. 2. Phys.tex.16.17.f.2.* 120
*Scientia cur considerent speciem & materiam vsque ad aliquid.lib.2.Physic. tex.21. 22. capit. annot.lin.9.* 115
*Scolaris quem ordinem in studendo seruare debeat. lib.1. cont.1.l.1.* 46
*Scopus quid & quotuplex.cap.23.l.32.* 19

Scire

*Scire per causam est scire per affectionem. libro 2. Physic.tex.27. l.11.* 129
*Secus tamen apud philosophos, licet habeat varias conditiones materiæ. ibid.l.36.*
*Secundum naturam est natura sed non viceuersa. lib.2.Phys.tex.4.5. l.20.* 110
*Semper denotare vniuersitatem.lib.2.Physic.tex. 45.f.2.l.1.annot.* 109
*Sensilia priora sensu.libro primo,contex.2.in dub. lin.18.* 54
*Sensibile sicut se habet ad sensum, ita intelligibile ad intellectum.libro primo,contex. quarto, f.2. lin.26.* 57
*Sensibus propinquiora sunt nobis cognita.lib.1.con tex.2.in dub.f.2.l.49.* 51
*Sensus singularium,mens vniuersalium.lib.1.cont. 5.in dub. l.32.* 60
*Sensus quare famulentur menti.lib.1. contex.5. in dub.l.6.* 59
*Sensui propinquius nobis dicitur notius.lib.1.cont. 2.in dub. l.15.* 53
*Sensuum notitia antecedit notitiæ mentis. libro 1. cont.5.in dub.l.31.* 60
*Seruienti non est necessaria cognitio.lib.2.Physic. tex.25.f.2.l.4.* 127
*Sententia Aristot.de tempore.lib.de affect.cap.14. f.2. lin.22.* 150
*Sententia propria de numero specierum motus. lib. de motu,cap 6.f.2.l.32.* 161
*Sententia Academicorum de distinctione motus & mutationis.lib.de motu,cap.7.* 163
*Sentiendi actus singularium est. lib.1. cont.48. in annot.f.2. l.40.* 69
*Sentiendi facultas quorum sit vniuersalium. lib.1. cont.48.in annot.f.2. l.41.* 69
*Signum præstantia æternitas.lib.de affect. capit.6. f.2.l.9.* 145
*Singula, nomen denotare simplicia & distincta principia. libro primo, contextu quarto,fac.2. lin.23.& 36.* 56
*Singulare indefinite sumptum est id quod primo naturæ appetit. libro primo, contextu quinto, in dub.l.37.* 60
*Singulare solum per se subsistit, generat, & generatur. ibid. l.38.*
*Singulare sensu notum, vniuersale ratione. libro 1. cont.48.l.19.* 69
*Singularia substantiæ primæ dicuntur.libro primo, cont. 5.in dub. l.35.* 60
*Singularia quando priora, & notiora nobis & naturæ.lib.1.cont.5.in dub.l.42.* 60
*Singularia duplicia. libro primo,contex.quinto,in dub.f.2.l.29.* 60
*Singularia an dicantur natura prima, an postrema. lib.1.cont.5.in dub.l.26.* 60
*Vbi traditur opinio propria. ibidem, fac.secunda,lin.29.*
*Singularium singulares causæ cur sint assignandæ cum singularium non sit scientia. libro secundo,tex.38.f.2.l.32.* 133
*Simplex & compositum duplex.libro primo, cont. 45.in dub.f.2.l.8.* 66
*Simplicia quæ generantur fieri ex contrario.lib.1. cont.43.in dub.f.2.l.35.* 65
*Et quomodo idem in compositis. ibidem, cont.45. lin.8.* 66
*Simplicium & compositorum nomine quid denotetur. libro primo, contex.45. in dubitat. fac.2. lin.12.* 66
*Vbi traditur opinio propria. ibid.l.18.*
*Simpliciter notum, & nobis notum quid,lib.1.cont. 2.in dub.f.2.l.22.* 54
*Sophystica quid pariat. cap.4 l.8.* 4
*Et est generis indefiniti.ibid.10.*
*Sophysta in quo versetur.cap.4.l.13.* 4
*Species quando dici possit subiectum. cap.23. f.2. lin.18.* 19
*Species magis totum quàm genus. libro primo, contex.4.l.12.* 58
*Spiritus quid.de plac.cap.14 l.22.* 39
*Spiritus maligni in centro terræ detinētur.de plac. cap.25.f.2.l.30.44.& l.18.* 45
*Stereometræ officium. capitulo quinto, fac. secunda,l.23.* 5
*Stereometria iuncta est Geometria. capit. quinto, fac.2.l.8.* 5
*Et quid considerat.ibid.l.19.*
*Et quæ ei subuciantur. ibid.l.37.*
*Studiosi circa quæ versari tenentur. capitulo primo,l.23.* 2
*Studiosi definitio.cap.1. in fi.* 2
*Subiectum vniuersæ philosophiæ naturalis secundum opinionem aliorum quale.cap.25.vsque ad cap.28.* 20
*Et quale secundum opinionem propriam. cap.28. per totum.*
*Subiectum quando origine, & instituto sit prius vel posterius, prædicato.libro primo,contex. 52. in dub.f.2.l.4.* 74
*Subiectum octo librorum physicorum quale secundum aliorum opiniones. cap.30.l.3.* 25
*Secunda tamen opinio approbatur, quòd sit corpus physicum.ibid. l.20.*
*Subiectum & intentio si proprie accipiartur, distinguuntur. capitulo vigesimotertio,fac.secunda,lin.3.* 19
*Subiectum quare sic dicatur. capitulo vigesimotertio,lin.16.* 19
*Et materies scientiæ frequenter dicitur. ibidem, lin. 19.*
*Subiectum physicæ quale.cap.6.l.4.* 6
*Subiectum adæquatum quale. capitulo vigesimo quarto,l.13.* 20
*Eiusq; conditiones quæ.ibid.l.19.*
*Definitioq; eius.ibid.l.30.*
*Subiectum duplex.lib.1.cont.52.in dub.f.2.l.2.* 74

*Subiectum scientiæ quot modis accipiatur.cap.24. f.2.l.2.* 19
*Et quotuplex sit.ibid.l.7. cum seq.*
*Et resoluitur in rem consideratam, & modum considerandi.ibid.l.6.* 20
*Subiecti multæ significationes enumerantur. capit. 23.l.6.* 19
*Eiusdem varia nomina.ibid.l.13.*
*Subordinata quatuor esse.libro primo Physic.tex. 69.70.f.2.l.11.* 89
*Subordinata tria esse. libro de affect. capitulo 25. lin. 23.* 158
*Substantia principium accidentium. capitulo decimo,lin.7.* 9
*Substantia prior accidente ratione, notitia, tempore, & natura. libro primo,contextu secundo, in dub.f.1.l.20.* 53
*Substantia substantiæ non est contraria, sed bene potest suscipere contrarietatem, ex propria opinione. libro primo,contextu 52.in dub.fac. secunda,lin.9.* 74
*Substantia duplex. libro primo Physic. tex.76.in annot.l.12.* 96
*Substantia quomodo fiat ex contrario cum contrario careat. libro primo,contex.45. in dubit.f.2. lin. 26.* 66
*Substantia non dici de subiecto quomodo intelligendum. libro primo Physicorum, tex. 62. in annot.l 7.* 84
*Substantia duplex.libro primo,contex.52. in dub. f.2.l.19.* 74
*Substantiæ requisita quæ.libro primo, cont.45. in dub.f 2.l.32.* 66
*Substantiarum ordo. libro primo, contex. 45. in dub.l.14.* 67
*Summum bonum in contemplatione accidentium non est positum. capitulo decimo,fac. secunda, lin.5.* 8
*Summum bonum vniuersum hominis ex contemplatiua prouenit philosophia. capitulo 21. f. 2. lin.9.* 17

T

THeoremata Mathematicorum multa ad effectionem dirigere.cap.10.l.1.* 9
*Theoria quid.cap.10.f.2.l.10.* 8
*Theologorum opinio de Mundo. de plac. capit.13. f.2.l.8.* 38
*Theses variæ de principijs rerum. lib.1.Phys.tex. 67.f.2.l.1.* 88
*Tempora intermedia inter motum & quietem de quibus intelligatur. de plac. capitulo vigesimo, secundo,l.30.* 43
*Temporis triplex distinctio.lib. de affect.capit.16. lin.26.* 152
*Temporis species. libro de affect. capitulo decimoseptimo,f.2.* 152
*Temporis termini varij.libro de affect. capitulo vigesimoquarto.* 157
*Temporis definitionis explicatio. libro de affect. cap.14.l.6.* 151
*Temporis variæ opiniones. libro de affect.cap.13. lin.13.* 150
*Tempore quæ mensurentur.libro de affect.cap.15. f.2.l.16.* 151
*Tempus præsens an detur. libro de affect. cap. 24. lin.9.* 157
*Tempus quomodo mensuret mortalia. lib. de affect. cap.15.f.2.l.29.* 151
*Tempus an causa ortus vel interitus. lib. de affec. cap.16.* 152
*Tempus quid.lib.de affect.cap.13.f.2.* 149
*Tempus duplex. lib. de affect. capitulo decimotertio,l.2.* 150
*Tempus quid ex Pythagora.lib. de affect. cap.13. lin.13.* 150
*Tempus est mensura motus, & etiam quietis. de plac.cap.20.l.40.* 42
*Et quomodo intelligatur ipsum æternum esse. ibidem.* 43
*Tempus an esset homine non existente qui salus numerat.lib.de affect.cap.14. f.2.l.42.* 150
*Tempus quo malo distinguitur ab æternitate. lib. de affect.cap.25. l.17.* 158
*Termini generationis quomodo sint contradictorij. lib.de motu,cap.7.f.2.l.10.* 163
*Termini motus dupliciter considerari.lib.1.de motu,cap.19.l.1.* 172
*Terra materiæ similis. de plac. capitulo quinto, lin.23.* 32
*Terra secundum aliquos dicitur esse principium. de plac.cap.5.l.14.* 32
*Terra apud veteres Theologos materia dicitur.lib. 1.cont.54.in dub.f.2.l.13.* 75
*Terram secundum aliquorum opiniones reuolui, non autem cælum. de plac. capitulo vigesimoquinto,l.1.* 45
*Tonitrua ad quid in nubibus gignantur. de plac. cap.25.f.2.l.34.* 44
*Totum quid,& quotuplex.libro primo,cont.4.f.2. l.23.39.& 46.* 57
*Totum communius vniuersali.libro primo, cont.4. f.2.l.45.* 57
*Idemque sensu notius. ibidem, lin. 21. cum sequent.*
*Transmutatio omnis ex contrario in contrarium est.lib.1.cont.43.in dub.l.8.* 64
*Transmutatio terminorum quadruplex.lib.1. contex.43.f.2.l.16.* 64
*Transmutatio quid significat.lib.1.cont.43.in dub. f.2.l.28.* 64
*Transmutatio quæ requirat. lib.1. cont.56. in annot.l.3.* 78
*Tria esse quæ mensurantur.libro de affect. cap.25. f.2.l.10.* 157

*Varietas*

V


Varietas quadruplex in cælo ex motu, lib. 2. Physf.tex.15.f.2.l.24. 119
Varietas causa efficientis, libro secundo, tex. 31. f.2.l.15. 131
Varietas quadruplex cœli ex lumine, libro secundo Physf.tex.15.f.2.l.29. 119
Varietates decem de ideis inter Theologos & Academicos,lib.2.f.2.l.50. 139
Variorum varia mensura.libro de affect. cap.14. f.2.l.6. 160
Veritas quibus modis nobis manifestetur, & nos cogat.libro primo, contex. 48. in annot.fac.2. lin.14. 69
Verum colligi & falsis. lib.2. Physic. cap.annot. tex.7.8.9.10.f.2.l.1. 112
Vir posterior puero generatione, natura tamen prior. lib.1.cont.2.in dub. l.51. 53
Virtutes morales quomodo ex contemplatione prodeant.cap.21.f.2.l.33.& 45. 17
Virtutes morales quot acquirantur modis.cap.21. lin.1. 18
Virtutum excellentia vnde. cap.1.l.3. 1
Virtus moralis male vti non potest.cap.22. fac.2. lin.10. 18
Visum & visibile natura priora tactu, & tangibili,origine tamen postrema. libro primo, cont.2. in dub.l.50. 53
Viuentes cur soli materiam exposcant.lib.1.Physf. tex.62.in annot.f.2.l.2. 84
Vnitas & numeri quomodo dici possint essentia rerum.de plac.cap.6.l.20. 33
Et quare secundum Pythagoram dicatur principium omnium.ibid.l.21.
Vnum numero dici quinque modis.lib.1.Physf.tex. 68.f.2.l.30. 88
Vnum numero quomodo vsurpetur. lib.1. Physic. tex.60.f.2.l.31. 81
Vnum quot modis dici possit. de plac. capitulo tertia,lin.3. 30
Vnum idem considerari posse vt finitum & infinitum.lib.2.de motu,cap.11.l.6. 181
Vniuersale sola mente percipi.lib.1.cont.5.in dub. fac.2.l.39. 58
Vniuersale dupliciter considerari. lib. 1. cont.5.in dub.l.41.& f.2.l.25. 59
Vniuersale nobis & natura prius facta abstractione. lib.1.cont.2.in dub.l.27. 54
Vniuersale quare sit sensu notius. lib.1.contex.4. f.2.l.21. & 31. 57
Et cur dicatur totum quoddam.ibid.l.45.
Vniuersale quale.libro primo,contex.3.in dub.f.2. lin.25. 55
Vniuersale est totum intelligibile. lib.1. contex.4. f.2.l.28. 57
Vniuersalia natura prima, & a sensibus remotissima.lib.1.cont.5.in dub.29. 60
Vniuersalia an sint nobis & natura priora contentis sub eo.lib.1.cont.2.in dub.in fine. 55
Vniuersalia quomodo nobis notiora, & quomodo non.lib.1.contex.5.in dub.fac.2. l.15. cum seq. 59.& l.44. 60
Vniuersalia communia significant.libro primo,contextu quarto,fac.secunda, l.19.36. 56. & l.1. cum seq. 57
Vniuersalis negatiua vni infertur ex negatione vniuersalis affirmatiua sed particularis contradictoria.lib.1.cont.2.in dub.l.28. 55
Vniuersalis affirmatiua euertitur etiam per vnum particulare.lib.1.cont.2.in dub.l.32. 55
Vniuersus corporeus Mundus in quot partes diuidatur. de plac.cap.13.l.5. 38
Vniuersum ratione notum, singulare sensu. lib. 1. cont.48.l.19. 69
Vniuersum quomodo sit immobile.de plac.capit.4. lin.40. 31
Vniuersitas duplex.lib.1.contex.50.in dub.fac.2. lin.16. 71
Vtilitas inspectricis philosophiæ triplex. capit.22. lin.4. 19
Vtilitas philosophiæ duplex. capitulo vigesimoprimo,lin.4. 17


X


Xenophanes statuit vnum esse principium. de plac.cap.2.f.2.l.13. 29


FINIS.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

Pro introductione ad Scientiam de Natura
Liber Vnus.

## *PROOEMIVM.*

*ANIMI generosi in hoc mortalium Orbe constituti, cum sint noui & peregrini, egent perito aliquo duce, à quo in Patriam dirigantur; cum sint in labyrintho humanarum controuersiarum positi, egēt tanquam filo, insigni aliqua Prudentia, ne perdantur in eis; & demum cum in amplo Naturæ & Fortunæ Mari, aduersis ventis agitato sint collocati, egent instrumentis varijs, ventos, cursus syderum, & Polum patefacientibus, vt felicius portum attingant. At longe magis in cursu Scientiarum constituti, & per latissimos Philosophiæ campos vagaturi, egent præcurrente aliqua dispositione, congruenteq́; institutione, ne pro vero sequantur falsum, pro rebus solidis amplectantur vmbras, pro luce intueantur tenebras, pro his quæ sunt, magnifaciant quæ solum apparent, & derelicta via Regia & recta, per sordidas, & obliquas progrediantur, adeo vt præclarum Sapientiæ studium, in vilem garrulitatem conuertant, & formosam Philosophiam in deformem, & perniciosam Philosogiam, quam deinde loco moralium Virtutum, deformitates variæ morum sequuntur, ob quas Philosophi nomen ex se sublime, & venerandum, redditur sæpe vile & odiosum. Ea quæ studiosos animos recte parant, & dirigunt varia profecto sunt, præsertim tamen id efficit distincta inspectio, rectaq́; cognitio primorum quorundam, & communium capitum, quæ facultate, & virtute vniuersam Philosophiam includunt; Propterea, cum ego in vberrimo & amœnissimo Philosophiæ viridario (vt mihi licuit) ætatem consumpserim, semperq́; optauerim sapientiæ studiosis quam valui opem ferre, idq́; publicis lectionibus hactenus præstiterim, primo Senis patria dilectissima per*

*Indigentia Ducis.*

*Quæ parāt studiosos animos.*

*triennium, mox Maceratæ per annum vnum, tertiò Perusiĵs per decennium, demum Patauij per annos triginta quinq; vsque ad currentem, qui a partu Virginis est millesimus quingentesimus nonagesimus quintus, ætatis autem meæ septuagesimus secundus; quia de futuro sum incertus, cupiens quibus lingua prodesse non potero, id saltem efficere calamo, Libris de Philosophia varijs, quos construxi, introductionem hanc præponendam duxi, in qua communiora nonnulla, vt valui, lucide, & distinctè explicare conatus sum, per quæ ingenui animi ad vniuersam Philosophiam, & præsertim ad eam de Natura pararentur. & dirigerentur; nam eis exploratissimum esse cupio, quod quamuis ingenio, & doctrina omnibus cedam; qui se mihi præferre optant, desiderio tamen studiosæ iuuentuti satisfaciendi, nemini vnquam fui secundus. Communia autem quorum prænotionem apprime necessariam duxi, partim attinent ad Scientiarum indagatores, partim ad Scientias, partim ad instrumenta; ad indagatores pertinent, vt pateant eorum conditiones; ad Scientias addiscendas, vt constent earum partes, quid sint, & in quo versentur; ad instrumenta demum, vt cum ordo, tum seruanda methodus nota sit. Propterea ego de his omnibus, vt meo instituto inseruiunt, fauente Deo, conabor verba facere.*

Communia declaranda

---

## *Quæ sint Iuuenis Sapientiæ studiosi partes.* *Cap. I.*

IN celeberrima Lacedemoniorum Repub. Lege sancitum legitur, vt singuli id vitæ genus ducerent, eique disciplinæ nauarent operam, ad quam per naturam essent faciles & procliues: inde eueniebat, vt mox quilibet in suo genere præstaret, & refulgeret: nil enim sublime attingi potest inuita Minerua, & vt fertur, non ex lapide quouis fit Mercurius. Legem hanc in sexto de Rep. conspicue approbauit Plato, & propterea conditiones accuratissime retulit, quæ pro formando Iuuene Sapientiæ studioso requiruntur. Id ipsum fecit Aristoteles in septimo de Rep. cap. 13. dum tria esse asseruit, quibus Iuuenes redderentur probi, nimirum Naturam, Morem, & Rationem; Naturam prætulit tanquam fundamentum & semen cæterorum, sic Natura nos docet Vitem non cuilibet arbori, sed Vlmo iungendam esse. Quicunque igitur Philosophiæ muneri diuino, prospere operam nauare cupit, tenetur ad eam esse per naturam facilis, & idoneus, adeo vt memoria valeat, iudicio fulgeat, mentis acumine præstet, & constanti quadam contemplandi facultate sit præditus, ne eius ingenium sit arida arena, sed solum fœcundum; nec debet animi perturbationibus, tanquam aduersis ventis ita agitari, vt per eas, messes ingenij disperdantur. Iuuenis huiusmodi conditionibus insignitus, vniuersam Sapientiam magnifacit & colit, ac inde oritur desiderium flagrans Sapientiæ, quod desiderium comitatur cura, studium, & diligentia eam assequendi, adeo vt mox ratione, & more excolatur ingenium, & semina eius ad frugem optimam deducantur. Pro quo cultu recte dirigendo tenemur nobis

Nil inuita Minerua, Plato.

Tria per quæ Iuuenes recte formantur.

bis primo finem tanquam ſcopum proponere, ne inconſtanter laboremus, & finem illum niti debemus ſublimem conſtituere, eximiaque perfectione prçditum, vt pro viribus ad eum eleuemur, ſententiam hanc frequenter animo reuoluentes, in qua-libet diſciplina mediocriter ea ornatos eſſe quidem plurimos, at inutiles, & nullius pretij: ſublimes vero paucos, & eos ſolos eſſe vtiles, eximiaque admiratione, & fa-ma dignos. Vt autem optatum finem ad votum aſſequamur, tenemur Duces no-bis peritos, & idoneos ſeligere, veluti Lectores, qui ſimul ſciant, velint, & valeant recte ducere, & inſtituere, eorumq; conſilio nobis parare aptiores libros. Lectores autem, quos idoneos eſſe nouerimus, tenemur tanquam Parentes magnifacere, & honorare; ita enim attentius eos audiemus, & conſtantius eorum ſententias, & prç-cepta memoria ſeruabimus; nil enim Iuueni obijci poteſt, quod conditioni animi ſtudioſi magis aduerſetur, quàm quod lectiones turbet, vel eas oſcitanter audiat.

*Finis vt ſcopus proponendus.*

*Quærenda eſt excellentia*

*Duces ſeligendi.*

Cura autem & diligentia eius refulgebit, dum quç audit, vel legit, animo reuoluet, reuoluendo perpendet, mox quç digna iudicabit memoria, in libro ad hoc parato ſcribat, & ſcribendo nitatur ad prima quçdam & communia capita cuncta redigere, adeo vt mox progreſſu temporis de re aliqua verba facturi, ad caput eius conuerſi, cuncta inueniant, quç ſcitu digna in toto ſtudiorum ſuorum curſu legerunt, audiue-runt, meditati ſunt; & id erit ſtudiorum noſtrorum theſaurus, & penu; nec ſoliciti eſſe debemus de copia, & multitudine interpretum, pauci & potiores ſunt accurate legendi, & prçſertim verba & contextus principalis authoris ſunt diligenter conſide-randi, vt veriorem ſententiam ex eis eliciamus: quod cum fecerimus, tenemur tan-quam Theſes, concluſiones principales elicere, eaſque in ordinem redigere, vt fir-mius eas memoria ſeruemus: Et præſertim in tribus accurati eſſe tenemur, nimirum in rerum definitionibus, regulis, & diſtinctionibus; hi enim ſunt nerui, & ſpiritus v-niuerſæ noſtræ ſcientiæ; & accurati eſſe tenemur in rebus ſerijs, non inanibus, de na-tura rerum, non de nominibus; nec ſimul varijs in oppoſita animum diſtrahentibus debemus operam nauare, ne cupientes multa agere, nihil agamus; nam vt recte e-nunciauit Seneca, Lectio varia delectat, certa prodeſt. Hoc præſertim ab interprete noſtrorumq; ſtudiorum duce repetere debemus, vt nobis viam pateſaciat, modum-que oſtendat exacte contextus, verba, & ſententias Philoſophi perpendendi, & con-ſiderandi; nam magis auditorem inſtituit accurata explicatio vnius contextus, quàm multorum per quçdam communia leuis percurſio: Mens enim ardua inda-gando, redditur ad cætera acutior, & ſolertior: Nec optare debent ſtudioſi Iuuenes omnia ab alio addiſcere, ſat eſt vt a viris ſapientia illuſtribus modum perpendendi contextus, & reſolutiones principalium difficultatum eliciant, mox autem proprio ſtudio, & diligentia niti debent, ex ſelectioribus libris ſententias eruere, in eiſque ingenium exercere, vt Mentis aciem ita parent, vt ex ſe valeant deinde in rerum contemplatione verſari, & proprio Marte in ſublimem Sapientiæ montem eleuari: Ideo mirum in modum ſtudioſis animis hoc eſſe vtile experientia noui, vt receptis Philoſophiæ principijs, quamuis publicos, vel priuatos interpretes audiant, ſemper tamen librum aliquem ſibi præſcribant, quem ipſi tanquam lectionem propriam ſin-gulis diebus accurate perlegant, & ex ea, proprio ingenio obſtruſas ſententias nitan-tur elicere; ita enim exacte ingenium exercebunt, nec ſemper alijs, ſed ſibimet, ſuæ-que rationi valebunt fidem adhibere, quod cum faciunt, accurate conſiderare tenen-tur, quo loci proferantur ſententiæ, an proprio, vel alieno, an tanquam firmæ & o-ſtenſæ enuncientur, vel vt ſæpe fit in libris Problematum, probabiliter & populari-ter: inſuper num proferantur ex ſententia propria, vel alterius; an dum ambigitur, vel potius, dum diluitur dubitatio. Inſuper cupientibus Sapientiæ habitu animum exornare, mirum in modum vtile iudico in attinentibus ad eam ingenium exerce-re; quod non ita faciendum puto, vt cum primum extremis labijs illam deguſtaue-rimus, incipiamus Theſes proponere, de illis acriter diſputare, contextuſque inter-

*Cura vnde refulgeat.*

*In tribus tenemur eſſe accurati.*

*Seneca.*

*Exercitatio*

pretari: ita enim sine alis nitemur per aerem eleuati: parandæ primo sunt pennæ, mox eis vtendum. Vtile itaque primo est, vt Iuuenis in eis referendis exerceatur quæ legit, vel audit; ita paratur & disponitur ingenium: quo fundamento iacto, iam incipere poterit exerceri in legendis lectionibus, & disputationibus, idque efficere debet coram perito aliquo Philosopho, a quo dirigi & corrigi valeat, ne perperam se exercens, deprauatum contrahat habitum, & pro celebri Philosopho, euadat insamis Sophista. Niti etiam pro facultate debet se talem præbere, vt a probis omnibus diligatur, intrinsecus tamen, & familiariter paucis vtatur, & illis quidem, qui probitate, & desiderio sapientiæ fulgeant, vt studia perficiant, non peruertant. Cauendum insuper summopere est, ne vacationes a studijs tam longæ & frequentes sint, vt quantum studio acquiritur, tantum per eas deperdatur: qui enim id faciunt, nil proficiunt, sed Penelopis more, quantum pertexunt, tantum dissoluunt. Insuper, quoniam Plato, & Aristot. humanæ sapientiæ sunt vberrimi fontes, & consensu nostrorum maiorum cæteris præstant, ideo tenentur Sapientiæ studiosi ambos magnifacere, neminem despicere; ita tamen vt nobis suadeamus, Scientiarum gradus, & ordines, ex Aristotele esse hauriendos; mox vero ex Platone eliciendos esse spiritus, & ornamenta quædam, per quæ contracti Scientiarum habitus, viuidiores, splendidioresque reddantur. Et quoniam ambo fuerunt homines, & vt tales errare valuerunt, propterea quicunque Sapientiæ absolute, non eius, quæ ab Aristotele, vel a Platone tradita est, studiosum se reddere cupit, omnes eorum declinationes, & a recto calle recessus, ad regulam superarum reuelationum, diuinorumq; dogmarum dirigere & corrigere tenetur, ne Sapientia nostra sit stultitia, animi ornamenta sint detrimenta, & medela nostrarum appetitionum, sit venenum, & pernicies animorum. Iuuenis itaque Sapientiæ studiosus ille est, qui, cum per Naturam ad Sapientię studium sit facilis & procliuis, Sapientiam colit, & appetit, ac per congruentia media ad rationem, & morem attinentia, ad eam accuratissime properat.

*Definitio.*

## *Diuisio Disciplinarum.* *Cap. II.*

QVONIAM Philosophia Naturalis, in qua versari debemus, est disciplina, & disciplinarum genus est multiplex, propterea, vt lucidior pars reddatur, ab vniuersę disciplinę distinctione iure optimo ordiri tenemur. Disciplina omnis vel diuinitus reuelata est, vel humano ingenio formata, vel ex vtrisque mixta. Diuinitus reuelata est sacra Theologia, quæ ex veteri & nouo elicitur Testamento, verbo Dei est patefacta, & Prophetarum testimonio confirmata, ad quam, tanquam ad regulam exactissimam, nunquam, & nusquam a recto flectentem, dirigenda, & corrigenda sunt humana inuenta, si verę sapientię, non leuium opinionum cupimus esse propugnatores: nam proprius huius partis auctor Deus est, qui est ipsa veritas, ab omni deceptione immunis; de qua parte id confidenter enunciare valemus, quod sit maior toto, cum eminenter omnem cęterarum partium perfectionem includat. Disciplina mixta ea est, quę Theologia scolastica nuncupatur, in qua multa leguntur humana cogitatione inuenta, multa insuper ex Prophetis, ex sacris eloquijs, Sanctorumque testimonijs deprōpta; & cum sit mixta potior eius pars, & tanquam fulgor, & regula, ea iudicari debet, quę diuina est, in quam cęterarum sit resolutio. Verum his silentio decursis, quæ nostro instituto non inseruiunt, de tertia agamus, quæ Virorum sapientum ingenio inuenta, formataque est. Disciplina humano ingenio formata duplex est, vna Organica, altera principalis, & domina; quæ diuisio cum ratione, tum authoritate confirmatur. Ratione primo, quia disciplina omnis, ne sit inanis, ob finem aliquem parata est; finis vel solum gratia alterius optatur, & consurgit di-

*Diuisio disciplina.*

*Disciplina diuinitus reuelata*

*Disciplina mixta.*

*Disciplina humana.*

ſciplina Organica, vel niſi penitus, ſaltem aliqua ex parte optatur gratia ſui, & eſt diſciplina principalis. Id ipſum confirmatur ratione, nam Ariſtoteles in primo Topicorum genera problematum numerans, & Organica & Principalia numerauit. Auerroes illum ſequens in 1. cap. primi libri paraphr. Metaphyſicę diſciplinas in organicas & principales diuiſit. Diſciplinarum itaque nonnullę inſtrumenta parant, alię ſunt principales: vt pateat numerus, ratio numeri, & ordo organicarum præaccipiendum eſt, rationem ſuperam, cuius miniſtra eſt natura in formando homine id præſertim inſpexiſſe, vt illum ad diſciplinas redderet aptiſſimum. Hinc duo ſubordinata principia ei largita eſt, nempe facultatem ratiocinandi, & loquendi; quarum prima pro diſciplinarum inuentione; altera pro earum cum alijs communicatione inſeruiret: & quoniam Ars Naturam format & perficit, & quæcũq; a nobis fiunt per Artem, & Naturam ſimul, longe melius ita fiunt, quàm per Naturam tantum, vt enunciauit Ariſtoteles in principio primi Rhetoricorum, ideo diſciplinę omnes organicę, in recte formando alterq eorum, vel vtriſque ſimul verſantur. Valent autem diſciplinę organicę in eis tribus modis verſari; nam vel verſantur in ſola oratione, vt Grammatica, vel in ſola ratiocinandi facultate, vt Logica, dicta a nomine λόγος, potius vt rationem, quam vt orationem ſignificat, ad quam pertinent Ars demonſtrandi, Ars conficiendi ſyllogiſmum Dialecticum, nec non Sophiſticum, quæ dicuntur partes Logicę, dum conſiderantur, vt verſantur in ſpeciebus argumentandi, & regulas tradunt ad eas pertinentes; Vel tertio ratiocinandi formis aliquid addunt; valent autem eis ſuperaddere vel eloquentiam vt ratione efficacius populo ſuadeamus quid agendum, vitandumve ſit, & oritur Rhetorica, quæ quamuis ab eloquentia nomen receperit, vt Cicero de Oratore affirmat, ex rationibus tamen, ſuadendiq; modis, potius quàm ex orationis ſplendore & apparatu, naturam & vim ſortitur, vt in primo Rhetoricorum monuit Ariſtoteles. Secundo diſciplina valet rationi addere numerum, fabulas, imitationes comicas, vel tragicas, vt delectando proſit, & oritur Poetica. Et quoniam Logici officiũ eſt rationem Arte formare, ideo illę omnes diſciplinę, quæ in formanda ratione verſantur, poſſunt communi nomine Logicę nuncupari, quod ſeruauit Auerroes in magnis commẽtarijs primi Poſt. cõm. primo, nec non in Epitho. Logicis, inquiens, quinq; eſſe Artes Logicas, Oſtenſiuam, Dialecticam, Sophiſticam, Rhetoricam, & Poeticam; harum tres primę, & præſertim Ars demonſtrandi, nomen Logicę magis proprie ſibi aſciſcunt, & Græci eas ſolas nomine Logicę denotarunt: poſtremę vero minus proprie; Grammatica nõ meretur dici Logica, quoniam in ſola oratione verſatur. Vt igitur duo præſertim humanę conditioni competunt, per quæ eſt capax diſciplinarum, ita duo ſunt organicarum diſciplinarum genera, ea duo recte formantia, Grammatica ſcilicet, & Logica. Eſt itaque diſciplina Organica, Ars ingenua, quæ in recte formanda oratione, vel ratione, vel vtriſque verſatur, ſolerti ingenio formata, vt diſciplinas principales rectius & citius apprehenderemus, & apprehenſas cum alijs communicaremus.

*Auerr.* — *Duo inſtrumenti loco nobis tributa.* — *Grãmatica* — *Ars demõſtrandi.* — *Dialectica.* — *Sophiſtica.* — *Rhetorica.* — *Poetica* — *Ariſtoteles* — *Definitio.*

## *Diuiſio Diſciplinarum principalium.* *Cap. III.*

DISCIPLINIS Organicis ex aduerſo ſtatuebãtur diſciplinę Principales, quæ ex ſe optabiles ſunt, & diuiduntur; vel enim de ſola rerum cognitione ſunt ſolicitę, & dicuntur Theoricę, ſiue inſpectrices; vel cognitionem ad operandum dirigunt, & operantes nuncupantur; & propterea Mens quoque in operantem, & contemplantem diſtribuitur. Ratio diſtinctionis eſt, quia habitus ex fine conditionem propriam eliciunt, vt patet ex tertio de Anima 49. Fines autẽ habituum alij eſſe non poſſunt præter cognitionem, & operationem. Inſuper id ipſum confirmatur ratione ſumpta ex rebus, in quibus

*Diuiſio in indicantes & operantes.*

disciplinæ versantur: vel.n.sunt res, quæ secus se habere nequeũt, & nostræ contẽplationi subijciuntur; vel sunt res varietati obnoxiæ, & modo aliquo in nostra facultate positæ, & pertinent ad operationem. *Plato* Hinc Plato in ' ' . de Regno, disciplinas diuidens dixit, vnam esse operantem, alteram solum cognoscentem: & Ar'sto. in proœmio Metaphysicæ, *Aristo.* & in calce secundi Posterio. asseruit vniuersalia, quæ vel inductione, vel experientia ex singularibus eliciuntur, vel ad contemplandum, vel ad operandum dirigere. *Diuisio operantis.* Insuper disciplina ad operandum dirigens in agentem, & efficientem diuiditur, vt patet ex sexto Moralium Nicom. cap. 4. & 5. nec non ex primo de Rep. quibus in locis actio ab effectione secernitur. Ex his distinctionibus prodeunt tria principalium disciplinarum capita, vnum quod contemplandi, alterũ quod agendi, tertium quod efficiendi principium est: *Aristo.* hinc Arist. in 6. Metaph. cont. 1. omnem rationis habitum in eos tres redegit: cum.n. in sexto Mora. Nicom. quinque numerentur principales rationis habitus, sciẽtia, sapientia, & intelligẽtia ad cõtẽplationem pertinent, Prudentia ad actionẽ, Ars ad effectionẽ. *Disciplina Ciuilis.* Disciplina quæ in actione versatur, cõstituit partẽ illam Philosophię quæ Ciuilis dr, & in partẽ de Moribus, de Repub. & de cura familiari distribuitur, de quibus in cursu decem Ciuilium graduum satis exacte verba feci. Hãc Ciuilem Philosophiam cumulatius in plura membra distinxit Philosophus in sexto Moralium Nicom. c. 8. inquiens, Ciuilem sciẽtiã, quæ a Prudẽtia sola ratione distinguitur vel esse vnius erga se, & dicitur sciẽtia de moribus, qua homo congruenter internas animi affectiones componit; vel respicere alios, quam adhuc duplicem affirmat, vnam Domesticam, alteram Publicam: Quæ insuper diuiditur; vel enim est Regia & Princeps, & dicitur scientia ferẽdarũ Legũ, vel proximè in singulis actionib. Reipublicæ versatur, & nũcupatur populari voce Ciuilis; Quamuis enim re vera ea mereatur dici Ciuilis, quæ est ratio ferendarum Legum, accidit tamen (ob multitudinis inscitiam) vt illi soli iudicentur ciuiles, qui in actionibus, iudicijsque singulis versantur, non secus ac illi soli vulgo iudicãtur Artifices, qui manibus opus efficiunt, cum tamen habitus Artis in præcipiente & dirigente sit collocatus. Insuper hęc in singulis occupata Prudentia adhuc est duplex, vel enim in consultatione, & deliberatione versatur, & dicitur consultrix, cui omne Ciuilium actionum genus subijcitur, vel est iudicans, cuius officium est de singulis actionibus iudicium tradere, an sint consentaneæ Legibus, ac insuper pęnas, & præmia decernere, quam partem Plato in libro de Regno pedissequam & famulam Ciuilis scientiæ appellauit. In has partes diuisit Aristoteles Ciuilem scientiam, præter quas inueniuntur disciplinæ nonnullæ, quæ quamuis non sint Partes prudentiæ, & Ciuilis scientiæ, nectuntur tamen cum ea, vel quia materiem ex ea recipiunt, vel quia ab ea diriguntur, eique inseruiunt. *Rhetorica. Ars militaris Poetica Historia* Huiusmodi est Rhetorica, Militaris disciplina, Poetica, & Historia. Ideo Aristoteles in primo Moralium Nicom. cap. 2. inquit, Rhetoricam, Artemq; militarem, ad Ciuilem pertinere, quod ẽt affirmauit Plato in lib. de Regno, in Gorgia, & Sophista. Nam Rhetorica ex Logica constat, & ex ea Ciuili disciplina, quæ est de Moribus, vt in primo Rhetor. testatur Aristoteles, adeo vt sit disciplina Logica Morali inseruiens, cum eaque iuncta. Historia quoque proprie sumpta, seruat & refert actiones Ciuiles, eximiamque Prudentiæ fert opem: similiter Poetica cum hominum imitetur actiones, & delectando cupiat instituere, & recte componere spectantium & audientium animos & affectiones, cum Ciuili scientia iuncta est. Hæ relatæ disciplinæ in actione Ciuili, tanquam in propria materie versantur, quæ si nõnunquam extenduntur ad alia, putandum est tunc versari in materia aliena, ideo Plato in Alcib. primo inquit. Homeri Poemata omnia esse de Iusti & Iniusti discrimine, & Aristoteles in sua Poetica asseruit, sermones Socratis magis esse Poeticos, quam carmina Empedoclis, quæ erant de rebus Physicis: id ipsum dicere debemus de carminibus Lucretij. Quod si Plato in Phedro dixit Rhetorem in omnibus

nibus versari, intelligendum est vel versari in omnibus, vt cõnectuntur cum humanis actionibus, vel non tanquam in propria materie, veluti etiam libri de Historia Animalium, & Plãtarum in propria historiæ materia nõ versantur, vel non sunt historici, nisi vsurpetur historiæ nomen late, quod apud Græcos etiam ad scientias extenditur, vt in procemio libri de Anima scientia de anima nuncupatur Historia: & in principio tertij de Cœlo vniuersa Naturalis scientia, nomine Historiæ denotatur: demum disciplina quoq; Militaris cum ciuili connectitur, quia finis Militiæ est Pax, & salus Reip. & Præfecti exercituum a Principe Reipu. authoritatem recipiũt, & sunt tanquam Magistratus quidam Reipub. Et de disciplina ciuili hactenus, cuius definitionem in introductione ad Ciuilem scientiam hãc esse dixi, Ciuilis scientia est Philosophia humanas actiones componens, ex naturæ interna commotione sapientisque animi fœcunditate orta, vt in omni vitæ gradu honestum assequamur, summoque Ciuili bono pro facultate fruamur. *Definitio Ciuilis.* Altera disciplina ad operandum dirigens in effectione versatur, intra cuius limites Artes omnes includuntur: Ars enim omnis est recta ratio effectibilium; occasionem inueniendi Artes præbuit humana indigentia; finis earum est vtile; eam formant ratio & experientia. Ars itaque est disciplina ex hominis indigentia occasionem suscipiens ratione & experientia formata, ad ea efficienda dirigens, quæ hominum vitæ vtilitatem præbent. *Definitio Artis.* Artes ab Aristotele 9. Metaph. contex. 3. nuncupantur facultates, & tales dicuntur nedum quia per eas ad aliquid efficiendum facultate reddimur præditi; verum insuper quia per eas frequenter vtrunque oppositum sumus apti efficere. Artium variæ circunferuntur diuisiones, variaque de illis dicuntur, quæ cum in scientia Ciuili a me explicata sint, nunc missa fiunt.

## *De Disciplinis ad contemplationem attinentibus* Cap. IIII.

RETVLI in præcedentibus disciplinarum capita, quæ ad agendum & efficiendum nos dirigunt; sequitur vt de illis agamus, quæ cum sint principia contemplandi, magis instituto nostro inseruiunt. Disciplinæ contemplationi dicatæ vel sunt communes, vel propriæ; communes dicuntur illæ, quæ per vniuersam eius, quod est, latitudinem vagantur, & ab Aristotele in 4. Metaph. contex. 5. tres statuuntur, Metaphysica, Dialectica, & Sophistica; prima parit scientiam, secunda opinionem, tertia decipiendo vmbram sapientiæ ostentat. *Disciplina inspectrix Communis.* Et considerandum, quòd quamuis tres relatæ disciplinæ in eodem versentur, Metaphysica tamen dicitur esse definiti generis, non autem Dialectica, & Sophistica; ratio assignatur ab Auerroe in magnis commentarijs primi Post. com. 81. afferente id accidere, quia Metaphysicus cõtrahit ens per definitum considerandi modum: nam id solum considerat vt est, quod non faciunt Dialecticus, & Sophista, qui in eo versantur, quouis modo consideratò: hinc liberè vagari dicuntur per omnes scientias, & de quauis re quouis modo considerata formant rationes suas; *Metaphysica est definiti generis.* ratio varietatis est, quia Metaphysica est scientia, quæ ex solum iunctis per se elicit rationes, & ideo vt seruetur distincta ab alijs scientijs, quæ similiter ex per se iunctis principia eliciunt, exposcit definitum modum considerandi, secundum quem definiat, & demonstret. Dialecticus autem, & Sophista non ex per se iunctis, sed solum ex probabilibus, & his quæ apparent ex communibus quibusdam regulis, & sedibus elicitis, rationes formant, ideo non exposcunt in re, in qua versantur, definitum modum considerandi, sed solum loco modi considerandi id habent, vt versentur in omni eo, quod est, quatenus probabilitatem aliquam, vel apparens verum includit; per quem modum distinguuntur a modo considerandi sciẽtiali, non autem ab alio modo probabili, vel apparente. *Quid pro modo cõsiderãdi competat Dialectico, et Sophistæ* Miro tamen quodam necessitudinis nodo Dialectica & Metaphysica connectuntur; nam ambæ hæ

di

disciplinæ liberæ sunt, per omnia vagantur, eleuantur vsque ad prima, & de veritate etiam primorum principiorum disserere valent, & præsertim quia Metaphysica versatur in altissimis, de quibus frequenter cum ob difficultatem ostensiones forma re non valeamus, loco earum vtimur rationibus Dialecticis: hinc Arist. in primo Topico. ait, dari problemata Dialectica ob difficultatem: dum enim principijs necessarijs & per se caremus, vtimur Dialecticis: & Auer. ait, plurima in Metaphysica fuisse dialectice tradita: Plato etiam & eum sequens Plotinus in lib. de Virtutibus, Dialecticam nuncupant apicem scientiarum, denotantes nomine Dialecticæ, liberum illum, sublimem, & absolutum considerandi modum, competentem Metaphysico per modum sapientiæ, & scientiæ; Dialectico vero per probabilia: non enim Dialectica apud Platonem est Metaphysica apud Arist. vt nõnulli putarunt, sed solũ in parte in idem veniunt, nimirum vt libere per communia circa omnia vagentur, consideratio tamen substantiarum separatarum, quæ apud Arist. præsertim constituit Metaphysicam, apud Platonem non Dialectica, sed Theologia diceretur. Nam Dialectica eleuatur ad prima quinque cõmunia genera constituta a Plat. quæ sunt essentia, motus, status, identitas, alteritas, & ob id dicitur apex scientiarum; non autem eleuatur ad Ideas attinentes ad Intelligentiam, nec dicitur Intelligentiæ apex. Altera ex parte disciplinæ Principales inspectrices & propriç, quæ in parte eius quod est versantur, duæ sunt, Mathematica, & Physica, vt sub initio quarti & sexti Metaphysicæ testatur Philosophus: hinc iure in sexto Metaphysicæ cont. 2. asseritur tres eẽ inspectricis Philosophiæ partes, Metaphysicã, Physicã, & Mathematicã, quib. plures dari nequeunt: hinc Auer. in Paraphr. Metaphysicæ lib. primo c. 1. diuisionẽ Inspectricis Philosophiç in eas tres partes asseruit esse aliquid necessariũ, & iure; nam per eas tres partes omnia, quæ sunt modo quouis scientiam includente considerantur, explicantur seiuncta a materia, coniuncta secundum esse, & considerationem, & coniuncta secundum esse, cogitatione vero seiuncta, adeo vt cum extreme, tum media explicentur, quæ se habent tanquam principium, medium, & finis vniuersç nostræ contemplationis. Asseruit Auer. in primo Metaphysicæ 47. quod si darentur Ideæ Platonis, daretur quartũ genus inspectricis Philosophiæ, quæ sententia approbanda nõ est; quoniam si darentur Ideæ, ad Metaphysicum attinerent: sunt enim a materia solutæ, & eædem cum essentia Diuinæ mentis, quæ ad Metaphysicũ pertinent: & confirmatur per Arist. in 1. cont. sexti Methaphysicæ, dicentem eiusdem rationis esse, si est, & quid est manifestum facere; at Arist. in prima Philosophia cõsiderat an sint, quare ad eã pertinet cõsiderare quid sint: Metaphysica in plures disciplinas distinctas non subdiuiditur, sed solũ secatur in partes; quã vniuersam tradidit Philosophus in quatuordecim libris, quos & post Physica, & de prima Philosophia & de Philosophia absolute, & Sapientiam, & Theologiam, & Methodum de primo principio, & Scientiam de omni quod est, & scientiam præditam Intelligentia tanquam capite nuncupauit, de quorum diuisione & ordine non est modo agendum.

*Auer.* *Plato.* *Plotinus.* *Error quorũdam* *Disciplinæ inspectrices particulares.* *Error Auer.*

## *Diuisio Mathematicarum.* Cap. V.

VERSANTVR Mathematicæ scientiæ in quanti consideratione, vt quantum est: & quoniam quantum est duplex, vnum continuum, alterum discretum, ideo duæ sunt primæ & puræ Mathematicæ. Geometria, quæ in quanto continuo versatur, & Arithmetica, quæ in discreto. Est tamen nõ leuis dubitatio an detur scientia Mathematica, communis & vna, quæ communia consideret quantitati continuæ & discretæ. Auer. in primo Post. 74. id negat: nõ enim putat dari vnum commune genus quantitatis, quod valeat esse subiectum vnum scientiæ; & confirmatur, quia quantitatis continuæ, & discre-

*An detur Mathematica cõmunis.* *Auer.*

discretæ distincta sunt principia, vnius puncta, alterius vnitates, insuper distinctę sunt affectiones, vt par & impar, numerorum; rectum & curuum continuorum; continuum est aptum diuidi in infinitum; non aũt numerus. Ex aduerso apparet debere dari, tum quia quantitas est genus vnum, nisi vniuocum, saltem ab vno, quod valet esse subiectum scientiæ, vt asseritur sub initio quarti Metaphysicæ; tum quia nisi daretur Mathematica cõmunis, ea nõ vnũ, sed duos pareret Philosophiæ gradus; tum insuper quia Geometrica resoluuntur in Arithmetica, vt in simpliciora, adeo vt varia primo competant numeris, mox quantitatibus continuis; tum demum quia multa vtrique quantitati sunt communia, vt si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia; & Quæ æquantur vni tertio, æquantur adinuicem: & ambæ partes Mathematicæ versantur in eo, quod per se est mensurabile, per se est aptum diuidi; hinc Euclides varia docuit in suis libris attinẽtia & ad Geometriã, & ad Arithmeticã. Propterea respõdẽs difficultati dico, nõ dari Mathematicã cõem distinctã a Geometria & Arithmetica, quia cõmune ab uno nõ est natura vna in omnibus sub se cõtentis eadem, ideo eius non datur scientia vna distincta a scientia cõtentorum, vt non datur scientia de ente distincta a scientia de substantia & accidente, & præsertim quia communia quantitati continuæ & discretæ sunt adeo pauca, vt minime expediat ea seorsum cõsiderare. Dicere tñ debemus Mathematicam vniuersam esse scientiam vnam communem vnitate ab vno, non vniuoce; nãm vt quantum qua tenus sub scientiam cadit, est genus ab vno; ita constituit vnum genus scientiæ vnitate ab vno: loquendo autem de his, quæ sunt ab vno, quoniam non sunt natura vna in omnibus eadem; ideo scientia contentorum dicitur scientia eius communis, & affectiones, nec non principia; primo competunt contentis, quæ omnia sunt prędita vno communi modo considerandi: cuncta enim considerãtur vt quanta sunt; vt igitur modus considerandi est vnus & communis vnitate ab vno, ita Mathematica est scientia vna; per modum enim considerandi, scientiæ distinguuntur & connectuntur. Dum Auerroes negat dari vnam communem Mathematicam, id solum est verum, quia non datur vna vniuoce; datur tamen vna vnitate ab vno, vt ostensum est; quæ communis Mathematica consurgit ex notitia partium quantitatis, vt omne quod est ab vno, distincte noscitur per notitiam contentorum sub eo. Ex quo patet cur Mathematica genus vnum Philosophiæ constituat, non duos; est enim genus vnum vnitate ab vno, & diuiditur in Arithmeticam & Geometriam, vt quantum in discretum & continuum. Arithmetica prior & simplicior est: considerat enim numerum numerãtem, cuius principium est vnitas, quæ est simplicior puncto principio Geometriæ: nam punctum dicitur vnum, non vice versa. Sub Arithmetica ponitur Musica considerans numerum iunctum sono, quæ ab Arithmetica recipit principia. Musicæ variæ dantur distinctiones: Nam diuiditur ab Aristotele in primo Post. in Musicam Mathematicam, quæ consonantiarum rationes cognoscit, & vere est Musica, & in Musicam, quæ in auditu consistit, cuius generis Musici multi sunt, qui canunt & instrumentis Musicis cum harmonia vtuntur, at harmoniæ rationem ignorant. Insuper diuiditur ab Arist. in 8. de Rep. cap. 7. diuisione sumpta ex fine, vel enim conducit pro morum compositione, vel pro actione, siue requiete ab ea, vel pro excitanda aliqua affectione: vtimur enim Musica vel pro disciplina, vel pro delectatione, vel pro animi purgatione. Accommodatius adhuc diuiditur Musica in Metricam, Harmonicam, & Rhythmum; Metrica versatur in voce dearticulata, vt longa vel breuis est, ad quam pertinent Poematum nuncupati pedes; ac insuper consonantia partium orationis: hinc Rhetor, & Poeta non obscuram ex Musica recipiunt vtilitatem, adeo vt Plato in Gorgia dixerit, Poesim sine concentu & numeris nil esse præter sermonem Popularem. Musica autem harmonica est ratio sonorum in acuto & graui, quam concentum appellãt, Rhythmus siue numerus est ratio & ordo in tempore & motu, quem in saltu consideramus: ex conne-

*Solut.* *Arithmetica.* *Musicæ diuisio.* *Plato.*

connexione autem Harmoniæ & Rhythmi consurgit Chorea, vt Plato in secundo de Legibus manifestat, & hæc de Arithmetica. Ex aduerso Geometria in quanto continuo versatur; de qua primo animaduertendum est quod minus proprie nuncupatur Geometria; nam id nomen Terræ mensuram denotat, ideo Plato in appendice Legum dixit disciplinam hanc ridicule nuncupatam fuisse Geometriam ab illis qui obiter in ea versati sunt, non enim mensuram Terræ considerat, sed quantum continuum seiungit ab omni materia sensibili. Geometriæ arcto quodam nodo iuncta est Stereometria. Nam Geometra Lineas, & plana considerat, Stereometra vero solida, & vt ea sunt principia solidi, hoc est corporis Mathematici: ita Geometria est tanquam principium Stereometriæ, eique principia tradit, nec propterea putandum est, vel Stereometriam subalternari Geometriæ, vel esse Mathematicam non puram, sed mediam: nam pure Mathematica est, cum penitus seiungat a materia sensibili, & non subalternatur Geometriæ, quia non considerat rem eandem cum aliqua contractione, sed distinctam: solum dici debent subordinatæ disciplinæ, & propterea frequenter communi Geometriæ nomine ambæ denotãtur, vt dum Mathematicæ in Arithmeticam & Geometriam diuiduntur. At cum re vera distinguantur & varia considerent, ideo iure Aristoteles in primo Poster. asseruit non esse officiũ Geometræ ostendere quomodo ex duobus corporibus cubis tertiũ constituatur; id enim ad Stereometram pertinet: nam eo loci (vt puto) Aristot. suo more in Platonem inuehitur, qui Atheniensibus petentibus quomodo Ara duplaretur, quod eis præcepit Apollo, respondit Plato Deum eos carpsisse tanquàm ignaros Geometriæ: Aristoteles autem eum damnans inquit non Geometræ, sed Stereometræ id esse officium, cum Ara cuba sit solidum quoddam, posset tamen Plato defendi, tum quia frequenter nomine Geometræ Stereometra etiam denotatur, tum insuper quia id fit per principia a Geometra desumpta. Puto ego tamen præceptum Apollinis non recte a Platone, & Aristotele fuisse explicatum; indicauit. n. Appollo id præcipiens pro arcenda peste, duplandam esse Aram, hoc est preces & sacrificia, nam pro vitanda peste, quæ est morbus popularis, ex communi causa pendens, vnicum remedium hoc est, duplare Aram, hoc est confugere ad Deum, sacrificia duplare, ab eoque auxilium petere, cum vires Artis medendi appareant inanes, vt conspicue sumus experti in ea perniciossima peste, qua anno 1576. Venetias, & Patauium excruciauit: Demum considerandum est tempore Socratis & Platonis, Stereometriam non dum fuisse cũctis suis numeris absolutam, vt affirmat Plato in 7. de Repub. idque ait ex duplici caussa contigisse, primo quia negligebatur, & in Vrbibus nullius precij iudicabatur, secũdo ob difficultatem eius: at timeo ne cursu temporis potius detrimentum, quam incrementum sumpserit; Quemadmodum Arithmetica Musicam parit; ita Geometria, & Stereometia varias sub se continent disciplinas, tamquam ex illis editas, quæ mediare dicuntur inter Mathematicas puras & Physicam; veluti perspectiua & scientia quædam de Iride Geometriæ subijciuntur, nec nõ quæstiones Mechanicæ variæ, Stereometriæ autem subijcitur Astronomia, Cosmographia, Geographia, Chorographia, Topographia & similes: Hæ nuncupantur disciplinæ mediæ, nã mediant inter Mathematicas puras & Physicam: absolute tamen nuncupantur Mathematicæ, cum vtantur principijs Mathematicis & seruent cõmunem modum considerandi earum, cuncta enim considerãt vt quanta: facta tamen comparatione inter Mathematicas puras, & has, magis ad Physicam accedere dicuntur, quam Mathematicæ puræ, vt in secundo Phys. docuit Arist. Hæ Mathematicæ disciplinæ tãquam dominæ varias Artes pariunt & illas præsertim, de quibus Arist. sub initio suarum Mechanicarũ dixit nos Arte multa superare, a quibus per naturam vincimur; Insuper formam quandam & tanquam spiritum tradunt Artibus omnibus; quia (vt Plato docuit) Artes omnes vtuntur nũmero, & mensura. Et de Mathematicis hactenus.

*Geometria.* *Stereometria.* *Duplare Aram quo intelligi debeat.* *Quæ subijciuntur Geometriæ.*

De

## *De Scientia Physica & eius diuisione.* Cap. VI.

DEQVALIS, cæteris partibus Philosophiæ superest Naturalis scientia, quæ ad rem nostram facit: hæc considerat corpus omne Physicum, quatenus Physicum est, hoc est vt præditum interno principio motus, huiusmodi est vniuersus corporeus Mundus, & singulæ partes eius, quæ sub sensum cadunt: Eius diuisiones distincta consideratione variæ esse possunt. Nam primo considerando communia, & propria diuidi potest in partem de communibus, & partem de proprijs; communia sunt principia, ex quorum notitia refulget cognitio communis definitionis subiecti, nempe corporis Physici. Insuper communia alia sunt affectiones, & hæc declarantur in octo libris Physicorum, propria vero hoc est, contenta sub corpore Physico vniuerse sumpto, in alijs libris explicantur: Insuper cum Philosophia Naturalis sit scientia de Natura ob duplicem Naturæ acceptionem, ea pars secunda in duas alias diuiditur, Naturæ enim nomen, vt ad Physicum pertinet, vsurpatur dupliciter, vel pro Natura infra animam collocata, & ab anima contradistincta, & de hac agitur vsq; in finem libri Meteor. vel pro Natura ad animam extensa, & de anima dicta, de qua agitur in libris post Meteorologicos constitutis. Ita explicatur sententia Arist. in proœmio Meteororũ dicentis, superesse Physicę Methodi eam partem quam Meteorologiam appellant, quibus verbis indicat considerationem Meteorologicam esse partem postremam, quod verum est, intelligendo per Physicam Methodum, considerationem Naturæ infra animam positæ; hinc in calce quarti Meteororũ Philosophus, asseruit sequi explicanda ea, quæ ad viuentia pertinent. Tertio adhuc distinctius in quatuor partes secari potest, quatenus quatuor ea sunt, quæ præsertim considerantur, a quibus petitur inscriptio librorum: ea autem sunt principia, affectiones, corpora, & habentia corpus: Libri de principijs sunt, vt primi duo Physicorum, libri de Partibus animalium, & de Anima. De affectionibus, vt sex postremi libri Phy. libri de Gener. & interitu, De generatione animalium, & Parua Naturalia: reliqui sunt vel de corporibus, vel de habentibus corpus. Hanc distinctionem denotat Arist. in proœmio libri de Cœlo inquiens scientiam de Natura versari circa corpora habentia corpus, Principia, & affectiones; quorum tamen omnium consideratio dirigitur in cognitionem corporis Physici, vt subiecti naturalis scientiæ. Quarto diuiditur exactius in nouem gradus; in quorum primo explicantur communia omni corpori Naturali, & hoc fit in octo libris Physicorum: In secundo consideratur vniuersus Mundus, vt est corpus Physicum, consurgens ex ordine grauium, leuium, & neutrorum corporum, quod fit in quatuor libris de Cœlo, in quibus absoluitur explicatio partis æternæ, nempe Cœli, quia solum est Elementum Mundi, non Mixtorum, & ratione eius multæ affectiones competunt Mundo. In tertio gradu, nimirum in libris de Ortu & Interitu, vniuerse agitur de corpore Physico, ortui & interitui obnoxio. In quarto agitur de Meteoris, siue corpore Physico imperfecte mixto, & de affectionibus Elementorum, dum inuicem permutantur, vel ad mixti constitutionẽ conspirant, & quia eorum finis est mixtum perfectum, ideo ne imperfectum careat sua perfectione, in quarto Meteororũ agitur de generatione, & interitu mixti perfecti, tamquam de fine Meteororũ. In quinto gradu Historice referuntur attinentia ad Animalia. In sexto explicantur partes, quæ sunt proxima materia animalium, & vsus earum: Declarata materia, in Septimo gradu declaratur forma, quę anima est, ex cuius materiæ & formæ explicatione consurgit notitia animalium; cui declarationi succedit in Octauo gradu consideratio affectionum animalium, quę explicantur in libris qui parua Naturalia nuncupantur: Deinum in Nono gradu agitur de Plantis, cuius ordinis ratio alibi explicabitur. Olympiodorus in proœmio libri Meteororum,

*Prima diuisio.*

*Secunda diuisio.*

*Tertia diuisio.*

*Quarta diuisio.*

*Olympiodorus.*

teororũ,quem ſequutus eſt clariſſimus Genua, naturalẽ Philoſophiam in duas partes diuiſit,in primam de principijs,quam abſolui putauit in libro Meteororũ,& alteram de conſtitutis ex principijs, abſolutam in cæteris libris;Quæ ſententia eatenus eſt vera, quatenus declarata in ea priore parte, comparata cum ſequentibus ſunt principia eorum;abſolute autem vera non eſt, quia declarata in libris de Cœlo,de Ortu,& Meteoris,non ſunt Principia communis ſubiecti Naturalis ſcientię,ſed partes eius.Principia abſolute ſolum declarantur in primis Phyſicorum.Quemadmodum ſcientiæ Mathematicę varias pariunt Artes;ita id efficit ſcientia Phyſica; nam ex ea prodeunt non tamquam principalis finis,ſed tãquam fructus, illæ Artes, quæ ad Magiam Phyſicam pertinent,veluti ſunt Ars Medendi,Agricultura,Ars ſublimãdi,& ſimiles cum enim Phyſicus vniuerſum conſideret, quod ex primo principio admirabili Prouidentia pendet, ac inſuper ſcrutetur Naturas, & facultates varias partium eius,conſenſionemque & diſſenſionem earum, valet principia tradere artificibus varijs,adeo vt cognoſcant,quæ efficientia quibus patientibus iungi debeãt, vt inde optatum finem eliciant; ideo dicitur hæc Naturalis Magia,Hymenęus Naturæ, & niſi ea abutamur præſtantiſſima & apprime vtilis iudicari meretur; Ex his patet qua ratione Philoſophia dicatur mater Artium. Ex Metaphyſica proxime nulla Ars ortum ducit:ratio eſt,quia in communiſſimis verſatur; Artes vero ad ſingula deſcendunt,& ad ea,quæ cum materia maxime ſunt iuncta:At cum Metaphyſica nullam proxime pariat Artem,parit tamen omnes,& eſt Ars Artium,quatenus ex ea pendent particulares ſcientiæ,quæ Artes proxime formant.

*Quæ Artes ſubijciãtur Phyſicæ.*

## *Dubia nonnulla ex traditis diſtinctionibus prodeuntia. Cap. VII*

EX his,quę de diſciplinarum diſtinctione & partibus dicta ſunt,nonnullæ emergunt difficultates,dignę vt ab animo ingenuo conſiderentur: dubitatur primo,quæ nam enumeratarum partium mereantur honeſtari nomine Philoſophiæ. Pro ſolutione accipiendum eſt Philoſophiam eſſe ſtudium Sapientię,Sapientia eſt cognitio rerum altiſſimarum,omnia continentium,ex quorum notitia pendet recta cæterorum gubernatio: hinc ſapientis duo ſunt officia,ſpeculari diuina,& dirigere humana: & quoniam huiuſmodi officium ex ſe optabile,ex ſe bonum,& honeſtum eſt, ideo finem ſapientis dicimus eſſe honeſtum:Inſuper quoniam Sapientia & eius finis ſunt præſtantiſſima omnium,quæ apta ſunt homini competere, ideo etiam dicimus in vſu Philoſophiæ ſummum hominis bonum eſſe collocatum.Ex his elicio Scientiam inſpectricem,& ciuilem dignas eſſe nomine Philoſophiæ; vna enim ſpeculatur diuina,altera moderatur humana;ambarum finis eſt honeſtum,& in vtriuſque vſu collocatum eſt ſummum hominis bonum: Habitus vero ad efficiendum dirigens,ad quem pertinent Artes,minime honeſtari meretur nomine Philoſophiæ, non enim ſpeculatur Diuina,vel componit humanas actiones,ſed Artificioſa efficit pro hominum vſu; neque eius finis eſt honeſtum,ſed vtile;neque demum in eius vſu collocatum eſt ſummum hominis bonum: Ex quo conſtat partes Philoſophiæ eſſe Ciuilem Prudentiam, & Scientias inſpectrices; ideo iure Philoſophia in Theoricam & Practicam diuiditur Artes non ſunt Philoſophiæ partes,cum careant relatis conditionibus: Similiter neque diſciplinæ organicæ,cum non ex ſe optentur,& ſolum principalibus diſciplinis inſeruiant.Eſt itaq; nomen diſciplinæ longe latius, quàm nomen Philoſophiæ.Hoc tamen Philoſophiæ diploma eſt,vt oĩs diſciplina, vel ſit pars eius, vel fructus ex ea prodiens,& in eã vt in finem tẽdens,vel inſtrumentũ illi inſeruiens:At oritur altera dubitatio,quia Ariſt.in 6.Nicomachiorũ aſſeruit quinq; eſſe habitus Mentis,Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, Artem, & Intelligentiam,qui ratione propriorum finium in tria capita rediguntur,in agentes,contemplantes,& efficientes.Dubitatio eſt

*Quæ pars digna ſit nomine Philoſophiæ.*

*Quid elicitur.*

*Secunda dubitatio de diſciplinis organicis.*

est de disciplinis organicis, quæ cum attineant ad Mentem, ad nullum eorum quinq; habituum rediguntur. Exacta resolutio huius difficultatis supponit resolutiones variarum quæstionum, quę non sunt præsentis considerationis; ideo nunc paucis me expediam, & præsertim quia in Philosophia ciuili loquens de huiusmodi habitibus plura protuli. Assero itaq; Arist. in sexto Nicomachiorum solum numerasse habitus principales, non organicos. Ratio autem duplex est, prima quia illi præditi sunt proprio fine, ex se optabili; instrumenta solum parantur gratia alterius; hinc Arist. opinionē, & Pędiam non enumerauit, quia solum considerabat habitus semper rectos, & principales. Altera autem ratio est, quia disciplinæ organicæ ad Artes rediguntur, & Artes ingenuæ nuncupantur: sunt enim recta ratio efficiendi instrumenta, quibus principales disciplinæ vti debent, & post operationem remanet opus peractum; quæ duo sunt propria Artium: differunt tamen a proprie sumptis Artibus, quia non in externa materia versantur; verum id parum refert, neque est in definitione Artis. Cum itaque Artes sint recta ratio effectibilium, & post operationem earum remaneat opus peractū, & huiusmodi quoque sint disciplinæ organicæ, iure colligendum est eas ad Artes redigi. *Solutio.*

At obijciet aliquis quia inquit Auer. in 7. Metaphysicæ finem Logicæ esse scire: Insuper Logica est Methodus sciendi, vt prudētia agendi. In Logica formantur definitiones, & ostensiones, quæ scientiam pariunt; quare Logica potius videtur esse scientia: demum nisi Logicā esset scientia, tunc non daretur scientia de secūdis notionibus. Non itaque iniuria nonnulli existimarunt Logicam esse scientiam, ac etiam partē Philosophiæ: *Dubitatio.*

His tamen, & similibus obiectionibus facile est respondere: Nam finis Logicæ, vt etiam Artium conficientium instrumenta, duplex est vnus internus, & est instrumēta efficere: alter externus, & est finis illius habitus principalis, cui inseruit. Scire est finis Logicæ externus; finis autem proprius est formare instrumenta, pro acquirenda scientia. Et ad id quod additur, quia Logica est recta ratio sciendi, vt Prudentia agendi, respondeo, nequaquam parem esse rationem; nā Prudentia ita est recta ratio agendi, vt tanquam *Princeps* dirigat, & componat actiones; Logica vero non vt domina proxime parit scientiam, sed instrumenta, & est recta ratio formandi instrumenta, per quæ acquirimus scientiam; Addebatur, quod vtitur definitionibus, & demonstrationibus; at non ob id est scientia, primo ratione finis, quia eas dirigit proxime ad efficienda instrumenta; secundo quia Logica non in re scibili, vt scibilis est, versatur, sed considerat secundas notiones, vt instrumenta denotandi primas, nec considerat quid sit ens rationis: nam Logicus principia & causas entis rationis non cognoscit; id enim pertinet præsertim ad metaphysicū, in parte autem ad Physicum, quatenus per mentem rationis compotem constituitur. *Solutio.*

## *Dubia alia ad membra diuisionis disciplinarum attinentia.*
## *Cap. VIII.*

EX re ardua & sublimi facile prodeunt difficultates, non autem facile diluuntur: quam iure quis dubitabit, quoniam ego numerans disciplinas organicas, Rhetoricam retuli, nec non Poeticam; mox dixi eas esse iunctas cum Scientia Ciuili: Insuper Dialecticam & Sophisticam numeraui primo inter organicas, mox agens de disciplinis principalibus & communibus ad has easdem redegi; adeo vt non exigua appareat pugna, & confusio, & præsertim quia sola Grammatica, & Logica, videntur esse organicæ; cum hæ duæ disciplinæ cumulate doceant, quomodo componi debeant ratio, & oratio, vt nobis instrumentorum loco inseruiant pro formandis, docendis, & addiscendis disciplinis: reliquæ autem hæc instrumenta nectant cum materia vel ciuili vel Physica. *Dubitatio prima.*

Cui difficultati respondens dico Rhetoricam, Poeticam, Dialecticam, & Sophisticam, dupli- *Solutio.*

citer vſurpari:primo vt tradunt regulas pertinentes ad formanda instrumenta; ſecundo vt illis regulis vtuntur, eaſque nectunt cum aliqua materia. In prima significatione & consideratione numerantur inter organicas; in altera inter principales: Ideo non perperam Auer. in primo commen. primi Poster. eas nuncupauit disciplinas Logicas,& in paraphr. Methaphyſicæ tract. primo cap. primo eaſdem inter principales retulit. Id ipſum nos docuit Ariſt. qui in quarto Metaphyſicæ eas conſiderans vt principales, dixit Dialecticum, Metaphyſicum,& Sophiſtam in eodem verſari, in Logica vero verba faciens de ſyllogiſmo Topico, in libr. Topicorum,& Sophiſtico in lib. Elenchorum, eaſdem cõſiderauit vt organicas; Id ipſum dicendũ eſt de Rhetorica & Poetica: nam vt regulas tradunt & præcepta quædam docent attinentia ad orationem & rationem, organicæ dicuntur; vt vero illis regulis vtuntur, eaſque nectunt cum materia Ciuili, inter principales, tanquam connexas cum eis numerantur. Nam quamuis Logicus & Grammaticus cumulate doceant communia, attinentia ad orationem & rationem, tamen Rhetor & Poeta ea communia contrahunt, quæ eis conueniant patefaciunt, & conſiderant quæ ſint apta pro aſſequendo proprio fine, & quæ rationes, ex quibus locis tanquam ſedibus elici debeant; quibuſque ornamentis debeant inſigniri.

*Dubitatio.* At dubitatio emergit de Arte demonſtrandi, de qua id ipſum dicere poſſemus, quod de Dialectica & alijs dictum eſt; cum tamen ea ſolum inter organicas numeretur:

*Solutio.* Reſpondeo Artem quoque demonſtrandi poſſe dupliciter conſiderari; primo vt tradentem regulas formandi demonſtrationem; ſecundo vt illis vtentem, eaſque nectentem cum re ad ſciẽtias pertinente. Dum regulas tradit, organica dicitur; dum vero eas nectit cum rebus ad ſcientias attinentibus, quoniam id facit per Principia propria rerum eis iuncta ſecundum eſſentiam, non autem per rationes ex communibus quibuſdam ſedibus depromptas, vt id faciunt Dialecticus & alij; ideo tunc nominatur nomine eius ſcientiæ, ad quam principia, & ſubiectum pertinent, & hoc nos docuit Ariſt. in primo Rhetor. inquiens, Eos ego Dialecticos & Oratorios ſyllogiſmos voco, qui ducuntur ex Locis in quibus latent argumenta. Propria vero cuiuſq; Artis argumenta ſunt, quę conſtant ex propoſitionibus ab Arte illa ipſa deſumptis; exempli gratia, in rebus Phyſicis propoſitiones ſunt, ex quibus nemo poterit aut Enthymema, aut ſyllogiſmum formare, qui ad vitam & mores pertineat, &c. Conſpicue Ariſt. his verbis ſententiam approbat, quam retuli, pro cuius exactiore notitia conſiderandum eſt Artem demonſtrandi poſſe dupliciter vſurpari; primo vt tradentem regulas demonſtrandi & definiendi; ſecundo vt iunctam rei ſcibili; in prima conſideratione abſolute eſt organica, & Ars liberalis, cum dirigat ad efficienda organa; dum vero conſideratur, vt iuncta rei ſcibili, tunc poteſt adhuc conſiderari dupliciter, vel ex parte methodi, ordinis, & formæ demonſtrandi, & ita etiam organica eſt, & per habitum Logicum de illis iudicium tradimus, non enim inſtrumentum iunctum rei pro qua inſeruit, definit eſſe inſtrumentum; vel conſiderari poteſt ex parte principiorum, quibus vtitur, & rei circa quam verſatur; & ita eſt Scientia vel Phyſica, vel Mathematica, qualia ſunt principia. Hinc explodendos puto errores duos, primo

*Exploduntur duo errores.* eorum, qui inquiunt Logicam docentem formare inſtrumenta eſſe ſcientiam; in vſu vero poſitam, inſtrumentum: nam Logicà docens inſtrumenta formare ſolum eſt organica, & ad Artem redigitur: Secundo eorum, qui inquiunt Logicam iunctam ſcientijs omnino deſinere eſſe inſtrumentũ, & penitus eſſe ſcientiam: nam proculdubio forma ſyllogiſtica, & quæuis alia Methodus, cuicumque iungatur, ſemper ſeruat conditionem propriam inſtrumenti, ſolum dicitur ſcientia ex parte principiorum, & rei, cui iungitur;

*Dubitatio.* At pulchra ex dictis emergit dubitatio, nam vt diſciplinæ Logicæ poſſunt conſiderari dupliciter; ita hiſtoria, & aliæ omnes; dantur enim libri de recte conſcribenda hiſtoria, & libri hiſtorici per huiuſmodi regulas ſcripti; ſimiliter dantur libri de recto Philoſophandi genere, de optimo medico, & regulis ab eo ſeruandis, de officio interpretis, & ita de cæteris: de his eſt dubium an ſint libri organici, vel prin-

cipales,& sub quo relatorum disciplinę membrorum cõtineantur. Cui difficultati respondens dico huiusmodi regulas, & institutiones ad eam disciplinam redigi, quæ dicitur Pędia, hoc est peritia & recta institutio ad aliquam principalem disciplinam; & dum quæritur quæ disciplina sit huiusmodi Pędia, respondeo Pędiæ nomen dupliciter vsurpari, vel proprie & ita pertinet ad methodum & ordinem seruandum in principalibus disciplinis, vt elicitur ex primo de partibus animalium, qua consideratione redigitur ad instrumentum, & ad Logicum pertinet; nam Logici officium est indicare num in scientijs & Artibus recte seruata sint ordo, Methodus, & distributio partium. Secundo vsurpatur late pro notitia conducentium pro aliqua disciplina & eius vsu, & huiusmodi Pędia respicere potest varia, & ad varias disciplinas referri, & ita ad varias pertinebit; nam instituere, & terminos præscribere cui disciplinæ, quando, & quãtum teneamur incumbere, officium est Ciuilis scientiæ, vt dicitur in primo Nicomachiorum; agere de officio perfecti Philosophi, vel Medici, ad Philosophum, vel Medicum pertinet; nemo enim instituere alium valet ad recte philosophandum, nisi sit Philosophus, & sic de cæteris, adeo vt hæc non sint instrumenta, sed regulę ex principalibus disciplinis deromptæ: Historia, vt in propria materia, in ciuilibus actionibus versatur; extenditur tamen etiam ad alia omnia, sed minus proprie Libri de recte conscribenda historia ad Pędiam pertinent, cum sint recta institutio ad id faciendum, & non sunt numerandi inter disciplinas organicas, cum non præsertim versentur in recte cõponenda oratione, vel ratione: sed regulæ quæ traduntur, præsertim eliciuntur ex peritia in attinentibus ad Ciuilem disciplinam, ideo ad eam rediguntur. *Solutio.* *Historia.*

## *Dubia alia proponuntur & diluuntur.* *Cap. IX.*

Divisio Disciplinarum relata, adhuc diminuta videtur, cum de libris Problematum non sit facta mentio, prętermissi sint libri Encyclici, disciplinæ diuinatrices, Magia, & Chabala. Insuper nulla est enumerata Philosophiæ pars, quæ in ente rationis versetur: præterea in enumerandis partibus Naturalis scientiæ nulla est facta mentio de consideratione mineralium, & præsertim quia Diogenes Laertius, inter libros Physicos Arist. numerat libros de Metallis, quos ego prætermisi: His obiectionibus satisfaciens dico libros Problematum non certum sibi optare locum; cum enim sint de rebus varijs, per varias partes, ad varias disciplinas rediguntur, præsertim tamen pertinent ad Dialecticam iunctam rebus, cum in eis agatur de rebus dialectice, per communia, & probabilia. Similiter dico de libris Encyclicis, externis, & Dialogis; nam si in eis per probabilia de rebus differitur, ad Dialecticam pertinent, si per principia propria alicuius scientiæ, ad eam scientiam rediguntur, per cuius principia progreditur: Loquendo de disciplinis diuinatricibus, dico plurimas earum esse inanes, superstitiosas, nulloque firmo fundamento nixas, & illæ quæ firmi aliquid includunt, ex Physica recipiunt principia, & iudicari debent Artes, quæ sint fructus Physicæ, ordinatæ pro bene esse hominũ, vt caueant a malo futuro; quarum minus fallax est Physionomia, de qua Arist. varia protulit in libris de Animalibus, & alibi, hæ dicuntur Artes, quia Arte quadam futura prænoscimus, & latentia manifestamus: proprie tamen non sunt artes, sed cõiecturæ quędam ex non necessarijs depromptæ, ad opinionem redigendæ: De Magia dico quatuor dari principales Magiæ gradus; datur enim Magia diuina, Mathematica, Physica, & Dęmonica: & gradus omnis præditus est varijs partibus. Magia Diuina ea est, qua prędit erant Magi, qui cum muneribus natum Christum adorarũt, quę consurgebat ex sententijs Prophetarum, supera reuelatione, & Diuina Chabala, de qua Porphyrius loquens ait, Magum lingua Persa denotare cultorem, & interpretẽ Deorum; quę Magia ad diuinam pertinet Theologiam. Magia Mathematica pręsertim Astronomica est, quę versatur in consideratione variorum aspectuum, & proprie- *Dubia.* *Solutio.* *Magia.*

tatum Stellarum, per quam formantur varij Characteres, variéq; imagines, ex definita materie sub certo syderum aspectu, quæ redduntur præditæ facultatibus varijs. Huiusmodi autem Magia magna ex parte superstitiosa & fallax est, & siquid veri inclu dit, ex Astronomia pendet, & est tanquam fructus eius. Magia Physica est vsus naturalis scientiæ, & ad aliquam Artem pertinet vt iam dixi, de Agricultura, Arte Medendi, & similibus. Magia Dęmonica absolute Diabolica illusio putanda est: Arist. autem Dęmones non cognouit, sed ad Physicam eam redegit, ideo in libro de diuinatione dixit: Naturam esse Dęmonicam: Instabatur insuper quia nulla enumerata est Philosophiæ pars, quæ in ente rationis versetur; Hinc Alcinon in lib. de doctrina Platonis, Philosophiam in rationalem Ciuilem, & Inspectricem diuisit; id ipsum fecere Stoici omnes: At errarunt; primo quia per rationalem scientiam denotarunt Logicam, quæ, vt patuit, nec scientia est, nec pars Philosophiæ; secundo quia Logica nō cognoscit quid sit ens rationis, sed id cognoscit partim Physicus, partim Metaph. Tertio quia ens rationis non est tale, vt de eo proprie sumptam scientiam formare valeamus, cum nec proprie sit ens, nec principijs, & affectionibus ita sit præditum, vt de eo proprie demonstrationes formari possint, cum ex nostra ratione pendeat, ab eaque sit formatum, vt instrumenti loco nobis inseruiat, pro explicandis attinentibus ad ea, quæ vere sunt: Et pro exactiore notitia animaduertendum ens rationis tribus modis considerari posse; primo vt modo aliquo est, & per comparationem cum eo, quod principaliter, & vere est, & ita consideratur, a Metaphysico. Secundo vt humana ratione formatur, & pertinet ad Physicum: Tertio vt est instrumentum pro denotandis illis, quæ vere sunt, & ita pertinet ad Logicum; Demum instabatur, quia prætermisi libros de Mineralibus, & Metallis, hinc Magam Albus, Auer. & alij multi, inter libros Meteor. & de Animalibus, medios constituunt libros de Mineralibus: Respondeo quartum Meteororū iure constitutum esse finem primæ partis Naturalis scientiæ, vt conspicue cum in procemio, tum in fine libri Meteororū, id asseruit Arist. & pro diluenda instantia considerandum est morem fuisse Arist. in Physicis, præsertim versari in communibus magis includentibus scientiam, raro autem descendere ad species infimas, sed eas derelinquere perquirendas particularibus Artificibus, quibus magis inseruiunt; ita de Stellis, de Piscibus, de Plantis, de animi perturbationibus in Physicis ad singula nō descendit, sed in communibus versatus est, quæ facultate includunt contenta sub eis; Id ipsum puto Aristotelem fecisse de Mineralibus, quæ si distincte considerarentur, et explicantur a Magno Alberto, Agricola, & alijs, putandum esset non constituere distinctum gradum ab eo Meteororū, cum pendeant ex duplici halitu & sint finis Meteororū, & hoc puto indicasse Aristotelem, in calce tertij Meteororū dicentem. Communiter igitur dictum est de omnibus, singulatim autem considerandum descendentibus ad vnumquodque genus metallorum & similium.

*Ens rōnis tripliciter cōsideratur*

*Mos Arist.*

## *An Mathematicæ sint pars Inspectricis Philosophiæ.* Cap. X.

INTER partes Inspectricis Philosophię, quæ Theorica dicitur, numerata est Mathematica, quod dubitatione non caret; primo quia finis Philosophiæ est summum bonum, & in vsu Philosophiæ summum bonum est collocatum: at Mathematicæ ad summum bonum non eleuant, sed in solis accidentibus versantur, in quorum contemplatione summum bonum non est positum; cōfirmatur quia Arist. in procemio Metaphysicæ inquit, Mathematicas ob exercitium fuisse inuentas; quare non propter summum bonum: Insuper in quarto Metaphysicæ cont. 4. legitur, tot esse Philosophiæ partes, quot substantiæ; at Mathematicus substantiam non considerat: Præterea non videtur esse Inspectrix, siue Theorica, quia (vt considerat Alexander in Procemio Priorum) Theoria est contemplatio Diuinorum, Mathematica non diuina, sed sola accidentia considerat:

rat: Præterea multorum Mathematicorum cognitio dirigit ad effectionem, veluti faciunt ea quę Theoremata dicuntur, vt primum illud Euclidis Theorema, Super datā Lineam triangulum æquilaterum constituere est possibile; similiter alia plurima. Confirmatur authoritate Platonis, qui in calce sexti de Repub. inquit Mathematicas nuncupari quidem, re vera autem non esse scientias, cum proprie sumpta Principia non considerent: non enim eleuant ad essentiales rationes, & ideas, & ex sententia Arist. non considerant substantiam, quæ principium est accidentium, sine quo accidentia exacte nō cognoscuntur: Hinc Simplicius quoq; in tertio de Anima negat eas esse re vera scientias. Existimarunt nonnulli Artes & Scientias omnes, recte diuidi in partem Theoricam & partem Practicam: Omnes enim aliquid speculantur, & ad aliquid efficiendum dirigunt, hoc de Artibus patet; de Physica etiam est conspicuum, quæ dirigit ad Naturalem Magiam, similiter de Mathematicis, vt dictum est: At hi conspicue hallucinantur: Artes enim omnes absolute sunt efficientes, cum ad efficiendum, vt ad finem dirigant; similiter scientiæ ratione finis omnino sunt Theoricæ, & inspectrices. Geometria ea Theoremata considerat, non vt dirigat ad efficiēdum, sed vt verum intueatur, & num subiecto competant illæ affectiones. Disciplinæ autem, quæ eis subijciuntur, illę sunt quę eam cognitionem ad effectionem dirigunt, quod efficere est egredi terminos superioris scientiæ, quæ inspectrix est, vt patet de Arte Medendi, & Agricultura, comparatis cum Physica: At adhuc obijciet aliquis, quia scientiæ dirigendo ad contemplationem dirigunt ad actionem, cum contemplatio sit actio: Respondeo, ea actio est actus secundus & actio interna, non externa, qualis est ea Artium, & est cognitio veri, non actio contradistincta a veri cognitione, vt ea disciplinarum operantium, quibus vltra iudicium veri, competit operari, & in eo collocatus est finis earum, non in veri iudicio, vt inspectricium: Assero itaque Mathematicas puras esse partem Philosophiæ inspectricis, & frequenter ab Aristotele numerari inter partes Philosophiæ, veluti quarto Metaphysicæ cont. 4. sexto Metaphysicæ cont. 2. & alibi; & iure profecto: nam finis est ex se optabilis & honestus, cum sit inspectio veri, & in vsu earū nisi tanquam in fine, saltem vt in via est collocatum summum bonum contemplatricis Philosophiæ: eleuant enim Mathematicæ supra materiā, & maxime ingenium parant pro inspectione diuinorum, & ex hoc elicitur solutio primæ instantiæ: nam Physica etiam ad postremum finem non eleuat, sed solum Metaphysica ex humanis scientijs id efficit, cum tamen Physica proculdubio sit pars inspectricis Philosophiæ. Addebatur Mathematicas fuisse inuentas ob exercitium; Respondeo id nobis non aduersari, sed duplici ratione verum esse; Primo quia assueti Mathematicis abstractionibus facilius ad diuinorum contemplationem eleuamur: Secundo quia Aegyptij Sacerdotes, quibus non licebat Artibus incumbere, in eis se exercebant, & vitam ingenuam ducebant, quod eis præsertim congruebat, quia sic reddebantur aptiores ad inspectionem diuinorum, ex quo non elicitur Mathematicas non esse partem Philosophiæ inspectricis, sed solum non esse partem postremam, proxime animū nectentem cū fine postremo. Authoritati Arist. dicentis in 4. Metaphysicæ cont. 4. tot esse Philosophiæ partes, quot substantiæ, respondeo eo loci nomine Philosophiæ denotasse Metaphysicam, quæ absolute Philosophia dicitur, cum sit prima; & reflectitur authoritas, quia in eodē cont. Mathematicas appellat nomine Philosophię. Institutum itaque Philosophi in eo contextu est manifestare, quod vt dantur subordinati gradus substantiæ, nempe sensilis & non sensibilis, ita dantur gradus & partes Metaphysicæ, præsertim considerantis substantiam, quod explicat per Philosophiam Mathematicam, in qua distincti gradus inueniuntur; Addebatur Mathematicam non esse Theoricam, cum non speculetur diuina: Respondeo Philosophiā inspectricem dici Theoricam, hoc est diuinorum inspectricē, sumpta denominatione a fine postremo vniuersæ cōtemplationis, ad quem parant, & in parte nos eleuant Mathematicæ: nam vires per maximum mensurantur, & a maximo sumitur denominatio, & mensura: Dicebatur varias cognitiones Mathema-

*Plato.* — *Simplex.* — *Opinio quorundam.* — *Euersio.* — *Dubitatio alia.* — *Solutio.* — *Resolutio principalis difficultatis*

ticorum dirigere ad efficiendum; iam responsum est: Demum addebatur authoritas Platonis & Simplicij: Respondeo eos solum indicare vulgares & communes Mathematicas non esse scientias absolutissimas: nam quamuis ratione quanti, in quo versantur, & modi considerandi illud, sint certissimæ: non tamen sunt scientiæ perfectissimæ absolute: quod verum est per Principia Platonis, quia putauit Mathematicas solum distincte nosci per eleuationē ad essentiales animi rationes, & Ideas Mētis, quod communes Mathematici non efficiunt, vt patet ex calce sexti de Repub. Insuper est verum per principia Peripatetica, quia Mathematica sunt accidentia, quę non cognoscuntur exacte sine substantia, ad quod principium non eleuatur Mathematicus. Et de diuisione Disciplinarum hæc satis.

## De ordine Disciplinarum organicarum. Cap. XI.

DISTINCTIONI disciplinarum iure optimo succedit consideratio ordinis earum: nil enim disciplinarum generi congruentius ordine excogitari potest, & Arist. in tradendis disciplinis, præsertim cæteris Philosophis pręstitit, quia disciplinas in congruentem ordinem redegit. De ordine duo occurrunt consideranda, primo communia vniuersę ad ordinis notitiam pertinentia: secundo propria, quatenus ad scientias, & Artes refertur. Pertinentia ad primum explicaui in Introductione ad Ciuilem Philosophiā, propterea nūc ea missa facio, & solū uersabor in attinentibus ad secundū caput. Cū ordo sit multiplex & originis, & dignitatis, & abstractionis, & vtilitatis, & addiscendi, de hoc postremò pręsertim tenemur verba facere. Qui ordo est congruens dispositio plurium vel disciplinarum, vel partium, cum inter se, tū ad vnum primum, ex rerum natura a dirigente deprompta, vt disciplinę exactius naturam rerum ęmularentur, distinctiusque eā legentium animis offerrent. Cum autem ordo inter varia uersetur includentia prius, & posterius per relationem ad vnum primum, ideo dum ordinem disciplinarum consideramus, quia multiplex potest fieri comparatio, multiplex quoque in eis considerari potest ordo. Diuidebantur disciplinæ in organicas & principales, ideo primo inter eas occurrit comparatio, de qua hanc primam conclusionem enuncio. Disciplinę organicæ, vt organicę sunt, primo sunt addiscendę. Ratio cōspicua est; primo enim paranda sunt instrumenta, mox ad principale opus est accedendum. Et cōfirmatur, quia disciplinæ organicę inter se apprime sunt iunctę: ideo cum primo Grammaticem didicerimus, tenemur tribus disciplinis Logicis incumbere, quę in Ostensione, Syllogismo Dialectico, & Sophistico versantur; tertio tenemur dare operam Rhetoricę, & Poeticę, vt rationem cum oratione connectunt & quatenus sunt organicę. Accidit tamē, quia Rhetorica ex Ciuili & Logica conflatur, vt nemo valeat perfectius vti Rhetorica, nisi prænotis ciuilibus, vt etiam sine eorum notitia non ualemus esse perfecti Poetę. Hinc decipiuntur nōnulli, qui cum sint puri Grammatici, putant etiā se esse optimos Rhetores, & Poetas. Valemus quidē sine notitia ciuilium noscere regulas, & formas argumētorum, at vti Arte Poetica & Rhetorica sine ciuilium notitia recte non valemus. Huic tamen primæ conclusioni aduersari uidetur Plato in septimo de Repub. inquiens primo Arithmeticam, mox Geometriam esse addiscendam: nam ait. Illa igitur, quæ ad Arithmeticam, Geometriam, omnemque doctrinam eam pertinent, quæ Dialecticæ antecedere debent, pueris tribuenda sunt. Et paucis interiectis addit. Triginta annos nati duntaxat, caute admodum Dialecticas argumentationes degustent; non enim te latet, quod cum primum adolescentuli disputationis artificium degustāt, eo potius quasi ludo quodam ad refellendum vtuntur, eóq; confutant, alios studiose sectantes &c. Hinc supra ostiū Academiæ scriptū legebatur. Nemo Geometriæ ignarus huc ingrediatur: & in septimo Dial. de Legibus inter Grammaticam & Mathematicas nullam inserit disciplinam: Nam ad Grammaticam decennes

*Ordo multiplex.* *Ordo quid.* *Prima conclusio.* *Ratio.* *Dubitatio.*

nes pueros mittendos asserit, cui per triennium iubet dandam esse operam, mox per aliud triennium ait dãdam esse operam Arti pulsandi Lyram & Gymnasticis: deinde iubet addisci Arithmeticam, cęterasque Mathematicas disciplinas; postremo Dialecticam. Similiter Plot. En. prima lib. 3. de Virtutibus inquit, Dialecticam postremo addiscendam esse. Et iure Mathematicę antecedunt, quia experientiam non exposcunt, hinc Arist. in sexto Nicomachiorum ait pueros posse esse Mathematicos; & in Logica frequenter vtitur exemplis Mathematicis, supponens addiscenti Logicam notas esse Mathematicas: Simili ratione Rhetorica, quę Dialecticæ simillima est, postremo videtur addiscenda, & præsertim quia iuncta est ciuili, quæ post inspectrices scientias collocabitur. Confirmatur dubitatio ratione deprõpta ex Antonio Bernardo Episcopo Casertę in commenrario suo Logicę sect. 4. nam ait Logicam subalternari Metaphysicę, quia ens rationis a Metaphysico absolute consideratum, a Logico dirigitur ad effectionem, nempe ad formandas rationes Logicas; disciplina autem subalternata absolute posterior est sua superiore, ex qua pẽdet. Pro solutione accipio primo disciplinas ante Platonis tempora non recte fuisse in ordinem redactas, & præsertim Logicam, Arist. autem exactũ eis ordinem tradidit. Accipio secundo Platonem nomine Dialecticæ non Logicam, & disciplinam organicam denotasse, sed eam potius, quę in pręcedentibus inter disciplinas principales & communes relata fuit, quam cum Metaphysica summopere iunxit, vt agens de distinctione disciplinarũ patefeci; ideo a Plot. En. prima lib. 4. de Virtutibus definitur Dialectica, quod sit habitus, qui ratione de vnoquoque potest dicere quid sit, quomodo differat, & conueniat cum alijs, & quomodo & ubi sit quodlibet, & si est quid est, atque entia quot sint, & non entia rursus; Eadem disputans de ipso bono, & non bono & contentis sub eis, de omnibus disserens, non opinionem, sed scientiam tradens. Id ipsum elicitur ex Plat. in calce 6. de Repub. & 7. necnon ex Philebo dicente Dialecticum vniuersam eius quod est latitudinẽ percurrere, nil supponere, solum esse liberum, omnia inuestigare, nemini, præterquam rationi, credere, Solum ad rei essentiam, & principium, & id quod est, atque Ideam perducere, & absque Dialectica cæteras non esse scientias; eam afferre rationes omnium, de cunctis recte respondere, & interrogare, recteque definire, nomina congruenter rebus imponere, ac ita caput, acumen, & apicem esse cunctarum disciplinarum: Hęc autem proculdubio ad Metaphysicum pertinent. Ex his elicio primo perperam nonnullos ex eo, quod Plato inquit Dialecticam esse apicem scientiarum, colligere Logicam esse scientiam, cum Plato per Dialecticam minime denotauerit Logicam. Colligo secundo, quod cum Plato nomine Dialecticę conditionem quandam Metaphysicę denotauerit, iure postremo esse addiscendam affirmauit, cum tamen proprie sumpta Logica, quæ organica est, primo sit addiscenda. Ex his eliciuntur solutiones aduersarum rationum: nam instabatur, quia primo videntur addiscendæ Mathematicæ: Respondeo magis esse necessariã Logicam pro notitia Mathematicarum, quã è contrario, & Logicã prius parare, & nõ egere experientia, adeo vt puer etiam esse valeat Logicus, Plato non dixit eã primo esse addiscendam, quia tunc temporis non recte erat in ordinem redacta. Et quamuis Arist. in Logica vtatur exemplis Mathematicis, id parum refert, quia etiam vtitur exemplis Physicis, sumens pro exemplo aliquid commune, & populare. Afferebatur ratio Episcopi Casertę asserentis absolute Logicam posteriorem esse Metaphysica, eique subalternari, ex accidenti tamen ratione nostri modi cognoscendi primo esse addiscendam; quod minime puto verum; nam quia ea est organica, absolute & per se primo addiscenda est: nec putari debet subalterna Metaphysicæ, quoniam non vtitur principijs, ex Metaphysica deprompris, neque in ea resoluit. Insuper Metaphysica in proprio ente, vt in suo subiecto versatur, nõ in ente rationis nisi ex accidenti, vt est recessus a vero ente. Præterea prima principia Logicæ sunt nomen, verbum, oratio, quæ, vt patet, non ex Metaphysica elicit: his accedit quod ens rationis cõsideratum vt instrumentum, minime est pars subiecti Metaphysicæ, & præsertim

*Plotinus.* *Cõfirmatio.* *Resolutio.* *Plotinus.* *Plato.* *Quid primo elicitur.* *Quid secundo.* *Solutiones.* *Episcopus Caserta.* *Euersio.*

fertim quia vt instrumentum, etiam inseruit Metaphysico. Instantia sumpta ex Rhetorica soluta est in præcedentibus: Nam Rhetorica, vt in sola oratione & ratione versatur, prius est addiscenda; ratione vero vsus & connexionis eius cum ciuili materiæ, ciuilem sequitur, eique hęret: Ideo Plato in Gorgia asseruit oportere Legitimum oratorem rerum percipere rationes, Morum Leges, Verborum vires, Naturas ingeniorum, & studere ne Populo potius, quàm Deo satisfaciat. Vera est itaque hæc prima

*Conclusio.* assertio Disciplinæ organicæ primo sunt addiscendæ, idque eis per se competit.

## *Ordo inter Disciplinas principales.* *Cap. XII.*

DECLARATO ordine organicarum disciplinarum, sequitur vt de ordine Principalium verba faciamus, inter quas multiplex fieri potest comparatio: Nam prima comparatio occurrit inter Philosophiam ciuilem, & inspectricem, de qua cumulate disserui in Introductione ad Ciuilem scientiam & manifestaui quod ordine exactæ & distinctæ cognitionis Philosophia inspectrix, quæ Theorica est, primo est addiscenda: at si domesticam morum compositionem consideramus, ea præcurrere debet, tanquam recta institutio pro addiscenda quauis ingenua disciplina: Altera comparatio vertitur inter Sciētiam Ciuilem & Artes; de qua etiam breuibus dico eas nullo necessario ordine esse connexas: nulla enim earum tradit principia alteri, nec vna conducit pro addiscenda altera, solum dicere valemus Artifices omnes pro recto suæ Artis vsu, egere recta morum cōpositione, & ad ciuilem pertinere decernere, qui, cui Arti, & vsq; ad quem terminum debeat nauare operam, vt dicitur in primo Nicomachiorum. Tertia comparatio pertinet ad Artes, & inspectrices scientias, de qua etiam breuibus & lucide dico, Si quis vtrisque debeat nauare operam, prius tenetur incumbere Philosophiæ inspectrici, vt qui futurus est Medicus, primo Physicus esse debet: ratio est conspicua, quia Scientia inspectrix est mater Artium, tradit principia Artibus, & cognitio veri est recta regula operandi. Occurrit instantia quia Arist. in procemio Metaphysicæ inquit homines primo parasse Artes, mox cepisse nauare operam Philosophiæ: Respondeo Artem esse duplicem vel rudem & inchoatam, vel exactam; quæ præcesserunt, rudes erant: perfectionem tamen mox ex Philosophia sumpserunt, de quibus hoc enunciare valemus quod filiæ prius fuere genitæ, quam earum parentes. Quarta comparatio, quæ magis ad rem nostram facit, vertitur inter partes inspectricis Philosophiæ, quæ cū sint tres, dubium est cui earum primo nauanda sit opera: Magnus Albertus duos statuit ordines, vnum naturæ: alterum nostræ cognitionis: ordine Naturæ ait primam esse Metaphysicam, secundam Mathematicam, tertiam Physicam. Fundamētum est, quia quātitas considerata a Mathematico est magis abstracta, & natura prior corpore materiato, & sensibili. Cōfirmatur per Aristotelem in primo Post. cap. 23. asserentem, eam scientiam esse priorem & certiorem, quæ est de paucioribus, & versatur in magis seiunctis a materia; huiusmodi est Mathematica comparata cum Physica: At ordine nostri modi addiscēdi contra se habet: nam Physica, cum sit de magis sensibilibus, primo est addiscenda, secundo Mathematica, postremo Metaphysica. Hæc opinio pro vtroque ordine dubia est: Nam si naturam inspicimus, Physica est prior, quam Mathematica, cum Physica sit de substantia, Mathematica de accidētibus, & substantia sit natura prior accidentibus ex 7. Metaphy. cont. 4. confirmatur quia corpus Physicum est prius quanto, vt quantum est, cum hoc sit in corpore Physico, vt in subiecto. Hoc nobis patefecit Arist. in secundo de Anima cont. 3. inquiens corpus Physicum esse principium cæterorum corporum, & in secundo Physi. 16. inquiens corpora Physica tanquam subiecta habere in se solida, quæ sunt corpora Mathematica; subiectum autem est natura prius eo, quod in illo est, vt asseritur in primo Physic. 52. hinc Metaphysica dicitur post Physica, & non post Mathematica, & Physicus in sexto Physicorū ostendit

*Marginalia:* *Cōparatio inter Theoricā et Practicam.* — *Inter Ciuilem & Artes.* — *Inter contēplationē & Artem.* — *Instantia.* — *Inter partes inspectrices.* — *Opinio Alberti.* — *Euersio.*

dit principia Mathematicæ, nempe continuum non constare ex indiuisibilibus. Rationes aduersæ facile diluuntur. Dicebatur Mathematicas esse Natura priores Physica quia sunt de prioribus, simpliciotibus, magisque abiunctis; reflectitur ratio: nam si subiecta consideramus, corpus Physicum, quod est substantia, est natura prius corpore Mathematico, quod est accidens; si consideramus principia, Natura quæ est principium corporis Physici, cum sit substantia, est absolute prior principijs Mathematicorum, quæ accidentia sunt: similiter si inspicimus modum considerandi corpus Physicum consideratum vt Physicum, substātia est, vt vero quantum, est accidens. Errauit tamen Magnus Albertus, quia putauit materiem intelligibilem Mathematicorum esse substantiam, quod verum non est, vt suo loco patefaciam. Sētentia Arist. prolata in primo Poster. intelligi debet facta comparatione inter ea, quæ sunt eiusdem generis, non autem comparando accidens cum substantia: similiter dubius est ordo pertinens ad nostrum cognoscendi modum: nam hac cōsideratione potius Mathematicus prior est; quod ostendo, tum quia puer potest esse Mathematicus, non autem Physicus, vt dicitur in sexto Nicomachiorum; tum insuper authoritate Platonis, qui secundum nostrum modum addiscendi Mathematicas præcedere asseruit; tum authoritate Aristot. qui vbique semper iunxit Metaphysicam cum Physica, & nisi darētur abiuncta, Physicam dixit esse Philosophiam supremam; & demum ratione, quia quātum, vt quantū, est nobis longe notius, quam corpus Physicum, vt Physicum, cum hoc includat principia magis latentia, & non cadentia sub sensum: Ratio aduersa facile diluitur: nam dicebatur Physicum in his versari quæ sunt sensibilia propria, magis mouentia sensum: Respondeo Mathematicum in solis sensibilibus communibus versari, & eorum interna, & latentia principia non considerare; Physicum vero non in solis sensibilibus proprijs, sed in communibus quoque versari, & eorum interna & latentia principia inquirere; insuper versari præsertim in substantijs, quæ sensu non vsurpantur, nisi ex accidēti: At obijciet adhuc aliquis, quia quātitas primo nobis se offert iuncta materiei, quare primo cognosci debet vt ei iuncta, quod facit Physicus, quam abiuncta: Respōdeo id esse verum de prima confusa & crassa notitia quātitatis, non de cognitione per sciētiā: At instabatur, quia Physicus ostendit Principia Geometræ: Respondeo etiam Metaphysica ostendit principia cæterarum scientiarum, nec propterea est nobis prior: Insuper continuum esse diuisibile in infinitum, non proprie est principium, sed potius affectio quanti continui, quæ ostenditur rationibus cum Physicis, tum Mathematicis, vt in primo de Ortu & Interitu patefeci: His accedit quod scientiæ omnes sibi mutuo aliquam opem ferunt, pro earum tamen ordine principaliora considerari debent.

*Diluitur ratio.*

*Instantia. Solutio.*

## *De Ordine partium Inspectatricis Philosophiæ, opinio propria. Cap. XIII.*

PRÆTERMISSA relatione, & euersione variarum opinionum de ordine partium Philosophiæ Theoricæ, opinionem propriam lucide, & distincte patefaciā, & explicabo; pro qua tres profero assertiones; Prima est, Mathematicæ facilitate & vsu earum sunt nobis primæ, quibus succedit Physica, postrema est Metaphysica: Altera est ordine abstractionis, Mathematicæ sunt mediæ: Tertia Mathematicæ natura & perfectione sunt postremæ, Metaphysica vero prima. Prima assertio ex iam dictis conspicua est, & confirmatur: nam Mathematicæ sunt certiores ex parte nostri, ingenia exactissime parant, & experientia non egent: Accidit tamen nonnunquam, vt qui Natura sunt apti ad Mathematicas scientias, videantur carere iudicio, id autem euenit, quia huiusmodi homines atra bile abundant, per quam valent acute & constanter speculari: at ob siccam temperiem prauæ iu-

*Tres Theses.*

*Prima.*

uæ iudicant. Confirmatur quia nostra cognitio tendit ex imperfecto ad perfectum, ex confuso ad distinctum; ideo quantum primo debet nosci a Mathematico confuse, secundo a Physico distincte, tertio distinctissime a Diuino; ideo Arist. in 11. Metaphysicæ ait Metaphysicum ostendere Principia Mathematici: Altera assertio erat, Mathematicas ordine abstractionis esse medias, quæ satis est conspicua; nam Physicus res considerat cum motu & materiæ iunctas: Diuinus etiam ad abiuncta extollitur; Mathematica considerat materiata cum abstractione: Hinc Physicus dicitur de concretis cum Materia, Mathematicus ex abstractione, Metaphysicus de abstractis. Sed pulchra occurrit dubitatio, an Metaphysicus vel potius Mathematicus magis abstrahat: Ex vna parte Metaphysicus in abstractis versatur, & maxime omnium eleuari, & abstrahere dicitur; Ex altera Mathematicus considerans quantũ, quod est accidens, id abstrahit a substantia, quod non facit Metaphysicus, qui cum dicat accidentis esse in hoc esse positum vt alteri inhęreat, non secernit accidens a substantia; alioquin nõ distincte id cognosceret & definiret: Respondens dico disciplinam magis abstrahere intelligi posse dupliciter, vel quia magis versetur in abstractis siue ad communiora prædicata eleuetur, & ita hac duplici ratione Metaphysica dicitur maxime abstrahere; vel quia considerando quantum, id magis consideret sine materia, quod facit Mathematicus; adeo vt Mathematica absolute minus abstrahat, in parte tamen & modo aliquo abstrahat magis. Postrema assertio erat Mathematicas Natura & dignitate esse postremas, Metaphysicam vero primam: quę conspicua est & profertur ab Arist. 13. Metaphysicæ cap. 2. dicente, Mathematica sola ratione sunt priora, non essentia: nam re vera posteriora sunt Physicis, priora tamen sunt ratione &c. dicuntur autem priora ratione, quia abstractum dicitur prius ratione concreto, cum sit simplicius & sumatur in concreti definitione; ita albedo est ratione prior homine albo, vt etiam eo in loco inquit Arist. At se offert in Aristotele controuersia quædam: nam in septimo Metaphysicæ cont. 4. ait substantiam ratione esse priorem accidente, loco autem relato inquit Albedinem ratione esse priorem homine, qui est substantia. Soluitur, quia duplex potest fieri comparatio, vna inter substantiam & accidens, secundum quam substantia est prior: altera inter abstractum & concretum, & quia concretum definitur per abstractum, ideo abstractum dicitur ratione prius; sic albedo non est prior homine absolute, sed homine albo.

*Secunda.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Tertia.* *Controuersia.* *Solutio.*

## *Dubia attinentia ad Ordinem Inspectricium Scientiarum. Cap. XIIII.*

Ex dictis de Ordine Inspectricium scientiarum variæ prodeunt difficultates; quarum vna est qualis iudicari debeat ordo inter huiusmodi scientias, num per se, vel ex accidenti, & ob melius: Altera, num ordo ille sit resolutiuus, vel compositiuus: Tertia num verum sit id quod dixi Metaphysicam Natura & absolute esse primam; nobis vero postremam, vt etiam dicitur ab Auer. 6. Metaph. cont. 3. 4. Metaphysicæ cont. 4. 7. Metaph. cont. 39. & approbatur a Philop. in primo de Ortu & Interitu cont. 57. Nam hoc videtur dubium, quia Arist. in 1. Phy. cont. 3. confusa ait esse nobis notiora, ex quo infert ex vniuersalibus in singularia esse progrediendum, quia vniuersalia sunt nobis notiora: At Metaphysica sunt maxime communia, & confusa; igitur sunt nobis prima; confirmatur quia formabo rationem, quam format Arist. in primo cont. primi Physi. inquiens, principia primo esse noscenda, quia absque eorum notitia cętera cognosci nequeunt; at Metaphysica est de communibus, & de his quę sunt principia cæterarum Scientiarum, ideo a nobis primo est addiscenda: Cui sententiæ subscribere videtur D. Tho. in procemio Physi. inquiens in Naturali Philosophia præmitti librum de communibus ne

*Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.* *D. Tho.*

ribus,ne fiat inanis repetitio,vt omnibus scientijs præfertur Metaphysica. Hac ratione suasus Episcopus Casertæ lib. 2. suæ Logicę, sect. prima, asserunt Metaphysicam & nobis & Natura primam esse, ex accidenti tantum esse nobis postremam, ratione Intelligentiarũ, quæ a Metaphysico tamquam principia, ex eius opinione, considerantur, quæ nobis sunt obscurę, & per motum indagantur: De prima difficultate, quę erat, an ordo inter huiusmodi scientias sit ex accidenti, vel per se, respondeo huiusmodi ordinis distinctionem præsertim habere locum in ordine partium eiusdem scientiæ, quæ magis iunctę sunt; in ordine autem variarum scientiarum minus refulgere; similitudine tamen quadam etiam in eis considerari potest; Et dum consideramus ordinem naturæ inter disciplinas varias, nonnunquam eis proprie & per se competit, vt dum inuicem comparantur partes inspectricis Philosophiæ. Metaphysica absolute & per se est natura prima, Physica est secunda, Mathematica tertia, adeo vt cognitione absolute perfecta sine Metaphysica, attinentia ad cæteras partes cognosci non possint: magis tamen ordo est ex se talis, dum reliquæ scientiæ comparantur cum Metaphysica, quam dum Physica cõparatur cum Mathematica; quia Metaphysica absolute in prima principia resoluit, & ostendit principia reliquarũ: modo tamẽ aliquo id verum est de Physica & Mathematica; quia non exacte noscitur corpus Mathematicum, nõ præ noto Physico, cum sit principium illius: At dum consideratur ordo ex parte nostri modi cognoscendi, cum non sequatur naturam rerum, non per se talis est, sed ex accidenti. Ordo itaque inter partes inspectricis Philosophiæ consideratus secundum naturam est per se, ex parte nostri vero ex accidenti, ob varium nostrum progressum in rerum cognitione; & ideo dicitur ob melius. Quærebatur secundo an ordo ille sit cum compositione vel potius cum resolutione: Respondeo similiter compositionem, & resolutionem distincte habere locum in ordine partium eiusdem scientiæ, quæ vno fine magis iunctæ sunt, quam scientiæ variæ & distinctæ; Tamen quia illæ quoque habent finem communem; ideo etiam in earum ordine resolutio & compositio considerari possunt: Nam dum ordimur à minus abstracto & magis abstrahendo progredimur, dicimur modo aliquo resoluere, veluti progredientes a Physica ad Mathematicam & inde ad Metaphysicam dicimur resoluere, è contrario vero componere; absolute tamen magis resoluimus progrediẽtes a Mathematica ad Physicam, quam contra; quia Physica sunt principia Mathematicorum, & non vice versa. Tertia dubitatio erat, num verum sit quod Metaphysica Natura & absolute sit prima, nobis vero postrema. Retuli eorum sentẽtiam, qui Metaphysicam etiam nobis esse primam existimant, & solum esse postremam ex accidenti, quam sententiam minime approbandam puto; quoniam id, quod ex accidenti est tale, nõ absolute denominatur tale: at Metaphysica absolute dicitur nobis vltima, & post Physica. Præterea asserere scientiam aliquam ex se nobis esse notiorem, & ob principia obscuriorem, est pugnãtia dicere; quoniam rei cognitio ex principiorum cognitione pendet, quibus ignoratis ignorantur quoq; pendentia ex illis, & præsertim in scientijs, ad quas pertinet cognitio distincta, qualis est Metaphysica. Asseramus itaque Metaphysicam non ex accidenti, nec solum ratione principiorum, sed ex se, & ratione sui subiecti nobis esse postremam, Natura vero primam, quod ita ostendo. Metaphysicus cõsiderat id, quod est, quatenus est: quęro per id quod est quid denotatur? si denotatur substantia composita, vt Vir ille doctus cẽsuit, quia substantia est nobis posterior accidente, vel includente accidens, est necesse vt corpus Physicum, quod quatenus Physicum includit accidentia, sit nobis prius ente, cum sit proximus sensui: si denotatur commune substantiæ, & accidenti, vt alij multi dicũt, quoniam ea reduplicatio, quatenus ens denotat essentiam, & quid res est, quę essentia est obscurissima nobis, ex secundo Metaph. nec non ex 8. etiam in hac quoq; significatione Metaphysica per se, & ratione sui modi considerandi erit nobis vltima. Hinc Arist. in sexto Metaphysicæ cont. primo, & in vndecimo Metaph. cap. 6. asserit quid res est, & absolutas rerum essentias ad Metaphysicum attinentes esse nobis obscuras;

*Solutio primæ diff.*

*Solutio secundæ.*

*De tertia diff.*

*Sententia propria.*

curas:Hanc difficultatem per se competere Mathematicæ patefecit etiam Aristot. in procemio Metaphysicæ inquiens,omnia scire ei competit, qui maxime vniuersalem scientiam habet:hic enim quodam modo omnia subiecta scit; ferè autem & difficillima hominibus cognitu sunt ea,quæ maxime vniuersalia sunt: remotissima enim sunt a sensibus,&c.conspicue Arist. Metaphysicam ex se, & non ex accidenti nobis esse po stremam affirmat: Ratio aduersa diluitur:nam dum dicitur cōmuniora esse nobis primo nota,respondeo id esse verum facta comparatione inter attinentia ad eandē scientiam,in qua seruatur idem modus considerandi, non autem inter attinentia ad scientias distinctas,quia variatur modus considerandi: & euenire potest vt in cōsideratione communioris,modus considerandi sit latentior,vt se habet in Physica,& Metaphysica;nam Metaphysicus cuncta considerat,vt entia,hoc est perpendendo essentiam,& quid sint,quod apprime latet,veluti etiam corpus est nobis notius,vt quantum,quam vt Physicum,vel vt affectio Physici; quia sic includit substātiam & latentia principia; his addo communiora esse nobis notiora,cum fuerit facta abstractio:at non ante,vt in consideratione primi cogniti patefaciā. At instabatur,quia primo est agendū de Principijs, & explicandum quid res sit: Respondeo id esse verum in eadem scientia,dum seruatur idem considerandi modus: insuper id est verum de cognitione absolute perfecta, non perfecta in genere, qualis est Mathematica cognitio seorsum ab alijs, vel Physica seorsum,& Metaphysica.

*Diluitur ratio.*

## *Ordo inter Mathematicas:* *Cap. XV.*

*Ordo Mathematicarum.*

COMPARATIS principalibus partibus Philosophiæ Theoricæ inter se, comparandæ inuicem occurrunt partes Mathematicarum disciplinarum,quas ita in ordinem redigendas existimo, cum dentur Mathematicæ puræ, & Mediæ sub eis positæ; Loquendo de puris, primo addiscenda est Arithmetica : secundo Geometria : tertio Stereometria. Ratio affertur ab Aristotele in primo Metaphysicæ cap. 2.& in primo Post.quia ea scientia est prior,cuius principia sunt priora, & magis abiuncta: at vnitas,quæ est principium numeri,est prior puncto,principio Lineæ;quare Arithmetica cōsiderans numerum est prior Geometria considerante continuum.Quod vnitas sit prior puncto patet; tum quia punctum includit positionem,& dicitur alicubi positum,vt in principio vel in medio lineæ quam non includit vnitas; tum insuper quia vnitas dicitur de puncto nō contra:nam punctum dicitur vnum,non autē vnitas punctum : Insuper Arithmetica est magis immunis a materia,cum pro materia intelligibili solum includat partes; Geometrica vero includant partes & continuum. Hinc iure Plato in septimo de Repub. Arithmeticam primo a pueris addiscendam affirmat, quem sequitur Boetius in principio suæ Arithmeticæ, idq; confirmat; tum quia numerus primus fuit in Mente Dei, cum singula suis numeris creauerit; tum quia ablato numero aufertur figura, quæ in numeris primo includitur;tum demum quia posita figura Geometrica, ponuntur etiam numeri in ea inclusi:hinc Pythagoras numeros omnium Principia statuebat,& Alexander in primo Metaphysicæ cont. 10.inquit Geometriam vti rationibus Arithmeticis,non è cōtrario: At oritur dubitatio,quia Geometria versatur in his quę magis iuncta sunt cum materia,magisq; sensibilia sunt,cum sint sensibilia communia; numerus vero numerans sola ratione apprehenditur. Præterea id est prius, cui affectio prius competit:at inquit Arist.in procemio 3. Phyſi. infinitum primo competere continuo: quia enim cōtinuum est aptum diuidi in infinitum, numerus dicitur aptus in infinitum crescere; quare continuum prius erit: Respondens dico,cum Mathematicus abstrahat a materia sensibili, & in Mathematicis frequenter eadem nobis & natura sint notiora,& priora,ideo ex eo quod Geometrica sint magis materiata, & posteriora natura, non valemus inferre quod sint nobis notiora: Insuper quamuis non-

*Plato.*

*Pythagoras.*

*Subiectio.*

*Solutio.*

nulla

nulla Geometrica, cognitione quadam crassa & confusa facilius a nobis apprehendā-
tur: distincte tamen contra se habet; Geometrica enim cognitio per Arithmeticam
perficitur, non vice versa, cum numeri sint simpliciores, & sint modo aliquo principia
continuorum, & sui conditione & natura priores: His accedit, quod quamuis Arith-
meticus versetur in numero numerante, ille tamen per numeratum, vt nobis notiorē
elucescit: Instantia sumpta ex 3. Phys. diluitur, quia infinitum est affectio fluens ex
materie; ideo primo ei competit, quod prius est secundum esse materiatum, non ab-
solute: Insuper dum dicimus numerum crescere in infinitum, quia continuum in infi-
nitum diuidi potest, id verum est de numero numerato, absolute tamen excogitare va
lemus numerum maiorem non considerata aliqua diuisione. Locuti sumus de Ma-
thematicis puris, loquamur de medijs: De quibus dico primo in eis non adeo neces-
sarium, & exactum ordinem inueniri, vt in puris; solum dicere valemus pro earum
exacta cognitione esse necessarium, vt primo addiscantur Mathematicæ puræ, sub qui *Ordo inter*
bus ponuntur, & a quibus principia recipiunt: at dum comparantur disciplinæ mediȩ *Mathemati*
adinuicem, ordo necessarius non apparet, sed inspiciendo varia, ordines varios assi- *cas medias.*
gnare valemus; veluti cum Arithmetica sit prior Geometria, etiam per cōsecutionem
Musica collocata sub Arithmetica, erit prior collocatis sub Geometria: Dum autem
inuicem comparantur disciplinæ sub Geometria, vel Stereometria positæ, Perspecti- *Perspecti-*
ua videtur esse prima, cum in lineis versetur, quæ priores sunt: Secunda Astronomia; *ua.*
nam perspectiua, quæ est simplicior inseruit Astronomo pro mensura Cœli, & Stella- *Astrono-*
rum. Tertia est Cosmographia, cui Astronomia tribuit principia varia: Cosmogra- *mia.*
phiam quarto loco sequitur Geographia, quæ est tanquam pars eius: Geographiam *Cosmogra-*
sequitur Chorographia, & Topographia, cum maxime cōnectantur & puram distin- *phia.*
guantur ab inuicem: Dum itaque absolute consideramus conditionem propriam re- *Geogra-*
latarum disciplinarum, ita puto in ordinem esse redigendas: At si earum vsum, & in- *phia.*
stitutionem puerorum consideramus, secus est dicendum: Nam inquit Arist. lib. 8. de *Chorogra-*
*Repub. cap. 4.* quatuor ferè esse, quibus veteres instituere pueros consueuerunt, Lite- *phia.* *Aristot.*
ras, Palȩstram, Musicam, Artemque pingendi, & Plato in 7. de Legibus inquit pueros
debere nauare operam Gymnasticæ & Musicȩ indicans, vt ait Ficinus in Argumento,
pueros debere hoc ordine disciplinis incumbere, vt primo addiscant literas, secundo
Musicam, tertio Gymnasticam, quarto Arithmeticam, quinto Geometriam: minus ta
men recte vt puto ordinem retulit Ficinus, quia prætulit Musicam Gymnasticæ: cum
tamen ex sententia Platonis, vel simul eis nauanda sit opera, vel Gymnastica sit præfe
renda, quatenus congruens corporis constitutio, prior esse debet institutione animi,
vt affirmat Arist. in septimo de Repub. Hinc Plato in eo Dialogo prius de Gymnasti-
ca verba fecit: At oritur dubitatio; nam ego Musicam prætuli Astronomiæ: opposi- *Dubitatio.*
tum facit Plato in septimo de Repub. quo loci post Stereometriam constituit Astro-
nomiam, cui ait succedere Musicā, quas duas disciplinas Germanas appellat; vt enim
ad Astronomiam oculi, ita ad Harmonicum sonum Germanæ aures videntur institu-
tæ; Insuper dubium est quomodo Plato in septimo de Legibus censuerit Musicam
ante Arithmeticam esse addiscendam, cum Musica subijciatur Arithmeticæ, & ab ea
recipiat Principia: Solutio harum difficultatum ex dictis elicitur: cum enim ordo in- *Solutio.*
ter huiusmodi scientias non sit omnino necessarius, ideo inspiciendo varia, varium va-
lemus statuere ordinem, vt primo patet de Musica, & Astronomia: nā Musica est prior
ratione Arithmeticȩ, cui subijcitur, & rectæ institutionis animi puerorum: Ideo Arist.
in 8. de Repub. dixit crepitacula conducere pro recta puerorum institutione. Ex ad-
uerso Astronomia est prȩferēda, quia visus, cui respōdet Astronomia, est natura prior
auditu, vt dicitur in secundo de Ortu & Interitu cont. 7. Similiter potest præferri ra-
tione rei, in qua versatur, vt considerauit Plutarchus in secunda Academicarum q. in- *Plutar-*
quiens, Plato ab Arithmetica ad Geometriā mox ad Astrologiam, posita post omnes *chus.*
Musica, videtur progredi: nam res, quæ describuntur in Geometria solent consistere,

cum quantitas magnitudinem, solida magnitudinis altitudinem assumpserint: quæ vero Astrorum cognitione percipiuntur, ea tunc existunt, cum solidi cognitionem admiserint; at cum ad corpus motu agitatum vox accedit, efficitur Musica, &c. Altera instantia quomodo Musica ante Arithmeticam addisci possit, diluitur, quia Musicæ duplex est cognitio, vna cõfusa, altera distincta: prima præcurrere potest, altera necessario sequitur; distinctio est Arist. in primo Poster. & confirmatur per Platonem, qui in

*Plato.*

septimo de Legibus inquit oportere Dionysiacos cantores sexaginta annos natos, Rhythmorum naturas, Harmoniarumque institutiones acute sentire, vt in cantibus affectiones animi imitantibus, probi animi imitationes ab imitationibus, improbis secernere valeant, &c.

## *Ordo inter partes Naturalis Philosophiæ.* *Cap. XVI.*

CAPTERIS decursis, superest modo, vt de ordine partium Naturalis scientiæ loquamur, quæ cum sint variæ varias includunt difficultates, quarum multas dilui in assignando ordine inter libros de Anima & animalibus: hoc in loco solum loquar de ordine attinente ad libros Physicorũ, de quo duo sunt consideranda; primum est, cur libri Physicorum primi sint; alterum vero, quomodo partes horum librorum inter se iunctæ & ordinatæ sint. Ordiens a primo, Libri octo Physicorum inter libros ad Naturalem sciẽtiam attinentes omnium consensione primum sibi optauit locum; Ratio est, quoniam sunt libri de principijs & de communibus omni corpori Physico; cur vero communia primo sint declaranda ab Auer. in 1. Phy. 57. & in proœmio lib. Post. triplex assignatur ratio: prima est quia sunt nobis notiora, vt dicitur in quarto cont. proœmij Phy. altera est, ne cogamur idem multoties repetere, vt dicitur in primo de partibus animaliũ: Tertia vt affectiones suo primo subiecto tribuantur, quod esse faciendum præcipitur primo Post. At sententia hæc non caret difficultate; tum quia hæ rationes satis leues videntur, tum insuper, quia rationes potiores prætermittuntur; nam prima ratio est inanis, quoniam in libris Physicorum explicantur principia prima, & præsertim prima materia, & in 8. Phy. primus motor; principia autẽ quo sunt priora, eo sunt remotiora a nobis, & obscuriora: quod conspicue affirmat Arist. in secundo cont. inquiens principia in eo lib. declaranda esse remotissima a nobis, & præsertim hæc ratio vim habet contra Auer. quia putat principia esse subiectum eius libri: confirmatur quia dum dicimus insitam nobis esse viam a notioribus nobis, id verum est de Methodo, siue via cognoscendi, non de ordine; secunda ratio, quæ erat ne idem inaniter repetatur, etiam inanis est, quoniam in ordine resolutionis nonnunquam progredimur a minus communi ad communius sine repetitione vlla. Id ipsum patet considerando nostrum progressum a Physicis ad Metaphysica. Similiter in secundo Post. asseritur primo esse definiendas species, mox colligendam definitionem generis, sine vlla repetitione, & præsertim quia cum semel aliquid declarauerimus, possumus deinde illo vti, vt iam declarato, & Arist. vtitur ea ratione in primo de partibus animalium tãquam probabili, quia tunc disputando progreditur. Tertia quoque ratio leuis est, quia quamuis ordiamur a minus communi, valemus tamen vnicuique id tribuere, quod ei primo competit. Dicamus itaque ordinem esse duplicem, vnum absolutum & per se, alterũ ex accidenti, & ex parte nostri: dum absolute assignamus rationem ordinis, id quod absolute & ex se est tale considerare tenemur, & cum Arist. dicendum rationem absoluti ordinis esse duplicem: prima est quia respondet naturæ & conditioni rerum; in ordine enim per se & absoluto, naturam sequi tenemur, vt late patefeci in introductione ad Philosophiam Ciuilem, & conspicue afferunt Arist. & potiores eius interpretes: Altera ratio est, quia id primo est declarandum, sine quo alia distincte nosci non possunt, ob quam rationem Arist. in primo cont. primi Phy. asserebat primo agendum esse de princi-

*Quid primo considerandum.*
*Secundum.*
*Cur libri octo Physicorum primi.*
*Cur communia primo declarãda.*
*Sententia Auer.*
*Euersio.*
*Propria sententia.*

principijs, ob duplicem hanc rationem libri Physicorum sibi optant locum primum, sunt enim de communioribus, & de principijs, quæ sunt priora natura, sine quorum notitia cętera cognosci nequeunt, & ex causa prima pendet secunda; quia enim sunt natura priora, etiam ita se habent, vt sint necessaria pro cognitione sequentium.

## *De Ordine declaratorum in primis duobus Libris Physicorum. Cap. XVII.*

APPARVIT ratio cur libri Physicorum primi sint, sequitur explicãdus ordo inter partes eorum, simulque patefacienda ratio ordinis: qua de re varij varia dicunt; ego tamen cæterorum sententijs silentio obuolutis, opinionem meam, qua potero breuitate, & facilitate explicabo. Declaraturus Philosophus in vniuersa Naturali sciẽtia corpus Physicũ, tenebatur primo de eo vniuerse differere, quod seruauit in octo libris Physicorũ: pro quo explicando, duo patefacienda sunt, quid sit, & quale sit; elucescit quid sit ex notitia principiorum eius, quale vero, ex notitia affectionum. hinc libri Physicorum in duas principales partes sunt distributi, in partẽ de Principijs, & partẽ de communibus affectionibus. Et quia quæstio quid est, antecedit quæstioni quale est, & principia sunt natura priora affectionibus, ideo primo Philosophus de principijs differuit, ex quorũ notitia refulget quid sit corpus Physicũ; secundo de communibus affectionibus: Præterea quia pro exacta notitia pertinentium ad principia Physica relata ad motũ, & generationem, quatuor pręsertim explicanda occurrunt: primo ex quibus internis principijs res fiant, secundo ex quibus Elementis res genitæ constẽt; tertio, per quas causas cum internæ tum externæ res cognoscantur: quarto quõ causæ, & præsertim Natura sua opera producant, num temere, vel gratia finis: Hinc iure partem primam *de principijs*, quę in duobus primis libris absoluitur, in quatuor partes diuisit, in quibus ea quatuor, quo ea retuli ordine, cumulatissime declarauit. Vt enim considerãdo naturæ ordinẽ primo res ex principijs fiunt: secundo ex eis factæ constant: tertio noscũtur: quarto considerandus occurrit modus operandi causarum, ita Arist. naturã sequens, eodẽ ordine de illis differuit: nam in primo libro de primo egit, quod in procemio patefecit inquiens primo esse agendum de principijs, & in calce lib. id comprobauit Epilogo colligens se declarasse principia, & in cont. 48. ait ea a veteribus nuncupata fuisse principia. Secundum caput absoluit ab initio secundi lib. vsque ad cont. 27. & quia Elementa intrinsecus rem constituentia sunt natura eius, ideo de Natura differuit: de tertio egit a cont. 27. secundi Physic. vsque ad 75. ideo in cont. 27. de causis sciendi gratia differendum proposuit. Quartum caput absoluitur a cont. 75. vsque in finem libri: Insuper sermo de communibus principijs iure optimo in quatuor partes est diuisus, respondentes numero quatuor causarum: ideo dum declarantur principia generationis, pręsertim explicatur materia cum priuatione, per quam res fiunt: dum declarantur principia rem genitam constituentia, præsertim declaratur forma, per quam res sunt, & præsertim natura est: dum tertio declarantur causæ, præsertim sermo est de causa efficiente, quæ absolute a veteribus nomine causæ denotabatur: dum demum sermo est de modo operandi naturæ, quia agit propter finem, pręsertim de fine est sermo: Insuper quoniam in ordine compositionis, quem pręsertim in Physicis Arist. seruat, ab internis principijs ad externa progrediẽdum est, ideo iure Arist. in primis duabus partibus verba fecit præsertim de principijs internis, in reliquis de externis. Quod autem hæc quæ dixi cum rationi, tum sententiæ Arist. sint consentanea ex eo colligi potest, quia interrogati ex opinione Arist. quot sint interna principia generationis? nõ secus valemus respondere nisi dicẽdo ea esse tria in primo Phy. declarata, materiam, formam & priuationem: Interrogati quot sint Elementa absolu-

*Cur libri Physicorũ in duas primas partes diuidantur.*

*Cur prima pars in quatuor.*

*Cõfirmatio.*

te rerum naturalium? cogimur dicere esse duo, materiam & formam, quę sunt naturę corporum naturalium, declaratæ in prima parte secūdi Phy. Interrogati quot sint genera causarum, per quæ Physica cognoscuntur, tenemur cum Arist. in secundo Phy. Post. cont. 27. dicere esse quatuor ex quo patet ratio, cur Arist. in primo cont. primo Phy. mentionem fecit de principijs, Elementis, & causis, de quibus mox recto ordine verba facit: Ex his etiam colligitur, quod quamuis Aristot. & in primo & in secundo lib. agat de materia, & de forma, & etiam de his agat in singulis tribus capitibus attinentibus ad explicationem communium Principiorum, non ob id est redundans, quoniam de illis ter agit triplici distincta ratione. At aduersus ea, quæ dixi nonnullæ se offerunt difficultates; prima est, quia Philosophus sub initio sexti Metaphysicę, etiā Mathematicis dixit competere principia, causas, & Elementa, cum tamen Mathematicus abstrahens a motu non includat eos tres considerationis principiorum modos, quos ego retuli: confirmatur dubitatio, quia Arist. in quinto Metaphysicæ voces principij, causę & Elementi secus explicauit, ac ego fecerim: Insuper cū dixerim ab Arist. in secundo Phy. 27. disputari de causis in gratiam scientiæ, hoc non videtur propriū considerationis causarum, sed commune etiam considerationi principiorum, & Elementorum; omnia enim considerantur in gratiā scientiæ, vt asseritur in primo cont. primi Phy. Respondens & diluens huiusmodi instātias, de prima dico tres illas distinctas rationes Principij, causæ, & Elementi pręsertim & conspicue apparere in Physicis, includentibus generationem, & transmutationem, in alijs minus proprie, & simili tudine aliqua, & præsertim quia quamuis Mathematicus non consideret motum proprie sumptum, considerat tamen motum quendam excogitatum, vt, dum inquit ex fluxu puncti consurgere lineam, & ait Arist. in 8. Physic. omnem scientiam vti motu: sic itaque linee, vt ex eis constituuntur figurę, dicuntur Principia; vt ex eis cōstant, dicuntur Elementa; vt ex eis prodeunt affectiones, & per eas ostenduntur, dicuntur causę; similiter dicuntur principia, vt ex eis conflantur ostensiones, Elementa vt ex eis constant; causæ vt per eas infertur cōclusio, & ostenditur affectio de suo subiecto: Addebatur Aristotelem in quinto Metaphysicę secus eas voces explicasse. Respōdeo Arist. eo loci retulisse varias significationes earum vocum & manifestasse Elementum & causam id denotare, quod dixi: de principio iam asserui Aristotelem in eius significatione secutum fuisse veteres Philosophos, vt patet ex primo Phys. 48. Dicebatur tertio ne dum causas, verum etiam Principia, & Elementa considerari in gratiam scientiæ: respondeo considerari in gratiam scientiæ posse dupliciter intelligi, primo absolute, vt eius cognitio pro scientia requiritur; secundo vt contradistinguitur a relatione ad generationem, vel ad rem genitam; ac ita dixi primo considerari principia, ex quibus fiunt, secundo Elementa, ex quibus constant, Tertio genera causarum, per quæ cognoscuntur. Missas facio nonnullas alias instantias, cū leuiores sint, & facile a quouis dilui possint: Vna tamen non est prætereunda, quæ est, quoniam Arist. videtur peruertisse ordinem: nam communiora prius sunt declaranda, causæ declaratæ in secundo Phy. sunt communiores principijs declaratis in primo Phy. & Elementis declaratis in principio secundi, igitur Arist. ordinem, quem frequenter sibi præscribit, non seruat. Hinc nonnulli ausi sunt dicere, ordinem ab Arist. non fuisse seruatum, & re vera secundum lib. Phy. debere sui natura & conditione esse primū, ex accidenti tamen fuisse mutatū ordinem, ob varias de Principijs veterum Philosophorum opiniones, quas necessariū fuit primo reijcere; & Auer. id ipsum in calce primi Phy. latenter indicauit: At hi conspicue decipiuntur, & nō animaduertunt, sed peruertunt admirabilem ordinem, quē seruauit Arist. Et quod primus liber absolute iudicari debeat primus, patet ex primo cont. nam ita est primus, vt eius ordinis assignatur ratio: sed Arist. in primo cont. ratione absoluta ostendit primo esse agendum de principijs, & in Epilogo colligit se ea declarasse, quare non ex accidenti, sed absolute liber ille est primus: confirmatur, quia vt primo res fiunt, quam sint & noscantur, ita primus liber in quo considerantur principia

*Instantia.* *Solutio.* *Instantia.* *Sententia quorundā.* *Euersio.*

cipia,per quę res fiunt,debet ſtatui primus;at abſolute res primo fiunt,mox ſunt & cognoſcuntur, quare abſolute liber qui ſtatuitur primus,eſt primus,& non ex accidenti. Ratio aduerſa facile diluitur: nam eſſe communius contingit dupliciter, vel quia ſit abſtractius,ſimplicius,& tãquam principium,vt animal ſe habet ad hominem, & hoc eſt prius declarandum; vel quia id nomen ad plura extendatur, non autem quod ſit ſimplicius,& principium alterius;& hoc non prius eſt declarandum,& pręſertim dum ratio minus communis eſt prior: ita ſe habet de cauſa & principio; nam cauſa non eſt ſimplicior quàm principium,ſed ſolum de pluribus dicitur,& ratio principij ſecũdum quam conſideratur, eſt prior, vt pateſeci.

*Cõmunius duplex.*

## *De Ordine communium affectionum corporis Phyſici. Cap. XVIII:*

PRo communi notitia corporis Phyſici duo dicebantur conſideranda, communia principia,& communes affectiones;hinc Ariſt.abſoluta declaratione communium principiorum in primis duobus libris Phyſicorum,in principio Tertij nouo vtitur Procemio, & proponit declarandas communes affectiones,quæ vel competunt, vel competere videntur corpori Phyſico, & ſex enumerat,nempe motum,continuum,infinitum, locum, inane,& tempus:nonnulli addunt alias,vt ſenſibile,numerum,figuram,& magnitudinem,ſed minus recte;nam ſenſibile non eſt affectio communis, & prima corporis naturalis, ſed ſolum ei competit, dum mox refertur per ſenſibilia propria & communia ad ſenſum;figura non eſt affectio communis, ſed propria viuentium; magnitudo partim denotatur per continuum, partim eſt nimium remota a corpore Phyſico, & communis rebus Geometricis nec ita includitur in motu, vt continuum quod numeratur *vt incluſum in* motu:*ſimiliter* numerus eſt aliquid Mathematicum, non proxime concurrens ad conſtitutionem motus. Sex itaque ſunt communes affectiones conſiderandæ,quæ dupliciter conſiderari poſſunt, vel abſolute,& ita continuum eſt affectio prima;nam primum quod in materia recipitur eſt dimenſio, quam ſequitur continuum; vel cum relatione ad corpus Phyſicum, vt Phyſicum eſt, qua conſideratione motus eſt affectio prima: primo enim natura dicitur principium motus,per motum denotando etiam quietem:præſertim tamen proponitur motus, tum quia per motum noſcitur quies, tum inſuper quia motus competit omni corpori Phyſico,non autem quies, vt patet de Cœlo: Cum autem Ariſt. has affectiones conſideret cum relatione ad naturam, & naturale corpus, ideo iure primo de motu diſſeruit, & de cæteris verba fecit, quatenus cum motu complicantur, & pro motu requiruntur; de quo motu duplices formantur quæſtiones,ſimplices,& compoſitæ:ſimplices ſunt an ſit, & quid ſit: motũ eſſe conſpicuum eſt,ideo Ariſt.in tertio libro declarauit,quid ſit motus, mox in quinto libro pateſecit quotuplex ſit, & quomodo a mutatione ſecernatur; & iure:nam primo res eſt definienda, ſecundo diuidenda; diuiſio autem ad quæſtionem ſimplicem pertinet per quam partes inueniuntur;ideo in cont. 21. quinti lib. Epilogo dicta colligens,inquit,Quid igitur ſit motus,& quid quies,& quot ſint mutationes,& quæ ex mutationibus ſint motus,patet ex dictis,&c.ita Ariſt.nectit declarata in quinto lib.de motu,cum declaratis in tertio;inſeruit autem conſiderationem infiniti, loci, vacui, & temporis,quoniam hæc conducunt pro eſſe ipſius motus, & antecedũt diuiſioni eius, ideo cum explicatione ſimplicium quæſtionum nectenda fuerunt: Primo autem poſt definitionem motus agendum fuit de infinito,quia ſi daretur infinitum actu, non daretur motus, ideo hoc fuit reijciendum, & approbandum infinitum poteſtate, quod includitur in eſſentia motus,& mobilis: ſimiliter ſine loco,& ex opinione veterum,ſine vacuo non eſt motus, ideo de his vt de attinentibus ad conſtitutionem motus ante

*Communes affectiones ſex.*

*Aliæ quæ perperam adducuntur.*

*Cur primo de motu.*

*Cur inſeratur conſideratio aliorum.*

quam motus iam constitutus divideretur, fuit agendum. Declarationem loci sequitur declaratio temporis, quia tempus locum supponit, vt terminum motus, & non ita intrinsecus requiritur pro constitutione motus, vt locus; insuper infinitum pertinet ad id vt motus absolute sit, Locus ad eius constitutionem, tempus ad mensuram: Absolutis autē attinentibus ad quæst. simplices, se transtulit Philosophus post cont. 21. quinti libri ad compositas, & ostensurus qualis sit motus, & cur sit talis, quia primo occurrit quæstio de vnitate & multitudine; ideo primo declarauit, qui nam sit motus vnus qui nō, qui motus & quies, cui motui, vel quieti opponatur; ac ita quinto libro finem imposuit: Et quoniam motus vnus etiam est continuus, continui autem solum nomen declarauerat in quinto libro, ideo in sexto absoluit declarationem eius, manifestans esse aptum diuidi in infinitum, & non confici ex indiuisibilibus: Insuper quia motus est continuus ratione mobilis; ideo cum consideratione continui, nectitur ea consideratio, quod omne mobile sit continuum & corpus: præterea quia motui competit infinitū in diuisione positum; ideo considerandum erat an ei competat infinitum ex parte terminorum, & ostendit Philosophus id non posse ei competere; quia motus omnis inter definitos terminos versatur: Demum remanebat cōsiderandum an motui competat infinitum ex parte temporis, adeo vt dari possit motus vnus æternus & infinitus, quod in calce sexti libri considerandum, & declarandum proposuit: pro cuius exacta declaratione, primo in septimo libro nos parauit, mox in 8. lib. [illegible] vniuerse patefecit æternitatem motus, per quam, vt in causam & principium mox deducit nos in notitiam primi, continui, & æterni motus, assignando causam æternitatis eius, per eleuationem vsque ad primum motorem, ad quem cum nos eleuasset, iure optimo declarationi corporis Physici in communi finem imponit; nam eleuauit nos a materia infima per congruentia media vsque ad motorem supremum. Ex his patet miro ordine Aristotelem cuncta declarasse, quæ in libris Physicorū declaranda erant,

*Prima dubitatio.* At ex dictis prodeunt nonnullæ difficultates: prima est si Arist. in lib. Physicorū agens de motu resoluit vsque in primum motorem; igitur seruat ordinem resolutionis, non autem compositionis, vt dixi: *Secunda.* Altera est, cum continuum sit prius motu, & tanquam genus eius, cur Arist. de cæteris affectionibus prius, quàm de continuo verba fecit?

*Solutio primæ.* De prima dico ordinem non versari inter affectiones & earum principia: ea enim est Methodus non ordo: dum itaque Arist. æternum motum resoluit in æternos motores, inueniendo eos, mox per eos assignat causam æternitatis motus, ea est Methodus per notiora nobis, cum regressu, & est resolutio quæstionis, non considerationis rerum variarum. *Instantia.* At instatur adhuc, quia Arist. in declaranda natura, videtur vsus ordine definitiuo, qui ad resolutiuum redigitur: nam primo definit Naturam, mox declarat motum sumptum in eius definitione, & pertinentia ad illum; ideo doctissimus Leonicenus, *Leonicenus* & cum eo alij nonnulli viri docti aiunt Aristotelē in illis declarandis fuisse vsum ordine resolutionis; sed decipiuntur, quia definitio dicitur resolutio, dum est per principia & causas, non autem dum est per effecta & posteriora, qualis est definitio Naturæ per motum: ideo progrediendo a natura ad motum non est resolutio; omnis enim resolutio est reditus in principia, non autem progressus ad opera. *Solutio secundæ.* De altera difficultate cur Aristot. in sextum librum reiecit declarationem continui, cum continuum sit prius cæteris affectionibus: nam dum absolute affectiones inuicem comparantur, prima est continuum, secunda infinitum, tertia locus, quarta motus, quinta tempus: Respondeo, iam patefeci rationem ordinis seruati in declaratione cæterorū, ideo de continuo loquendo dico continuum tria includere: *Continuum tria includi* primo infinitum, quod explicatur in consideratione infiniti in tertio libro; secundo nomen proprium eius, quod quid denotet, manifestatur in quinto Physi. tertio quid sit, siue ex quibus constituatur, quod declaratur in sexto libro, & ostenditur non constare ex indiuisibilibus: reiecit autem eius explicationem in illum librum, primo, quia Arist. considerauit continuum, vt affectionem motus, & quamuis alia consideratione continuum sit prius, tamen vt affe-

ctio constituens quæstionem compositam, posterius fuit considerandum: Altera ratio est, quia continuum non est genus motus, cum motus non primo, sed ratione alterius sit continuus, vt docet Philosophus in quinto Metaphysicæ 18. & potius sit affectio, quàm genus; tertio, id factum fuit, vt inuicem nesterentur considerationes motus attinentes ad finitum & infinitum: nam motus omnis est finitus ex parte terminorum, infinitus vero ratione continui inclusi, diuisionis eius, & conseruationis, de quo in calce sexti proponitur agendum, vt dixi: Præterea id factum fuit, quia considerare motũ, vt diuisibilem in infinitum pertinet modo aliquo ad considerationem diuisionis eius, de qua cępit Philosophus in quinto libro verba facere. His demum accedit, quod cõtinuum est affectio minus principalis, minusq; propria corporis Physici, & potius magis propria magnitudinis Geometricæ; ideo ne tam prolixa consideratio insereretur inter considerationes magis proprias Physici, in posteriorem locum reiecta fuit.

## *Definitio Philosophiæ.* *Cap. XIX.*

Tradita diuisione disciplinarum, & declarato ordine, sequitur vt quid sit Philosophia manifestemus: Formantur de Philosophia primo duæ quæstiones simplices, an sit, & quid sit. De prima quęstione hoc mirabile est, quod nemo potest Philosophiã euertere, quin simul eam constituat; indagare enim an sit, & eã rationibus demoliri, est philosophari. De secunda quęstione etiã hoc mirabile est, quod eã definiri nequeat, maxime tamẽ definitur: nam exacte definiri non potest, leuiter autẽ & adumbrate, varijs modis circonscribitur: Non valeat exacte definiri, primo quia non est substantia; exactę autem definitiones substantiarum sunt ex septimo Metaphysicę: secundo quia nõ est species vltima, quæ sola, cum sit postrema perfectione prædita, valet perfecte definiri: tertio quia non est aliquid vniuocum & natura vna in omnibus eadem, sed ab vno: quarto quia perfecte definitiones sunt rerum natura constantiũ, de quibus formatæ sunt sciẽtiæ; Philosophia vero humano ingenio formata est; Varię autem dantur eius descriptiones ex varijs eius causis, fructibus, & affectionibus deprompteæ, quas ego retuli in libro de Rerum definitionibus. Nunc autem, cæteris silentio obuolutis, eas tantũ tradam, quas cæteris præferendas existimo, & ordiens a Philosophia vniuerse sumpta dico, Philosophia vniuersa est habitus humanę Mentis Mundum quauis ratione scienter contemplans, hominumque componens actiones, ex interna ingenij per naturam commotione, & fęcunditate ortus, vt summo bono pro facultate frueremur; Ex communi hac definitione ex omni genere causæ constituta facile eliciuntur definitiones singularum partium: Nam Philosophia inspectrix est habitus humanæ Mentis, Mundum quauis ratione scienter contemplans, ex interna animi per naturam commotione, ingenijq; fęcunditate ortus, vt summo bono in veri inspectione posito fruamur. Metaphysica est Philosophia inspectrix, per naturam prima, omne quod est, quatenus est, scienter contemplans, ex interna animi per naturã instigatione, ingenijque fęcunditate orta, vt summo bono in supremo cõtemplationis gradu posito frueremur; Sciẽtia de Natura, est Philosophia inspectrix corpus Physicum scienter contemplans ex interna animi per naturam instigatione, ingenijque fęcunditate orta, vt homo eo bono frueretur, quod in Physicorũ cõtemplatione est positum, & ad contemplationem diuinorum eleuaretur. Mathematica est Philosophia inspectrix, quantum, vt quantũ est, scienter considerans, ex interna animi commotione, ingenijque fęcunditate orta, vt summo bono in quanti contemplatione posito frueremur, & ad diuinorum inspectionem aptiores redderemur; At de attinentibus ad huiusmodi definitiones duplex occurrit dubitatio; Prima est, quia in definitione vniuersę Philosophiæ apparet diuisio eius in Theoricam, & practicã, diuisio autem a definitione distinguitur. Altera est, ad quem artificem pertineat Philosophiam definire; De prima difficultate dico, cum

*An Philosophia sit.*

*Definitio Philosophia.*

*Variæ descriptiones eius.*

*Philosophia vniuersa.*

*Philosophia inspectrix.*

*Metaphysica.*

*Scientia de Natura.*

*Mathematica.*

*Prima dubitatio.*

*Secunda.*

*Solutio prima.*

Philosophia non sit aliquid vniuocum, sed ab vno, & non sit natura vna in omnibus eadem, ideo non redditur nota, nisi per contenta sub ea, & propterea non est absurdũ vt in eius definitione appareat enumeratio; quod etiam fecit Arist. definiens enunciationem, & tradens communem Animę definitionem, quod sit Principium nutriendi, sentiendi, mouendi & intelligendi: similiter id seruauit Galenus definiens Artem medendi, quod sit scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum; De altera difficultate, ad quem pertineant huiusmodi definitiones; Respondeo eas & præsertim cõmunem Philosophiæ definitionem attinere ad disciplinas communes, qualis est Dialectica & Metaphysica: Dialecticus id facit populariter, & per communia, Metaphysica vero sciẽter, & per propria: hinc absolute dicũtur ad Metaphysicum pertinere. Cõfirmatur, quoniam huiusmodi definitiones ad eas disciplinas pertinent, quę sunt liberę, vagantur per omnia, indagant principia cunctarum scientiarum, & earum terminos iudicant; huiusmodi præsertim est Metaphysica: hinc Arist. in sexto Metaphysicę Philosophiam in partes diuisit; At dubitabit aliquis, quia sic Arist. esset diminutus, cũ in Metaphysica Philosophiã & eius partes non definiuerit: Respondeo non esse necessarium in Metaphysica omnia definire, sed esse satis tradere methodum & regulas, per quas habitu Metaphysico omnia definiantur. Definiuit Arist. in 2. Metaph. cont. 3. Philosophiam inspectricem, quod sit scientia veritatis, manifestauit Philosophię practicę finem esse bonũ, quod in actione est collocatũ; similiter manifestat in sexto qui & quales sint habitus Mentis, in quibus versentur, ex quibus definitiones Philosophię & partium eius eliciuntur; Et ne dum ipse definit, verum etiam regulas tradit ceteris disciplinis, quomodo definire debeant; Et ne dum considerat constituta per naturam, sed etiam constituta per intellectum; & considerans ea, vt sunt entia, considerat essentias, & quidditates eorum, quę per definitiones explicantur.

*Arist.* *Galenus.* *Solutio secundæ.* *Dubitatio.* *Solutio.*

## *Resolutio Philosophiæ in quatuor genera causarum. Cap. XX.*

QVONIAM tunc vnumquodque prędictum causis exactę cognoscimus, dum id in sua principia & causas resoluerimus, ideo, vt exactius Philosophia, eiusque definitio refulgeat, omne genus causę considerare tenemur: ordiens autem a forma, quia accidentia, cum sint formæ, solum habent formam explicantem esse, denotatam per genus, ideo dico formam communem Philosophiæ esse disciplinam, formam magis propriam esse habitũ, quæ deinde per sequentes differentias contrahitur, & cum Philosophia reciprocatur. Hæc ea forma est, qua homines intus formosissimi redduntur, per quã, vt eis licet, redduntur similes Deo; vt enim Deus sua conditione cuncta includit, noscit, & gubernat, ita homo per Philosophiam noscit omnia, noscendo fit ea, & ad imitationem diuinorum gubernat humana. Et quia formæ officium est, vt sit principium agendi, ideo etiam Philosophia principium est, per quod homo cum sapientia & prudentia operatur; hanc formam Socrates apud Apuleium significauit, dum adolescenti dixit, si vis vt te videam, loquere; nam qui sapienter loquitur, se intus formosum patefacit; Hæc est ea forma, quam diligunt viri probi & sapientes; Materia Philosophiæ duplex est; vna in qua recipitur, altera circa quam versatur; prima est Mens, siue Anima rationis particeps, in qua quomodo recipiatur in lib. de Humana Mente explicabitur: Materia, circa quam versatur, est Mundus totus, hominisq; actiones: Vtraque materia per definitionem explicata est, a causis internis ad externas progrediens. Pro notitia efficientis considerandum est, causam efficientem Philosophiæ esse duplicem, vnam proximam, alteram remotã: causa remota duplex est, Deus, & Natura; Proxima etiã est duplex vna organica, altera principalis, ordiens a causa communi remota; Deus

*Forma Philosophiæ.* *Materia Philosophiæ.* *Efficiens.*

cui

cui Natura famulatur, dicitur principium Philosophiæ; quod quomodo fiat, a Theologis, Academicis, & Peripateticis vario modo explicatur. Ex sententia Theologorũ, quæ regula est cæterarum, Philosophia est munus Dei, primo quia creatus a Deo fuit Adam omni scientiarum habitu cumulatissime ornatus; secundo quia Moysi in Monte veritatem omnem Deus reuelauit; & inde aiunt sapientes Hebræorum fluxisse Chabalã; Tertia quia per Prophetas, & per vnigenitum filium omnis ignorantiæ caligo a recte affectis animis fuit longe repulsa, & continenter per internum aliquem contactum repellitur. Ex sententia autem Platonis, Philosophia est Dei Munus, quatenus per ideas Mentis, & rationes animæ, est nobis inserta; ac ita est coęua animę nostræ, & scientia nostra est quædam reminiscentia. Demum ex opinione Arist. Philosophia est munus Dei & Naturæ, quatenus horum munere præditi sumus facultate formandi illum, ac insuper donati sumus interna quadam propensione, & naturæ instinctu ad verum & bonum, de quo legitur in procemio Metaphysicæ omnem hominem instinctu naturæ expetere scientiã, & in procemio Nicomachiorum omnem Methodum, actionem, & prælectionem tendere in bonum: desiderium autem veri & boni est desiderium Philosophiæ. Theologi, & Platonici concedunt quod de origine Philosophiæ dicitur a Peripateticis; at præter id addunt modum proprium: Deus itaque & Natura sunt Principia communia & remota Philosophiæ; Principium magis proprium & proximum dicebatur duplex, organicum & principale: organicum adhuc est duplex, nẽpe disciplinę, quę organicæ dictæ sunt; & vigilię ac labores, sine quibus nullam scientiam consequimur. His extrinsecus accidit fauor Principum, qui dum studiosos fouent & eleuant, se reddunt parentes scientiarum. Ex aduerso principium proximum principale est ingenium perspicax, illis conditionibus præditum, quas cumulatissime retulit Plato in sexto de Repub. quale fuit illud Pythagoræ, Platonis, & Arist. Sed ex dictis prodeunt nonnullæ difficultates, quarum prima est, quia efficiens, & materia non veniunt in idem; at ego Mentem & materiam, & causam efficientem dixi Philosophiæ; & confirmatur, quia non anima, & Mens philosophatur, & intelligit, sed homo, ex primo de Anima. 65. Præterea æternorum, vt sunt æterna, non est causa efficiens, Philosophia ex sententia Arist. in primo de Cœlo & primo Meteororum æterna est, vt etiam asseritur ab Auer. 3. de Anima conr. 5. De prima difficultate dico materiam proprie sumptam non venire in idem cum efficiente, cum pœnitus sit expers formæ; materiam vero late sumptam posse distincta ratione venire in idem, vt se habet de anima, quæ est locus specierum & indagatrix veri; & quamuis homo vt principium adæquatum intelligat; anima tamen, siue Mens est principium & prima ratio, per quam intelligit. De altera difficultate dico eos qui Philosophiæ celebrantur inuentores, ex sententia Aristotelis non absolute inuentores, sed redintegratores iudicari debere. Sequitur vt de fine agamus, qui ex vtilitatis explicatione refulgebit.

*Ex sentẽtia Platonis.*

*Ex opinione Arist.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

## *De vtilitate Philosophiæ.* *Cap. XXI.*

PLVRIMI, & apprime salutares sunt illi fructus, qui ex amplissima Philosophiæ Planta vberrime prodeunt; de quibus varia ab Alexandro, Simplicio, Auer. & alijs illustribus Philosophis enunciata leguntur; Nam vtilitas ex Philosophia prodiens duplex est, vna Principalis, altera secũdaria. Vtilitas principalis, cuius gratia formata est Philosophia, nõ est diuitiarum copia, quam recte instituti Philosophi paruipendunt; neque etiam voluptatum corporis adeptio, cum Philosophia nitatur pro facultate purgare animos, eosque a corporis labe secernere; sed ea iudicari debet, quæ vere est finis, cuius gratia Philosophia, & est summum bonum, quo licet homini frui hanc vitam ducenti; ex quo refulget mira consensio Philosophiæ cũ hominis conditione, adeo vt finis vnius

*Vtilitas principalis.*

etiam

etiam sit finis alterius. Et quoniam summum hominis bonum est actio virtuti perfectæ cōsentanea, ideo huiusmodi actio etiam statui debet finis, & vtilitas Philosophię. Insuper quia Philosophia, perfectaque virtus est duplex, vna pertinens ad mores, altera ad inspectionē veri, ideo etiam duo sunt gradus humanæ felicitatis, vnus in actione, alter in contemplatione positus; ex quibus consurgit summum hominis bonū omni ex parte perfectum. Et quamuis Philosophia inspectrix proxime pariat summū bonum contemplationis, ciuilis vero moralis actionis; tamē quia cognitio veri est Dux proborum actionum, & Philosophia inspectrix ciuilem parit, ideo colligere valemus ex inspectrice Philosophia, tanquam ex Principali fonte, vniuersum hominis summū bonum manare. Quod ex ea prodeat summum contemplationis bonum, nemo inficiatur, cum hoc sit proprium eius; quod autem ex eadem etiam prodeat summum bonum ciuile, per dicenda patebit; nam primo latius attinentia ad finem proprium sunt explicanda. Inspectrix Philosophia, quę veri indagatrix dicitur, nil aliud quærit, & optat, nisi verum inspicere, in cuius inspectione summum hominis bonum hanc vitā viuentis esse positum varia nobis patefaciunt, & præsertim quia per internam animi commotionem nil magis optamus, quam verum noscere, nec vnquam maiore, ac sinceriore delectatione afficimur, quam dum per inspectionem veri cum prima causa iungimur; nam ab eo solum valemus recipere bene esse, a quo suscepimus esse; & cum separatæ Mentes contemplando beentur, putandum est id ipsum nostræ Menti competere. Cum autem inspectrix Philosophia in tres partes sit diuisa, nō est putandum ex eis tres summi boni gradus consurgere, vt nōnulli existimant, sed solum dicendum est Mathematicam parare, Physicam eleuare, Metaphysicam id absoluere & perficere. Nam summum bonum est aliquid absolutum & omni ex parte perfectum. Parit Philosophia inspectrix summum bonum, non quia ad illud nos disponat, vt existimauit Auer. sed quoniam ipsamet, tanquam forma id constituit, vt sanitas reddit hominem sanum, quemadmodum id declarat Arist. in sexto Nicomachiorum: & dum vir sapiens non speculatur, dicitur felix habitu, dum vero speculatur, dicitur felix & habitu & actu; sententia est Auerrois nomen hominis dici de perfecto per scientias inspectrices, & de carente ea perfectione, & non apto eam assequi æquiuoce; quod quomodo debeat intelligi exacte explicaui in nono gradu Ciuilis Philosophiæ. Summum itaque bonum in contemplatione positum, est propria vtilitas, propriusq; finis Philosophiæ inspectricis. Vt autē pateat quomodo ex contemplatione veri prodeant Virtutes morales, & summum bonum Ciuile, quinque fundamenta accurate sunt perpendenda. Primum est, quia Ciuilis Philosophia ab inspectrice recipit principia, & ex ea pendet; quicquid autem est causa causæ, dicitur causa pendentium ex ea. Alterum est, quia per inspectricem Philosophiam noscimus verum, & naturam rerum, & iudicamus quanti vnumquodque facere debeamus; quicunque autem vnumquodque tāti facit, quanti fieri debet, recte moribus est institutus. Tertium est, quia per scientias inspectrices intuemur Leges Prouidentiæ, Fati, & Naturæ, quæ sunt Leges originales, & exemplaria Ciuilium, cum quibus conformari tenemur; ac insuper inspicimus in superis causis origines & eminentias earum Virtutum, & præsertim Iustitiæ & Liberalitatis, quibus pro facultate tenemur honestari; hæ namque splendidissime in Vniuersi ordine refulgent. Quartum est, quia per inspectricem Philosophiam noscimus nos ipsos, percipimus cuncta ex Deo prodire, Deiq; esse, ideo iudicamus teneri nosmetipsos retribuere Deo. Quintum est, quia cognitio veri est Dux rectarum actionum, est eminens quædam & Heroica a corpore secretio, & expurgatio hominis, ex qua consurgit recta hominis institutio: iure igitur dictum est, Philosophiam inspectricem etiam conducere pro adeptione summi boni Ciuilis. At oritur dubitatio, quia Virtutes morales more & assuetudine acquiruntur, non disciplina, & inspectione veri, vt in secundo Moralium Nicomachiorum docuit Philosophus; & cōfirmatur, quia contemplatio non ducit ad actionem, sed ad cognitionem veri ex se optandam, non

*Quid quærat Philosophia inspectrix.*

*Sententia Auer.*

*Quō ex contemplatione prodeant uirtutes morales.*

*Dubitatio.*

ob

*Solutio.*

ob aliud. Respondeo Virtutes morales tribus modis in nobis gigni posse; primo proprie & per principia eis proprie respondentia; & id fit more & assuetudine in operibus, illi virtuti respondentibus; Secundo id fit per connexionem; cum enim morales Virtutes iunctæ sint, dum assuescimus, & exercemur in actionibus congruentibus vni Virtuti, per connexionem acquirimus alias; Tertio id fit per causas, per priora, & principia; nam constans & firma Prudentia ducit principia sua ex sapientia; ideo Plato ex Sapientia dixit dari progressum ad Prudentiam. Et quamuis cōtēplatio proxime ducat in cognitionem veri, ea tamen cognitio, dum mox dirigitur ad agenda, est principium, & regula rectę actionis.

*Auerroes.*

Auer. sequens Alexandrum, & ostendens quomodo per inspectionem naturæ rerum, euadamus fortes, inquit Periodum vitæ nostræ ad vniuersi æuū perinde se habere, ac Punctum ad Lineam, finitum ad infinitū; quod intelligi debet, non quia inter ea sit ratio, sed per negationem, quasi dicat, vt pūcti ad Lineam, & finiti ad infinitum nulla est ratio, ita periodi vitæ nostræ ad æuum vniuersi nulla est ratio, & ob id vitam nostram magnifacere nō debemus, sed dum nobis se offert occasio, cōstanter tenemur potius subire pericula mortis terminantis breuem vitæ periodum, quam scelus patrare labefactans vniuersum nostrum bene esse.

*Controuersia.*

Insuper inquit Auer. quod vir Sapiens, vt honestum assequatur turpiaq; vitet, honestam mortem turpi vitæ præfert; Oppositum videtur asserere Arist. in 3. Nicomachiorum cap. 9. inquiens, Quo magis homo omni virtute fulget, & felicior est, eo magis ob mortem sanè dolebit; Vir enim talis maxime dignus est vita, maximisq; bonis per mortem priuatur id ipsum sciens, & ob id ipsum dolorem sentiens. Demum dubitatur quomodo Mors possit dici optabilis, cum sit interitus, Priuatio, Malum, & vltimum Terribilium.

*Solutio.*

De prima difficultate dico Virum probum erga mortem dupliciter considerari posse, vel vt agentem id, quod honestum est, & ita exultat & lætatur, vt lætabantur martyres properantes ad martyrium, vel vt varijs priuatur bonis, ac ita tristatur; lętitia tamen eius præstat tristitiæ; ideo quamuis aliqua ex parte tristetur, tamen ob honesti desiderium, ne labatur in scelus, mortem constanter obit. Alteram difficultatem diluens dico Sapientem ex accidenti mortem præeligere, per se autem optare honestum & fugam sceleris; ac ita vitam breuem & honestā præfert diuturnæ & turpi.

## *Dubia aduersus vtilitatem Philosophiæ Inspectricis.* *Cap.* XXII.

*Dubitatio.*

NOn leuem parit difficultatem id, quod dictum est Philosophiam inspectricem eximiam vtilitatem præbere ciuili, cum potius ei obesse & aduersari videatur; cōtemplatio enim solitudinē expetit, a cętu hominū nos distrahit, & ab actionibus ciuilibus nos reuocat. Nam, quæso, quā vtilitatem pro recta Reip. administratione præbere valet contemplatio primæ materiæ, cognitio principiorum generationis & similium? & confirmatur

*Confirmatio.*

authoritate Platonis in Timæo dicētis Philosophū speculari attinētia ad vniuersum, his, quæ ante oculos sunt, neglectis: hinc Thracensis ancilla Thaletem facete carpsit, quia intentus sydeibus in foueā cecidit; similiter in Theeteto asseruit Philosophus in rebus agendis se deridendum patefacere; & in Gorgia addit, Philosophia gratiosa res est, & venusta, siquis illam moderate, & in adolescentia attingat; at si vltra modū tempus in ea contriuerit, hominum est corruptela. In Phædone in persona Socratis inquit, cum Naturali scientiæ incumberem, vsq; adeo sum obcęcatus, vt ea etiam quę prius manifestę sciebam, dediscerem; & in Apologia addit, Communi voce facile Philosophis hæc obijci solēt, eos neque sublimia super Terram, neque profunda sub Terra, neque Deos esse putare. Quod confirmatur, quia Philosophia in varijs pugnat cū nostra Theologia, quæ verissima est. Demum afferunt instantia adducta a Plat. in sexto de

to de Repub. relata ab Alexandro, mox ab Auer. in procemio Phy. & est quia experiẽtia & opera aduersantur rationi ostendenti vtilitatem eius; conspicuum enim est plurimos extitisse Philosophos, varijs vitijs inquinatos, & habitibus virtutũ moraliũ destitutos. Pro solutione harum & similium difficultatum accipio primo id, quod dicitur ab Aristot. in decimo Nicomachiorum cap. primo, nec non in septimo de Repub. cognitionem vere primo conducere pro rerum contemplationẽ, mox pro recta actione: Addo secundo, dum loquimur de rerũ conditione, nos teneri id cõsiderare, quod illis competit per se, non quod ex accidenti; insuper quod illis competit per vsum rectum, nõ per deprauatum: Addendum tertio ex sententia Arist. in primo Rhetoricorum nos cunctis bonis posse male vti, præterquam virtute morali, in cuius ratione est vsus rectus. Accipiendum quarto est, aliud esse loqui de probitate ciuium, & loqui de officijs varijs, quibus funguntur, egentibus assuetudine & experientia, vt eis recte fungamur. Addo quinto Philosophiam absolutam, cum absoluta veritate pugnare non posse, cum ea sit indagatrix veri: & dum recedit a vero, non seruat conditionem Philosophiæ, sed deprauationis eius. Ex his eliciuntur solutiones aduersarum rationum.

*Solutio.*

*Solutio prima.* Dicebatur primo contemplationem nos secernere a congressibus ciuilibus; Respondeo primo, dum nos ab eis reuocat, non ob id reuocat a probitate; addo insuper, quod dum nos ab eis reuocat, simul per inspectionem veri nos format, & dirigit ad actiones probas. Præterea si aliquis, dum teneretur, meliusque esset agere, specularetur, erraret; veluti errasse, & damnandum fuisse Archimedem existimo, qui, dum patria ab inimicis caperetur, & cuncta peruerterentur, ipse occlusus in suo Thalamo, Mathematica speculabatur. Nec inutilis est contemplatio Principiorum Mundi, cũ per ea noscamus Deum, erga quem dum recte sumus affecti, erga omnia sumus recte dispositi. Cætera, quæ ex Platone referebantur, patefaciunt detrimenta, quæ ex prauo vsu ortum ducunt; Inutiles sunt captiosæ quædam Sophistarum argutiæ, & redundantes disputationes, ob quas dixit Plato in sexto de Repub. somniare nonnullos, non philosophari; & Seneca ad Lucillum dixit. Quæ Philosophia fuit, reddita est Philologia: similiter perniciosa est nonnullorum audacia, qui cum vix Dialecticis Principijs sint imbuti, vna cum Hippia putant se omnia scire; & neglectis cæteris, ea sola magnificiunt, quorum leuiter se inuentores enunciãt. Insuper ex sententia Platonis illi etiam, qui recte philosophantur, suoque officio (vt decet) funguntur, nonnunquam inutiles sunt, non ob eorum, sed ob Principum, & Populorum deprauationem, qui eos paruipendunt, expellunt, minimeque eis obtemperant; vt inutiles sunt Medici; dum qui morbo laborant, negligunt mandata eorum, vt in sexto de Repub. latissime patefecit Plato. Instantia sumpta ex Socrate, qui eam nuncupabat deprauationem, diluitur asserendo id contingere, vel ob vsum prauum, vel quia ea erat non absoluta Sapientia, sed deprauatio Sophistarum; Nam ex sentẽtia Platonis quatuor modis potest homo se ad Philosophiam, & ad scientias habere: Primus est puerorũ, qui nec sciunt, nec putant se scire: secũdus est eorũ, qui in vmbris, & participationibus Idearũ versantur, quę cũ sint vmbræ, iudicantur res serię; & illi ita affecti putant se scire, cũ non sciant: Tertius est eorum, qui incipiunt animaduertere eas esse vmbras, veras autem rerum essentias esse Ideas; in quo Tertio gradu Socrates se constitutum indicabat, dum enunciabat se hoc scire, quod nil sciret, ac ita latenter Sophistas carpebat, in secundo gradu constitutos: supremus gradus est sapientum, qui excitati per vmbras, eleuati per rationes, formati per Ideas, essentias rerum intuentur, quod paucissimis competit. Et dum quæritur quę sit conditio, quod officium, & qui Locus Viri Philosophi in Vrbe, & Ciuili ordine, Dicendum Philosophum ad tria posse referri; primo ad Deum, secundo ad se, tertio ad Principem Reip. & Populos. Dum primo refertur ad Deum, dicitur ei similis, ei amicus, ei sedens a Secretis, inspector eius, & admirator: Dum secundo in se conuertitur, se intus recte format, animi perturbationes componit, tranquillitatem sibi parat, redditur Faber suę rectæ cõstitutionis, & Regia forma etiam sine Regno se format,

*Quadruplex dispositio erga sciẽtiam.*

mat; quæ Regno præstat, & antecellit: Dum tertio refertur ad Principem Vrbis & Populos, est exemplar vitæ recte institutę, est consultor optimus, institutor, seruator, & emendator Formę Reip. & legum eius; hinc iure enunciauit Plato, tunc Respublicas & Populos recte se habere, dum Principes philosopharentur. Ex his, quæ dicta sunt, conspicue refulget vtilitas Principalis & propria inspectricis Philosophiæ, insuper vtilitas secundaria ex prima pendens. At datur insuper vtilitas tertia, quæ alias consequitur, & ea est, quam præbet Artibus; Philosophia enim Artes parit, eisq; principia largitur; nulla enim est Ars alicuius precij, quæ ex Philosophia non pendeat, vt in precedentibus patefeci; Artes tamen non debent iudicari fines Philosophiæ, sed fructus, ex finis fęcunditate prodeuntes, qui mox in Philosophiam, vt in proprium finem redundant; nam Artes contemplationi, tanquam fini famulantur & inseruiunt: Latius de his verba feci in Philosophia Ciuili.

*Triplex vtilitas.*

## *De subiecto vniuersæ naturalis Scientiæ.* Cap. XXIII.

DECLARATIS communioribus ad Naturalem Scientiam nos manuducentibus, ad magis propria descendens, vt scopum mihi proponam, primo de subiecto vniuersæ Naturalis scientiæ verba faciam; ad cuius explicationem vt paratiores accedamus, explicabo primo communia nōnulla, ad nominis significationes, & conditiones eius pertinentia. Subiecti nomen multa denotat: dicitur enim primo de subiecto, cui accidentia inhæret; dicitur secundo de subiecto enunciationis, de quo dicitur Prædicatum; tertio de subiecto imperij, quo Populi subijciuntur Principi; quarto de subiecto actionis, siue effectiones, & est res illa, in qua Prudentes, & Artifices operando versantur; quinto dicitur de obiecto facultatum iudicantium, vt color dicitur subiectum visus; Dicitur sexto de quouis, quod sub altero collocatur, vt Musica dicitur subijci Arithmeticæ, & Terra Elementis; Demum dicitur de Genere scibili, quod considerationi scientiarum substernitur; *in qua significatione* modo de Subiecto sermo est, Cuius varia sunt nomina; dicitur enim subiectū, Materies, Genus scibile, Scopus, Datum, siue cōcessum, obiectum, & oppositum: dicitur subiectum, non quia prænoscatur; ita enim principia quoq; subiectum essent; nec, quia prænoscitur, ideo est subiectum, sed vice versa, quia est subiectum, prænoscitur; sed subiectum dicitur duplici ratione; primo quia subijcitur affectionibus, quæ de eo demonstrantur; secundo quia nostræ considerationi substernitur: qua duplici ratione frequenter etiam materies scientiæ nuncupatur. Dicitur tertio ab Aristotele in primo Poster. Genus scibile; genus dicitur, quia est aliquid commune, potestate multa continens, præditum partibus, vel gradibus, tanquam speciebus, & genus est vel vniuocum, vel saltem ab vno, vt docet Philosophus in 4. Metaphysicæ con. 2. additur scibile pro eius distinctione a Genere Logico, quod est genus prædicabile, & secunda notio; & scibile dicitur per relationem ad definitionem, demonstrationem, & principia sua, per quæ in scientia explicatur & scitur; Insuper dicitur Scopus, nam est id in quod, vt in scopum omnis nostra consideratio dirigitur; & propterea dicitur id, quod intenditur, siue optatur; pro cuius lucidiore explicatione considerandum, reperiri has voces, intendens, siue expetens, intentio, quæ consilium & institutum dicitur, & id quod intenditur, siue optatur. Quid sit intendens ex se patet; est enim ille, qui scopum attingere, finemq; assequi nititur; intentio mediat inter intendentem, & finem siue scopum; orditur enim ab intendente, & in scopum dirigitur. Id quod intenditur & scopus est duplex vel internus, siue scopus operationis, & est forma & perfectio rei: vt scopus ædificatoris, qui ab eo intēditur, est forma & perfectio domus: vel externus, qui dicitur finis rei genitæ, & est habitatio: vt enim datur finis generationis, & rei genitæ, ita datur duplex scopus, & duplex quod intenditur. In scientijs qui eis dat operam intendit; intentio orditur ab eo, & tendit in subiectum

*Ordo seruādus.*

*Nomen subiecti.*

*Subiecti nomina.*

pro esse cognito, id quod intenditur est duplex, primo subiectum pro esse cognito, nam eius cognitio optatur; secundo summum bonum ex ea cognitione consurgens: ex quo patet quod subiectum & intentio, dum proprie vsurpatur, distinguuntur: quia tamen nonnunquam sumitur via pro scopo, & fine eius, ideo etiam nonnunquam subiectum nomine intentionis denotatur; id tamen fit minus proprie. Gal. in lib. de optima secta ad Thrasybulum inquit, Artis Medendi vnum est propositum, sanitas; finis vnus, & est eius consecutio; modi consecutionis multi. In libro autem, qui introductio & Medicus dicitur, Galenoq; adscribitur, legitur id quod operatur, & non attingitur dici scopum; dum vero attingitur dici finem: at huiusmodi distinctiones raro seruantur. Insuper subiectum nuncupatur obiectum & oppositum; vt enim sensibile est obiectum sensus, eique opponitur oppositione relatiua, ita genus scibile est obiectum animi nostri, quærentis scientiam: frequenter Arist. obiectum sensuum nuncupat oppositum, vt patet ex 2. de Anima cont. 136. 144. & 2. de Ortu & Interitu cont. 7. Demum subiectum nuncupatur datum & concessum, quatenus eo supposito, & dato, de eo quæruntur affectiones, vt in primo Poste. inquit Philop. At ex dictis pulchra emergit dubitatio; cum enim subiectum dicatur genus, quæritur an species possit statui subiectum alicuius scientiæ; si statuetur, subiectum non erit genus; si non valuerit esse subiectum, non erit scibilis. Respondens dico speciem esse subiectum intelligi posse dupliciter vel vniuersæ alicuius scientiæ, vel partis eius: Vniuersæ alicuius scientiæ subiectum non est, vt patet de Physica, Mathematica, & Metaphysica, partium vero subiectum esse potest; vt enim totum se habet ad totum, ita pars ad partem; non autem est subiectum scientiæ totius, quia eiusdem scientiæ est considerare genus & partes eius, vt dicitur in quarto Metaph. cont. 2. Insuper speciebus eiusdem generis competit idem considerandi modus: Addo tamen, quod si alicui postremæ speciei competeret proprius aliquis considerandi modus, non esset absurdum, vt ea statueretur subiectum, vt se habet de Deo supera reuelatione patefacto, considerato in Theologia: & dum instatur quia Scientia dicitur vnius generis subiecti, respondeo Aristotelem tunc considerasse vniuersas partes Philosophiæ: addo insuper nomine generis scibilis, posse denotari quodlibet vniuersale, vel sit genus, vel species.

*Intentio & subiectū distinguntur.*
*Galenus.*
*Dubitatio.*
*Solutio.*

## *Diuisio subiecti & conditiones eius.* Cap. XXIIII.

DECLARATIS attinentibus ad nomen subiecti, de eius diuisione, & conditionibus agendum est. Subiectum scientiæ vsurpatur dupliciter, vel vniuerse pro omni eo, in quo versatur scientia, de quo Aristot. in primo cont. lib. de Cœlo ait Scientiam de Natura fere plurimum versari circa corpora, magnitudines, affectiones, & Principia: Vel vsurpatur magis proprie, vt contradistinguitur à principijs, & affectionibus eius, de quo modo sermo est. Subiectum ita sumptum triplex est, vel commune & remotum, vel adæquatum & proximum, vel pars adæquati; Insuper subiectum sumptum pro parte est duplex, vel est pars præstantissima, vel minus præstans: Insuper pars præstantissima est duplex. Vel est primum ab vno, per quod cætera dicuntur talia, vt substantia se habet inter cōsiderata a Metaphysico, Vel solum est primum dignitate, vt Homo se habet inter animalia, & Visus inter externos sensus. Dum pars potissima fuerit primum ab vno, tūc ea proprie dicitur subiectum, cum cæterorum sit causa, & modus considerandi, per illud competat alijs. hoc nos docuit Arist. in 4. Metaphysicę cont. 2. inquiens, Patet igitur vnius etiam esse scientiæ ea quæ sunt, quatenus sunt, speculari, vbique autem scientia ipsius est proprie primi, ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur; si autem hoc est substantia, oportet Philosophum principia causasq; substantiarum considerare, &c. Insuper animaduertendum, quod dum subiectū fuerit genus ab vno, non est necesse ostendere communes affectiones de eo, sed possunt ostendi de partibus, &

*Subiectum triplex.*

præsertim de prima, vt docuit Auer. in 1. Post. 179. Ratio est, quia id, quod est ab vno, non est natura vna in omnibus eadem, sed varia, & affectiones competunt contentis sub eo modo vario. Propterea vt distinctius noscantur, de singulis sunt ostendendæ, præsertim tamen de primo; nec valemus distincte noscere commune ab vno, non notis contentis, quia tale commune vel nihil est, vel posterius, vt dicitur in proœmio de Anima cont. 8. Insuper subiectum resoluitur in rem consideratam & modum considerandi, vt patefecit Philosophus in secundo Phy. 17. & explicauit Auer. in 1. Post. 178. Modus considerandi est tanquam differentia & forma, contrahens rem consideratam ad definitum, & proprium considerationis modum, per quam scientia vna ab altera distinguitur: valent scientię variæ rem eandem considerare, at non eodem considerationis modo; Præterea considerandum est, quod dum subiectum fuerit vniuocum, semper primum & potissimum, quod consideratur, & cuius gratia considerantur alia, est ipsum totum, quod est subiectum adæquatum, non autem pars præstantissima eius; nam ea quoque consideratur in gratiam totius vt se habet consideratio ignis in consideratione Elementorum; Species nobilissima vniuoci generis, solum poterit dici subiectum principale, comparando inuicem varias species eius, at non comparata cum genere; neque etiam absolute poterit dici subiectum, cum cæteræ species non includant modum considerandi ob illam.

*Modus considerandi.*

Cum autem multiplex apparuerit subiectum, sermo nunc est de subiecto adæquato, cuius patefaciendæ sunt conditiones, quæ a Scoto, Gandauense, Ludouico Boccaf. & alijs variæ & vario modo referuntur; quibus silentio obuolutis, assero conditiones omnes subiecti in tria capita debere redigi. Cum enim subiectum constet ex re considerata & modo considerandi, triplici ratione valent ei competere conditiones; primo ratione coniuncti; secundo ratione rei consideratæ; tertio ratione modi considerandi. Primo ex toto coniuncto prodit hæc conditio, vt prænoscatur quod sit, & quid sit, vt in 1. Post. docuit Philosophus. Secundo ex re considerata fluit, vt sit genus vnum scibile, & si tale fuerit, erit vel vniuocum, vel ab vno non æquiuocum; insuper erit reale & præditum principijs & affectionibus. Tertio ex modo considerandi prodit, vt æquētur scientiæ, & scientia vna per illum distinguatur ab alijs. hæc sunt tria conditionum capita; cuius numeri conspicua est ratio; Ex his elicio definitionem subiecti adæquati; Nam est genus vnum scibile, prænoscendum in scientia, quod sit & quid, præditum proprio cōsiderandi modo, per quem consideratur, æquatur scientiæ, & scientia eius distinguitur ab alijs.

*De quo subiecto sit sermo.*

*Prima conditio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Definitio.*

## *De subiecto vniuersæ Philosophiæ Naturalis opiniones variæ.*
## *Cap. XXV.*

EXPLICATIS communibus ad subiecti notitiam attinentibus, de subiecto vniuersæ naturalis scientiæ occurrit agendum; de quo loquens referam primo opiniones varias, Secundo minus veras reijciam, Tertio cōfirmabo veriorem. Demum dubia nonnulla potiora diluam. Opinio prima est D. Tho. Io. Ganda. & multorū asserētium Ens Mobile esse subiectū: opinio altera est Alberti Magni, Aegidij, & quorundam aliorum dicentium subiectū esse corpus mobile: Tertia est opinio Ioan. Canonici, Antonij And. Trombetę & multorum sequentium Scotum, statuentium pro subiecto substantiam, vt naturalis est, vel substantiam finitam, vt naturalis est: Quarta est opinio quorundam recentiorum dicentium subiectum Naturalis scientiæ esse Naturam: Quinta opinio est quorundam asserentium corpus naturale generabile, & corruptibile, vel corpus Naturale mixtum, vt mixtum est, esse subiectum: opinio Sexta Græcorum interpretum est, Corpus naturale, vt naturale est, esse subiectum. Fundamenta potiora primę opinionis, Ens mobile esse subiectum, hæc sunt: Primum quia id statui debet subiectum sciē-

*Ordo seruādus.*

*D. Tho.*

*Albertus.*

*Io. Canon.*

*Fundamenta primæ opinio.*

tiæ, quod eſt ſubiectum primæ affectionis in ea conſideratæ;ſed prima affectio conſi-
derata in ſcienria Phyſica eſt mobilius, ſiue motus, cuius ſubiectum eſt ens mobile,
quare hoc iudicari debet ſubiectum:quod ens,& non corpus ſit ſubiectum morus,pa
ret ex eius definirione, tradita in rertio Phy.quæ eſt motum eſſe actum entis mobilis.
Prætcrea id debet ſtatui ſubiectũ,cuius quæruntur,& rraduntur Principia,ar in Phy-
ſicis traduntur principia non corporis rantum, ſed vniuerſe cuiuslibet entis mobilis,
quod parer per Ariſt.in 12.Metaphyſicæ poſt conr.18.maniſeſtãrem principia gene-
rarionis eſſe communia cunctis prædicamentis; hinc Auer.in primo Phy.ait, quod
qui tradit Principia ſubſtantiæ,ſimul rradit principia omnium prædicamenrorũ;Ter-
tio argumẽtatur D.Tho. Nulla ſcientia oſtendit ſubiectum ſuum, Ariſt.in ſexto Phy.
oſtendit omne mobile eſſe corpus,quare corpus,cum tanquam ignotum oſtendarur,
non valet iudicari ſubiectum naturalis ſcientiæ:confirmatur eadem opinio authorita
te Ariſt. in ſecundo Phy.16. dicentis, Phyſicum conuenire cum Geometra in re con
ſiderata, At Geometra non conſiderar corpora, id enim facit Srereometra, ſed lineas
*Fundamẽta ſecunda.* & ſuperficies,quæ enria ſunt & non corpora.Secunda opinio erat,ſubiectum eſſe cor
pus mobile,Auicẽ.addir vel quieſcibile;cum enim natura per motum,& quietem de-
finiarur,vtrunque in ſubiecto includi debet: Vt opinio hęc conſpicua reddarur,con-
ſiderãdum eſt quod Albertus triplex corpus excogirauit,Phyſicum, Marhematicum,
*Triplex corpus.* & Metaphyſicum,vt inrerim Artificioſum miſſum faciam. Corpus Meraphyſicum pu
tauit eſſe conſtitutum ex mareria & forma corporis de prędicamento ſubſtantiæ ei
coęrerna,non conrractum per quanrum,vel quale;nam ſi mox contrahitur per quan-
tum, conſtituitur corpus Mathematicum;ſi per quale,corpus Phyſicum;& huiuſmo-
di corpus inquir eſſe rem conſideratam in ſcientia naturali;mobile vero modum con
ſiderandi;Fundamentum primum huius opinionis eſt,quia id eſt ſubiectum ſcientiæ,
quod eſt ſubiectum proximum primę affectionis in ea conſideraræ; at prima affectio
eſt morus,qui corpori Phyſico proxime comperir, vt oſtenditur in ſexto Phyſicorũ,
corpus itaque ſtatui debet ſubiectum,non ens.Prętcrea id ſtatui debet ſubiectũ,quod
conſurgir ex principijs, Principia aurem inrerna & per ſe ſunt materia & forma, ex
quibus corpus conſurgir.Pręterea ſcienrię,& affectionis limitatæ, ſtatui deber ſubie-
ctum non communiſſimum,ſed limitatum, Philoſophia naruralis eſt ſcientia contra-
cta & limitata,ſimiliter motus, quare ſubiectum quoque debet eſſe limiratum;huiuſ-
modi non eſt ens, quod eſt latiſſimum,ſed corpus:confirmatur authorirate Ariſt. in
proœmio primi,& tertij de Cœlo dicentis, ſcientias de natura, fere plurimum verſa-
ri circa corpora,& Auer.iuquir in principio eius libri definiri corpus, quia omnis arti
*F.indamẽta tertia opin.* fex definit ſubiectum ſuum. Terria erat opinio nonnullorum Scotiſtarum ſtartuẽrium
pro ſubiecto ſubſtanriam naturalem.Fundamentũ eius eſt,quia omne mobile eſt Phy
ſicę conſiderationis;mobilis autem eſt omnis ſubſtantia,pręrer Deum, nam & Angeli
mobiles ſunt;Ideo Io. Canonicus inquit,quod ſubſtantia finira,vt naturalis eſt,debet
ſtatui ſubiectum; addit finitam, vt Deum excludat, Antonius And. putat eam parti
culam eſſe reduudanrem, quoniam ſcientia Phyſica humano ingenio formata, eſt de
ente in prędicamento conſtiruto,quod finitum eſt:Er quoniam nouerunt ex ſenten-
tia Ariſt.ſola corpora moueri,Ideo dixit Io.Can.ſcientiam Phyſicam conſiderari du-
pliciter, vel abſolute, vel vt traditani ab Ariſt. prima conſideratione ſubiectum dicit
eſſe ſubſtanriam finitam;ſecunda vero corpus. Confirmatur hęc opinio,per Ariſt.ſub
initio ſexti Metaphyſicę dicenrem, Phyſicum verſari circa ſubſtantiam, in qua eſt
*Fundamẽta quartæ opinionis.* principium motus & quietis. Quarta opinio erar eorum,qui ſubiectum inquiunr eſſe
Naturam; id eliciunt ex Ariſt.qui in principio primi,& rertij Phy. nec non in princi-
pio primi de Cœlo & alibi, ſcienriam Phyſicam nuncupat ſcientiam de Natura: hi
Naturę nomine aiunr debere intelligi cuncta ad res narurales pertinenria, veluti ſunt
*Fundamẽta quintæ opinio.* ne dum compoſita Naturalia, verum inſuper principia,& affectiones;& huius opinio
nis fuere Lucillus, & Flaminius Nobilius. Quinta opinio erat aſſerentium ſubiectum
eſſe

esse corpus naturale mixtum, vt mixtum est; cuius opinionis fuit Clarissimus M. Antonius Genua, eique videtur fauere Olymp. in primum Meteororum inquiens, in Physicis primo declarata fuisse Principia prima, mox proximiora, vt Cęlum, quod est efficiens, & Elementa quæ sunt interna materia mixtorum. Fundamentum eliciunt ex Arist. in primo cōt. primi Phy. dicente tunc nos scire, cum causas primas nouerimus, Principia prima, & vsque ad Elementa, hoc est cum sciuerimus Principia & remota, & proxima: includit itaque subiectum naturalis scientiæ Principia & remota, & proxima, quæ competunt mixto, nō autem omni corpori Physico: confirmatur, quia cōditio subiecti est, vt in ea scientia non dirigatur ad aliud, sed cętera ad illud; Cœlum autem & Elementa in naturali scientia diriguntur ad mixtum. Insuper si omne corpus Physicum deberet statui subiectum, errasset Arist. in primo Phy. dum explicaturus communia principia subiecti, solum principia mortalium explicauit, non cœli, vt patet ex dictis in eo lib. & præsertim in cont. 57. Non desunt qui parum ab his recedētes inquiunt, non corpus Physicum mixtum, sed corpus Physicum generabile & corrup. esse subiectum; idque ostendunt cum ratione nuper relata, tum quia solum corpus generabile est absolute Physicum, cum solum sit omni motu mobile. Confirmant id ipsum per Arist. in secundo Phy. 72. & in 12. Metaphysicæ dicentem, tria esse negocia, vnum circa immobile, aliud circa mobile æternum, tertium circa mobile mortale, quod est negocium Physicum. Missam facio eorum sententiam, qui leuiter pro subiecto statuunt corpus sensibile; Et pro opinione sexta & approbanda eam statuo, quæ fuit omnium Græcorum interpretum, Theophrasti, Eudemij, Alexādri, Them. Simpl. Philoponi, & demum Arist. corpus Physicum, vt Physicum est esse subiectum.

*Alia opinio et fundamētum.*

*Opinio Græcorum.*

## *Reijciuntur opiniones duæ primo relatæ de subiecto Naturalis Scientiæ. Cap. XXVI.*

CONSIDERANDAE occurrunt opiniones relatæ de subiecto vniuersæ naturalis scientię; ordiens a prima & secūda constanter assero nec ens, nec corpus mobile, dum considerantur vt distincta a corpore Physico, & non vt circunscribentia illud, debere iudicari subiectum. Prō cuius exacta notitia tres voces cōsiderādæ sunt, ens, corpus, & mobile. Quid nomine entis D. Tho. denotauerit non consentiunt eius asseclæ; Gratia Dei, & multi cum eo inquiunt denotasse ens dictum de substantia & accidente, insuper de materia, forma, & composito; Alij (vt Card. Gaet.) aiunt denotasse ens omne compositum, siue ex materia & forma, siue ex substantia & accidente, vel quod idem est, ens omne directe contentum sub prædicamento; & ita excluduntur materia & forma. Hi dupli ci ratione aberrant; primo approbando sententiam non veram; Secundo minus recte explicando sententiam D. Tho. Vt pertinet ad primum, Quod ens ad plura extensum quam ad corpus Physicū, ex materia & substātiali forma cōflatum, minime possit statui subiectum, ostendo, quia id est subiectum, cuius principia, & communes affectiones quæruntur; at Arist. in primo Phy. declarat materiam, quæ substantia est, in secundo declarat formam, quæ est natura & substantia, ex quibus corpus naturale conflatur, quod in quarto cont. 2. Phy. definitur, & eius mox explicat affectiones. Præterea compositum dictum de substantia & accidente, contentum in quolibet prædicamento, non est genus vnum definibile, quale debet esse subiectum particularis scientiæ; hinc Arist. in principio sexti Metaphysicæ ait Physicum versari in consideratione substantię, in qua est principium motus, excludendo accidentia, quę solum cōsiderantur vt affectiones corporis Physici, non vt constituentia illud, vt patet ex secundo Phy. 18. Quod etiam minus recte explicent sentētiam D. Tho. ostendo, Nam D. Tho. nomine entis mobilis, nil aliud denotauit nisi corpus Physicū, adeo vt sola voce ab Alberto

*De prima & secunda opinione.*

*Euersio.*

& Aegidio dissentiat;quod patet,quia in principio primi de Cęlo,in quarto Phy. exponens cót. 74.& in primo Post.lect.4 1.corpus mobile statuit subiectum scientiæ de Natura,& in proęmio lib. de Ortu & Interitu inquit,primo declarata fuisse mobilia, & motum in communi, mox in lib. de Cœlo corpus mobile ad vbi, indicans corpus esse subiectum;Quod patet ex verbis eius in procemio Phy. nam inquit,De his igitur quæ habent Principium motus internum,est scientia Naturalis,&c.huiusmodi autem sunt corpora;Insuper addit,Et quia quod habet materiam,mobile est,cõsequens est, vt ens mobile sit subiectum &c.habens autem materiam corpus est. Id ipsum patet per verba,quæ addit; Subiectum naturalis scientiæ est ens mobile,non dico corpus mobile,quia omne mobile esse corpus ostenditur in sexto Phy. nulla autem scientia probat subiectum suum, ideo statim in principio libri de Cœlo orditur a declaratione corporis &c.Ex his adeo lucide elicitur D.Tho. per ens mobile denotasse corpus, vt nil lucidius dici possit: nam existimauit omne mobile ad Physicum pertinere; & quamuis omne mobile sit corpus, ex sentẽtia Arist.tamen quia mobile omne esse ens conceditur ab omnibus,non autem conceditur esse corpus; & ostenditur ab Arist. in

*Quid primo colligitur.*

sexto Phy,ideo subiectum statui debet ens mobile,nõ corpus. Ex his elicio primo asseclas plurimos D.Tho.minus recte explicasse eius sententiam:Elicio secundo,errasse Pomponatium,qui cum D. Tho. primo asserat ens mobile, mox corpus esse subiectum, dixit eum se emendasse;similiter patet minus recte Iauellum asseruisse D.Tho. putasse ens mobile esse subiectum adæquatum,corpus vero partem eius principalem: Addo demum rationem, qua D. Thomas ostendit nõn esse dicendum corpus, leuem esse,primo quia supponit vnum falsum,quod si darentur entia mobilia præter corpora,ea ad Physicum pertinerent;nam si carerent corpore, essent formæ a materia solutæ,vt Angeli,quæ cum non sint naturę,etiam non sunt Physicæ considerationis;solæ enim formæ mortales ad Physicum pertinent; vt dicitur in calce primi Phy. & solæ formæ,quę sunt finis generationis,nõ separabiles nisi ratione, sunt Naturę, vt dicitur in secundo Phy.cont.12.Præterea si etiam ad Physicum pertinerent,non deberẽt iudicari species subiecti,sed potius principia,vt Mens,quæ extrinsecus accedit,si consideraretur a Physico, solum consideraretur vt principium hominis, non vt species subiecti;Præterea errat, dum inquit in primo de Cœlo declarari corpus,quod mobile, & subiectum est scientiæ Physicæ; nam eo loci solum declaratur corpus de prædica-

*Quid secundo.*

*Quid per corpus.*

mento quantitatis,nec secus definitur,quàm definiatur a Mathematico. Alia vox cõsideranda,est corpus;nam vt patuit etiam ex sententia D.Thomæ id accipi debet pro subiecto.Magnus Albertus,vt dixi, triplex corpus statuebat;verum cũ id faciat,errat cum in numero, tum in eorum declaratione:In numero, quoniam non datur corpus Metaphysicũ a Physico distinctum; alioquin errasset Arist. in secundo de anima cót. 3.inquiens corpora Physica cæterorum corporum esse principia; nam si daretur corpus Metaphysicũ,id,&non Physicum esset principium.Insuper cum non detur forma corporis ad substantiam pertinens coæua materiæ, antecedens cæteris formis, vt putauit Albertus,id corpus Metaphysicum indefinitum,quantitatem pręueniens per eã constitutum concedi non debet;solum dicere valemus corpus Physicum, ex materia & forma,quæ natura est,conflatum,vario modo a Physico,& a Metaphy. considerari. Similiter minus recte declarat corpus Mathematicum;non enim id substantiam includit,sed accidẽs solum est;Alioquin corpus Mathematicum esset prius,& esset principium Physici, cuius oppositum asserit Arist.Insuper tunc sub Metaphysica considerante corpus Metaphysicum, statim poneretur Metaphysica considerans corpus Metaphysico proximius, non Physica considerans corpus ab eo remotius;cuius oppositum asseritur ab Aristot. in sexto Metaphysicæ cont. 3. Duplex itaque solum est corpus,in scientijs consideratum: Physicum,quod est substantia,& Mathematicũ, quod est accidens;datur etiam Artificiosum,at id non est præsentis considerationis. Sequitur Vox tertia, nempe, mobile;de qua tres sunt opiniones. Card.Gaet.inquit mobi-

*Corpus solũ duplex.*

*Mobile qd.*

le non denotare affectionem, sed quid est, rei naturalis, & antecedere Naturali, veluti inquit Arist. in calce decimi Metaphysicæ corruptibile vel esse substantiam, vel in substantia; corruptibile autem mobile est. Alij inquiunt mobile denotare affectionem primam, ex se notam, per quam reliquæ ostenduntur; & ideo constituere proprium modum considerandi Physici: Tertio alij aiunt mobile esse affectionem nobis priorē & notiorem, circunscribentem proprium modum considerandi; priorem absolute, nobis tamen posteriorem & obscuriorem.

*Euersio.*

Explicatio prima omnino est reijcienda; nam ita intelligi debet mobile, vt explicatur ab Arist. & apud sapientes vsurpatur. Arist. in tertio Phy. inquiens motum esse actum mobilis, conspicue per mobile denotauit affectionem corporis Physici, inspicientem motum, & ad eum relatam, quæ est posterior Physico, vt Physicum est; ac ita apud sapientes ea vox vsurpatur; comprobatio sumpta ex decimo Metaphysicæ ad rem non facit; denotauit enim Arist. per ea verba corruptibile vel esse differentiam, vel esse affectionem; nam distincta ratione vtrunq; est verum; corruptibile enim ex parte fundamenti & principij substãtia est; pro superaddita vero relatione, per quam formaliter a fundamento distinguitur, est affectio, & id ipsum verum est de mobili; nam formaliter est affectio, & in substantia; pro principio autem, & fundamento substantia est; id autem est idem cum naturali, non autem aliquid prius eo; Immo controuersiam includit dicere in Naturali scientia reperiri aliquid prius Naturali; nam ita non esset naturale, & non attineret ad Physicum. Similiter reijcienda est altera sententia, quod mobile sit affectio prima ex se nota constituēs modum considerandi, per quam ceteræ demonstrentur; Nam omnis affectio in scientia supponit modum considerandi, per quem subiecto competat, & contra distinguitur a principijs & subiecto; ideo non valet statui pars subiecti & modus considerandi eius; confirmatur: quia quamuis motus & mobilitas pateant quod sint, latent tamē quid, & propter quid sint, & difficile est definire motũ, vt dicitur in tertio Phy. & cognoscere a quo moueantur Elementa, vt asseritur in 8. Phy. & in 4. de Cœlo late disseritur de principio motus Elementorum & in tertio de Anima de principio motus *Animalium*. At inquiunt nonnulli mobilitatē esse modum considerandi, motum vero affectionem, & *Arist.* de motu, non de mobilitate disserere; quæ sententia etiam non est approbanda, tum quia affectiones proprie sumptæ sunt facultates, non actus, tum insuper quia motus nõ semper competit Elementis, & partibus eorum, vt mobilitas; ideo nec est proprie affectio eorum, nec de illis potest ostendi: Insuper ea quoque facultas ad motum habet principia, & ostendi per ea potest. At inquiunt nonnulli posse in scientia ostendi modum considerandi, eique competere Principia; quæ euasio est inanis, quoniam dum Philosophus tria enumerat attinentia ad scientiam, subiectum, Principia, & affectiones, & ait subiectum esse prænoscendum, nomine subiecti nõ partem, sed totum denotat, includens modum considerandi. Præterea modus considerandi in scientia, adeo est aliquid primum, vt minime habere valeat in ea sciẽtia prius aliquid subiecto competens; alioquin non omnia per illud considerarentur; at naturale prius competit corpori, quàm mobile; Si tertio dicimus mobile circumscribere naturale, hoc approbandum erit, vt enim motus naturam, ita mobile naturale circumscribit, & Arist. in sexto Metaphysicæ cont. 1. hoc indicauit inquiens Physicum versari circa substantiam, in qua est principium motus; huiusmodi autem est mobile & Physicum; ex quo constat corpus Physicum esse proprie subiectum.

*D.Tho.*

Et putandum est D. Tho. in hac significatione vsum fuisse nomine mobilis; nam dixit in proœmio Physic. Naturalis scientia est de Naturalibus; Naturalia sunt, quorum principium est Natura; Natura autem est principium motus eius, in quo est; de his igitur quæ in se habent principium motus, est scientia naturalis &c. conspicue D. Tho. primam ponit Naturam, quam ait constituere Naturale, & tertio inde consurgere mobile, adeo vt mobile tanquam posterius circumscribat Naturale.

*Diluuntur rationes aduersa.*

Rationes, quæ pro Alberto, & D. Tho. relatæ sunt, facile diluuntur. Dicebatur primo Ens esse subiectum primæ af-

fectionis

fectionis, nempe motus, vt patet ex eius definitione: Id inficiari debemus; nam subiectum motus potest considerari dupliciter, vel motus tanquam affectionis, subiecto competentis, de quo ostendi debeat, & huiusmodi profectò est corpus Physicum, de quo ostenditur esse alterabile, mobile, & generabile, non materia, vel ens: & hoc est illud subiectum quod facit ad rem; Vel secundo consideratur subiectum motus tanquã actus facultatem sequens, qui actus, cum sit accidens, exposcit subiectum actu, quale est corpus. Dubium est de Ortu & Interitu, quorum subiectum dicitur materia, non corpus compositum; de quibus dico, quod dupliciter considerari possunt vel in fieri, ac ita subiectum est actu, quod præcurrenti alterationi subijcitur, vt asserit Auerr. in 8. Physic. cont. 4. inquiens Si materia esset nudata omni forma, nõ posset esse subiectum motus, & mutationis; vel secundo considerari possunt in esse facto, & ita materia est subiectum formæ, quæ est terminus generationis; at hoc non facit ad rem, tum quia id non est subiectum scientiæ, tũ quia non actus, sed facultas est affectio; tum tertio quia motus definitur ab Aristotele, vt fit, non pro esse facto, nam tunc motus est: Ex his patet subiectum proximum, de quo prima affectio Physica ostendi debet, esse corpus, Arist. autem iure dixit motum esse actum eius, quod est potestate, circũscribendo id subiectum proximum, quia adhuc non patefecerat tale subiectum esse corpus; id enim facit in sexto libro. Dicebatur secundo esse subiectum, cuius traduntur principia, ea autem traduntur omnium prædicamentorum, cum tamen non omnia sint corpora. Respondeo quæri principia alicuius contingere dupliciter, vel vt subiecti, vel vt affectionis. Aristoteles explicat principia corporis Physici, quod est substantia, tanquam subiecti, cæterorum vero, vt affectionum, & ita quoque explicatur id, quod asserebatur ex secundo. Physic. Nam Physicus considerat quidem lineas, & superficies, & solida, sed ea non considerat vt subiecta, veluti considerantur a Geometra, sed vt affectiones corporis Physici, vt Arist. affirmat: Addebatur nullam scientiam ostendere suum subiectum; Id nobis non aduersatur, nam dicimus subiectum esse corpus Physicum, quod dari nemo inficiatur. Accedit, quod non omnia attinentia ad subiectum omni ex parte debent esse nota, & quamuis sit notius vt ens, quàm vt corpus, non ex eo valemus inferre corpus non esse subiectum proximum, sed solum inferendum est recte circũscribi per ens mobile, vt puto sensisse D. Thomam. Rationes pro Alberto relatæ nobis non aduersantur, & præsertim dum mobile sumitur, vt circũscribens Physicũ.

*Diluitur secũda ratio.*

## *Reijciuntur opiniones aliæ de subiecto Scientiæ Naturalis.* *Cap. XXVII.*

*Considera tur opinio tertia.*

De subiecto Naturalis scientiæ erat opinio tertia quorundam Scotistarũ asserẽtium substãtiam finitam, vt naturalis est, esse subiectum; quæ etiã approbanda non videtur; primo quia substantia est subiectum nimiũ remotum; secundo quia addunt pro modo considerandi, vt naturalis est; nam substantia naturalis necessariò est corpus; si enim non fuerit corpus, erit Natura, non autem naturalis; Tertio quia male vtuntur reduplicatiua, dicendo vt naturalis; reduplicatio enim nõ debet ad pauciora extendi, quam id, cui additur, sed solum valet id contrahere ad definitum modum considerandi. Quarto male addunt [finitam] nam si daretur corpus infinitum, vt putarunt veteres nonnulli, id pertineret ad Phy. & ob id Arist. in Physicis agit de infinito: Quinto nituntur fundamẽto inani; nam, vt iam patefeci, si incorporea mouerẽtur, vt de Angelis dicunt Theologi, & Plato de Anima rationali, non propterea attinerent ad Physicum, quia non motu secundum naturam, sed eminentiore mouerentur; nam forma separata a materia ad Physicum non pertinet, vt sæpe docet Arist. Quarta opinio asserentium subiectum esse Naturam, nomine naturæ denotando principia, affectiones, & composita,

*De quarta opinione.*

minime

minime eſt approbanda;Hi namque primo male vtuntur vocibus; Non enim ſubiectum denotat principia & affectiones, Nec Natura compoſitum & affectiones ſignificat, ſed dum abſolute profertur, id denotare putandum eſt, pro quo definitur in ſecundo Phy. Inſuper cum modo quæratur ſubiectum contradiſtinctum a principijs & affectionibus, hi confundunt hæc omnia, & in vnum redigunt, Philoſopus autem inquiens ſciētiam Phyſicā eſſe de natura, denotauit eam eſſe de corpore naturali; quod innoteſcit & conſtituitur per naturam. Quinta opinio dicentium corpus Phyſicum mixtum, vel corpus natura generabile eſſe ſubiectum, etiam approbanda non eſt; primo quia etiam ſimplicium corporum in naturali ſcientia conſiderantur principia, & affectiones, ideo vel ſunt ſubiectum, vel ſpecies eius; At reſpondent dicentes non eſſe ſpecies ſubiecti, quoniam conſiderantur in gratiam alterius, vt enunciatio in Logica, cuius conſiderantur principia, & affectiones, nec eſt ſubiectum, nec ſpecies eius, quia in gratiā alterius conſideratur. Hæc ſolutio eſt inanis, quoniam id verum eſt de eo, quod ſolum gratia alterius conſideratur, vt enunciatio in Logica, at in Phyſicis Elementa conſiderantur & gratia ſui, vt ſunt ſpecies corporis Phyſici, & gratia alterius: Præterea conditio modi conſiderandi eſt, vt ſit primum in ſcientia, quo poſito ponatur, dempto dematur ſcientia: de mixto & generabili non ita ſe habet; nam ſi ſola darentur corpora Phyſica ſimplicia, adhuc ſeruaretur Naturalis ſcientia. Inſuper ratio formalis in ſcientia non debet eſſe apta per priora in ea ſcientia oſtendi; de mixto & generabili non ſic ſe habet: Præterea mobilitas proculdubio eſt affectio prima ſubiecti naturalis ſcientiæ, quæ primo competere debet adæquato ſubiecto eius; ſępe enim Ariſt. inquit Phyſicum verſari in re mobili; at nec generabile, nec mixtum eſt adęquatum & primum ſubiectum mobilitatis. Quod etiam ea ſententia aduerſetur Ariſt. patet ex primo cont. ſecundi Phy. quo loci numerans Philoſophus ea, quæ natura conſtant, in quibus verſatur Phyſicus, numerat animalia, Plantas, & corpora ſimplicia. Id ipſum lucidius patefacit in proœmio primi & tertij de Cœlo, quibus in locis ſimplicia corpora numerat inter ſpecies ſubiecti, & in primo cont. ſexti Metaphyſicæ, nec nō 11. *Metaphyſicæ cap. 3.* inquit Phyſicum verſari circa tale ens, quod poteſt moueri; cui autem dubium ſimplicia quoq; corpora eſſe huiuſmodi? Hinc Auer. 4. Cęli 32. ignem aſſerit ſpeciem ſubiecti ſcientiæ de Natura: Nec eſt difficile eorum rationes diluere; nam dum Ariſt. in primo cont. primi Phy. ait, noſcenda eſſe principia, cauſas, & Elementa, id nobis non obeſt; tum quia per illas voces Ariſt. non denotat principia prima, & proxima, vt ſuo loco patebit, tum quia ea ſententia intelligi debet de vniuerſa Methodo, non de principijs ſubiecti adæquati tantum, tum demum quia noſcenda ſunt principia & remota & proxima eorum, quibus competunt, ſiue quorum ſunt, vt inquit Philoſophus; ea autem competunt partibus, non ſubiecto adæquato. Confirmabatur quia corpus ſimplex ordinatur in mixtum: reſpondeo non adeo in mixtum ordinari, quin ipſum quoque non ſit ex ſe aptum conſiderari in ſcientia de Natura, & præſertim quia etiam corpus mixtum ordinatur in corpus viuens; cum tamen ipſi dicant per ſe conſiderari: inſuper in ſcientia partes, quæ conſiderantur, ſemper ſeruant relationem ad totum. Addebatur quod ſi ſecus eſſet, Ariſt. non declaraſſet communia Principia ſubiecti in lib. Phy. Reſpondeo illum declaraſſe principia communia ſaltem facultate, & virtute, quia ex declaratione principiorum mortaliū, refulgent Principia Cœli, vt ei competit quidam ortus, & interitus, nempe motus ſecundum locum; Addo inſuper illum declaraſſe Principia communia cunctis, quibus competunt; Cęlo autem non proprie competunt, niſi per relationem ad motum; Et præſertim id fecit, quia veteres cœlum non ſecreuerunt a mortalibus, quorum ſententiam adhuc non reiecerat, ſed illam reijcit in primo de cęlo; Demum addebatur Negocia eſſe tria, &c. Reſpondeo cum Ariſtotele in 12. Metaphyſicæ cont. 6. mobilia cuncta cum mortalia, tum æterna ad Phyſicum pertinere; negocia tamen dicuntur diſtincta, quia æternis & mortalibus vario modo competunt principia. Addebatur ſola mortalia omni ex

*De quinta opinione.*

*Diluuntur rationes aduerſæ.*

parte

parte esse Physica, respondeo non ob id negandum etiam æterna esse Physica, sed inferendum primo declaranda esse principia mortalium, ex quorum explicatione refulgent principia Cœli, vt Physicum est. Opinio asserentium corpus sensibile, vt naturale esse subiectum, negligenda est, quoniam sensibile est affectio posterior naturali, & mobili consurgens ex relatione ad sensus, non absolute competens corpori Physico; quæ cum sit affectio posterior male contrahitur per prius, nempe per naturale.

## *Resolutio difficultatis de subiecto Scientiæ de Natura. Cap. XXVII.*

PRo resolutione quæstionis de subiecto Naturalis scientiæ tres profero conclusiones; prima est, Corpus Physicum, vt Physicum, est subiectum adæquatum scientiæ de Natura; Altera est, D. Thomas inquiens ens mobile esse subiectum, idipsum denotauit; Tertia est, Cœlum est species subiecti dignitate prima; mortalia vero sunt species prima proprietate. Prima assertio fuit Theophrasti discipuli Aristotelis, vt elicitur ex Simplicio sub initio primi cont. primi Physi. qui ob id nitebatur ostendere corpori Physico, vt subiecto competere principia; & cæteri omnes Græci interpretes, hoc, veluti notum supponebant. Quam veritatem Arist. inscriptione patefecit; nam scientiam hanc nuncupauit Physicam, & de Natura: & in 12. Metaph. cont. 6. asseruit Naturalem considerare omnes substantias sensibiles, quia cum motu sunt; huiusmodi autem sunt corpora Physica: & in sexto Metaph. cont. 1. dixit Physicum versari in consideratione eius substantiæ, in qua est Principium motus: & in proœmio primi, & tertij de Cœlo Lucidius eandem sententiam enunciauit, & in progressu scientiæ id seruauit, cum declarauerit principia & affectiones corporis Physici, primo vniuerse, mox singulatim; Et pro exactiore notitia, considerandum quod ens mobile, corpus mobile, substantia mobilis, substantia in qua est principium motus, substantia sensibilis, Ens Physicum, corpus Physicum, dum proprie vsurpantur, idem significant, solum distinguuntur per circumscribens, & circumscriptum, per proximum & remotum; ideo Aristoteles pro denotando eodem subiecto modo vna, modo altera voce vsus est: nos autem ex eis illā elicere tenemur, quæ magis propria est, & subiectum proximum denotat; huiusmodi autem est corpus Physicum; nam vt pertinet ad corpus, id proximius est, quàm ens, vel substantia, & est vox magis congruens Physico; illæ autem magis Metaphysico. Similiter rectius dicimus Physicum, quàm mobile, vel sensibile; quoniam Physicum est prius; nam quia Physicum, ideo est mobile, non è contrario. Insuper Physicum statim sequitur Naturam, cætera sequuntur Physicum. Secunda conclusio latissime in præcedentibus est ostensa. Tertia assertio quod Cœlum sit species præstantissima, ex se patet; est enim æternum, sedes Dei, corpus primum, facultate cuncta continens, mobile motu primo cuncta seruante. Quod autem mortalia sint priora proprietate ostenditur, quia Physicum constituitur per Naturam; Natura præsertim est forma ex materia pendens, & finis generationis, vt patet ex secundo Phy. hæc autem solis competit mortalibus; Insuper cum Natura referatur ad motum, mortalibus competunt motus omnes Physici, non autem cœlo; sic itaque, & cœlum & mortalia distincta ratione sunt prima. Auer. in calce secundi Metaphysicæ inquit Naturam dici de æternis & mortalibus æquiuoce, hoc est ab vno, & populari significatione primo dici de mortalibus; secundum naturam vero & absolute primo de æternis; quæ sententia vera est modo explicato. At considerandum est id, quod est ab vno esse duplex, quoddam vere & proprie est ab vno, & est id, quod primo dicitur de vno, quod mox est causa vt cætera sint talia, veluti sanum; & huiusmodi non est Physicum primo dictum vel de cœlo, vel de mortalibus; non enim quia cœlum est Physicum, cætera sunt & dicuntur

*Prima conclusio.* *Secunda conclusio.* *Tertia.*

tur Physica, vel vice versa: Aliud vero dicitur ab vno solum secundum ordinem vel dignitatis, vel originis, vel proprietatis; & huiusmodi est corpus Physicum dictum de coelo, & mortalibus: dum aliquid in prima significatione est ab vno, tunc id quod est primum, etiam proprie est subiectum scientiæ, & affectionum; non autem dum est ab vno in secunda significatione, veluti se habet de corpore Physico; nam quamuis coelum sit causa conseruans mortalium, non propterea, quia Cœlum est Physicum, mortalia dicuntur Physica: Nec est absurdum quod eadem vox distincta consideratione dicatur ab vno, & analoga; vt Physicum dicitur vox ab vno ratione ordinis, Dicitur autem analoga, ob similitudinem rationis; vt enim cœlum se habet ad motum suum, ita mortalia ad proprium eorum.

## *Dubia nonnulla proponuntur & diluuntur pertinentia ad subiectum Naturalis Scientiæ. Cap. XXIX.*

VT ea quæ de subiecto Naturalis scientiæ dicta sunt, clariora reddantur, emergentia dubia diluenda supersunt. Quæritur primo quod nam sit hoc corpus Physicum, quod constituitur subiectum, & quis sit modus considerandi eius: Respondeo corpus Physicum esse vniuersum corporeum mundum, & singulas eius partes, in quatuor gradus distributas, nempe in corpora simplicia, mixta inanima, Plantas, & Animalia; Nam corpus Physicum secundum prædicationem est latius, quam Mundus, quia dicitur & de Mundo, & de singulis eius partibus; non autem est latius secundum inclusionem, quia Mundus includit singulas eius partes, quamuis de solo toto dicatur & non de partibus; at Physicum dicitur primo de toto, mox de partibus; hinc Arist. declarato in libris Physicorum corpore Physico vniuerse, agit in lib. de Cœlo de Mundo, tanquam de principalissimo corpore Physico. At dubitatur secundo, quia quamuis absolute corpus Physicum primo dicatur de toto Mundo, mox de partibus, facta tamen comparatione inter partes, dictum est primo dignitate dici de Cœlo, quod non caret difficultate; nam homo videtur præstare Cœlo, dum cœlum consideratur, non considerata intelligentia, vt consideratur a Physico: Respondeo, vt intelligētia cœli non pertinet ad Physicum, ita nec humana Mens, qua homo præstat cœlesti corpori, ad Physicum pertinet, vt patet ex primo de partibus animalium: at superest dubitatio, num homo consideratus vt includens Phantasiā seorsum ab intellectu, præstet cœlo considerato seorsum ab Intelligentia: Inquiunt nonnulli etiā vermes præstare cœlesti corpori, quia viuēs præstat non viuenti; corpus autem cœleste seorsum ab Intelligentia non viuit. Hanc sententiam approbandam non puto, quia cœlum quamuis, vt consideratur a Physico, non includat essentiam intelligentiæ, includit tamen gradum vitæ ab intelligentia ei tributum per motum; hinc Auer. recte in suis disp. contra Alg. ait cœlum non includere potestatem vt sit, sed vt viuat; & Arist. in secundo de Cœlo loquens de differentijs positionis ait, nos debere considerare cœlum vt viuens; nam vita eminentissime competit motoribus, eminenter & per modum causæ cœlo, per participationē mortalibus; ita motus cœli dicitur vitalis, & præfertur motui mortalium: & Alexander in secundo q. Nat. cap. 3, dixit vitam competere mortalibus per cœlum, adeo quod cœlum vt consideratum a Physico eminentiori modo includat vitam, quam mortalia. At dubitatur tertio; cum corpus Physicum dicatur subiectum Naturalis scientiæ, quatenus est Physicum, & modus considerandi sit vt Physicum, quæritur per modum illum cōsiderandi a quo distinguatur, & ad quid cōtrahatur corpus Physicum; inquiūt nonnulli id contrahi ad corpus consideratum a Physico, vt distinguatur a corpore cōsiderato a Mathematico: quæ sententia est conspicue falsa, quoniam corpus Physicū absolute est distinctum a Mathematico, cum id sit substantia, hoc vero accidens, redu

plicatio

*Prima dubitatio.*

*Solutio.*

*Secunda dubitatio.*

*Solutio.*

*Alexāder.*

*Tertia dubitatio.*

plicatio autem non coarctat rem consideratam, sed tantum modum considerandi. Præterea corpus Mathematicum non consideratur a Physico, vt subiectum, sed tanquam affectio subiecti, inclusa in corpore Physico, vt patet ex secundo Phy. ideo sumendo pro re considerata corpus Physicum, quia hoc non consideratur a Metaphysico, dum additur id cõsiderari vt Physicũ, per hoc nõ potest secerni a cõsideratione eius Mathematica: *Solutio.* Ideo dicendũ, quod cũ corpus Physicum cõsiderari possit & vt est Physicũ, & vt est ens siue substantia, a Physico consideratur vt Physicũ, a Metaphysico vt ens & substãtia. *Dubitatio quarta.* Dubitatur quarto, quia sæpe dictũ est mobilitatẽ esse affectionẽ primam corporis Physici, quod nonnulli inficiantur dicentes affectiones eiusdem subiecti nõ esse ordine præditas, sed ex forma fluere, & æque primo illi competere; *Opinio quorundam.* quod ostendunt, quia vna affectio dicitur de altera non per se, verum ex accidenti, vt sæpe ait Auer. in magnis cõm. lib. Post. at si ordine essent præditæ, & prior esset causa posterioris, constitueretur prædicatio essentialis & per se. *Euersio.* Hanc sententiam reijciendam puto primo quia ex vno, vt vnum est, non fluit proxime nisi vnum, quare si fluunt plura, vel fluunt ordine aliquo, vel distincta ratione; quæ rationes distinctæ, etiam erunt ordine præditæ, cum referantur ad vnum primum: Præterea idem subiectum valet esse præditum formis varijs, quas sequuntur affectiones variæ eo ordine præditę, quo etiã sunt præditæ formæ; & ita præsertim se habent affectiones corporis Physici; nam mobilitas sequitur naturam, continuum sequitur dimensionem, infinitum sequitur continuum, tempus sequitur motum, sensibile qualitates relatas ad sensus; sic vt formarũ vna est prior altera, ita affectionum: & dum instatur, quia vna ex accidenti dicitur de altera: *Solutio aduersæ rationis.* Respondeo dum affectiones ita se habent, vt vna fluat ex altera, tunc connexio & prædicatio erit per se non ex accidenti; dum vero vna non fluit ex altera, & solum considerantur vt simul competunt vni tertio; tunc prædicatio erit ex accidenti; at non ex eo colligitur omnino destitutas esse ordine. *Quinta dubitatio.* Dubitatur quinto, quia si corpus Physicum est subiectum Scientiæ de Natura, hæc scientia subijceretur Stereometriæ consideranti corpus, vt quantum; *Solutio.* respondeo corpus consideratum a Stereometra esse in prædicamento quantitatis, sub quo non continetur corpus Physicum, ad substantiam pertinens; sed corpus Physicum continere corpus Mathematicũ, non tanquam speciem, sed tanquam affectionem, vt patet ex præcedentibus. *Sexta dubitatio.* Sexta dubitatio est, quia Subiectum naturalis scientiæ includit omne genus causæ, vt asseritur in secundo Physic. dum Philosophus manifestat Physicum per se resoluere in omne genus causæ, & respondere per omne genus causæ; at corpus Physicum, vt Physicum, non includit omne genus causæ; nam Mundus, & Cœlum carent efficiente ex sententia Aristotelis: *Solutio.* Respondeo primo cum Aristotele in primo de Cœlo vires mensurari per maximum: sat itaque est vt Physicus de nonnullis valeat assignare omne genus causæ: Addo secundo Physico, vt Physicum est, competere omne genus causæ; corpus enim dicitur Physicum per relationem ad motum, in qua relatione ei competit efficiens, & omne genus causæ, vt patet. Dico tertio Aristotelem in secundo Physic. nil aliud denotare, nisi quod ea, quæ considerantur a Physico, & prædita sunt omni genere causæ, possunt a Physico per omne genus causæ explicari, & nulla datur causa Physica, ad quam non valeat Physicus extendi; at non ob id cunctorum sunt causæ quatuor; nam Eclypsis (vt dicitur in 8. Metaphysicæ) forte caret fine. Demum dico reduplicationem proprie & consimiliter vniuocis competere, cum sint prædita natura vna, in cunctis eadem; his autem, quæ sunt ab vno, non tam proprie & sine vlla varietate conuenire, cum prædita sint varietate: at de hoc alibi. *Septima dubitatio.* Septimo dubitatur, quia in scientia nulla valet reperiri consideratio, quæ antecedat & præstet modo considerandi eius; At corpus Physicum, vt Physicum, includit relationem ad motum, & in naturali scientia reperiuntur considerationes absolutæ, quæ antecedunt & præstant huic relationi, vt patet de absoluta consideratione & definitione essentiæ rerum Physicarum: *Solutio.* Respondeo conditiones Naturæ duas esse, primam vt sit rei essentia, alteram, vt sit prin-

sit principium Physicarum actionum eius: Metaphysicus considerat primum seiungendo id a secundo, Physicus considerat primum cum secundo iunctum; & propterea, quamuis Physicus consideret definitiones corporum natura constantiũ, non ideo est aliquid prius modo considerandi eius, sed includitur in illo: & præsertim ea ratio nobis non aduersatur; quoniam id quod pertinet ad primum Physicus magna ex parte recipit a Metaphysico, vt nos docet Arist. sub initio sexti Metaphysicæ: Nam etiam valet Metaphysicus considerare essentias rerum in specie, vt suo loco ostendam: cum enim Metaphysica tradat cognitionem distinctam, & versetur in eo quod est ab vno, quod non distincte noscitur, nisi notis contentis sub eo, est necesse vt etiam ea contenta distincte cognoscat; id tamen secus ei competit, quam competat Physico: Metaphysicus enim singula noscit, vt entia & essentiæ sunt in proprio gradu, Physicus vero semper seruat relationem ad motum, & sequentia, vel actu, vel facultate: ita cum Physicus, tum Metaphysicus considerare valent si est, & quid est rerum, modo eis consentaneo, quia eiusdem rationis est, si est, & quid est manifestum facere, vt asseritur sub initio sexti Metaphysicæ & confirmatur in 11. Metaphysicæ.

## *De subiecto lib. Phy.* *Cap. XXX.*

Considerationem subiecti vniuersæ Naturalis Scientiæ, sequitur consideratio subiecti primæ partis eius, nempe octo Librorum Physicorum; De quo tres sunt opiniones: Nonnulli subiectum statuunt communia Principia, & affectiones corporis Physici; Alij id ipsum, quod est subiectum vniuersæ Naturalis scientiæ, modo tamen vario; Quidam opiniones has conciliare nituntur. Prima opinio est Græcorum, & Auerrois, quam approbant Ludouicus Boccaf. & Genua: hine Simplicius & Philoponus aiunt in his libris communia considerari, quæ sequuntur, vel sequi videntur omnia corpora Physica. Auer. in primo Physi. cont. 4. dixit institutum Aristotelis in hoc lib. esse loqui de communibus omnium natura constantium, & in secundo Physi. cont. 3. asseruit Principia esse subiectum, & ob id censet non in libris Physicorum, sed in principio lib. de Cœlo definiri corpus, quod est subiectum naturalis scientiæ. Cõfirmatur per Aristotelẽ, qui in proœmio proposuit agendum de principijs, & in principio tertij Physi. de communibus affectionibus, & libros diuisit in partem de principijs, & partem de communibus affectionibus, & in proœmio lib. Meteororum colligit in libris Physicorum declaratas esse primas Naturæ causas, motumque omnem naturalem. Hæc opinio non videtur approbanda, ne dum quia subiectum debet esse genus vnum, cui competat vna definitio, ac insuper competant principia & affectiones; Verum insuper, quia prima & communissima principia, quæ in scientia solum considerantur gratia compositi, nequaquam valent iudicari subiectum. Secunda opinio verior est, per quam dicimus in libris Physicorum tanquam subiectum considerari corpus Physicum, solum vniuerse sumptum: in tota autem scientia considerari corpus Phy. & vniuerse & singulatim, siue in specie. Quod ostenditur, tum quia hi libri Physicorum sunt communes, facultate cuncta continentes, ideo exposcunt subiectum commune; tum quia corpus Physicum vniuerse sumptum debet alicubi vt subiectum considerari, & alibi nõ ita consideratur; Tum tertio, quia id statui debet subiectum, cui competunt cunctæ subiecti conditiones; hæ autem competunt corpori vniuerse sumpto; nam eius quęruntur principia, & affectiones; id in secundo Phy. cont. 4. definitur, & ad id cuncta proxime referuntur, quæ in libris Physicorum considerantur: corpus itaq; Physicum recta ratione constituitur subiectum libri Physicorum. Ex quo elicio minus recte Auerroem sub initio lib. de Cœlo, & cum eo D. Thomam in proœmio lib. Physi. asseruisse, corpus Physicum, quod est subiectum naturalis Scientiæ, definiri in principio librorum de Cœlo, cum id fiat in secundo Physic. cont. 4. definitio enim subiecti elicitur

*Opiniones tres.*

*Prima opinio.*

*Confirmatio.*

*Euersio.*

*Secũda opinio verior.*

*Error Auer.*

citur ex notitia principiorum eius,quæ explicantur in primis libris Physicorum, & ea definitio pertinet ad libros communes, & antecedere debet considerationi communium affectionum; in procemio autem librorum de Cœlo, solum definitur corpus de prædicamento quantitatis, vt alibi latius patefeci; hinc Arist. in principio duodecimi Metaphysicæ ait considerari substantiam, quia eius considerantur principia: similiter assero in libris Physicorum subiectum esse corpus Physicum vniuerse sumptum, quia eius declarantur principia, & affectiones, eiusque traditur definitio. At erat opinio tertia quorandam, qui nituntur opiniones relatas conciliare, & inquiunt, Principia communia esse subiectum proximũ, & rem consideratam, corpus vero Physicum vniuerse sumptum esse subiectum remotum, & subiectum, vt aiunt, attributionis, quatenus ad id cuncta considerata referuntur: Verum hi errant, tum quia hæc subiecti distinctio approbanda non est, cum id quod solum gratia alterius consideratur, nunquã ab Aristotele nuncupetur subiectum; tum insuper quia corpus Physicum est id, quod proxime consideratur, cum definiatur, & eius declarentur principia, & affectiones. Rationes pro prima opinione relatæ leues sunt, nam Arist. proposuit agendum de principijs in gratiam corporis Physici vniuerse sumpti, & de his egit & egisse colligit, quia ex eorum notitia resulget corpus Physicum, in cuius gratiam considerantur.

*Opinio tertia.*

*Diluuntur rationes aduersæ.*

## *De Inscriptione Librorum de Naturali Auscultatione. Cap. XXXI.*

INSCRIPTIONES librorum a varijs peti posse videntur, & inquiunt Viri docti Aristotelem a varijs eam sumpsisse; at si accurate inscriptiones partium Philosophiæ consideramus, inueniemus eas semper vel ex re, de qua agitur, vel ex aliquo eam circumscribente, fuisse depromptas. Aiunt libros Metaphysicos ab ordine fuisse inscriptos, cum potius sint inscripti a re, de qua agitur, quia post naturalia, sunt Diuina, de quibus in eis est sermo: similiter inquiunt libros Meteororum a Loco sumpsisse nomen; cum tamen illi quoque a re, de qua est sermo, nomen receperint: nam Meteora ea sunt, quæ fiunt, vel fieri apta sunt in sublimi, quæ in illis libris considerantur; ita quoque libri de Moribus, & de Repub. inscripti sunt ab eo, de quo est sermo, vel a circumscribente illud. Loquens autem de inscriptione libri Physicorum, considero primo ei duplicem inscriptionem fuisse traditam, vnam totius, alteram partium: Inscriptio totius est de Naturali auscultatione; Inscriptio autem partium est de Principijs, est de motu. Inscriptio totius duas habet partes; prima denotat rem, de qua agitur; altera modum, quo explicatur; Pro denotanda re, de qua agitur, dicitur de Naturali hoc est absolute, & vniuerse, rerum natura constantium, nam hic lib. cum sit de communibus, facultate includit omnia; nec potuit peti inscriptio ab aliqua definita parte, cum vniuerse agatur de omnibus; qua prima inscriptionis parte denotauit Philosophus præstantiam, & vtilitatẽ huius considerationis; præstantiam, quia non est rerum inanium, & Fabularum, sed rerum natura constantium, ex Dei prouidentia pendentium; vtilitatem vero, indicans in his cõmunibus facultate & virtute cuncta contineri. Altera pars inscriptionis, quæ est auscultatio, vnde sit deprompta nõ constat; Simplicius, Aulus Gel. Cicero, & multi viri docti putarunt eam esse inscriptionem communem libris omnibus Arist. accurate conscriptis, contradistinctis ab externis, qui scripti sunt populariter; Quam opinionem nec omnino damno, nec absolute probo: Nam Diogenes Laert. referens libros ab Arist. scriptos, distinctionis eorum in ausculatatorios, & externos mentionẽ non facit, nec vllibi reperitur quod Arist. cæteras Philosophiæ partes auscultationis nomine designauerit; Neque etiam recte ausculiatorius sermo, ab externo contradistinguitur, sed potius a Dialogico: Propterea dicendum puto hanc inscriptionis partem

*Inscriptiones peti a re de qua agitur.*

*Inscriptio libri Physicorum.*

*Simplicius.*

*Sententia propria.*

tem fuiſſe deſumptam ex modo,& forma,qua diſciplina traditur,& proponitur alijs; quod etiam nouit Simplicius in ſuo Prooemio Phy. & clarius ex ſententia Alexandri id protulit in Prooemio prædicamentorum inquiẽs eorum librorum,qui rite,recteq; ordinati ſunt, alij ſunt editi more Dialogi, alij vt dum ſola auctoris perſona loquitur, & hi auſcultatorij nuncupantur:At cum hoc recte a Simplicio dicatur, videtur tamẽ ſibimet aduerſari, cum in calce prooemij lib. Phy. dicat auſcultatorium contradiſtingui ab externo,quales ſunt hiſtoriæ,& Dialogi;nam etiam Hiſtoriæ traduntur cum forma auſcultationis, & Ariſt. multa ait in externis ſermonibus ſe declaraſſe,quæ nec ad hiſtorias, nec ad Dialogos pertinent: Dicamus itaque auſcultatorium ſermonem a Dialogo contradiſtingui;& quamuis omnis ſermo ſolutus ab interrogatione & reſpõſione propria Dialogorum,dici poſſit auſcultatorius,præſertim tamen ille iudicari debet talis,qui eſt obſcurus,& de re accurate audienda; nam auſcultatio præter auditũ attentionem expoſcit;Ratio huius inſcriptionis multiplex eſt,præcipua tamen, quam ego excogitaui eſt, vt Ariſt. ſe a Platonis modo ſcribendi patefaceret differentem; nã Plato ſemper Dialogis eſt vſus,Ariſt. vero diſciplinas tradidit modo auſcultatorio: Ratio huius varietatis fuit, varietas opinionum, & modi philoſophandi. Cenſuit Plato ſcientiã eſſe reminiſcentiam, & per interrogationes nos reminiſci, ideo Dialogis eſt vſus: Inſuper profitebatur vnà cum Socrate ſe hoc vnum ſcire, quod nihil ſciret; propterea in perſona aliorum de rebus eſt loquutus, & præſertim verſatus eſt in euertenda eorum ſententia,qui ſe ſcire profitebantur,vt oſtenderet ſuam ignorantiã, præferendam eſſe ſcientiæ aliorum, vt in præcedentibus patefeci;Ariſt. ex aduerſo negauit ſcientias eſſe reminiſcentiam, & ſe multa ſcire profeſſus eſt;propterea ſermone auſcultatorio,pro auditorum inſtitutione vſus eſt: Putare autem debemus hos ſolos octo libros nuncupatos fuiſſe auſcultatorios,tum quia cum ſint de Principijs, facultate ſunt de omnibus;tum inſuper quia principia maiorem curam auditoris expoſcunt;tum tertio quia cæteri libri magis ſunt de rebus proprijs, a quibus accipi poteſt propria deſcriptio; tũ demũ quia Ariſtoteli fuit ſatis in primo ad Philoſophiã aditu ſe a Platone differentem patefacere. Verum obijciet aliquis,quoniam Alexander Magnus ſcribens ad Ariſt. conquerebatur, quod libros auſcultatorios edidiſſet, & per auſcultatorios viſus eſt denotaſſe non libros Phyſicorum tantum, ſed vniuerſam inſpectricem Philoſophiã: & confirmatur quia Plutarchus in vita Alexandri inquit ſcriptam fuiſſe eam Epiſtolam in editione librorum Metaphyſicæ. Cui obiectioni reſpõdens dico primo nõ omnino conſtare eam Epiſtolam, quæ a Simplicio refertur, fuiſſe Ariſt. vel potius ſpuriam & falſo ei adſcriptam; addo ſecundo rationi conſonum eſſe Ariſt. primo edidiſſe libros Phyſicorum,cum ſint de communibus,& ob eos ſtatim cœpiſſe Alexandrum conqueri; colligamus itaque inſcriptionem hanc fuiſſe quidem ex aliquo communi depromptam, libris tamen Phyſicorum tanquam propriam fuiſſe tributam ob relatas cauſas:qua inſcriptione communi Ariſt. reddit beneuolos,cum res præſtantiſſimas,ſcitu dignas, proponat explicandas;reddit dociles,indicans ſe id facere per modum inſtitutionis,non per Dialogos vt Plato; reddit attentos,cum indicet nos debere eſſe non auditores tantum,ſed auſcultatores, hoc eſt accuratos & diligentes.

*Propria ſententia.*

*Ratio inſcriptionis.*

*Dubitatio.*

*Solutio:*

## *Inſcriptio partium libri Phyſicorum.* *Cap. XXXII.*

DICEBATVR libris Phyſicorum præter communem inſcriptionem, etiã tributam eſſe inſcriptionem propriam partium, per quam libri primi dicuntur de Principijs,reliqui de motu,vt indicauit Ariſt. in prooemio lib. Meteororum, & alibi;at qui ſint libri de principijs & qui de motu, variæ ſunt opiniones: Nonnulli libros Phyſicorum inter partes diuiſere,& primos duos libros dixere de principijs, duos ſequentes de communibus affectionibus, poſtremos quatuor de motu, vt exiſtimauit Lucillus;quæ diuiſio ab eo eſt

*Qui ſint libri de principijs.*

excogitata; & pugnat cum sententia Arist. quã explicare nitimur; inquit Arist. in proœmio Meteororum in libris Physicorum se egisse de primis Naturæ causis, & de omni motu naturali; Insuper male secernunt communes affectiones a motu, cum in tertio Phy. cunctæ proponantur explicandæ, vt complicatæ cum motu: Hinc Græci in duas solas partes diuidunt, in partem de Principijs, & partem de motu; dissentiunt tamẽ, quia Philoponus, & Porphyrius quatuor primos iudicant de Principijs, reliquos de motu; Simplicius vero quinque primos dicit de principijs, tres postremos de motu; ambæ tamen sententiæ mihi videtur dubiæ, quia Arist. declaratis principijs in primis duobus lib. Phy. in principio tertij vtitur nouo proœmio, in quo motũ & affectiones cum eo iunctas declarandas proponit; adeo vt conspicue tertius liber sit de motu, cũ Arist. de eo agendum proponat, illumque definiat. At respondet Simplicius inquiens in 3. & 5. libris agi de motu vniuerse, vt communi cunctis & vt sumpto in definitione Naturæ, quæ principium est; De motu vero ex se, vt contradistincto a principijs, agi in tribus postremis lib. Cõfirmat suam sententiam authoritate Adrasti, Andronici, Eudemi, et Theoph. Insuper Arist. sub initio octaui Phy. inquit, ordiamur primo a definitis prius in Physicis, motum esse actum mobilis &c. ita librum tertium nuncupat de Physicis, hoc est principijs non de motu; quod etiam facit in calce eiusdem lib. inquiens prius in Physicis ostensum esse non dari molem infinitã; idq; confirmatur, quia Damascius scribens vitam Eudemi dixit librorum Arist. de Natura, tres esse de motu; Naturales vero ne dum vocat hos octo libros, verum etiam eos de Cœlo, de Anima, & alios: peculiariter tamen quinque primos de Naturali auscultatione. Præterea nonnulli addicti Simplicio ostendunt librum sextum esse primum inter libros de motu, per Aristotelem in primo de Cœlo 58. appellantem declarata in sexto lib. primas suppositiones. Quod autem tertius liber non sit de motu, patet ex Arist. in primo de Cœlo 54. nuncupante librum illum de principijs. At euasio Simplicij est inanis; nam ille liber præsertim est de motu, in quo motus declarandus proponitur, & definitur, quod sit solum in tertio lib. & quo consideratio eius est communior, eo magis debet iudicari de motu, cum commune contineat cætera facultate: nec nobis obest quod tunc consideretur motus cum relatione ad Naturam, quia cuncta considerata in Physicis, ad Naturam & naturale corpus referuntur. Insuper Arist. in sexto lib. nullum de motu facit nouum principium, sed prosequitur ea declarare, de quibus in quinto cęperat verba facere: Ideo opinio Philop. & Porphyrij, quod lib. quintus sit primus de motu, probabilior est opinione Simplicij, quamuis ea quoque opinio absolute vera non sit, vt apparuit. Non desunt nonnulli qui primum, secundum & octauum iudicant de principijs, cæteros de motu; nam octauus liber est de primo principio, cum in eo fiat resolutio in primum motorem; Quæ sententia reijcienda est, quoniam nos eam quęrimus inscriptionem, quam his libris dedit Aristot. vt ipse frequenter librum octauum nuncupat de motu, vt patet ex primo de Cœlo 38. primo de Ortu & Interitu 14. & primo cap. de motu animalium; Præterea eo modo valde concisa & confusa indicaretur inscriptio, & explicatio principiorum; Et præsertim quia in 8. conspicue absoluitur explicatio motus, cum declaretur eius æternitas & in 2. Phy. 71. & 73. asseritur motorem primum ad Physicum non attinere, & propterea ab eo non debet peti inscriptio libri Physici. Pro resolutione itaque difficultatis, tres profero conclusiones; prima est omnes octo libros Physicorum posse dici de Principijs; secunda omnes posse dici de motu; Tertia re vera duos primos esse de principijs, reliquos sex de motu. Quod omnes possint dici de principijs patet, quia in naturali sciẽtia sunt sermones primi & communes; prima autem & communia principij nomine denotari possunt, sic Arist. 4. Cœli 25. octauum Physicorum nuncupat primos sermones & in 8. Phy. cont. 40. inquit, necesse igitur est omne quod mouetur esse diuisibile in semper diuisibilia, vt ostensum est prius in ijs, quæ vniuerse sunt de Natura, quod omnę quod mouetur cõtinuum est; in cuius loci explicatione conspicue errat Simplicius, qui vt suæ opinioni faueret

*Philop.* *Simplicius.* *Euersio.* *Opinio quorundam.* *Euersio.* *Sententia propria.*

faueret inquit id declaratum esse in quinto libro, cum proculdubio declaretur in sexto. Confirmatur eadem assertio per Adrastum, qui in commentario de ordine librorũ Arist. referente Simplicio in proœmio Phy. inquit hos octo libros a nonnullis dictos esse de principijs. Altera assertio erat, omnes posse dici de motu; quæ est vera, quia omnes sunt de his, quæ sunt communia Physicis; Physica autem circũscribuntur per motum, & præsertim quia nomine maioris partis, potest denotari totum. Tertia assertio conspicua est ex dictis. Nec est difficile aduersis rationibus satisfacere. De authoritate Theoph. & reliquorum, dico eis veritatem non fuisse omni ex parte notam, & ob id ipsi quoque non penitus consenserunt. Afferebantur loca, in quibus Arist. tertium nuncupat de Physicis, quæ nobis non obsunt; nam omnes sunt de Physicis, & Arist. in 12. Metaphysicæ inquit æternitatem motus declaratam esse in Physicis, indicans lib. octauũ, Physicorum. At magis vrget authoritas ex primo de Cęlo 54. deprompta, nam inquit Arist. reiectum esse infinitum per rationes, quæ sunt circa principia; verũ per iam dicta diluitur: patefeci enim omnes octo libros communi inscriptione posse dici de principijs, & circa principia; sic ait Arist. reiectum esse infinitum per rationes circa principia, hoc est formatas in primis libris, quę sunt de communibus, quæ iudicari debent principia, dum comparantur cum subsequentibus. Authoritas ex primo de Cœlo 58. deprompta leuissima est; nam inquit Arist. necesse est loca quoque esse mole infinita, quare & motus omnium esse infinitos; quod fieri nequit, si ponimus veras esse primas suppositiones; his verbis aiunt Aristotelem declarata in sexto nuncupasse primas suppositiones de motu, & consequenter librum illum esse primum librorum de motu: at ea authoritas nil conspicui indicat, quod nobis aduersetur; hinc Simplicius id retulit ad octauũ Phy. D. Tho. ad prius declarata in eo lib. de Cœlo: sed esto quod denotauerit sextum Pyh. dico per sermones primos, denotasse antecedentes; insuper iam dixi omnes libros Physicorũ posse dici sermones primos; sic in 8. Phy 68. dicta in sexto nũcupat primos sermones de motu, hoc est antecedentes. Deo Laus.

*Diluuntur rationes aduersa.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

*De Philosophorum Placitis in attinentibus ad interna Principia Generationis rerum Natura Constantium Liber Vnus.*

## Prooemium, ex quo refulget vtilitas cognitionis variarum opinionum.

*VARIA de ipso vero legitur celebriores Philosophos enunciasse; nam Heracliti sententia fuit verum in* [Heracliti sententia de Vero.] *profundo puteo latere; Ex aduerso enunciarunt Academici verum in solo Cœlo, vt in sua sede, re-* [Academicorum.] *fulgere; Democritus, & Epicurus dixere verum ex* [Democriti, & Epicuri.] *sensu oriri, in sensuq; residere, & cuncta esse talia, qualia sensibus iudicarentur; hinc hominem per sensus dixere mensuram rerum: Arist. id negauit de quouis homine, &* [Aristot.] *solum concessit de viro sapiente, qui cum natura per sapientiam conformatur. Quæ sententiæ, quamuis inuicem videantur pugnare, om-* [Concilium.] *nes tamen, vt sunt de vero, ita ipsi vero aliqua ex parte sunt consentaneæ. In Puteo latet veritas, quia cum difficultate per humanam indagationem ex interna rerum natura eruitur; Lucida autem fulget in cœlo, cum sit conspicua superis, & secretis Mentibus; sensus sunt idonei iudices sensibilium, & præsertim earum affectionum, quibus proxime per motionem a sensibilibus prodeuntem afficiuntur: facta tamen inter homines comparatione, solus sapiens, quatenus sapiens, dicitur iudex rectus, mensura rerum, & congruenter cum Natura ea-* [D. August.] *rum conformatus: At quia Sapientia, vt est præclara, ita est rara, ideo magna ex parte (vt enunciauit D. Augustinus) scientia nostra nil aliud est, nisi formosa quædam opinio, per quam tamen nonnunquam* [Notitia variarum opinionum vtilis est docenti.] *ad formosiorem Scientiam datur nobis aliquis aditus. Ex quo constat quam vtile sit, quamq; studiosis animis consentaneum Illustriores Phi-*

losophorum opiniones perpendere, easq; sibi reddere familiares: quam vtilitatem frequenter vna cum Platone patefecit Arist. cum alibi, tum maxime in primo de Cœlo 101 & in primo de Anima 19. Vtilis namque est, cum docenti, tum audienti; docenti quidem, vt refulgeat eruditior, magisq; in ea re versatus, de qua loquitur: insuper vt intimius & exactius rei conditionem intueatur, & exquisitius valeat eam elucidare; Tertio vt consideratis aduersis opinionibus, rectius valeat iudicare; Insuper ne vlla animi affectione, sed sola ratione duci & suaderi videatur; Quinto vt suam sententiam firmiorem patefaciat; euersio enim opinionis aduersæ, est comprobatio propriæ; Demum vt copiosior appareat, magisq; principijs & rationibus abundet, rem propositam explicantibus, ac ita ea varietate magis delectet & prosit.

*Prima vtilitas. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.*

Altera ex parte vtilis est audienti, Vt ingenium eius excitetur ad indaganda varia pro distinctiore veri inspectione; Vt purgetur eius animus a mendacio, Vt constantius & firmius docenti credat, vt varias audiens opiniones reddatur eruditior, vt animus eius in verioris sententiæ approbatione magis acquiescat, Et demum vt libere valeat cui voluerit parti adhærere. Hinc Plato & Arist. varias referendo veterum Sapientum sententias, dialogos & libros suos splendidiores & gratiores reddidere. Et cum in omni veritatis indagatione huiusmodi vtilitates locum habeant, præsertim tamen refulgent in consideratione Principiorum, ne dum quia Principia virtute & facultate sunt omnia, & sermo de Principijs est sermo de rebus omnibus, vt elicitur ex primo de Cœlo 33. Verum insuper, quia de illis Veterum Sapientum opiniones apprime variæ & pugnantes circumferuntur; Propterea operæprecium est eas referre, in capita redigere, accurateq; perpendere, vt quid veri, quidq; falsi in eis includatur, inspicere pro facultate valeamus.

*Vtilis est audienti. Plato & Arist.*

---

*Quid nomine Principij denotetur primaq; de Principijs opinionum Capita. Cap. I.*

PLATO in Philebo, & cum eo Stoici nomine causæ solum efficiêtem denotarunt; Arist. vero cum internas, tum externas causas, quæ quatuor numero sunt, denotare consueuit. Elementi nomen apud Platonem primo, mox apud Aristotelem omnia prima interna Principia significat; ideo Simplicius in proœmio primi Phy. ex sententia Eudemi ait Platonem fuisse primum, qui nuncupata a Veteribus Principia, Elementa appellauit; nam veteres Philosophi, quos sequuti sunt Hippocrates, & Galenus in lib. de Elementis, & de

*Plato solũ efficientem cẽsuit cãm. Arist. quatuor statuit cãrũ gña. Elementũ. Hippocr. Galenus.*

& de Natura humana, non omnia interna Principia putarunt debere dici Elementa, ſed ea tantum, quæ ſint eiuſdem generis cum eo, cuius ſunt Elementa; adeo vt Elemẽta corporum debeant eſſe corpora, qualitatum qualitates, & formarum formæ; & propterea materiam & formam nõ iudicarunt Elementa corporum, ſed ſolum principia. Nomen Principij apud Ariſt. præſertim denotat cauſas externas, nempe finem & efficientẽ: apud veteres vero denotat internas, & pręſertim materiã. hoc denotauit Ariſt. in primo Phy. cont. 48. inquiens veteres Philoſophos Elementa, & ab eis vocata principia, aſſeruiſſe contraria; Et quoniam Ariſt. in primo Phy. relaturus, & euerſurus erat Veterum opiniones, ideo ſeruat modum loquendi eorum, & in primo contextu proponit primo agendum de principijs; ac etiam in Epilogo ſe de principijs egiſſe colligit, principij nomine more veterum, denotans ea, quæ interna ſunt. Ego ſimiliter, Ariſtotelem ſequens, cum inquiram ſententias veterum de principijs, pręſertim interna perquiram. Inſuper latere nos minime debet, apud veteres principium præſertim eſſe materiam; ratio eſt, quia eam putarunt eſſe vniuerſam eſſentiam, & naturam cunctorum natura conſtantium; & propterea Ariſt. loquuturus de principijs ex ſententia veterum, præſertim loquitur de materia, quam eandem putarunt & cœlo & collocatis ſub eo competere: nam vt refert Porphyrius in lib. de abſtinentia ab eſu carniũ, Architas, & Ariſt. fuere primi, qui Naturam cœli ab ea mortalium diſtinctam iudicarunt. His præaſſumptis imitatus Ariſtotelem a diſtinctione ordiar, per quam opiniones omnes in prima Capita rediguntur.

*Apud veteres proprie principium eſt materia.*

*Porphyr.*

## PRINCIPIA

- *Vel ſunt vnum*
  - *vel eſt finitũ,*
    - *Vel eſt mobile vt putarunt Thales, Hippon, Hippias, qui aquam dixere principium. Anaximenes, & Diogenes, aerem. Heſiodus, Pherecides Chius & Pronopides terram. Heraclitus, & Zeno ignem*
    - *vel immobile, vt Parmenides.*
  - *vel infinitũ,*
    - *Vel mobile, vt Anaximãder.*
    - *vel immobile, vt Meliſſus.*
  - *vel nec finitũ, nec infinitum, nec mobile, nec immobile, vt cenſuit Xenophanes.*
- *vel plura*
  - *Vel numero finita, vt cẽſuit Ariſt. tria ſtatuens, materiam, formam, & priuationem; Plato Magnũ, paruum, & vnum, ſiue infinitum, terminum & vniens; Pythagoras poſt primũ vnum decem contrarietates primas. Empedocles quatuor Elementa vnà cum lite et amicitia. Boethus ignẽ, & aerem. Parmenides ignem, & terram.*
  - *Vel infinita,*
    - *Vel eadem genere, diſtincta Figura, & ſpecie, vt Democritus, Leucippus, Epicurus, qui innumeras ſtatuere atomos, & immenſum inane.*
    - *Vel genere diſtiſta, et contraria, vt Anaxagoras infinita corpora ſimiliũ partium, confuſa in Chao.*
- *vel partim vnum, partim plura, vt ex relatione Ariſtot. in 1. Phy 32. putarunt Anaximander, Empedocles, Parmenides, Zeno, & Anaxagoras; hi tamẽ vt vel vnum, vel plura ſtatuerunt, etiam ſub eorum capitibus conſtituuntur.*

Opinio

## *Opinio asserentium Principium, & id quod est esse vnum & immobile. Cap. II.*

*Tria opinionũ capita.*

APPARVIT de principijs tria esse opinionũ capita prima; Principia enim vel sunt vnum, vel plura, vel partim vnum, partim plura; ordiens ab illis, qui vnicum statuerunt principium internum, praeaccipio quod cum tota rei essentia in internis principijs sit posita, iure statuentes principium vnum cogũtur asserere omne quod est esse vnum, & nil esse aliud praeter id, quod pro principio accipiunt; ex quo elicio, quod qui vnicum statuunt internum principium, euertunt principium; nam principium distinguitur ab eo, cuius est principium, cum nil valeat esse principium suimet; quare si principium cũctorum est vnum, vna erit cunctorum essentia, nempe ea, quae est ipsis principij, & non seruabitur distinctio principij, ab eo, cuius est principium; & propterea euertetur natura & conditio principij, & solum supererit inane nomen. Ad hoc opinionum caput, quod principium sit vnum, ad eamque partem, quod sit immobile, rediguntur opiniones Parmenidis Eleatis discipuli Xenophanis, nec non Melissi Samij auditoris Parmenidis, & Socij Zenonis; quorum primus censuit omne, quod est, esse vnum, finitum & immobile, alter vero esse vnum, immobile, & infinitum. Ad alteram vero eiusdem Capitis partem, quod omne, quod est, sit vnum, idque neque finitum, neque infinitum, nec mobile, nec quiescens (ex relatione Theophrasti) redigitur opinio Xenophanis Colophonij, quae tamen a varijs vario modo refertur; His commune est, quod cum statuant principium vnum, & omne quod est dicant vnum, multitudinem auferunt; insuper cum inficientur id moueri, motum euertunt; multitudo autem & motus sunt sensibilia communia, sensibus cõspicua, & principia nostrę cognitionis, per quae natura rerum a nobis indagatur & noscitur; & ob id non tenetur Physicus aduersus eas sententias disserere, cum euertant principia Physica, & nil notius in Physicis inueniatur, per quae possint ostendi: quia tamen sunt de rebus Physicis, & earum mendacium maxime obest cupientibus de Physicis assequi scientiam, propterea pręcurrentis dispositionis loco Arist. in primo Phy. rationibus Metaphysicis & dialecticis, deducendo ad cõspicue absurda, & per concessa ab aduersarijs in conspicuas controuersias eos redigendo, nititur illas euertere. At hoc consideratione dignum est, num Arist. re vera eorum sententiam euerterit, vel potius sola verba, vt vnà cum Simplicio varij viri docti existimant; Insuper, num veri aliquid huiusmodi sententię includant. Vt hoc assequamur duo considerare tenemur; primo vim ostensionum, secundo sententiam ex ostensionibus ab illis collectam: Vt pertinet ad primum, ratio Parmenidis ab Auer. & Latinis vario modo refertur; at longe rectius a Simplicio & Graecis, ex quorum sententia ita formatur. Quicquid est praeter ens, est non ens, quare ens est vnum; consequutio deducitur, quia si ea, quae sunt essent plura, profectò inuicem differrent: quęro de differentijs, vel sunt entia, vel non; si entia, tunc ens differret ab ente per ens, quod est absurdum, cum ens sit eis commune: Si non sunt entia, igitur ens per nihil differet ab alio, & propterea non differet, quicquid enim est praeter ens, est non ens, & nihil: haec est Parmenidis ratio, aduersus quam in primo Phy. inuehitur Arist. Pro qua primo animaduertendum est, Parmenidem non vna, sed multis rationibus vsum fuisse, & pręsertim supposita multitudine deducendo ad varia absurda, vt conspicue patet ex Parmenide Platonis, in quo Dialogo referũtur. Ratio autem nuper relata euertitur ab Arist. tum quia in ea sumuntur falsa; Ens enim quod multipliciter dicitur, vsurpatur ac si vno solo modo diceretur; tum insuper, quia ex assumpto principio minime id necessario colligitur; quamuis enim nil sit praeter ens, non propterea ens est vnum. Proculdubio si relatam deductionem consideramus, ex ea hoc solum necessario colligitur, ens quatenus

*Statuentes vnicũ principium id euerterũt.*

*Parmenides. Melissus.*

*Xenophanes.*

*Eorum sententia sunt extra limites Physicos.*

*An veri aliquid veterum opiniones includant.*

*Ratio Parmenidis.*

*Parmenides varijs rationibus est usus.*

*Quid colligitur ex ratione Parmenidis.*

nus ens, modo aliquo esse vnum; nam ens est quid commune cunctis; cōmune autem modo aliquo vnum est; at ea est vnitas non vniuoca, sed ab vno, quæ non est natura vna, in omnibus eadem, sed per gradus varia, & per vniuoca genera distincta: Insuper ex ea ratione non colligitur euersio ortus & interitus rerum; nam quamuis ens vniuerse sumptum nec gigni, nec interire valeat, vt etiam fatetur Arist. 9. Metaphysicæ 21. tamen nonnulla sub eo contenta, vt contrarietatibus prædita, & materiam primam includentia, ortui & interitui sunt obnoxia. Melissus etiam censuit ens esse vnum & immobile; dissentiebat tamen a Parmenide, quia putabat id esse infinitum; Vtebatur præsertim hac ratione, Ens est ingenitum, igitur caret principio; quo si caret, etiam caret fine; carens principio & fine est infinitum; Si infinitum, igitur est vnum; si infinitum & vnum, necessario est immobile, cū nec supersit locus, in quem tendere possit, nec aliud adsit, a quo moueatur. Ens autem esse ingenitum ostendebat ea communi ratione, quia si gigneretur, vel fieret ex ente, vel ex non ente; non ex ente, alioquin esset antequam fieret; non ex non ente, quia communi Philosophorum consensione ex nihilo nil fieri potest. Arist. rationem hanc manifestius ea Parmenidis asserit esse falsam, variaque ei obijcit; & proculdubio si a Melisso ita formabatur, varia includit leuia, & inconstantia; nam ens, principium, & vnum, quæ multipliciter dicuntur, assumuntur ita, ac si vno solo modo diceretur.

*Melissus.*

*Ratio eius.*

## *Quot modis id, quod est possit dici vnum.* Cap. III.

VT pertinentia ad relatas sententias clariora reddantur, operæpreciũ est primo considerare quot modis fateri, & seruare valeamus omne, quod est esse vnum; & profecto id cōtingere potest quatuor modis; primo ascendendo in Deum caput omnium, & ipsum vnum; ipse enim solus procul a mixtione cum non ente, ex se eminentissime & vnitissime est omne quod est; secundo vnà cum Platone descendendo ad essentias, & formas rerum primas, nempe Ideas Menti competentes, ex sententia Academicorum sub Deo positas, quæ ideæ omnes, vt boniformes, & pulchriformes, ita vniformes esse dicunt; tertio descendendo ad corpora sub sensum cadentia, quæ vnius conditione participant, vel ex sententia Platonis quatenus per semina & rationes in Ideas rediguntur, in vnumque desinunt, vel ex opinione etiam Arist. quatenus suo ordine Mundũ vnũ constituunt, ac insuper quatenus per gradus abstractionis in ens communissimũ resoluuntur, quod est vnum vnitate ab vno; vt legitur sub initio quarti Metaphysicæ. Quarto & postremo descendendo ad Materiam, quæ fundamentum Naturæ dicitur, & quam veteres putarunt esse communem cunctis corporibus, & esse vniuersam eorum naturam & essentiam; quo supposito fateri cogemur omnia esse vnum. Si aliquo horum quatuor modorum veteres putarunt omne, quod est esse vnum, profecto sententiam protulerunt aliqua ex parte rationi consentaneam; at si procul ab omni mutua distinctione cuncta putarunt vnum, potius celebres insani, quam celebres sapientes iudicandi essent; at quoniam multorum applausu summopere commendantur, propterea putandum est eos latenter aliquo relatorum modorum cuncta putasse vnũ. Simplicius, Card. Bessarion & alij nonnulli viri celebres, inquiunt, eos per id quod est denotasse Deum, vel eminentissimam superæ Mentis vnitatem: quod etiam subindicauit Auer. in primo Phy. 41. & visus est denotasse Parmenides per varia sua carmina relata partim a Card. Bessarione in calce secundi libri, partim a Simplicio in primo Phy. 31. dicebat enim Parmenides id ens, quod statuebat vnum, esse ingenitum, immortale, totum vnius naturæ, quod semper esset simul, indiuiduum, sine principio & fine nullo egens, in quo idem esset intelligens & intellectio, simile Globo perfecto, in quo omnes extremæ partes æque distent a medio; hæc autem de solo Deo, siue supera Mente vera sunt. Similiter Xenophanes præceptor Parmenidis, referente Arist. in primo

*Quatuor modis omne, quod est potest dici vnum.*

*Simplicius. Card. Bessarion.*

*Xenophanes.*

mo Metaphysicæ cap.5.id vnum dixit esse Deum,& ob id ipsum forte Arist. in primo Phy.dixit considerationem huius opinionis esse non Physicam, sed Diuinam;re vera autem diuina erit,si de Deo fuit enunciata:hinc in tertio de Cœlo cōt.2.legitur Parmenidem & Melissum, & si alia dicunt bene, non tamen oportet putare eos Physice loqui;esse enim quædam ingenita, & non apta moueri, magis est alterius, & prioris, quàm Physicæ considerationis.Propterea Theoph.ingenue fatetur eos de Deo fuisse loquutos;Plotinus quoque Enn.5.lib.primo cap. 8. inquit Parmenidem asserentē id,quod est esse vnum in idem redegisse id quod est, & Mentem,& id quod est, in rebus sub sensum cadētibus minime collocasse, sed intelligere & esse idem prorsus esse, idque esse immobile:Quod etiam latius explicauit Enn.3. lib.6.cap.6.Hæc sententia mihi videtur apprime dubia,tum quia Arist.in primo Phy.loquens nō de abiunctis, sed de rebus Physicis,materiatis, deque eorum principijs inquit relatos Philosophos negasse ortum, interitum, motum & multitudinem, ac etiam euertisse principia, quæ cum differant ab eo,cuius sunt principia,seruari nequeunt sine multitudine;tum insuper quia in tertio de Cœlo cont.2.ait eos asseruisse nil interire, sed tantum videri, at Deus neque etiam interire videtur.Prēterea Plutarchus in primo de Placitis Philosophorum cap.24.inquit,Parmenides, Melissus, & Zeno, cum omnia opinarentur esse motus expertia,ortum & interitum prorsus inficiati sunt: Plato quoque in Parmenide loquens in persona Parmenidis, deducensq; ad absurda varia, nisi id quod est esse vnum confiteremur,non de abiunctis,sed de cunctis natura constantibus loquitur, vt eius verba considerantibus redditur notum; Propterea sub initio Dialogi de Parmenide loquens inquit, Nam tu in Poematis vnum vis esse hoc totum quod est, atque huius rationes quā pulcherrimas affers,hic vero (nempe Zeno) multa esse negat &c. Insuper in Theæteto inquit,Propemodum ô Theodore oblitus erā quod alij his contraria monstrant, vniuersi videlicet congruens nomen esse hoc,existens, immobile,& alia quæcunque Melissei, Parmenideiq; aduersantes his omnibus asseuerant, quod omnia vnum sint, idque vnum ipsum in seipso consistat, locum, in quem moueatur, nullum penitus habens, &c. Asserit itaque Plato opinionem horum esse contrariam opinioni putantium cuncta fluere; at qui putabant fluere cuncta, non de abiunctis, sed de rebus Physicis & materiatis loquebantur. Eandem sententiam enunciauit Arist.in secundo cont.tertij de Cœlo inquiens, Parmenidem& Melissum tenuisse ortum & interitum, mox in cont. 3. addit alios è contrario cuncta ortui, interitui, & transmutationi subiecisse,e quorum numero fuerūt Hesiodus,& Heraclitus, ac etiam (si recte perpenditur locus ille) tribuit Philosophus Parmenidi & Melisso, quod putarint nil reperiri, præter sensiles substantias; at quia per opera excitabantur in cognitionē naturæ,& considerationis primorum principiorum, ideo quæ re vera abiunctis principijs competunt,sensilibus substantijs tribuerunt. Hæc est sententia Aristot. quæ ex eo loco elicitur, si accurate eius verba considerantur; Erprofectò valde inuidum,malignum,& leuem Arist.se patefecisset, si disputans in primo Physic. de principijs internis rerum natura constantium, Parmenidem & Melissum increpasset asserentes id quod est esse vnum, & nouisset eos de re alia, nempe de abiunctis substantijs, & supera mente fuisse loquutos, quæ ad rem non faciebant.

Theophr.

Plotinus.

Plutarchus

Qui

## *Quid nomine entis denotarint veteres asserentes id esse vnum, opinio propria.* *Cap. IIII.*

CVm apparuerit Veteres Sapientes per id, quod est, non denotasse Diuinam Mentem, Profecto putandum est eos nil aliud denotare valuisse, nisi id, de quo suos libros construxerunt, eiusq; indagarunt principia; nempe Mundum totum, sub sensum cadentem, vt etiam censuit Eudemus ex relatione Simplicij in primo Phy. Hoc est id, quod ad rem facit; hoc nouerunt veteres, de hoc apud Platonem in Parmenide formantur rationes ostendentes esse vnum; de eodem Arist. in primo Phys. eis tribuit quod putarint esse vnum; Ideo recte Alexander (referente Simplicio in tertio de Coelo cont. 2.) ait eos ita fuisse ratiocinatos, Solum sensilia sunt, solum eorum quæ sunt est scientia, ea quorum est scientia, sunt immobilia, id itaque quod est, immobile est; Putandum est igitur Veteres Philosophos de hoc vniuerso enunciasse quod vnum sit; dissensisse tamẽ, quia eius vnitatem varij ad varia retulerunt; vario namque modo seruare valemus omne quod est esse vnum; primo referendo cuncta ad principium primũ, quod vnum est, & cuius cætera cuncta imitationes quædam sunt, & participationes; hac consideratione vera est sententia Xenophanis dicentis, id vnum esse Deum. Secundo vniuersum est vnum ratione materiæ, quam cunctis cõmunem existimarunt veteres, & eandem putarunt esse vniuersam naturam, & essentiam rerum; hac ratione Melissus omne quod est, dixit esse vnum secundum materiam; hanc veritatem recte nouit & enunciauit Galenus: nam exponens librũ Hippocratis de Natura humana dixit, ens vnum Melissi, esse naturam quandam subiectam Simplicibus corporibus, quam alij materiam appellant: id ipsum in eodem libro ei tribuit Hippocrates inquiens, Perinde ac rerum omnium Elementa vnum, seu omnia vnum esse asseruisset &c. Tertio hoc vniuersum potest dici vnum secundum rationem, hoc est secundum communem quandam notionem, ac (vt aiunt) secundum transcendentiam, & vnitate ab vno; de qua dicimus quod ens & vnum reciprocantur; hos tres modos indicauit Arist. in primo Metaphysicæ cap. 5. inquiens, Parmenides vnum secundum rationem attigisse videtur, Melissus secundum materiam, Xenophanes autem nil certi dixit, sed in Cælum inspiciens, id vnũ dixit esse Deum. Quarto his addere possumus, id quod est esse vnum, quatenus ex cunctis hoc vniuersum consurgit, quod est omnia in vnum versa, cuius conditio est, vt vnum sit, ordine vno præditum, ex vno principio pendens, & in vnicum postremum finem conspirans: Hanc itaque vnitionem rebus omnibus insitam inspicientes veteres, enunciarunt id quod est esse vnum, & non loquuti sunt de rebus varijs, sed de eadem, nempe de serie corporum natura constantium; vnitatem tamen eius ad varia retulerunt, vt apparuit. De quo ente vno varia & distincta ratione dicere possumus, quod sit finitum, infinitum, ac etiam nec finitum nec infinitum; insuper quod sit immobile, ac etiam nec motum, nec quiescens; Nam primo finitum est mole, & gradu suæ essentiæ & perfectionis; infinitum vero mora & conseruatione, ac insuper intensione virtutis sui principij; non est autem finitum nec infinitum, considerando conditionem materiæ, quæ, cum nullo definito termino sit circumscripta, nec finita, nec infinita dici potest, sed indefinita. Præterea hoc vniuersum est immobile, primo ratione sui primi principij, nempe Dei, secundo ratione vniuersi orbis, quod locum non mutat, tertio ratione materiæ, quæ secundum suam essentiam a varietate est immunis; Demum dici potest nec motum, nec quiescens; non motum ob triplicem relatã considerationem; non quiescens, quia cum ob triplicẽ illam rationem non sit natum moueri, non proprie quiescit; quies enim est priuatio motus in subiecto nato moueri; sic cuncta recte seruantur, quæ de huiusmodi opinionibus relata sunt.

*Alexãder.*

*Xenophanes.*

*Melissus.*

*Arist.*

*Quo vniuersum sit immobile.*

## *Opinio asserentium id quod est, ac etiam Principium esse vnum, & mobile. Cap. V.*

PRAETER eos, qui omne quod est vnum, & immobile existimarunt, Philosophi alij reperti sunt, qui principium dixere vnum, & mobile, ac ob id ab Aristotele nuncupati sunt Physici: cum enim Physicum motum concesserint, nec Naturam, nec Principium cognitionis eius euerterunt: Hi de hoc consenserunt, quod nomine principij materiam denotarunt, quam putarunt esse vniuersam rerum naturam, & essentiam. In horum serie

*Thales.* refulsit Thales Milesius, vnus ex septem Græciç sapientibus, Ionicorumq; philosophorum princeps; qui floruit Olymp. 30. regnante Cræso; Hic aquam dixit principium rerum, & ex aqua fieri, aquamq; esse cuncta existimauit: Eiusdem opinionis fuerunt Hippon, & Hippias; cur autem in eam venerint sententiam, rationes variæ a viris varijs Sapientia illustribus afferuntur. Arist. in primo Metaphysicç c. 3. inquit Thaletem alimentum inspexisse; cum enim ex eo alamur, ex quo constamus, & gignimur, quia cuncta aluntur humido, crasso & aqueo, iure colligere valemus ex aqua gigni, & aquã esse naturam & principium rerum omnium. Hinc etiam genitura, ex qua animalia

*Arist.* gignuntur, humida, & aquea apparet; Insuper addit eo loci Arist. fuisse nonnullos, qui primos Theologos id ipsum sensisse existimarint, ac ob id finxisse Oceanum & Thetym vniuersæ generationis esse parentes, Et Poetas aquam ab eis Stygem dictam asseruisse esse iusiurandum Deorum; cum enim aqua sit Principium, est antiquissima, Dijs proxima, eximioq; honore digna, & ob id est iusiurandum; iuramento enim id

*Plato.* obtestamur, quod honorabilissimum est. Plato quoque in Theęteto Homero tribuit quod putarit Oceanum, & Thetym Deorum esse parentes, & addit aquam a nonnullis ob id dictam fuisse principium, vt rerum sensilium inconstantiam, fluxum, & per-

*Io. Picus.* mutationem indicarent. Ioannes Picus familia, ingenio, & eruditione Illustrissimus ait Thaletem sequutum fuisse Aegyptios, qui fœcunditatem soli inspicientes, ex Nili inundatione prodeuntem, aquam rerum principium existimarunt. Demum his addere valemus Thaletem, Homerum, Hipponem, Priscosq; Theologos ob id aquam statuisse principium, vt ænigmatice materiem indicarent, cuius cõditiones conditionibus aquæ valde sunt similes; ambo enim proprijs terminis carent, alienos facile re-

*Anaximander.* cipiunt, affectionibus varijs subijciuntur, in constantiæq; & fluxus sunt origines. Anaximander Thaletis sodalis principium statuit corpus quoddam medium, quale est duplex genus halituum, ex quibus mixta, & præsertim Meteorologica proxime gignuntur, viæq; sunt ad omnem generationem. Hoc intermedium corpus, dixit esse infinitum vt in infinitum seruaretur generatio; & ex eo res fieri dixit non densitate & raritate, vt putarunt alij, sed per quandam secretionem: ideo Arist. in primo Physic. 32. asseruit, Quidam ex vno inexistentes contrarietates secernunt vt Anaximander. Sen-

*Plutarchus* tentia Anaximandri a varijs vario modo refertur; Inquit Plutarchus in primo libro de Placitis Philosophorum, Anaximander Milesius inquit eorũ, quæ sunt principium esse ipsum infinitum; ex hoc enim omnia fieri, & in hoc omnia interire; quamobrem Mundos infinitos ex ipso gigni, & rursus in id interire, ex quo geniti sunt; dicit igitur,

*Galenus.* cur infinitum est? vt nullo pacto deficiat generatio Gal. in lib. de Historia Philosophorum inquit Anaximandrum corpus id dixisse Aetherem: Themistius ait id corpus esse crassius igne, tenuius aere; Porphyrius, & Nicolaus Damascius aiunt Anaximandrum constituisse corpus infinitum, nec explicasse quod nam corpus esset, num ignis, vel aer: Mediũ autem illud inter ignem & Aerem aiunt pro principio fuisse positum

*Plotinus.* a Diogene Apolloniate: Plotinus in lib. de Materia cap. 7. inquit Qui autem materiæ loco infinitum cõstituunt, quid hoc ipsum sit debet exponere, indicans Anaximandrum

id non explicasse; at quicquid sit de huiusmodi corpore, hoc satis constat per id medium infinitum, circumscripsisse materiam, quæ est medium inter oppositas formas potestate, quod dici potest infinitum, quatenus materia terminis proprijs caret, indefinitaq; est. Hoc medium dicitur corpus, tum quia veteres putarunt materiam esse corpus, tum insuper quia saltem nunquam sine dimensionibus corporum reperitur; ex quo intermedio dicere valemus cuncta fieri per secretionem, quatenus formæ educuntur è potentia materiæ; quæ potestas est tanquam inchoatio formarum; legitur de Anaximandro, illum fuisse primum, qui huiusmodi principium nuncupauit subiectum. Anaximenes auditor Anaximandri, ac (vt inquiunt nonnulli) etiam Diogenes, aerem dixere principium, nec quidem iniuria: aer enim facile in alia vertitur, alienasq; recipit affectiones, ac insuper spiritus ille est, per quem fœcunda sunt semina, vt legitur in secũdo de Gen. animalium cap. 3. de quo dicitur Spiritus intus alit. Sic etiã aerem inspirãtes viuimus. Hesiodus, Pherecides Chius, & Pronopides, qui inter Theologos numerantur, Terram dixere principium, veluti etiam Moyses in Genesi inquiẽs In principio creasse Deũ Cœlum & Terrã, quẽ sequens Plato in Timæo dixit in principio creasse Deum ignem & terram, nomine ignis cœlum denotans. Hesiodus suam sententiam explicans dicebat, ante omnia fuisse Chaos, deinde terram latam, atque Amorem, qui inter omnes immortales Deos elucet, nomine Amoris desiderium perfectionis & formæ denotans, insitum rebus omnibus, & præsertim materiæ, quæ cum pendeat ex bono, bonum optat, in idque tendit. Simili ratione Parmenides primo genitum fuisse amorem dixit, nam sine eo reliqua gigni nequeunt: & Empedocles inter principia generationis amorem numerauit, hoc est vnitionem, & insitum desiderium formæ & perfectionis. Terra septem præsertim rationibus conditionem materiæ seruat & præsefert; prima est, quia vt maxime densa plurimum materiæ includit; secunda quia intra cętera clauditur, ab eisq; tanquam a forma continetur; tertia quia cæteris alimentum maxime præbet; quarta quia in mixtis magna ex parte dominatur; quinta quia in eam cuncta videntur resolui, nam puluis & vmbra sumus; sexta quia in ea & ex ea gignuntur viuentia, eorumq; antiqua mater nuncupatur; septima quia ad Cœlum perinde se habet, ac fœmina ad marem; iure itaque veteres Theologi materiam nomine terræ denotarunt, quamuis ob eius densitatem, difficilemque in alia Elementa mutationem, a nullo Philosopho pro materia fuerit sumpta, vt testatur Philosophus in primo Metaphysicæ. Heraclitus, Ephesius, Hippasus, Zeno Stoicus, Stoicorumq; series ignem dixere principium: eius autem fuere sententiæ, quia Solem, Stellas, & Cœlum ignem esse putarunt, cœlumque existimarunt nuncupatum fuisse ætherem non ab æterno cursu, vt censuit Arist. sed a combustione ignis propria; ideo ex igne cuncta fieri, in ignemque statutis temporum mensuris debere reuerti, ac rursum Mundum refici existimarunt: quam sententiam explicans Ouidius in primo Metamorph. dixit:

*Anaximenes.* *Hesiodus.* *Amor.* *Quam Terra similis materiæ.* *Putantes ignem principium.* *Ouidius.*

*Esse quoque in Fatis reminiscitur affore tempus,*
*Quo Mare, quo Tellus, erectaq; Regia Cæli*
*Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.*

Pro huius opinionis approbatione inquit Philosophus in primo Metaphysicæ cap. 7. Id videri potest maxime omnium elementare principium, ex quo primo coniunctione res fiunt; huiusmodi vero id erit, quod partium est minimarum; propterea quicunque ignem principium statuunt, huic rationi consentanea dicunt, &c. Verum, vt censeo, hi potius efficacem ignis facultatem, motricemque virtutem, quam materiæ conditiones considerarunt; nam æterni illi cœlorum ignes, necnon ignis elementaris potius motores & formatores, quam materia dici merentur.

## *Opinio asserentium Principia esse plura & finita, & primo Pythagora.* Cap. VI.

PEractenus eorum decursæ sunt opiniones, qui vnum statuere principium siue immobile, siue mobile; explicandæ modo sunt opiniones illorum, qui ex aduerso dixerunt principia esse plura; ordiar autem a statuentibus ea numero finita, mox de statuentibus infinita verba faciam; Quicunque asserunt principia esse plura, de hoc consentiunt, quod sint mobilia, e quorum numero fuit Pythagoras Samius, qui ex Græcia in Italiam Philosophiam deduxit, & ob id dictus est auctor Italicæ Philosophiæ, & Calabria, in qua eã docebat, dicta fuit magna Græcia. Vir hic nomine celeber, & omnium consensione sapientissimus: Numeros dixit esse principia, & essentias rerum, & ex numerorum imitatione, non secus res cõfici existimabat, ac deinde ex Idearum participatione eas fieri affirmauerit Plato; Nam Plato nomen imitationis in nomen participationis permutauit, vt refert Arist. in primo Metaphysicæ cap. 6. principia autem hunc in modũ in ordinem redigebat; nam primam statuebat vnitatem, quam caput omnium cuncta facultate & eminentia includens esse dicebat; sub ea collocabat contrarietates decem, quæ ab Arist. ita in ordinem distribuuntur.

*Pythagoras.*

| | |
|---|---|
| Finitum, | Infinitum. |
| Impar, | Par. |
| Vnum, | Multa. |
| Dextrum, | Sinistrum. |
| Mas, | Fœmina. |
| Quies, | Motus. |
| Rectum, | Curuum. |
| Lumen, | Tenebræ. |
| Bonum siue Mens, | Malum siue sensus. |
| Quadratum, | Altera parte longius. |

*Alcmaeon.* Alcmæon etiam Crotoniates, qui floruit iam senescente Pythagora, eiusdem fuit opinionis; differebat tamen, quia (vt inquit Arist. in primo Metaphysicæ cap. 5.) Alcmæon res humanas in duo genera distinguebat, denotãs duos contrariorum ordines; ea tamen contraria quæ & quot sint, non distincte manifestabat. Hæc est opinio Pythagoræ, extrinsecus per verba denotata, at intimius eam considerans puto primo vnitatem supremam caput omninm, siue ipsum vnum supra omnem multitudinem & oppositionem collocatum, Deum esse; non enim hoc est id vnum in tertio gradu positũ, cui multitudo opponitur, sed est vnum, siue vnitas eminentissime includens multitudinem omnem, in immensum valens numerum rerum augere, in illumque sine sui diminutione effundi. Ex hoc supremo vno prodeunt Ideæ superæ Mentis, quæ sunt numeri primi, & numerorum originales formæ, ob quas dicitur Deum cuncta proprijs & definitis numeris procreasse; & ob id Simplicius in tertio de Anima enũciauit numeros Pythagoræ non esse accidentia, sed essentias rerum, & Arist. in 8. Metaphysicæ cont. 10. affirmauit rerum essentias perinde ac numeros se habere; nam ideæ sunt numeri originales, essentiæ autem rerum sunt nnmeri per imitationem & participationem: Insuper in primo Metaphysicæ cap. 5. inquit Philosophus hoc esse propriũ Pythagoræ vt finitum, infinitum, & vnum, non putarit vllam aliam esse naturam, puta ignem, vel Terram, vel aliud simile, sed ipsum infinitum, ipsumque vnum esse substantiam earum rerum, de quibus dicuntur, & ob id numerum statuebat substantiam omnium &c. Post Deum & originales numeros, siue Ideas, constituebat decem relatas contrarietates, quæ essent principia proxima rerum ita se habentia, vt vna oppositio-

*Explicatio sententiæ Pythagoræ.*

num ſeries actum, formam, & perfectionem indicaret. Altera vero potẽtiam, priuationem, & materiam, adeo vt vnum, infinitum, & terminus, hoc eſt Deus, & poſt Deum materia, & participatio Ideę ſiue originales numeri, ex ſententia Pytagoræ, ſint principia rerum. Ex quo conſtat primo quomodo ex eius opinione cuncta fluant ex vno; inſuper quomodo numeri originales ſint principia rerum, numeri vero participati ſint earum eſſentia; tertio, quomodo principia contraria ſint: Numerum contrarietatum denario circumſcripſit, vt integritatem numeri earũ indicaret; numeri enim creſcunt vſq; ad denariũ, mox reliqui ſunt multiplicationes & repetitiones denarij: Nõnunquã etiã Pythagoras abſolute par & impar dixit principia rerũ, nã per huiuſmodi affectiones numeros indicabat, ſimulq; patefaciebat conditiones internorum principiorum, nimirum materiæ & formæ; Par enim materiam, impar vero formam denotat, vt latiſſime patet varias earum perpendendo conditiones; numerus namque par in partes ęquales diuiditur, & numerus binarius parium primus, origo eſt multitudinis; recedentes enim ab vno, ſtatim in binarium labimur; quæ ſunt conditiones materiæ; ex aduerſo autem numerus impar nec diuidi poteſt in partes æquas, neque varietatis & multitudinis eſt origo, ſed potius conſimilitudinis, quatenus dum ſimul impares numeri nectuntur, ſemper eadem nempe quadrata conſurgit numeri figura; & cũ numerus impar formam, perfectionem, & participationem Diuinæ vnitatis denotet, iure dicitur Deum numero impari tanquam ſibi conſimili gaudere, & præſertim ternario imparium primo, initium, medium, & finem denotante. At iure quæri poteſt, quomodo vnitas & numeri dici poſſint eſſẽtia rerum, & principia. Diogenes Laertius inquit Pytagoram ſtatuiſſe vnitatem principiũ omnium, quia ex vnitate prodit dualitas, quæ vnitate authori ſubijcitur, ex vnitate autem ac indeterminata dualitate numeri gignuntur, ex numeris puncta, ex quibus Lineę, ex lineis figuræ planę prodeunt, ex planis figuris conſtituuntur figuræ ſolidæ & corpora, quorum prima ſunt Elementa, ex quorum ordine Mundus conſurgit. Hæc Diogenis explicatio mihi apprime dubia eſt, tum quia puncta non prodeunt ex numeris, ſed vnitati proportione reſpondent, tum inſuper quia ſolidum ex planis conſurgens, cum ſit accidens, eſt diſtincti generis a corpore, quod dicitur de quatuor Elementis, quod ſubſtantia eſt; tum demũ quia numeri ne dum a Pythagora dicebantur eſſentia quatuor Elemẽtorum, ſed etiã mixtorum, ac inſuper animæ, & formarum a materia ſeiunctarum. Propterea triplici ratione puto dicendum res ex vno pendere, & ex numeris conſtare; primo ob numerum originalem, ſecundo ob numerum numeratum, tertio ob ſimilitudinem proprietatum, & analogiam: Vt pertinet ad primum, quia numeri originales ſunt rerum Ideę cum ipſo vno iunctæ, & Ideæ ſunt puriſſimæ & ſimpliciſſimæ rerum eſſentiæ, ideo hac cõſideratione numeri dici poſſunt eſſentiæ rerum: hoc enunciauit Ariſt. in primo Metaphyſicę cap. 6. inquiens, Ideas ex ſententia Platonis eſſe rerum eſſentias, vnum vero eſſe eſſentiam Idearum. Huiuſmodi originales numeri vnitate participant, cum ratione principij ex quo prodeunt, tum ratione termini; cum enim ſint definita aliqua rei eſſentia, etiam ſunt vnũ aliquid: Hi numeri includuntur in ipſo vno eminenter, in Ideis originaliter, in anima formaliter per rationes; & quoniam ex anima prodit vis ſeminaria rerum, quæ dicitur Natura, ideo iure numeri originales per rationes & ſemina dicuntur principia rerum Natura conſtantium. Inſuper hi numeri, dum ad nos referuntur, ſunt numeri numerabiles; at dum ad ea referuntur, quæ ſunt eorum imitationes, vel participationes, dicuntur numeri numerantes, cum earum ſint perfectio & abſolutio. Secundo numeri dicuntur eſſentiæ rerum, conſiderando eas vt participationes originalium numerorum, & ſunt numeri cum per noſtram rationem, tum per originales numeros numerati; qua conſideratione etiam Ariſt. in procemio primi de Cœlo & in ſecundo de partibus animalium dixit Naturã multa ternario numero perficere, tanquam interno principio, medio & fine: ſic res conſtari dicuntur ex multitudine ſequente materiam, & vnitate multitudinem terminante, ſequente formã. Ter-

*Quæ colliguntur ex dictis.*

*Quõ numeri dici poſſint eſſentia rerum.*

*Diogenes Laertius.*

tio eadem sententia vera est considerando proprias rerum affectiones, consimiles affectionibus varijs variorum numerorum;Hoc nobis patefecit Arist. 14.Metaphysicæ cap. 3.& primo Metaphysicæ cap. 5. inquiens, Pythagoram affectiones rerum inspexisse;& quoniam variorum numerorum affectiones sunt variæ, respondentes affectionibus varijs rerum Physicarum,ideo res ex numeris constare enunciauit.Hęc mutua consensio & analogica similitudo rerum natura constantium, & numerorum, primo conspicue fulget,dum communem rerum conditionem consideramus; essentiæ enim rerum se habēt perinde ac numeri,quatenus si quid eis addatur,vel ab eis detrahatur, statim variatur essentia,vt variatur forma numeri per solam vnitatis ablationem; hoc patefecit Arist. in 8.Metaphysicæ cont. 10.Insuper id ipsum patet perpendendo conditiones internorum principiorum; nam materia est par & binarius,forma vero vnitas & impar,vt dixi;& demum perpendendo conditiones compositorum,veluti cum terra non moueatur, dicitur similis cubo, quod in definitum numerum terminorum resoluitur. Vsi autem sunt Pythagorei & Academici hac Analogica explicatione, & resolutione in Mathematica principia,tum quia consueuere primo Mathematicis dare operám;tum vt Philosophica mysteria minus redderentur popularia;tum demum quia Mathematica magis sunt exacta & exquisita, & ideo certissima dicuntur. Huic explicationi consentanea quoque ea sunt, quæ a Proclo in expositione Timæi de numero referūtur; constituit enim quatuor numerorum gradus, Diuinum,& eminentē, essentialem, qui est Idearum, Animarium, & Physicum,quibus succedit quintus pro rebus numerādis humana ratione formatus; Primū dicit vniformē,secundum immobilē,tertium se mouentē,quartum ab alio motū,ex quo elicitur interpretatio sentētię Platonis dicentis hominem esse sapientissimum,quia nouit numerare;quicunq; enim per hos numerorum gradus valet eleuari, ad ipsum vnum ascendit, qui est Sapientiæ fons.Insuper constat quomodo numeri dici possint virtute præditi, principia rerum, earumque essentiæ:Et quoniam numeri iuncti materiæ,& dimensionibus in magnitudines transeunt, ideo magnitudines quoque, & figuræ planæ, apud Pythagoreos, & Academicos nonnunquā dicuntur principia rerum; numeri tamen rectius abiuncta; Geometricæ autem figuræ accommodatius materiata nobis patefaciunt.Ex his elicio ex sententia Pythagoræ,Deum & Materiam,Vnitatem & binarium,ac insuper numeros,& Geometricas figuras posse dici principia rerum.At quæritur in quo genere causæ numeri sint principia;Respondeo Numerum diuinum esse causam efficientem,vel saltem conseruantē, Numerum essentialem partim esse rectam efficiendi rationem, partim formam,cuius internæ rerum essentiæ sunt participatio,similiter numerum rationalem,at proximius;numerum vero naturalem imparem & parem esse formam & materiam.Ex his colligo opinionem Pythagoræ extrinsecus videri leuem,& inanem, intrinsecus tamen sublimi rationi esse consentaneam. Hinc circumfertur liber quidā Ocelli Lucani,discipuli Pythagoræ,in quo de rerum ortu & principijs varia leguntur simillima illis,quæ mox ab Arist. explicata fuerunt.

*Procli sententia.* — *Cur homo sapientissimus.* — *In quo genere numeri sint principia.* — *Ocellus Lucanus.*

## *De internis rerum principijs opinio Platonis.* Cap. VII.

PLATO Academicorum Princeps,ex eorum quoq; numero fuit,qui plura & finita statuere principia;cuius opinio primo occursu varia & incōstans videtur;nam modo ait magnum, paruum,& vnum esse principia, vt ex Timęo elicitur, eique ab Arist. tribuitur in primo Phy. modo ait Physica ex Mathematicis constare,vt ex eodem Timęo colligitur, eiq; tribuitur ab Arist. in primo & secundo de ortu & interitu, & in tertio Metaphysicæ; nonnunquam terminum,infinitum,vnum,& commiscens constituit principia rerum, vt in Philebo;nonnunquam id tribuit essentię,motui,statui,identitati,& alteritati, vt in Sophista.Aliquando ait primo Deum,mox Ideas, & tertio locum constituere rerū ortum

*Sententia Platonis varia.*

*Explicatio opinionis Platonis.*

ortum vt in Timæo, adeo vt ſatis anceps, & varius eſſe videatur. Propterea vt conſpicue eius opinio eluceſcat, latere nos non debet, Platonem ſemper plurimi feciſſe Pythagoram: ideo Ariſt. in primo Metaphyſicę cap. 7. inquit Philoſophiam Platonis ſimillimam eſſe Philoſophiæ Pythagoræ; Plato enim conſiderans conditionem corporum natura conſtantium, præſertim ſequutus eſt Heraclitum, & dixit ea fieri, & fluere, non autem eſſe. In attinentibus ad morum inſtitutionē imitatus eſt Socratem; in conſideratione ſecretorũ a materia Pytagoram, cum quo enunciauit primo reperiri ipſum vnum caput omnium, nempe Deum, ſuperamque Mentem, cui ſecundo ſuccederent Ideæ, tanquam numeri ſuperæ Menti inſertę, ab eiuſque eſſentia non diſtinctæ: & quemadmodum Mens prima dicitur non participata, aliæ autem participationes eius, ita Ideæ in non participatas, & participatas diſtribuunt. Huiuſmodi Ideę, vt ipſum vnum ſequuntur, numeri vniformes, vnitatiſque participes dicuntur, vt etiam denominãtur boniformes, & pulchriformes: hæ per medias rationes, & ſemina in materia participatæ, dicuntur Phyſica conſtituere. Deo & Ideis, tertio ſuccedit Materia, de qua in Timæo legitur. Tertiũ genus Locus eſt, qui interit quidem nunquam, ſed omnibus, quæ fiunt ſedem exhibet, hoc eſt tertio loco ſuccedit materia, quæ locus eſt generationis, & imitationis Idearum. Hanc materiam in eodem Dialogo magnum & paruum nuncupauit, vt indefinitam eius conditionem circunſcriberet, ac binis vocibus, binarium paremque numerum indicaret; quo conſueuit Pythagoras materiam denotare, ac ſimul patefaceret internam oppoſitionem pro generatione requiſitam, denotatam per indefinitam molem, materiæ coæuam. Eandem materiam frequenter infinitam, fœminam, vix opinabilem, non ens, infra ens, Nutricem, exemplar diuinitatis expers, alijsq; vocibus circumſcribere conſueuit, vt ex Timæo, Philebo, Sophiſta, alijsque Dialogis colligitur, quam tamen in Phędone & Timæo non proprie cenſuit iudicandam Principium, ſed locum participationis Idearum neceſſario requiſitũ pro rerum ortu. Inſuper vere principium putauit debere eſſe æternum; alioquin eo perempto nil ſupereſſet, & cuncta abolerentur; & propterea formam in materia apparentem, *quæ Ideæ eſt imitatio*, minime exiſtimauit eſſe principium, ſed participationem principij, *cum incipiat*, & deſinat. Ex his conſtat conſimilitudo & conſenſio opinionum *Platonis* & *Pythagoræ*; ſimiliter conſtat recta explicatio ſententiæ Platonis de rerum principijs; Cum enim Plato, Deum per Ideas vere principium putauerit, materiam vero iudicauerit neceſſariam pro rerum ortu, hanc ſuam ſententiam explicauit in Timæo per magnum, paruum, & vnũ, ac etiam ſtatuendo primo Deum, mox Ideas, Tertio locum, hoc eſt materiam: & a ſemetipſo non diſſentiens in Philebo quattor numerauit ſubordinata, pro rerum conſtitutione, commiſcens, infinitum, terminum, & vnum: commiſcens eſt agens, quod non eſt præſentis conſiderationis; infinitum eſt materia; Terminus eſt idea, eiuſque in materia imitatio, proportione reſpondens formæ partis, numeratæ ab Ariſtotele inter Principia; vnum eſt iam genita proles, quæ dicitur forma totius, diſtincta a forma partis, denotata ab Ariſtotele in ſecundo Phyſ. cap. de cauſis per totum & compoſitionem, de qua in primo de Cœlo dixit, qui dicit cœlum dicit formam; per hæc non excluduntur a ſerie principiorum numeri, & figuræ; Nam Ideæ, vt apparuit, numeri ſunt, qui per connexionem cum continuo tranſeunt in magnitudines, & figuras; ſimiliter materia eſt par, imitatio Ideæ impar. Illa autem quinque ab Academicis pro principijs conſtituta, Eſſentia, identitas, alteritas, motus, & ſtatus: profecto principia ſunt diſtincti generis; non enim ſunt principia generationis rerum, ſed vt recte Proclus in Timæi explicatione patefecit, ſunt genera rerum, & modi ac conditiones, quæ in rebus conſtitutis conſiderantur, quę diſtincta ratione & genera, & principia nuncupantur; genera quidem quatenus ſunt prima capita omnium modorum, & conditionum quæ in re conſtituta locum habent; principia vero, vt per ea, tanquam per modos proprios res conſtituuntur, non autem tanquam ex materia & forma. Ea tria primo relata principia, & hæc quinque rerum ge-

nera,

nera, similiter & numeri; in singulis rerum gradibus sub Deo constitutis modo tamen eis consentaneo inueniuntur; nã in rebus corporeis inueniuntur modo corporeo, in natura modo seminario, in anima modo rationali, in Mente modo Menti & Ideis consentaneo; Deus solus est supra compositionem, & caput generum, & principiorum; in est eom identitas, & status dominantur, in corporeis contra motus & alteritas. Hoc diuinis pendium & summa opinionis Platonis de Principijs.

## Opinio Aristotelis de Principijs & comparatio eius cum opinione Platonis. Cap. VIII.

Aristoteles ex eorum Philosophorum numero est, qui plura, & finita constituere principia; ipse enim cum recte nouerit ortum & interitum esse mutationes, & omnem mutationem intrinsecus tria exposcere, nempe subiectum & duos terminos, vnum a quo, alterum ad quem; ideo tria statuit principia, materiam, formam, & priuationem. Materia est subiectum, & medium; forma, & priuatio sunt duo termini inuicem oppositi; materia semper seruatur eadem, termini autem in omni mutatione variantur; priuatio est per se principium transmutationis, ex accidenti vero rei genitæ, quia res genita priuationem non includit, sed ex sola materia & forma constat: de quo trino principiorum numero varia explicantur in primo libro Physicorum. Et quoniam Arist. libenter in Platonis sententias inuchitur; quæ tunc temporis maxime florebant, ideo de Principijs loquens varia ei obijcit & tredecim præsertim ea sunt, de quibus a Platone dissentire videtur: Nam primo illum carpit in primo Physic. quia materiam non secreuet a priuatione; Secundo quia materiam per se turpem, & fœminam censuerit, cum tamen sit talis solum ex accidenti, ex primo Physic. 81. Tertio quia eam putauit non ens vt dicitur in primo Phy. 79. Quarto quia non patefecit an secernatur ab Elementis, vt dicitur in secundo de Ortu & Interitu cont. 4. Quinto quia non ea vtitur, dũ loquitur de corporatorum Elementorum ortu, vt dicitur in eodem cõtextu; Sexto quia priuationem neglexit, cum eam inter principia non numerauerit; Septimo quia locum putauit materiam, nam in Timæo nomine loci materiam denotauit. Octauo quia Physica ex Mathematicis constare censuit. Nono quia formas nedum Mathematicas, verum etiam Physicas seorsum a materia reperiri asseruit. Decimo quia Principia mortalium debent esse mortalia, ex tertio de Cœlo 61. ipse autem ea constituit æterna, nempe Ideas; Vndecimo quia motum & statum numerat inter quinq; rerum genera, cum tamen non valeant esse genera, quia sunt ab vno, & non natura vna, vt patet ex 3. Phy. 4. Duodecimo quia contrarietatem principiorum pertinẽtem ad formam, siue terminos generationis, tribuebat materiæ, nuncupando eã magnum, & paruum; ex primo Phy. 55. Tertiodecimo quia relata principia, & genera Plato etiã tribuebat Menti, siue Ideis, cum Arist. Mentem statuat a materia, & principijs liberã. Ita summopere videtur Arist. a Platone dissentire. Puto profecto ego Arist. varijs de rebus re uera a Platone discrepare, propterea, dum audio quosdam absolute polliceri eorum concordiam, infero eos necessario vel Platonis, vel Arist. vel vtriusque sententias extorquere, & deprauare, vt Simplicio & alijs nonnullis contigisse video: existimo tamen frequenter litem ex varia nominum significatione variaque rerum consideratione oriri, vt accidit, dum sermo est de rerum principijs; nam si cuncta attinentia ad principia accurate perpẽdimus, de hoc vno re vera dissentiũt, quia Plato Ideas approbauit, easque proprie censuit esse principia rerum, quas frequenter reiecit Aristot. de cæteris autem solum in verbis, varioque considerandi modo lis est posita. Ac vt pertinet ad primum reprahensionis caput, quia Plato priuationem a materia non secreuit, Plotinus En. 2. lib. 4. cap. 16. pugnans pro Platone inquit re vera priuationẽ

*Tredecim de quibus Plato ab Arist. carpitur.*

*Conciliatur Arist. cum Platone.*

*Plotinus.*

a materia non ſecerni, & re vera materiam ex ſe malam eſſe; At errat præſertim tripli ci ratione; primo quia priuationem cum negatione confundit, & ex vna in alteram tranſit, cum tamen differant & negatio ſit longe latior priuatione, vt patet ex primo Priorum, & Themiſtius in primo Phy. vnà cum Alexandro declarauit; ſecundo quia vt priuatio, ita negatio non eſt eſſentia materiæ; alioquin nil penitus eſſet; nã quamuis de eſſentia materiæ vera ſit negatio formarum, & priuationis, non ob id eſt negatio, ſed ſubiectum, de quo vera eſt negatio cæterorum; tertio præſertim errat, quia Plato re vera Materiam a priuatione ſecreuit, quod conſpicue elicitur ex Lyſide Dialogo de Amicitia, in quo Plato ait tria pro omni appetitione requiri, obiectum optabile, oppoſitum eius, ſiue priuationem, & ſubiectum appetens; & addit oppoſitum proprie eſſe priuationem, & conditionem eius eſſe vt non ſit natura ſubiecti; alioquin appetitum non excitaret: inſuper inquit nunquam vnũ oppoſitum optare aliud, ſed neutrũ, ſiue medium eſſe id quod optat. Ex his conſpicue elicitur Platonem ſecreuiſſe priuationem a materia, & de appetitione id ipſum ſenſiſſe, quod ſenſit Ariſt. in 1. Phyſ. 81. quare dum primo obijciebatur Platoni, quod priuationem a materia non ſecreuerit, profecto id inficiari debemus; Et ſiquis addat quia tunc errasſet Ariſt. in primo Phyſici tribuens quod non ſecreuerit, reſpõdeo Ariſtotelem illum damnaſſe, quia priuationem inter principia vt a materia diſtinctam non numerauit; quod conſpicue elicitur ex primo Phyſic. cont. 80. in quo legitur Platonem neglexiſſe priuationem, nec eam numeraſſe inter principia, quia machinatur maleficium; ſi eam neglexit, & non neglexit materiã, vere eam a materia ſeiunxit; inſuper ſi eſt malefica, & materia eſt tanquam mater, neceſſario ab ea diſtinguitur; Ex qua explicatione elicitur Platonem vt a prima, ita a ſecunda calumnia vindicari; cum enim priuatio ex ſententia Platonis non ſit abſoluta eſſentia materiæ, ſed aliquid in ea neceſſario requiſitum pro optanda forma, neceſſario etiam ab ea diſtinguitur, & ob id materia ex ſe nec bona, nec mala eſt, ſed media, & neutra, & ſolum mala & fœmina ex accidenti, ob ei iunctam priuationem: qua de re etiam minus recte ſenſit Plotinus, qui materiã non ſecernens a priuatione, cenſuit ex ſe eſſe fœminam & malam. Tertio obijciebatur Platoni, quia materiam dixit non ens; at lis eſt de voce, vt patefeci in libro de Materia, Ariſtot. enim conſiderauit ens, vt diſtinguitur a nihilo; ſic materia ex ſe eſt ens, ex accidenti nõ ens, ob iunctam ei priuationem: Apud Platonẽ vero materia eſt non ens; primo ſumendo id pro alteritate, vt conſtat ex ſophiſta, cum enim ſit poteſtate cuncta, & nil actu, non eſt quid, nec quale, nec quantum, vt legitur in ſeptimo Metaphyſicæ cont. 8. Secundo quia ens apud Platonem vſurpatur pro rerum eſſentia, ad ideas pertinente; qua ſignificatione Deus eſt ſupra ens, Mens per ideas eſt ens, Anima partim ens, partim non ens, corpora dicuntur fieri & nuncupantur generationes, non autem entia: Materia demum eſt infra ens, & infra generationem, & eſt non ens, hoc eſt non Idea, non forma, vel eius imitatio, ſed locus diuinitatis & imitationis expers. Obijciebatur quarto Platoni quia non patefecit an materia ſecernatur ab Elementis; quæ obiectio leuis eſt; nam ſi Elementorum nomine quatuor corporea Elementa intelligimus, conſpicue in Timæo patefecit Plato materiam ab eis diſtingui, & ea ex materia confici; ſi vero intelligimus binarium, parem, & magnum, ac paruum, hæc profecto ipſam materiam, eiuſque conditionem circumſcribunt, quæ ſeorſum a rebus genitis, idearumque imitationibus nunquam reperitur. Addebatur quinto Platonem non vti materia, dum in Timæo de rerum generatione loquitur; nam ait corporea Elementa ex ſuperficiebus, & figuris componi, in eaſque reſolui, at facile hæc obiectio reijcitur, primo quia ea non ſunt principia a materia, idearumq; imitatione diſtincta, niſi per modum circumſcribentis, & rei circumſcriptæ, vt patefeci; Inſuper quia Plato etiam patefecit quomodo Elementa ex materia fiant, cum in Timæo dixerit Generationis nutricem hoc eſt materiam, ignitam, & humectatam, Terræ item & aeris formas ſuſcipientem, omniformem aſpectu videri, &c. Addebatur ſexto Platonem deſpexiſſe priuationem;

Reſpon-

Respondeo Platonem non numerasse priuationem inter principia, quia principij nomine in alia significatione est vsus ab ea, in qua vsus est Arist. Nam Arist. dum priuationem in primo Physicorũ inter principia constituebat, considerabat terminos duos transmutationis, & subiectum; in qua significatione etiam Plato in Phędone latissime patefacit, cuncta fieri ex contrarijs, nimirum ex forma & priuatione; similiter in Lyside manifestat priuationem, & contrarium formæ, esse terminum a quo. Carpebatur septimo, quia perperam materiam nuncupauit locum; at Plato per metaphoram & analogiam materiam dixit locum, vt etiam Arist. in primo Phys t.69. materiam dixit nosci per Analogiam; ea enim est locus non corporum, sed generationis, & imitationis idearum, vt etiam in tertio de Anima cont.6. Mens dicitur locus specierum. Assero tamen materiam ex sententia Platonis rectius dici locum, quam ex sententia Aristotelis, quia minus putat formas educi ex potestate materiæ, quam putet Aristot: vt patefaciam in libro de Creatione. Octauo dicebatur perperam Physica ex Mathematicis constituere, cum potius contra Physica sint principia Mathematicorum; at iam patefeci Physica constitui ex Mathematicis consideratis secundum similitudinem conditionum, & constitui ex Mathematicis, quæ non sint accidentia, sed essentiæ rerum. Addebatur nono Platonem cum Physicas, tum Mathematicas formas ratione & subsistentia a materia secernere. Respondeo Platonem vnà cum Pythagora nouisse quidem Ideas, quæ etiam approbantur a nostris Theologis, easque nuncupasse aliquando numeros; qua de re cum secus sentiat Aristot. non propterea inferendum, absolute cum vero pugnare, sed secus sentire. Decimo ei obijciebatur quia mortalium æterna principia statuebat, Arist. vero inquit æternorum ęterna, mortalium mortalia esse principia; Respondeo Aristotelem loqui de principijs proprijs, & internis, Platonem vero de Ideis, quas vere principia iudicauit; nam Plato internas partes varietati obnoxias, non principia, sed generationes, imitationes, & participationes nuncupabat. Vndecimo perperam Plato videbatur motum inter genera rerum numerare; At hoc exigui ponderis est; non enim Plato nominibus generis & motus in eadem significatione est vsus, in qua Arist. Plato enim non genus vniuocum prædicamenti alicuius denotauit, sed communem conditionem, & modum, quo res sunt, vt prius dixi; similiter motum sumpsit late pro quouis ex potentia ad actum transitu. Dicebatur duodecimo perperam Platonem contrarietatem sumpsisse pro materia; respondeo contrarietatem formæ, & priuationis, nequaquam pro materia sumpsisse, sed pro terminis transmutationis, vt patet ex Phędone, & Lyside, materiam autem nuncupasse magnum & paruum, vt indicaret indefinitam conditionem eius. Demum addebatur Platonem etiam in supera Mente Materiam, Principia, & genera rerum considerasse, non autem Aristotelem: Respondeo Platonem secreuisse Mentem a Deo, & eam sub Deo collocasse, Aristoteles autem Deum & Mentem superam, in idem redegit: consentiunt autem de hoc, quod Deus solus omni ex parte sit simplex, cætera vero composita ex actu & potentia, quæ potentia est modus materiæ: Aristoteles in Mentibus sub Deo positis duplicem concessit potentiam, vnam pro recessu a primo & supremo actu, alteram quia intelligunt aliquid supra se, a quo perficiuntur; Plato maiorem in Mente considerauit compositionem, modumque materiæ, ob ideas, quas ei competere existimauit. Patet itaque in attinentibus ad Principia interna & propria generationis rerum, de quibus modo est sermo, inter Platonem & Aristotelem litem præsertim in verbis esse positam.

Opinio

*Opinio Empedoclis de internis Principijs Generationis & interitus.*
*Cap. IX.*

EMPEDOCLES Agrigentinus, Pythagoræ assecla, similiter ex eorum numero fuit, qui plura & finita statuere principia, quamuis eadem aliqua ratione censuerit vnum, vt ex progressu patebit. Hic pro materia sumpsit, quatuor vocata Elementa, quibus addidit Litẽ, & Amicitiã; Idem censuit duos dari Mundos, qui inuicem statutis temporum mensuris reciprocarentur; Vnum nuncupauit Sphærum, & Amicitiæ, in quo cuncta concordi pace essent ligata; Alterum litis, & inimicitiç, qualis est hic sub sensus nostros cadẽs, quẽ multiplici contrariorum discordia agitatum inspicimus; addebat imperante amicitia cuncta in Mundum Sphærum redire, regnante vero lite Mundum litis constitui; quã mutuam duorum Mundorum reciprocationem, in infinitum seruãdam asseruit, tempusque imperij litis, esse æquale tempori imperij Amicitiæ. De hac opinione Plotinus Enneade 5. lib. primo cap. 9. ait, Apud Empedoclem discordia quidem diuidit, concordia vero vnum constituit. Hæc opinio extrinsecus considerata Fabula quædam, & Poeticum commentum esse videtur, nec quidem iniuria; nam in proœmio Metaphysicæ cap. 2. inquit Arist. Philosophum esse amatorem Fabularum, eo quod Fabula ex mirandis constat, Philosophia autem ex admiratione ortum duxit; propterea huius tanquam Fabulæ allegoricum sensum scrutari tenemur. Empedocles eximia quadam Sapientia fœcundus, Vniuersum ex summo Deo, Diuinaque Mente prodire, in ipsumque vt in finem redire cognoscens, imitatus Pythagoram, primum constituit Mũdum sphærum, superamque Mentem, principium & finem cunctorum: Quod enim apud Pythagoram est ipsum vnum, cui iunctæ sunt primę numerorum originales formæ, Apud Aristotilem est Mundus Eminentissimus, Apud Platonem Mundus Idealis, & intelligibilis, Apud Theologos Mundus Diuinus, & increatus, apud Empedoclem Mundus Sphęrus, & Amicitiæ; Ideo recte Plotinus En. 3. lib. primo de Prouidentia dixit, Ipsa Mens, entisque Natura, Mundus est, & verus, & primus; Hic iure dicitur Mundus Amicitiæ, cum longe ab omni pugna, & oppositione, cuncta coniunctissime includat; propterea recte Auer. 10. disp. contra Algazelem in sol. 3. dub. enunciauit, Deum collocatum esse supra opposita, & contradicentia; ex hoc itaque supero Mundo, qui Sphærus dicitur ob consimilitudinem, & quia idem in eo est principium & finis, prodire dixit Mundum hunc, quem colimus, imperante lite, hoc est conspirante mutua actione, & perpessione contrariorũ, mutuaq; pugna proximorum principiorum. Hęc quę dicta sunt de vniuerso corporeo Mundo relato ad superam Mentẽ, etiã dici modo aliquo possunt ex sententia Academicorum de supera Mente comparata cum Deo eius capite, ac etiam tertio de Mundo mortali relato ad cœlestem; omnia enim sunt in Deo modo diuino, in Mente modo intelligibili, in cœlo modo cœlesti, & demum in mortali orbe conditione mortali, vt recte diuinus Iamblichus enunciauit. Hi mundi inter se statutis temporum mensuris permutari dicuntur, quatenus cuncta per æternam Dei prędefinitionem, statutis temporibus ex Deo prodeunt, in Deumq; vt in finem redeunt; cunctorum enim definitum est æuum, vt legitur in primo de Cęlo cont. 100. Demum hæc eadem vera sunt, dum cuncta ortui obnoxia, ad primam materiam referuntur; Materia enim est tanquam Mundus Sphærus, cuncta potestate includens, ex qua cuncta fiunt, & in quam cuncta genita resoluuntur. Hoc nobis indicarunt Arist. 12. Metaphysicæ cont. 9. & cum eo Alexander cont. 4. dicentes, Empedoclem nomine mixtionis & Mundi Sphæri, materiam denotasse; & præsertim materia dici potest vniuersum ex veterum sententia, quia materiam putarunt esse vniuersam essentiam & naturam rerum cum cœlestium, tum sublunarium: & ex sentẽtia Empedoclis

*Plotinus.*

*Philosophus diligit Fabulas.*

*Empedocles.*

*Mundus Sphærus.*

*Mundus Litis.*

*Iamblichus*

clis relata in secundo Physicorum, cuncta fiunt & prodeunt ex necessitate materiæ. Empedocles igitur quatuor Eleméta iudicauit principia; ea enim sunt proxima Mūdi materia, quæ sunt vnum, primo in Mundo Sphęro, secundo quia inuicem miscentur pro vnius constitutione, tertio quia communi subiecto prædita sunt; addebat autem litem & amicitiam. Pro quorum notitia considerandum est ortum & interitum ex sententia Empedoclis esse duplicem, vnum communem totius vniuersi, alterum singularum partium; si de communi loquimur, dominante amicitia communi consurgit Mundus Sphęrus, dominante vero communi lite, producitur Mundus noster oppositionis, & litis; si vero consideramus ortum & interitum partium huius mundi, contra se habet: partes enim eius per concordem Elementorum pacem constituuntur; Et animaduertendum est quod in rerum ortu duplex consideratur amicitia, vna antecedens, altera sequens: in constitutione huius Mundi Amicitia antecedens locum habet in opifice, & Mundo Sphęro, Amicitia sequens consideratur in Mundo ordinato & concordi pace ligato; In ortu autem partium eius, Amicitia antecedens consideratur in materia, in qua omnia sunt iuncta, Amicitia sequens refulget in mixto ex contrariorum pace constituto. Et hæc satis de opinione Empedoclis.

*Duplex amicitia.*

## *Opinio statuentium Principia infinita, & primo refertur opinio Democriti, & Epicuri. Cap. X.*

RELATAE sunt hactenus eorum opiniones, qui principia vel vnum, vel plura & finita statuerunt; superest vt eorū opiniones referam, qui principia dixerunt esse infinita; qui omnes de hoc consenserunt, quod essent mobilia, dissenserunt autem, quia nonnulli putarunt ea esse natura & genere eadem, specie solum & figura distincta, vt Democritus Abderites, Leucippus, & Epicurus; Alij vero etiam genere ea distincta, & contraria existimarunt, vt Anaxagoras. Nam Democritus, Leucippus, & Epicurus, principia rerum putarunt esse atomos & infinitum inane; atomi sunt corpora partium expertia, non apta diuidi, genere eadem, numero infinita, Figura, ordine, & positione differentia, non tamen vere contraria, cum Figura proprie contrario careat; Inquiunt hi in immenso inani atomos innumeras reperiri, quæ cum sint genere eędem, & pondere aliquo præditæ, per communem earum naturam continenter pro facultate descendunt, non tamen tendunt ad medium, cum id in infinito nō reperiatur, vt cecinit Lucretius lib. primo inquiens.

*Democritus.*

*Lucretius.*

*Nam medium nihil esse potest vbi inane, locusq;*
*Infinita &c.*

Huiusmodi atomi in immenso inani descendentes sibi mutuo contingenter occurrūt, & mutuo tactu, ordine, & positione corpora composita, Mundosque varios constituunt, qui infinities crescunt, decrescunt, intereunt, ac reficiuntur; adeo vt cæco atomorum casu, & occursu, contingenter gignantur cœli, qui ob connexionem, & inclinationem atomorum, cum nequeant recte descendere, reuoluuntur in orbem, quam reuolutionem sequitur deinde secretio, & ordo compositorum sub eo, vt refert Arist. in secundo Phy. 44. De his Democritus, Leucippus, & Epicurus consenserunt; Dissenserunt autem primo quia, ex Alexandri relatione, Democritus, & Leucippus putarūt atomos infinitas ne dum multitudine, verum etiā figuris, Epicurus vero numero quidem eas censuit infinitas, figura autem innumerabiles quidem, at non infinitas; ideo Lucretius lib. secundo.

*Consensio & dissensio Democriti & Epicuri.*

*Lucretius.*

*- - - - - - Primordia rerum*
*Finitas variare figurarum rationes &c.*

Insuper dissenserunt, quia Democritus, & Leucippus putarunt Atomos recte penitus, & per

& per lineas æque diſtantes deſcendere, Epicurus vero aliquantulum inclinare aſſeruit, vt facilius ſibi mutuo occurrerent, & ne dum rectorum, ſed obliquorum etiam motuum ſua inclinatione eſſent origines. Hinc Lucretius lib. 2. cecinit. *Lucretius.*

*Quare etiam atque etiam paruum inclinare neceſſe eſt*
*Corpora; nec pluſquam minimum, ne fingere motus*
*Obliquos videamur, & id res vera refutet.*

Sententiam hanc referens Cicero in primo Academicarum q. dixit; Illæ Epicuri propriæ ruinæ; cenſet enim eadem illa indiuidua, & ſolida corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam, hunc naturalem eſſe omnium corporum motum; deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, ſi omnia deorſum è regione ferrentur, & (vt dixi) ad lineam, nunquam fore vt Atomorum altera alteram poſſet attingere, itaque attulit rem commentitiam, declinare dixit Atomum per paulum, quo nihil poſſet fieri minus; ita effici complexiones, copulationes, & adhæſiones atomorum inter ſe. Hæc Cicero, verum prætermiſit potiorem inclinationis cauſam, relatam a Lucretio, nempe vt valeant eſſe principia obliqui motus, corporum compoſitorum. In hac opinione plurima inueniuntur cum vero pugnãtia veluti infinitum, inane, corpus indiuiduum, figuræ innumeræ, cum tamen in indiuiduo figura ſeruari nequeat, ſimiliter multitudo Mundorum, ortus eorum per fortuitum concurſum, deſcenſus, & inclinatio omnium atomorum, & alia huius generis, quæ longum eſſet referre, & reijcere; nam vt pertinet ad indiuidua corpora, ea ſolum concedere licet, vel ſecundum ſenſum, vt in primo de Ortu & Interitu 35. vel ſecundum formam, vt patet ex primo Phyſic. contra Anaxagoram, & ſecundo de Anima 41. omnia enim quæ natura conſtant, terminata ſunt per maximam & minimam; vt vero pertinet ad Multitudinem mundorum, ea ſolum concedi poteſt, dum Mundi nomen ſecundum metaphoram vſurpatur, at non dum proprie. Hæc itaque opinio, vt parum conſentanea vero prætermittatur. *Cicero.*

## *Opinio Anaxagoræ.* *Cap. XI.*

ANAXAGORAS inter veteres Philoſophos apprime celebris, floruit tẽpore Xerxis, Olymp. 70. Hic primum ſtatuebat Deum, cui ſubeſſe putabat Chaos; Deum dicebat immunem ab omni mixtione, & præeſſe Chao, Chaos aſſerebat eſſe confuſionem cunctorum; nam in eo ſine ordine permixta dicebat corpora cuncta ſimilium partium, vt carnes, oſſa, neruos, & ſimilia, quæ in partes adeo exiguas eſſent diuiſa, vt ſenſum fugerent, ac ita eſſent permixta, vt in quauis parte cuncta includerentur; denominaretur tamen vnumquodque per id, quod in eo magis appareret, & dominaretur: inſuper dicebat eas exiguas partes corporum conſimilium, inuicem permixtas, eſſe infinitas, adeo vt in quauis parte ipſius Chai, infinitæ portiones carnis, infinitæque oſſis, & ſic de cæteris, inuenirentur: ex quo inſerebat primo Ortum rerum eſſe rei latentis in lucem exitum, ac ita res non fieri ex nihilo; Inſerebat ſecundo ex vnoquoque poſſe gigni vnũquodque, quia in vnoquoque vnumquodque includitur: colligebat tertio ortum rerum nunquam deſinere, cum partes conſimilium corporum incluſæ, ſint infinitæ: Sic itaque ex ſententia Anaxagoræ Principia rerum ſunt Deus, & infinitæ partes corporum conſimilium, in Chao ſine ordine incluſæ; quæ partes fungerentur officio materiæ, Deus autem efficientis, dirigentis, ſecernentis, & ordinantis, hanc opinionem his carminibus retulit Lucretius libro primo. *Quæ colliguntur Ex opin. Anaxandræ.* *Lucretius.*

*Principio rerum quam dicit Homæomeriam*
*Oſſa videlicet e pauxillis, atque minutis*
*Oſſibus, & ſic de pauxillis, atque minutis*
*Viſceribus uiſcus gigni, ſanguemq; creari*
*Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis &c.*

Insuper addit;

*Caetera consimili fingit ratione, putatq;,*
*Nec tamen esse vlla parte idem in rebus inane*
*Concedit, neque corporibus finem esse secandis.*

Ex his elicitur sententia Anaxagoræ de Principijs rerum, quæ vt aliqua ex parte veritati consona appareat, accipiendum est illum pro principijs statuisse Diuinam Mentem, & materiam, vt etiam fecere Stoici. Commendatur frequenter Anaxagoras ab Aristotele, quia Mentem statuerit a Chao, & materia solutã, vt in primo de Anima 34. in tertio de Anima. 4. & 12. insuper in 8. Phy. 37. Cum enim sit secreta, est principium motus, ordinis, & cognitionis; similiter commendatur a Platone in Phędone, quamuis deinde ab vtrisque ei obijciatur, quod loquens de rerum ortu, officio Mentis non vteretur. Quod etiam per Chaos, & mixtionem denotauerit materiam, enunciatur ab Aristotele in 12. Metaphysicæ, cont. 9. Vere enim materia est similis Chao, in qua tota, & quauis eius portione, cuncta confuse, potestate, & sine ordine includuntur; de qua etiam hoc recte dicitur, vt secretioni rerum ex potestate eius nunquam valeat imponi finis, cum natura illius hęc sit, vt potestate sit omnia. Nec aliud etiam putandum est denotasse Hesiodum, & alios, qui pro principio Chaos constituerunt. Et quia materia est tanquam locus formarum, effusione præditus, & indefinito quodam interuallo, ideo Arist. in 4. Physic. Chaos dixit denotare interuallum, & locum quendam: similiter Hesiodus cecinit;

*De quo Anaxagoras commendetur.*

*Primo Chaos factum esse, & postea Terram latam,*

Quasi oporteat primo fuisse interuallum his, quæ sunt; propterea quod putabant, vt etiam alij multi, esse omnia in loco, & alicubi, vt refert Arist. in quarto Physic. cont. 6. Simplicius tamen in 8. Physic. cont. 1. longe secus opinionem Anaxagoræ interpretatur; ait enim Anaxagoram per Chaos denotasse vnitatẽ Intelligibilem, hoc est Mundum Idealem, ex quo per superæ Mentis prænotionem ea secernuntur, quæ sensilem mundum constituunt. Similiter Ioan. Picus familia, ingenio & eruditione Illustrissimus parum a Simplicio recedens inquit Anaxagorã denotasse Mundorum ordinem, inferiorisq; a superiori emanationem; cum enim detur Mundus Intelligibilis, Aethereus, & Elementaris, in singulis includuntur omnia, eisq; præest Mens Dei, cuius eminenti prouidentia cuncta in lucem prodeunt. Primus tamen explicandi modus magis videtur consonus sententiæ veterum, & verbis Anaxagoræ; non enim recte Mundus intelligibilis, Chaos dicitur, cum hæc vox confusionem, imperfectionem, priuationemq; ordinis indicet; quæ vt longe absunt a conditione diuina, ita maxime congruunt materiæ.

*Simplicius.*

*Io. Picus.*

## *Opinio statuentium Principia partim vnum, partim plura. Cap. XII.*

Dicebatur Veterum Philosophorum quosdã vnum, alios plura, nonnullos partim vnum, partim plura statuisse Principia; in hoc tertio gradu locum habent Parmenides, Anaximander, Anaxagoras, & Empedocles, vt refert Aristot. in primo Physic. 32. Empedocles Principia dixit vnum, quatenus cuncta in Mundo sphęro iuncta, & in vnum redacta primo inueniuntur; quæ mox sunt plura, ob quatuor Elementa, quæ primo secernuntur, & per litem ac amicitiam redduntur principia proxima huius Mundi inimicitiæ; Anaximander etiam, quatenus pro principio corpus quoddam intermedium statuebat, vnicum constituebat Principium; Quatenus vero in eo intermedio cuncta includi existimabat, & per secretionem ex eo dicebat res gigni, plura statuebat principia; id enim vnum ob varia, quæ includebat, distincta ratione, variorum dicebatur principium.

pium. Similiter Anaxagoras, quatenus Chaos constituebat, in quo cuncta confuse erant iuncta, vnum statuebat Principium; quæ mox erant plura, & innumera, ob innumera in Chao iuncta, & confuse permixta. Parmenides quoque dum ea, quæ sunt, intrinsecus, & ratione considerabat, dicebat cuncta esse vnum; dum vero ea considerabat extrinsecus & secundum sensum, fatebatur esse plura; Consideratione prima nil gigni dicebat; altera vero affirmabat res videri gigni, nō autem proprie gigni; & eius apparentis generationis Principia statuebat ignem & terram, siue calidū, & frigidum, per ignem & calidum denotando Cœlum, quod veteres maxime putarunt ignē; nam a Cœlo vt a Patre, a Terra tanquam matre, a calore formante, a frigore vero contemperante cuncta gigni videntur. Hæc sunt principalia opinionum capita, quæ quamuis primo occursu videantur absurda, latere tamen nos nō debet, hunc fuisse veterum philosophandi modum, nonnulla extrinsecus præter communem opinionem, & cum sensu pugnantia proferre, quæ intus insignia mysteria includerent, vt vulgarium aures illuderent, admirationem in ingenuis animis excitarent, & mysteria Sapientiæ, tanquam Dei Arcana, puriora seruarētur, eaq; ab inanibus vulgi opinionibus, Sophistarumque garrulitate secernerent. Aristoteles vero, cum frequenter eorum sententijs suam sapientiam illustrauerit, eo præsertim cæteris præstitit, quia vocibus proprijs, congruente Methodo, ordineq; aptissimo disciplinas principales absoluit, & edidit: neque ob id aditum ignauis ad eas patefecit, cum ea sit vsus orationis breuitate, & explicandi Arte, vt soli ingenio perspicaci præditi, nec quidem sine cura, & labore, latentem eius sententiam valeant elicere: Frequenter Platonis, vetustiorumq; sententias insectatur, & turbat, nonnunquam quia re vera ab eis dissentit, & tunc concilio non datur locus, sæpe vero, quia male docent, vocibus vtuntur minus proprijs, Metaphoras adhibent, Mathematica cum Physicis & diuinis permiscent, adeo vt alijs occasionem errandi præbere valeant, & eo magis quo fama fuerunt celebriores, & tunc lites facile componuntur, cum in externis sint positæ. Hoc indicauit Plato in Theæteto inquiens, Et si Melissum atque alios, qui vnum immobile vniuersum dicunt, vereor ne forte onerosi videamur, illos exagitantes, minus tamen, quam vnicum Parmenidem vereor; Parmenides autem (vt Homericis vtar verbis) verendus mihi, acerque videtur; loquutus sum olim cum illo sene admodum, adhuc adolescens, mihiq; visus est profundam, generosamq; sapientiam possidere; formido itaque ne dicta eius, vocésq; nequaquam intelligamus, quod autē verbis subintelligit multo magis nos lateat &c. indicat itaque Plato veteres mysteria philosophica sub velaminibus recondisse, & ob id frequentes lites in verbis esse positas.

*Mos veterum Philosophorum.*

*Plat.*

## *Placita Veterum Philosophorum de Mundi ortu & interitu.* *Cap. XIII.*

TRIA sunt principalia fundamenta vniuersæ Philosophiæ, ex quorū notitia pendet cognitio cæterorum; ea autem sunt Principia ortus rerum, Mundi conditio, & Natura animorum: retuli opiniones attinentes ad primum caput, superest vt breuissime reliquas percurram, ab vniuerso ordiens. Vniuersus corporeus Mundus, de quo est sermo, vel est vnus, vel plures; si plures, vel sunt plures simul, vel successione; si plures sunt simul, vel sunt numero finiti, vel infiniti; Quod simul sint plures, existimarunt Democritus, Leucippus, Epicurus, & Lucretius, qui in immenso inani, ex innumeris atomis innumeros putarunt incidenter gigni Mundos, qui perinde ac particularia animalia, crescerent, decrescerent, interirent, ac reficerentur: nam si Mundi sunt plures, cum nulla adsit ratio definiti numeri eorum, iure optimo iudicādi videntur infiniti: Si vero plures sunt non simul, sed successione, emergit opinio Empedoclis, reciprocationem statuentis inter

*Tria fundamenta inspectricis Philosophiæ.*

*Democritus.*

*Empedocles.*

*Heraclitus.* Mundum sphęrum, & Litis, similiter opinio Heracliti, & Principalium Stoicorum, qui successione mundos putarunt plures; nam definito temporum cursu, Mundum seruari, mox interire, ac rursum tanquam Phęnicem refici existimarunt; idque fieri dixerunt infinities, vt etiam ex sententia Empedoclis Mundus sphærus, & litis infinities inuicem reciprocantur. Si ex aduerso Mundus fuerit vnus, nec valeat multiplicari, vel caret principio, & fine temporis, vel præditus est vtroque, vel altero tantum, & inde *Chaldæi.* prodeunt quatuor opinionum capita: Nam Chaldæi, Xenocrates, Plotinus, & Aristo*Theologi.* teles putarunt Mundum omni ex parte æternum; Econtrario nostri Theologi desuper illustrati, nouerunt illum principio & fine præditum; finis tamen eius potius erit perfectio, quam absolute interitus. Eiusdem opinionis etiam sunt Mauri, & Hebræi. *Anaxagoras.* Vel tertio est præditus Principio, & caret fine, vt censuit Anaxagoras, qui Chaos excogitauit, cui Mens Diuina præesset, quæ cum primo infinito tempore quieuisset, cępit deinde moueri, secernendo, ac in ordinem confusa redigendo; cui secretioni nul*Plato.* lus posset competere finis, cum confusa in Chao sint infinita. Plato quoque (vt ei tribuit Aristoteles) id ipsum putauit, & Plutarchus in 2. de Placitis Philosophorũ cap. 4. ait Pythagoram eiusdem fuisse opinionis. Vel demum quarto Mundus caret principio temporis, cum tamen debeat attingere finem; cuius opinionis (referente Auer. 1. *Saraceni.* Cœli 102.) fuere Sacerdotes suæ Legis; & hi fuere nonnulli Saracenorum, vt inquit Magnus Albertus in primo de Cœlo Tract. 4. ca. primo, quam sentẽtiam Maxime omnium recte rationi esse aduersam asserit Auer. & iure; nam ingenita omnia ab interitu omnino sunt immunia. Nemo Philosophorum repertus est, qui Mundos putarit plures, & æternos; multitudo enim parata est, vt quæ numero sunt mortalia, seruentur æterna successione; Similiter nemo repertus ex Philosophis est, qui Mundum adeo interiturum putarit, vt ex eius interitu, alius non reficeretur, vt recte refert Simplicius in 8. Physi. Nam materia interire non valet, quæ cum seruetur, & seruari nequeat sine forma, necessario formam aliam induit, formam autem sequitur ordo, qui est natura vniuersi: Propterea errauit Auer. qui in 8. Physi. cont. 2. & in primo de Cœlo, 102. inquit id existimasse Anaxagoram.

## *Capita opinionum veterum Philosophorum de essentia animorum. Cap. XIIII.*

*Sex prima capita opinionum.* VARIAE veterum Philosophorum de natura Animorum fuere sententię; omnes tamen in sex prima capita rediguntur, cuius numeri ratio, capitumque ordo, ex huiusmodi diuisione refulgebit. Animus vel est nihil, vel aliquid; si nihil, consurgit caput primum, approbatum a Pherecrate *Pherecrates.* Chio, ex Dicæarchi sententia, referente Cicerone in primo Tusculanarum q. hic enim animi nomen dixit esse inane, & animum nil esse, præter commentum quoddam populare; Si vero Animus est aliquid; vel est accidens, vel substantia; Si accidens, vel extensum est per corpus, vel non extensum; Si extensum, oritur se*Galenus.* cundum caput approbatum a Galeno, & pluribus Medicis, asserentibus animum esse temperamẽtum; & quamuis Galenus putarit temperamentum esse substantiam mixtorum, re vera tamen accidens est, ex primis qualitatibus consurgens, quæ accidentia sunt: ad idem caput redigitur opinio putantium animum esse naturalem, insitumque *Zeno.* calorem viuentium, qui ob id ζῶ, hoc est vitam; & viuere a caloris nomine deduci putarunt, vt censuit Zeno Citticus, Cleanthes, Antipater & Possidonius; eiusdem quoque ordinis est opinio putantium animum esse frigus, qui ob id aiunt animũ fuisse dictum ψυχὴν, vt denotaretur indigentia respirationis, & refrigerationis, qua animus seruatur, vt refert Arist. in primo de Anima 35. Si autem animus accidens quidem est, at non extensum, sed tanquam punctum, diuisionis expers, prodit cap. tertiũ

putantium

putantium animum perinde se habere, ac punctum quoddam purum & lucidum, vel in principe aliqua corporis parte, capite scilicet, aut corde positum, indeque membra gubernans vt Chrysippus, & Archelaus existimarunt; vel liberius aliquid, nullique parti addictum, sed totum vnicuique corporis parti præsens, ex eaque pendens, aut quia ex materia sit eductum, aut quia ex temperamento consurgat; cuius opinionis fuere Xenophanes Colophonius, Asclepiades, Aristoxenus, & Critolaus putantes animum esse vel vim quandam corporis indiuiduam, ad mouendum aptissimam, vel partium corporis, ac qualitatum harmoniam, quæ vbique tota existeret; At si ex aduerso animus fuerit non accidens, sed substantia; ea vel est corpus, vel incorporea; Si corpus, vel simplex, vel mixtum; Si simplex, oritur caput quartum putantium animum vel esse portionem Aetherei corporis, vt censuit Heraclides Ponticus, vel ignẽ, vt Heraclitus, & Zeno Stoicus, vel corpus mediũ, vt Anaximander, vel aerem, vt Anaximenes, & Diogenes Apolloniates, vel aquam, vt Thales Milesius, & Hippias, vel terram, vt Hesiodus, Pherecides Chius, & Pronopides. Hi putantes animum esse corpus, id existimarunt esse eius naturam, & essentiam, quod etiam iudicarunt esse materiam cæterorum corporum: At si animus fuerit corpus mixtum, & modo aliquo com positum, oritur caput quintum, ad quod opiniones multorum rediguntur, veluti Democriti, Leucippi, Epicuri, & Lucretij, dicentium Animum constare ex rotundis atomis motui aptis; Empedoclis putantis animum conflari ex quatuor Elementis, Xenophanis dicẽtis constare ex aqua & terra; Boethi putantis componi ex igne & aere; Critiæ asserentis animum esse sanguinem; & demum Hippocratis, qui visus est putasse animum esse spiritum; Spiritus autem est corpus mixtum, purissimum tamen. Ex aduerso autem, si animus fuerit essentia & natura corporis expers, forma tamen corporis, consurgit caput. 6. cæteris præferendum, approbatum a Pythagora, ab Academicis, & Peripateticis omnibus, & præsertim a nostris Theologis; quod caput in tres principales partes subdiuiditur, quatenus nonnulli animos omnes putarunt immortales, vt Academicorum nonnulli, & præsertim Numenius; Alij omnes dixerunt ortui & interitui esse obnoxios, vt Alexander & multi, qui eum sequuntur; Quidam demum rectius sentientes animos quosdã immortales, alios mortales asseruerunt, quod etiam fecerunt modo vario, vt distinctius in libris de Humana Mente patefaciam. Veteres Philosophi animorum naturam indagaturi, per tria præsertim progressi sunt, vt refert Arist. in primo de Anima; per motum, cuius animus est origo, per cognitionem ex animo prodeuntem, & per incorporeum vel saltem tenue corpus: cum enim animus pręsit & dominetur corpori, iure optimo incorporeũ aliquid iudicari debet.

*Chrysippus* *Xenophanes.* *Heraclides* *Democritus.* *Pythagoras.* *Numenius.* *Alexãder.*

## *Controuersiæ nonnullæ ex relationibus opinionum emergentes, vel ab alijs non consideratæ, vel secus solutæ, Controuersia prima.* Cap. XV.

VT Placita veterum Philosophorum illustriora reddantur, controuersiæ nonnullæ ea obumbrantes, sunt diluendæ; Nam Arist. referens veterum opiniones, nonnunqnam sibi non constare, & conspicue secum pugnare videtur. Et ordiẽs a Parmenide Arist. in primo Phy. inquit eum putasse omne quod est esse vnum, & immobile; mox cõt. 41. ei tribuit, quod putarit principia generationis rerum esse plura, & contraria, nempe ignem, & terram; quod cum dicat triplici controuersia secum pugnare videtur; nam ex Parmenidis sententia primo ait id quod est esse vnum, mox plura; insuper primo ait esse ingenitum, mox genitum, & refert principia generationis eius; demum primo ait esse immobile, mox mobile; nã generatio est motus quidam, & non est sine proprio motu.

*Parmenides.* *Triplex cõtrouersia.*

*Solutio aliorum.* Soluitur communiter a Latinis interpretibus hæc controuersia, diuidendo ea, quæ sunt, in intelligibilia, & sensibilia; & aiunt Parmenidem loquentẽ de intelligibilibus, asseruisse quod sint vnum, & immobile; huiusmodi namq; est Deus, Loquentem vero de cadentibus sub sensum statuisse plura, & mobilia: & hoc videtur etiam sensisse *Euersio.* Auer. in primo Phy. 41. vt multi referunt. Hanc solutionem nec veram, nec ab Auerroe traditam existimo; Quod vera non sit ex eo patet, quia si Arist. putasset Parmenidem per ens vnum & immobile denotasse Deum, primo perperam eius sententiam retulisset & euertisset, cum verba faciat de principijs mortalium sub sensum cadentium; insuper nimium leuiter suam inconstantiam in eodem libro patefecisset, & conspicue se malignum indicasset, cũ de eadem re loquens, modo vnum, modo alterum Parmenidi tribuat, & eum damnet, quod statuerit ens vnum, & nouerit quod Deum denotauerit: Præterea non constat Parmenidem nouisse substantias a materia secretas, quas etiam si nouit, non patet eum putasse vnam, & si vnam censuit, ratio tamen, qua ostendebat ens esse vnum, non de ea vim habet: dicebat enim quicquid est præter ens, est non ens, quare ens est vnum; deducitur consequentia, quia si essent plura, vnum differret ab altero vel per ens, vel per non ens; non per ens, quia hoc est commune cunctis, neque per non ens, quia non ens est nihil, & ideo non potest constitue- *Propria solutio.* re distinctionem, & multitudinem. Quare seruantes simul grauitatem, & constantiam vtriusque Philosophi, dicamus Parmenidem ea proferentẽ non de rebus varijs fuisse loquutum, nempe de Deo, & sensilibus, sed de eadem, hoc est de sensilibus, & indicasse ea posse considerari dupliciter, primo extrinsecus & sensu, secundo intrinsecus & ratione; dum considerantur secundum sensum, ea quæ sunt videntur plura, & mobilia, quia accidentia sunt varia, multiplicique permutationi obnoxia; cuius permutationis statuuntur principia contraria: at dum cõsiderantur intrinsecus, & ratione, quæ ratio substantiam iudicat, ita ens est vnum, & immobile, idque est materia, quam solam veteres putarunt substantiam, & solum substantiam absolute dixerunt ens, accidentia autem nuncuparunt habitus, & dispositiones entis: & quia materia nunquam fit, vel interit, ideo ens dicebatur vnum, & immobile. Controuersiam hanc ita esse componendam conspicue patet ex primo Metaphysicæ cap. 5. quo loci Arist. de Parmenide loquens inquit, coactus ea quæ apparent sequi, & vnum ratione, plura sensu putans esse, duas causas rerum, & duo principia statuit, calidum & frigidum, veluti ignem & terram; quorũ alterum, nempe ignem, cum ente, alterum cum non ente collocat &c. Id ipsum elicitur ex 8. Phy. 26. nam Arist. de Parmenide ait, cum putasse id quod est esse immobile, at non apparere; conspicimus enim sensu multa moueri, &c. manifeste Arist. patefacit Parmenidem non de rebus varijs ea pugnantia protulisse, sed de eadem, nempe de corporibus Physicis, vario modo consideratis; nec secus puto intelligendum esse Auer. in primo Phy. 41. nam quamuis mentionem faciat de en- *Auerrois sententia.* te intelligibili, & existimabili, per ens tamen intelligibile non Deum denotauit, sed essentiam Physicorum corporum, ratione & Mente apprehensam; per existima- *Elicitur primo.* bile vero accidentia, & affectiones eius, sensui respondentes. Ex his elicio primo Parmenidem non secum pugnasse, nec inania penitus protulisse; Elicio secundo Arist. *Secundo.* nec leuem, nec malignum se indicasse; Elicio tertio cõtrouersiam minus recte a mul- *Tertio.* tis fuisse solutam & minus recte solutionem Auer. ab eis relatam. Sed duplex occur- *Dubitatio prima.* rit dubitatio; vna est, quia Parmenides nõ dum materiam, verum etiam calidum, & formam dicebat ens; nam calidum & ignem cum ente collocabat, vt patet ex primo *Secunda.* Metaphysicæ cap. 5. & ex primo de ortu & interitu conr. 18. Altera dubitatio est, quia si Parmenides statuens ens vnum & immobile, denotabat materiam, male carperetur *Solutio primæ.* ab Arist. cum ex eius quoque opinione materia sit vna, & æterna. Soluitur prima dubitatio per tria fundamenta. Primum est, quod calor est ens, non secundum rationem, sed secundum sensum; insuper calor est ens non absolute, sed facta comparatione cũ frigore; quod est eius priuatio; tertio est ens quia format, & perficit ens, & ita est ens

vna

vna cum eo. Soluitur altera dubitatio, quia eatenus recte carpitur Parmenides, quatenus perperam putabat ſolam materiam eſſe eſſentiam rerum, & ita perperam enunciabat ens eſſe vnum, & ingenitum, cum tamen ens per denominationem ſit compoſitum, & forma ſit magis ens, magis ſubſtantia, & potior pars eſſentiæ, quam materia. *Solutio ſecunda.*

## *Controuerſia ſecunda. Cap. XVI.*

ARISTOTELES in primo Phy. 42. inquit omnes veteres Philoſophos putaſſe contraria eſſe Principia rerum, & id ὀυ λόγον, hoc eſt recta ratione; mox in cont. 48. inquit eos id feciſſe ſine ratione; quare ſibi non conſtat. Auer. quem Zimara & alij multi ſequuntur, inquit Veteres id feciſſe ratione quidem, at imperfecta, ſine ratione autem perfecta; nam vſi ſunt inductione imperfecta, quia non inducebant per omnia ſingularia. *Auerroes.* Hæc ſolutio multiplici ratione approbanda non eſt; primo verum non eſt veteres id oſtendiſſe ratione imperfecta, cum Ariſt. abſolute dicat id protuliſſe ſine ratione, & ſola veritate coactos; quod autem ratione non ſint vſi conſpicue patet ex quinto capite primi Metaphyſicæ, quo loci inquit Ariſt. ſolum Alcmæonem, & Pythagoram animaduertiſſe, ſe ſtatuere principia contraria, adeo vt cęteri ſolum ex euentu ea ſtatuerint contraria, quatenus contigit, vt quæ ab eis ſtatuebantur principia, eſſent contraria; & ideo in primo Phy. 48. ait id feciſſe non ratione, ſed veritate coactos: Si autem non animaduerterant ea debere eſſe cõtraria, minime id valuerunt oſtendere. *Euerſio.* Inſuper errat Auer. dum in cont. 42. inquit Ariſt. eo loci referre rationes, quæ mouerunt veteres ad ſtatuenda principia contraria; nam id longe abeſt a vero; ea enim oſtenſio ab Ariſt. excogitata eſt, & tanquam propria relata; non autem deprompta ex dictis veterum; tertio minus recte ſentit Auer. quia ex dictis eius colligitur rationem relatam ab Ariſtotele in cont. 42. eſſe imperfectam, cum cenſeat eam fuiſſe veterum Philoſophorum; quo ſuppoſito ſequeretur Ariſt. quoque principia ſtatuiſſe contraria ſine ratione, vt veteres, quia non vtitur alia ratione, pręter illam ibi formatam. Demum a vero videtur recedere, cum putet oſtenſionem illam ab Ariſt. eo loci formatam eſſe imperfectã; nam deprompta eſt ex conditionibus principiorum, quæ eis neceſſario, & per ſe competunt; nec pro oſtendenda contrarietate principiorum alia potior formari poteſt: Propterea dimiſſa ea communi ſolutione, dicamus quod aliud eſt ſententiam eſſe conſentaneam rationi, & eſſe oſtenſam ratione; multa pueri proferunt, quæ ſunt conſentanea rationi, cum tamen ab eis nulla ratione oſtendantur; ſimiliter ſe habet de ea ſententia, quod prima contraria ſint principia rerum; ea enim abſolute conſiderata eſt conſentanea rationi; vt dicitur in cont. 42. & Ariſt. rationem ſuperaddit; veteres tamen eam protuliſſe ſine ratione, vt mox legitur in cont. 48. *Solutio propria.* Hoc recte nouit Simplicius, & ideo exponens cont. 42. inquit Ariſt. oſtendere ratione, quod primo conſenſione veterum approbauerat: & clarius exponens cont. 48. inquit, veteres Philoſophos ſolum ex euentu, non ratione ſuaſos ſtatuiſſe principia contraria. Conſimili loquendi modo vtitur Ariſt. in primo Phy. 39. inquiens Nunquam autem ſecretum iri non ſcienter quidem dicitur, recte autem dicitur; affectiones enim ſeparari nequeũt;

## *Controuerſia tertia, & quarta. Cap. XVII.*

ARISTOTELES in primo Phy. 41. inquit veteres omnes Philoſophos putaſſe contraria eſſe principia rerum: oppoſitum legitur in primo de Anima 35. quo loci inquit. Quicunque veterum Philoſophorum contraria ſumunt pro principijs, animam quoq; ex contrarijs conſtituunt; quicunque autem alterum tãtum contrariorum accipiunt, vt calidum, vel frigidum, vel aliud huiuſmodi, & animam ſimiliter vnum aliquid horum eſſe dicunt.

cunt. Conspicue Philosophus ait veterum quosdam putasse contraria esse principia rerum, alios minime, sed alterum tantum: Respondeo Arist. in primo de Anima loqui de sola materia, & ideo ait quosdam pro materia accipere plura, alios vnum, vt Heraclitus calidum, siue ignem, Thales frigidum, hoc est aquam: at hi superaddebant deinde contrarietatem, quatenus dixere cuncta fieri condensatione, & rarefactione. Verum ex hac solutione altera emergit obscurior dubitatio, quia sic multi veterum contrarietatem sumpsissent pro materia, vt Parmenides calidum & frigidum, siue ignem & terram, & Empedocles quatuor Elementa inuicem contraria; hæc namque materia sunt, quod fatetur Arist. in eo cont. 35. inquiens, Quicunq; contraria sumunt pro principijs, animam quoque ex contrarijs constituunt. At in primo Physic. cont. 32. & 55. inquit veteres contrarietatẽ sumpsisse pro forma, & efficiente, Platonem è contrario contrarietatem statuisse materiam, quam dixit magnum, & paruum; & est controuersia satis conspicua, quam diluens dico, Quicunq; veterum pro materia sumpsere plura, contrarijs prædita, vt Democritus Atomos vario modo figuratas, Parmenides ignem & terram, Empedocles quatuor Elementa, eas contrarietates non putabant fungi officio materiæ, sed esse affectiones eius, ex quarum conspiratione consurgerent formę compositorum: At de Platone secus se habet; ipse enim magnum & paruum, hoc est illud indefinitum, ac interminatum, non censuit formam constituere, sed esse ipsammet materiam, & eius fungi officio. Insuper Democritus, & Empedocles præter attinentem ad materiam, alias sumpsere contrarietates principales, vt Democritus plenum, & inane, Empedocles litem & amicitiam. Alia controuersia in Aristotele apparens est, quia Melissus statuebat eas esse vnum, infinitum, & immobile; colligebat autem id esse immobile ex eo, quod est vnum & infinitum; ita enim nullus superesset locus, in quem transferri posset. Aristoteles in primo Physic. 24. arguit illum inquiens, postea cur erit immobile, si vnum est? vt enim & pars vna cum sit hęc aqua, mouetur in seipsa, quare & non vniuersa aqua? fatetur itaque Aristoteles, quamuis corpus sit infinitum, tamen moueri posse; oppositum affirmat in tertio Physic. & in primo de Cœlo agens de infinito; manifestat enim infinitum nec motu recto, nec in orbem posse moueri; Ideo in 8. Phy. 17. inquit si contingit moueri infinitum & quiescere totum; quasi dicat id non contingere. Solutio ex duobus elicienda est; primo ex eo, quia infinitum dupliciter considerari potest, vel vt infinitum & totum, vel secundum partes; prima consideratione non potest moueri, secũda vero nil repugnat; Ideo Aristoteles in octauo Physic. 17. accurate addidit totum, inquiens si contingat moueri infinitum totum, indicans secundum partes id posse moueri; At instabis quia Arist. in primo Phy. 24. argumentatur a partibus ad totum; nam si partes moueri possunt, totum quoque poterit moueri, cum nil sit, præter partes; respondeo rationem a partibus diuisim sumptis ad totum carere necessitate, quia totum non est partes diuisim sumptæ, sed simul; vt singuli homines viuentes desinere possunt; igitur & vniuersa humana species, minime id recte infertur: solum necessitatem includit, dum additur reduplicatio partium, vt dicendo singulæ partes moueri possunt, igitur & totum, vt ex eis constat, & ratione earum: argumentatur itaque tunc Philosophus a partibus signatis ad totum, vt indefinite & confuse constat ex eis. Secundo elicienda est solutio ex ratione Melissi: nam dicebat Melissus, ens vnum & infinitum non posse moueri, quia non superest locus, in quem transferatur; hoc reijcit Arist. quamuis enim infinitum nequeat moueri, vt infinitum, & totum, valet tamen moueri secundum partes indefinite sumptas per reciprocationem, & mutuam cessionem loci partium, adeo vt ratio Melissi non obsit.

*Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Controuersia.* *Solutio.* *Instantia.*

*Controuersia quinta.* *Cap. XVIII.*

ARISTOTELES referens opinionem Platonis de principijs generationis rerum natura constantium, satis conspicue secum pugnare videtur; & triplex præsertim refulget controuersia; prima est, quia in 13. Metaphysicæ & in secundo de ortu & interitu cont. 5. ait eum numeros & figuras statuisse principia rerum; Ex aduerso in primo Phy. cont. 55. & 80. inquit Platonem putasse principia rerum esse magnum, paruum, & vnum, siue materiam, & ideas, vel earum imitationem: Altera est, quia loquens de materia, primo ait Platonem putasse, quod sit non ens, ex qua cum res per se fiant, inferebat eum putasse res per se fieri ex non ente, vt legitur in primo Phy. 79. Ex aduerso in primo Phy. 80. inquit, eum nuncupasse materiam matrem, & in secundo de ortu & interitu cont. 4. eundem carpit, quia in Timæo dixit res esse materiam, & materiam esse hoc aliquid, eique conuenire pronomina demonstrantia; at si est mater, & hoc aliquid, quomodo erit non ens? Tertio secum pugnat, quia primo Platonem carpit, quod priuationem a materia non secreuit, sed putauerit esse eandem numero, ratione, & potestate, & ob id materiam esse ex se malam, vt patet ex cont. 79. 81. & alijs, primi Phy. Ex aduerso ait Platonem neglexisse priuationem, & putasse materiam matrem, & partem eorum, quæ fiunt, priuationem vero esse non ens, & maleficam; At si materia & priuatio omnino sunt idem, quomodo varia & opposita eis competent? Ego in præcedentibus referens & explicans opinionem Platonis de principijs rerum, varia dixi conducentia pro diluendis huiusmodi controuersijs; ideo nunc breuissime eas diluam: Et pro conspicua solutione considerandum est ex sententia Platonis tria reperiri, nimirum proprie sumpta principia, ordinata ad generationem, & terminos necessarios ortus & interitus. Principium generationis id esse censuit, ex quo res pendent, & esse earum; huiusmodi est Deus, Mens, & Ideæ, cuius principij conditio est, vt sit æternum, alioquin non seruaretur generatio: Materia non est principium, nec causa, vt legitur in Phædone, sed locus generationis & aliquid necessario requisitum pro generatione, vt patet ex Timæo. Termini demum generationis, contraria sunt, vt in Phædone, & Lyside ostenditur; nam ea, quæ gignuntur, ex contrario, vt ex termino fiunt, & contrarium siue priuatio requiritur pro subiecti conditione, vt expetat alterum contrarium. Ab Aristotele autem etiam termini, & necessaria pro generatione, Principij nomine denotantur. Ex his eliciuntur solutiones controuersiarum; nam de prima dico Materiam, magnum & paruum, ac insuper numeros & figuras dici principia late, quatenus principia proxima in figuras & numeros resoluuntur, tum ob consimilitudinem proprietatum, tum quia resoluuntur in figuras, & numeros eos, qui sint non accidentia, sed essentiæ rerum, inclusi in Ideis, & conspirantes ad animæ constitutionem, vt patet ex Timæo; & cum ex anima prodeat Natura, & ex natura ea, quæ natura constant, iure numeri dicuntur principia eorum, quæ natura constant. De secunda dico, Materia est non ens, vt contradistinguitur ab Ideis, & vero ente; non autem est non ens pro nihilo; insuper est non ens pro alteritate, vt patet ex Sophista, & est non ens actu, & locus imitationis entis; ideo dicitur infra ens, & locus vmbrarum; denotatur autem per pronomina demonstrantia, quia in permutationibus ea sola seruatur, non autem quia sit essentia rei, & id quod res est. Tertia controuersia erat quomodo Plato cum priuationem dicat eandem cum materia, dicatur eam negligere; Respondeo Platonem eam neglexisse quatenus propriam eius rationem & formalitatem contradistinctam ab ea materiæ inter ordinata ad generationem, non numerauit; asseruit autem esse eandem cum materia, quatenus eam considerauit vt conditionem materiæ requisitam pro eius appetitu, vt patet ex Lyside.

*Triplex controuersia.*

*Solutio.*

Contro-

## *Controuersia sexta.* *Cap. XIX.*

ARISTOTELES in primo Phy.71.ait,veteres omnes de hoc consensisse, quod ex nihilo nihil fiat:oppositum tribuit Platoni in con͡t.79.inquiēs Platonem putasse ea, quæ fiunt, simpliciter fieri ex non ente:augetur controuersia,quia in cont.43.ait,omne quod fit per se fieri ex suo contrario,vt album ex non albo,denotans priuationem, & in cont.76. inquit,si aliquid debet fieri animal non ex accidenti, non ex animali erit. Ex aduerso diluens rationem veterum euertentem generationem inquit ens fieri ex non ente, ex accidenti:Philosophus itaque nonnunquam ait ens fieri ex non ente & ex priuatione per se,nonnunquam non per se,verū ex accidenti. Diluitur prima controuersia,quia Plato per non ens non denotabat nihil, sed materiam quam dicebat infra ens, nempe infra Ideas,& earum imitationes,siue participationes; Altera autem cōtrouersia,quę est obscurior, diluitur per tria fundamenta; primum est,quod non ens, siue priuatio ad duo potest referri,ad generationem, & ad rem genitam; dum refertur ad generationem,ea est per se terminus a quo generationis,& accipitur in eius definitione; generatio enim est transmutatio ex non esse ad esse,vt patet ex 5.Physic. & hoc denotauit Philosophus in primo Phy.43. inquiens,omne quod fit, per se fieri ex suo contrario:dum vero priuatio refertur ad rem genitam,quia non est pars eius, dicitur principium ex accidenti,& genitum dicitur ex ea fieri ex accidenti,vt patet ex 1.Phy.75.Alterum fundamentū est,quod negatio est cōmunior affirmatione, ex prædicato priuatiuo,siue infinito,& ob id frequenter vera est negatio,non autem affirmatio, vt considerarunt Alexander & Themistius loquendo de prima materia,ita vera est hæc negatio prolata in cont.76.Animal non per se fit ex animali, affirmatio autem ex prædicato infinito falsa esset, dicendo Animal per se fit ex non animali, dum hoc refertur ad rem genitam.Postremum fundamētum est,quod ea distinctio in per se, & ex accidenti,ad duo potest referri,nimirum ad ens, siue non ens, & ad generationem: si refertur ad ens denotādo materiam,sic omne quod fit,fit ex ente potestate per se, ex ente actu ex accidenti; at si ea distinctio refertur ad generationem, quatenus est transmutatio, sic id quod fit,per se fit ex non ente,ex accidenti ex ente,quia non fit quatenus est,sed quatenus non est,& esse potest.

*Controuersia.*

*Solutio.*

## *Controuersia septima, & octaua.* *Cap. XX.*

ANAXAGORAS pro rerū origine & ortu Chaos excogitauit, in quo cuncta sine ordine essent permixta. Arist. in 12.Metaphysicæ cōt.9. inquit Materiam iudicari debere illud vnum Anaxagoræ, ac ita per Chaos ait denotasse materiam,in 4.autem Phy.cont.6.inquit Chaos denotare locum, interuallum,& receptaculum; locus autem non est materia. Augetur dubitatio, quia Arist.perperam interpretari videtur verba, & carmina Hesiodi in eo quarto Phy. cont.6.relata, dicebat enim, Primum namque Chaos factum est, deinde terra lata, quasi oporteat primum esse receptaculum ijs,quæ sunt &c. Simplicius eo loci inquit interpretationem illam verborum Hesiodi nimium rudem esse,longeque abesse a sententia Hesiodi, quippe qui eo verbo Chaos non receptaculum indicauit,sed quandam infinitam originem, ignotamque,ac multiplicem Deorum caussam, quam vastum, immensumque hiatum Orpheus nuncupauit &c. id ipsum affirmauit, exponens primum contextum octaui Phy.nam ait Anaxagoram ab intelligibili vnitate,in qua simul cuncta erant,asseruisse Mentem ea secreuisse,quæ Mundum constituunt.Pro lucida, & exacta resolutione tria dico; primum est Arist.in interpretando Chao non secum pugnare; quia in 12.Metaphysicæ loquitur de opinione Anaxagoræ,

*Solutio.*

xagoræ; in quarto autē Phy. de opinione Heſiodi; ambo enim imaginati ſunt Chaos, ſed modo vario; Dico ſecundo aſserere Chaos eſse materiam, & eſse interuallum & receptaculum, non eſt pugnantia proferre; quia Materia a Veteribus Locus, interuallum, & receptaculum, dicebatur; nam Plato loquens de materia in Timæo inquit, tertium genus locus eſt, qui interit quidem nunquam, ſed omnibus, quæ fiunt ſedem exhibet &c. & Ariſt. in 4. Phy. 59. inquit; quidam aiunt inane, eſse materiam corporum; ac ita explicatur varietas verborū in primo de ortu & interitu 27. & 31. nam in nonnullis codicibus legitur; daretur ſeparabile inane; in alijs daretur ſeparabile, quod eſt commune, nempe materia; vtrunque enim ſine errore dici poteſt, cum materia ſit tanquam interuallum inane, vt in lib. de materia latius pateſeci. Hinc Plotinus En. 2. lib. 4. cap. 11. inquit, fingitur autem materia tanquam moles quædam, ſiue dimenſio inanis; ideo nonnulli materiam, & inane idem eſse tradiderunt; non itaque Ariſt. leuis & inconſtans eſt. Addo tertio perperam a Simplicio carpi; nam quod Anaxagoras per Chaos denotarit materiam, non Idealem Mundum patere primo poteſt ex relatione opinionis eius ab alijs; Lucretius de eo ait lib. primo. *Plotinus.*

*Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur Homœomeriam,*
*Quam Græci memorant, nec noſtra dicere lingua*
*Concedit nobis Patrij ſermonis egeſtas &c.*

& vſurpatur ab eo pro materia; Plutarchus lib. primo de placitis Philoſophorum, ſimiliter ad materiā refert; Plotinus En. 2. lib. 4. cap. 7. id exponit non de Mundo Ideali, ſed de Materia: Similiter Plato in Phædone inquit Anaxagoram pro principio ſtatuiſse quidem Mentem, at mox loquens de rerum ortu, ea non vſum fuiſse; nam dicebat cuncta fieri quadam materiæ neceſſitate: ex quo patet cum non denotaſse ſecretionem ex Diuina Mente. Demum id redditur conſpicuum perpendendo oſtenſionem, qua vtebatur pro ſtatuendo Chao, rerumque mixtione; nam dicebat id eſſe neceſsarium, quia ex nihilo nihil fit; hoc autem ad materiam pertinet, ex qua res fiunt, non ad Mundum intelligibilem, & Mentem; rectius itaque Ariſt. quàm Simplicius interpretatur ſententiam Anaxagoræ. Id ipſum dicendum puto de opinione Heſiodi, qui primo excogitauit Chaos, hoc eſt materiam, in quo dicebat primo ortum fuiſse Amorem, quia materiam ſequitur appetitus formæ, boni, & perfectionis. Sed in attinentibus ad Anaxagoram alia ſe offert controuerſia; nam Ariſt. in 8. Phy. cont. 2. ait dixiſse Anaxagoram, ſimul cunctis exiſtentibus & quieſcentibus tempore infinito, cępiſse Mentem res a Chao ſecernere, & in ordinem redigere. Hæc verba videntur includere pugnantia, quatenus ex vna parte aſseritur primo non fuiſse motum, ex altera quieuiſse tempore infinito, at tempus vel eſt motus, vel affectio eius, quare primo erat motus, & non erat. Confirmatur controuerſia per ſecundam rationem, qua vtitur Ariſt. in 8. Phy. pro motus ęternitate, inquit in cont. 10. cum tempus ſit æternū, etiam motus eſt æternus, quia tempus eſt poſterius motu, & non valet eſse ſine ſuo priore, vt affectio ſine eo, cuius eſt affectio. Soluitur controuerſia primo dicēdo, quod tempus ne dum motus, verum etiam quietis menſura eſt, vt dicitur in 4. Phy. id itaq; tempus antecedens erat menſura antecedentis quietis: addo ſecundo id non fuiſse tempus proprie ſumptum, quod eſt fundamento idem cum primo motu; ſed fuiſse tempus ſumptum pro ſucceſſione, imaginatione concepta, ſecundum noſtrum intelligendi modum æternitati reſpondente; nos enim ſubiecti tempori, etiam æternitatem ſupra tempus poſitam, per tempus explicamus & cum tempore excogitamus. Inquit Magnus Albertus ex ſententia Anaxagoræ tempus ſequi Chaos. *Alia cōtrouerſia.* *Solutio.*

*Controuersia nona.* *Cap. XXI.*

DE attinentibus ad opinionem Anaxagorę conspicua in Auerroe se nobis offert controuersia; nam in primo de Cœlo cont. 102. inquit Anaxagoram putasse Mundum genitum, & interiturum, adeo quod nullum ens erit ex eo omnino. Id ipsum affirmat in 8.Phy.cont.2. Inquiēs, aut Mundus fuit ex rebus quiescentibus tempore infinito, & post interibit tali modo, quod cuncta erunt quiescentia tempore infinito, vt Anaxagoras opinabatur, &c. Ex aduerso in primo Physic.cont.32. Oppositum Anaxagoræ tribuit; inquit enim eum putasse Mundum habuisse principiū, & mox tempore infinito esse permansurum. *Zimara.* Zimara, reiecta quorundam sententia perperam existimantium loco Anaxagoræ legendum esse Anaximandrum, cuius tamen nec Auer. nec Aristot. eo loci vllam mentionem faciunt, soluens ex propria sententia vnà cum Magno Alberto primo Cęli Tract.4.cap.1. inquit ex opinione Empedoclis Mundum gigni, interire, & post annum magnum sacramento Deorum confirmatum, eundem numero refici; Ex opinione vero Anaxagoræ, Mundum ait habuisse principiū, & debere interire, adeo vt nunquam idem numero reuertatur, sed solum idem specie; Erit itaque Mundus æternus specie, numero vero infinities variabitur. In hac solutione plura sunt errata, quam verba; *Euersio.* nam primo nunquam Auer. nec aliquis Græcorum interpretum tribuit Anaxagoræ quod putarit Mundum infinities numero variari, immo ait Auer. in 8.Physic. ex sententia Anaxagoræ, quod Mundus peribit, adeo quod cuncta erunt permanentia tempore infinito; & in primo de Cœlo ait Mundum ita ex opinione Anaxagoræ interiturum, quod nihil erit ex eo omnino. Insuper Aristoteles in primo Physic.32. ait, Empedoclem putasse multoties Mundos vicissim fieri, Anaxagoram vero semel: male itaque Anaxagoræ tribuitur, quod putarit Mundum infinities interire, & refici eundem specie, non numero: & confirmatur, quia Aristoteles in primo Physi.39. ait, Anaxagoram putasse Mundum fore æternū, quia in Chao corpora similium partium permixta ex quibus cætera fiunt, infinita sunt; & ideo secretioni nunquam imponetur finis. Præterea inquit Auer. in primo de Cœlo, quod opinio Anaxagorę erat eadem cum opinione trium Legum, nempe Christianorum, Iudæorum, & Maurorum; at hi minime putant Mundum infinities numero variari, & seruari specie, sed absolute sortiturum finem. Prætermissa itaque aliorum solutione, pro diluenda controuersia, *Solutio.* præaccipio id, quod a Simplicio in 8.Physic.14. relatum fuit; nam ait, quod Eudemus carpit Anaxagoram, ne dum quia censuit motum recepisse principium, cum prius non fuerit, verum insuper quia quomodo seruaretur, vel deficeret nō manifestauit, & pręsertim cum id non sit perspicuum; quid enim prohibet Mentem cuncta firmare, vt ille dixit mouere? &c. sic itaque Anaxagoras de fine Mundi nil certi dixit. Hoc præassumpto dico Aristotelem tribuere Anaxagoræ quod putarit Mundum, & motum recepisse principium, seruandum tamen fore semper, vt patet ex primo Physic.32. & 39. & clarius ex 8. Physic. 15. quo loci Anaxagoram carpit, quia sua opinione ordinem euerterit, quatenus inter infinitam antecedentem quietem, & infinitum futurum motum, nec ratio, nec ordo esse potest. Similiter Themistius, & Simplicius id ipsum Anaxagoræ tribuunt; nititur tamen Simplicius more suo sub initio octaui Physi. opinionem Anaxagoræ, redigere in eam Platonis, & vtrosque cum Aristotele conciliare. De Auerroe autem pro componenda in eo controuersia, dico illum in referenda opinione Anaxagoræ, ab eo obscure prolata, modo fuisse sequutum Aristotelem, vt in primo Phy.32. dum dixit Mundum fore semper, modo vero rationē, & relationem aliorum; & quia orta inrereunt, & nonnulli sententiam Anaxagoræ cum ea Theologorum coniunxerunt, ideo in primo de Cœlo ei tribuit quod putarit interiturum; non enim est absurdum de opinione obscure prolata a varijs vario modo relata, varia enunciare, & præsertim dum ratio alicui relationi aduersatur.

*Controuersia decima.* Cap. XXII.

Aristoteles in 8. Phy. cont. 2. ait, motum posse putari non æternum, vt existimauit Empedocles, qui dicebat in parte moueri, & rursus quiescere: Moueri quidem, cum amicitia ex multis facit vnum, aut lis multa ex vno; quiescere vero in intermedijs temporibus, &c. tribuit itaque in eo cont. Philosophus Empedocli, quod putarit dari motum in mutua permutatione Mundorum, temporibus vero intermedijs cuncta quiescere; tempora autem mediantia inter reciprocas permutationes, ea videntur esse, dum Mundus litis, vel ille amicitiæ iam geniti sunt, & seruantur. At ex aduerso in Mundo litis iam constituto, seruatur motus, quia ex sententia Empedoclis seruatur generatio ex mixtione elementorum, seruatur latio eorum in sua loca; insuper seruatur mutua actio, & perpessio, quæ fit per Poros, vt ei tribuit Aristoteles in primo de Ortu & Interitu cap. de actione: Quare Empedocles etiam intermedijs temporibus seruari motum existimabat. Controuersia profectò est satis conspicua, & ob difficultatem varij varia dicunt. Ait Auerroes quietem esse duplicem, vnam oppositam productioni mundorum, & hæc seruatur temporibus intermedijs; alteram oppositam generi motus absolute, & hæc tunc non seruatur, quia in Mundo litis iam genito, seruatur etiam motus. Quæ solutio dubia est, quoniam Aristoteles in 8. Physic. loquens de æternitate motus, non loquitur de motu, quo Mundus gignitur, sed de motu vniuerse sumpto, vt verior est sententia, vel de motu primo, qui est motus Cœli, vt putat Auerroes. Ait doctissimus Vicomercatus mediare quietem, quia illi motus ex vno mundo in alium, & vice versa sunt oppositi; inter motus autem oppositos necessario mediat quies: Quæ explicatio non est approbanda, tum quia labitur in sententiam Auerrois iam reiectam, vt conspicuum est, tum quia Empedocli tribuit quod concesserit motum solum in mutua Mundorum reciprocatione, non in Mundo genito; cum tamen in Mundo genito conspicuus inueniatur motus ab Empedocle approbatus, vt dixi; tum insuper quia quauis motus considerati in Mundorum reciprocatione sint oppositi inter se, non tamen opponuntur motibus mundi geniti, & partium eius; inter motus autem non oppositos non est necesse vt mediet quies; tum demum quia quies medians inter motus oppositos breuissima est, & sensum fugit, Mundi autem geniti diu seruantur, ideo moueri possunt. Propterea longe melius cum Eudemo sentiendum puto, qui referente Simplicio in 8. Physic. cont. 14. per tempora intermedia denotari censuit tempora Mundi sphæri, siue amicitiæ, in quo cuncta requiescerent; tempus enim Mundi sphæri dicitur mediare inter fluxum Mundi litis ex eo, & refluxum in eum: hoc comprobabat Eudemus per carmina Empedoclis eo loci a Simplicio relata. Id ipsum indicauit Aristoteles, dum explicans carmina Empedoclis dixit. Hoc enim quatenus permutantur, opinandum est illum dicere permutationẽ hinc illuc, hoc est in Mundum sphærum, denotans quod cum res in Mundum sphærum peruenerint, requiescunt; nam ille erat Mundus vnitionis, eminentiæ, & quietis: Latere tamen nos non debet quod (vt recte primo considerauit Alexander, mox Simplicius,) ex verbis Empedoclis ab Aristotele in 8. Physic. cont. 2. relatis, non id colligitur, quod eliciebat Aristoteles; non enim dicebat Empedocles medijs temporibus cuncta quiescere, sed solum asserebat eam Mundorum reciprocationem definitus, & statutis temporũ mensuris, esse firmam & immobilem, hoc est consimiliter semper seruari & inuiolabilem esse, vt de Cœlo dicunt Academici, quod mouetur immobiliter, quatenus in eodem loco consimiliter, & semper mouetur, & de Fortuna canunt Poetæ, quod tantum constans in sua leuitate est.

*Auer.*

*Euersio.*

*Verior solutio.*

H *Contro-*

*Controuersia vndecima.* *Cap. XXIII.*

LOQVENS Aristoteles in primo de Cœlo 107. de Mundi constitutione ex opinione Empedoclis inquit, Palam est, quod Elementis inuicem conspirantibus, non quiuis ordo constituitur, sed idem, etiam ex eorum opinione, qui hoc dixere, & vtriusq; dispositionis causam statuunt contrarium, nimirum litem & amicitiam, &c. His verbis asserit Philosophus in constitutione Mundi vel sphæri, vel litis excogitati ab Empedocle, semper consimiliter elementa quatuor in ordinem redigi; oppositum legitur in 2. Physic. 43. quo loci ait Aristoteles, Empedoclem dixisse non semper aerem constitui supra aquã, sed vt accidit, nam dixit Empedocles in libro de Mundi Fabrica,

*Sæpe alias aliter, sed tunc sic forte cucurrit.*

*Solutio.* Controuersia est satis conspicua, quæ solui potest dupliciter, & vtraque solutio ex verbis Aristotelis elici videtur; prima est quia Aristoteles in secundo de Ortu & Interitu cont. 44. inquit, Empedoclem non sibi constare: verba sunt hæc, Amplius autem Elementa videntur mota; secreuit enim lis, ductus est autem superius æther non a lite, sed quandoque a Fortuna, vt ait, ita enim tunc contigit, frequenter autem secus; Quandoque autem ait, natum esse ignem, superius duci, Aether autem ingrediebatur Terræ profundas radices, Simul autem & Mundum similiter se habere inquit nunc in lite, & prius in amicitia, &c. Ex his constat Aristotelem vtrunque tribuere Empedocli & simul manifestare, quod sibi non constat, quatenus Elementa modo a lite, modo sui natura, modo forte Fortuna moueri dicebat; ac ex vna parte asserebat Mundum similiter se habere nunc in lite, & prius in Amicitia, ex altera simplicia corpora secus disponi enunciabat; Ideo iure Philoponus in secundo de Ortu & Interitu ait, Aristotelem arguere Empedoclem de inconstantia: & Aristoteles in primo de Ortu & Interitu cont. 2. inquit Empedoclem cum sibi, tum his quæ apparent aduersari: Ex his elicitur non Aristotelem, sed Empedoclem secum pugnasse. At si cupimus vtrunq; a controuersia vindicare, dicere secundo valemus Empedoclem putasse cuncta fieri non gratia finis, sed cęco casu, & materiæ necessitate, vt ei tribuit Aristoteles in secũdo Phy. hinc asserebat partes animalium forte fortuna componi; & si eueniat vt componãtur recte, tunc fœtus viuunt, in lucem prodeunt, & seruantur; at si perperam connectuntur, dissoluuntur & pereunt. Hoc enunciauit Aristoteles ex sententia Empedoclis in secundo Physic. 76. inquiens, cum igitur omnia contigerint, perinde ac si propter finem facta forent, ea quidem seruata sunt, a casu consistentia recte; Quæcunque vero non ita fuerunt disposita, periere, pereuntq;, vt Empedocles dicit de Centauris, &c. Ex his elicitur solutio apparentis controuersiæ, nam Elementa forte fortuna, dum inuicem sibi occurrunt, possunt varium sortiri ordinem; at non semper Mundus constituitur, & seruatur, sed solum dum congruenter & consimiliter disponuntur, & tunc dicuntur recte disponi, contingenter:

*Lucretius.* Lucretius etiam lib. 5. ex sententia Epicuri id ipsum approbauit, nam loquens de ortu variorum animalium inquit,

*Multaq; tum Tellus etiam portenta creare*
*Conata est, mira facie, membrisq; coorta,*
*Androgynum inter vtra, neutrumq;, & vtrumq; remotum,*
*Orba pedum, partim manuum viduata vicissim,*
*Multa sine ore, etiam sine vultu cæca reperta,*
*Vinctaq; membrorum per totum corpus adhæsu,*
*Nec facere vt possent quicquam, nec cedere quoquam*
*Nec vitare malum, nec sumere quod volet vsus &c.*

*Contro-*

*Controuersia duodecima.* *Cap. XXIIII.*

Dicitur in primo de Cœlo cont. 102. veteres omnes Philosophos putasse Mundum genitum; quod etiam asseritur in 8. Phy. cõt. primo, vbi legitur veteres omnes Philosophos Physice loquentes concedere dari motum, quia Mundum generant: Ex aduerso in primo de Cœlo 22. legitur omnes cum Barbaros, tum Græcos locum sursum tribuisse Deo, immortali immortale aptantes; nequit enim secus se habere, &c. ex hoc elicitur veteres putasse cœlum omni ex parte ęternum, non autem genitum, cum Deus omni ex parte æternus sit: id ipsum in eodem cont. Aristot. confirmat ratione ex Etymologia, deprompta inquiens, cœlum fuisse nuncupatumætherē, non a combustione, quia sit igneum, sed ab æterno cursu, quod etiam in primo Meteororum cap. 4. affirmauit. Auer. etiam in primo de Cœlo cõt. 102. inquit Chaldæos putasse Mundum æternum; *Auerroes.* Plutarchus quoque in lib. de Placitis Philosophorum cap. 4. inquit Xenophanē statuisse Mundum ęternum, neque genitum, neque interiturū; Ocellus Pythagoreus id *Plutarchus* *Ocellus.* ipsum ne dum existimauit, verum etiam demonstrare conatus est, vt constat ex libro eius, qui circumfertur. Satis itaque conspicue videtur Arist. & secum, & cum vero pugnare. Auer. in primo de Cęlo 102. innuit solutionem inquiens, Arist. fuit primus Gręcorum Philosophorum, qui Mundum putarit ab ortu & interitu immunem, & hoc statuebat Lex Chaldæorum antiqua &c. id ipsum affirmat in eodem lib. cont. 22. inquiens, Arist. fuit primus qui ex Physicis Græcis dixit cœlum ingenitum, & attulit testimonium ex Chaldęis, apud quos Philosophia erat perfecta, vt mox tempore Aristotelis &c. Solutio itaque erit, sententiam prolatam in primo de Cœlo, quod omnes *Solutio.* putarint mundum genitum, debere intelligi non de cunctis absolute, sed de Græcis, Chaldæos autem, quorum testimonio vtitur, putasse esse ingenitum: Quæ solutio satis est dubia, primo quia Arist. ostendit æternitatem, sumpta ratione ex Etymologia, quia Aether æternum cursum, & æternitatem denotat; Aether autem est vox non *Instantia.* Chaldæa, sed Græca, ex alijs græcis vocibus conflata. Præterea in cont. 22. primi de Cœlo ait Arist. & Barbaros & Græcos locum sursum tribuisse Deo, æternum æterno aptantes, indicans ne dum Barbaros, hoc est exteras nationes, verum etiam Græcos putasse Mundū æternum: Propterea dimisso Auer. dicamus ex sententia Arist. Mundum esse æternum, & propterea scientias, & præstantiores Artes æternas esse, nec earum dari primos inuentores, sed tantum redintegratores, vt affirmauit Arist. in primo de Cœlo 22. nec non in primo Meteororum. Ex hoc elicitur solutio difficultatis; nam *Solutio propria.* dum Arist. in primo de Cœlo 102. inquit omnes putare Mundum genitum, denotauit non omnes absolute, sed eos Philosophos, quorum opiniones tunc florebant, & circumferebant; dum vero ex aduerso ait veteres nouisse æternitatem, idque colligit cum ex nomine ætheris, tum ex sede Deorum, putandum est denotasse eos, quorum opiniones obliuione erāt deletę, ne dum Chaldęorum, verum etiam Gręcorum, quarum se profitetur restauratorem. At adhuc vigebit aliquis, quia etiam Pythagorei, *Dubitatio.* quorum opinio tunc circumferebatur, & vigebat, putarunt Mundum æternum, vt patet ex libro Ocelli Pythagorei, cuius supra feci mentionem, de quo loquens Philon Iudæus in lib. de Mundo non interituro inquit, cæterum sunt qui tradunt opinionis huius non Arist. primum authorem, sed Pythagoreos quosdam fuisse; At mihi, hominis genere Lucani inscriptum de vniuersi Natura commentarium oblatum est, in quo quidem Mundum esse ingenitum, & nunquam interiturum, ne dum protulit, verum etiam exquisitissimis rationibus comprobauit &c. Huic obiectioni duplici modo valemus satisfacere; primo asserendo quod Pythagoras obscure, & per ęnigmata lo- *Solutio.* quebatur, & placita sua renuit literis tradere; Ocelli autem sententia vel Arist. fuit ignota, vel non fuit Pythagoræ, sed eius propria, vel ab Arist. neglecta fuit, quia inter

Philosophos celebres non numeratur, quorum opiniones considerauit Arist. Secundo solui potest, quia opinio Pythagorę ab alijs alio modo refertur, Nam Magnus Albertus in primo de Cœlo tract. quarto cap. primo inquit, Pythagorei autem in Legibus Pythagoræ tradiderunt, Mundum per generationem cępisse, & per interitum desinere; cum quibus consentiunt Empedocles, Anaxagoras, & Heraclitus, at vario modo. Verum quod refert de Anaxagora dubium iudico: Plutarchus in lib. 2. de Placitis Philosophorum cap. 4. inquit Pythagoras, & Plato Mundum a Deo factum arbitrati sunt, non autem periturum, Prouidentia eum, & Deo continente; ita nil certi refertur de opinione Pythagorę, quod valeamus obijcere Aristoteli.

## *Controuersia decimatertia.* *Cap. XXV.*

LEGITVR in primo de Cœlo cont. 22. omnes eum, qui sursum est, locum Deo tribuisse, & Barbaros, & Gręcos, quicunque putarunt Deos esse; id ipsum enunciatur in lib. de Mundo, & comprobatur authoritate Homeri dicentis.

*Esse solum Diuis, subnixum semper Olympum.*
*Fama est &c.*

At in 8. Phy. cont. 84. oppositum legitur; Nam Philosophus loquens de sede primi motoris ait, Necesse est autem aut in medio, aut in Circulo esse; hæc enim principia sunt; sed citius mouentur proxima mouenti, huiusmodi autem est motus totius, ibi itaque est mouens, &c. cum Arist. dicat Deum vel in medio, vel in circulo esse, indicat hac de re litem esse, & opiniones esse varias: Quod confirmatur, quia in secundo de Cœlo 73. ex opinione Pythagoræ inquit locum medium esse honorabilissimum maxime aptum seruare, propterea ibi positum esse ignem præstantissimum inter Elementa; quem locum medium nuncupauit carcerem Iouis. Addit eo loci Simplicius Arist. in his, quæ de Pythagora scripsit, asseruisse locum illum a Pythagoreis dictum fuisse Turrem Iouis, Locum conuiuij, custodiam, & Thronum Iouis, quæ omnia indicant præstantiam Medij, & Deum in medio esse collocatum; Quod etiam affirmauit Simplicius in 8. Phy. 84. inquiens Pythagorei putarunt Deum in centro collocatum; male itaque Arist. ait omnes cum Barbaros, tum Gręcos putasse cœlum esse locum Deorum. Augetur cōtrouersia, quia etiam Plato in Timæo inquit, Terra autem in medio posita sedes Deorum est; Insuper Plutarchus in septima quęst. Platonica ait affirmasse Theophrastum, Platonem ætate prouectum pęnituisse, quod Medium Mundi locum terræ assignasset, ei non congruentem; cum enim sit sedes præstantissima, præstantissimo competere debet; Pro solutione tria dicere valemus; primum est quod dum Arist. dixit omnes putasse cœlum esse locum Deorum, denotauit opiniones communes communiter approbatas, non paradoxa, quale est id quod Deus sit in Centro; Secundo dicere possumus centrum ex sententia Pythagoræ non proprie esse Dei sedem, sed carcerem Iouis, & locum inferum, in quo praui spiritus, & filij terrę detinentur, vt dent pęnas delictorum suorum; Hinc Simplicius in secundo de Cœlo cont. 49. inquit, Et Pythagoras forte in centro per diuinum latens, malignos spiritus denotare voluit; id ipsum fateri videtur Arist. in secundo post. cap. 11. inquiens Tonitrua in nubibus gigni minarum gratia, vt qui sunt in Tartaro timeant; Insuper terra dicitur carcer Iouis, quia cœlum quasi terræ alligatum, circa illam reuoluitur. At per hæc non exacte vniuersa dubitatio diluitur, tum quia Arist. inquiens motorem esse vel in medio, vel in circulo, non de immundis spiritibus, sed de primo motore loquitur, tum insuper quia Pythagoras medium dixit præstantissimum, & propterea sedem esse honorabilissimi nempe Dei; tum demum quia sic indicamus Arist. magis secum pugnare, cum modo dicat in medio reperiri nocentes, modo afferat ex sententia Pythagoræ locum illum esse honorabilissimum: Propterea vt Arist. a controuersia vindicetur, & cla-

Marginalia: *Plato.* *Plutarchus* *Solutio.*

rior reddatur sententia Pythagoræ, considerandum est putasse nonnullos in vniuerso cœlum quiescere & terram reuolui, in qua nos constituti & cum ea reuoluti putamus reuolui cœlum; ex horum numero fuerunt Heraclides Ponticus, referente Simplicio in secundo de Cœlo 51. nec non Philolaus Pythagoreus, Ecphantes similiter Pythagoreus, & Niceta Syracusanus, referente Cicerone in Academicis, & asserente Theophrastum id retulisse; Plutarchus etiam in septima quæst. Platonica inquit Aristarchum & Seleucum id ipsum existimasse: Hi tamen in duas series diuisi sunt; nonnulli enim putarunt terram in medio vniuersi esse collocatam, in eoque reuolui, quod Arist. tribuit Platoni in secundo de Cœlo 76. & ex recentioribus Copernicus id ipsum tuetur; Alij non terram sed ignẽ putarunt esse in medio, & hi forte nomine ignis cœlum, vel Solem denotarunt, quę esse ignem existimarunt; circa quod medium dicebant reuolui terram, & Lunam, quam terram alteram nostræ oppositam nuncupabant, & inde asserebant consurgere Eclypses: hoc tribuit Arist. Pythagorę in secundo de Cęlo 73. nititur hæc opinio duobus fundamentis; vnum, quia medium est locus prestantissimus prestantissimo congruens; Alterum, quia immobilitas est potior conditio, quam motus. Ex his colligo primo ex sententia Pythagoræ hæc inuicem non pugnare; Deum esse in medio, & esse in cœlo, nam cœlum igneum in medio terrarum est collocatum, In centro autem terræ immundi spiritus positi sunt; colligo secundo interpretes minus recte explicare sententiam Pythagorę; colligo tertio solutionem controuersiæ in Arist. consideratam; nam in 8. Phy. 84. non quærit Arist. an Deus sit in cœlo, vel in centro terræ, sed num in medio, vel in circulo; Pythagoras putabat esse in medio, vt quiescens in quiescente, id tamen medium erat cœlum; & ita omnes putarunt cęlum esse Sedem Deorum; nec obsunt verba Platonis in Timæo dicentis terram in medio positam esse sedem Deorum, quia Deorũ nomine sublunares Deos denotabat, nempe Dæmones, & homines, vt interpretatur Proclus in expositione Timæi, nec non Smplicius in secundo de Cœlo 49. *Putantes terram reuolui.* *Plutarchus*

## *Controuersia decimaquarta. Cap. XXVI.*

Aristoteles in primo Metaphysicæ Democrito, & Leucippo tribuit quod causæ efficientis fuerint ignari; propterea in calce 4. cap. ait, De motu vnde, vel quomodo inest his, quæ sunt, hi perinde ac alij explicare neglexerunt, &c. At oppositum legitur in secundo Phy. 45. quo, loci Arist. ait Democritum putasse Mundos cęco casu produci, Animalia autem & Plantas præditas esse proprijs, & distinctis principijs; Ex quo triplex oritur dubitatio: prima est, Si Democritus causam efficientem non cognouit, ideo non valuit dicere Mundos cæco casu genitos, cum casus ad causam efficientem redigatur; Altera est, si causam efficientem non cognouit, quomodo dixit Animalia & Plantas produci a proprijs principijs, veluti a Natura, Mente, & similibus, cum hæ sint causæ efficientes? Tertia dubitatio est, quia nõ videtur rationi consentaneum, quod Democritus, Leucippus, & alij similes sapientia celebres ea protulerint, quæ tam conspicue inter se, cum sensu, & cum ratione pugnant; Propterea recentiorum nonnulli Arist. carpunt, & damnant, quod tam absurda & pugnantia protulerit; At hi dum Arist. arguunt simul Platonem, Plotinum, Plutarchum, & alios sapientia illustres etiam damnant, qui id ipsum Democrito & Leucippo tribuerunt. Insuper Epicurus, & Lucretius qui sequuti sunt Democritum, easdem sententias enunciant. Propterea dicamus nos controuersiam in Arist. esse nullam, & instantias facile dilui; Nam dum primo dicitur Democritum ignorasse causam efficientem, & mox oppositum manifestatur, dicendum est eam nouisse confuse tantum, non distincte, vt in eodem cap. primi Metaphysicæ subindicauit Arist. Addebatur quod si dixit Mundos gigni cæco casu, nouit causam efficientem, cum casus sit causa efficiens; respondeo veteres per gigni casu deno- *Triplex dubitatio.* *Sententia quorundam reijcitur.*

tasse fieri ex necessitate materiæ, vt recte etiam Philoponus explicauit. His accedit, quod perperam hoc obijcitur Arist. cum Arist. id exacte nouerit, & ob id in cont. 67. obiecit Democrito, quod si cœlum casu factum est, quia casus est causa secundum accidens, posterior causa per se, oportebit prius Mentem, & Naturam causas per se esse cum aliorum multorum, tum huius vniuersi. At pro Democrito dicere possemus illud prius, esse naturam Atomorum, quæ sui conditione descendunt: Addebatur non esse rationi consonum Democritum virum celebrem tam absurda protulisse, & præsertim enunciasse cœlum casu factum, Animalia autem & Plantas proprijs, & per se causis esse præditas; Respondeo quamuis sententia Democriti pendeat ex falsis principijs, tamen ea quæ protulit, principijs suis sunt consentanea; Nam Mundus, cum sit totum quoddam, & vniuersum, ortum ducit ex causa prima, & communi, ea autem est descensus Atomorum per propriam naturam; Animalia vero & plantæ, cum sint effecta particularia, & distincta, ex causis proprijs, & distinctis debent proficisci. At obijciebat ei Auerroes in secundo Physic. 44. quod pendet ex casu facto, iudicari debet factum casu, animalia & plantæ pendent ex cœlo per Democritum casu, & contingenter facto, quare illæ quoque dici debent factæ casu; soluitur eam maiorem solum esse veram cum reduplicatione, nempe quatenus ex eo pendet, non absolute: Insuper addo eam esse veram, dum casu factum, est causa eius tota, quæ ei æquetur.

## *Controuersia decimaquinta.* *Cap. XXVII.*

Carpitur in secundo de Cœlo cont. 11. Pythagoras, quia duas solas differentias positionis, dextrum scilicet & sinistrum Cœlo tribuerit, reliquas vero prætermiserit; mox in cont. 16. legitur, Pythagoram nos vergentes ad Boream dicere collocatos sursum, & in parte dextra; quare ne dum dextrum & sinistrum, sed etiam sursum & deorsum nouit, &

*Solutio.* Cœlo tribuit: Respondeo non carpi ab Aristotele Pythagoram, quia absolute cunctas loci differentias non cognouerit, sed quia eas confudit, nec distinctis Cœli partibus distinctas differentias assignauit, & differentias priores, vt sursum, & deorsum redegit ad dextrum & sinistrum, quæ sunt posteriores; Ac ita Aristoteles secum non pugnat. Vt autem ratio appareat, ob quam id fecit Pythagoras, considerandum est eum pro principijs proximis rerum, & tanquam pro cõmunibus generibus decem statuisse contrarietates, a me relatas in explicatione opinionis eius, Quæ ita erant dispositæ, vt pars vna bonum, & formam denotaret, Altera malum & materiam ex differentijs positionis; pro parte denotante bonum, & formam sumpsit dextrum, quia per hanc magis, quam per aliam vllam differentiam, bonum denotatur, vt patet ex communi vsu, loquendi; pro parte denotante malum & priuationem, sumpsit sinistrum; ad has duas non tanquam absolute primas, sed tanquam magis denotantes formam & priuationem, cæteras redigebat. Pythagoras itaque consentanea protulit principijs suis, dissentiebat tamen ab Aristotele. Et hæc satis de contrarijs refulgentibus ex relatione opinionum veterum Philosophorum; cæteras missas facio.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## Expoſitio Primi, & partis Secundi Libri Phyſicorum.

*Contex. 1.*

*QVONIAM intelligere & ſcire contingit circa omnes Methodos, quarum ſunt Principia, cauſæ, aut Elementa ex horum cognitione; Tunc enim putamus cognoſcere vnumquodque, cum cauſas primas nouerimus, Principia prima, & vſque ad Elementa, Patet Naturali quoque ſcientia ea primum definire enitendum eſſe, quæ ſunt circa Principia.*

*Octo ab interprete ſeruanda.*

VT interpres exacte, & lucide ſuo fungatur officio, octo præſertim ſeruare tenetur; niti enim pro viribus debet patefacere inſtitutum Philoſophi, connexionem contextuum, diuiſionem, ordinem, Methodum; inſuper niti debet verba elucidare, ſententias perpendere, & comprobare, ac demum emergentes difficultates diluere: quæ omnia ego, dum opus fuerit, breuibus & conſpicuę ſeruare conabor. Inſtitutum Philoſophi eſt Naturali ſcientiæ Procemium proponere, ne ſuo capite ſit deſtituta, & ne ſtudioſi animi ad eam confuſe, & ſine congruente directione accedant; Abſoluitur hoc procemium in quinque primis contextibus, & diuiditur in duas principales partes; in quarum prima patefacit Philoſophus inſtitutum ſuum, ſimul indicando ordinem, & rationem vtriuſque; in altera methodum aperit cognoſcendi Principia. Prima pars abſoluitur in hoc primo contextu, cuius vniuerſa ſententia hæc eſt; Tenetur naturalis Philoſophus primo conſiderare attinentia ad principia; & ratio eſt, quia per ea cognoſcuntur reliqua ad naturalem ſcientiam pertinentia: Pro patefaciendo ſuo inſtituto Philoſophus format Enthymema, cuius primo ponit antecedens; Secundo id communi conſenſione confirmat; tertio infert conſequens; ac ita in tres partes hic contextus diuiditur. Antecedens hoc eſt, Omnis Methodus prædita principijs acquiritur ex notitia eorum; comprobatio eſt, quia de hoc conſentiunt omnes; tunc enim putamus cognoſcere prædita principijs, dum ea nouerimus; ex quo comprobato antecedente infertur hoc conſequens, Naturali ſcientiæ enitendum eſſe primum ea definire, quæ ſunt circa Principia: Et quoniam omne Enthymema in ſyllogiſmum redigi poteſt; ideo Enthymema hoc reſoluitur in duos ſyllogiſmos; & ratio cur in duos reſolui debeat eſt, quia Ariſtoteles ex præaſſumpto antecedente, infert non proximum conſequens, pro quo inferendo formandus eſt primus ſyllogiſmus, ſed infert aliud, quod ex proximo colligitur, pro quo alter ſyllogiſmus formandus eſt. Reſolutio in ſyllogiſmos hęc eſt; Omnis Methodus prædita principijs acquiritur ex notitia eorum, Naturalis ſciẽtia eſt Methodus prædita Principijs, igitur Naturalis ſcientia debet acquiri ex notitia

*Inſtitutum Ariſt.*

*Diuiſio proœmij.*

*Sententia primi contextus.*

*Enthymema, & diuiſio primi cont.*

*Reſolutio Enthymematis ĩ duos ſyllogiſmos,*

*Syllogiſmus primus.*

suorum

suorum principiorum,& hoc est consequens proxime sequens illud antecedens: Aristoteles tamen breuitati studẽs, eo dimisso tanquam noto, infert aliud, pro quo inferendo principale consequens sumendum est pro minori propositione, & maior alia *Secundno.* est superaddenda hunc in modum; Id per quod aliud noscitur primo est considerandum, Scientia Naturalis noscitur ex notitia suorum principiorum, igitur scientia Naturalis tenetur primo ea considerare, quæ sunt circa principia. Hæc est conspicua re- *Quoniam.* solutio præsentis contextus; perpendenda modo sunt verba. Inquit [quoniam] hęc est particula denotans causam assumptam tanquam notam, nectens antecedens cum *Intelligere, & scire.* consequente; addit, Intelligere, & scire, εἰδέναι ϗ ἐπίστασθαι. hæ voces frequenter confunduntur, & modo latius modo pressius vsurpantur: putandum est Aristotelem denotare cognitionem perfectam, vel absolute, vel saltem in genere; nam de hac sola verum est antecedens, & confirmatio eius; & vera est sententia cum de cognitione rei incomplexę per definitionem, tum rei complexæ per demonstrationem; ideo earum vocum vel vna explicat alteram, vel secunda contrahit primã ad scientiam perfectam, vel per intelligere denotat cognitionem rei simplicis per definitionem, per scire vero cognitionem per demonstrationem; quodcunque approbemus nil refert; secunda tamen expositio est probabilior, quia scire est minus commune, quam intelligere, & *Contingit.* proprie denotat cognitionem perfectam saltem in genere; Additur, contingit, quod verbum parit dubitationẽ; cum enim hoc antecedens includere debeat, & omnium *Philoponus* consensione includat necessitatem, cur dicitur contingit? Philoponus ait, per contingere denotari necessarium, nam ex libro de interpretatione, possibile & contingens sunt communiora necessario, & vera sunt de eo quoque. hoc non videtur dicendum, cum enim adsit nomen proprium, non debuisset Philosophus sine ratione vti commu- *Hieronymus Girellus.* ni. Hieronymus Girellus Brixiensis, Philosophus & Theologus præstantissimus exponens hoc proœmium ait, Aristotelem vti verbis intelligere & scire late pro quauis cognitione, ideo dixit contingere, quia non semper prædita principijs cognoscuntur per eorum principia: quæ expositio est reijcienda, quoniam Aristoteles loquitur de Methodis vniuersalibus scientiarum, quæ solum addiscuntur per earum principia; insuper confirmans hoc antecedens, conspicue manifestat se loqui de sola cognitione & scientia in suo genere perfecta; propterea dicamus scientiam perfectam præditorum principijs ad duo posse referri, vel ad scibilia, vel ad iuuenes adepturos scientiam; si refertur ad scibilia, ea non secus sunt apta perfecte sciri, nisi ex notitia suorum principiorum; at dum refertur ad nos, qui adepturi sumus huiusmodi Methodos, quia pauci *Methodus.* eas assequuntur, iure Aristoteles inquit contingit; Addit, circa omnes Methodos; cõsiderandum Methodi nomen late sumptum extendi nonnunquam etiam ad ordines disciplinarum; proprie tamen sumptum denotat viam addiscendi contradistinctam ab ordine; Quæ Methodus est via, & ratio nos ducens in rei cognitionem, & est duplex, vna particularis, altera vniuersalis: Methodus particularis est vnaquæque particularis argumentatio; Methodus vniuersalis, est vniuersa disciplina, veluti Dialectica dicitur Methodus disputandi, Ars Medica dicitur Methodus Medendi, Metaphysica in 8. Physic. cont. 3. dicitur Methodus de primo principio, Scientia de natura est Methodus de corpore Physico, & sic de cæteris. Aristor. hoc in loco denotat Methodum vniuersalem, quæ acquiritur ex notitia principiorum attinentium ad eam; sententia tamen est vera etiam de Methodo particulari, scientiam pariente. Sequitur Philoso- *Principia, Causæ, & Elementa.* phus, quarum sunt Principia, aut causæ, aut elementa, ex horum cognitione. Dubium est quid Arist. per has voces denotet, & expositiones sunt variæ, quæ tamen in tria capita rediguntur. Plurimi inquiunt Aristotelem per Principia, causas, & Elementa, denotare quatuor genera causarum; qui inter se dissentiunt, quatenus per voces illas, varij varias causas denotari affirmant, veluti nonnulli aiunt per principia denotari quatuor genera causarum, quæ mox diuidantur in externas denotatas per causas, & internas denotatas per Elementa; alij secus dicunt: quæ expositio approbanda nõ est, tum

quia

quia Arist. inter principia etiam numerat priuationem, quæ non est causa, tum quia colligit primo agendum de principijs, cum tamen primo non agat de quatuor causis; tum demum quia Arist. in principio sexti Metaphysicæ ait etiam Mathematicorum esse principia, causas, & Elementa, cum tamen Mathematicus per solam formam demonstret: propterea alij probabilius inquiunt Arist. illis tribus vocibus vti indefinite pro denotandis principijs, quouis nomine denotentur; quasi dicat quarum Methodorum sunt principia, siue nuncupentur causæ, siue Elementa nil refert, & ideo infert consequens de solis principijs, indicans per causas & Elementa se aliquid distinctum non denotasse; & hi deinde dissentiunt de significatione nominis principij; in qua opinione distinctius referenda & reijcienda morari nolo, & præsertim quia aliqua ex parte probabilis est: dimittenda tamen mihi videtur, quia per eam nil artificiosi in verbis Arist. refulget, sed potius confusio quædam vocum sine vlla distinctione, & arte:

*Opinio propria.*

Propterea dicendum puto Arist. tribus illis vocibus frequenter confuse & sine distinctione fuisse vsum, modo vnam, modo alteram proferendo; hoc tamen in loco tres illas simul protulisse pro denotandis non quatuor causarum generibus, sed modis, siue considerationibus & relationibus tribus, quibus principia, & causæ ad eorum effecta referuntur; nam primo se offerunt considerandæ, vt ex eis tanquam ex internis principijs res fiunt; secundo vt ex eis tanquam ex Elementis intrinsecus constituuntur & constant; tertio quatenus per eas, tanquam per externas & internas causas res fiūt & cognoscuntur: ratio ordinis harum trium considerationum conspicua est: primo enim res fiunt, secundo sunt, tertio cognoscuntur; prima consideratione nuncupantur principia, quoniam Arist. disputaturus aduersus veteres Philosophos ea voce vti voluit, qua veteres vtebantur, at illi ea nuncupabant principia, vt patet ex cont. 48. quo loci inquit Philosophus, Elementa & a veteribus nuncupata principia, esse contraria; quod lucidius adhuc ex Arist. colligitur quia in hoc primo cont. proponit primo esse agendum de principijs, & in calce libri epilogo colligit se declarasse principia: ex quo hanc elicio rationem, Arist. id per principia denotat, quod declarat, dum asserit se declarare principia; at in primo Phy. in quo proponit & colligit se declarasse principia, declarat interna principia generationis; quare nomine principij ea denotat, alioquin secum pugnaret. In secunda consideratione, dum referuntur ad rem genitam, quæ ex eis constat, recte dicuntur Elementa, vt patet ex Elementi definitione; & quoniam elementum est interna rei essentia, & natura, ideo Philosophus in principio secundi Physicorum agens de natura, egit de Elementis, quæ sunt materia & forma; Demum causæ nomen denotat quatuor genera causarum, per quæ genita intrinsecus & extrinsecus producuntur, & producta cognoscuntur. Ex his varia scitu digna elicere valemus:

*Confirmatio.*

*Quid primo colligatur.*

colligo primo pro horum confirmatione quod interrogati ex sententia Arist. quot sint interna principia generationis rerum, secus recte respondere non valemus, nisi quod sint tria, materia, forma, & priuatio; Interrogati de Elementis, quod sint duo, Materia & forma; interrogati vero de causis, quod sint quatuor; quare per eas tres voces nil aliud, nisi id quod dixi intelligere valemus.

*Secundum quod elicitur.*

Colligo secundo Arist. de his loquuturum iure tria constituisse capita, in quorum primo, nempe in primo Phy. verba fecit de principijs; in altero, quod est a principio secundi vsque ad cont. 27. de Elementis siue Natura; in tertio de causis, de quibus proposuit agendum in cont. 27. & disseruit vsque ad cont. 75. supererat solum pro exacta notitia principiorum, Elementorum, & causarum, verba facere de modo operandi naturæ, vt pateret quomodo per huiusmodi causas res producerentur; qua de re verba fecit vsque in finem libri, manifestans naturam operari non temere, sed propter finem.

*Tertium.*

Elicio tertio curam Philosophi, & ordinem admirabilem seruatum in explicandis principijs; cuncta enim declarauit, quæ pro exacta eorum notitia requirebantur, idque fecit ordine congruentissimo respondente conditionibus, & considerationibus eorū; vt enim primo res fiunt, secundo sunt, tertio cognoscuntur, ita primo de principijs generatio-

nis,

*Quartum.* nis, secundo de elementis constitutionis, tertio de causis cognitionis verba fecit. Ex quo elicio quarto,cũ in primo & secundo libris cuncta explicētur attinẽtia ad exactã notitiam principiorum, causarum,& elementorum,eos duos solum debere inscribi de Principijs, reliquos de motu: Ideo Aristoteles in principio tertij libri nouo vtitur procœmio, in quo cum de motu, tum de communibus affectionibus cum eo iunctis *Quintum.* proponit disserendum. Insuper elicio quod quamuis Aristoteles in singulis tribus principalibus capitibus,& de materia & de forma verba faciat, non propterea est re- *Sextum.* dundans,quia id facit distincta relatione & consideratione,vt patuit. Elicio sexto institutum Aristotelis in primis duobus libris, rationem instituti, & diuisionem eorum in quatuor principales partes, miro ordine & nexu inuicem iunctas, & distributas: *Septimum.* Demum considero, quod cum Aristoteles in relatis quatuor partibus de principijs, & causis distincte sibi proposuerit agendum, in singulis præsertim de vno genere causæ disseruit; in primo præsertim egit de materia, eiq; iuncta priuatione, quia per eam res fiunt; in secunda præsertim de forma, quia per eam res sunt, & præsertim ea est natura; In tertia præsertim de efficiente, quia causæ nomen apud veteres præsertim de efficiente dicebatur; ideo etiam de casu & Fortuna disseruit, quæ ad causam efficientem rediguntur; in quarta præsertim de fine manifestando naturam operari propter finem. Non me latent obiectiones variæ a nonnullis huic meæ expositioni oblatæ; illæ tamen adeo sunt leues,vt potius eam confirment,quam euertant; & alius forte dabitur oportunior locus eas diluendi. Redeo nunc ad Aristotelem dicentem,qua- *Cur loquitur cum disiunctione.* rum sunt principia, aut causæ,aut Elementa; loquitur cum disiunctione, quasi dicat id esse verum de quocunque eorum loquamur; insuper quia non in omni Methodo tribus illis relationibus considerantur; in Mathematicis tamen, quarum sunt principia,causæ,& Elementa,vt legitur sub initio sexti Metaphysicæ,singulæ seruantur; nam figuræ & ex lineis produci,& ex eis constare dicuntur tanquam ex terminis,& per eas *Ex horum cognitione.* multarum affectionum sunt causæ. Addit Philosophus,ex horum cognitione, nomine cognitionis denotans notitiam in eo genere distinctam, siue per demõstrationem, siue secus noscantur:& hæc de antecedente. Sequitur eius confirmatio, quæ est secũda pars. [Tunc enim arbitramur cognoscere vnumquodque, cum causas primas no- *Comprobatio antecedentis.* uerimus,Principia prima,& vsque ad Elementa,]Hæc est non demonstratio,sed Dialectica approbatio antecedentis, sumpta ex communi consensione, qua etiam vtitur in primo Posteriorum pro comprobanda definitione ipsius scire. Metaphysicus id *Dialectica.* ostenderet,quia res vt se habent pro esse,ita pro cognitione sunt per causas,igitur per *Metaphysica.* eas cognoscuntur; Diceret Logicus tũc nos perfecte scire prædita causis,dum amplius *Logica.* non contingit quærere propter quid de illis,hoc autem nobis competit dum resoluerimus vsque ad prima; vtitur Philosophus declaratis tribus vocibus non in distincta, sed in eadem significatione,in qua illis vsus erat in antecedente,& miror de Auer.qui secus eas interpretatur:non enim congruens est in comprobatione, & sententia comprobata vti eadem voce in varia significatione; & cum dicat vsque ad Elementa in- *Cur dicat vsque.* quit Auer. vocem vsque denotare ordinem seruandum in explicandis principijs;nam progredi debemus ordine compositiuo a primis & simplicissimis principijs, & causis, per media vsque ad Elementa hoc est proxima & interna principia. Alij consentiunt cum Auer.denotari ordinem,dissentiunt tamen,quia aiunt denotari resolutionẽ progrediendo ex proximis in prima: Quæ expositiones mihi dubiæ videntur, quoniam ordo,qui consideratur inter remota & proxima, non versatur inter Principia, & Elementa,sed inter principia remota & proxima inter se, similiter inter Elementa simpliciora & minus simplicia, & inter causas remotas & proximas: Propterea puto Aristotelem eo loquendi modo voluisse nobis regulam tradere iudicandi quando exacte ali- *Cur de Elementis non dixit prima* quid nouerimus; quod nobis cõpetit,dum id in prima & simplicissima resoluerimus, vt loquendo de Principijs,dum id resoluerimus in prima, similiter de causis, & Elementis:Elementis tamen non addidit prima, tum quia ex 5. Metaphysicæ patet conditionem

ditionem elementi esse, vt sit primum; tum insuper, quia minus proprie elementum diuiditur in primum, & non primum, quàm causa & principium; tum demum, quia denotatur per vocem vsque, & per id quod dixit de causis & Principijs. Hæc eadem sententia & regula enunciatur ab Aristotele in secundo Physic. 27. & 38. dum inquit oportere semper causam primam noscere; & sub initio octaui Metaphysicæ, nec non in primo Posteriorum patefaciens demonstrationem constare ex primis in demonstrabilibus. Patet Naturali quoque scientiæ ea primum definire enitẽdum esse, quæ sunt circa principia.

*Pars tertia*

Hæc est pars tertia, & est consequens non proximum, sed secundarium, vt dixi, in quo Philosophus id quod vniuerse de omni Methodo enunciauit, colligit esse seruandum in Scientia Naturali, & ait enitendum esse, vt indicet suam curam, nec non difficultatem & necessitatem cognitionis eorum; cum enim sint difficilia, & cognitu necessaria, enitendum pro viribus est ea explicare. Et hæc pro verborum explicatione,

## *Caput Difficultatum.*

*Prima dubitatio.*

VT pertinentia ad hunc primum contextum reddantur clariora, difficultates variæ se offerunt diluendæ; prima est, cum confirmatio, & consequens debeant respondere antecedenti, & Arist. in antecedente assumpsit principia, causas, & Elementa, eaque protulit cum disiunctione cur in confirmatione prætermisit disiunctionem, & in consequente solum de principijs collegit primo esse agendum? præterea in antecedente non assumpsit prima, quod addidit in confirmatione, quare antecedens, confirmatio, & consequens non videntur sibi mutuo respondere.

*Solutio.*

Respondeo hæc omnia iure optimo fuisse facta; nam Philosophus in antecedente loquitur cum disiunctione, quę etiam in confirmatione subintelligitur; tunc enim putamus cognoscere vnumquodque, supple cuius sunt principia, aut causæ, aut Elementa, cum loquendo de causis nouerimus primas; similiter de principijs, & Elementis: insuper non debuit disiunctionem repetere, quia per eam hoc denotauerat, quod de quouis loquamur, semper sententia sit vera; ideo in comprobatione absolute debuit loqui: In antecedente non debuit addere prima, sed in confirmatione; tum quia in ea tenebatur distinctius loqui; tum insuper quia tenebatur regulam tradere & patefacere quid esset illud, ex cuius cognitione cõsurgeret distincta & exacta cognitio rei. In consequente solũ colligit primo esse agendum de principijs, quia colligit id, quod instituto suo inseruiebat, & quod verum est de omni, etiam colligi potest de parte sub eo contenta; & colligens de principijs indicat similiter id colligi posse de causis, & elementis, dum fiunt alię comparationes.

*Secunda dubitatio.*

Dubitatur secundo, cum Philosophus dicat tũc nos putare cognoscere vnumquodq; cum causas nouerimus, num rei cognitio & cognitio causæ sint idem?

*Solutio.*

Respondeo, vel loquimur de cognitione rei per demonstrationem, vel de cognitione definiti per definitionem: si loquimur de primo, dico esse idem originaliter, & per modum causæ, non absolute & secundum formam; ostendo; nam vt se habet de ipso esse rei, ita de eius cognitione; causa quæ est medium demonstrationis non est ipsum esse affectionis, quæ demonstratur, sed solum causa eius, vt patet de Eclypsi, & terræ interpositione; quare similiter cognitio causæ non est cognitio affectionis, nisi originaliter, & per modum causæ; hinc Auer. in secundo Post. cont. 38. ait medium non esse partem essentiæ rei, quæ ostenditur: Si autem loquimur de cognitione definiti per definitionẽ, quia definitio est explicatio essentiæ definiti, & ab eo solum distinguitur ratione, ideo cognitio definitionis est formaliter cognitio definiti solum ratione seiuncta, non secus ac distinctum seiungitur a confuso.

*Tertia dubitatio.*

Dubitatur tertio, an materia sit principium cognitionis: Arist. hoc in loco & alibi id affirmat, cum dicat rem non cognosci nisi notis principijs, causis, & Elementis; & sæpe asserit Physica definiri per materiam; & in

secundo

secundo Post. inquit omnem causam posse esse medium demonstrationis: Ex aduerso, cum materia ex se sit ignota, & actus sit ratio intelligendi, & cognoscendi, & per materiam res dicantur fieri, per formam autem esse, vt inquit Themistius sub initio secundi de Anima, & patet ex earum definitionibus ab Arist. traditis, nam materia dicitur ex quo fit aliquid, forma vero quod sit id, quod res est, cuncta autem vt se habent ad esse, ita ad cognitionem. Zimara in Tabula cap. de principijs negat materiam primam esse principium essendi, ex aduerso Theor. 85. ait esse principium essendi, non autem cognoscendi; dicamus difficultatem ex æquiuocatione ortum ducere; nã esse principium, per quod res est, intelligi potest dupliciter, vel ita, vt id principium sit propria rei essentia, & id quod res est, & hoc competit soli formæ, vel ita, vt id principiũ conspiret in suo genere ad constitutionem, & esse rei; & ita omne genus causæ est principium per quod res est, & cognitionis; & materia, præter hoc, etiam est pars rei. Hinc Arist. in primo Phy. loquens de materia & forma ait esse principia, per quæ res per se fiunt, & sunt. De cognitione autem per materiam tria enuncio; primũ est, quod materia non est prima origo, principaleque principium cognitionis, id enim competit actui, non potestati; Alterum est, materia cum fuerit inuenta, & per aliud modo ei consentaneo nota, est proprium principium cognitionis affectionum ex ea prodeuntium, veluti quod nõ valeat seorsum subsistere, quod vnius ortus sit alterius interitus, quod omne genitum necessario pereat, quod composita ex ea sint contingentiæ & varietati obnoxia & similia: nam interrogati cur hæc rebus competant, respondemus ob conditionem materiæ, & quia ex materia constant: Tertium est, Materia vnà cum forma valet cõpositum manifestare; ea enim quamuis non sit pars essentiæ sumptæ in prima significatione, est tamen pars eius sumptæ in secunda significatione: hinc accipitur in compositorum definitione, tanquam vehiculum principalioris essentiæ, vt legitur in calce secundi Phy. Dubitatur quarto an pro exacta rei cognitione sit necessarium noscere causas oẽs: ex vna parte non videtur necessariũ, quia definitur scire quod sit cognoscere causam, propter quam res est, non autem quod sit cognoscere causas omnes: Insuper demostratio perfecta parit scientiam perfectam, quæ tamen non constat ex omni, sed ex vna causa. Ex aduerso Philosophus hoc in loco nec non in secundo Phy. 27. & 72. & in 8. Metaphysicæ cont. 12. & in secundo de ortu & interitu asserit cognoscendas esse causas omnes, & principia, & propterea inquit, si ea essent infinita, non possemus de rebus assequi scientiam; & confirmatur ratione, quoniam vt res se habent ad esse, ita ad cognitionem; sunt per causas omnes, igitur per omnes cognoscuntur; & nisi notæ sint omnes, animus scientiæ cupidus non acquiescit; Pro responsione dico vel loquimur de exacta adeptione alicuius vniuersæ Methodi, vel de cognitione partium eius: Si de prima, proculdubio est necesse cognoscere causas omnes, & principia eius; idque fit per varias definitiones, & demonstrationes, & de hac sermo est in præsenti contextu: Si vero loquimur de cognitione partis, veluti hominis siue albedinis, vel rem illam cupimus noscere absolute, & quauis consideratione, vel consideratione aliqua contracta & limitata: si absolute, etiam absolute tenemur cognoscere omnes causas, & principia eius cum proxima, tum remota, nã proxima non cognoscuntur distincte, sine notitia precedentium; si vero cupimus rem illam cognoscere cognitione aliqua limitata, puta quatenus est corpus Physicum, tunc tenemur noscere causas omnes ei competentes, vt corpus Physicum est; qua consideratione Natura est eius primum principium. Insuper vel rem illam cupimus noscere cognitione Simplici, cognoscendo per definitionem quid est, vel complexa cognoscendo per demonstrationem propter quid, vel simul vtrunque; si primum, tunc definitio contradistincta a demonstratione resoluit definitum in sua interna principia, & Elementa, & præsertim in formam; si secundum, id fit per demonstrationem, cuius medium est causa affectionis, & extra quid est eius, vt inquit Auer. in secundo Post. 38. At dum cupimus simul noscere & quid, & propter quid, quod competit no-

*Solutio.*

*Tres Theses.*

*Quarta dubitatio.*

*Solutio.*

bis per definitionem sola partium positione distinctam a demonstratione, tunc rem
cognoscimus per causas omnes cum internas, tum externas, vt exemplo definitionis
iræ in proœmio de Anima patefecit Philosophus. At oritur dubitatio, quia dixi de- *Dubitatio.*
monstrationem constare ex causis externis, quod videtur falsum, tum quia forma est
medium potissimum, tum insuper quia omne genus causæ valet esse medium, vt legi-
tur in secundo Post. Respondeo ea forma, quæ est medium potissimum, est forma su- *Solutio.*
biecti declarans quid subiecti, quæ dum refertur ad affectionem, quæ ostenditur, est
principium ex quo ea fluit, non autem essentia & forma eius: & dum additur, quod
omne genus causæ valet esse medium, respondeo posse quidem esse medium, at non
cuiuslibet, & pro quolibet demonstrando; alioquin vel ea non est proprie demon-
stratio, vel materia & forma accipiuntur vt principia, ex quibus affectio fluit, non au-
tem tanquam pars essentiæ affectionis, vt accidit, dum materia sumitur pro medio ad
ostẽdendas affectiones ex eius cõditione prodeuntes. At de his latius loqui ad Logi-
cum pertinet. Dubitatur quinto, cum pro exacta rerum notitia requiratur cognitio *Dubitatio*
causarum omnium, cum internarum tum externarum, quæ causę magis pariant scien- *quinta.*
tiam, num internæ vel externæ? Respondeo causas internas explicare quid, externas *Solutio.*
vero propter quid; & dum inuicem comparantur definitio explicans quid, & tradens
propter quid, hæc est principium cognitionis alterius, ea vero est conclusio & propte-
rea absolute hęc, quæ est per externa magis parit scientiam, quia propter quod vnum-
quodque, & illud magis; hinc quia externę eminentiori modo sunt causæ, absolute
nuncupantur causæ; internę vero concausæ: & Deus causa eminentissima non dici-
tur materia & forma rerum, sed finis & efficiens; & dum definitur scire quod sit cau-
sam cognoscere, propter quam res est, & quod sit cognoscere causam primã, ea præser-
tim per relationem ad id, quod ostenditur, externa est, vt in secundo Phy. 38. declara-
tur exemplo artis ædificandi, quę est causa prima ædificiorum; sic etiam dum pure
consideratur quid res sit, non considerantur causę externæ; at dum consideratur rei
generatio, & motus, externæ causæ perquiruntur, vt asserit Arist. septimo Metaphysi-
cæ 59. Sexta dubitatio est, num in omni ordine siue compositionis, siue resolutionis; *Dubitatio*
primo sint declaranda principia. Inquiunt nonnulli hoc in resolutione non esse ser- *sexta.*
uandum, sed solum in compositione; nam componentes ordimur a principijs, resol- *Opinio quo-*
uentes vero a fine; & hoc ex eo patet, quia compositio & resolutio inuicem oppo- *rundam.*
nuntur; quare si componentes ordimur a principijs, cogimur resoluentes non ab eis,
sed ab opposito ordiri; Ex quo colligunt scientias non secus ac per compositionem
tradi posse, cum pro scientia fit necessarium primo declarare principia, ex quibus cæ-
tera componuntur, Artes vero solum tradi per resolutionem, cum tradantur ex præ-
notione finis: & cum Aristot. inquit Methodos non addisci, nisi ex prænotione prin-
cipiorum, aiunt nomine Methodi solum denotare scientias inspectrices, non autem
Artes. Hæc opinio quam longe absit a vero in introductione ad sciẽtiam de Moribus, *Euersio.*
nec non in Comite Politico latissime patefeci: Nam omnis ordo ex sui definitione in-
cludit relationem ad vnum primum, quod primum dicitur principium illius ordinis,
a quo ordiendum est: primum autem est duplex, vt sæpe diuidit Arist. vnum origine,
alterum instituto & appetitione; In compositione ordimur a primo origine, in reso-
lutione a primo secundum institutum, quod primum finis est; hinc Arist. in primo Ni
comachiorum ait, finem & summum bonum esse principium: sic itaque cum compo-
sitio opponatur resolutioni, & in compositione ordiamur a primis secundum originẽ,
in resolutione ordimur a primis eis oppositis, quæ sunt prima secundum institutum; *Septima du*
de quibus dicitur quod prima secundum institutum, origine sunt postrema. Septima *bitatio.*
dubitatio est, quia Arist. videtur diminutus: nam tenebatur ostendere scientię de Na
tura competere principia, quod non fecit, sed dixit in ea primo consideranda esse prin
cipia, & non patefecit ei principia competere; & præsertim id ostendere tenebatur, *Porphy-*
quia cum conditione protulit antecedens, inquiens quarũ sunt principia. Porphyrius *rius.*

(referente Simplicio) respondet id non fuisse ostensum, quia nullus Artifex ostendit, sed supponit suo subiecto competere Principia: Id ipsum censuit Alexander, vt colligitur ex Auer. 12. Metaphysicæ cont. 5. nec non Auic. hinc Aristoteles in hoc primo Physic. cont. 8. inquit non attinere ad Physicum disserere aduersus negantes principia eius. 

*Theophrastus.*

Ex aduerso Theophrastus, in principio suorum Naturalium ostendit corpori Physico competere Principia, quia compositum est: cum Theophrasto est Auer. in calce huius libri, inquiens aduersus Auicennam a solo Physico posse ostendi corpus Physicum constare ex materia & forma, cum id sola transmutatione fieri valeat, quæ ad Physicum pertinet. 

*Simplicius.*

Simplicius hac de re summopere est perplexus, nam sub initio primi cont. inquit teneri quemlibet Artificem ostendere subiectum suum ex Elementis constare, at quam vim vnumquodque elementum habeat superioris esse Artificis, veluti Musici vim literarum ostendere, & Metaphysici vim Naturalium principiorum; ideo Physicus ait, materiam per analogiam cognosci, quam primus Philosophus per causam demonstrat; insuper addit quod quidem sint rerum naturalium Principia, vniuersa de Natura disputatio demonstrat: In expositione autem sexti cont. inquit, quot & quæ sint principia ab Aristotele non indagari, sed ad superiorem Artificẽ pertinere, & in calce lib. inquit, Aristoteles tanquam manifestum assumpsit principia rerum naturalium esse, seruans limites, quos Naturali egredi non licet; sic conspicue secum pugnat, & varia profert satis dubia, veluti quod Metaphysicus per causam ostendat primam materiam, cum tamen Metaphysicus dicat eam esse ignotam, & cognosci per negationem: similiter dum Physicus per analogiam declarat primam materiam, non patefacit eam esse, sed quid sit, eliciens circumscriptionem analogicam, ex qua Aristoteles eo loci colligit se declarasse; quid sit materia: similiter a vero abest, quod profert in cont. sexto inquiens, Aristotelem nunquam indagare quot, & quæ sint principia, cum conspicue id faciat in primo Phy, vt ipsemet alibi fatetur: 

*Solutio propria.*

Propterea dimisso Simplicio, dicamus Principia esse duplicia, quædam cognitionis tantum, alia cognitionis & essentiæ: Prima sunt principia ex parte nostri, vt in scientia de natura, motum esse, & ea quæ sunt esse multa; Alia sunt principia absolute; Si de primis loquimur, ea nequeunt in scientia ostendi, tũ quia ex se constant, tum insuper, quia si possent ostendi, non essent absolute principia cognitionis; adeo vt sit necesse vel deuenire ad prima ex se conspicua, vel dari progressum in infinitum, quod fieri nequit. Animaduertendum tamen est, quod quamuis non valeamus ostendere ea principia esse vera, valemus tamen inquirere causam, & propter quid eorum, vt patet de motu, & multitudine rerum; At si loquimur de Principijs rei, de illis varia quærere valemus, & præsertim an subiecto absolute principia competant; insuper quot, quæ, & quid ea sint: si de primo loquimur, profecto supponitur in scientia subiecto competere principia, hæc enim est conditio subiecti totius scientiæ, vt sit præditum principijs; hæc est sententia Aristotelis in 8. cont. dicentis Geometram non disputare aduersus negantes sua principia; & confundebat eo loci Philosophus principia scientiæ cum principijs rei, quia vere principia scientiæ, etiam sunt principia rei; & confirmatur, quia omnis habitus Mentis ratione formatus, præditus est principijs, vt asseritur sub initio sexti Metaphysicæ, omnis autem scientia est habitus mentis ratione formatus, quare &c. Si vero loquimur de cæteris, & quærimus an subiecto cõpetat hoc, vel illud principium, & quot, & quæ, & quid sint, puto hæc posse ostendi, non quidem per priora, cum in ea scientia illis careant, sed per posteriora, & posse colligi ex sensu notis. hinc Aristoteles in primo Nicomachiorum cap. 7. ait principiorum alia inductione cognoscuntur, nonnulla sensu, quædam consuetudine, aliaque aliter; similiter in hoc primo Physic. dicet, ex omnibus quæ fiunt colligi materiam necessariam esse pro rerum generatione, sic Aristoteles in Physicis patefacit quot, & quæ sint principia corporis naturalis, non autem ostendit corpori Physico competere principia, nisi ex euentu, reijciendo falsas veterum opiniones euertentes principia, & si eueniat, vt id ostendatur, & fiat

per

per priora, dicendum est ea recipi ex superiore scientia. Ex his varia scitu digna elicere valemus; primum est, quod iure Aristoteles non patefecit corpori Physico competere principia, sed supposuit; Alterum est opinionem Porphyrij, Alexandri, & Auicennæ hac consideratione verissimam esse, nempe non posse per se ostendi subiecto competere principia; Colligo tertio sententiam Theophrasti recte perceptam a vero non abesse; nam dixit. At qui principia rerum naturalium esse, constat ex eo, quia corpora naturalia composita sunt; conspicue dixit id constare, nam in Syllogismo hypothetico per naturam, si antecedens sequitur consequens, antecedens cum modo sequitur consequens cum eodem modo, vt recte patefecit Auer. in primo Priorum loquens de Syllogismo hypothetico per naturam; adeo vt dicere valeamus si Physica sunt composita, prædita sunt principijs; antecedens est ex se notum, quare & consequens: ex quo patet decipi nonnullos Theophrastum damnantes, quia dixit principia ostendi per composita; nam conspicue affirmauit constare, quod dentur, vt patefeci: Verum adhuc ei obijciunt, quia Aristoteles in progressu huius libri, per principia, quę sunt materia & forma, ostendit ea, quæ generantur esse composita, non autem vice versa. Respondeo Aristotelem ex inspectione & resolutione compositorum colligere materiam & formam esse principia rerum, mox per regressum assignare causam, & propter quid ea, quæ gignuntur, sint composita. Dubitatur octauo, quoniam Aristoteles colligit primo agendum esse de principijs, & non declarat quid denotet nomine principij, adeo vt in eum labatur errorem, in quem in cōt. 23. ait lapsos fuisse veteres, qui dixerunt ingenitum carere principio, & non explicarunt in qua significatione vterentur nomine Principij. Respondeo cum Auerroe in primo Post. 74. aliud esse vti voce æquiuoca, & ea vti æquiuoce; licet Philosopho vti voce æquiuoca, dummodo ea non vtatur æquiuoce, hoc est in varia significatione, pro principio & conclusione, vt fecere veteres, colligentes ingenitum esse infinitum ex eo, quia caret principio: At Aristoteles semper in eadem significatione in hoc cont. vtitur nomine principij, in ea nimirum significatione, in qua veteres eo vtebantur, vt affirmat in cont. 48. & exacte quid principij nomine denotet patefacit declarando quot, & quæ sint principia. Dubitatur nono, quia Philosophus non videtur seruare præcepta sua; docet in 3. Rhetoricorū hanc vnam esse conditionem propriam procemij, vt proponatur id, de quo est agendum; cum autem corpus Physicum sit subiectum, & de eo sit agendum, principia autem considerentur in gratiam eius, tenebatur Philosophus in procemio proponere explicandum quid sit corpus Physicum. Soluitur hæc dubitatio per duo fundamenta; primum est, quod Aristoteles hoc supposuit, vt notum ex inscriptione, & ex eo, quod seruarunt veteres Physici de corpore naturali differentes: Alterum est quia Aristoteles id proposuit facultate & virtute; cum enim corpus Physicum elucescat ex notitia principiorum eius, Philosophus proponens primo agendum de principijs, facultate & virtute proposuit agendum de corpore Physico; hinc in secundo Physic. cont. 4. ex declaratione formæ & materiæ, quæ sunt naturæ, colligit descriptionem corporis Physici, quod dicitur præditum natura. Dubitatur decimo, num omnis Methodus sit prędita principijs, causis, & elementis: Philoponus id negat, inquiēs Rhetoricam, & Dialecticam carere principijs proprijs, & propterea vti alienis: Vicomercatus ait, Methodos, in quibus res vel tantum diuiduntur, vel definiuntur, destitutas esse Principijs: Ex aduerso Simplicius, omni Methodo ea competere affirmat; idq; colligit ex definitione Methodi tradita ab Alexandro, quæ est, Methodum esse habitum inspectricem cum ratione eorum, quæ ad ipsam pertinent, ratio autem ex principijs constat: Confirmatur authoritate Philosophi in sexto, & in 11. Metaphysicæ dicentis, est aliqua sanitatis, bonęque habitudinis causa: Mathematicorum quoque sunt Principia, causæ, & Elementa, & absolute omnis rationalis scientia, siue modo aliquo διανοια, hoc est rationis particeps, circa causas, & principia, aut certiora, aut simplicio ra versatur, & c. Id ipsum nomen Methodi patefacit, denotat enim rectam docendi rationem,

*Tria colliguntur.*

*Defenditur Theophrastus.*

*Instantia.*

*Solutio.*

*Octaua dubitatio.*

*Solutio.*

*Nona dubitatio.*

*Solutio.*

*Decima dubitatio.*

tionem, siue progressum ad finem per viam recte, riteque dispositam; quæ sine principijs seruari nequeunt. Propterea respondens dico Methodum vsurpari vel pro vniuersa aliqua disciplina, vel pro parte; si vsurpatur pro vniuersa, ei necessario competunt principia, tum quia est de subiecto aliquo, cui competunt principia, tum insuper quia traditur, vel ordine compositionis, vel resolutionis, qui præditi sunt principijs suis; si autem vsurpatur pro parte, dico eam necessario esse præditam principijs nisi rei, saltem cognitionis; omnis enim progressus, in quo vnum per aliud declaratur, includit principia saltem cognitionis; omnis Methodus est huiusmodi, quare &c. nam per hóc Methodus distinguitur ab ordine, quia in ordine post vnum declaratur aliud, in Methodo vero per vnum declaratur aliud; & hoc denotauit Arist. in 6. Metaphysicæ inquiens omnem disciplinam rationis participem versari circa causas, & principia, vel certiora, vel simpliciora: certiora sunt principia cognitionis, simpliciora vero rei. *Solutio,*

*Instantia.* At dubitatur, quia datur Methodus de primo principio, cuius fit mentio in 8. Physic. cont. 3. cui tamen principia non competunt; Respódeo primo principio, nempe Deo, competere principia cognitionis ex parte nostri; Insuper addo Aristotelem eo loci denotasse Metaphysicã, cui procul dubio principia competunt. At instatur adhuc, quia si omnis Methodus est prædita principijs, inaniter Aristoteles addit, quarum sunt principia, &c. respondeo Aristotelem per principia denotare principia rei, & quia dantur Methodi de principijs per notiora nobis, ideo iure illud addidit; Instantia sumpta ex Rhetorica, & Dialectica inanis est; quoniam hæ disciplinæ dupliciter considerari possunt, primo vt Methodi explicantes pertinentia ad eas, secundo vt eis vtimur: Philoponus eas considerauit secundo modo, qui ad rem non facit; At dum primo modo considerantur, præditæ sunt principijs suis, ex quibus pendent, vt Dialectica principiorum loco considerat genera problematum, genera propositionum, & alia declarata ab Aristotele in primo Topicorum; Rhetorica quoque prædita est principijs suis, qualia sunt genus deliberatiuum, ostensiuum, & iudiciale; insuper alia multa, quæ recipit partim a Logico, partim a Ciuili, ideo ex vtrisque dicitur conflata. Id quod addebatur de Methodis, quæ vel solum definiunt, vel solum diuidunt, nullius est roboris; tum quia non sunt integræ Methodi, sed partes alicuius vniuersæ disciplinæ; tum insuper, quia præditæ sunt principijs. Definitio enim resoluit in principia, & ex principijs constat. Diuisio vero orditur a genere, per differentias, quæ sunt principia specierum. *Solutio, Instantia, Solutio,*

*Vndecima dubitatio.* Vndecima & postrema dubitatio est, num hoc proœmium sit commune vniuersæ Naturali Philosophiæ, vel saltem sit commune octo libris Physicorum, vel sit proprium partis eorum, & cuius partis. Apparet rationi consentaneum id debere esse commune, quia statim in principio scientiæ commune proœmium est proponendum, vt ad vniuersam scientiam paremur, ad eamque dirigamur; hinc nonnulli aiunt, hoc esse proœmium commune, in eoque ordinem patefieri in vniuersa scientia seruandũ: Ex aduerso hoc proœmium videtur esse proprium primi libri, quia officium proœmij est proponere id de quo est agendũ; at Aristoteles proponit primo agendum de principijs, de quibus in hoc primo libro differitur; & confirmatur, quia proœmio respondet Epilogus, tanquam finis, at Aristoteles in calce primi libri Epilogo colligit se de principijs egisse: Propterea soluens dico Proœmiũ hoc proprie inseruire primo libro, proxime deinde etiam secundo, per consecutionem autẽ, & facultate quadam, vniuersæ naturali scientiæ. Proprie inseruit primo libro, quia proprie proponitur primo agendum de Principijs, de quibus in calce libri epilogo colligitur actum esse; proxime inseruit etiam secundo, quia etiam de Elementis, & causis fit mentio, de quibus in secundo agitur; hinc ambo hi libri inscribuntur de principijs, & in principio tertij libri, nouo proœmio Philosophus de communibus affectionibus proponit agendum: demum per consecutionem, & facultate inseruit vniuersæ naturali scientiæ; tum quia communia principia facultate sunt omnia, tum insuper quia proponens agendum de principijs, facultate & virtute proponit agendum de corpore Physico, cuius sunt principia, *Solutio.*

cipia,

cipia,& in cuius gratiam ea declarantur; tum demum quia patefaciens ordinem, & viam cognoſcendi principia, nos parat ad vniuerſam naturalem ſcientiam: partes autem conſiderandæ in partibus naturalis ſcientiæ, accommodatius proponuntur in principio primi de Cœlo, quia tunc ad magis propria, & partes incipit Philoſophus deſcendere. Varia, quæ dicuntur ab Auerroe, non diſtinctè perpendam, quia Ariſtotelem mihi explicandum propoſui, quod libere efficiam,nec alicui expoſitori addictus ero.

*INSITA autem eſt ex notioribus nobis via & manifeſtioribus, ad notiora, & manifeſtiora natura; Non enim eadem ſunt nobis nota & ſimpliciter; Propterea neceſſe hunc in modum progredi ex his, quæ Natura minus ſunt manifeſta, nobis autem manifeſtiora, ad manifeſtiora Natura & notiora.* *Cont.2.*

PROPOSVIT Philoſophus primo agendum de principijs; & quia aſſeruerat prædita principijs cognoſci per principia, principiorum autem non ſunt principia,ideo dubitatio occurrit, quomodo a nobis cognoſci debeant; Propterea inſtitutum Philoſophi eſt viam patefacere cognoſcendi principia. Ex quo patet ratio inſtituti, & connexio huius contextus cum antecedenti; Diuiditur præſens cont.in tres partes; in prima proponitur via cognoſcendi principia; in ſecunda diluitur obiectio quædam; in tertia colligitur quomodo per eam viam progredi debeamus in notitiam principiorum. Vt pertinet ad primam partem,inquit,Inſitam eſſe viam ex notioribus nobis ad ea, quæ ſui natura ſunt notiora; & quoniam poſſet quiſpiam putare eadem eſſe nobis, & natura nota,ideo hoc reijciens inquit in ſecunda parte, non enim eadem ſunt nobis nota & natura, quaſi dicat, iure id dictum eſſe, quia non eadem ſunt nota nobis & ſimpliciter,hoc eſt natura; ex qua via in tertia parte colligit progrediendum eſſe pro notitia principiorum ex notioribus nobis,naturæ autem minus manifeſtis, ad principia, quæ ſunt manifeſtiora natura,& notiora. Conſidero primo iure Ariſt. dicere per naturam nobis inſitum eſſe: nam quod progrediamur per notiora nobis, non ex aſſuetudine, nec ex diſciplina aliqua pendet, ſed ex natura; ideo hoc competit omnibus. *Primo conſiderandũ.* Conſidero ſecundo, quod inquit via, denotando Methodum, & progreſſum noſtræ cognitionis; quæ via diſtincta eſt ab ordine: in via enim per vnum noſcitur aliud, in ordine vero poſt vnum,declaratur aliud. *Secundo.* Conſidero tertio rationem huius viæ; cum enim a nobis per vnum debeat noſci aliud,illud vel magis, vel æque latet, vel eſt notius; ſi magis vel æque latet, non valet aliud illuſtrare & patefacere; nil enim agit vltra proprium gradum,& propterea eſt neceſſe,vt nobis addiſcentibus ſit notius; hinc dicitur in primo Poſt.propter quod vnumquodque, illud magis eſt; eandem viã frequenter alibi patefecit Ariſt.veluti in primo Nicomachiorum cap.4.in 7.Metaphyſicæ cont.10.in 5.Metaphyſicę cont.primo in calce ſecundi Poſt.& alibi.Eandem ſæpe approbauit Auer. & præſertim tertio de Cœlo 35.primo Poſt.95.& 96. Plato quoq; frequenter eam protulit,vt in Sophiſta,& in ſexto de Repub.& ob id in Epiſtolis aſſeruit aſcendendum eſſe a nomine ad rationem, a ratione ad ſimulacra, ab his ad ſcientiam, & a ſcientia ad Intelligentiam, & Ideas; Cætera attinentia ad verba præſentis contextus ex dictis ſunt conſpicua. *Tertio.*

## *Caput Dubitationum.*

EX verbis Philosophi variæ prodeunt difficultates: ego potiores proponam & singulatim diluã. Dubitatur primo, quia Philosophus id facit, quod ad eum non pertinet; nam tradere Methodum addiscendi, non Philosophi, sed Logici officium est. Respódeo minus esse Logici huius modi regulas solum tradere vniuerse, Singularum autem scientiarum officium deinde est, communes illas regulas contrahere, & ad proprium institutum referre; idque efficiunt non habitu illius scientiæ, sed Pædia, siue congruente institutione, qua instructi ad scientias accedere debemus. At hac difficultate soluta, quinque aliæ inuicem iunctæ diluendæ se offerunt: prima est an ea sententia; quod insita nobis via sit ex notioribus, sit vera de sola via, vel etiam sit vera de ordine; Altera est, an ea sit Methodus vniuersalis, seruanda in omnium cognitione, vel tantum in cognitione principiorum: tertia an ea regula vera sit de omni Methodo cognoscendi: quarta quid sit notius natura, notiusque nobis; quinta an eadem valeant esse nobis & natura notiora. Ordiens a prima existimat D. Thomas regulam illam de ordine quoque veram esse, & putat Arist. in his quatuor contextibus de solo ordine verba facere. Auer. quoque eam esse veram de ordine opinatur; ideo in quarto cont. putat Arist. ex ea colligere pertinentia ad ordinem, & inter causas tres, ob quas ait primo declaranda communia, hanc refert, quia sint nobis notiora. Arist. quoque nonnunquam a facilioribus ait esse ordiendum. Hanc sententiam ab Arist. decretis, & a vero puto esse alienissimam; Primo quia quotiescunque Arist. eam regulam profert, semper de via, nunquam de ordine loquitur, vt redditur notum perpendentibus singula loca in expositione relata: Insuper hoc constat ex verbis præsentis contextus, inquit enim insitam esse viam ex notioribus nobis, ait viam, non ordinem; insuper cum dicat per notiora nobis noscenda esse obscura, conspicue id profert quod ad viam, non ad ordinem pertinet; similiter dum in 3. cont. inquit Philosophus diuidentibus confusa reddi nota principia & Elementa, manifestat pertinentia ad viam; Nam alia est ratio viæ siue Methodi, alia ordinis; pro via requiritur, vt progrediamur per notiora nobis, quia ex vno aliud elucescere debet; non autem sic se habet de ordine, in quo non vnum per aliud, sed vnum post aliud declaratur. Hinc dum Philosophus tradit rationem ordinis non hanc, sed duas alias præsertim affert; vna est quia scientiæ sunt imitatio rerum, ideo ordo scientiarum ex naturæ ordine sumendus est, propterea in primo Physi. 57. dixit, est enim secundum naturam, vt communia primo dicamus; Ex hac principali ratione pendet altera, quæ est, quia res vt se habent ad esse, ita ad distinctam cognitionẽ, propterea principia & communia primo sunt declaranda, quia absque eorum notitia cætera cognosci nequeunt, vt dicitur in primo cont. huius libri, & in sexto Top. cap. 3. Id ipsum efficacissima ratione confirmatur; nam si ordiendum esset a nobis notioribus, nequaquam ordiendum esset a primis principijs: principia enim quo priora & simpliciora sunt, eo nobis sunt obscuriora, vt in hoc cont. inquit Philosophus: dicere igitur principia primo esse declaranda, & ordiendum esse a notioribus nobis, conspicue inuicem pugnant; Insuper si a nobis notioribus ordiendum esset, primo fuissent declarandæ communes affectiones, non communia principia, cum illæ sint nobis notiores. At respondent nonnulli, & aiunt ordiendum esse a nobis notioribus notitia distincta, non confusa: Qui cum hoc dicant, indicant se non percipere vim verborum; nam dum quæritur an pro recto ordine sequi teneamur Naturam, vel nostrũ cognoscendi modum, proculdubio per nostrum cognoscendi modum, contradistinctum a priore natura, solum intelligimus propinquiora sensibus, vt ait Arist. in primo Post. quæ sunt prius nobis nota confuse; nam ea, quæ sunt prius nota distincte, non dicuntur notiora nobis, nec contradistinguuntur ab eis, quæ sunt priora & notiora natura.

*Prima dubitatio.* *Solutio.* *Altera dubitatio.* *Dubitatio.* *Dubitatio.* *Dubitatio.* *Dubitatio.* *De prima opinio D. Thomæ.* *Auer.* *Aristot.* *Euersio.* *Solutio quorundam.* *Euersio.*

natura. Confirmatur, quia conspicue Philosophus hoc in loco per notiora nobis denotat prius nota confuse, cum per ea dicat noscenda esse principia remotissima a nobis, per quæ sola mox cognoscuntur distincte. Colligamus itaque, dum Arist. absolute ait insitam esse viam ex notioribus nobis, semper de via loqui, non de ordine, & si nonnunquam inquit aliquid prius esse declarandum, quia est nobis notius, vt dum ait partes humani corporis prius esse declarandas partibus iumentorum; duo sunt animaduertenda; primum est quia Aristot. eo loci pro ratione etiam addit id esse faciendum ob præstantiam hominis, præstantius autem absolute dicitur natura prius, vt patet ex 8. Phy. & secundo de Cœlo; Alterum est, quia inter huiusmodi partes non est ordo essentialis, adeo vt notitia vnius sit necessaria pro notitia alterius. Ex his colligo minus recte D. Thomam putasse a secundo cont. vsque ad quintum sermonem esse de solo ordine; similiter errasse Auer. existimantem in quarto cont. colligi pertinentia ad ordinem; cum enim cuncta, quæ in his contextibus dicuntur, pendeant ex regula tradita in hoc secundo cont. & ea tantum sit vera de via, siue Methodo, non de ordine, cuncta ad solam viam, non ad ordinem sunt referenda. Altera dubitatio erat, num ea regula, quod insita via sit ex notioribus nobis, vera sit de omni nostra cognitione, vel solum de cognitione principiorum; cui breuibus respondens dico; si regula absolute hunc in modum proferatur, quod insita sit via ex notioribus nobis, ea absolute vera est de cognitione cum principiorum, tum cæterorum; at si profertur vt in hoc cont. profertur ab Arist. ea solū est vera de cognitione principiorum; nam inquit Philosophus, insitam esse viam ex ignotioribus natura, nobis autem notioribus, ad ignotiora nobis, notiora natura; quod solum seruatur, dum per signa, effecta & posteriora eleuamur in notitiam principiorum: in Mathematicis autem, & in ostensione propter quid, hoc non seruatur, vt conspicuum est. Dubitabatur tertio de veritate regulæ absolute prolatæ, num scilicet semper progrediamur per notiora nobis; Nam tria sunt, quæ pariunt difficultatem: primum attinet ad definitionem, quæ non per notiora nobis, sed solum per notiora natura patefacit definitum; res enim definita est nobis notior secundum nomen, quam secundum definitionem, vt docet Philosophus in 5. cont. Alterum pertinet ad ostensionem propter quid tantum, quæ progreditur per principia solum notiora natura, non autem nobis, vt conspicuum est. Tertium, quod parit difficultatem, est diuisio & compositio, quæ cum ducant per opposita, si vna ducit per notiora nobis, altera id faciet per opposita. Hæ sunt difficultates non leues; de quarum prima attinente ad definitionem Inquiunt nonnulli definitionem non esse Methodum, qua aliud declaretur, sed esse rem latentem Methodo indagandam; hinc Arist. in proœmio de Anima cont. 4. & 5. inquirit an vna eademque Methodo rerum omnium indagentur definitiones, vel potius distincta; & in calce secundi Post. tradit Methodum indagandi definitiones per notiora nobis; & ea definitio quæ explicat quid res sit, quæ proprie est definitio, etiam est conclusio demonstrationis & declaratur per alteram explicantem causam eius, & propter quid. Similiter etiā inter genera problematum dissoluendorum & explicandorum numeratur problema de definitione, Quod ratione satis cōspicua ostenditur: omnis enim Methodus est ratio, qua ex vno in aliud progredimur, definitio non est ratio, vt conspicuum est; Maior elicitur ex Alexandro & Simplicio, qui Methodum definientes inquiunt, Methodum esse habitum inspectricem siue indagatricem cum ratione; Hanc opinionem cum vero pugnare conspicuum est, vt alibi latius patefeci; nunc autem, vt instituto nostro inseruit, duo profero; primum est, eam regulam, quod insita via sit, ex notioribus nobis, etiam de definitione esse veram; Alterum est, definitionem partim esse, partim non esse Methodum cognoscendi: primum elicitur ex conspicuis verbis Arist. nam in primo Methaphysicæ cont. 48. inquit omnem disciplinam fieri per præcognita, aut omnia, aut quædam, aut per demonstrationem, aut per definitionem; oportet enim ea, ex quibus est definitio, prænoscere, & esse nota; conspicue Philosophus ait definitionem

*Aduersus D. Th.*

*Aduersus Auer.*

*Solutio alterius difficultatis.*

*Solutio tertia.*

*An definitio sit Methodus.*

*Euersio.*

primo noſcimus eſſe cauſarum, mox propter quid effectuũ. Hinc Ariſt. in ſexto Top. cap. 3. inquit nobis iam inſtructis ea eſſe notiora, quæ etiã Naturæ notiora ſunt; quæ quamuis non ſint nobis notiora ſecundum eſſe abſolute, ſunt tamen notiora, vt ſunt cauſæ; & quatenus ſunt notiora, eatenus quæſtionem abſoluunt, adeo vt ſemper inſita ſit via per notiora nobis, Afferebatur demum inſtantia ex compoſitione & diuiſione ſumpta; de quibus dico quod vel non ſunt vere Methodi aliud patefacientes, vel ſi aliud patefaciunt, id efficiunt per notiora nobis; nam compoſitio nos eleuat in inuentionem definitionis generis, vel ſpeciei per notiora nobis, vt in ſecundo Poſt. docet Ariſt. ducit enim per confuſa actu; Diuiſio autem nil oſtendit, vt in ſecundo Poſt. affirmat Ariſt. quæ etiam progreditur per notiora, quatenus ordimur a communiore, quod eſt confuſum poteſtate, & eſt nobis notius facta abſtractione. Quarto loco occurrebat conſiderandum quid intelligere debeamus per notius nobis, & quid per notius natura; Pro ſolutione accipiendum omnem noſtram cognitionem ortum ducere a ſenſu; propterea id iudicari debet notius nobis, quod magis cadit ſub ſenſum; hinc Ariſt. in primo Poſte. id ait eſſe nobis notius, quod ſenſui eſt propinquius, veluti calidũ & frigidum, vt legitur in decimo cont. tertij de Anima; cõſiderandum tamen quod eſſe nobis notius contingit dupliciter vel diſtincte, vel confuſe: hoc indicauit Ariſt. in ſexto Top. cap. 3. inquiens nobis in principio notiora eſſe ſenſilia, inſtructionibus autem factis è contrario; nam ſapiens cum Natura conformatur: dum tamen abſolute fit mentio de notiore nobis, id intelligitur, quod contra diſtinguitur a notiore natura veluti in hoc cont. & eſt primo nobis notum confuſe. Explicato quid ſit notius nobis, ſupereſt explicandum quid ſit notius natura. Proculdubio per natura notius non debemus intelligere notius Deo, cuius Mens dicitur Natura melior & Natura Naturans; nil enim Deo eſt magis, vel minus notum, cum eius cognitio ſit eius eſſentia eminentiſſima & ſimpliciſſima, Neque etiam id ita intelligi debet, vt Natura vel vniuerſalis, vel particularis aliquid prius intelligat; nam agere per Naturam contradiſtinguitur ab agere per cognitionem; neque etiam id intelligi debet cum conditione dicendo, *ſi natura intelligeret*, id primo cognoſceret: Ariſt. enim abſolute loquitur, & *id quod primo* nuncupat notius natura, mox appellat notius ſimpliciter: Inſuper ſi natura cognoſceret, quamuis vt operans ordiretur a principijs, tamen vt cognoſcens & opera dirigens ordiretur a fine. Propterea dicamus aliquid dici Natura notius & prius, quia id abſolute, ſui natura, ſuique conditione ſit tale. hinc Ariſtoteles, quod prius dixit naturæ notius, mox nuncupat notius ſimpliciter, propterea rectius loquimur dicendo notius natura, hoc eſt ſui natura & abſolute quam dicendo notius naturæ, Ariſtoteles tamẽ dixit notius naturæ vtens articulo τῇ vt reſponderet ei, quod dixit notius nobis. At perpendamus modo quid ſit hoc ſui natura & ſimpliciter prius & notius; pro notitia accipiendum inueniri has voces, natura prius, natura notius, prius ratione, notius ratione, prius & notius ſimpliciter, prius eſſentia, prius inſtituto, prius generatione, ſiue origine: quæ voces partim idem denotant, partim diſtinguuntur; nam prius natura eſt duplex, vel ſecundum inſtitutum, vel ſecundum originem; & hæc duo inuicem opponuntur; Natura enim conſideratur dupliciter, vel vt appetens, & ita finis, & perfectius eſt natura prius; vel vt operans, ac ita ſimpliciora ſunt natura priora: hanc diſtinctionem indicauit nobis Ariſtoteles tum in ſeptimo Metaphyſi. 23. tum in tertio de Anima, tum in calce ſecundi Phyſic. ex qua diſtinctione prodit ea regula Primum in intentione, eſt vltimum in executione; Ariſtarchus tamen id conſueuit præſertim dicere natura prius, quod eſt perfectius, & prius ſecundum inſtitutum, & appetitionem, vt etiam in poſtprædicamentis, quod a nobis magis diligitur, dicitur nobis prius & proximius; Sic in primo de Cœlo 12. perfectius nuncupat natura prius, vt etiam in ſecundo de Cœlo 23. in 8. Phyſic. 58. & 75. & in ſecundo de Ortu & Interitu cont. 7. viſum & viſibile, dixit eſſe priora natura, tactu, & tãgibili, cum tamen origine ſint poſtrema, & 9. Metaphyſicæ 15. inquit, Virũ poſteriorem puero, generatione,

*Quarta dubitatio qui d notius nobis.*

*Nobis notius duplex.*

*Notius natura.*

*Quid ſit ſui natura prius.*

*Prius natura duplex.*

tione,natura autem priorem. Similiter in secundo de partibus animalium cap.primo inquit,Sed cum contra in generatione ac in essentia se habeat, quæ enim posteriora sunt generatione, hæc natura sunt priora, & quod est primum Natura, hoc vltimum est generatione; sic materia est prior generatione & origine, forma vero natura & essentia. Et considerandum,quod quamuis perfectius ab Aristotele absolute dicatur natura prius,non tamen ita proprie id semper dicitur natura notius,sed solum dum est principium cognitionis cæterorum; veluti vir est natura prior puero, & visus tactu, non autem notius, nisi minus proprie, cum non sit principium cognitionis aliorum; adeo vt natura prius modo aliquo sit communius,quam natura notius, proprie sumptum; dico proprie, quia late id quod magis appetitur dici potest notius,quatenus primo ei offertur; Loquendo autem de eo,quod est prius origine, de eo quoque fere similiter se habet; nam quod est prius origine,& non est principium cognitionis alterius, proprie magis, dicitur prius natura quam notius, vt puer viro, & tactus visu: prius secũdum essentiam, est id quod dicitur prius perfectione,& absolute ac proprie nuncupatur prius natura:datur demum prius ratione & intellectu,de quo Aristoteles in primo Physic. 48. ait, quædam esse notiora sensu, alia vero κατὰ τὸν λόγον hoc est ratione. Nonnulli aiunt notius natura,& notius ratione idem esse; at errant; conspicue enim Aristoteles hæc secernit ab inuicem,veluti in 8. Physic.75. inquiens, perfectum esse prius ratione, natura, & tempore imperfecto; & in septimo Metaphysicæ cont.4.inquit substantiam esse priorem accidente,ratione,notitia,tempore,& natura; Si Aristoteles putasset esse idem, redundans profectò fuisset, mentionem faciens de vtrisque. Præterea 13.Metaphysicæ cap.2. inquit, Lineas esse priores corpore ratione; non tamen omnia,quæ ratione priora sunt,etiam substantia sunt priora; substantia namque ea sunt priora quæcunq; separata excedunt essentia; ratione vero ea sunt priora,quæ in alterius definitione accipiuntur,sic albedo est prior homine albo,ratione,non substantia,&c.conspicue Philosophus distinguit prius ratione,a priore secundum substantiam, quod absolute consueuit appellare prius natura: colligamus itaque differre Natura prius a priore ratione; id enim dicitur prius ratione,quod est simplicius,& in alterius definitionem ingreditur; prius vero natura proprie id dicitur,quod est prius essentia & præstantius:natura enim substantia est & essentia rei; fateor tamẽ quod si natura prius late vsurpatur,etiam id quod est prius ratione ,potest dici natura prius,quatenus est simplicius,& prius origine,vt albedo homine albo, nam idem distincta ratione dici potest prius & posterius altero, vt albedo homine albo. Ex his patet explicatio vocum. Superest demum, vt perpendamus an eadem esse possint, nobis & natura priora, & notiora. Apparet primo id contingere non posse, tum quia Philosophus absolute inquit,non eadem esse nobis & natura nota & prima; tum insuper, quia in primo Poster. cap. secundo ait, ea inuicem opponi, opposita autem non sunt idem; tum demum quia natura priora & notiora sunt priora absolute,nobis autem priora sunt absolute postrema,prima autem & postrema longe distant: ideo vt in sexto Top.cap.3.legitur,aliud esse absolute salubre, & nobis salubre,& in 7. Metaphysicæ cont.10.aliud dicitur absolute bonum,& nobis bonum,& in 2.Metaphysicę cap.primo aliud absolute difficile, & nobis difficile; ita hoc in loco aliud dicitur natura notius, & nobis notius. Philoponus & Simplicius hoc in loco absolute videntur putare natura priora, nobis esse posteriora & minus nota:Ex aduerso frequenter ea in idem subiecto venire videntur,veluti in Mathematicis,in quibus ex sententia Themistij, & Auer.frequenter eadem nobis & natura dicuntur priora & notiora:Præterea ex sententia eorundem datur ostensio tradens causam & esse,& absoluens vtranq; quæstionem; ea autem constat ex principijs notioribus nobis & natura, vt patet ex Auer.tertio Cœli 35.primo Post.95.96.& in expositione præsentis cont.Et quoniam Auer. putat ostensiones dantes causam & esse formari cum in 8.Phy. tum in secundo de Anima, cogimur fateri ex opinione eius etiam in Physicis eadem nonnunquam esse

*An eadem nobis & natura valeāt esse priora.*

esse notiora nobis, & natura: id ipsum conspicue ex Arist. elicitur; nam in primo Post. cap. 10. loquēs de ostensione, Quia, inquit, prohibet nihil, æque prædicantium, notius aliquando esse non causam, non ait Philosophus semper effecta esse notiora causis, sed aliquando. Insuper in quarto Phy. cont. 104. ostendit mobile esse nobis notius motu, & motum tempore; & per mobile ait cognosci prius & posterius in motu; at mobile etiam est prius natura motu, & motus tempore; hinc Auer. eo loci inquit mobile vt est prius instanti secundum esse, ita etiam est notius nobis, & mobile est notius motu, quia est demonstratum, motus autem simul iunctus non est demonstratus, sed mens facit ipsum, & motus est notior tempore &c. sic itaque mobile motu, & motus tempore nobis priora & notiora sunt, ac eadem sunt priora & notiora natura; affectiones enim sunt natura posteriores eo, cuius sunt affectiones. Præterea ait Philosophus secundo Cœli 17. id cuius est opus esse gratia operis, id autē cuius gratia finis est, quare opus vt finis, & causa est natura prius; vt autē res effecta sub sensum cadens est prius & notius nobis; ita summum bonum est actio & finis hominis. Præterea Arist. in secundo de Anima 33. ait operationes & obiecta esse priora secundum rationem facultatibus sentiendi: esse autem prius ratione, est esse prius natura, quia ratio causa est, & eadem sunt priora & notiora nobis, cum sub sensum cadant; similiter in prædicamento relationis ostendit sensilia esse priora sensu, quia illis demptis aufertur sensus, non è contrario. Hinc Simplicius & Philop. exponentes 33. contextum secundi de Anima affirmāt actiones & obiecta esse priora natura, & notiora nobis, veluti etiā appetibile prius est, vt ait Simplicius. Philoponus autem id ostendit per dicta in prædicamento relationis, iam relata, ac insuper quia in definitionibus facultatum sumuntur actiones, & in definitionibus actionum obiecta. Alexander in primo de Anima cap. 9. ait ea esse notiora nobis & priora ratione; Similiter etiam obiecta sensuū sunt natura priora actionibus eorum spiritalibus, quarum sunt causæ, ac etiam sunt notiora nobis cum sub sensum conspicue cadant. Insuper magis vniuersale cum nobis, tum natura videtur esse prius & notius minus vniuersali, & præsertim facta abstractione; Natura quidem, quia sunt simpliciora, sunt causæ & principia contentorum sub eis, priusq; generantur, vt dicitur in secundo de Gen. animalium cap. 3. hinc Arist. in postprædicamentis ait ea esse priora, quia ab illis non reciprocatur consequentia existendi in rerum natura; & in sexto Top. cap. 3. genera & differentiæ dicuntur priores contentis, & ob id in primo Phy. 57. dicitur esse secundum naturam, vt primo communia declarentur. Quod eadem etiam sint notiora nobis asseritur ab Arist. in quarto cont. huius proœmij dicente, quia per notiora nobis progredi debemus; ideo ex vniuersalibus in singularia progrediendum est; vniuersale enim est quoddam totum, quod magis cadit sub sensum; Insuper pauciora actu includit, per plura offertur, est confusius recta ratione respondens primæ nostræ cognitioni confusæ; Similiter Elementa videntur priora natura mixto, cum sint eius principia, & simpliciora; ac eadem videntur priora nobis, cum per summas qualitates maxime moueant sensum, & cætera sentiantur per illa. Demum cum Natura prius sit duplex vel origine, vel instituto, prius natura secundum institutum est compositum, quod etiam nobis notius est suis principijs; prius origine est magis vniuersale, quod etiam, vt patuit, est notius nobis: quare notius nobis & notius natura subiecto & fundamento valet esse idem. Pro resolutione huius perplexæ ambiguitatis, primo Theses proponam, mox digrediar pro notitia quorundam ad eas attinentium, demum aduersas rationes diluam. Vt pertinet ad primum, sit prima assertio, Viro sapienti ea sunt priora & notiora, quæ etiam sunt priora & notiora natura; Altera sit, ea nunquam sunt idem ratione, nonnunquā tamen sunt idem numero, siue subiecto; Tertia sit, in Mathematicis nō semper eadem sunt notiora nobis & natura, sed solum nonnunquam. Vt pertinet ad primam considerare debemus hominem esse duplicis dispositionis, imperitum scilicet, & sapientē; dum loquimur de his quæ primo nobis sunt nota, id debet referri ad imperitum & debet

*Resolutio difficultatis.* *Prima assertio.* *Secunda.* *Tertia.* *Declaratio primæ.*

bet intelligi de cognitione origine prima;conditio enim ignari prior est origine conditione sapientis; propterea aperte decipiuntur illi, qui aiunt Arist. in his contextibus loqui de cognitione nostra distincta: Nam vir sapiens conformatur cum natura; & quemadmodum viro sano ea sunt salubria, quæ sui natura sunt talia, & viro probo ea sunt bona, quæ absolute sunt bona, ita viro sapienti ea sunt priora & notiora, quæ etiam sui natura sunt talia. Hoc nos docuit Arist. in sexto Top.cap.3.inquiens amplius eisdem alia, interdum alia magis sunt nota; nam a principio quidem sensibilia, instructioribus autem redditis è cõtrario:& paucis interpositis addit, Fortasse autem quod est simpliciter notum, non est id quod omnibus est notum, sed quod est notum

*Declaratio secunda.* bene dispositis Mente, vt simpliciter salubre his, qui bene affecti sunt corpore; Dicebatur secundo ea numquã esse idem ratione, sed solum nonnunquam esse idem numero, siue fundamento. Quod semper distinguãtur ratione patet; aliquid enim dicitur nobis notius, quatenus magis sub sensum cadit, notius vero natura, quia absolute sui natura, suique conditione sit primum vel origine vel instituto: quod autem in Physicis magna ex parte etiam distinguantur numero & fundamento patet, quia principia Physica, vt principia & causæ, sunt natura prima, remotissima tamen a sensu, effecta vero, quatenus effecta, affectiones & accidentia, sunt priora & notiora nobis, cum magis sub sensum cadant. Et quod non semper, sed magna ex parte distinguantur fundamento patet, primo per rationes supra relatas; constat secundo, quia Arist. alibi hanc sententiam referens, eam profert in parte non vniuerse, veluti in septimo Metaphysicæ cont.10.ait, quæ singulis sunt nota & prima, sæpenumero parum nota sunt & parum, aut nihil entis participant. Et in 6.Top.cap.3. inquit, Simpliciter igitur notius est, quod prius posteriore, vt punctum linea, Elementa Syllabis; nobis autem è contrario quandoque accidit: similiter in primo Poster. loquens de ostensione, quia, inquit, prohibet nihil æque prędicantium notius aliquando esse non causam: sic etiam dum vsurpatur natura primum pro primo secundum institutum & appetitionem, euenire potest, vt idem distincta ratione & nobis & natura primum sit. Ex his constat, quod dum Philosophus ait, dari notiora nobis, & notiora natura, ea comparatio minime fieri & intelligi debet inter nos & naturam, dicendo principia esse natura notiora, quam nobis: ita enim sine controuersia non possent in idem venire, sed fieri debet inter cognoscenda, dicẽdo principia sunt notiora, & priora natura quam effecta, & effecta sunt nobis priora principijs; & ita nil prohibet dicere aliquid esse prius & notius

*Declaratio tertia.* natura altero, & id ipsum esse prius & notius nobis. Dicebatur tertio in Mathematicis non semper eadem esse nobis, & natura notiora, vt nonnulli perperam putant; nam hoc primo patet per Aristotelem in sexto Topic.cap.3. dicentem, punctum linea, lineam superficie, & hanc solido esse priorem, & notiorem, similiter vnitatem numero, nobis autem è conuerso quandoque accidere, &c. conspicue Philosophus de attinentibus ad Geometriam, & Arithmeticam ait, non eadem esse nobis notiora, & simpliciter; similiter in hoc prooemio cont.5.inquit, circulum esse nobis notiorem, vt denotatur per nomen, quam vt explicatur per definitionem, cum natura è contrario se habeat. Ex his constat in Mathematicis comparando interna principia cum pendentibus ex illis, nec non definitionem cum nomine definiti, nequaquam eadem esse nobis, & natura notiora. Superest considerandum, an facta comparatione inter principia demonstrationis, & affectiones, quæ per ea ostenduntur, eadem sint nobis & na-

*Opinio quorundam.* tura priora, & notiora: Opinantur nonnulli media Mathematica per se, ac simpliciter nec nobis, nec natura esse notiora, tum quia Mathematicus non ostendit per principia rei, tum quia ea principia non sunt propinquiora sensui, quam conclusio, tum quia frequenter medium, & affectio, quæ demonstratur, sunt ex accidenti coniuncta, vt angulus externus, cum affectione trianguli, in ostensione 32.primi lib. Euclidis; tantum aiunt in Mathematicis quod eadem sint notiora nobis, & natura verum esse de communibus dignitatibus, veluti quod omne totum sit maius parte, quod si ab æqualibus

æqualia

æqualia demas, ea, quæ supersunt, sint æqualia; & cum ex his cætera principia prodeant, iure dici affirmant in Mathematicis eadem nobis, & natura esse notiora. Hi satis leuiter decipi videntur, primo quia si principia propria, ex quibus formantur ostensiones, nec nobis, nec natura sunt priora, & notiora, nullam parient cognitionem, tantum enim notiora cognitionem pariunt. Secundo dicere principia propria Mathematicorum neutro modo esse notiora, & asserere ea pendere, & proximius duci ex cōmunibus principijs, nobis, & natura prioribus, & notioribus, est pugnantia proferre; nam proximius pendentia ex notis notiora sunt; Sed mittamus eos, & dicamus sententiam illam in Mathematicis, eadem nobis, & natura esse notiora, debere intelligi, & veram esse, facta comparatione inter principia, siue media ostensionum, & affectiones, quæ per ea demonstrantur, siue ea sint communia, siue propria; Nam principia Mathematicorum vel sunt communes regulæ, vel definitiones, quę sunt explicationes terminorum; quæ vt obtinent conditionem principiorum, sunt natura priores, & notiores; vt autem magis sub sensum cadunt, quam affectiones, & sola vocum notitia sunt conspicuæ, dicuntur notiores nobis: hinc Aristoteles in secundo Physic. 48. ait, Mathematicum vltimo resoluere in quid est; Et quamuis ea Mathematicorum non proprie sint principia, tamen seruant similitudinem, & conditionem quandam principiorum, vt nos docuit Aristoteles in secundo Moralium Eudemiorum cap. 5. inquiēs, Deus iustissime omnium est principium; immobilia autem vt in Mathematicis, non per se quidem, sed similitudine quadam sunt principia, &c. Colligo itaque in Mathematicis ostensionem fieri per notiora nobis, & natura; & addo id non esse verum semper, sed solum de principalibus ostensionibus: nonnunquam enim in Euclide, & alijs Mathematicis formantur ostensiones ex terminis reciprocis, secundū circulum quendam, vt reciprocatio refulgeat, in qua reciprocatione id seruari non potest, vt conspicuum est. Ex his constat quomodo cum in Physicis, tum in Mathematicis eadem possint, & non possint esse nobis, & natura notiora. Aduersæ rationes facile diluuntur: dicebatur primo Aristotelem in hoc cont. inficiari eadem esse nobis, & natura priora, & notiora; respondeo ex negatione vniuersalis affirmatiuæ, non debere inferri vniuersalem negatiuam, sed particularem eius contradictoriam, vt in libro de interpretatione docet Philosophus; reijcit Philosophus eam vniuersalem, quod eadem absolute sint nobis & natura priora, & notiora; vniuersalis autem affirmatiua, etiam per vnicum particulare euertitur, vt si quis dixerit, omnem hominem esse improbum, patefaciens Socratem non esse improbum, euersa est illa vniuersalis; cum itaque Philosophus dicat non eadem esse nobis nota, & simpliciter, hæc sententia seruatur vera, si nonnulla afferantur, quæ talia non sint, vt conspicue patet de principijs, & affectionibus Physicis. Addebatur prima, & postrema non esse eadem; respondeo non omnia nota nobis esse absolute postrema, sed esse proximiora sensibus: Addebatur ea opponi; respondeo primo quod opponuntur saltem ratione; addo secundo Aristotelem non dicere nota nobis, & natura opponi, sed singularia, & vniuersalia, quæ tunc exempli loco assumpsit; est tamen dubitatio de vniuersalibus, an sint nobis, & natura priora contentis sub eo; qua de re in explicatione quarti cont. verba faciam.

*Euersio.*

*Opinio propria.*

*Cont. 3.*

*Sunt autem nobis primo nota, & manifesta confusa magis, postea vero nota, ex his fiunt Principia, & Elementa diuidentibus hæc.*

SVPERIVS Philosophus Methodum cognoscendi principia Physica, in secundo cont. regulam protulit, ex qua elicitur maior propositio; modo autem ei minorem addit, adeo vt ratio ita formetur: Ea, quæ sunt notiora nobis, ignotiora naturæ, nos ducunt in notitiam eorum, quæ sunt obscura nobis, notiora au- *Ratio.*

rem, & priora natura; confuſa magis ſunt ignotiora natura, & notiora nobis, princi-

*Diuiſio.* pia vero contra, igitur per confuſa, noſcenda ſunt principia. Diuiditur contextus in duas partes, in prima ponitur minor propoſitio, quæ eſt, confuſa eſſe notiora nobis, in altera infertur concluſio ſecundum partem, & manifeſtatur modus noſcendi principia, per ea quæ ſunt confuſa actu, nempe per compoſita, ex quorum reſolutione eluceſcunt principia, & Elementa, hoc eſt ea, quæ ab Ariſtotele dicuntur Elementa, a veteribus vero principia, vt dicitur in contextu 48. nam per reſolutionem ſolum eluceſcūt principia interna, ex quibus compoſita conſtant, non autem externa.

## *Caput Dubitationum.*

*Quatuor explicanda proponuntur.* QVAERITVR primo quid denotet Philoſophus per cōfuſa; quæritur ſecundo cur addat magis, dicendo primo nobis nota eſſe confuſa magis; tertio quid denotet per diuiſionem; Demum quęritur de qua cognitione loquatur Philoſophus, num de confuſa, vel de diſtincta. Vt pertinet ad primum, ſententia eſt D. Thomæ. *Quid confuſi nomine.* Ariſt. nomine confuſi denotare vniuerſale Phyſicum quod eſt vnum in multis, & eſt confuſum, quia multa continet poteſtate; quæ expoſitio non videtur approbanda, tum quia D. Tho. cuncta re- *D. Thom.* fert ad ordinem, cum tamen ſint referenda ad ſolam Methodum, vt pateſeci, tum quia diuidendo communia, non redduntur nota principia, ſed ſolum per differentias conſtituuntur ſpecies; tum demum quia aderat nomen proprium, & non eſt putandum, *Auer.* quod temere loco vniuerſalis protulerit confuſum: Propterea Auerroes, & Simplicius putant nomine confuſi denotari compoſitum, quod eſt confuſum actu. Nec deſunt, qui putent Ariſt. dixiſſe συγκείμενα, hoc eſt compoſita, at ob vocum ſimilitudinem, imperitiamque ſcribentium eam vocem fuiſſe permutatam in συγκεχυμένα, hoc eſt confuſa, vt ait Vicomercatus; quæ ſententia etiam non eſt approbanda; primo quia nemo ex Græcis de hac mutatione ſuſpicatus eſt, & id dicere eſt ſine fundamento vllo propriam ſequi imaginationem, & præſertim quia ad libitum verba mutare eſt peruertere, non explicare; præterea conſpicue Ariſt. in quarto cont. ex hoc colligit ex vniuerſalibus eſſe progrediendum, & patefacit vniuerſalia eſſe nobis primo nota; quod facere nec valuiſſet, nec debuiſſet, niſi nomine confuſi etiam vniuerſale denotaret; Demum cum vox confuſi ſit communis, & ſit vniuerſe prolata, in ſua com- *Opinio propria.* muni ſignificatione accipi debet; Propterea cenſeo, Ariſt. conſulto, & mira Arte vſum fuiſſe nomine confuſi, eoque denotaſſe non vnum, ſed omnia confuſa; Nam confuſum eſt id, quod indiſtincte plura continet. Continere plura contingit dupliciter, vel actu, & hoc eſt compoſitum, vel poteſtate, & eſt vniuerſale; hæc ambo denotauit Philoſophus, & iure optimo profecto; primo quia de vtriſque confuſis ea ſententia, quod nobis ſint notiora, vera eſt, & de vtriſque id oſtendit; de vniuerſalibus in quarto cont. de compoſitis in quinto; ſecundo quia vtraque inſeruiunt inſtituto Ariſt. per vtraque enim confuſa, nos ducit in notitiam principiorum, per compoſita quidem vt patet ex cont. 65. dum inquit, componitur enim muſicus homo, ex homine, & muſico, reſoluitur enim ratio compoſiti in rationes eorum; inſuper inquit ex omnibus, quæ fiunt patere neceſſitatem materiæ, ea autem quæ fiunt, compoſita ſunt: & in principio ſecundi Phy. nos eleuat in notitiam naturę per compoſita Phyſica; Per communia autem, & vniuerſalia nos ducit in notitiam principiorum, quatenus accipit principia vel eſſe vnum, vel plura, vel contraria, vel non cōtraria, vel mobilia, vel immobilia, & alia ſimilia communia: confirmatur hæc expoſitio, quia Ariſt. dicens per confuſa eſſe noſcenda principia, concluſiones colligit de vtriſque confuſis; de compoſitis quidem in hoc contextu, inquiens per diuiſionem, hoc eſt per reſolutionem compoſita reddi no- *Concluſio.* ta principia, & Elementa; de vniuerſalibus autem in quarto cont. Colligo itaque Ariſt. per confuſum id denotare, de quo oſtendit eſſe notius, de quo colligit concluſionem,

sionem, & per quod declarat principia, sed hoc est vtrunque confusum, ideo vtrunq; denotat. Addo insuper Aristotelem iure ea voce fuisse vsum, primo vt voce communi vtrunque confusum denotaret; secundo vt indicaret se loqui de prima crassa, & confusa nostra cognitione; tertio vt causam indicaret cur ea primo nobis sint nota; vt enim nostra cognitio primo imperfecta perficitur, primo confusa distinguitur, ita per confusa progredimur, & eleuamur ad simplicia, & distincta principia; confusa autem primo nobis sunt nota, quia vt confusa vel actu, vel potestate, primo cadunt sub sensum; & hæc vera sunt de cognitione nostra, cum per sensum, tum per intellectum, vt ex dicendis patebit. Quærebatur secundo cur Philosophus addat comparatiuum dicendo primo nota nobis esse confusa magis; Respondeo triplici præsertim ratione id fuisse factum; prima est, vt indicaretur duplex comparatio, vna inter confusum, & distinctum, altera inter confusa varia ad inuicem; si fiat prima comparatio, confusum dicitur notius, si altera magis confusum est notius; cum Philosophus dicat confusa magis esse nobis primo nota, simul indicat vtrunq;. Altera ratio est, quia aliud est esse primo notum absolute, & esse primo notum facta comparatione cum principijs; absolute primo nobis nota sunt calidum & frigidum, quæ non faciunt ad rem, facta autem comparatione cum principijs simplicibus, confusiora; tertia est quia sub Deo posita, cuncta sunt confusa, quædam tamen magis, alia minus, & id quod est confusius prius apprehenditur nostra cognitione crassa, & confusa: Et addit Philosophus [postea ex his nota fiunt principia, & Elementa diuidentibus hæc;] dictio, postea, respondet ei, quod dixit primo: nam primo sunt nota confusa magis, postea vero, &c. & cum dicat postea, semper id verum est origine, & modo aliquo tempore; nam semper ea noscuntur duobus distinctis indiuisibilibus temporis, cum sint duo distincta intelligibilia: at de hoc accuratius in lib. de humana Mente. Quærebatur tertio quid Arist. denotet per diuisionem, dum inquit, diuidentibus confusa reddi nota Elementa; respondeo Aristotelem vti nomine diuisionis late, pro resolutione, quæ est diuisio quædam; in qua significatione in 5. contrait definitionem diuidere definitum in singula, definitio autem resoluit definitum in sua principia, & Elementa; vtitur tamen voce diuisionis, vt sententia etiam sit vera de cognitione principiorum per communia, quæ proprie diuidi dicuntur: hoc tamen in loco præsertim denotat resolutionem manifestando quomodo resoluendo compositum, quod est confusum actu, reddantur nota principia interna. Quærebatur postremo quam cognitionem denotet Philosophus, dum ait primo nota esse confusa magis; breuibus dico eum procul dubio denotare notitiam confusam, & ideo vtitur voce confusi; nam de cognitione distincta è contrario se habet; & hoc est notum, quia dum principia inueniuntur per effecta, & confusa, ea non valent esse distincte nota, cum distincte solum noscantur per principia: insuper clarius hoc ex eo refulgebit, quia Aristoteles manifestans confusa esse nobis notiora, semper id patefaciet de cognitione confusa, vt ex dicendis reddetur notum; pulchra est dubitatio de mixtis, quæ sunt confusiora Elementis, & de coloribus, & saporibus medijs, nec non de temperamento ex primis qualitatibus, quæ cum sint magis confusa, non tamen sunt notiora nobis; extrema enim, & simplicia, cum sint summa, efficacius mouent sensum, & propterea de his quoque dicendum puto quod distincta ratione, & nobis, & natura sint priora, & notiora: insuper ea simplicia, dum considerantur pro esse absoluto sunt notiora, dum vero vt partes compositorum, è contrario se habet. Inquit Auer. si homo efficeret opera Physica, principia essent ei notiora. At dicet aliquis, non ne homo efficit opera Physica, cum sol, & homo generent hominem secundo Phy. 26. Et præsertim quia 2. Metaphysicę 23. dicitur nonnulla eadē a Natura, & ab Arte effici posse. Respondeo hominem considerari dupliciter, vel vt corpus Physicum per naturam constitutum, vel vt hominem ratione operantem; secundum primam considerationem, quatenus est corpus Physicum efficit opera Physica, & operatur secundum naturam; at dum consideratur vt homo, ratione vtens,

*Cur dicat confusa magis.*

*Quid denotetur per diuisionem.*

*De qua cognitione sit sermo.*

*Dubitatio de Mixtis.*

*Solutio.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

communes enunciationes, quibus vtimur pro rerum ostensione, vt ei tribuit Simplicius. At cum Alexandro pugnans Simplicius ait, per vniuersalia non posse denotari communes enunciationes; primo quia ea communia supponunt dati principia, quare non ea ostendunt; secundo quia ea communia principijs competunt, in eisque inueniuntur, quare ea quoque per nobis notiora sunt indaganda, non autem sunt origines nostræ cognitionis principiorum, veluti principia esse plura & contraria per composita cognoscimus. At leuissima hæc sunt; De primo dico Aristotelem per ea communia non esse ostensurum principia esse; id enim vt conspicuum supponit, sed solum declarat quæ, quot, & qualia sint; De secundo dico, ea communia competere quidem principijs, at esse talia, vt sub sensum cadant, ex se sint conspicua, & propterea sumuntur pro explicatione cæterorum, quæ latent & sunt obscura. Pro confirmatione huius meæ expositionis perpĕdendum est, quomodo hic cont. exponatur ab alijs; euersio enim expositionis aliorum est comprobatio propriæ. Cum interpretum sententiæ variæ sint, omnes tamen in tria communia capita rediguntur; nam Aristoteles a secundo cont. vsque ad hunc, vel loquitur de solo ordine declarandorum, vt putat D. Thomas, vel de via & ordine, vt putat Auerroes inquiens, Aristotelem in secundo & tertio cont. loqui de via, in hoc quarto de ordine; vel loquitur de sola via & Methodo noscendi principia, vt ego exposui. Quod loquatur de solo ordine, vel de ordine & via dici non potest, quare colligendum est loqui de sola via; Assumptum ostenditur, quia cuncta colliguntur, & deducuntur ex regula tradita in secundo cont. insita via est ex notioribus nobis; at ea (vt patefeci) non est vera de ordine, sed de sola via cognoscendi principia, quare de hac sola loquitur; confirmatur, quia si in ordine progredimur a notioribus, ea sunt notiora cognitione distincta, Aristoteles modo loquitur de notiore confuse. Præterea si Aristoteles de ordine loqueretur, partim redundans esset, partim secum pugnaret; redundans, quia ordinem inter principia, & pendentia ex eis tradidit in primo contex. ordinem vero inter magis & minus vniuersalia patefaciet in cont. 57. quare esset redundans, si id ipsum hoc in loco patefaceret; aduersaretur autem sibimet, quia in primo de partibus animalium cap. primo inquit; Quamobrem quo nam modo tractandum sit latere non conuenit, vtrum, inquam, cōmuniter primo per generis explicationem, post vero res proprias considerare oporteat; an potius quæque persequi singulatim rectius est, nō enim de re hac adhuc præfinitum est, &c. Asserit Philosophus vsque ad illum locum non fuisse præfinitum an primo communiora sint explicanda; nam quamuis in contex. 57. communiora primo dicantur declaranda, non propterea exacte id explicatur, vt fit in primo de Partibus. Præterea cum simplicissima, & prima principia primo sint declaranda, id non est faciendum, quia sint notiora nobis, nam maxime a nobis distant, sed quia sui natura & conditione sunt prima: Demum nisi Aristoteles viam patefecisset cognoscendi principia, diminutus fuisset, id enim prætermisisset, quod maxime tenebatur declarare; At inquit D. Thomas, Aristotelem in secundo Physicorum patefecisse viā noscendi principia, quod cum dicat, in conspicuo versatur errore, quia Aristoteles tenebatur primo viam patefacere indagandi principia, mox ea indagare, non vice versa; nam Aristoteles in calce primi Physi. colligit se declarasse principia. Præterea Aristoteles in secūdo Phy. minime tradit Methodum noscendi principia, sed solum in cont. 19. declarat modum definiendi res Physicas, & in cont. 70. manifestat Physicum resoluere quæsita in omnes causas, at qua Methodo indaganda sint principia, nisi in hac parte patefecisset, nullibi declarasset. Constat itaque assumptum illud, Aristotelem nec de solo ordine, nec de ordine & via verba facere; ex quo colligo de sola via loqui; & Græci recte inquiunt Aristotelis institutum esse loqui de via cognoscendi principia, minus recte tamen nonnunquam permiscent attinentia ad ordinem: Cum autem Philosophus de sola via loquatur, dicebat M. Antonius Genua Philosophus præstantissimus de principijs duo esse noscenda, primo quod sint, secundo quid sint; addebat Aristotelem in

*Expositio aliorum.*

*M. Antonius Genua.*

secundo & tertio cont. patefacere viam noscendi quod sint, in quarto vero quid sint; nam primo resoluendo composita noscimus principia esse, mox progrediendo per cõmunia noscimus quid & qualia sint. Quæ expositio approbanda non est; tum quia non tenebatur Philosophus patefacere viam noscendi quod sint, cum in cont. 8. dicat id non esse officium Physici, tum insuper, quia si Aristoteles primo patefecisset viam noscendi principia esse, etiam primo ea via id ostendere debuisset, quod non fecit, sed tanquam notum supponens ea esse, statim in sexto cont. cœpit quærere an ea sint vnũ vel plura, mobilia vel immobilia. Insuper in hoc libro nunquam via sumpta a compositis ostendit principia esse, sed solum reijcit falsas veterum opiniones euertentes principia. Colligamus itaque Philosophum a secundo contex. vsque in finem prooemij loqui de sola via noscendi quot, quæ, & qualia sint principia, & si etiam declarare debuisset quod sint, id non alia via faciendum esset. [Totum enim sensu notius est, vniuersale autem totum quoddam est, multa enim continet, vt partes vniuersale.]

*Euersio.*

Hæc est altera pars quarti contextus quæ rectius cum quinto nectitur; nam cum Philosophus in tertio cont. dixisset confusa magis, esse nobis primo nota, tenebatur id declarare; ideo institutum eius est tribus rationibus ostendere confusa esse nobis primo nota; & quoniam confusum est duplex, vnum potestate, & est vniuersale; alterum actu, & est compositum, ideo de vtrisque id ostendit, & ob numerum rationum diuiditur reliquum huius prooemij in tres partes, in quarum prima sermo est de confuso potestate, quia de eo sermo erat in proxime explicatis verbis. Quod confusum potestate, nempe vniuersale sit notius ita ostendit. Quod est totum, est sensu notius, vniuersale est quoddam totum, igitur est sensu notius; maiorem vt experientia notam supponit, minorem ita ostendit: quod multa continet tanquam partes, est totum, vniuersale multa continet tanquam partes, nempe species suas, ideo est totum. Pro notitia animaduertendum primo rationem hãc duplicem includere vim, vnam ex analogia pendentem, alteram absolutam: pro prima ita formanda est ratio; vt sensibile se habet ad sensum, ita intelligibile ad intellectum; sed totum sensibile est notius secundum sensum, igitur totum intelligibile, quod est vniuersale, est notius secundum intellectum: pro secunda ita formari debet: Quod est totum, est sensu notius, Vniuersale est totum, igitur est sensu notius; & animaduertendum, quod vniuersale dicitur sensu notius, non quia sensus vniuersale apprehendat, sed quia singularia repræsentantia id, quod est vniuersalius, magis sub sensum cadunt, veluti Aristoteles in cont. 49. huius libri dicet rarum & densum esse notiora sensu, quamuis ea sint vniuersalia; id ipsum dixit de calido & frigido, quæ a Parmenide statuebantur principia. Et quouis modo formetur ratio, semper includit vim causæ, quatenus cognitio sensuum est causa cognitionis intellectus. Insuper animaduertendum, quod Arist. ostensurus vniuersale esse nobis notius, ait esse notius secundum sensum, quia in primo Post. cap. secundo describens notius nobis, ait esse id quod sensui est proximius: Inquit itaque Philosophus totum esse sensu notius, & hoc est verum, cum de toto similium partium, quod potentius mouet sensum, quam partes, tum de toto dissimilium partium, quod supponitur ab Aristotele vt experientia notum; veluti in cœlum noctu conuersi, primo confuse nobis se offert ea stellarum multitudo, mox incipimus Martem a Saturno, Sydus Vrsæ a Sydere Orionis secernere. Ratio quod totum sit sensu notius, est, quia id est sensu notius, quod efficacius illum mouet, totum autem potentius & efficacius mouet parte. Vniuersale dicitur totum quoddam, additur quoddam, quia totum est communius vniuersali, nã totum respondet confuso, quod est duplex, vnum actu, vt compositum, alterũ potestate, & est vniuersale. Differt vnum totum ab altero, primo quia totum vniuersale continet partes potestate, alterum actu; secundo totum vniuersale dicitur de suis partibus, non alterum; tertio totum vniuersale est totum in singulis, & ob id de illis dicitur, totum vero compositum, non est totum in singulis diuisim sumptis, sed solum simul sumptis; ideo dicitur totum ex singulis, quia ex partibus consurgit;

*Vniuersale esse notius.*

*Vis rationis.*

*Cur vniuersale dicitur totũ quoddam.*

ſurgit; Totum compoſitum, quia eſt totum actu, magis proprie eſt totum, Vniuerſale vero, cum ſit ſimplex, & totum poteſtate, minus proprie, & ob id Ariſtoteles dixit eſſe totum quoddam. [Multa enim continet vt partes vniuerſale,] Oſtendit Philoſophus quod vniuerſale ſit totum; nam totum refertur ad partes, & id eſt totum, quod eſt pręditum partibus; vniuerſale eſt huiuſmodi, continet enim ſub ſe ſpecies multas, tanquam partes, ideo dixit Porphyrius genus relatum ad ſpecies eſſe totum; & ſpecies dicuntur tanquam partes, quia non proprie ſunt partes intrinſecus genus conſtituentes, cum non actu, ſed poteſtate in eo includantur, Et conſiderandum, quod ſpecies comparatæ cum genere diſtincta ratione ſunt partes & totum; ſunt partes per propriam differentiam, quæ eſt altera earum, quæ diuidunt genus; totum vero, quia ſpecies ex genere tanquam ex materia, ex differentia tanquam ex forma conſtat; ideo differentia definitur quod ſit ea, quam ſpecies includit vltra genus; hinc ſpecies magis proprie eſt totum quam genus, ſpecies enim eſt totum actu, genus vero poteſtate; ſpecies igitur ita eſt pars, vt modo aliquo ſit pluſquàm totum. *Species verius eſt totum quã genus.*

*SVbſtinent hoc idem quodammodo & nomina erga definitionem; totum enim quoddam & indiſtincte ſignificant, vt circulus; Definitio autem diuidit in ſingula.* Cont. 5.

HAec eſt ratio ſecunda pro oſtenſione quod confuſum ſit notius: prima id oſtendebat de confuſo poteſtate, hæc de confuſo actu; quod confuſum actu adhuc eſt duplex, vel compoſitum definibile, vel aggregatum ex multis ſingularibus indefinite & cum diſtributione ſumptis; ſecunda ratio eſt de compoſito definibili, pro cuius notitia conſiderandum huiuſmodi compoſitum per duo denotari, per nomen & per definitionem, veluti homo & animal rationis particeps idem denotant, ſimiliter circulus, & figura plana in cuius medio ſit punctum, a quo omnes lineæ rectæ ductæ vſque ad circumferentiam ſint æquales; hæc ſola eſt differentia, quia nomen denotat rem confuſe & ſine reſolutione, definitio autem eam reſoluit in ſingula, hoc eſt in ſimplicia & diſtincta principia; indicatio rei per nomen eſt nobis familiarior, altera ſubtilior; prima eſt communis etiam rudibus, nam ruſtici quoq; noſcunt ſe eſſe homines, altera vero ſolis ſapientibus competit. Ratio ita formari poteſt; vt nomen pro re denotanda ſe habet ad definitionem, ita confuſum ſe habet ad diſtinctum, at nomen modo nobis magis familiari & conſpicuo rem patefacit, quam definitio, igitur confuſum eſt nobis familiarius & prius notum, quam diſtinctum, Conſiderandum in verbis, quod Ariſt. ait, ſubſtinent hoc idem, nempe quod confuſa ſint notiora; addit, quodam modo, quoniam prius ſermo erat de cõfuſo poteſtate, modo vero de confuſo actu; [Et nomina ad definitionem] hoc eſt dum nomen pro re denotanda comparatur cum definitione; nam denotant idem, ſed modo vario; nomen denotat rem confuſe & ſine eius diſtinctione; definitio autẽ diuidit in ſingula: vtitur verbo diuiſionis pro reſolutione; definitio enim proprie reſoluit definitum in ſingula hoc eſt in ſimplicia, & diſtincta principia; vtebatur Philoſophus etiam in tertio cont. verbo diuiſionis pro denotanda reſolutione, vt eo loci dixi; ſimiliter voce καθέκαστα denotante ſingula vſus eſt & in quarto & in hoc quinto cont. & quia conſpicuum eſt hoc in loco denotare ſimplicia & diſtincta principia, ideo rationi conſentaneum eſt id ipſum ibi denotaſſe, vt ego expoſui. Vtitur deinde exemplo Mathematico ſumpto ex circulo, & eius definitione, vt indicet ſuam ſententiam eſſe veram ne dum de Phyſicis iunctis cum materia, ſed etiam de Mathematicis & abiunctis. [Et pueri primum appellant omnes viros patres, & fœminas matres, deinde diſtinguunt horum vnumquodque.] Hæc eſt tertia & poſtre-

ma

ma ratio ad oſtendendum confuſa eſſe primo nobis nota,& eſt de confuſo actu, ſumpto pro congregato ex multis ſingularibus indefinite ſumptis, relatis ad vnum diſtinctum & definitum ſingulare. Ratio pulcherrima eſt; nam eſt deſumpta ex prima noſtra ætate,præcurrente vſum rationis,in qua naturam ſequimur,& propterea in ea refulgent vires & progreſſus naturæ. Dum autem in eam conuertimur,inſpicimus puerulos, vbi primum fari incipiunt,viros omnes confuſe & ſine diſtinctione nuncupare patres,& fœminas matres,mox,progrediente ætate, incipere ſecernere proprium patrem ab alijs ſimiliter & matrem, quod eleganter expreſſit Vergilius inquiens.

*Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.*

Ratio ita formatur: vt ſe habent viri & fœminæ omnes ad definitum patrem & matrem,in noſtra prima ætate,ita confuſum ad diſtinctum,Sed pueri per naturam primo omnes viros nuncupant patres, & fœminas matres, igitur confuſum eſt prius nobis notum.Et conſiderandũ,quod Ariſt.inquit τὰ παιδία, hoc eſt pueruli,vtitur diminutiuo,quia hoc verum eſt de prima pueritiæ parte,dũ primo pueri balbutire incipiunt; tunc enim primo pueri viros omnes nuncupant patres;Et conſiderandum,quod Ariſtoteles more ſuo mira Arte & cura vſus eſt his tribus ſignis & rationibus; prima inſeruit pro confuſo poteſtate; ſecunda & tertia pro duplici confuſo actu; inſuper prima & ſecunda ratio pertinẽt ad cognitionem intellectus,tertia ad eam ſenſus, ex quibus primo colligere valemus ſententiam illam, quod confuſa ſint nobis primo nota, veram eſſe cum de cognitione intellectus, tum de ea ſenſus; inſuper colligimus Ariſtotelem loqui & debere intelligi de cognitione confuſa, non de diſtincta, per quam ſapiens cum natura conformatur:ex quo patet ſolutio eius difficultatis, quia non videtur verum nomen definiti clarius nobis pateſacere definitum ipſa definitione,cum definitio tradatur gratia elucidationis, vt dicitur in ſecundo Poſt. nam definitio eſt clarior notitia diſtincta, non autem prima noſtra cognitione confuſa, vt etiam confuſa, eſt ea cognitio,dum pueruli primo viros omnes nuncupant patres.

## *Caput dubitationum.*

*Prima dubitatio.*
*Opinio quorundam.*

DVBITATVR primo dum Ariſtoteles inquit pueros primo viros omnes nuncupare patres,num id debeat intelligi de cognitione ſenſus,vel potius de ea Mentis: videtur loqui de cognitione Mentis, quia inquit eos appellare omnes viros,omne autem eſt vniuerſale, quod non ſenſu, ſed ſola Mente apprehenditur; confirmatur,quia Ariſtoteles modo loquitur de cognitione Mentis,qua noſcuntur principia,non de ea ſenſuum; Hinc Auer.inquit cum intellectus puerorum redditur potentior, tunc valent parentem ſuum ſecernere ab alijs; at qui ſunt huius opinionis conſpicue aberrant, primo quia Ariſtoteles loquitur de puerulis,qui omnino carent vſu rationis; confirmatur quia Ariſt. in ſecũdo Phyſ.ait in pueris Fortunam non habere locum, quia carent vſu rationis. Inſuper in ſeptimo de Repub.cap.15. ait pueris non primo, ſed progrediente ætate competere vſum rationis & Mentis. Præterea eadem ſententia vera eſt de iumentis, Armentis,& Feris; vt enim pueruli primo non ſecernentes ſuam nutricem ab alijs, lac hauriunt ex vberibus vniuſcuiuſque, immo etiam ex vberibus caprarum,ita agni, & hædi nuper orti ſequuntur quamlibet pecudem, vel capram, & ex qualibet eis oblata lac hauriunt; quod non faciunt dum incipiunt ſecernere propriam nutricem ab alijs. Additur demum, quod niſi Ariſtoteles etiam de notitia ſenſuum fuiſſet loquutus, diminute oſtendiſſet confuſa eſſe nobis primo nota. Rationes pro parte aduerſa facile diluuntur; dicebatur primo,omne denotare vniuerſale, quod ſola Mente percipitur; Reſpõdeo cum Ariſtotele in ſecundo de Repub.cap.2. Signum omne dupliciter vſurpari,vel cum diſtributione denotando ſingulos diuiſim, vt ego video vos omnes, vel cum collectione & hoc eſt duplex, vel per abſtractionem factam a mente, & hoc eſt

*Euerſio.*

*Diluuntur rationes aduerſa.*

vniuerſale;

vniuersale; vel sine abstractione, sed per conspirationem singulorum, vt omnes illi homines ducunt currum; hoc in loco sumitur omne sine abstractione, & collectione, sed cum distributione, hoc est singuli, vt dum dicimus canem latrare omnibus ingredientibus domum, & hoc est confusum actu, conflatum ex singularibus indefinite sumptis, vt dixi; addebatur Philosophum modo loqui de cognitione Mentis; respondeo de ea loqui ex principali instituto, at quia sensus famulantur Menti, ideo ostendit id ipsum esse verum de cognitione sensuum, & id facit vt communius ostendat confusum esse nobis primo notum: de Auerroe dico eum nomine Mentis denotasse phantasiam, quę est Mens puerorum, & brutorum. Dubitatur secundo de attinentibus ad totũ procemium, quia Aristoteles in primo & secundo contex. inuicem pugnantia videtur proferre; nam in primo inquit, primo declaranda principia, in secundo ait, ordiendum a confusis nobis notioribus. Solutio est conspicua, nam in primo contex. sermo est de ordine, in secundo de via & Methodo cognoscendi principia; quasi dicat Principia primo sunt declaranda, & in eorum notitiam progredi tenemur per confusa notiora nobis. Dubitatur tertio, quia Aristoteles etiam in primo cont. loquitur de via, dum inquit Methodos acquiri ex notitia principiorum, quod de via, non de ordine verum est; & augetur dubitatio quoniam in primo contex. ait, cognosci attinentia ad scientias per principia, causas, & Elementa; in secundo ait oppositum inquiens nosci per confusa notiora nobis. Respondeo Aristotelem in primo contex. loqui de via cognoscendi conclusiones & composita attinentia ad scientias distincte, in secundo vero loqui de cognitione principiorum; nam per confusa primo nobis confuse nota eleuamur in notitiam principiorum, mox per principia inuenta descendimus in distinctam notitiam eorum confusorum: Ex quo elicitur solutio alterius difficultatis; nam inquiunt nonnulli Aristotelem in his quatuor postremis contex. non loqui de cognitione confusa, quia ea non attinet ad scientias; respondeo falsum esse quod non attineat, nam attinet, tanquam origo & via per quam tendimus in notitiam principiorum. Dubitatur quinto, quia si Aristoteles in tertio cont. per confusa denotasset omnia confusa tum actu, tum potestate, falsa esset sententia Aristotelis in quarto cont. dicentis, vnde ex vniuersalibus in singularia oportet procedere; nam dicerem id minime esse necessarium, quia id efficere valemus ne dum per vniuersalia, quæ sunt confusa potestate, sed etiam per confusa actu; Respondeo duplicem fieri comparationem, vnam inter composita & principia, de qua in tertio cont. dictum est nobis resoluentibus composita reddi nota principia; Alteram inter communia, & simplicia ac distincta principia; secundum quam comparationem modo dicitur oportere ex vniuersalibus siue communibus ad simplicia, & distincta principia progredi. Dubitatur sexto, quia Arist. videtur secum pugnare, nam in 4. cont. ait vniuersale esse nobis notius, in quinto vero inquit definitum esse nobis notius, vt denotatur per nomen, quam sit definitio; At definitio constat ex vocibus communioribus, inquit enim Aristoteles in secundo Post. partes singulas definitionis esse communiores definito, totam vero definitionẽ cum definito reciprocari, quare primo ait vniuersalius esse notius, mox vero oppositum. Soluitur per duo fundamenta; primum est, quod vniuersalia considerantur dupliciter primo vt confusa, multa potestate includentia, secundo vt simplicia & partes definiti, actu aliquid existentia: prima consideratione sunt nobis notiora, non secunda; prima consideratione sumebantur in quarto, secunda vero in quinto cont. in prima consideratur confusum potestate, in altera confusum actu. Aliud fundamentum est, quod vltima differentia quæ est totum id, quod res est, vt dicitur in septimo Metaphysicæ 43. non est communior, sed reciprocatur cum definito, & in ea præsertim locum habet difficultas cognitionis; Aristoteles tamen in secundo Post. ait partes definitionis esse communiores, quia vt plurimum tales sunt, & etiam quia vt plurimum vltima differentia latet, & per alias circumscribitur. Septima dubitatio est, quia si nomen clarius patefacit rem definitam, quam id faciat definitio, magis merebitur nomen

*Secunda dubitatio.*

*Solutio.*

*Tertia dubitatio.*

*Solutio.*

*Quarta dubitatio.*

*Solutio.*

*Quinta dubitatio.*

*Solutio.*

*Sexta dubitatio.*

*Solutio.*

*Septima dubitatio.*

men nuncupari Methodus, quam definitio, quod tamen nomine Methodi nunquam denotatur: Soluitur, quia nomen non consideratur vt quid distinctum vel re, vel ratione a definito, nisi vt signum a re signo denotata; definitio autem ita ratione a definito secernitur, vt distinctum a confuso, & propterea est Methodus, qua res confusa distincte noscitur, quod non competit nomini; nomen enim solum confuse rem confusam significat. Octauo dubitatur, quia Aristoteles cõspicue secum pugnare videtur, nam in quarto cont. ait, ex vniuersalibus progrediendum esse in singularia; oppositum docet esse faciendum in secundo Post. inquit enim ex singularibus, & minus vniuersalibus progrediendum esse ad communiora, & ita docet definitiones specierum esse colligendas ex singularibus, & eas generum ex speciebus, quia inferiora sunt priora & notiora nobis. Altera controuersia huic iuncta est, quia in quarto cont. ait vniuersalia esse nobis notiora, in secundo autem Posteriorum docens Methodum definiendi communia, profert oppositum, vt etiam in primo Post. cap. secundo; & in procemio Metaphysicæ ait vniuersalia esse remota a nobis, singularia vero esse nobis proximiora. Hæc controuersia varios turbauit, & ad varia dicenda eos coegit, quibus silentio obuolutis vt exacte dubitatio diluatur, tria profero; primum est, quod in hoc quarto cont. secundum meam expositionem non fit comparatio inter magis & minus vniuersalia, sed inter communia, quæ vniuerse vera sunt de principijs, & ipsa principia simplicia & distincta, secundum quam comparationem nemini dubium ea communia & confusa esse nobis primo nota; Alterum est, quod nobis duplex competit progressus, vnus pro conficienda abstractione communium ex minus communibus, altera pro iudicio rerum, cum facta fuerit abstractio; in primo progressu minus communia obtinent locum confusi, & sunt nobis notiora; in secundo autem progressu è contrario communiora se nobis offerunt vt confusiora, pluribusque competentia, & ideo sunt nobis notiora. Tertium est, quod vniuersalia dupliciter cõsiderantur, primo vt communiora pluribusque competentia, & ita sunt nobis notiora, quod accidit facta abstractione; secundo vt simpliciora, & partes ac principia minus communium, & ita sunt remotissima a nobis. Ex his exacte elicitur solutio relatarum difficultatũ; dum enim primo instatur, quia in secundo Poster. legitur ex singularibus progrediendum esse in communia, soluitur tum quia per singularia in distinctis his locis varia denotat, vt dixi, tum insuper, quia ex singularibus tendimus in vniuersalia, dum primo pro conficienda abstractione minus communia se nobis offerunt vt confusa actu, communiora vero tanquam simpliciora, partes ac principia minus communium; dum autem fuerit facta abstractio, & cõmuniora se offerunt vt confusa potestate, è contrario se habet, vt latius in libro de humana Mente agens de primo cognito patefaciam: similiter soluitur altera dubitatio quod communiora, modo nobis notiora, modo a nobis remotiora dicantur; nam vtrunque verum est distincta ratione, & distincta nostra dispositione. Similiter ex his patet, quomodo communiora cum nobis, tum natura possint dici priora & notiora; nobis quidem post abstractionem, dum nobis vt confusa potestate se offerunt; Natura vero, dum considerantur vt Simpliciora, & tanquam principia, & partes minus communium. Non me latet Auerroem in magnis commentarijs primi Post. com. 12. secus hanc controuersiam componere, inquit enim in primo Post. per vniuersalia, quę dicuntur remotissima a nobis Aristotelem causas denotasse, per singularia vero, sensibus proxima denotasse effecta; quam expositionem approbandam non puto, tum quia sic minus proprie & præter consuetudinem Aristotelis voces vsurpantur, tum insuper, quia per eam dubitatio & controuersia non diluitur; conspicue enim Aristoteles in secundo Post. comparans minus communia cum communioribus ait minus communia esse proximiora nobis, quod etiam confitetur in eius expositione Auer. com. 72. & in procemio Metaphysicæ ait communissima, in quibus versatur Metaphysicus, esse remotissima a nobis & difficillima; ita inductio, per quam ex minus communibus colliguntur communiora,

dicitur

dicitur nos deducere per notiora nobis. Approbanda itaque est solutio a me tradita, quæ rationi, & experientię est consentanea, & loca varia quæ inuicem pugnare videntur, lucidissime conciliantur. Nona dubitatio pertinet ad vniuersum procemium: quęritur enim num Philosophus in hoc prooemio ea tria seruauerit, quæ ad prooemium pertinere dicuntur; num scilicet auditores reddiderit attentos, dociles, & beneuolos. *Nona dubitatio.*

Pro solutione tria profero, primum est prooemium Rhetoricum differre a Philosophico; eius enim institutum est parare auditorum animos pro persuasione & iudicio, huius vero auditores dirigere & parare pro inspicienda veritate; dico secundo cum Aristotele in 3. Rhetoricorum hanc vnam esse necessariam, procemij conditionem, vt id proponatur, de quo est agendum, necesse est enim vt primo attingendum scopum nobis proponamus, ne in vniuerso cursu simus ancipites. Per hoc auditores recte parantur & redduntur dociles; quod autem reddantur attenti, & beneuoli minus est necessarium: nam potius in progressu quam in principio debent reddi attenti; quia tunc incipiunt defatigari; & captare beneuolentiam magis Oratoris est proprium, quam Philosophi, & ea conditio potius elicitur ex deprauatione auditorum, quam ex absoluta constitutione procemij. Addo tertio Aristotelem in hoc procemio institutum suum patefecisse, ac insuper ordinem indicasse, nec non Methodum attingendi scopum: dixit enim primo esse agendum de principijs, & ad ea esse progrediendum per notiora nobis; per hæc cumulate auditorum animos parauit pro apprehensione declarandorum; Quod cum fecerit, facultate quoque & virtute reddidit auditores dociles, attentos & beneuolos; dociles quidem proponēdo scopum, ac insuper ordinem, & methodum patefaciendo; attētos vero & beneuolos, quia ingenui animi tales redduntur, dum eis res proponuntur explicandæ, quæ sublimes sunt & magni ponderis: ac insuper manifestatur eas accurate esse declarandas, quod communi inscriptione denotauit Philosophus, dum hos libros auscultatorios nuncupauit, indicans debere accurate audiri. *Solutio.*

His demum addo decimā difficultatem; & est, num singularia debeant dici natura prima, vel potius postrema: hanc difficultatem, referente Simplicio, excitauit Alexander & iure profecto; nam ex vna parte, cum sint proxima sensibus, videntur nobis prima, Natura vero postrema, cum maxime vniuersalia sint natura prima, & a sensibus remotissima, vt legitur in primo Poster. cap. 2. Confirmatur, quia notitia sensuum antecedit notitiæ Mentis, & est nobis familiarior; sensus autem est singularium, Mens vero vniuersalium, vt legitur in primo Physi. 49. Insuper non videtur Natura primum cum mortale sit & varietati obnoxium, non autem vniuersale. Ex aduerso videtur Natura primum, tum quia in procemio de Anima contex. 8. Legitur, vniuersale vel nihil esse, vel posterius; tum insupet, quia in prædicamento substantiæ singularia dicuntur substantiæ primæ; tum demum, quia id quod primo natura appetit, est singulare indefinite sumptum, vt vnà cum Auicenna censuit Scotus; & dempto opere Mentis nil in vniuerso reperitur nisi singulare, quod solum per se subsistit, generat, & generatur: hoc indicauit Aristoteles, dum in quarto cont. collecturus nos progredi per confusa notiora nobis, dixit progrediendum esse ex vniuersalibus in singularia; quare singularia sunt priora & notiora natura, cū in 2. cont. dixerit Arist. progrediendum esse ex nobis primis & notis ad prima & nota naturę; Tertio ex dictis in pręcedentibus colligi videtur singularia cū nobis, tum naturæ esse prima: ostensum enim est vniuersalia distincta ratione & nobis, & natura esse priora, quare est necesse, vt ea ratione, qua vniuersalia sunt priora, singularia sint posteriora; qua vero ea sunt posteriora, hæc sint priora. Res itaque est apprime ardua, de qua Græci interpretes varia dicunt; Philoponus exponens quattuor contait, singularia definita, & distincta esse natura priora & notiora, indefinita vero esse notiora nobis: Quæ sententia est dubia, tum quia Aristoteles sæpe ait, maxime vniuersalia esse natura prima, vt in primo Post. & in procemio Metaphysicæ; tum insuper, quia singularia definita nullo pacto videntur posse dici natura prima, non origine; ita enim sunt postrema, vt dicitur in secundo de *Decima dubitatio. An singula ria sint natura prima. Philoponus*

do de Gen.anim. cap. 3. non instituto & appetitione, quia vnumquodque eorum est varietati obnoxium,& sine eo natura speciei seruari potest. Insuper minus recte addit Philoponus vniuersalia ex singularibus collecta & nobis & Naturæ esse postrema; nam cum sint simpliciora & communiora, a quibus non reciprocatur consequutio existendi in rerum natura, sunt priora naturæ, & facta abstractione sunt priora etiam nobis. Alexander in primo Nat. quæst. cap. 11. ait vniuersale esse accidens, & ob id esse posterius cunctis singularibus simul sumptis, quorum naturæ accidit, & dicitur eis accidere; quia eius conditio non est, vt sit in multis; seruatur enim integra in vno solo; est tamen id vniuersale prius vnoquoque eorum singulatim sumptorum. Quæ Alexandri sententia dubia etiam est: Nam aliud est considerare naturam rei communis absolutam, vt naturam animalis, & considerare eam vel vt Mente abiunctam, vel vt communis est; prima est consideratio fundamenti, aliæ vero eorum, quæ fundamento tribuuntur, idque supponunt: dubitatio modo est de fundamento, non de superadditis. Inquit Simplicius, cum communia sint affectiones tenues, mente a singularibus ablatæ iure sunt posteriora natura, nobis vero priora; & sunt priora nobis cognitione confusa, nam cognitio distincta posterius aduenit. Sententia Simplicij pro vtraque parte dubia est; nam quod vniuersale sit tenuis notio, nostra Mente formata ad rem non facit, quia dubitatio est de natura rei absoluta, non de notione Mente formata; & dum eminus inspicientes Socratem iudicamus, quod sit aliquod animal, profectò non iudicamus, quod sit tenuis aliqua notio mente formata, sed natura aliqua per se subsistens. Insuper tenues illæ notiones non valent esse nobis priores singularibus, cum ex singularibus colligantur, menteque a nobis post notitiam singularium formentur. Præterea id quod addit de notitia confusa & distincta, verum non est, quoniam notitia distincta procul dubio nobis primo nota sunt communiora, sine quorum notitia non valemus minus communia distincte noscere, vt docet Aristoteles in sexto Top. cap. 3. Auer. 12. Metaphysicæ 27. ex sententia Alexandri inquit singularia esse priora secundum esse, vniuersalia vero secundum Mentem; quæ sententia profectò vera est, at per eam non diluitur proposita dubitatio; quæritur enim quid sit natura primum, num singulare, uel uniuersale: Propterea dico, singularia esse duplicia; nõnulla enim sunt immunia a materia, sub sensum non cadunt, & in eis conditio speciei, ab ea singularis non distinguitur, de quibus modo nõ est sermo; alia sunt materiata, sub sensum cadentia, de quibus ait Aristoteles tertio de Anima cont. 9. quod aliud est caro, & esse carni, & natura speciei distinguitur ab ea singularium, & de his est dubitatio. De qua dico triplicem posse fieri comparationem, unam inter magis & minus uniuersale, de qua iam patefeci in præcedentibus quid sit dicendum; alterã inter singulare & vniuersale; tertiã inter singularia confuse sumpta, & distincta: de secunda comparatione dico procul dubio singularia esse priora nobis, vt dicitur in primo Poster. quia cadunt sub sensum, & ex eis elicimus vniuersalia; An autem etiam sint priora Naturæ dubium est: quod non sint priora origine patet; solum est dubium an sint priora appetitione, & secundum institutum, & de hoc est lis. Academici aiunt primum secundum institutum naturæ esse speciem, quæ est æterna, excludit accidentia, & ei respondet Idea; Auicenna vero, cui adhæret Scotus, putat naturam primo optare singulare indefinite sumptum, quod per se subsistit, & simile generat: confirmatur, quia vltimum generatione appetitione est primum; vltimum generatione est singulare: com poni potest hæc lis per ea, quæ profert Alexander in primo Nat. q. loquens de definitione; nam dubitans an definitio sit singularium, vel vniuersalium, ait eam esse vniuersalium existentium in singularibus & singularium secundum id commune, quod est in eis, indicans Naturam speciei esse eandem cum natura singularium indefinite sumptorum solum ratione distincta; nam singularia indefinite sumpta includunt conditiones singularium indefinitas, quas non includit Natura speciei, & propterea rectius videntur loqui Auicenna & Scotus, quia natura primo expetit humanam essentiam

*Alexãder.* *Simplicius.* *Auer.* *Sententia propria.*

tiam cum singularibus conditionibus iunctam, cum quibus subsistunt, operantur, & hæc sunt generatione postrema; Si demum tertia fiat comparatio, & singularia indefinite sumpta cum definitis & distinctis comparentur, ea sunt naturę prima secundum institutum, cum natura primo ea expetat, vt dixi, nobis vero, ante quam apparuerit multitudo, definitum aliquod singulare notius est, & per id iudicantur cætera; vt pueri primo appellant omnes viros sub ratione sui patris, nota vero multitudine, è contrario se habet, vt in quæstione de primo cognito conspicue patefeci.

Finis expositionis Procemij.

*MELIVS autem est pauciora & finita recipere, quod quidem facit Empedocles. Porro omnes contraria statuunt Principia rerum, tum hi, qui omne quod est vnum & immobile inquiunt esse, vt Parmenides calidum & frigidum Principia facit, hac autem appellat ignem & terram; tum qui rarum & densum; Democritus quoque solidum & inane, quorum alterum id quod est esse ait, alterum autem vt id, quod non est: Insuper autem situm, figuram, & ordinem quæ contrariorum sunt genera, situ vt sursum, deorsum, anterius, posterius; Figura vt angulos habens & non habens, rectum & circulare. Quod itaque contraria modo aliquo Principia omnes statuant, manifestum est.* Cont. 41.

PROPOSVIT in procemio Philosophus primo agendum de principijs, quod seruaturus ordiebatur in sexto cont. a communibus & confusis, quæ primo nobis nota dicebantur, inquiens principia vel vnum esse, vel plura, vel finita vel infinita, vel mobilia vel immobilia: reiecit hactenus duo extrema apprime falsa, & primo id quod Physico magis est aduersum, nimirum omne quod est esse vnum, & immobile; idq; fecit vsq; ad côt. 32. Mox vero vsque ad pręsentem cont. reiecit sententiam asserentium principia esse infinita, idque fecit differens aduersus Anaxagoram, & iure profectò; eius enim opinio erat cognatior opinioni statuentium vnum, quam ea Democriti: Anaxagoras enim partim statuit principium vnum, partim infinita, vt legitur in cont. 32. vnum quidem quia censuit primo repertum fuisse Chaos, in quo cuncta essent permixta & iuncta; infinita vero, quia dixit in eo inueniri infinita corpora similium partium. Ex euersione extremarum opinionum, conspicuum redditur principia nec vnum, nec immobile, nec infinita esse: superest itaque, vt sint plura, mobilia, & finita; verum quot, & quæ sint latet; Propterea inquirendus est certus numerus eorum, tum ex parte Materiæ, tum ex parte attinentium ad formam; & quia materia per formam, potentiaque per actum refulget, indagaturus Philosophus numerum principiorum orditur a contrarietate attinente ad formam; & hoc pertinet non ad ordinem, sed ad Methodum indagandi numerum principiorum; nam vt attinet ad ordinem, inuento numero principiorum, primo Materia explicabitur, & in calce libri proponetur differendum de forma: ex his elicitur primo connexio cum antecedentibus, elicitur secundo institutum Philosophi, quod est indagare definitum numerum principiorum, manifestando primo contraria esse principia rerum, quod ostendit in pręsenti cont. consensione vete- *Quæ ex dictis colligatur.*

rum Philosophorum; orditur autem a contrarietate, quia magis cadit sub sensum; conspicue patefacit necessitatem materiæ, & confusum quoddam est; nam principia dicebantur vel vnum vel plura, vel finita vel infinita, vel contraria, vel non contraria. Absolutus est sermo de duobus primis communibus, & confusis; supererat hoc tertium, de quo Philosophus modo verba facit. Diuiditur cont. in tres partes, in quarum prima opinionem dicentium principia esse finita præfert opinioni statuentium ea esse infinita; in secunda profert hanc conclusionem, veteres omnes Philosophos putasse contraria esse principia rerum; In tertia id ostendit inductione. Vt pertinet ad primam partē, inquit, [ Melius est pauciora & finita recipere, quod quidem facit Empedocles ] quasi dicat, Ea opinio, quam nō sequuntur absurda, præferenda est ei opinioni, quam varia sequuntur absurda; opinionem putantium principia infinita varia sequuntur absurda, vt patuit ex disputatione præcedente contra Anaxagoram, quæ non sequuntur opinionem putantium ea esse finita, vt patet ex opinione Empedoclis putantis principia esse sex, nimirum quatuor Elementa ac insuper Litem & Amicitiam, quare opinio putantium principia finita alteri est præferenda. Hanc conclusionem in cont. 50. confirmabit varijs rationibus, vt patebit. Considerandum in verbis, quod Aristoteles inquit melius esse statuere principia pauciora, & finita indicans duas posse fieri comparationes, vnam inter pauciora & plura principia, alteram inter finita, & infinita; quam duplicem comparationem etiam fecit in 8. Phy. 48. loquens de motoribus cœli. Ex prima comparatione prodit ea Naturæ Lex & regula, Natura superuacaneis non abundat, & non facit per plura, quod valet efficere per pauciora; Natura enim Artificiosissima est. Ex altera comparatione prodit altera Lex & regula, quæ est, Natura infinitum renuit, finem quærit; Ratio est, quia Natura præsertim est forma, quæ eadem est terminus, & finis, & operatur propter finem, solum ex materia prodit infinitum id, quod potestate dicitur; Insuper Natura relata ad Deum est ordinata, secundum se est ordo, relata vero ad sua opera est causa ordinis, ordo autem infinito non competit, vt patet ex 8. Physi. 16. Vt pertinet ad secundam partem, inquit [ omnes cōtraria statuunt Principia] ait, omnes, indicans cunctos Philosophos fama celebres vsque ad sua tempora includens etiam Platonem; ait, contraria, vtens voce contrarij late pro quouis genere oppositionis, non autem pro vera contrarietate, contradistincta a reliquis generibus oppositionum; addit, statuunt Principia, denotans nomine principij confuse quoduis internum generationis Principium, siue ad materiam, siue ad formam pertineat: nam Platoni tribuet, quod contrarietatem sumpserit pro materia: Et considerandum quod contraria obtinent locum subiecti enunciationis, Principia vero prædicati, dicendo contraria sunt principia, & iure; nam dantur principia, quæ non sunt contraria, & hoc clarius patebit ex contex. 42. In tertia parte ostendit propositam conclusionem inductione, progrediendo per singula capita opinionum, & per ea præsertim, de quibus id minus apparet; Nam veteres vel statuerunt principium vnum siue immobile, siue mobile; vel plura siue finita, siue infinita. Dubitatio præsertim est de illis, qui vel vnum vel infinita statuerunt; in vno enim & in infinito non videtur posse contrarietas seruari; ideo de his solis loquitur, non de statuentibus pro materia principia plura, & finita, vt fecit Empedocles: nam contrarietas in his proprie sedem habet; Insuper Aristoteles de illis debuit mentionem facere, aduersus quos in præcedentibus disseruit, at ipse solum disseruit aduersus eos, qui vel vnum vel infinita statuere principia, Propterea ratio hunc in modum formanda est; Quicunque vel vnum vel infinita statuere principia, putarunt contraria esse principia rerum, sed veteres omnes, de quibus minus videtur, quod hoc putarint, vel vnum vel infinita statuere principia, Quare veteres omnes, de quibus minus videtur, putarunt contraria esse principia rerum; & si hoc putarunt illi, de quibus minus videtur, longe magis putarunt alij, de quibus magis videtur, quare omnes contraria statuunt principia: minor patet ex prius dictis; maior ostenditur ab Aristotele, & primo de statuentibus

*Diuisio.*

*Vna Lex Naturæ.*

*Altera.*

*Formatur ratio.*

bus id quod est esse vnum,& immobile,de quibus minime apparet; nam Parmenides quamuis considerans ratione essentiam rerum & internam substantiam,dixerit omne quod est esse vnum, tamen res considerans extrinsecus sensu,& secundum accidentia concessit multitudinem & varietatem; cuius varietatis & permutationis principia sta tuit calidum & frigidum,nomine calidi denotãs ignem,& nomine ignis Cœlum; nam veteres Cęlum præsertim putarunt ignem, nomine autem frigidi denotans Terram, & nomine Terræ,connexum ex terra,aqua,& aere sub cœlo positis; quæ omnia veteres putarunt ex se frigida,calefieri autem a cœlo & stellis,quas perennes ignes nuncuparunt; ex qua mutua oppositione Cœli & Terræ censuit Parmenides ortum ducere permutationes rerum; Præsertim accipiebat Terram,quia maxime distat a Cœlo, & quia eam modo aliquo cæteris opponebat; Secundo id ostendit Philosophus per eos,qui putarunt principium vnum & mobile,vt Thales Milesius,qui Aquam, Diogenes qui Aerem, Heraclitus qui Ignem dixere principia; hi namque addebant rarum & densum,qua contrarietate cætera vel rariora, vel densiora gigni putabant. Tertio ostendit id ipsum de statuentibus principia infinita; & quoniam de Anaxagora id est conspicuum,nam Chaos statuebat,in quo infinita corpora similium partium inuicem opposita,& pugnantia reperirentur, ideo de Democrito & Leucippo loquitur, quos sequutus est Epicurus:Hi primo imaginati sunt inane immensum,in quo infinitæ Atomi inuenirentur,innumeris figuris præditæ, & continenter in inani descendentes, ex quarum fortuito concursu,tactu,ordine,figura,& positione gignerentur Mundi varij, & varia,quæ in eis inueniuntur. Ex horum sententia principijs competit contrarietas triplici consideratione; primo referendo atomos ad inane, atomi enim sunt id, quod est,inane vero id quod non est; Secundo comparando atomos ad inuicem,quę sunt præditæ oppositis figuris,vt rectum & orbiculatum,præditum angulis, & eis destitutum; Tertio referendo atomos ad compositum ex eis; ita enim dicuntur inuicem opponi,situ, & ordine, quæ vnà cum figura constituuntur tria genera oppositionum; nam in situ locum habent sursum, & deorsum, anterius,& posterius; de figura iam dictum est; de oppositionibus ordinis nil dicit Philosophus, & iure; nam oppositiones situi tributæ distincta ratione ei,& ordini sunt communes:dum enim varia comparamus vt vnum est prius,veluti sursum,dextrum & anterius, aliud vero posterius, sic ad ordinem pertinent; dum autem ea consideramus vt pro totius constitutione dispositionem aliquam includunt,ita pertinent ad situm, & sunt differentiæ positionis; adeo vt mira arte & breuitate Aristoteles simul vtriusq; attulerit exempla; proprie autem ad situm pertinent recumbere,stare,& similia. Demum colligit Philosophus, Quod itaq; contraria modo aliquo Principia omnes statuant manifestum est. Hæc est conclusio inductione comprobata,& cum addat Philosophus,modo aliquo,id ad duo referri potest,vel ad omnes,quasi dicat modo aliquo omnes,vel ad contraria, quia modo vario, nec omnes proprie contraria sumpserunt; quæ secunda expositio primæ est præferenda; absolute enim in principio Philosophus dixit, omnes statuisse contraria.

## *Caput Dubitationum.*

EX præsenti cont. hæ prodeũt difficultates; prima, quia Philosophus pugnantia profert, tribuit enim Parmenidi, quod putarit omne quod est esse vnum, & quod statuerit contraria, at in cont.50. dicet in vno contrarietatem non seruari; Secundo tribuit Parmenidi; quod putarit id quod est esse immobile; ex aduerso nunc ait,quod assignarit principia generationis,generatio autem sine motu non seruatur. De his verba feci in solutionibus controuersiarum. Sed dubitatur tertio, quia non secus Thales Milesius, Diogenes,& Heraclitus videntur putasse id quod est,esse vnum,& immobile,ac id fecerit Parmenides,cum tamen Aristoteles oppositum eis tribuat,& ostendo; nam Par-

*Dubitatio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

menides videtur putasse id quod est, esse vnum, quia per id quod est denotauit substantiam, quam ad solam materiam pertinere censuit, materiam autem censuit vnam ab ortu & interitu immunem: at hoc ipsum existimarunt Diogenes, Heraclitus, Thales, & alij de quibus ait Aristoteles in hoc primo Phy, cont. 53. quod vniuersum putarunt esse naturam vnam, & in secundo Physi. cont. 9. ait, eos putasse materiam ab ortu & interitu immunem; Dubitatio profectò non est leuis; quam soluens dico re vera eos solum discrepasse per modum loquendi; omnes enim relati Philosophi asserebant ens esse vnum, & ingenitum, renuendo ortum & multitudinem, vt patet ex cont. 71. & sequẽtibus; Parmenides tamen præter considerationem vnius & æternæ materiæ, etiam vtebatur rationibus varijs, ad absurda ducentibus, quibus nitebatur ostendere id quod est esse vnum & immobile, vt patet ex Parmenide Platonis; ideo Aristoteles ait, eum statuisse id quod est vnum secundum rationem. Alia dubitatio est, quia Aristoteles in hoc cont. Figuræ tribuit contrarietatem, cuius oppositum enunciat in prædicamento qualitatis. Soluntur dicendo Aristotelem hoc loci contrarietatis nomen vsurpare late, vt dixi; in prædicamento vero qualitatis, pressius, & proprie. Inquit Auer. figuræ nihil est contrarium, & longe minus circulo, cum sit perfectissima figurarum: hæc sententia duplici ratione est dubia; primo quia similiter dicerem, albedini non competere contrarium (cum sit perfectissima colorum) similiter nec calori, cum sit præstantissima primarum qualitatum; secundo quia Aristoteles sub initio libri Mechanicarum ait in Circulo multiplicem includi contrarietatem. Soluitur dicendo sententiam Auer. absolute destitutam esse necessitate, vim tamen includere præassumpto quod illi generi non competat contrarietas; vt si dixero motoribus cœli non cõpetit contrarietas, quare longe minus Deo, cum sit præstantissimus eorum; & id ipsum dicitur de figuris, non autem dici potest de coloribus & qualitatibus primis. Instantia de circulo soluitur, primo dicendo eas non esse proprie contrarietates; Insuper addo eas non toti circulo competere, sed partibus eius, ac eis præsertim competere quatenus eminenter etiam recti conditiones includit; hoc dicitur ab Aristotele in primo de Cœlo 87. asserente motum orbicularem versari inter contraria, ratione partium oppositarum per diametrum; nam distantia per lineam rectam debet mensurari. Deinde ambigitur qualis denominari debeat ratio ab Aristotele in præsenti cont. formata; Respondeo duo considerari, primo quod ostendatur contraria esse Principia rerum, & hoc ostenditur consensione veterum, quæ est ratio Dialectica per ea, quæ approbantur ab omnibus sapientibus; Secundo quod ostendatur omnes putasse contraria esse principia & hoc fit inductione, vt patuit.

*Solutio.* — *Dubitatio quarta.* — *Auer.* — *Solutio.* — *Dubitatio de Circulo.* — *Dubitatio quinta.*

Cont. 42. *AT id recta ratione, oportet enim Principia neque ex se vicissim esse, neque ex alijs, & ex eis omnia; contrarijs autem primis insunt hæc, ob id enim quod prima sunt, non fiunt ex alijs, ob id quod sunt contraria, non ex se vicissim.*

APPARVIT consensione veterum contraria debere statui Principia; & quoniam Philosophus eatenus aliorum sententiam sequitur, quatenus iudicat eam rectæ rationi consentaneam, propterea quod patuit consensione veterum Philosophorum, nunc ratione ostenditur. Diuiditur cont. in tres partes; in prima formatur ostensio, & quoniam minor cõstat ex tribus partibus, ideo in secunda ostenditur pro vna parte, in tertia pro altera parte; pro tertia autem parte ostendetur in sequenti cont. Ratio ita formatur; Quæcunque

*Ratio.*

cunque non fiunt ex alijs,neq; ex se vicissim,& ex eis cætera fiunt,statui debent Principia rerum,Prima contraria non fiunt ex alijs,neque ex se vicissim, & ex eis fiunt cętera,quare debent statui Principia rerum; maior supponitur,vt nota; minor prædita est tribus partibus & ostenditur pro duabus; Quod non fiant ex alijs ostenditur,quia sunt prima, quibus repugnat, vt prædita sint prioribus, ex quibus fiant; Quod non fiant ex se vicissim, ostenditur, quia sunt contraria, quæ cum sint simplicia & pugnantia, non fiunt, nec mutuo se constituunt, sed potius mutuo se euertent. Quod vero cætera ex eis fiant, ex dicendis patebit,

## *Examen.*

*Cur principiorum tres sint cōditiones.*

VT dicta exactius pateant, considerandum primo est iure optimo tres statui conditiones Principiorum, quæ relatæ sunt; nam Principia ad tria possunt referri,ad supera,ad infera,& ad æqualia. Dum referuntur ad supera,quia sunt prima,carent eis,& inde oritur prima conditio, vt non fiant ex alijs; huc accedit, quod si fierent ex alijs, essent principia, & non principia; vt enim fiunt non essent principia. Dum secundo referuntur adinuicem,oritur secunda conditio, & est vt non fiant ex se vicissim. Ratio est, quia cum principia non debeant fieri, alioquin principiorum essent principia, & daretur progressus in infinitum, etiam non valent fieri ex se vicissim, ita enim fierent, & nullum esset absolute primum, nec vllum esset potius principium, quam res effecta. Tertio principia referri possunt ad sequentia, quæ proprie fiunt; & inde oritur tertia conditio,vt ex eis cætera omnia ortui obnoxia fiant; quæ tertia conditio eis competit, qua tenus prima & communia sunt. Plures comparationes fieri nequeunt, & ob id non valent ex eis plures conditiones prodire. Hæ conditiones recta ratione Principijs congruunt:dum enim principia considerantur vniuerse & confuse, conditiones quoque similiter sunt intelligendæ; dum vero ad genus aliquod contrahuntur, veluti ad Grammaticam,vel ad res Physicas,similiter conditiones ad id genus contrahi debēt; Aristoteles autem confuse & vniuerse loquitur, vt per confusa nos ducat ad distincta. At quæritur, quæ nam earum trium conditionum potissima sit; Respondendum non fieri ex alijs esse conditionem eminentissimam, cum prodeat ex eminentiore relatione,& ex eo quod sunt prima; alteram tamen quod ex eis fiant cuncta esse magis propriam, & intimius constituere principia generationis; & est talis, vt supponat modo aliquo cæteras,& cum principijs primis, & communibus reciprocetur; est enim tanquam differentia postrema, constituens Naturam principiorum; nam quęcunque ita se habent, vt ex eis cuncta ortui obnoxia fiant,sunt prima & communia principia: de reliquis conditionibus non ita se habet, vt consideranti redditur notum. Quæritur insuper,num hæ sint solum conditiones principiorum contrariorum,vel absolute omnium; insuper num sint conditiones principiorum internorum tantū, vel etiam externorum,vt finis,& efficientis? Respondeo eas vniuerse sumptas esse conditiones communes; cum aliqua autem contractione reddi proprias. Aristoteles eas contraxit ad contraria,quia de his erat sermo,& de contrarijs eas ostendit:Nam quatuor considerari possunt; primo fieri ex, tanquam ex termino, & hoc competit contrarijs; secundo fieri ex,tanquam ex parte,& hoc cōpetit materiæ,& formæ; tertio fieri ab aliquo, quod competit efficienti; Quarto fieri alicuius gratia, quod cōpetit fini; Prima principia,hoc exposcunt,vt quatenus sunt principia prima, & in suo genere includant eas tres conditiones, veluti de vltimo fine dicimus, quod non est gratia alterius, & eius gratia sunt cætera. Insuper quæritur num illæ tres censeri debeant conditiones, vel potius affectiones principiorum; si sunt conditiones antecedunt & constituunt principia; si vero fuerint affectiones, sequuntur; affectio enim posterior est eo, cuius est affectio. Respondeo tria considerari,primo Naturam rei absolutam, secundo conditiones

*Quæ sit conditio potissima.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Quatuor cō siderātur in ortu.*

*Num sint cōditiones, vel affectiones.*

*Solutio.*

tiones, tertio principia; veluti primo consideratur essentia materiæ absoluta, qua cōsideratione non est principium, quia hoc relationem includit; secundo refertur ad generationem, in qua relatione ei competunt conditiones, & inde tertio oritur vt sit commune principium. *Dubitatio.* At quæritur vlterius qualis nam iudicari debeat hæc ostensio, qua Aristoteles probat prima contraria esse principia: nonnulli putant esse rationem leuem, & esse inductionem non progredientem per omnia singularia; at decipiūtur, nam hæc est ratio, qua potior pro hoc ostendendo formari nequit; sumpta enim est ex conditionibus principiorum, per quas principia constituuntur, & definiuntur, & est propter quid: conditiones enim rem constituentes sunt ratione priores, & causæ rei; hinc dicendo principia sunt ea prima, quæ non fiunt ex alijs, neque ex se vicissim, & ex eis fiunt omnia, constituitur propositio in primo modo dicendi per se. *Dubitatio.* At oritur dubitatio, primo quia a definitione ad definitum est locus topicus non proprie demōstratio: Insuper inquit Auer. in secundo Poster. 38. Medium ostensionis debere esse aliquid distinctum ab essentia, & eo quod res est, & præsertim quia docet Aristoteles in calce octaui Metaphysicæ non dari causam, ob quam res sit id quod est, vt quod homo sit animal rationale; homo enim est animal rationale non ob aliud, nisi quia homo. His accedit, quod principia in ea scientia, cuius sunt principia, non possunt per priora ostendi; alioquin principia non essent; *Solutio.* Respondeo definitionem explicantem quid rei distingui a re definita ratione, vt distinctum a confuso, veluti elicitur ex quinto cont. huius libri; & cum resoluat definitum in sua principia, consideratur vt causa, & ratio, ob quam definitum est; forma enim est rei ratio, veluti Aristoteles in secundo Physic. 38. ait, homo ædificat, quia est ædificator, est autem ædificator per Artem ædificandi, & hæc est causa prima; sic quamuis non detur causa media inter hominem & animal rationale, tamen animal rationale dicitur causa, ob quam homo sit homo; & interrogati cur est homo, dicimus quia est animal rationale; ita dicendum est de principijs, & eorum conditione, & definitione; hinc definitio est Methodus cognoscendi definitum distincte. Instantiæ relatæ facile diluuntur; dicebatur primo locum a definitione ad definitum esse Topicum; respondeo id esse verum, dum definitio consideratur tanquam commune aliquid populariter approbatum, at non dum consideratur vt rei ratio, & forma; insuper id est verum, dum ea definitio non colligitur inductione ex conspicuis & sensu notis, vt hæc, quæ cum sit causa, & reddita nobis notior distincte definitum patefacit Auerroi dicenti medium esse extra id quod res est, respondeo id esse verum de ostensione affectionum de suo subiecto, at non dum assignatur ratio, ob quam aliquid sit id quod est: sententia prolata ab Aristotele in calce octaui Metaphysicæ mihi non obest, vt prius dixi; nam quod ea contraria sint principia habent ex illis tribus conditionibus, quod autem deinde principia eis conditionibus debeant esse prædita, ex alia causa media non pendet, sed solum per posteriora, & per nota ex se, ostendi potest conditiones illas competere contrarijs, vt patefecit Aristoteles: Addebatur principia in ea scientia non posse ostendi per priora; respondeo Principia cognitionis tantum per priora ostendi non posse, Principia vero, per quæ res etiam sunt, quamuis careant in ea scientia principijs prioribus, tamen sunt prædita sua definitione & conditionibus, quæ sunt ratio eorum, veluti etiam de Mathematico inquit Aristoteles in secundo Physic. 68. quod resoluit in quid est, quod est definitio explicans formam eorum. *Dubia de relatis conditionibus.* His decursis, supersunt modo diluenda dubia attinentia ad veritatem relatarum conditionum. Primum est, quia non apparet Principia non fieri ex alijs, cum omnia ex Deo pendeant, & ille solus non pendeat ex alio. Soluitur, tum quia solus Deus absolute non pendet, prima autem contraria saltem non pendent in suo genere; tum insuper quia quamuis cætera, præter Deum, pendeant, non tamen cuncta proprie fiunt, sed sola composita. Insuper Alexander in primo Nat. quæst. exponens hunc cont. dubitat, quia principia, & præsertim contraria non sunt numero æterna, sed fiunt, quare vel fiunt ex alijs, vel ex se vicissim. Prætermissis, quæ ab Ale-

xandro

xandro dicuntur,respondeo breuibus,contraria variari quidem,at non proprie gigni; proprie gignuntur composita,contraria vero sunt termini generationis eorum; differunt autem contraria prima ab alijs,quia prima contraria in alia priora non resoluuntur,cætera autem resoluuntur in ea. Dubitatur insuper, quia forma est principium, & tamen fit ex alio, cum educatur ex potestate materiæ: soluitur primo dicendo formam educi quidem, at non proprie gigni; sola enim composita proprie gignuntur, cuius propriæ generationis modo quæruntur Principia; additur secundo formã educi quidem,& pendere,at non in genere formæ,sed materiæ; Demum dubitatur, quia conditiones illæ principiorum etiam alijs competere videntur, quare non sunt propriæ eorum,competunt enim actui & potentiæ,insuper generibus generalissimis, nec non motoribus cœli. Respondeo duas earum competere quidem alijs nõnullis, quæ non sunt interna principia generationis,at omnes simul nequaquam, vt consideranti redditur notum; nam tertia non competit alijs,vt ex eis intrinsecus cuncta fiant, quæ ortui subijciuntur:& dum dicitur non fieri ex se vicissim,quia sunt contraria,non assignatur ratio prima,sed proxima & propria contrariorum. *Dubitatio de forma.* *Solutio.* *Dubitatio.*

*ATQVI & ratione quo nam modo hoc accidat considerandum est; Sumendum autem primo est omnium quæ sunt, nihil in quoduis agere, aut a quouis pati, neque ex quouis, quoduis fieri, nisi quis sumpserit ex accidenti. Quo namque pacto album ex Musico posset fieri,nisi albo aut nigro Musicum esse accideret? sed album quidem fit ex non albo, & non ex quouis, sed ex nigro aut intermedijs; & Musicum ex non Musico, & non ex quolibet; sed ex immusico, aut ex medio, si aliquod inter ea medium, fit. Neque igitur in quoduis primum interit, vt album non in Musicum nisi interdum ex euentu, sed in non album, non tamen in non album quoduis, sed in nigrum, aut intermedium: Similiter & Musicum non in quoduis; sed in immusicum, aut si quid eorum medium sit.* *Cont. 43.* *Cont. 44.*

DE instituto Philosophi in his contextibus non consentiunt expositores; puto ego principale institutum eius esse ostendere contrarijs competere conditionem tertiam,quod ex eis omnia fiant, & simul manifestare, quomodo id intelligi debeat, quod contraria non fiant ex se vicissim; adeo vt secunda conditio non aduersetur primæ. Diuiduntur hi duo contextus in quinque partes, in quarum prima patefacit Philosophus institutum suũ, in alijs profert quatuor regulas suo instituto inseruientes, manifestans simul quomodo intelligi debeant. Vt pertinet ad primam partem inquit, sed oportet & ratione considerare quomodo hoc accidat; nã dixerat contraria non fieri ex se vicissim; quod partim verum,partim falsum est; verum quidem, si fieri referatur ad contraria abstracta, & intelligatur fieri proprie tanquam ex parte; falsum autem, si fieri referatur ad concreta,& intelligatur fieri tanquam ex terminis; adeo vt sententia vera hæc sit cõtraria abstracta vt albedo & nigredo non fiunt ex se vicissim, quia sic non fiunt, sed sunt termini generationis: at concreta ita se habent, vt vere fiant ex contrarijs tanquam ex terminis; nam album fit,& termini ortus eius sunt ipsa contraria,vt nigredo & albedo. Iure itaque Aristoteles considerandum proponit quomodo id contingat. [Sumendum autẽ primo est omnium quæ sunt,&c.] profert modo Philosophus regulas, *Institutum philosophi.* *Diuisio.*

*Quatuor regulæ.*

las,quarum prima est,omne agens agere in contrarium ; secunda omne patiens patitur a contrario,vt ignis, quia calidus , agit in aquam,quia frigida ; & hæc quia frigida ab igne patitur,quia calidus est ; tertia omne quod gignitur fit ex contrario ; quarta omne quod interit in contrarium interit ; pro quarum regularum veritate duo addit Philosophus ; vnum est quod intelligantur per se , non ex euentu , nulla enim regula est,quæ ex euentu non valeat videri falsa ; Alterum est, nomine contrarij etiam denotari media ; nam medium ex contrarijs constat , & relatum ad vnum extremum obtinet locum alterius,vt tepidum relatum ad calidum dicitur frigidum , relatum ad frigidum dicitur calidum ; ita calidum fit ex non calido vel ex medio , & Musicus ex non Musico vel ex medio , si medium adest . Et quoniam non Musicus , & non calidum sunt nomina infinita,quæ significant vnumquodque,& quod est & quod non est, termini autem transmutationum certi, & definiti sunt , ideo inquit Philosophus per non Musicum nos debere intelligere non vnumquodque, sed contrarium , vel medium , si medium adest ; similiter per non album & non calidum non denotari vnumquodq;, sed contrarium, vel medium . Ex quo elicimus ratione terminorum trãsmutationem esse quadruplicem,vnam ex extremo in extremum,alteram ex medio in medium,tertiam ex extremo in medium,quartam ex medio in extremum ; omnis tamen absolute dicitur ex contrario in contrarium,quia media,cum constent ex contrarijs,gerunt vicem contrariorum . Hæc est sententia duorum contextuum .

*Quadruplex transmutatio.*

## *Caput Dubitationum .*

EX dictis a Philosopho variæ prodeunt difficultates,quas breuibus proponam & diluam: inquit Philosophus oportere hoc, de quo loquitur , considerare ratione . Quæritur quæ nam sit ratio , qua vtitur . Nonnulli aiunt esse sumptam ex forma,vt Simplicius : alij inquiunt collocatam esse in inductione , qua patet quæ fiunt fieri ex contrario , & quæ patiuntur pati a contrario , & sic de cæteris . Puto dicendum eam proxime pendere ex forma, è longinquo vero ex inductione ; nam ratio ita est formanda ; omnis transmutatio est ex contrario in contrarium , omnis generatio & interitus est transmutatio,quare est ex cõtrario in contrarium : pro medio sumpta est transmutatio,quę cum sit commune genus , dicitur forma communis ; at deinde quod omnis transmutatio fit ex contrario,ostenditur inductione ; & enunciantur quatuor illæ regulæ,quæ inductione patent . Dubitatur secundo , cum sermo sit de internis Principijs ortus & interitus,cur Aristoteles inserit pertinentia ad agens, quod externum est,nec ad rem facit , & præsertim quia de agente non videtur verum quod sit contrarium,cum simile fiat a simili , & motores cœlorum agant in cœlum , & cœlum in hæc mortalia , inter quæ nulla vertitur contrarietas . Respondeo triplici ratione id ab Aristotele fuisse factum ; præcipua est,quia tenebatur ostendere omnem transmutationem versari inter contraria ; transmutatio autem omnis fit actione & passione ; Altera est, quia contrarietas inter agens & patiens est notior ; Tertia , quia contrarietas agentis & patientis respondet contrarietati terminorum transmutationis,& est origo & causa eius,quatenus agens sua contrarietate permutat patiens ex contrario in contrarium,& est ei cõtrarium in principio actionis, simile autẽ in fine, & dum adest similitudo definit actio & passio.Instantiæ de motoribus cœlorum,& cœlo soluuntur , tum quia eis competit oppositio actus & potentiæ , tum insuper quia Aristoteles modo loquitur de actionibus mortalium per qualitates contrarias . Dubitatur tertio , quia Aristoteles profert quatuor regulas . Omnis regula niti debet fundamento aliquo ; ideo quæritur quod nam sit fundamentum earum : respondeo fundamentum esse conditionem transmutationis , nam transmutatio Græcè μεταβολὴ , denotat post aliud aliud , vt dicitur in quinto Physic. & propterea oppositionem exposcit terminorum ; trãsmutatio autem

*Quæ sit ratio.* *Solutio.* *Secũda dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio tertia.* *Solutio.*

omnis

omnis fit actione & passione, & est ortus quidam & interitus, vt dicitur in eodem quinto Phy. nec non in octauo. Insuper, fundamentum aliud elicitur ex conditione agentis & patientis; nam agens nil aliud expetit, nisi reddere patiens sibi simile, hoc autem consequitur repellendo ea, quæ secum pugnant, pugnantia autem sunt opposita. At dubitatur quarto, quoniam Aristoteles conspicue secum pugnare videtur: inquit hoc in loco ortum & interitum versari inter contraria, idque explicans ait album fieri ex non albo, & non ex quouis; sed ex nigro, vel medio; oppositum nos docet in quinto Physic. com. 9. inquiens ortum non inter contraria versari, sed inter esse & non esse, & dicitur transmutatio ex non subiecto in subiectum; & ob id inficiatur eam esse motũ. Auer. com. 44. innuit solutionem inquiens terminum transmutationis esse triplicem, vnum per se & primum, vt album ex non albo; Alterum per se & non primum, vt album ex nigro; tertium ex accidenti, vt album ex calido. Quæ solutio est dubia, primo quia quod est per se, est necessarium; at in ortu non necessario antecedit contrarium, vt in ortu substantiæ, & scientiæ; præterea transmutatio est genus veri motus & ortus, de quibus vario modo se habet. Propterea dicamus secus se habere de ortu & interitu, & de proprie sumpto motu, hic vere & per se inter contraria versatur, vt patet ex quinto Phy. ortus autem & interitus inter contradicentia, per quæ etiam definiuntur; nam ortus dicitur transmutatio ex non esse ad esse, & non versatur ortus inter quæuis contradicentia, veluti homo non fit ex quolibet non homine, puta ex lapide, sed ex eo quod, cum non sit homo, est aptum fieri homo, quod proprie dicitur priuatio; hinc priuatio inter principia ortus & interitus numeratur; hanc priuationem frequenter Aristoteles in hoc libro nomine contrarij circumscripsit, & loquendo de terminis cõfundit in hoc libro terminos motus cum terminis ortus, & interitus, vt etiam confundit motum cum mutatiõne, distinguit autem in quinto libro. Assignaturi itaq; terminos motus debemus dicere album fieri ex nigro; assignaturi vero terminos ortus debemus dicere album fieri ex non albo, quod valeat reddi album; Explicare rationem huius varietatis terminorum generationis & motus non attinet ad hunc locũ, sed ad quintum librum Physi. Quinta dubitatio est, quia Aristoteles inquit Musicum fieri ex non Musico, & non ex quouis, sed ex immusico, aut ex medio, si aliquid sit inter ea medium. Ex his verbis quincuplex oritur dubitatio, prima est quid denotet particula ex; secunda quid nomen medij; tertio quid nomen immusici; quarta cur Philosophus loquatur cum conditione inquiens, si aliquid inter ea medium sit; postrema num inter priuationem & habitum detur medium. Vt pertinet ad primam, inquit Philosophus in primo de Gen. animalium cap. 18. particulam, ex, varia denotare, nonnunquam partem, vt ex ære fit statua; nõnunquam ordinem, vt dicimus ex puero fieri virum, & ex autumno hyemem; nonnunquam causam efficientem, vt ex Leone dicimus gigni Leonem; nonnunquam instrumentum, vt ex semine Leonis Leonem; nonnunquam demum terminum per se transmutationis, in qua significatione modo dicitur Musicum fieri ex immusico. Quærebatur quid denotet nomen medij; dico medium esse multiplex, vnum per negationem, vt Lapis mediat inter videns & cœcũ; Alterum potestate & per priuationem, vt materia inter contraria; Tertium comparatione, vt aer & aqua mediare dicuntur inter grauia & leuia; Quartum est medium per magis & minus, vt tempus vespertinum mediat inter lucem & tenebras; Quinto datur medium molis, & loci, sic Terra in medio est collocata, & centrum est medium circuli; Sexto datur medium per compositionem, vt tepidum & colores medij, qui ex extremis constare dicuntur; hoc mediũ modo denotat Philosophus, ideo in com. 47. ait, huiusmodi medium ex contrarijs constare. Quærebatur tertio quid Philosophus denotet per immusicum, Græce ἄμουσον; Psellus & Ambrosius Nolanus, quos sequitur Vicomercatus inquiunt denotare non priuationem, sed prauam dispositionem, vere contrariam; particula enim priuatiua & priuationem & diminutionem, & deprauationem denotat, vt cum Aristotele ait Galenus in quarto de Placitis Hippoc. & Plat. confir-

*Quarta dubitatio.* *Auer.* *Solutio.* *Quinta dubitatio.* *Mediũ multiplex.* *Immusicus.* *Opinio quorundam.*

confirmant suam sententiam, quia Aristoteles per reliqua exempla contrarium denotauit inquiens, album fieri ex non albo, non ex quouis, sed ex nigro. Hæc opinio non videtur approbanda, tum quia terminus a quo per se generationis nō est contrarium, vt dixi, sed priuatio, & Aristoteles nonnunquam de cōtrario mentionem facit pro circumscribenda priuatione; tum insuper, quia medium inter formam Musicæ & deprauationem, ad rem non facit, id enim medium est priuatio, quod non constat ex contrarijs; Aristoteles autem loquitur de eo medio, quod constat ex contrarijs, vt semetipsum declarat. Insuper ea deprauatio est terminus ex accidenti, non autem necessarius; non enim deprauatio est proprie forma contraria, sed peruersio formæ. Dicamus itaque Aristotelem confuse vti voce contrarij, & confuse assignare terminos generationis & motus, distinctè autem id facere in quinto Physic. ex principali tamē instituto hoc in loco denotare priuationem, quam numerat inter principia. Rationes aduersæ per ea, quæ dixi, solutæ sunt. Quærebatur quarto & quinto cur Aristoteles loquitur cum conditione, si medium adest, inter musicum & immusicum, & num detur medium; Respondeo iure Philosophum cum conditione loqui, quoniā est dubitatio num inter formam & priuationem detur medium. Quod inter contraria sit medium non est dubium, ideo absolute Philosophus dixit album fieri ex nigro vel ex medio; at loquens de musico & immusico denotantia formam & priuationem, quia de his est dubitatio, ideo loquitur cum conditione, si medium adest; & dum quæritur an prædita sint medio, dicendum medium esse duplex, vnum secundum magis & minus ipsius formæ, quod non distinguitur specie a forma; alterum per mixtionem ex oppositis; inter priuationem & habitum non datur medium secundi generis, quoniam priuatio quæ est non ens misceri non potest; datur tamen medium primi generis, non distinctum specie a forma; vt inter lucem & tenebras mediat diluculum, & tempus vespertinum, quia lux per varios gradus recipi potest, ex quo medio etiam per magis & minus tanquam ex termino fieri possunt extrema: & dum dicitur quod remissio fit per contrarium, animaduertendum est, quod vel contrarij nomen proprie vsurpatur, vel late, vt etiam dicitur de priuatione; si vsurpatur proprie, ea regula non est vniuerse vera, sed solum de contrarijs, quorum altero non valet subiectum nudari, vt se habet de calido & frigido, & in corpore mixto, de albo & nigro; de alijs id nō est necessarium, vt de luce, cui non competit contrarium, & de Musica, qua, eiusq; deprauatione valet animus nudari; At si contrarij nomen extendatur etiam ad priuationem, sic remissio semper fit per admixtionem cum contrario, vt priuationi competere valet mixtio, siue connexio cum forma. Occurrit sexto loco controuersia in Aristotele, nam in his contextibus ait, quæ gignuntur per se fieri ex contrario, præsertim denotando priuationem; oppositum enunciat in cont. 74. quo loci soluens dubitationem veterum inquit ea, quæ fiunt non gigni ex non ente, nimirum ex priuatione, nisi ex accidenti; Respondeo priuationem ad duo posse referri, ad ortum, & ad rem ortā; si referatur ad ortum, dicitur per se principium, & terminus eius, & ingreditur definitionem illius; at si refertur ad rem genitam, quia non est eius pars, dicitur principium ex accidenti. At euidentior emergit controuersia; dixit Philosophus in cont. 42. cōtraria non fieri ex se vicissim, mox oppositum profert inquiens contrarium per se fieri ex contrario, & interire in contrarium; controuersia videtur conspicua, de qua interpretes omnes tum Græci, tum Arabes, tum Latini varia dicunt. Auer. quem Latinorum multi sequuntur, ait, fieri ex contrario intelligi posse dupliciter, vel tanquam ex termino a quo, vel tanquam ex parte; dixit Philosophus contraria non fieri ex se vicissim, nempe tanquam ex parte, nunc ait, omne, quod gignitur, fieri ex contrario tanquam ex termino a quo. Hæc solutio non videtur approbanda; primo, quia contraria, quæ sunt principia, non fiunt, sed sunt principia generationis eorum, quæ fiunt, & sunt composita, quare non rectè de illis dicitur, quod fiant ex se vicissim, vt ex termino. Præterea etiam composita, quæ gignuntur, fiunt ex cōtrarijs vt ex terminis, ideo si con-

*Euersio.*

*Opinio propria.*

*An detur medium inter formam & priuationem.*

*Quō remissio fit per cōtrarium.*

*Controuersia in Aristotele.*

*Solutio.*

*Alia cōtrouersia, quō contraria fiant ex se vicissim.*

*Auer.*

*Euersio.*

si contraria fierent, non minus esset concedendum fieri ex se vicissim, quam ex eis fieri alia; demum tunc Aristoteles vteretur fieri ex, loquendo de contrarijs, in varia significatione, & per æquiuocationem nos potius illuderet, quam doceret. Propterea dimissis cunctis, quæ dicuntur ab alijs, ex Platone in Phędone optimam elicio solutionem, & miror Simplicium in Platone versatum eam nō retulisse; Plato in Phędone loquens de terminis ortus & interitus latissime patefacit omne quod fit fieri ex cōtrario, quod cum patefecisset, simulque manifestasset contraria non fieri ex se vicissim, excitat hanc eandem difficultatem, nam ea duo inuicem pugnare videntur; quam soluens inquit contrarium dupliciter vsurpari, vel pro abstracto, vel pro concreto, vt albedo, & album; pro abstracto non fiunt, sed sunt termini ortus, solum fiunt pro concreto, non enim fit albedo sed album, & omne, quod fit, est compositum, vt docet Aristoteles. Ex his elicitur cōspicua solutio; nam contraria sumpta pro abstracto nō fiunt ex se vicissim, cum sint contraria simplicia, & termini ortus, sed omnia quæ gignuntur, quæ sunt concreta & composita, fiunt ex cōtrarijs, tanquam ex terminis; sic fieri semper vsurpatur proprie & in eadem significatione; Prima enim contraria non proprie gignuntur ex alijs, quia sunt prima, & non gignuntur; similiter non gignuntur ex se vicissim, sed omnia quæ gignuntur, quæ sunt composita, fiunt ex eis, adeo vt contraria in abstracto, nec tanquam ex parte, nec tanquam ex terminis ex se vicissim fiant, cum absolute non fiant, sed sint termini eorum, quæ fiunt. Hæc solutio optima est, vere digna ingenio & iudicio Platonis. Et siquis instet, quia eadem erit ratio cæterorum contrariorum, nam ea quoque non fient ex alijs, Respondeo hoc esse commune contrarijs omnibus non gigni ex se vicissim, vt indicauit Aristoteles, at non ob id cætera sunt principia, quia non sunt prima & communia, ex quibus vt ex terminis cætera omnia, quæ gignuntur, fiant. *Solutio.*

*NEC secus se habet in cæteris, quoniam & eorum, quæ simplicia non sunt, sed composita, eadem est ratio; verum quia opposita affectiones nomine carent, id accidere latet; necesse enim est omne harmonia præditum, ex eo fieri quod harmonia non est præditum, & non præditum harmonia, fieri ex prædito, & interire harmonia præditum, in inconsonantiam & in hanc non quamlibet, sed in oppositam. Nil autem refert vel de harmonia loquamur, vel de ordine, vel de compositione; constat enim quod eadem est ratio, nam & domus, & statua, & aliud quoduis, quod hoc modo composita hæc non essent, sed diuisa, fiunt; Et statua, & figurata, ex non figurato, & vnumquodque horum partim ordo est, partim compositio.* *Cont. 45.* *Cont. 46.*

CVM Philosophus loquendo de simplicibus ostendisset id quod gignitur fieri ex contrario, institutum modo eius est patefacere id ipsum esse verum de compositis, quamuis de eis id magis lateat; ratio instituti est vt vniuerse de omnibus colligere valeat, omne quod fit ex cōtrario fieri. Diuiduntur hi duo contextus in duas principes partes, in quarum prima affirmat Philosophus id quod dictum est de simplicibus, etiam esse verum de compositis; in altera id ostendit. Vt pertinet ad primā partem, inquit id quod dictū est de simplicibus, quod ex contrario fiant, etiam seruari in compositis; at quia compositorum *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

positorum oppositæ affectiones destitutæ sunt proprio nomine, ideo latet ea ex contrario fieri; Necesse enim est omne harmonia præditum, &c. ostendit in hac secunda parte Philosophus composita quoque fieri ex contrarijs, & quoniam oppositiones propriæ eorum latent, ideo considerat quatuor communes oppositiones, quæ ad cōposita pertinent; composita enim includunt compositionem, ordinem, harmoniam, & figuram; si consideramus compositionem, inspicimus compositum gigni ex non composito, vt domus ex non compositis lapidibus, & interire in non composita; similiter harmonia præditum fit ex non prædito, ordinatum ex non ordinato, & figuratum ex non figurato; quæ quatuor oppositiones in duo tanquam capita rediguntur, nimirum in compositionem & ordinem, nam figura ex eis consurgit, similiter harmonia; nam ordo est congruens ratio partium adinuicem, ex qua congruente ratione, & compositione, cum figura, tum harmonia consurgit.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Cūcta gigni ex cōtrario prius a Platone fuit ostensum.* ANIMADVERTENDVM primo est vniuersam hanc sententiam ab Aristotele prolatam, latissime etiam a Platone in Phædone explicari; in eo enim Dialogo legitur omne quod fit ex contrario fieri; id tamen de nonnullis latere, quia oppositæ affectiones nomine carēt, vt etiam hoc in loco dicitur ab Aristotele: *Prima dubitatio.* Sed oritur prima dubitatio, quia Philosophus secum pugnare videtur. Hoc in loco ait cum simplicia, tum composita ex contrario fieri, adeo vt fateatur etiam fieri simplicia; in cont. autem 64. colligit ex dictis *Solutio.* omne quod fit esse compositum. Soluitur dicendo simplex & compositum esse duplex vel absolute, vel per comparationem: simplex absolute, non fit, omne enim quod fit constat ex materia & forma; fit tamen simplex per cōparationem; vt quatuor elementa *Secūda dubitatio.* dicuntur simplicia, quia non sunt mixta. Sed oritur altera dubitatio: nam quæritur quid nomine simplicium, nomineque compositorum hoc in loco denotet Philo*Themistius.*sophus. Themistius putat nomine simplicium denotari accidentia, quorum contrarietas est conspicua; nomine vero compositorum denotari substantias, quarum con*Euersio.*trarietas latet; quæ expositio est dubia, quoniam Elementorum oppositio conspicua est. Præterea Aristoteles loquens de compositis considerat figuram, ordinem, & harmoniam, quæ sunt accidentia: his accedit quod Aristoteles confuse nunc loquitur de *Opinio propria.* ortu cum substantiæ, tum accidentium, non distinguendo vnum ab altero. Propterea puto ego Aristotelem per simplicia denotasse, cum quatuor Elementa, tum ea omnia, quæ vna aliqua qualitate denominantur vt album, Musicum, & similia; per composita vero denotasse mixta, & ea præsertim, quæ sunt dissimilium partium, vt viuentia, & cætera quę nomine aliquo proprio denotātur, vt homo, domus, planta, & similia, quorum oppositæ affectiones & differentiæ satis latent; & iure modo consimilia appellat simplicia, cum adhuc non patefecerit necessitatem materiæ, qua patefacta dicet omnia *Dubitatio tertia & quarta.* quæ fiunt esse composita. Dubitatur tertio, quomodo contrarietas compositorum magis lateat, minusque sit prædita nomine. Additur dubitatio quarta, quomodo substantia fiat ex contrario, cum careat contrario; *Solutio.* Respondeo cōtrarietatem simplicium magis patere, tum quia simplicia sunt quatuor Elementa, quorum contrarietates ad tactum pertinentes summæ sunt & maxime sensum mouent; tum insuper, quia per simplicia, vt dixi, Aristoteles etiam ea denotat, quæ per vnam aliquam qualitatē denominantur, vt album, dulce, musicum, & similia, quarum qualitatum contrarietas est *Pro ortu substantiæ triplex requiritur cōtrarietas.* conspicua. De quarta difficultate dico pro ortu substantiæ triplicem requiri contrarietatem, vnam externam quatuōr primarum qualitatum, sine quarum pugna nullus fit ortus; secundam priuationis & formæ; Tertiam differentiarum substantiæ, quarū oppositio ad contrarietatem redigitur, vt docet Aristoteles in Metaphysicis. Prima contrarietas requiritur vt instrumentum; Secunda pro terminis ortus & interitus, de

qua

qua præsertim modo est sermo; Tertia vt vnius ortus sit alterius interitus & vice versa,id enim ex eo pendet,quia pugnanres illæ formæ non simul seruantur, nec materia valet nudari vna forma,quin induat alteram; hæ tres oppositiones in substantia mortali iunctæ sunt,nec reperitur vna sine altera. Dubitatur quinto, quinam sit ordo earum quatuor oppositionum, quas Aristoteles in compositis considerauit, & quibus nam competant. Pro solutione dico primam origine esse cōpositionem, primo enim consideratur compositio partium; Secundo consideratur congruens ratio partium adinuicem,& ad vnum primum,& hic est ordo; Tertio ex huiusmodi congruente ratione partium consurgit harmonia, & consonantia earum adinuicem; Quarto ex eis consurgit figura, veluti pro hominis constitutione componuntur membra, ex quorum congruente ratione adinuicem,& ad vnum primum, prodit ordo, & inde consonantia partium adinuicem, & demum figura; hinc iure Aristoteles ea quatuor ad duo prima tanquam ad capita redigebat. At perpendendum superest quibus nam ea cōpetant. Pro solutione considerandū substantiarum primas origine esse quatuor Elementa,quæ cum modo considerentur vt simplicia,nil eorum includere dicuntur; non enim modo consideratur compositio ex materia & forma, cum adhuc non sit ostensum materiam requiri pro rerum ortu; Secundo inueniuntur mixta consimilia, vt vinum,sanguis & alia huius generis,quibus competit compositio ex quatuor Elemētis, non autem ea,quę est ex partibus dissimilibus,quam præsertim modo considerat Philosophus,nec aliud cæterorum,cum non sunt prædita varietate partium; solum dicere valemus Elementa,ex quibus ea mixta constant,prędita esse quadam mutua ratione adinuicem, quæ est consonantia quædam sine ordine, quam modo Philosophus non considerauit: solum enim considerauit consonantiam partium dissimilium compositi; Tertio succedunt plantæ,animalia,& artificiosa, quæ eorum sunt imitationes; his competit compositio distinctarum partium,ordo earum,consonantia & per consequutionem figura; nam ex rebus Physicis sola viuentia sunt prædita propria figura. Inquit Simplicius nullam dari compositionem, vel arte, vel natura factam sine ordine; hæc sententia est dubia ob compositionem ex quatuor Elementis in mixto; nisi dicamus Simplicium loqui de compositione totius ex partibus dissimilibus, vt hominis & domus,de qua etiam præsertim loquitur Aristoteles: Inquit Philoponus in statua reperiri ordinem sine compositione; quæ sententia non est vera, ordo enim est posterior compositione, & eam præsupponit; statua autem composita dicitur ex partibus eam constituentibus, quæ sunt imitationes partium hominis. At dicet aliquis in numero, in locatis in sensibus, & in exercitu reperiri ordinem sine compositione. Respondeo compositionem necessario antecedere, dum loquimur de eo, quod est vnum genitum,præditum varietate partium, non autem de varijs subordinatis totis, vera compositione destitutis.

*Quod si ita res se habet, omnę generabitur, quod generari natum est, & interibit quod natum est interire, vel ex contrario, vel in contrarium, & horum media; media autem ex contrarijs constant, vt colores ex albo, & nigro; quare omnia vtique erunt, quæ natura fiunt, vel contraria, vel ex contrarijs.* Cont. 47.

OSTENDENDUM sibi proposuit Philosophus in cont. 43. tertiam conditionem communium principiorum,nimirum cuncta ex eis fieri, competere primis contrarijs,vt inde pateret ea esse principia rerum; & cum hactenus id cumulate ostendisset, in hoc cont. duplicem colligit conclusionem,vnam attinentem ad ortum,& interitum,alteram ad ea,quæ oriuntur & intereunt; quarum secunda ex prima pendet. Diuiditur contextus in tres partes,

Marginalia: *Quinta dubitatio.* *Solutio.* *Institutum.* *Diuisio.*

partes, in prima infertur prima concluſio, in ſecunda diluitur tacita obiectio, in tertia

*Expoſitio.* infertur altera. Ait igitur in prima parte, Quod ſi ita res ſe habet, hoc eſt ſi vera ſunt ea, quæ diximus, omne quod oritur, orietur ex contrario, & interibit in contrarium.

*Ratio.* Colligitur hæc concluſio ex dictis hunc in modum; Omnia cum ſimplicia, tum compoſita fiunt ex contrarijs; & intereunt in contraria; cuncta quæ gignuntur vel ſunt ſimplicia, vel compoſita, igitur cuncta quæ gignuntur, fiunt ex contrarijs, & intereunt in contraria; & quoniam obijcere quiſpiam poſſet, ne dum fieri ex contrarijs, ſed etiã ex medijs, Ideo Ariſtoteles in ſecunda parte hoc concedens ait media ex contrarijs conſtare, & ob id obtinere locum cõtrariorum; nam medium comparatum cum vno

*Triplex cõtrarietas.* extremo, obtinet locum alterius, & ex medio fit vnum extremum, quatenus eſt particeps alterius; hinc triplex datur contrarietas, vna extremorum ad inuicem, ſecunda mediorum inter ſe, tertia mediorum, & extremorum. Prima eſt contrarietas abſoluta, aliæ in parte; & ſimiliter triplex datur permutatio ei reſpondens.

*Triplex pmutatio.* Tertio infert Philoſophus concluſionem alteram attinentem ad ea, quæ oriuntur, & intereunt, inquiens; [ quare omnia vtique erunt, quæ natura fiunt, vel contraria, vel ex contrarijs,

*Ratio.* vt media. ] Hæc ſecunda concluſio elicitur ex antecedente hunc in modum; Quæcũque fiunt ex contrarijs vel medijs, ea vel contraria ſunt, vel conſtant ex contrarijs, vt omnia, quæ gignuntur, fiunt ex contrarijs, vel medijs; igitur omnia quæ gignuntur, vel ſunt contraria, vel ex contrarijs conſtant. Hæc eſt breuis explicatio verborum.

## *Caput Annotationum.*

*Quid primo conſiderandum.* CONSIDERANDVM primo eſt, ſententiam hoc in loco à Philoſopho prolatam, & comprobatam, ei eſſe ſimilem, quam profert in primo de Cœlo cont. 20. inquiens, recte Naturam liberaſſe cœlum a contrarijs, cum ab ortu, & interitu debeat eſſe immune, quæ inter contraria verſantur.

*Quid ſecundo.* Inſuper animaduertendum vere Philoſophum nos deducere in notitiam principiorum per communia, & confuſa; nam fieri ex contrarijs commune eſt ne dum ortui Phyſico, verum etiam violento, & artificioſo; ideo Ariſtoteles frequenter exempla ſumit ab arte, idque facit, quia ars æmulatur Naturam; Inſuper id verum eſt de ortu ſubſtantiæ, & accidentium, ac demum de ortu attinentium cum ad corpus,

*Quid tertio* tum ad animum, ideo etiam exemplum dedit de Muſico, & immuſico; Inſtitutum tamen eius eſt loqui de Phyſicis, & præſertim de ortu, & interitu ſubſtantiæ. Præterea conſiderandum, quod dum cõtrarium refertur ad ortum, & interitum, id debet intelligi pro abſtracto, nam priuatio, & habitus ſunt termini ortus, & interitus; dum vero refertur ad rem genitam, debet intelligi pro concreto, quia compoſita gignuntur. Ariſtoteles tamen hæc modo non diſtinguit, quia adhuc non patefecit neceſſitatem ma-

*Quid quarto.* teriç, & ea quæ fiunt conſtare ex materia, & forma. Demum eſt animaduertendum quod, cum Ariſtoteles dicat medium conſtare ex contrarijs, non leuis eſt dubitatio quomodo id contingat: & quoniam exacta diſcuſſio non attinet ad hunc locum, ſed potius ad caput de mixtione, ideo nunc breuibus & lucide ſolum meam opinionem

*Medium duplex.* proferam. Medium eſt duplex vnum inter formam, & priuationem, Alterum inter contraria: Medium primum non eſt compoſitum, priuatio enim proprie miſceri non poteſt, ſed eſt forma, per gradus recepta in ſubiecto, veluti diluculũ, & tempus veſpertinum: Medium inter contraria etiam eſt duplex, vnum ſecundum magis, & minus, quod conſtituitur, dum extrema inuicem agunt, & remittuntur, ſed noua forma non conſurgit, & tunc id medium non eſt forma vna tertia, ſed ſunt duæ formæ oppoſitæ, remiſſæ; Aliud verius medium eſt, dum ex contrarijs remiſſis tertia forma conſurgit, vt ex albo, & nigro color rubeus; & de hoc eſt dubitatio, de quo id ipſum dicendum puto, quod dixi in libro de mixtione de conſtitutione formæ mixti, ex formis Elemẽtorum; hoc enim medium fit ex extremis, non tanquam ex terminis ſolum, ita enim

iter

iter ex Athenis ad Thebas, ex Thebis, & Athenis cōstaret, sed tanquam ex partibus, & gradibus; ita tamen vt illi qui fuerunt gradus inexistentiæ extremarum formarum, euadant gradus inexistentiæ medij, dico gradus inexistentiæ, quia essentiæ formarum non competunt gradus, sed omnis forma est simplex essentia.

*HUcusque ferè, vt antea diximus, & aliorum plurimi* Cont. 48.
*vnà progreßi sunt; omnes enim Elementa, & ab eis vocata Principia, quamuis sine ratione, tamen contraria dicunt, quasi ab ipsa veritate coacti; At differunt inter se, quod alij priora, alij posteriora, & nonnulli ratione, alij sensu notiora accipiunt; Hi namque calidum, & frigidum, alij humidum, & siccum, alij impar, & par, nonnulli concordiam, & discordiam, generationis causas statuunt, hæc autem inter se differunt eo modo, qui dictus est; Adeo vt eadem quodam modo, & varia dicant, varia quidem, quemadmodum videtur plurimis, Eadem autem Analogia, ex* Cont. 49.
*eadem namque serie accipiunt, nam contrariorum alia continent, alia continentur; sic itaque eodem, & vario modo, & melius, & deterius enunciant, & hi quidem notiora sensu, alij ratione, vt antea dictum est; Uniuersum enim ratione est notum, singulare vero sensu, nam ratio vniuersi est, sensus vero singularium, ceu magnum, & paruum ratione, rarum, & densum sensu: patet itaque oportere principia esse contraria.*

PATEFACIT Philosophus primo consensione, secundo ratione, prima contraria esse principia rerum; modo institutum eius est inter se comparare veterū Philosophorum opiniones & patefacere, quomodo partim consenserunt, partim dissenserunt. Ratio instituti prima est, vt auditores excitet ac paret ad inuentionem verioris sententiæ; secunda vt patefaciat non omnia contraria esse principia rerum; tertia vt eliciat id quod veteres a veritate coacti concordes protulerunt, & deferat ea, de quibus dissenserunt, ob deprauatas eorum rationes; Demum vt colligat contraria pro principijs seligenda debere esse prima. Hoc itaque est institutum Philosophi & ratio instituti. Diuiduntur hi duo contextus in quatuor partes, in quarum prima refertur consensio opinionum, in secunda dissensio; in tertia repetitur vtrunque, in quarta colligitur conclusio. Vt pertinet ad primam partem inquit Philosophus, [Hucusque fere (vt antea diximus) & aliorum plurimi vnà progressi sunt;] quasi dicat Philosophus, contraria esse Principia rerum non est inuentum nostrum. Sed si absolute numerū consideramus, hominum qui id putarunt plurimi fuerunt, si consideramus Philosophos, omnes ita putarunt cōtraria esse principia rerum; ita non secum pugnat, cum primo dicat plurimos, mox omnes; nam Philosophi omnes, qui plurimi fuerunt id putarunt: addit ferè, quod quidem referri debet ad illud, vnà progressi sunt, indicando eos non penitus, sed in parte consensisse; & iure ita loquitur, quia institutum eius est patefacere veteres partim cōsensisse, partim dissensisse; & statim referens ea, de quibus consenserunt inquit, omnes enim Elementa, & ab eis nuncupata principia, quamuis sine ratione, tamen contraria

*Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

statuunt, quasi ab ipsa veritate coacti. Ex his verbis quatuor eliciuntur consensiones; prima est quod hæc interna, quæ (referente Simplicio ex sententia Eudemi) primo a Platone, mox ab Aristotele nuncupata fuere Elementa, a veteribus omnibus denotabantur nomine Principij, quos sequutus est Aristoteles, dum in primo cont. proponit primo agendum de principijs, & in calce libri colligit se de principijs egisse; Secunda consensio est, quod omnes ea putarunt contraria; Tertia quod id protulerunt sine ratione, non quidem sine ratione perfecta, & cum ratione imperfecta, siue imperfecta inductione, vt vna cum Auer. inquit Zimara, sed absolute sine ratione; quoniam vt legitur in primo Metaphysicæ cap. 5. multi statuere contraria principia, & id non animaduerterunt; Quarta consensio est, quod id protulerunt quasi a veritate coacti; [At differunt inter se, &c.] relata consensione, refert in hac secunda parte Philosophus dissensionem inquiens differre inter se quod alij priora, & alij posteriora, & nonnulli ratione, alij sensu priora sumpserunt; His verbis non duas, sed vnicam (vt puto) Aristoteles refert dissensionem, & est quod nonnulli putarunt principia absolute posteriora, quæ tamen essent priora sensu; alij vero priora ratione & absolute: & quod vnicam denotarit dissensionem primo patet, quia statim vnius tradit exempla; Secundo quia dum mox eam repetet pro vna & non pro duabus refert; afferens exempla inquit, hi namque calidum & frigidum, vt Parmenides; Alij humidum & siccum. Alexander, referēte Simplicio, dixit hoc secundum exemplum vel esse referendū ad eundem Parmenidem, qui præter calidi & frigidi oppositionem, hanc quoq; statuit principium: at Aristoteles hanc retulit tanquam opinionem distinctam inquiens alij, &c. propterea addidit id forte esse referendum ad Empedoclem; verum contrarietas approbata ab Empedocle non hæc est, sed lis & amicitia. Porphyrius id tribuebat Anaximeni statuenti pro principijs terram siccam, & aquam humidam; multi tamen Anaximeni tribuunt quod sumpserit aerem, forte denotauit opinionem Thaletis, & eorum qui pro principio statuerunt aquam humidam, at non sine sicco eius opposito; vel indefinite id intelligendum est, siquis id censuit; & hæc relata sunt priora & notiora sensu, Natura vero & ratione priora illi statuere, qui pro principijs sumpserunt par & impar, vt Pythagoras, statuens numeros principia rerum, vel litem & amicitiam, vt Empedocles: & considerandum quod Aristoteles referens oppositiones, primo refert partem denotantem formam, vt calidum, humidum & impar, quod non seruauit de lite, quam prætulit amicitiæ, & ratio huius forte est, quia ex sententia Empedoclis lis iudicabatur origo vniuersæ generationis huius Mundi litis; Amicitia vero Mundi sphæri. Calidum, frigidum, humidum, & siccum esse priora & notiora sensibus patet, cum sint qualitates primæ, primo cadentes sub sensum primum, nempe tactum. Par & impar esse priora ratione patet, quia sola ratio est apta numerare; similiter lis & amicitia ratione percipiuntur, cum sint consensio & dissensio rerum, de quibus dicebat Empedocles, sed Mente aspice, neque enim oculis lustrantur. [Adeo vt eadem quodam modo & varia dicunt, &c.] hæc est pars tertia in qua Philosophus consensionem & dissensionem repetit inquiens, eos partim dissentire, partim consentire; nam varia dicūt, quēadmodum videtur plurimis, hoc est multitudini, & viris solum externa inspicientibus; nam ea dissensio singulis est nota, cum Philosophi varij varia statuerint principia, indicans consensionem non adeo esse conspicuam, & solum patere illis, qui intimius cōtraria considerant; ideo ait, Eadem autem enunciant, secundum Analogiam, hoc est similitudinem rationis; quam similitudinem explicans inquit, Ex eadem namque serie accipiunt, hoc est statuunt pro principijs contraria eiusdem systochię, hoc est seriei & ordinis, nempe formę & priuationis; veluti calidum & frigidum eiusdem sunt seriei & gradus, similiter amicitia & lis, par & impar; & clarius hoc explicans inquit, nā contrariorum alia continent, hoc est obtinent locum formæ & exuperantiæ; alia continentur, quia seruant locum priuationis & defectus, vt se declarat Philosophus in cont. 55. inquiens, contraria sumpta a veteribus esse exuperantiam & defectionem, vt

dictum

*Prima consensio.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Dissensio.* *Alexāder.* *Porphyrius.*

dictum est prius, indicans locum hunc. Analogia itaque, siue similitudo rationis opinionum hæc erit, vt apud Parmenidem calidum se habet ad frigidum, ita apud Pythagoram impar ad par, & apud Empedoclem amicitia ad litem, quia vnum est tanquam forma & continens, alterum tanquam priuatio & contentum, indicando quod omnes eminus & confuse inspexerunt hanc veritatem, quod forma, & priuatio sint principia: ita explicanda puto hæc verba Philosophi, secundum quã expositionem & vera sunt, & ad rem faciunt; a plurimis tamen exponuntur secus; nam inquiunt veteres depromplisse sua principia contraria ex serie contrarietatum constituta a Pythagora, in qua quædam contrarietatum continent, hoc est sunt superiores, aliæ continentur, & sunt inferiores: quæ explicatio est falsa, tum quia id non facit ad rem, tum insuper quia non explicatur analogia, hoc est similitudo rationum; tum etiam quia Aristoteles nõ ait contrarietatum, sed contrariorum vnum continere, aliud contineri; tum insuper quia Aristoteles in cont.55. se ipsum declarat, vt retuli; tum demum, quia non omnes illæ contrarietates reperiuntur in serie contrarietatum constituta a Pythagora; & prę sertim, quia multi eorum Philosophorum seniores sunt Pythagora. Sequitur Philosophus colligens summam dictorum, sic itaque eadem, ac varia, & melius, & deterius enunciant, & hi quidem notiora sensu, alij ratione, vt antea dictum est, adeo quod Philosophus priora, & posteriora redigat ad notiora sensu, quæ absolute sunt posteriora, & notiora ratione, quæ absolute sunt priora, Quod declarans inquit; vniuersum enim ratione est notum, singulare vero sensu, nam ratio vniuersi est, sensus vero singulariũ; dat exempla, ceu magnum, & paruum ratione, rarum & densum sensu; Magnum, & paruum pro principijs statuebãtur a Platone; rarum vero, & densum a Thalete, Diogene, Heraclito, & alijs. Ex dictis demum colligit contraria esse principia rerum.

*Quò veteres eadẽ secundũ Analogiam.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

Patefecit Philosophus veteres de contrarietate Principiorum summopere consensisse; nam consensere primo de nomine, quia ea nuncuparunt principia; secundo quia ea dixere contraria; tertio quia sine ratione; quarto veritate coacti; quinto quia dixere eadem secundum similitudinem rationis; sexto quia ea statuerũt modo aliquo prima: Dissenserunt vero primo, quia varij varias seligebant contrarietates; secundo quia vario modo principia dixere prima; nonnulli enim sensu, alij ratione statuerunt prima; ex primo Metaphysicæ elicitur tertia differentia, & est, quia plurimi inconsulto, & id non animaduertentes, statuerunt contraria, alij vero vt Alcmæon per se, & consulto. Ea autem, quæ instituto Aristotelis præsertim inseruiunt, hæc tria sunt, contraria prima, formam, & priuationem præseferentia esse Principia, quod asserit veteres protulisse veritate coactos. Dubitatur primo, quia perperam Aristoteles contraria appellat Elementa; nam inter contraria numeratur priuatio, cui non competit definitio Elementi, cum non sit rei pars; dubitatur secũdo, quomodo valeamus cogi a veritate ad eam confitendam; tertio inquit Philosophus sensum esse singularium; oppositum profert in calce secundi Poster. inquiens sensum esse vniuersalium, sentire vero singularium; quarto dubitatur, quia Aristoteles inquit rationem esse vniuersalium, cum tamen etiã singularia ingrediantur argumentationes; & Mens etiam singularia apprehẽdat. Dubitatur quinto, Quomodo magnum, & paruum dicatur notius ratione, rarum, & densum sensu, cum tamen magnum, & paruum numeretur inter sensilia communia, cunctis sensibus conspicua, & in vtrisque locum habeant singularia, & vniuersalia. Demũ dubitatur, quomodo Aristoteles dicat quædam esse notiora sensu, alia ratione; cum enim hæ sint facultates distinctæ, & cognoscant distincta, non recte dicitur vnum notius sensu, si non apprehenditur ratione, neque notius ratione, si non apprehenditur sensu; comparatio enim cognitionis alicuius a varijs facultatibus exposcit, vt ab eis id

*Prima consensio.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Quinta.*
*Sexta.*
*Prima dissensio.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quæ inseruiunt instituto Arist.*
*Dubitatio prima.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Quinta.*
*Sexta.*

iudicetur; veluti non recte diceremus coloratum esse prius,& notius secũdum visum, sapore vero præditum secundum gustatum. Soluitur prima dubitatio dicendo, Elementi nomen maxime proprie dici de materia,quæ origine est prima,& remanet post compositi interitum; secundo de forma,quæ rei est pars; extenditur tamen ad priuationem ex accidenti, quatenus est principium internum, est eadem numero cum materia,& etiam modo aliquo est forma,vt dicitur ab Aristotele in secundo Phy. 14. Insuper Aristoteles cuncta interna Principia appellat Elementa, sumendo nomen a principalibus,& per se principijs; A veteribus ea nũcupabantur principia,Aristoteles tamẽ principij nomẽ præsertim tribuit efficienti,quod definit per esse principium motus,vt patet ex 12. Metaphysicæ 23. Galenus in lib. de Elementis, & de natura humana sequitur veteres, & materiam, & formam negat debere dici Elementa compositi, sed ait dicenda eius principia. Quærebatur secundo, quomodo veritas nos cogere valeat; pro solutione dico id contingere posse vel modo diuino, diuinaque reuelatione, ita legitur Deum multifariam multisque modis loquutum fuisse cum hominibus; vel modo humano,& hoc tribus modis; vel enim cogimur a veritate primorum principiorum demonstrationis, per quæ noscimus rem, quæ ostenditur non posse aliter se habere; vel secundo cogi possumus a veritate apparente in rebus, sub sensum cadentibus,vt cogimur fateri motum esse,qui duo modi ad rem non faciunt,quia veteres,& sine ratione,& sine animaduersione huius veritatis dixere contraria esse Principia rerum,vt dicitur in primo Metaphysicæ cap. 5. vel id fit modo tertio; pro quo considerandum quod cum omnia pendeant ex bono,& vero, cuncta etiam communi quodã instinctu pro suæ conditionis capacitate,ad ea sunt procliuia,& præsertim homo,munere mentis,per quam proximius cũ vero,& bono necti valet; inde euenit vt frequenter latenti aliqua excitatione ab imaginibus rerum facta,etiam ipso inscio, & non animaduertente,ad bonum tendat,verumque proferat; Ideo dicebat Auer. 12. Metaphysicæ 36. prophetas multa enunciare,quę nõ intelligunt; hoc præclare affirmauit Philosophus septimo Nicomachiorum cap. 13. inquiens, in omnibus diuinum quiddam inest natura,per quod in idem tẽdunt, propterea Hesiodi sententiã approbat dicẽtis.

*Fama autem haud dubie, non funditus interit illa,*

*Quam multi celebrant Populi.*

Ita vox populi,vox Dei dicitur, quatenus interna commotione, diuinoque contactu profertur. Similiter assignatur ratio eius,quod dicitur,mulierum consilia sine præcurrente meditatione esse meliora præmeditatis, nam ea proferunt per instinctum naturæ,vt etiam nonnunquam pueri. Hoc fundamento seruantur ex sententia Aristotelis pertinentia ad prophetiam,Diuinationem,bonamque Fortunam, quæ distinctius seruantur per Principia Academicorum, distinctissime autem, & procul ab omni nube deceptionis,per decreta nostrorum Theologorum, quibus me subijcio. Dubitabatur tertio,quia sensus non videtur esse singularium: respondeo facultatem sentiendi dici vniuersalium,quia non est contracta ad singulare aliquod, sed æquè se habet ad omnia,actus aut sentiendi contrahitur deinde ad distincta singularia; & cum facultas sentiendi,statuatur vniuersalium, ea non est vniuersalium seiunctorum, sed existentium in singularibus,nec vniuersalium actu,sed potestate: de hoc vniuersali loquebatur Philosophus dum dicebat pueros nuncupare viros omnes patres & fœminas matres; Aristoteles,autem hoc in loco considerat non facultatem,sed actum secundum sensuum. Dubitabatur quarto,quia etiam Mens & ratio sunt singularium: Respondeo vnicuiq; tribuendum est id,quod eius est proprium,Mens, vt commune aliquid ei est & sensui, iudicat singularia,at propria cõditione vniuersalium est; & præsertim dici debet vniuersalium,quia facultates & vires per maximum mensurantur, vt nos docet Philosophus in primo de Cœlo. Quinta dubitatio erat de magno & paruo, quæ dicuntur notiora ratione; Pro solutione tria dico; primum est Aristotelem hoc in loco per singularia notiora sensu non proprie singularia denotare,nemo enim veterum singularia statuit

Solutio primæ difficultatis.

Galenus.

Solutio secundæ. Quõ a veritate cogamur.

Solutio 3.

Solutio 4.

Solutio 5.

ſtatuit principia ; ſed ea communia, quæ magis ſunt iuncta cum ſenſilibus proprijs, minuſque ab eis ſecerni valent ; ita rarum & denſum dicuntur notiora ſenſu, & ſingularia, cum magis ſint contracta, & cum ſenſilibus proprijs iuncta per quæ offeruntur ſenſibus; magnum vero & paruum, dicuntur vniuerſalia & priora ratione, cum magis abſtrahi valeant a materia & ſenſilibus proprijs. Alterum eſt, Ariſtotelem conſideraſſe magnum & paruum poſita a Platone denotantia materiam, quæ non ſenſu, ſed ratione apprehenditur. Addo tertio magnum & paruum eſſe communiora, quam rarum & denſum, quia ea competunt Phyſicis & Mathematicis, hæc vero ſolum Phyſicis. Poſtrema dubitatio erat, quomodo obiecta varia diſtinctis facultatibus reſpondentia *Solutio 5. dubitatio.* poſſint dici notiora vna facultate, cum per alteram non cognoſcantur. Redditur hæc dubitatio obſcurior, dum conſideramus hanc comparationem fieri inter nos & naturam; cum tamen naturæ non competat id cognitionis genus, quod competit nobis; propterea minus recte dici videtur aliquid notius nobis, aliud Naturæ. Reſpondeo *Quadruplex comparatio.* quadruplicem poſſe fieri comparationem ; vnam inter ſenſilia relata ad ſenſum, de quibus dicimus quędam magis & prius, quædam minus vel poſterius cadere ſub ſenſum, & recta eſt cõparatio ; Secundam inter ea, quæ ratione & mente apprehenduntur, de quibus recte dicimus nonnulla eſſe priora, alia poſteriora mẽte & ratione; Tertiã formamus comparationẽ inter obiecta ſenſuum & mẽtis dicendo quædam notiora ſenſu, alia ratione, quorum duorum cognitio, niſi eadem facultate apprehendantur, tribuenda eſt homini vtenti vtriſque facultatibus dicendo quædam ei eſſe prima per ſenſum, alia per rationem ; & quoniam prima & familiariſſima noſtra cognitio ex ſenſu pendet, ideo quæ ſenſibus primo occurrunt, abſolute dicuntur priora & notiora nobis. Quarta comparatio verſatur inter nos ad naturam, per quam dicimus principia eſſe notiora natura quàm nobis, confuſa vero eſſe nobis notiora quam naturæ ; quæ comparatio minime eſt propria, cum nobis & naturæ idem cognoſcendi genus non competat, niſi ad hunc ſenſum loquamur, dicendo aliquid eſſe poſterius vel minus notum nobis, quam ſui natura ſit aptum cognoſci, & aliquid ſui natura eſſe prius & magis aptum cognoſci quam cognoſcatur a nobis, quod minime eſt abſurdum.

*CONSEQVENS autem eſt, vt dicamus num duo, vel tria, vel plura ſint; Vnum enim eſſe non poteſt, quoniam non vnum contraria; Neque infinita, quoniam quod eſt ſub ſcientiam non caderet; Inſuper vna eſt contrarietas in omni genere vno, ſubſtantia autem vnum quoddam genus eſt; Et quoniam contingit ex finitis, praſtat autem ex finitis veluti Empedocles quàm ex infinitis, omnium namque cauſas aßignare cenſet, perinde ac Anaxagoras ex infinitis; Sunt praterea alia alys priora contraria, & fiunt alia ex alijs, vt dulce & amarum, album & nigrum: Principia autem oportet ſemper manere; Quod itaque nec vnum, nec infinita ſint Principia ex his conſtat.* *Cont. 50.*

PATEFECIT Philoſophus contraria eſſe Principia rerum; Inſtitutũ modo eius eſt oſtendere definitum numerum principiorum, patefaciendo *Inſtitutum.* neceſſitatem materiæ & vnicam contrarietatem ſtatuendam pro principijs; ex quo refulgebit Principia eſſe tria, nimirum duo contraria, & materiam. Vt ad hæc nos deducat orditur iterum tanquam ab initio a conſideratione numeri principiorum, & in præſenti cont. quatuor facit, primo pate- *Diuiſio.*

facit

facit conſilium ſuum, ſecundo vna ratione oſtendit principia non eſſe vnum, tertio quatuor rationibus oſtendit non eſſe infinita, quarto colligit concluſionem oſtenſam.

*Expoſitio.* Patefaciens primo conſilium ſuum inquit oſtenſa contrarietatę principiorum, ſequitur vt perpendamus, num principia ſint duo ſola contraria, vel tria, addendo materiā, vel plura, hoc eſt, quis ſit definitus numerus principiorum; Et quoniam non propoſuit conſiderandum, num principia ſint vnum vel infinita, ideo ſtatim rationem afferens manifeſtat ea duo extrema cum ratione pugnare; & in ſecunda parte ea non eſſe vnum hac ratione oſtendit: Contraria non ſunt vnum, Principia ſunt contraria, quare non vnum; maior profertur vt nota, & iure; nam contraria inuicem pugnant, ſe mutuo expellunt, & ſecundum conditionem & formam maxime diſtant. *Ratio prima.* Oſtendit in tertia parte ea non eſſe infinita, & primo hac ratione; Si principia interna eſſent infinita, id quod eſt, nempe compoſitum ex eis, non caderet ſub ſcientiam, conſequens eſt abſurdum, quare & antecedens: deducitur conſequutio, quia infinitum, vt infinitum eſt ignotum, & conflatum ex principijs non cognoſcitur niſi per notitiam eorum, vt dictū eſt in primo context. & in primo Poſter. & alibi: conſequens eſſe abſurdum dimittitur vt notum; nam cum Phyſicus quærat ſcientiam de compoſitis Phyſicis, tenetur ſupponere dari ſcientiam, quam dari etiam confirmat deſiderium eius, nobis per naturam inſitum, ac inſuper quia in quarto Metaphyſicæ & in primo Poſter. ſententia negantium ſcientiam reiecta eſt, & præſertim, quia dicentes eam non dari, vel id oſtendunt, vel non; ſi non, tunc eis non erit adhibenda fides; ſi oſtendunt, dabitur oſtenſio, & ſcientia, & ſic deſtruentes ſcientiam illam conſtruent. Similem conſequentiam formauit Philoſophus in ſecundo de ortu & interitu trigeſimoſexto inquiens, ſi qualitates Elementorum eſſent infinitæ, non poſſent Elementa cognoſci & definiri, infinitum eſſe ignotum dicitur a Philoſopho in primo Phyſic. 35. nec non in tertio; quo tamen ſit ignotum & non ignotum, in cap. de infinito patefeci. [Inſuper vna eſt contrarietas in omni genere vno, ſubſtantia autem vnum quoddam genus eſt, &c.] hæc eſt ratio ſecunda cuius variæ Græcorum interpretum a Simplicio referuntur expoſitiones, quas ſilentio præteriens, eam ſolam referens, quam veriorem exiſtimo; pro cuius notitia accipiendum primo eſt, quæri modo a Philoſopho ea principia, quæ prima ſint, hæc enim ſunt communia; & primo inuenienda: Secundo eſt accipiendum quæri principia ſubſtantiæ compoſitæ; ratio eſt, quia quæruntur principia corporis Phyſici, quod eſt ſubiectum huius ſcientiæ, & eſt ſubſtantia; Altera ratio eſt, quoniam (vt recte ait Auer.) tradens principia prædicamenti ſubſtantiæ, tradit principia cunctorum prædicamentorum; docet enim Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ eadem ſecundum Analogiam eſſe principia cunctorum prædicamentorum; & dum agitur de eo quod eſt ab vno, præſertim, & proprie ſermo debet eſſe de primo, vt legitur ſub initio quarti Metaphyſicæ. His præaſſumptis, ita formatur ratio, In omni genere vno, vnica eſt prima contrarietas, ſubſtantia, hoc eſt prædicamentum ſubſtantiæ, eſt genus quoddam vnum; igitur in eo vnica eſt prima contrarietas: at per præaſſumpta, nos quærimus contrarietatem primam, & eam ſubſtantiæ; quare vnicam ſtatuere debemus pro principijs. *Ratio tertia.* [Et quoniam contingit ex finitis, &c.] hæc eſt ratio tertia ita formanda: eius quod fieri poteſt per finita, nō ſunt ſtatuenda principia infinita, Phyſica gigni poſſunt per finita, quare eorum non ſunt ſtatuenda principia infinita; minor oſtenditur exēplo, quia Empedocles ſtatuens ſex principia; nimirum quatuor Elementa, ac inſuper litem & amicitiam, perinde ſeruat cuncta attinentia ad ortum rerum, eorumque rationem tradit, ac id faciat Anaxagoras ſtatuens pro principijs infinita corpora ſimilium partium in Chao confuſa; Maior dimittitur vt nota; ea enim nititur duabus Naturæ approbatiſſimis Legibus, quarum vna eſt, Natura infinitum renuit, terminum quęrit; ratio eſt quia natura propter finem operatur, vt dicitur in ſecundo Phy. & ad nil tendit, ad quod deuenire non valeat. Inſuper natura eſt forma, quæ terminus eſt, cum infinito pugnans; Altera Lex eſt, Natura non efficit per plura, quod valet efficere per pauciora;

*Duæ Leges Naturæ.*

pauciora; cum enim natura sit ars Dei, artificiosissima est, nil superuacaneum includens,& nil facit frustra ex primo de Cœlo 31. [Sunt præterea alia alijs priora contraria,&c.]Hæc est ratio quarta cuius vis a varijs vario modo explicatur; ego autem ita formandam puto; si principia contraria, de quibus modo præsertim est sermo, essent infinita,omnia contraria essent iudicanda principia, consequens est absurdum, igitur principia non essent infinita; connexum supponitur ex conditione infiniti, quæ est vt omnia includat,& nil extra se sui generis derelinquat; assumptum esse absurdũ ostendit Philosophus exemplis; nam contrariorum alia sunt priora, alia posteriora; similiter alia gignuntur ex alijs, vt album & nigrum, dulce & amarum; at ea quæ non sunt prima, & fiunt ex alijs, non debent statui principia, vt patuit in præcedentibus, dum considerabantur conditiones principiorum, & hoc explicat Philosophus, inquiens oportere principia semper manere, hoc est esse prima, non fieri ex alijs, & in alia non resolui,album autem & nigrum dulce & amarum, præter id quod pendent ex qualitatibus primis,etiam resoluuntur in formam & priuationem,nec ad omnium productionem conspirant.

*Ratio quarta.*

## *Caput Dubitationum.*

VT dicta a Philosopho exactius elucescant, variæ proponuntur diluendæ difficultates. Dubitatur primo,an contraria possint esse vnum; Secundo cur Philosophus per id quod est, consueuit frequenter denotare compositum,vt in hoc cont. in principio secundi Physic. & sæpe alibi; Tertio cur dicat in omni genere vno,cur,inquam,addit vnum; Quarto cur in omni genere contrarietas prima vna sit; Quinto cur accipiat genus substantię, vt eius tradat Principia; Sexto cur contrarietas substantiæ sit prima contrarietatum; Septimo quomodo id sit verum, quod oporteat principia semper manere; Octauo num Principia dici possint vnum,& infinita.

*Prima dubitatio. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octaua.*

De prima difficultate,an contraria possint dici vnum,cõsiderandum est quod ea,quæ in vniuerso reperiuntur, idque formosissimum reddunt,quemadmodum,quia pendent ex bono,boni aliquid includunt,ita quia pendent ex vno,cuncta conspirant in vnum, & pro facultate connectuntur: hoc considerans Plato in Phædone dixit, cum Deus conditiones & formas contrariorum in vnum redigere non valuisset,quia eis repugnat,iunxit apices eorum. Nam contraria considerari possunt vel secundum conditionem & formam propriam,& ita pugnãt & maxime distant,vel considerantur cõsideratione alia, & ita octo modis possunt dici vnum; primo enim sunt vnum genere; Secundo sunt vnum subiecto,nam definiũtur,quod in eodem subiecto apta sint fieri,& sub eodem genere maxime distent; Tertio sunt vnum permixtione tum in constitutione medij,tum quia apud nos raro sincera inueniuntur; Quarto sunt vnum habitu, & scientia, pertinent enim ad eandem disciplinam; Quinto sunt vnum facultate animæ,per quam cognoscuntur, eadem enim facultate album & nigrum percipiuntur; Sexto sunt vnum eminẽtia vt in primis caussis,veluti dicimus in Luce eminenter includi quatuor primas qualitates;Septimo cõparatione, nam medium comparatum cum extremis seruat locum vtriusque, vt dicitur in tertio Nicomachiorum; Octauo facultate,idem enim aptum est fieri vtrunque, vt puer iustus est & iniustus facultate; hic tamen modus ad secundum redigitur. Ex his refulget quomodo Deus per vnum,verum,& bonum effunditur per omnia, & est vbique,adeo vt iure enunciauerit Seneca,Deus est omne quod vides, & quod nõ vides: Hinc etiam refulget ratio & fundamentum antipathiæ, & sympathiæ, siue consensionis & dissensionis rerum; in cunctis enim inuenitur simile aliquid & dissimile.

*Solutio primæ,an contraria sint vnum. Plato.*

*Contraria sunt vnum octo modis.*

Quærebatur secũdo cur Philosophus per id quod est, frequenter consueuit denotare compositum; ratio est,quia ens est vox concreta, deducta ab essentia siue existentia, propterea compositum denotat; In vniuerso solus Deus est absolute simplex,ideo solus ab-

*Cur per id quod est denotatur cõpositum.*

lus ab-

lus absolute dicitur principium entis, vt patet ex 8. Physi.52. quo loci legitur principio nimirum Deo manẽte,necesse est manere omne quod est, quod continuatur cum eo; Secundo loco simplices dicuntur cæteri motores cœlorum,nec non formę & materia,non autem absolute & penitus,cum aliqua consideratione cõpositione sint prædita,ideo & entia & principia entis dici possunt; composita demum ex materia & forma conspicue sunt composita, ideo magis proprie nomine entis denotantur; Tertio

*Cur generi additur vnum.*

quęrebatur cur generi addat vnum,respondeo id fieri,vt denotetur genus vniuocum, quod est genus alicuius prædicamenti; debuit autem denotare genus vniuocum,quia ei proprie competit contrarietas,quę est prima oppositio differentiarum eius,non autem generi ab vno,quale est ens,sanum,& similia; ratio est,quia vniuocum est natura vna,apta formari oppositis differentijs; id autem quod est ab vno,non est natura vna, & propterea ei non proprie competunt differentiæ oppositæ, sed potius modi & gradus subordinati,vt enti substantia & accidens, actus & potentia; ideo de illis quæritur quid sit prius, non autem de oppositis differentijs. Quærebatur quarto cur in

*Cur in omni genere cõtrarietas prima sit vna.*

omni genere contrarietas prima vna sit. Simplicius rationem afferens inquit, Genus denotare vniuersitatem quandam, quæ vel est suprema,vel infima; Si fuerit suprema qualis est hæc,quæ modo denotatur,ea per duo opposita primo diuiditur,per quę cõstituitur prima contrarietas; Si fuerit infima,ea est materia, quæ primo est potestate, ad duo opposita,quæ valet recipere. Hæc sententia dubia est, tum quia per eam non refulget conspicua ratio,ob quam prima contrarietas vna sit, tum insuper quia cõtrarietas,quæ modo quæritur,est supra genus & illud constituit,non autem diuidit; tum tertio quia contrarietas,quæ modo quęritur,præsertim referri debet ad materiam primam,quia in ea consideratur; nec verum est materiam primam primo respicere duas formas oppositas,sed potius oppositionem formæ & priuationis. Propterea dicamus genus vnum substantiæ supremum constitui ex prima materia & forma materiata, cui opponitur priuatio, & ob id actus denotans formam, & potentia includens ptiuationem cum materia iunctam dicuntur primo principia prædicamenri substantiæ, mox cæterorum prædicamentorum,vt ostenditur in 12.Metaphysicę; Ex qua suprema oppositione deinde pendet, quod cum mox genus supremum & media per opposita diuidantur, semper vnum eorum seruat conditionem actus & formæ, alterum vero priuationis,vt dicitur ab Aristotele in 3.Physic.cont.5.& ob id etiam dicetur in progressu contrarietates distingui secundum prius & posterius, non autem genere; omnes enim resoluuntur in actum & potentiam, siue formam & priuationem. Ex his elicio rationes cur prima contrarietas vnius generis vna sit,nam ratio prima elicitur ex conditione generis,quod cum sit vniuocum est natura vna,quę per formam,saltem genere vnam constituitur,cui opponitur priuatio; natura enim vna sequitur formam vnã. Secunda ratio elicitur ex conditione contrarietatis; nam contrarietas prima, est prima distantia maxima, in vno autem genere distantia maxima vnica est; Tertia ratio elicitur ex conditione primi, nam descendentes labimur in multitudinem, ascendentes eleuamur ad vnum; Quarta ex conditione diuisionis & ordinis; cum enim genus sit ordinata series, ex diuisionibus per opposita prodiens, exposcit ordo relationem ad vnum primum,vt patet ex quinto Metaphysicæ, cui primo non possunt æquè pri-

*Cur tradantur principia substantiæ.*

mo hærere & competere oppositiones variæ,ita enim distinctæ essent ordine. Quærebatur quinto,cur Aristoteles accipiat genus substantiæ,vt eius tradat Principia; Ratio est,quia quæruntur Principia corporis Physici ortui & interitui obnoxij, id autem illud est,quod constituit genus prædicamenti substanriæ; nam alibi latissime patefeci, in prædicamentis proprie solum mortalia collocari; genus itaque supremum prędicamenti substantiæ est corpus Physicum,ex prima sublunarium materia,& forma gene-

*Quõ contrarietas substantiæ sit prima.*

re vna conflatum; cuius præsertim traduntur principia,quæ secundo loco competunt conflatis ex reliquis prædicamentis; Quærebatur sexto quomodo contrarietas substantiæ sit prima contrarietatum; Respondeo cõtrarietatem primam seligendam pro prin-

principio esse formam,& priuationem,hanc autem primo competere substantiæ,quoniam ea substantiæ primo,& præsertim forma est,quare etiam priuatio eius,est magis proprie priuatio; Secundo quia hæc contrarietas, ea est, quæ versatur circa primum subiectum,quod est materia,vt dicitur in hoc libro,cont.82. materia autem primo,& præsertim dicitur esse substãtiæ,mox cæterorum prædicamentorum,vt dicitur in primo de ortu,& interitu; Tertio,quia esse,& non esse, & ortus, ac interitus primo competunt substantiæ,quare,& termini eorum,qui sunt forma,& priuatio. Ex quo etiam refulget ratio, cur tradendo principia substantiæ tradantur principia omnium prædicamentorum. Ratio prima est,quia ens ortui obnoxium est ab vno, & primo dicitur de substantia, secundo de alijs, quare similiter etiam Principia; Insuper id genitum est compositum, substantia est compositum per se, cum accidente vero est compositũ secundum accidens, quod est posterius, & debet redigi ad per se; Tertio quia primo, & proprie forma,& priuatio,siue actus,& potentia dicitur de ea substantiæ, secundario de alijs,vt dixi. Quærebatur septimo quomodo id intelligi debeat,quod oportet Principia semper manere: Simplicius tribuit Alexandro, quod putarit denotari esse æterna; quæ expositio vera non est, quia Philosophus modo loquitur de contrarietate constituente terminos generationis,qui necessario variantur,& vno præsente alter perit; & in tertio de Cœlo 61. legitur Principia mortalium esse mortalia, æternorum æterna; hinc eorum explodenda est sententia, qui (referente Philopono) dicebant denotari Principia prima,cœlestia,& æterna,quales sunt Ideæ; nam modo sermo est de internis, & contrarijs Principijs: similiter explodenda est eorum sententia, qui aiunt Aristotelem denotare formam corporis coæternã materiæ,nam præter id, quod non datur,etiam si daretur nil ei esset contrarium, aptum recipi in materia; His accedit,quod Alexander secus hanc sententiam exposuit; nam in primo naturalium quæstionum cap. 16.præter cætera,quæ profert, inquit Principia semper manent, hoc est semper in materia reperiuntur, & in quauis parte eius, ac ad omnium productionem concurrunt; Insuper addit Principia semper manere, hoc est non fiunt ex alijs, sunt prima,& in priora non valent resolui; quæ expositio verior est; ex quo patet Simplicium diminute, & minus recte expositionem Alexandri retulisse; Simplicius autem ex propria opinione ait Principia semper manere, hoc est concurrere ad omnium productionem,at id manere non proprie denotat concurrere ad omnium productionem,sed potius esse primum,vt in primo Poster. cap. 3. Principia prima dicuntur stare,quod idem est,ac manere,nempe in eis dari statum, & non posse ad superiora eleuari. Propterea elicientes expositionem ex ipsomet Aristotele dicamus,cum duo denotasse,quæ requiruntur pro cõstitutione primorum, & communium Principiorum, quæ modo inquiruntur,ob quæ multa contraria non possunt iudicari principia;vnum est,quod sint prima,alterum quod sint communia omni generationi: primum denotauit inquiens contrariorum alia alijs esse priora, & ob id non omnia posse iudicari principia,cum oporteat Principia stare,& manere,hoc est esse prima: Alterum denotauit inquiens fieri alia ex alijs,hoc est proxime pendere ex varijs & distinctis contrarijs; cum tamen oporteat principia manere semper denotando per id semper, necessarium, & communem concursum ad omnium productionem; vt dum dicimus semper ea,quæ fiunt & intereunt pro terminis habent formam & priuationem. At quæritur num prima Principia quæ in hoc libro inquiruntur iudicanda sint æterna. Plato in Phædro enunciauit Principia debere esse æterna,alioquin cuncta abolerẽtur, quæ pendent ex eis; Verum Plato Principij nomine Ideas & primum efficiens denotauit, non autem terminos ortus & interitus,& ideo id non facit ad rem; propterea breuibus dicamus,Principia,quæ modo inquiruntur,esse duos terminos transmutationis, nimirum formam & priuationem, quæ quamuis in priora non resoluantur, tamen in permutationibus variantur & solum sunt æterna genere, & successione, differunt tamen a cæteris contrarijs quatenus in priora non resoluuntur, & necessario inueniuntur in

*Quo oportet Principia semper manere.*

*Alexander*

*Simplicius.*

*Verior expositio.*

*Plato.*

tur in omni ortu & interitu. De prima rerum materia quid sit dicendum, patebit in explicatione cont. 82. Demum quærebatur num Principia dici possint vnum, vel infinita; breuibus dico, Si nomine Principij id intelligimus quod absolute est primum, & ex nullo pendet, id absolute est vnum, nimirum Deus, vt dicitur in 12. Metaphysicæ. Si vero ea consideramus, de quibus modo sermo est, ea considerari possunt dupliciter, vel numero & successione, & ita principia interna & propria rerum sunt infinita, ex sententia Aristotelis putantis ortum rerum & interitum esse æterna; At si considerantur communia & secundum genus ita sunt finita, & non plura tribus: Insuper Principia alia cõsideratione dici possunt infinita, quatenus principia æterna duo sunt, Deus & materia, & ambo vario modo sunt infinita; Deus est infinitus supra terminos, quia excedit terminos omnes; Materia vero est infinita infra terminos, quia indefinita est, nullo proprio termino circumscripta, apta tamen circumscribi in omnibus, & ob id rectius indefinita quam infinita dicitur.

*Quo principia sint unũ, vel infinita.*

*Cont. 51.*

*QVONIAM autem finita non facere duo tantum habet quandam rationem, Dubitabit enim aliquis quomodo densitas raritatem facere apta sit, aut hæc densitatem, similiter & alia quæuis contrarietas, non enim amicitia litem congregat & facit aliquid ex ea, neque lis ex illa, sed vtraque alterum quiddam tertium; Quidam autem & plura recipiunt, ex quibus parant eorum quæ sunt naturam.*

INQVIRENDVM proposuit Philosophus definitum numerum Principiorum, & ob id reiecit extrema, nimirum Principia esse vnum, vel infinita; Et quoniam manifestauit contrarietatem sumendam pro principijs esse vnam, ex qua duo prima prodeunt principia: posset quis putare ea sola esse principia, propterea institutũ eius est patefacere ea non esse satis, & necessario inter principia numerandã esse materiã; quod facturus ostendit in hoc cont. sola contraria non esse satis; & diuiditur in tres partes; in prima patefacit consilium suum, in secunda ostendit ratione contraria non esse satis, in tertia id confirmat authoritate; Inquit in prima. Cum sit ostensum principia esse finita, & ex parte contrariorum duo tantum esse Principia, se offert modo ratio, ex qua elici potest, principia esse plura duobus; quam rationẽ referens in secunda parte inquit, [Dubitabit.n. quis quo pacto densitas raritatem facere nata sit, &c.] Ratio ita formatur; Tot sunt statuenda principia, quot sint satis pro rerum ortu, sola contraria non sunt satis, quare sola contraria non sunt statuenda: maior ex se patet, minor ostenditur exemplo contrariorum ab alijs pro principijs constitutorum; nam raritas & densitas, quæ a Thalete, Diogene, Heraclito & alijs multis iudicabantur principia, minime sunt satis, non enim densitas raritatem, nec raritas densitatem constituit, vel aliud tertium ex ea efficit; similiter amicitia & lis constituta pro principijs ab Empedocle, non sunt satis, non enim amicitia litem congregat, sed potius euertit, nec tertium aliquid ex ea efficit, sed ambo congregant siue formant alterum quoddam tertium, in quo vt in subiecto versantur. Id ipsum in tertia parte cõprobat authoritate inquiens, nonnullos hac ratione suasos præter cõtraria, ne dum vnum, sed plura quoque inter principia retulisse, ex quibus parant naturam & essentiam eorum, quæ sunt, nimirum compositorum; nam veteres materiam putarunt vniuersam essentiam rerum. Facit mentionẽ Philosophus de his, qui plura loco materiæ sumpserunt, tum vt magis necessitatem patefaciat, cum nonnulli non contenti vno tertio plura desumpserint, tum quia de vno tertio iam patefecerat ratione, dum dixerat, Sed ambo alterum quiddam tertium.

*Institutum.*

*Diuisio.*

*Expositio.*

*Caput*

## *Caput Dubitationum.*

*Prima dubitatio.* DVBITARE aliquis posset primo, quia Aristoteles frustra de efficiente mentionem facere videtur, inquiens amicitiam nil facere ex lite, cum modo non de efficiente, sed de principijs internis sermo fit: *Secunda.* dubitatur secundo quia Aristoteles inquit amicitiam non efficere litem, nec raritatem densitatem, quod etiam ad rem non facit, quia nec densitas, nec ... lis gigni debent, sed compositum. *Tertia.* Tertio ambigitur an hac ratione Philosophus ostendat materiam esse. *Quarta.* Quarto dubitatur, quia inquit Auer, si sola contraria essent principia, id quod gignitur esset simplex; contraria enim non possunt iungi pro tertij constitutione: at dicam ego contraria remitti & constitui medium conflatum ex eis; medium enim, vt inquit Aristoteles, ex contrarijs constat. *Solutio primæ.* De prima difficultate dico primo Aristotelem confuse loqui de principijs contrarijs, & adhuc nõ manifestasse quomodo concurrant ad rerum ortum; Veteres autem etiam ea aliquid efficere dicebant, vt Empedocles liti & amicitiæ, Parmenides calido, & frigido vim efficiendi & permutandi tribuebant: Addo insuper efficere vsurpari dupliciter, vel proprie, quod est officium efficientis, vel late pro constituere & producere & pro omni contradistincto a patiente, sic forma formans dicitur efficere compositum. Demum addo Aristotelem id facere valuisse, quia forma & efficiens fundamento idem sunt. *Solutio secundæ.* De secunda difficultate dico Aristotelem exacte argumentari a sufficienti partium enumeratione, quasi dicat, si contraria essent satis, vel ea se mutuo constituerent, vel ambo cõstituerent tertium; non primum, quia mutuo se destruunt, non secundum, quia non valent simul seruari. *Solutio 3.* Quærebatur tertio num hac ratione Aristoteles ostendat materiam esse, & *An ostendatur materiã esse.* num a Physico ostendi possit. Auer. & qui eum sequuntur putant id fieri; hinc in calce libri Auer. disputans contra Auicennam ait, id a solo Physico posse fieri; nam si sola contraria non sunt satis, necessario datur materia, sed ea non sunt satis (vt patuit) quare &c. Præterea si datur trensmutatio, necessario datur materia, ea datur, quare & materia. Insuper dicet Philosophus in progressu, si debent seruari rationes ostendentes contraria esse, & non esse principia, necessario debet dari materia; sed illæ seruari debent, cum in parte sint veræ, quare necessario datur materia; hinc Philosophus in calce libri colliget se ostendisse principia esse, quod de sola materia valet esse verum. *Euersio.* Hanc opinionem approbandam non puto, primo quia argumentatio est ratio rei dubiæ fidem faciens; dari materiam adeo patet, vt nemo veterum eam sit inficiatus: cõfirmatur, quia sensibile includit materiam, omne enim sensibile in materia est, vt patet ex primo de cœlo, quare materia per sensibilia in ea existentia sub sensum cadit, & conspicua est; præterea Aristoteles non proprie loquitur de materia prima, sed de ea in genere, quæcunque sit, vel aer, vel aqua, vel medium aliquid, ea autem in genere sumpta, notissima est. Quare dicamus Aristotelem minime ostendere dari materiã, sed eam esse numerandam inter principia, & quæ ac qualis sit. Rationes aduersæ facile dilnuntur; prima nullius est roboris, quia Aristoteles inquiens sola contraria non esse satis, non ostendit materiam esse, sed addendam contrarietati pro principio; Addebatur materia mostendi per transmntationem; transmutatio enim inter esse, & non esse patefacit materiam ortus; transmutatio secundum locum materiam ad vbi. Respondeo per Auerroem in primo Priorum, cap. de Syllogismo hypothetico dicentem in Syllogismo hypothetico per naturã, quale est antecedens, tale est consequens, cum enim sint per naturam, & essentiam coniuncta, vt se habet de vno, ita de altero; de his vera est regula Aristotelis tradita in primo Priorum; si antecedens sequitur consequens, antecedens cum modo, sequitur consequens cum eodem modo; propterea reflectendo rationem dico, si datur transmutatio, & contrarietas, datur etiam materia, at antecedens dari ex se patet, quare patet & consequens. Addebatur Aristotelem in

calce libri colligere ex dictis patere principia esse; respondeo id debere intelligi de principijs in genere,& patere,tum quia cum declarauerit quot, & quæ sint, supposuit ea esse,tum insuper quia euertendo sententias veterum destruentium principia,ex accidenti reddidit notum principia esse. Vertebatur in dubium postremo sententia Auerrois dicentis, si principia solum essent contraria,id quod gignitur,esset simplex. Respondeo,si solum essent contraria, nil gigni posset, vt recte ait Aristoteles,& si aliquid posset gigni, id esset simplex, quia ea, quæ gignuntur propterea sunt composita, quia constant ex materia, & forma; quare dempta materia esset simplex: instabatur quia posset esse medium constans ex contrarijs; respondeo id non contingere triplici ratione; prima est,quia hæc contraria sunt forma,& priuatio,quorum nō est medium per compositionem; Altera est, quia forma non recipit magis,& minus, nisi quatenus in materia suscipitur,vt dicitur in 8.Metaphysicæ cont.10. Tertia, quia quamuis media constent modo aliquo ex extremis,tamen sunt formæ simplices, vt colores, & sapores medij; omnis enim forma est essentia simplex.

*Solutio postremæ difficultatis.*

*Cont.52.*

*INSVPER de hoc aliquis dubitauerit, nisi quis aliam suppofuerit contrarijs naturā; Nullius enim videmus eorum quæ sunt substantia contraria; Principium autem non de subiecto oportet dici aliquo, erit enim Principium Principij, Subiectum enim Principium est, & prius videtur esse prædicato; Amplius non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ; quomodo igitur ex non substantijs substantia erit? aut quomodo prius non substantia quam substantia erit?*

PRo patefacienda necessitate materiæ, manifestauit Philosophus sola contraria non esse satis pro rerum ortu,nunc,vt id ipsum colligat, ostēdit contraria nō esse principia, quatenus non sunt ea principia, ex quibus genita constituuntur. Diuiditur contextus in tres partes, quatenus tres ad id ostendendum afferuntur rationes. Inquit igitur, Insuper de hoc (nempe quod contraria sint principia rerum)dubitauerit aliquis, nisi quis aliam supposuerit contrarijs naturam; ita loquitur indicans difficultatem solui statim quod inter Principia numerabitur materia; ait supposuerit, quia hoc tertium principium est subiectum & materia,quæ est natura alia, distincta a forma, & a contrarijs, quia ei nil est contrarium. Et statim affert rationem primam, quam ita puto formandam. Principia sunt substantiæ eorum, quæ sunt, nempe compositorum; contraria non sunt substantiæ eorum quæ sunt,igitur contraria non sunt Principia;maior dimittitur vt nota,inquiruntur enim modo Principia interna,ex quibus rerum essentia constituitur; minor profertur his verbis,[nullius enim videmus eorum quæ sunt substantiæ contraria;] ait,videmus,quia sensu & experientia eleuamur in notitiam principiorum,ait,eorum quæ sunt,more suo denotando composita, quæ sunt confusa actu, ex quorum resolutione dicebatur in tertio cont.redduntur nota principia: [Principia autem non de subiecto oportet dici aliquo,] &c. hæc verba necti possent cum prima ratione; melius tamen puto ex eis debere elici secundam rationem hunc in modum formandam; Principia non sunt in subiecto,contraria sunt in subiecto, igitur, non sunt Principia; minor dimittitur vt nota ex definitione contrariorum,quę est vt in eodem subiecto apta sint fieri,nā contraria sunt formæ,quæ fundamento egent; Maior ostenditur ducendo ad absurdum,quia si principia essent in subiecto,prædita essent principio,

*Institutum.*

*Diuisio.*

*Expositio.*

*Ratio prima.*

*Ratio secunda.*

pio, ac ita daretur principium principij, quod est absurdum, tum quia daretur progressus in infinitum, tum insuper quia idem esset & nõ esset principium. Nam subiectum est principium eorum quæ sunt in eo, & videtur esse prius prædicato; ea enim quæ sunt in subiecto præsupponunt illud: hinc adiuncta & adiecta dicuntur; Iacit tertio Philosophus fundamentum quoddam, & est Amplius non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ; quo iacto ducit ad duo absurda sententiam illam, quod contraria sint Principia; primum est, quomodo igitur ex non substantijs substantia erit? hoc est, tunc ex non substantia fieret substantia, nam fieret ex contrarijs, quæ ex iacto fundamento non sunt substantiæ; Alterum est, quod non substantia esset prior, quam substantia, & deducitur, quia Principium est prius eo, cuius est Principium, quare si contraria essent Principia substantiæ, cum non sint substantiæ, erunt priora substantijs; at in 7. Metaphysicæ contex. 4. asseritur substantiam priorem esse accidentibus omni genere prioris. *Ratio ducēs ad duo absurda.*

## *Caput Dubitationum.*

DVBITATVR primo quia Aristoteles, inquit contraria nõ esse essentiam rerum; quod videtur falsum, cum forma, quæ est alterum cõtrariorum pro principijs eligendorum sit id, quod res sunt; Secundo dubitatur, quia non omnia principia sunt essentiæ rerum, vt patet de priuatione. Dubitatur tertio quia Aristoteles inquit non dari principium principij, quod videtur falsum, cum solus Deus principio careat, cætera omnia ex principio aliquo pendeant. Quarto dubitatur quia falsum est Principia non esse in subiecto; nam forma est priuatio, quæ sunt principia, in materia sunt vt in subiecto; Quinta dubitatio est, quia Aristoteles inquit subiectum esse prius prædicato; oppositum docet Porphyrius inquiens superiora prædicari de inferioribus, superiora autem priora sunt; Sexto dubitatur, quia Aristoteles inquit substantiam non esse contrariam substantiæ, quod falsum est; Nam dum dicimus contraria esse principia, vtimur nomine contrarij late, quod etiam de forma substantiæ verum est; Septimo dubium est id quod dicitur ab Aristotele, ex non substantia non fieri substantiam; nam habuimus in præcedentibus omne quod fit fieri ex sui negatione, adeo vt si substantia fit, debeat fieri ex non substantia, alioquin esset antequam fieret; Dubitatur octauo, quia Aristoteles absurdum iudicat non substantiam esse priorem substantia, at mox ipse quoque in hoc absurdum labetur, dum priuationem, quæ non est substantia, statuit principium substantiæ. Pro solutione accipio non esse institutum Philosophi ostendere contraria non esse principium, sed ea non esse satis: Insuper accipio Aristotelem confuse vti voce contrarij, quoniam adhuc non patefecit, quæ sit hæc oppositio principiorum, & præsertim id facit, tum quia veteres pro principijs varia sumpsere partim proprie, partim non proprie contraria, tum insuper, quia quouis modo opponantur, semper materiam præsupponunt; tum demum, quia de nulla oppositione verum est, quod quę fiunt cõstituantur ex ea. His præassumptis de prima difficultate dico, formam solam non esse essentiam eorum, quæ fiunt, nec formam iunctam cum priuatione, sed iunctam cum materia. Instabatur secundo non omnia interna principia esse eorum, quæ fiunt, essentiam, vt patet de priuatione; respondeo id esse munus eorum, quæ secundum se sunt principia rei genitæ. Dubitabatur tertio, quia etiam Principiorum dantur principia; Respondeo regulas debere intelligi per se, & cum reduplicatione, ac ita principiorum, dum considerantur quatenus principia & in eo genere, in quo sunt principia, non dantur principia; dum autem cuncta referuntur ad Deum, non considerantur vt principia, nec Deus est internum principium eorum. Instabatur quarto, quia etiam principia sunt in subiecto, vt forma & priuatio; Respondeo hæc non esse in subiecto, vt accidentia, sed in materia; insuper dico hæc ita esse in subiecto, vt etiam subiectum

*Dubitatio prima.* *Secūda dubitatio.* *Dubitatio tertia.* *Dubitatio quarta.* *Quinta dubitatio.* *Sexta dubitatio.* *Septima dubitatio.* *Octaua dubitatio.* *Institutum Aristot.* *Solutio prima diff.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

in ſuo genere principium ſit, & ideo non datur principium principiorũ abſolute, quod
*Quinta.* etiam inter principia numerari non debeat. Dubitabatur quinto, quia ſubiectum
non videtur eſſe prius prædicato; Reſpondeo ſubiectum eſſe duplex vnum inhæſio-
nis, alterum prædicationis; nunc ſermo eſt de primo, quod ſemper eſt origine prius
eo, quod eſt in ſubiecto, ac ita eſt principium eius, quamuis ſecũdum inſtitutum ſecus
*Sexta.* ſe habeat, forma enim eſt finis materiæ, vt patet ex ſecundo Phyſicorum; Sexta du-
bitatio erat, quia etiam ſubſtantiæ competit contrarietas, & præſertum hæc principio-
rum; Reſpondeo Ariſtotelem caute loqui, non enim inquit ſubſtantiæ non compete-
re contrarium, ſed ſubſtantiam non eſſe contrariam ſubſtantiæ; priuatio enim, quæ ei
opponitur, ſubſtantia non eſt: Inſuper addo Ariſtotelem nomine contrarij denotare
vere contrarium, vt indicet contraria ſtatuenda pro principijs non eſſe proprie cõtra-
ria, & vt explodat ſententiam ſtatuentiũ pro principijs vere contraria, veluti calidum
& frigidum, vel humidum & ſiccũ; hæc ſunt ea contraria, quæ ex ſerie principiorum
*Septima.* per hanc rationem exploduntur. Dubitabatur ſeptimo, quia ſubſtantia debet fieri ex
non ſubſtantia, cum omne quod gignitur fiat ex ſuo oppoſito; Reſpondeo fieri ex ali-
quo contingit dupliciter vel tanquam ex termino a quo, & ita fit ex contrario; vel tã-
quam ex parte conſtituente, quod modo conſiderat Philoſophus, & ita non fit ex cõ-
trario. Addo ſecundo ſubſtantiam abſolute non fieri, ſed hanc, vel illam, quæ fiunt ex
ſui negatione: demum addo, quod cum ſubſtantia compoſita fiat ex materia & forma,
quæ ſunt ſubſtantiæ, tamen ſecus ſunt ſubſtantiæ ac compoſitum; ſunt enim ſubſtan-
tiæ ſimplices, & vt ait Simplicius potius ſubſtantiales quam abſolutè ſubſtantiæ. De-
*Octaua.* mum dubitabatur, quia ſi priuatio eſt principium, ſequũtur ea duo abſurda, nimirum
ſubſtantiam fieri ex non ſubſtantia, & non ſubſtantiam eſſe priorem ſubſtantia; Re-
ſpondeo compoſita fieri ex priuatione, vt ex termino a quo, non vt ex parte, ac ita fit
ex contrario; Inſuper priuatio eſt principium geniti ex accidenti, & non eſt acci-
dens, ſed negatio & priuatio formæ, quæ neceſſario antecedit. Ex his patet quo-
modo addendo contrarietati materiam diluitur vniuerſa dubitatio, vt ſtatim dici-
tur a Philoſopho.

*Cont. 53.* *QVOCIRCA ſiquis & priorem veram putabit eſſe rationem, & hanc, neceſſe eſt, ſi debet ſeruare vtraſque, ſubijcere quoddam tertium, quemadmodum dicũt vnam quandam naturam eſſe vniuerſum, vt aquam aut ignem aut medium horum.*

PATEFACTA contrarietate principiorum, eaque in dubium reuocata, ex
*Inſtitutum.* hac apparente pugna elicere modo vult Philoſophus materiam neceſ-
ſario inter Principia eſſe numerandam; & ratio hunc in modum for-
*Ratio.* matur. Quicunque relatas rationes inuicem in parte pugnantes ſer-
uare debet, tenetur inter principia numerare materiã; ſed nos vt Phy-
*Diuiſio.* ſici eas ſeruare debemus, quare cogimur inter principia numerare materiam. Diuidi-
tur contextus in duas partes, in prima indicatur formata ratio, in altera confirmatur
*Expoſitio.* cõcluſio authoritate veterum. Inquit in prima parte, ſi quis putauerit rationem prio-
rem, qua pateſecimus contraria eſſe principia, eſſe veram, ſimiliter & hanc, qua nuper
pateſecimus contraria non eſſe principia; tenetur ſubijcere quoddam tertium; ait
ſubijcere, quia hoc tertium materia eſt, quæ contrarietati ſubſternitur; & ait quoddã
tertium, quia nunc confuſe materia conſideratur quæcunque ſit, & cum dicat, ſiquis
priorem veram putabit eſſe rationem, indicat ſe ratione recta ſtatuiſſe contraria prin-

cipia, non sine ratione, vt dixit de veteribus. In altera parte id confirmat authoritate inquiens; [Quemadmodum dicunt vnam quandam naturam dicentes esse vniuersam:] ita loquitur, quia veteres putarunt materiam esse vniuersam naturã & essentiam rerum; Insuper existimarunt cœli & mortalium eandem esse materiam: Ita Thales statuens pro materia aquam, putabat essentiam cunctorum esse aquam; Diogenes id ipsum existimauit de aere, Heraclitus de igne, & Anaximander de intermedio. Et considerandum est esse regulam Logicam, dum ambæ enunciationes contrariæ falsæ sunt, subcontrariæ ambæ sunt veræ; hoc seruatur numerando inter principia materiã; cum enim omnia principia esse contraria, & nulla Principia esse contraria falsæ sint, addendo contrarietati materiam constituuntur duæ enunciationes subcontrariæ ambæ veræ, & sunt, Quædam Principia sunt contraria, quædam non sunt contraria; Ideo iure dixit Philosophus, siquis vult seruare vtranque, subijciat tertium. Colligo, itaque rationes aduersus contrarietatem principiorum, cogere non numerata materia inter principia, & de principijs per se, & de proprie sumptis contrarijs, constitutis a veteribus pro principijs, & præsertim præditas esse robore, ex sententia veterum putantium materiam esse vniuersam rerum essentiam. *Regula Logica.*

*VIDETVR autem medium magis; Ignis enim & Terra, Aer, & Aqua contrarietatibus prædita sunt, ideo non sine ratione statuunt pro subiecto alterum ab his; Aliorum autem, qui aerem; aer enim minime aliorum præditus est sensilibus differentijs, consequens autem est aqua.* *Cont. 54.*

EX mutua variarum opinionum comparatione excitamur & dirigimur in selectionem verioris sententiæ, ideo iure Philosophus & prius loquens de contrarietate Principiorum, & modo loquens de materia inuicem comparat Priscorum sententias. Diuiditur contex. in tres partes; in prima tribuit principatum opinioni asserentium materiam esse aliquid distinctum a quatuor elementis; In secunda secundum locum tribuit opinioni approbanti pro materia aerem; In tertia tertium ei, quæ aquam. Pro notitia considerandum est opiniones veterum considerari posse dupliciter, primo absolute, Secũdo facta comparatione inter eas; Si absolute considerantur, Aristoteles putat omnes cum vero pugnare, facta autem comparatione quasdam vero proximiores, alias ab eo remotiores affirmat: Et quia varia considerare valemus principijs competentia, ideo mirum non est, si Philosophus modo vnam, modo alteram præfert; hoc in loco loquẽs de materia, quia eius conditio est, vt sit formarum expers, apta tamen omnes suscipere, ideo magis pro materia approbat medium aliquod ab Elementis distinctum, quam vnum aliquod Elementorum; hinc ipse pro materia medium potestate cõstituit, quod sit facultate vtrunque extremum; & comparans Elementa ad inuicem aerem præfert aquæ, & aquam igni; hæc enim duo elementa facile suscipiunt alienas formas, inuicem permutantur, sunt media inter Elementa per comparationem, & sunt sedes viuentium. *Institutum.* *Diuisio.*

## Caput Dubitationum.

*Dubitatio prima.* DVBITARE aliquis primo posset, quia non videtur verum, quod medium rectius statuatur materia, tum quia dictum est in præcedentibus medium constare ex extremis, & ideo nec primum, nec simplex est, tum insuper quia includit plures oppositiones, cum includat qualitates extremorum; *Secunda dubitatio.* Dubitatur secundo, quia omnia Elementa, cum sint simplicia, & prima inter corpora, exposcunt duas primas qualitates summas, & sinceras, quare non vnum minus, quam alterum est præditum contrarijs; *Dubitatio tertia.* tertio dubitatur quia Terra maxime obtinere videtur conditionem materiæ, tum quia in ea ob densitatem plurimum inest materiæ, vt dicitur in calce quarti Meteororum, tum quia subijcitur cæteris Elementis, ab eisque continetur; tum tertio quia tanquam communis mater, Cœlo vt patri subijcitur, ab eo recipit semina, & ob id in ea, & ex ea præsertim plantæ, & animalia gignuntur, ab eaque alimenta recipiunt. Hinc prisci Theologi, vt Hesiodus, & Pherecides Chius, Terram dixere materiam, quod etiam Moyses in Genesi fecisse visus est; *Dubitatio quarta.* Quarta dubitatio est de igne; nam Philosophus secum pugnare videtur, hoc enim in loco ignem postposuit, in primo autem Metaphysicæ contex. 13. & in primo de Anima 29. opinionem statuentium pro principio ignem cæteris prætulit; *Quinta dubitatio.* Demum dubitatur, cur Aristoteles solum inuicem comparet opiniones statuentium pro materia Elementorum aliquod, & medium, non autem eam statuētium cum Democrito Atomos, & cum Anaxagora mixta similium partium. Pro solutione primo supponendum est opiniones illas omnes absolute esse falsas; addendum secundo quod facta inter eas comparatione inspiciendo varia, modo vna, modo altera præferri potest: *Stoicorum sententia.* cum enim sententia fuerit Stoicorum, verum, falsum, bonum, & malum non recipere magis, & minus, ea sententia ab Aristotele iudicatur falsa; nam falsum impossibile est magis falsum quam id, quod fieri potest, & propterea verum, & falsum latitudine sunt prædita: addendum tertio Aristotelem modo considerare principalem materiæ conditionem, nimirum vt sit immunis a formis, & apta eas suscipere. Prima dubitatio erat de medio, quod non rectius pro materia statuatur; *Solutio prima.* Respondeo medium duplex, vel potestate, vel mixtione, & compositione; primum recte statuitur materia; Alterum considerando compositionem minus seruat conditionem primæ materiæ, quæ prima, & simplicissima est; at considerando quod contraria in eo sunt remissa, minus mouent sensus, & facilius in extrema conuertitur, quam extremum vnum in aliud, sic rectius dici potest materia. Dubitabatur secundo quia Elementa omnia *Solutio secunda.* exposcunt duas qualitates contrario præditas, summas, & sinceras; Respondeo exposcere quidem eas gradu summas, at non actione; insuper Elementa media minus inue- *Solutio 3.* niuntur sincera, quam extrema, vt dicitur in secundo de Ortu, & Interitu; Tertia dubitatio erat de Terra, quæ magis seruare videtur conditiones materiæ; Respondeo Aristotelem modo non considerare opinionem statuentium pro materia solam Terram, quia vt refert in primo Metaphysicæ nemo veterum Philosophorum pro materia solam Terram sumpsit: id solum fecere nonnulli Theologorū, vt Pherecides Chius, Hesiodus, & similes; Insuper Terra est maxime densa, maxime eius qualitates mouēt sensum, ob densitatem difficillime in alia mutatur, ideo Plato in Timæo inficiatus est eam mutari in alia Elementa; & demum quamuis includat varias conditiones materiæ, minus tamen quam Elementis medijs hæc ei competit, vt careat conspicuis affectionibus proprijs; & præsertim quia Elementa media, cum sint humida, magis hoc *De Igne.* includunt, vt alienis terminis circumscribi valeant. Dubitabatur de igne; Respondeo ignem inter Elementa maxime obtinere conditionem formę, alia vero Elementa, ei tanquam materiam subijci, & alimentum præbere, vt dicitur in secundo de Anima, & in primo de Anima 29. legitur a nonnullis animam dictam fuisse ignem, cum maxi-

me moueatur, maxime sit tenuis, & agendo efficax, in primo autem Metaphysicæ 13. inquit Philosophus, videbitur maxime Elementare esse omnium, ex quo primo fit cōgregatione, huiusmodi autem est quod est partium tenuissimarū, & subtilissimum est; propterea qui ignem pro principio statuunt maxime proferunt consentanea rationi. Ex his elicimus ignem maxime obtinere conditionem principij, & præsertim formæ, non autem materiæ, nisi ex eorum sententia, qui res gigni putarunt per congregationem. Dubitabatur postremo, cur Philosophus nil dicat de atomis, & mixtis consimilibus Anaxagoræ; Respondeo Aristotelem modo considerare eorum opiniones, qui materiam putarunt vnam, non eorum qui infinitas; insuper atomi, & mixta consimilia longius recedunt a conditione materiæ, quam Elementa, vt conspicuum est. *Solutio postremæ difficultatis.*

*VERVM, hoc vnum contrarijs omnes figurant, & densitate, ac raritate, & magis, ac minus; hac autem sunt exuperantia, & defectio, veluti dictum est prius; Et videtur antiqua esse hac opinio, quod vnum, & exuperantia, ac defectio sint Principia eorum qua sunt, prӕterquam non eodem modo; nam veteres duo dixere facere, vnum pati; posteriorum autem nonnulli e contrario, vnum quidem facere, duo pati potius inquiunt.* *Cont. 55.*

PHILOSOPHVS per mutuas comparationes opinionum sensim nos ducit in approbationem verioris sententiæ: comparauit primo opiniones ex parte contrarietatis principiorum; secundo ex parte materiæ; nunc tertio id facit ex parte vtriusque simul. *Institutum.* Diuiditur contextus in tres partes, in prima explicatur consensio, in secunda inuentio opinionis, in tertia dissensio: *Diuisio.* Vt pertinet ad consensionem inquit Philosophus veteres, & recentiores de hoc consensisse, quod id tertium numeratum inter principia figurant contrarietate, vt Diogenes, & Thales densitate, & raritate, & magis, ac minus, hoc est contrarietate, cuius vnum oppositum est magis nimirum continens, & excessus, alterum est minus, hoc est contentum, & defectio; & hoc dicitur a Philosopho, vt pateat quod quāuis necessarium sit tertium, non ob id deserenda est contrarietas: loquens mox de inuentione inquit, & videtur antiqua esse hæc opinio, quod vnum, & exuperātia ac defectio sint principia eorum, quæ sunt: indicat his verbis hoc non fuisse Platonis inuentum, sed antiquum, & hoc facit primo vt detrahat gloriæ, & authoritati Platonis manifestando non illum fuisse huius veritatis inuentorem; Secundo vt sententiam pluris faciendam indicet; semper.n. honoranda vetustas, & vetustiores sententię temporum cursu comprobatæ firmiores iudicantur; nam inania inuenta delet dies. [Præterquam non eodem modo, &c.] manifestatur in hac tertia parte dissensio; nam veteres Philosophi duo dixere facere, hoc est contrarietatem putarunt formare, efficere, & permutare; vnum vero distinctum a contrarijs dixere pati, & subijci contrarijs. Posteriorum autem nonnulli hoc est Plato, & qui sequuti sunt eum, è contrario vnum dixerunt facere, & formare, duo vero pati, & officio materiæ fungi; nam Plato in Timæo materiæ tribuit contrarietatem, nuncupans illam magnum, & paruum; formam vero dixit vnum, quia eius officium est formare, terminare, vnumque reddere; *Expositio.*

Caput

## Caput Annotationum & Dubitationum.

*Cõsideratio verborum.* CONSIDERANDA sunt ea verba Philosophi, dum ait contraria esse exuperantiam,& defectionem, vt dictum est prius. His verbis manifestat, quomodo id intelligi debeat, quod dixit in contextu 49. contrariorum alia continere, alia contineri; non enim denotat contrariorum vnam esse superiorem, alteram inferiorem, vt multi exponunt, sed quod contrariorum vnum est excessus,& continet, alterum defectio & continetur; & ideo nũc ait, vt dictum est prius; at non est dictum alibi, nisi eo in loco, & ita veteres dicunt eadem secundum Analogiam, quia eorum opiniones per Analogiam in hanc rediguntur, quod principia sint vnum, exuperantia, & defectio. Insuper animaduertendum, dum dicitur eam opinionem esse antiquam, id non esse referendum ad inuentionem primam, sed ad restaurationem; ex sententia enim Aristotelis, cum Mundum putet *Prima dubitatio.* æternum, non primi veritatis inuentores dantur, sed restauratores. At dubitatur primo, cum sermo sit de principijs internis, cur inserit Philosophus attinentia ad *Secunda.* causam efficientem, inquiens duo facere. Insuper dubitatur quia Plato in Phædone statuens Principia contraria,& inquiens cuncta fieri ex contrario, minime contrarietatem statuit materiam, sed non secus ac id faciat, Aristoteles affirmat contrarietatem *Tertia.* terminos constituere. Tertio dubitatur, quia non videtur priuatio, quæ est alterum contrariorum, facere,& formare, cum requiratur pro materia,& dicatur vna numero *Quarta.* cum materia. Dubitatur quarto, quia etiam alij præter Platonem contraria sumpsere pro materia, vt Parmenides ignem,& Terram, alij aquam, & Terram, Anaxagoras *Quinta.* contraria similium partium, Democritus contrarias atomos. Demum dubitatur de veritate principalis conclusionis, quæ est prima contraria esse Principia rerum. De *Solutio primæ difficultatis.* prima difficultate dico Aristotelem mẽtionem facere de ipso pati,& efficere, tum quia efficere, dum vsurpatur late, etiam denotat formare, terminare,& modo aliquo afficere materiam, tum insuper, quia nonnulli veterum contraria ab eis selecta, etiam dicebant proprie facere,& permutare, vt calidum,& frigidum, humidum, & siccum, & si*Solutio 2.* milia. De secunda difficultate dico de principijs internis ortus, & interitus litem inter Platonem & Aristotelem esse de verbis, non de sententia; nam Plato in Phædone latissime patefacit cuncta fieri ex contrarijs,& in contraria interire; & hoc ait de multis patere, latere autem de nonnullis, quia oppositæ affectiones latent,& non sunt prędite proprio nomine, non secus ac etiam asseruerit Aristoteles;& dum in Timęo contrarietatem tribuit materiæ, nuncupans eam magnum, & paruum, non loquitur tunc de oppositione terminorum, de qua modo est sermo, sed solam circumscribit conditionem indefinitam materię, vtens binario nominum, sequens Pythagoram, qui materiam parem,& binarium nuncupabat; qua de re latius loquar in progressu: hęc tamen est differentia inter Platonem,& Aristotelem, quia Plato hos terminos oppositos generationis non nuncupauit principia, vt fecit Aristoteles, immo nec materiam, sed solum dixit hęc esse necessaria pro rerum ortu; Principia esse censuit Mentẽ per ideas, *Solutio 3.* rationes, & semina, quæ in materia, vt in loco reciperentur. Tertia dubitatio erat, quia priuatio non videtur formare, sed potius ad materiam redigi. Respondeo Priuationem dupliciter considerari, primo vt alterum contrariorum distinctorum a materia, qua consideratione dicitur afficere materiam,& nuncupatur forma quædam, vt patet ex secundo Physic. 14.& 5. Metaphysicę, secundo consideratur vt opposita formę,& necessario in materia requisita, vt sit apta formam recipere; qua consideratione dicitur eadem numero cum materia,& includitur in secunda notione Materię. De *Solutio 4.* quarta difficultate, quia alij pręter Platonem contraria statuere materiam; dico primo Aristotelem modo considerare opiniones statuentium tria principia; addo secundo eos alios contrarietatem considerasse non vt materiam; sed vt dispositionem ma-

teriæ, Platonem vero eam contrarietatem statuisse naturam, & essentiam materię. Dubitabatur demum an contraria sint Principia rerum, id enim apprime dubium est, primo quia cui non competit esse primum, non potest iudicari Principium, conditio enim Principij est vt sit primum; contrarijs non competit vt sint prima, nam eorum definitio est vt sub eodem genere maxime distent, quod autem est sub alio non est primum, quare neque Principium. Similiter contraria, cum sint nata in eodem fieri, sunt posteriora suo subiecto. Præterea conditio contrariorum est euertere, pugnare, destruere, non autem construere; Insuper ea, quæ variantur, non sunt Principia, sed prædita principijs, nec valent æternam seruare generationem. Demum si prima contraria sunt rerum Principia, calor, & frigus, humor, & siccitas ex secundo de ortu, & interitu sunt prima contraria, quare hęc, & non forma, & priuatio statui debent Principia. Ex aduerso est Aristoteles, ratio ab eo formata, & inductio, & iure profecto, nũc enim inquiruntur principia interna, & communia ortus, & interitus; & quoniam omnis transmutatio intrinsecus exposcit subiectum, in quo recipiatur, & duos terminos, vnũ a quo, alterum ad quem, ideo ortus, & interitus, qui sunt transmutationes, eos exposcunt, huiusmodi autem termini debent inter se distingui, nil enim tendit ad id quod habet, nec sat est vt sint varij, quia definiti non essent, & præsertim, quia termini varij possent simul seruari, quod terminis transmutationis competere non debet; transmutatio enim denotat post aliud aliud, vt dicitur in quinto Physicorum, ideo debent esse oppositi, nam opposita definita sunt & mutuo se repellunt; hæc oppositio non debet esse relatio quia ad eam per se non est motus, vt ostenditur in quinto Physic. nec debet esse vere contraria, nam ea substantiæ non competit; sed in quinto Physic. dicitur oppositio contradictoria, quia ortus & interitus versantur inter esse & nõ esse. Verum quia contradictio est oppositio nimium lata, & id quod fit, non ex quolibet secundum contradictionem opposito gignitur, non enim homo fit ex quolibet non homine, sed ex eo quod cum non sit homo, est aptum esse homo, quod ad priuationem cum potentia iunctam pertinet, ideo generatio inter formam & priuationem versari dicitur. Aristoteles tamen hæc duo in hoc libro appellat contraria, primo quia vtitur voce cõtrarij late; secundo quia adhuc non distinxit ortum a motu, quod facit in quinto libro; tertio quia veteres nonnulli pro principijs vere contraria sumpserunt, Aristoteles autem a confusis orditur & per ea nos ducet ad distincta. Ex his modo facile est elicere solutiones aduersarum rationum. Instabatur primo, quia contrarijs non competit esse prima, sed supponunt genus & subiectum; Respondeo ea esse prima, & ex alio nõ pendere in suo genere, adeo vt forma & priuatio in genere terminorum transmutationis prima sint & in priora non resoluantur. Insuper ea definitio quod contraria sint sub eodem genere, est vera de proprie contrarijs, non de forma & priuatione, quæ dicuntur principia prædicamenti substantię, & supra illud tanquam eius Principia collocantur, vt patet ex 12. Metaph. Et dum additur quod præsupponunt subiectũ, respondeo quod ita illud præsupponunt, vt illud quoque inter Principia numeretur, & illud supponunt vt prius in distincto genere Principij. Addebatur conditionem contrariorum esse euertere & pugnare, non construere; respõdeo terminos transmutationis ita debere pugnare, vt mutuo se repellant, nec simul seruentur, quod competit formæ & priuationi. Insuper instabatur, quia si variantur, egebunt principio & causa suæ permutationis, nec poterunt ortum & interitum seruare æternum; Respondeo formam & priuationem variari tanquam terminos, pendere autem ex efficiente & materia, nec esse causam æternitatis generationis; ea enim pendet ex materia & motu cœli, vt patet ex primo de ortu & interitu, nec non ex 8. Physic. Addebatur vltimo loco prima contraria esse qualitates primas, ad tactum pertinentes; respondeo eas redigi ad formam & priuationem, & constituere non primam oppositionem attinentem ad terminos ortus & interitus, sed ad instrumenta communia, per quæ fit ortus omnis & interitus, vt patet ex secundo libro de ortu & interitu.

*Solutio 5.*

*Solutio primæ rationis.*

*Tria*

Cont.56. TRIA igitur dicere Elementa esse, & ex his, & ex huiusmodi alijs considerantibus videbitur vtique habere quandam rationem, vt diximus; Plura autem his non amplius, Ad patiendum enim satis est vnum; Si autem quatuor existentibus duæ erunt contrarietates, oportebit seorsum ab vtraque esse quandam naturam mediam; Si autem ex se inuicem possint generare, ociosa vtique altera contrarietatum erit, simul autem & impossibile plures esse contrarietates primas; substantia enim vnum quoddam genus est entis, quare eo quod prius & posterius different solum inter se principia, sed non genere; semper enim in vno genere contrarietas vna est, omnes autem contrarietates redigi videntur in vnam.

Institutum. DECLARATA contrarietate principiorum, & ostensa aliqua ex parte necessitate materiæ, Institutum Philosophi in præsenti contex. est, ex dictis colligere principia esse tria, ac insuper manifestare non esse plura tribus; Ideo

Diuisio. diuiditur in tres partes, in quarum prima colligit principia esse tria, in secunda ostendit non esse plura ex parte materiæ, in tertia non esse plura ex parte contrariorum. Ordiens a prima inquit [Tria igitur dicere

Expositio. Elementa esse, &c.] ratio ita formatur, Quæ sunt duo contraria & vnum tertium, sunt tria, Principia vt patuit, sunt duo contraria, & vnum Tertium, igitur sunt tria; inquit igitur, quia colligitur ex dictis, ait Elementa, quia hæc interna a veteribus nuncupata principia, primo a Platone, mox ab Aristotele dicuntur Elementa, vt apparuit in contex.48. ait, & ex his & ex huiusmodi alijs considerantibus, indicans id ipsum posse alijs etiam rationibus comprobari: addit, videbitur habere quandam rationem, vt diximus, indicans id quod dixit in cont.53. si debet seruari vtraque ratio, nempe constituens, & euertens contrarietatem pro principijs, necesse est subijcere tertium. Sequitur, Plura autem his non amplius. Hæc est pars secunda, in qua ostenditur principia non esse plura tribus primo ex parte materiæ, mox ex parte contrariorum. Ex quibus elicitur hæc ratio: Si principia essent plura tribus, vel essent plura ob materiam, vel ob contrarietatem; non ob materiam, quia officium materiæ est pati & subijci transmutationi, pro quo obeundo munere satis est vnum, natura autem non abundat superuacaneis; neque iudicari debent plura ob contrarietatem, quod in tertia parte ostenditur triplici ratione; prima est, si primæ contrarietates essent duæ, constituentes quatuor Principia contraria, quoniam omnis prima contrarietas exposcit vnum primum subiectum medium, oporteret materiam esse duplicem, quod est absurdum, cum satis sit vna; Insuper vel ex vtraque contrarietate seorsum possunt cuncta fieri, vel non; si possunt, altera erit redundans; si non possunt, tunc neutra contrarietatum erit commune principium, de quo est sermo: & hoc prætermittitur ab Aristotele, vt conspicuum ex conditione principiorum, quod ex eis omnia fiant. [Simul autem impossibile est plures esse contrarietates primas] hæc est tertia ratio formata etiam in præcedentibus, contex.50. hunc in modum; In omni genere est vna prima contrarietas, prædicamentum substantiæ est vnum quoddam genus, quare in eo vnica est prima contrarietas. Sed nos quærimus contrarietatem primam generis substantiæ, quod est corpus Physicum, cuius principia quæruntur, quare vnica, & non plures contrarietates, seligenda & statuenda principium; Ex quo colligit Philosophus Principia solum differre inter se ordine, & per prius & posterius, quatenus quædam sunt principia proxima inferiorum specierum, alia superiorum, non autem differre genere, cum sem-

per

per in vno genere contrarietas prima vnica ſit, in quam reliquæ eius ordinis rediguntur.

## *Caput Annotationum.*

*Qũo alijs rationibus poſſit oſtendi principia eſſe tria.*

CONSIDERANDVM primo quod Ariſtoteles inquit conſimilibus alijs rationibus poſſe oſtendi Principia non eſſe plura tribus: id enim poteſt oſtendi per genus tranſmutationis, quod tria expoſcit, ſubiectum, & duos terminos; Præterea per actum, & potentiam, quæ ſunt communia principia eorum, quæ fiunt; actus eſt forma, potentia prodit ex ſubiecto & priuatione; Tertio poteſt oſtendi per attinentia ad appetitum, qui in rerum ortu conſideratur, pro quo requiritur appetibile, oppoſitum eius, & appetens, vt patet ex contex. 81. Inſuper in principijs inueniri debet principium vt eſt priuatio, medium vt ſubiectum, & finis qui forma eſt. Præterea perfectio multorum in ternario eſt poſita, vt dicitur ab Ariſtotele in primo de Cœlo, nec non in ſecundo de partibus animalium; Inſuper requiritur pro rerum ortu infinitum conſtitutum per materiam cum priuatione iunctam, & terminus infinitum contrahens & terminans. Secundo

*Qũo ad patiendum ſatis ſit vnũ.*

conſiderandum id quod dicitur ab Ariſtotele ad patiendum ſatis eſſe vnum, hoc verum eſſe, dum genus paſſionum eſt vnum, veluti eſt mortalium: at ſi fuerit genere varium, vt eſt illud cœli, patiens debet eſſe varium. Hoc in loco occurrit quæſtio an materia ſit vna, quæ explicata eſt in lib. de Materia, ideo prætermittitur. Tertio conſi-

*An materia ſit vna.*

*Qũo ſeorsũ a contrarietate requiritur natura media.*

derandum id quod dicitur ab Ariſtotele, ſi duæ eſſent contrarietates, oportebit ſeorſum ab vtraque eſſe quandam naturam mediam: hoc exponi poteſt dupliciter primo dicendo, ſi contrarietates eſſent duæ, adhuc neceſſaria etiam erit materia, per quam ſi cum vna contrarietate poſſunt cuncta fieri, altera erit redundans; Secundo poteſt exponi vt iam dixi, quod ſi duæ eſſent contrarietates primæ, vtriq; ſeorſum propria materia reſpondebit, & hoc verius puto; & tunc occurrit conſiderandum quæ ſit ratio, quod quæuis prima contrarietas propriam & diſtinctam materiam expoſcat; & di-

*Cur quæuis prima cõtrarietas primam materiam ſibi reſpondentem expoſcat.*

cendum primo rationem indicari ab Ariſtotele, cum eam nuncupet naturã mediam, nam variorum contrariorum varia ſunt media, materia eſt media, quare variorum primorum contrariorum varia eſt: Inſuper materia eſt tanquam genus, poteſtate continens differentias, quare, vt quęuis prima oppoſitio differentiarum expoſcit proprium genus, ita de oppoſitione apta verſari in materia putandum eſt ſe habere: Confirmatur quia vni, vt vnum eſt, proxime iungitur ſolum vnum, quare vni primo ſubiecto, vt vnum eſt, vna ſola prima cõtrarietas eſt apta competere: hinc nono Metaphyſicæ 17. aſſeritur per materiam res poſſe eſſe & non eſſe, quod non eſſe, cum ſit iunctum cum poteſtate, priuationem conſtituit oppoſitam formæ, quę eſt prima oppoſitio materię.

*Qũo materia ſit media.*

Conſiderandum quarto Materiam ab Ariſtotele nuncupari naturam mediam, nam medium eſt multiplex; datur enim Medium per compoſitionem, vt colores & ſapores medij, datur medium per magis & minus, vt diluculum inter tenebras, & priuationem, datur medium per comparationem, vt aer & aqua dicũtur Elementa media, medio quodam modo grauia & leuia; datur medium circuli, & molis, quæ media ad rem non faciunt; Inſuper datur medium per negationem, quod eſt duplex vel ſine potentia, vt lapis mediat inter ſapientem & ignarum, vel eſt cum poteſtate, vt puer inter iuſtum & iniuſtum; hoc pacto materia media dicitur, quia ex ſui natura non eſt aliquod extremorum, apta tamen eſt fieri vtrunque. Inquit Auer. materiam eſſe mediam inter non eſse penitus & eſse actu, quæ ſententia non eſt referenda ad medium inter oppoſita ſecundum formam & priuationem, de qua modo eſt ſermo, ſed ad naturam & conditionem materiæ, quatenus ea non eſt actus, qui forma eſt; neque eſt penitus non ens, cum ſit ens per ſe, ideo dicitur media, non tamen per æqualem diſtantiam, ſed per conditionem quandam mediam eius propriam, nec ob id puto dicendum,

*Auer.*

dum,inter non esse penitus,cui tamen non repugnet esse, & esse ipsius materiæ distantiam esse infinitam,& ob id creationem ex potentia, quam dicunt obiectiuam ad esse exposcere vim immensam,nam profecto ea distantia,vt alibi patefeci,mensuratur per recessum a non gradu, qui non est intensior, quam sit essentia materiæ, & ob id puto distantiam materiæ ad esse actu,esse maiorem quam a non esse penitus,cui non repugnet esse; creatio autem exposcit vim immensam,non ob immensam distantiam, sed ob modum productionis sine subiecto, & constitutionis rei in esse absolute; quod solum potest esse munus eius,quod absolute est, & ex alio non pendet. Demum considerandum est, quod Aristoteles inquit, principia solum inter se differre eo quod prius & posterius,non autem genere; hoc enim videtur dubium,quia Principia rediguntur ad id prædicamentum, cuius sunt Principia; quare cum ea, quæ fiunt, sint distinctorum prædicamentorum, est necesse fateri Principia quoque eorum differre genere; Augetur dubitatio, quia cum dicat Philosophus omnes cōtrarietates redigi in vnam, ea non videtur esse forma & priuatio,sed potius contradictio,siue esse,& non esse, in quam omnis oppositio demum resoluitur. Respondeo sententiam Aristotelis quatuor modis esse veram; primo contraria sunt eiusdem generis, intelligendo nomine generis materiam, quæ genus est Physicum; secundo sunt eiusdem generis considerando genus modi,quo sunt principia, nam sunt termini, quibus subijcitur materia; tertio sunt eiusdem generis ab vno,veluti entis, vt etiam cuncta quæ fiunt,sunt eiusdem generis ab vno; Demum principia sunt eiusdem generis, quia inquiruntur (vt dixi) principia prædicamenti substantiæ, quod est corpus Physicum; cuius qui tradit principia,etiam tradit principia cæterorum prædicamentorum,cum principia eorum sint eadem secundum Analogiam; & hic quartus modus ad rem facit. Instabatur, quia oppositio formæ & priuationis non est prima,sed contradictio; respondeo oppositionem secundum affirmationem & negationem esse quidem communiorem, sed non propriam generationis,& esse communiorem secundum prædicationem,at non secūdum productionem,quoniam non ex omni non albo fit album, vt dicitur in cont.43. sed ex nigro circumscribente priuationem; & quamuis generatio in quinto Physic. definiatur per esse & non esse,& dicatur versari inter contradicentia; tamen non versatur inter omnia absolute,sed inter ens & id non ens,quod aptum est fieri, & id pertinet ad priuationem.

*Quo principia sint eiusdē generis.*

*cont.57.* *QVOD igitur neque vnum, neque plura duobus vel tribus sit Elementum, manifestum est, sed quod nam horum sit asserendum, dubitationem habet multam, vt diximus. Sic itaque nos dicamus primum de omni generatione aggredientes, Est enim secundum naturam communia primo dicentes, sic circa vnumquodque propria speculari.*

CVM Philosophus hactenus disputando,& confuse ternarium numerum principiorum declarasset,institutum eius modo est id ipsum distinctius patefacere, exactius declarando necessitatem materiæ, & secernendo materiam a priuatione; In hoc contex. tria facit; in prima parte colligit conclusionem,in secunda patefacit institutum suum, in tertia tradit ordinis seruandi rationem. Inquit in prima parte, patere ex dictis Elementa non esse plura duobus, vel tribus: loquitur cum disiunctione, quia adhuc non exacte est patefacta necessitas materiæ,nec distinctio eius a priuatione, ideo addit, sed quod nā horum sit approbandum, dubitationem habet multam, vt diximus; hoc non potest

*Institutum.*

*Diuisio.*

ad aliud

ad aliud referri, nisi ad id, de quo verba fecit, num scilicet principia sint contraria, vel non, nam de alio in præcedentibus non dubitauit: Explicans in secunda parte institutum suum inquit, sic itaque nos dicamus declarantes numerum principiorum, primo de omni generatione loquentes, hoc est explicantes principia communia generationis, cuius seruandi ordinis rationem tradit in tertia parte inquiens; est enim secundum naturam, hoc est exposcit naturæ ordo, quem nos sequi debemus, vt primo declaremus communia, mox ad propria vniuscuiusque descendamus.

## *Caput Dubitationum.*

Dubitatur primo cum iam Philosophus ostenderit principia esse tria, cur modo inquit de hoc magnam esse difficultatem? Dubitatur secundo cur Philosophus hoc in loco, & non in proœmio ordinem, ordinisq; rationem manifestat? Tertio dubium est cur communia primo sint declaranda. Demũ dubitatur num Philosophus seruauerit ordinẽ hũc, quem seruandum affirmat. De prima difficultate dico Aristotelẽ dubitasse in præcedẽtibus an contraria sint principia vel non; quam difficultatem leuissime soluit, solum inquiens, si quis voluerit seruare pugnantes rationes, tenetur addere tertium, & id approbauit authoritate veterum, at non exacte patefecit id tertium esse necessariũ, quod faciet in progressu, neque id tertium secreuit a priuatione. Quærebatur secundo cur Philosophus hoc in loco & non in proœmio ordinem patefecit. Putauit Auer. hoc fieri in quarto contextu, at manifestaui in eius expositione eo loci viam declarandi principia, non ordinem tradi; & si ibi id factum fuisset, inaniter Philosophus iterum modo id ipsum repeteret; Propterea dicamus in primo contextu fuisse declaratum ordinem inter Principia & pendentia ex illis; & sancitum fuit primo esse agendum de Principijs, Nunc autem, cum de illis ex sua sententia distinctius sit agendum, manifestat ordinem seruandum, ordiendo a communioribus, quia modo huiusmodi ordo debebat inseruire, veluti etiam in secundo de Anima 33. ad gradus animæ descensurus, de ordine & Methodo verba facit; Erat itaque hæc declaratio huic loco accommodata. At dubitatur quia Aristoteles in primo de partibus animalium discutiendum hoc proponit, an primo declaranda sint communia, & ait nil adhuc ea de re fuisse declaratum, respondeo nil fuisse decisum a veteribus Philosophis; insuper nil fuisse decisum ab eo exacte, & exquisite; nam hoc in loco, vt etiam in primo Elenchorum, in secundo de Anima, & alibi solum profert communia primo esse declaranda, at non exacte ea de re disputat, & verba facit. Dubitabatur tertio, cur communia primo sint declaranda. Auer. in proœmio magnorum commentariorum primi Poster. tres affert rationes; prima quia sunt nobis notiora; secunda ne fiat inanis repetitio declarationis eiusdem communis; tertio vt affectio communium suo primo subiecto tribuatur. Harum rationum prima non est vera, quoniam in ordine non tenemur exordiri a notioribus, vt in proœmio patefeci; id enim ad viam pertinet; Aliæ duæ rationes non cogunt, quia facile esset ea absurda vitare. Propterea dicamus eius ordinis duas esse causas principales; vna est, quia res in scientia ita sunt in ordinem redigendæ, vt per naturam ordinatæ sunt; scientiæ enim sunt res ipsæ per imitationem; hanc rationem attulit Philosophus hoc in loco inquiens, id esse secundum naturam, quia tenemur naturam sequi, & eam æmulari, & hoc exposcit natura rei. Ex hac prima causa pendet secunda, nam quia res, vt se habent ad esse, ita ad cognitionem, cum communia sint principia minus communium & ignoratis communioribus ignorẽtur minus communia, ideo communiora primo sunt declaranda. Hæc ratio elicitur ex primo contextu huius libri, nec non ex sexto Top. cap. 3. quo loci inquit Philosophus ignorato genere, ignorari speciem, hac de re latius verba feci in introductione ad Philosophiam de moribus. Dubitabatur quarto, an Philosophus regulam hanc ordinis seruet; nam mi-

*Dubitatio prima.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Solutio prima diff.*
*Secunda.*
*Cur communia primo declaranda.*
*An Philosophus regulam seruet.*

nime videtur eam seruare, quoniam subiectum Naturalis scientiæ est corpus Physicum, cuius hæc mortalia sunt exigua portio. Cum itaque Philosophus tradat principia ortus & interitus, tantum abest, vt declaret communia omni corpori Physico, vt potius solum de illis, quæ minori parti competunt, verba faciat. Ob hanc difficultatem dixere nonnulli non corpus omne Physicum, sed solum mortale esse subiectum naturalis scientiæ, quod esse falsum in consideratione subiecti patefeci. Dixerunt alij in hoc libro declarari principia mortalium, in 8. Physic. principia æternorum corporum, & ita principia omnium natura constantium explicari: Qui hoc dicũt primo difficultatem non soluunt; adhuc enim non patet, quomodo Aristoteles primo communia declarauerit, sed primo declarasset solum competentia mortalibus, nõ communia. Præterea falsa enunciant; non enim in 8. Phy. declarantur interna principia, ex quibus cœlum constat, de quibus internis principijs modo est sermo, non autem de compositione ex motore & mobili, quæ declaratur in 8. Physic. & confirmatur quia Arist. solum in primo de Cœlo manifestat Cœlum esse distinctæ naturæ ab ea mortalium, quare non valuit prius eius interna principia patefecisse; Propterea dicamus cœlum, vel consideratur ex sententia veterum, vel Aristotelis, Si consideratur ex sententia veterum, est eiusdem naturæ cum mortalibus, & ita declarantur principia communia; Si consideratur ex sententia Aristotelis cœlum est corpus simplex, cui nõ competunt interna principia ortus & constitutionis, nisi vt est mobile motu secundum locum; nam omnis motus est quidam ortus & interitus, vt sæpe docet Aristoteles. Ex his elicio primo Aristotelem declarare communia principia interna ortus omnium, quibus cõpetunt, at proprie solum competunt mortalibus, ideo declarando principia horum, declarantur principia omnium, quibus competunt. Addo secundo, ex horum declaratione etiam refulgere principia cœli, quatenus est corpus Physicum & ortui ac interitui est obnoxium, quod ei competit, vt est mobile; nam cœli corpus, & termini motus eius secundum partem considerati, sunt materia forma & priuatio, ideo recte Alexander (referente Auer. 12. Metaphysicæ 29.) asserebat ex horum principiorum declaratione refulgere principia cœli, & ea secundum quandam Analogiam, declarare; Demum his addo, quod dum aliquid est ab vno, tradi debent principia primi, ex quorum notitia refulgent principia aliorum. Corpus Physicum est ab vno, primum secũdum proprietatem est corpus mortale, hoc enim est Physicum per formam & materiam, & per omnem motum; secundario & minus proprie cœlum est Physicum, quia non per formam, sed per solam materiam & per solum motum secundum locum Physicum est: cœlum inter corpora Physica primum est secundum dignitatem, at non secũdum proprietatem; est primum absolute, at non nobis. Colligo itaque declarari principia communia omnium, quibus proprie competunt, aliorum vero secundum Analogiam, & facultate quadam.

*Opinio quorundam.* *Opinio aliorum.* *Opinio propria.* *Elicitur primo.*

Cont. 58. *DICIMVS enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum, vel simplicia dicentes, vel composita; quod autem dico hoc est, fieri potest vt homo fiat musicus, aut non musicum quid fiat musicum, vel non musicus homo fiat homo musicus; Ac simplex quidem factum, hominem, & non musicum dico, simplex vero cuius est generatio musicum; At compositum, tam quod fit, quam cuius est generatio, cum hominem non musicum dicimus fieri hominem musicum.. De horum autem altero non solum dicimus hoc aliquid fieri, sed etiam ex hoc, vt è non musico musicus; de*

*altero vero in omnibus non dicitur, non enim ex homine musicus fit, sed homo fit musicus.*

DECLARATVRVS Philosophus definitum numerum Principiorum, & modum, quo ad rerum ortum conspirant, quia Plato visus est non secreuisse materiam a priuatione, ideo primo huiusmodi discrimen sibi patefaciendum proponit. Diuiditur præsens contextus in duas partes, in quarum prima assignatur diuisio generationis in simplicem & compositam secundum modum loquēdi, in altera manifestatur discrimen ad modum loquendi pertinens. Pro cunctorum notitia, quinque sunt prænoscenda; primum est generationem esse duplicem, vnam substantiæ, per quam fit aliud, alteram accidentiū, per quam non aliud, sed alterum fit. Prænoscendum secundo generationem posse tribui tribus, vel soli subiecto, vt homo fit musicus; vel soli priuationi, vt immusicus fit musicus; vel coniuncto ex vtrisque, vt homo immusicus fit homo musicus. Prænoscendum tertio generationem diuidi in simplicem & compositam, secundum modum loquendi; Simplex quidem dicitur dum vni soli tribuitur, nimirum vel soli subiecto, vel soli priuationi; composita vero, dum tribuitur congregato, vt homo non musicus, fit homo musicus; Quarto prænoscendum, quod dum loquimur de generatione, id quod accipitur pro subiecto enunciationis ab Aristotele dicitur τὸ γιγνόμενον, factum, quod vero pro prædicato ὃ γίνεται, quod fit. Prænoscendum quinto duos inueniri loquendi modos, vnum in recto, hoc fit hoc; alterum in obliquo, ex hoc fit hoc; primus denotat subiectum permanens, quod competit generationi accidentium, vt dicendo homo fit musicus; si autem tribuitur priuationi, ei competit quatenus denotat subiectum priuatum; vt dicendo immusicus fit musicus; Alter vero modus in obliquo duo denotat, vel partem, & competit subiecto, vt dicendo ex ære fit Statua, ex lapidibus fit domus; vel recessum & terminum a quo, & competit proprie soli priuationi, vel subiecto proximo generationis substantiæ, quatenus interit, & terminum a quo includit, vt ex lignis fit ignis, ex nube pluuia. Et quoniam priuatio omnis constituit terminum generationis a quo, ideo de omni priuatione recte dicimus ex hoc; dicimus autem hoc, dum per denominationem denotatur subiectum actu permanens; de materia vero dicimus hoc, dum est permanens & actu, vt subiectum accidentium; dicimus ex hoc dum interit vel saltem partem denotat, vt competit materiæ substantiæ; vel imitantium eam, vt statuæ & domus. Ex his elicitur explicatio verborum; inquit itaque Philosophus, Dicimus fieri ex alio aliud, indicans generationem substantiæ, & ex altero alterum, indicans generationem accidentium; vel simplicia dicentes, vel composita, nempe secundum modum loquendi, vt mox exemplis se declarat, tribuendo generationem vel soli subiecto, vel soli priuationi, vel congregato ex vtrisq;. Quibus præassumptis discrimen ponit inquiens, De horum autem altero, nempe de priuatione, non solum dicimus hoc aliquid fieri, sed ex hoc, vt immusicus fit musicus, & ex immusico fit musicus; De altero vero, nempe de subiecto, in omnibus non dicitur ex hoc; non enim ex homine dicitur fieri musicus, sed homo fit musicus; Adeo vt differentia hæc fit de omni priuatione, dicimus ex hoc fit hoc, non autem de omni materia.

Institutum.

Diuisio.

Quinq; prænoscenda.

Expositio.

## Caput Annotationum & Dubitationum.

*Tres differentiæ attinentes ad modum loquendi.* CONSIDERANDVM est ex modo loquendi tres elici differentias, vt ex dicendis clarius patebit; vna est modum loquendi in obliquo magis congruere priuationi, in recto vero subiecto; Altera est de omni priuatione dicere valemus ex hoc, non de omni subiecto; Tertia est de eadem priuatione frequenter vti valemus vtrisque loquendi modis, non autem de eadem materia; *Ratio quæ elicitur ex Aristotele.* Considerandum secundo ex Aristotele hanc elici rationem, Ea de quibus recte loquendo, vario modo loquimur, putanda sunt varia; de materia & priuatione loquimur modo vario, quare putanda sunt varia; *Prima dubitatio.* Sed tunc oritur dubitatio, quia Aristoteles in libro de interpretatione nomina, & modum loquendi ait esse ad libitum, non autem secundum naturam; quare ex modo loquendi non valemus elicere attinentia ad naturam & conditionem rerum. *Secunda dubitatio.* Insuper dubitatur, quia quod est in definitione alicuius competit omni; fieri ex, sumitur in definitione materiæ, nam Aristoteles in hoc primo Physic. 82. & in secundo Physicorum materiam definiens ait ex quo fit aliquid cum insit. *Dubitatio tertia.* Tertio dubitatur, si modus loquendi in recto magis cõgruit subiecto, cur non de omni subiecto loquentes eo vtimur? & præsertim cum materia seruetur in rerum ortu, non autem intereat. *Solutio prima.* De prima difficultate dico in elocutione duo considerari, impositionem nominum absolute, & rectam rationem; primum est ad libitum imponentis, alterum nequaquam: nomina enim debẽt congruere conditioni rerum, alioquin dicerentur perperam imposita; hinc imponere nomina est officium sapientis, & ob id Aristoteles frequenter etiam vtitur ratione sumpta ex Ethymologia, vt patet de casu, in secundo Physic. de mutatione in quinto, & de alijs; At quæritur qualis nam iudicanda sit ratio sumpta ex modo loquendi, & ex Ethymologia? & dicendum esse ab authoritate sapientum, qui nomina imposuere, longo vsu a populis per successionem approbata. *Solutio secunda.* Dubitabatur secundo, quia fieri ex ingreditur definitionem materiæ, quare debet competere omni. Respondeo materiã quatuor modis posse cõsiderari, primo vt ex ea educitur forma; Secũdo vt est materia proxima, quæ interit, veluti ex ligno fit ignis; Tertio vt est pars compositi, quod proprie generatur, & hac triplici consideratione semper de ea dicitur ex, & dum definitur consideratur tertio modo; Quarto consideratur vt subiectum actu, quod denominatur per formam, quæ in eo recipitur, & tunc solum dicimus hoc fit hoc. Ex hoc patet primo solutio difficultatis; patet secundo Aristotelem in hoc primo Physi. non distincte loqui de materia prima, de qua solum dicimus ex, sed de materia vniuersè sumpta; hoc enim pertinet ad librum & considerationem communem, loqui tamen præsertim de materia prima, tanquam de primo ab vno; patet demum solutio tertiæ difficultatis, cur non de omni materia vtamur recto; nã modus ille loquendi magis congruit materiæ, non quidem omni, sed ei, quæ est subiectum actu, & denominatur per formam, quæ acquiritur; competit autem priuationi quatenus hanc consignificat; hinc dum huiusmodi loquendi modus non congruit materiæ, etiam non recte tribuitur priuationi eius, non enim recte dicimus non ignis fit ignis, dum per non ignem intelligimus priuationem eius in prima materia.

*Cont. 59.* *AT vero eorum, quæ vt simplicia fieri dicimus, alterum permanens fit, alterum non permanens; nam homo quidem permanet, cum fit musicus homo, Non musicum autem, & immusicum neque simplex, neque compositum permanet,*

TRADITA differentia materiæ a priuatione cõsiderata in modo loquendi, institutum est Philosophi assignare differentiam attinentem ad conditionem eorum, quæ est præcipua causa varietatis modi loquendi. Diuiditur contextus in duas partes, in prima refertur differentia, in altera exemplo illustratur. Inquit Philosophus in prima parte, eorum, quæ secundum modum loquendi dicimus fieri, vt simplicia, hoc est materiæ, & priuationis, in rerum ortu adueniente forma alterum, nempe materiam, permanere & forma perfici, alterum vero, nimirum priuationem, nõ permanere, sed euanescere. Quod explicans in secunda parte inquit, nam homo, hoc est subiectum & materia permanet, cum fit musicus; Non musicus autem siue immusicus, hoc est negatio coarctata ad priuationem, quia sic est terminus a quo generationis, neque simplex neque compositum permanet; nam compositum est homo immusicus, quod perit pereunte altera partium, ex qua pendet. Pertinentia ad hunc contextum in explicationem sequentis reijciuntur, quoniam eadem sententia repetitur. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

*DETERMINATIS autem his, ex omnibus quæ fiunt, hoc est accipere, siquis inspexerit vt diximus, quod oportet semper aliquid subijci quod fit, & hoc & si numero est vnum, forma quidem non est vnum; forma dico & ratione idem: non enim idem est homini & immusico esse, & illud quidem permanet, hoc vero non permanet, etenim non oppositum permanet, homo enim permanet, musicus autem & immusicus non permanet, neque ex ambobus compositum, vt immusicus homo.* *Cont. 60.*

PATEFACTA differentia materiæ a priuatione, siue potius varietate earum, comprobare vult modo Philosophus necessitatem materiæ, vt pateat quomodo principia, & duo & tria dici valeant: Diuiditur hic contex. in tres partes, in prima patefit necessitas materiæ; in secunda manifestatur quomodo materia sit eadem cum priuatione; in tertia quomodo varia. Inquit in prima parte quod cum sit traditum discrimen materiæ a priuatione, quibus modo vario tribuitur generatio, progrediendo inductione, & experientia per ea quæ fiunt, quæ sunt composita, confusa; & nobis notiora; & inspiciendo, vt diximus, hoc est considerando discrimen, manifestum redditur oportere semper aliquid subijci ortui rerum, quod vt subiectum dicitur fieri; mox in secunda parte ait, & hoc & si numero est vnum, hoc est cum id subiectum fundamento sit vnum, ac ita dicatur vnum numero cum priuatione, forma quidem, hoc est ratione, non est vnum. Declarans in tertia parte quomodo distinguantur specie, forma, & ratione, affert distinctionem sumptam ex conditione eorum, traditam in præcedente contex. inquiens, non enim idem est esse, eademque ratio hominis & immusici, hoc est materiæ, & priuationis; & illud, nempe materia, & permanet & seruatur adueniente forma, non autem seruatur priuatio, nec compositum ex ea & materia, vt dictum est. *Institutum.* *Diuisio.*

## *Caput Dubitationum:*

EX dictis a Philoſpho in hoc,& in præcedente contex. ſex prodeunt du-
*Prima dubitatio.* bia: primum eſt, quomodo materia & priuatio dici poſſint vnum nume
ro, plura vero ſpecie & forma, cùm vnum numero ſit maxime vnum, in-
cludens cæteros modos vnius, vt patet ex quinto Metaphyſicæ. Dubi-
*Secunda.* tatur ſecundo, ſi priuatio aduenientе forma perit, quia ei opponitur,
cur etiam non perit materia, cum materia dicatur poteſtas, quæ formæ & actui maxi-
*Tertia.* me opponitur, vt dicitur ab Auer. in procemio de Anima cōm. 8. Tertio dubitatur an
verum ſit, quod adueniente forma, ſeruetur materia: inquit enim Themiſtius ex ſen-
tentia Boethi, præſente forma non amplius eſſe materiam, ſed ſubiectum; Ideo dubi-
tabat Plotinus in lib. de materia quomodo fieri poſſit, vt adueniente forma, quæ
actus, bonum, & terminus eſt, non pereat materia, quæ eſt poteſtas, malum, & infini-
*Quarta.* tum? Quarto dubitatur an verum ſit, quod diſtinguantur ratione; nam & priuatio
per materiam, & materia per priuationem definitur; priuatio enim eſt abſentia formę
in ſubiecto nato eam recipere; materia vero eſt ſubiectum carens forma, aptum eam
*Quinta.* recipere. Quinto dubitatur, Quia ſi priuatio perit, dabitur priuatio priuationis, quod
videtur abſurdum, & præſertim quia conſideraretur progreſſus in infinitum; ac inſu-
per cum ſit non ens & interitus, vt non datur generatio generationis, ita nec interitus
datur interitus; non ens enim non valet tranſire in non ens, alioquin eſſet interem-
*Sexta.* ptum prius quam interiret. Demum dubitatur, cur materia potius dicatur vna nume
ro cum priuatione, quam cum forma, & num cum forma quoque dici valeat vna
*Quid primo conſiderandum.* numero. Pro ſolutione harum difficultatum conſidero primo a Philoſopho hoc
in loco vſurpari vnum numero pro eo quod eſt vnum ſubiecto, fundamento, & pro eſ-
ſe abſoluto; nam priuatio pro eſſe abſoluto non diſtinguitur a materia, cum materiæ
ſolum ſuperaddat relationem, & ideo non competit materiæ in prima notione. Inſu-
*Alterū conſiderādum.* per conſidero quod eſſe vnum ſubiecto contingit dupliciter, vel quia ſint duo vni ſu-
biecto competentia, vt flauum & dulce melli, vel quia vnum fundamento competat,
vt lac & albedo; priuatio dicitur vna numero cum materia fundamento hoc ſecun-
*Tertium.* do modo; Conſidero inſuper, quod Ariſtoteles diſtinctionem ratione, nuncupat di-
ſtinctionem forma & ſpecie, vſurpando formæ nomen pro eſſentia cuiuſuis rei ratio-
ne explicanda, adeo vt eſſentia materiæ, quæ eſt id quod materia eſt, forma dicatur; ac
ita materia, & priuatio diſtinguuntur forma, & propria conditione; hinc prodeunt
etiam formalitates prædicamentorum, nam ſat eſt vt prædicamenta diſtinguantur ra-
*Quōſemper eſſentia rei ſit forma.* tione, ita enim dicuntur diſtingui forma & conditione: Ex quo elicio ſemper id quod
res quæuis eſt, poſſe dici formam, & propterea abſurdum non eſt concedere materiæ
actum, quō dicunt, entitatiuum, ſumptum pro gradu entis & pro formalitate & ratio-
ne eius propria. Ex his facile modo eſt elicere ſolutiones propoſitarum difficultatū;
*Solutio primæ difficultatis.* Quarum prima erat, quomodo materia valeat dici vna numero cum priuatione, & di
ſtincta ſpecie, ſiue forma? Nam vnum numero dupliciter vſurpatur, vel pro collo-
cato in ordine prædicamenti ſub ſpecie, & ita vnum numero eſt vnum ſpecie, & ge-
nere; vel pro eo quod eſt vnum ſubiecto & fundamento & pro abſoluto, contradiſtin
ctum ab eo, quod eſt ratione multiplex; & ita vnum numero, valet eſſe duplex ratio-
*Solutio ſecundæ.* ne formalitate & ſpecie. Dubitabatur ſecundo, quia adueniente forma, ne dum pri-
uatio ei aduerſa, verum etiam materia ob eandem rationem videtur debere perire,
cum aduerſetur formæ. Reſpondeo materiam dupliciter poſſe conſiderari, primo pro
ſuo eſſe proprio, ſecundo pro his, quæ ei competunt ex accidenti, ob ei iunctam pri-
uationem: dum conſideratur pro ſuo eſſe proprio, eſt gradus entis denotatus per po-
tentiam, ex qua & forma per ſe fit vnum, vt dicitur in 8. Metaphyſicæ, & ſolum formæ
opponitur per relationem, vt dicitur in ſecundo Phy. 26. quę non ſe mutuo deſtruunt;

At dum

At dum consideratur ob ea, quæ illi per priuationem competunt, sic est fœmina, turpis, informis, indefinita, quæ omnia abolentur adueniente forma; ita materia in contex. 81. dicitur fœmina & turpis ex accidenti, & in cont. 82. dicitur ex accidenti interire. At instabatur tertio, quia adueniente forma non amplius dicitur materia eius, sed subiectum; respondeo, si Themistium & Boethum defendere cupimus, variari quidem tunc nomen, at non naturam & essentiam: Addo deinde sententiam illam non esse approbandam; nam materia ante quam recipiat formam aliquam, dicitur materia illius potestate, cum vero eam receperit, dicitur materia eius actu, & ideo tunc verius est materia illius. Confirmatur quia definitur materia, quod sit id, ex quo fit aliquid cum insit, quare inesse & subijci formæ est pars definitionis materiæ, non autem est aliquid materiæ conditionem euertens. Dubitabatur quarto, quia materia & priuatio non videntur distingui ratione, cum vnum per alterum definiatur: Respondens dico primo materiam in prima notione non includere priuationem, & propterea non definiri per eam: Addo secundo, quod quamuis vnum definiatur per alterum, nil propterea obest, quin distinguantur ratione; semper enim definitiones iudicandæ erunt distinctæ cum definitio vnius non competat alteri, vt definitio serui differt ab ea domini. Dubitabatur quinto, quia non videtur priuatio posse perire; Respondeo, priuatio dupliciter consideratur primo absolute & per se, vt est priuatio, ac ita, vt non datur absentia absentiæ, ita nec priuatio priuationis, sed priuatio omnis dicitur esse formæ absentia, & priuatio: Secundo consideratur vt est forma quædam, per quam subiectum modo aliquo afficitur & denominatur, vt patet ex secundo Physic. 15. nec non ex 5. Metaphysicæ, & hac consideratione potest considerari priuatio quędam priuationis, quamuis minus proprie; nec ob id dabitur progressus in infinitum, quia per huiusmodi priuationem subiectum non afficitur modo aliquo, adeo vt mox possit dici priuatū ea affectione & forma, sed solum nostra ratione id concipitur. Quo autem pacto priuatio valeat interire, in explicatione cont. 82. patebit. Demum quęrebatur, cur materia potius cum priuatione dicatur vna numero, quam cum forma; qua de re tria dico, primum est materiam iure dici vnā numero cum priuatione, quia pro fundamento & pro esse absoluto nō distinguuntur, sed solum relatione & ratione, vt prius dixi; de forma secus se habet. Dico secundo priuationem intimiorem esse materiæ, & conditioni eius, cum materia ex sui natura & conditione formam non includat, & actus aduersetur conditioni eius; Addo tertio materiā non recte dici vnam numero cum forma, quia materia cum forma constituunt tertium, quod est vnum numero, priuatio autem cum materia tertium non constituit; rectius autem diceremus duo accidentia, eidem competentia, vnum numero esse, hoc est fundamento, & subiecto, vt in melle dulcedo & color flauus. At obijciet aliquis, quia Aristot. 8. Metaphysicæ 16. inquit, Est autem, vt dictum est, vltima materia & forma idem; cum dicantur idem, nil aliud denotari videtur nisi quod sint vnum numero; respondeo dici idē, quia ex eis vnum per se constituitur, vt semetipsum declarat Philosophus.

*Solutio tertia.* *Solutio quarta.* *Solutio quinta.* *Solutio sexta.*

*SED ex aliquo fieri aliquid, & non hoc fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus, vt ex immusico musicum fieri, ex homine autem non; At vero & in permanentibus aliquando dicitur similiter, ex ære enim statuam dicimus fieri, non æs statuam. Hoc tamen ex opposito & non permanente vtroque modo dicitur & ex hoc hoc, & hoc hoc, namque ex immusico, & immusicus fit musicus; Quocirca & de composito similiter, nam ex immusico homine, & immusicus homo dicitur fieri musicus.* *Cont. 61.*

IN

*Institutum.* IN præcedentibus secreuit materiam a priuatione per modum loquendi, id tamen non exacte fecit; ideo repetito discrimine sumpto ex conditione eorum, nunc repetit discrimen attinens ad modum loquendi, idq; exactius declarat: dixi discrimen esse triplex, vnum quia sermo in recto est magis proprius materiæ; alterum quia sermo in obliquo, dum denotat recessum, est magis proprius priuationis, & dicitur de omni priuatione; tertium, quia frequenter de eadem priuatione vtimur vtrisque loquendi modis. *Diuisio.* Præsens cont. diuiditur in tres partes, in prima secernitur materia a priuatione, quia modus loquendi in obliquo, dum denotat recessum, magis congruit priuationi, & dicitur de omni priuatione, non autem de omni materia sed de aliqua; dico dum denotat recessum, quia dum denotat partem, congruit soli materię; in secunda parte, dum inquit hoc tamen ex opposito & non permanente; traditur alterum discrimen, & est quod de eadem priuatione frequenter vtimur vtroque loquendi modo; in tertia dum ait. Quocirca & de composito similiter, manifestatur id ipsum quod dictum est de priuatione, competere etiam composito ex materia & priuatione, cum tale compositum ex priuatione sumat denominationem; pertinentia ad huiusmodi differentias in præcedentibus sunt explicata. *Dubitatio.* Dubitatur quia si priuatio non seruatur cum forma, nunquã principia erunt tria, sed ante rei ortum solum aderit materia & priuatio; post vero sola forma & materia: *Solutio.* Respondetur hæc tria principia posse esse simul in parte, dum forma recipit magis & minus, absolute autem nunquam sunt, nec esse debent simul, quia termini transmutationum non valent esse simul; sat est vt conspirent ad eandem transmutationem, solum esse debent simul principia interna rei genitæ.

## *Digreßio de priuatione.*

*Institutum.* CVM Philosophus priuationem inter principia numeret, eamque secernat a materia, vt exactiorem de ea notitiam habeamus; operæpretium duxi aliquantulum pro eius explicatione digredi; plura autem legi possunt in libris de materia; modo vero in quatuor versabor; *Quatuor explicãda.* Declarabo primo quotuplex sit priuatio: Secundo quid sit; Tertio quomodo ad materiam se habeat; Quarto quomodo sit Principium. Ordiens a primo Aristoteles in 5. Metaphysicæ, contex. 27. varias refert nominis priuationis significationes, omnes tamen ita in ordinem redigendas censeo. *Priuatio multiplex.* Priuatio vel competit alicui ratione generis siue proximi, siue remoti vniuoci, siue communis ab vno, vel ratione propriæ speciei, ratione communis ab vno; motores cœli dicuntur priuati perfectione Dei, ratione communis generis vniuoci remoti, lapides dicuntur cœci, quia videre non repugnat substantiæ, similiter Plantæ cœcæ, quia non repugnat corpori animato; talpę cœcæ, quia nõ repugnat animali; per propriam autem speciem homo dicitur cœcus, & Plato cœcus; quæ priuatio adhuc est duplex, vel in subiecto actu, vel in subiecto potestate, qualis est materia; & vtraque est triplex, vel deprauatio, vel diminutio, vel absoluta remotio formæ; Insuper priuatio & pręsertim in materia considerata, vel antecedit formæ, vel formam sequitur, siue potius interitum formæ: priuatio, quæ formæ recipiendæ antecedit, remouet actum siue formam, at non facultatem recipiendi eam; priuatio vero, quæ sequitur interitum formæ, remouet ne dum formam, sed etiam facultatem saltem ad eandem numero; a priuatione antecedente ad formam non dicitur dari regressus, quia ea non præfuit, sed progressus; & hæc est terminus a quo generationis: a priuatione vero sequente interitum formæ ad eandem numero nunquam datur regressus, & hæc est terminus ad quem interitus; & nonnunquam non datur regressus ad eandem speciē, qualis est cœcitas, & surditas hominis, de quibus Aristoteles in postprædicamentis dixit a priuatione ad habitum nõ dari regressum; quod intelligi debet de priuatione in subiecto actu euertente formam & facultatem: & hęc de

*Vide pro his cap. 14. primi libri de materia.*

prima

prima parte, ex qua hoc elicimus solum Deum esse omnino immunem a priuatione, cum cæteris omnibus modo aliquo competat. Quæritur secundo, quid nam sit pri- *Quid sit priuatio.* uatio materiæ competens, numerata inter principia; de qua dico differre negationem a priuatione; nam negatio est communior. Negatio ab Aristotele numeratur inter ea, quæ non sunt, ea enim solum remouet, nihil ponit, ideo competit vnicuiq; & quod est & quod non est, vt de vocibus infinitis dixit Aristoteles in libro de interpretatione; priuatio vero non omnino est non ens, sed est non ens ex se, ens vero ex accidenti; dicitur ex se non ens, quia ex se est absentia, & remotio; dicitur ens ex accidenti, quia connotat definitum subiectum, est enim absentia formæ in subiecto nato recipere formam. Hæc priuatio pro suo esse absoluto non est aliquid distinctum a materia, nec, cum sit in materia, constituit aliquid compositum, sed insequitur naturam materiæ & solum superaddit quandam relationem, & ob id Aristoteles dicebat esse eandem numero & distingui ratione, vt etiam se habet de proprijs affectionibus; nectitur enim priuatio cum ea affectione, quæ potestas est relata ad formam: Nam consideratur hic ordo; primo est essentia materiæ, quæ est potestas pro gradu entis, & pro absoluto de qua veræ sunt negationes, quod non sit, quid, quale, quantum, &c. mox ei essentiæ superadditur potestas cum relatione ad formas, quæ est tanquam affectio materiæ, quam potestatem sequitur propria ratio priuationis, per quam, vt potestas, cuius est comes, ita priuatio a materia secernitur, cum tamen ambo pro absoluto & pro fundamento sint idem cum materia. Dum dicimus adueniente forma potentiam, & priuationem euanescere, id debet intelligi de propria eorum superaddita formalitate: hac consideratione Aristoteles conciliatur cum Academicis, non distinguentibus ma- *Conciliatur Arist. cum Academicis.* teriam a priuatione; Academici enim considerarunt fundamentum, Aristoteles vero propriam superadditam formalitatem & rationem; Sic etiam priuatio pro suo esse absoluto, vt etiam potentia, quam comitatur, rediguntur ad materiam; pro superaddita vero relatione ratione & formalitate dicuntur quædam formæ. Insuper consideran- *In priuatione tres gradus.* dum est, quod in priuatione considerantur tres gradus, vt etiam in potentia quam comitatur: primo enim consideratur essentia materiæ; secundo superaddita relatio ad formas; tertio priuatio propria & proxima prodiens ex dispositione aliqua & sequens formam antecedentem in materia; proxima, qualis est priuatio formæ hominis in sanguine menstruo, non autem in lapide; per primum gradum priuatio & potentia non distinguuntur a materia; per secundum gradum constituuntur per intellectum & rationem conspirante conditione materiæ; per tertium gradum prodeunt ex forma antecedente, & dispositionibus; per primũ gradum sunt coæterna materiæ; per secundũ concipiuntur & formantur ratione; per tertium incipiunt & desinunt cum forma & dispositionibus antecedentibus, At dicet aliquis, si priuatio pro absoluto non distin- *Dubitatio.* guitur a materia, & pro secundo gradu est tanquam eius affectio, tunc materia erit per se fœmina, & turpis, quia erit talis per propriam eius affectionem; insuper tunc adueniente forma non peribit priuatio, & si peribit, tunc peribit affectio rei æternæ, quod est absurdum; Respondeo, inquit Aristoteles, quod materia non est per se fœmina & *Solutio.* turpis, quia non est talis per propriam conditionem, sed per rationem priuationis sequentem & superadditam, quæ quamuis sit tanquam affectio materiæ, tamen non est proprie affectio, cum conspiret ratio & relatio pro ea constituenda; nec est per se in primo modo dicendi per se, quem considerauit Aristoteles. Addebatur quod tũc periret affectio rei æternæ; respondeo id quod proprie perit est gradus tertius priuationis, gradus enim primus nullo pacto perit, medius autem medio quodam modo se habet; de eo enim solum dicimus, quod materia non amplius caret ea forma, nec, cum ea perierit, valet iterum eandem numero recipere; at non ob id aliquid materiæ perit, præter quam id quod a nobis ea ratione concipitur, immo quatenus ad materiam pertinet, semper dicitur priuatione prædita, & posset eandem numero formam recipere, vt patet de hominis anima a Deo creata; solum dicitur non dari regressum ad idem

numero,

numero, quia repugnat efficienti & transmutationi, vt idem numero efficiant, non autem materię recipienti. Aristoteles itaque inquiens priuationem interire considerauit secundum gradum eius iunctum cum tertio. Inquiunt Themistius & Alexander materiam mediare inter formam & priuationem, & esse capacem vtriusque: hæc sententia vera est de tertio gradu priuationis, sequente formam antecedentem & dispositiones; de primo gradu, qui in idem venit cum materia, nequaquam; de gradu autem medio, se habet modo medio, quatenus materia est capax illius propriæ rationis priuationis, quæ distinguitur a materia, & considerari potest materia sine ea. Ex his patet quotuplex, & quid sit priuatio, & quomodo ad materiam se habeat; Superest vt breuibus declaremus quomodo sit principium; qua de re dico priuationem non per primum, sed per secundum & tertium gradum constituere genus tertium principij a materia distinctũ, quia non conspirat ad ortum & interitum tanquam subiectum, sed tanquam terminus necessarius a quo ortus, & ad quem interitus: de potentia distincta a priuatione, nec non de dimensione materiæ secus se habet, hæc enim vnà cum subiecto, & per modum subiecti conspirant: Quæ priuatio duplici consideratione ad ortum referri potest; Primo potest referri ad ortum, quatenus per ortum res genita constituitur, & ita dicitur principium ex accidenti, quia non remanet tanquam pars rei genitę: hac consideratione consideratur in primo Physicorum; Secũdo referri potest ad ortum, quatenus ortus est transmutatio a motu distincta; qua consideratione, cum sit per se terminus ortus, dicitur principium per se, & hac consideratione consideratur in 5. Physic. hinc ortus & interitus per priuationem definiuntur; quod non fieret, nisi esset principium per se, & quatenus est per se, eatenus etiam dicitur Principium necessariũ. Instantiæ variæ, quæ afferuntur, quia si priuatio esset principium substantiæ, id quod non est esset principium entis, ex non substantia fieret substantia, non substantia esset prior quam substantia, & aliæ similes per sæpe dicta diluuntur, quæ non repeto, & plura explicantur in libro de materia.

*Quo priuatio sit principium.*

Cont. 62.

***MVLTIFARIAM** autem cum dicatur fieri, & quædam non fieri simpliciter, sed fieri aliquid, simpliciter autem fieri substantiarum solum est, in alijs quidem constat semper aliquid subijci quod fit. Nam & quantum, & quale & ad aliquid & quando & vbi fiunt subiecto aliquo, propterea quod sola substantia de nullo alio dicitur subiecto, sed alia omnia de substantia. Quod autem substantia & quæcunque alia simpliciter entia ex subiecto quodam fiant, consideranti fiet vtique manifestum; Semper enim est aliquid, quod subijcitur, ex quo fit quod fit, vt Planta & animalia ex semine.*

PHILOSOPHVS in præcedentibus solum indirecte patefecit necessitatem materiæ, manifestando quod si sola contraria statuerentur principia, varia sequerentur absurda; Ideo patefacto discrimine materiæ a priuatione, institutum modo eius est directe necessitatem materiæ manifestare; & in præsenti contextu tria facit, primo distinguit generationem substantiæ ab ea accidentium; secundo manifestat pro ortu accidentium necessariam esse materiam; tertio esse necessariam pro ortu substantiæ; Adeo vt ratio in hanc formam redigatur; omnis vel substantiæ, vel accidentium generatio exposcit materiam, omnis generatio, vel est substantiæ, vel accidentium, quare omnis generatio

*Institutum.*

*Diuisio.*

*Ratio.*

*Expositio.*

tio exposcit materiam. Inquit in prima parte fieri dici multipliciter, non quidem pure æquiuoce, sed ab vno, nam substantiæ solæ dicuntur fieri simpliciter, cętera vero dicuntur fieri aliquid; dum Plato oritur, absolute dicitur genitus, dum calefit, vel dealbatur non absolute dicitur gigni, sed fieri calidus, vel albus; & id euenit quia substantia est primo & absolute ens, accidentia vero non sunt entia, nisi quia entis. In secũda parte ostendens accidentium ortum exposcere materiam, hanc format rationẽ;

*Ratio secundæ partis.*

Quæcunque necessario subiectum exposcunt, gigni non possunt non conspirante subiecto; Prædicamenta accidentium necessario subiectum exposcunt, quare non gignuntur non conspirante subiecto, quod eorum est materia. Quod autem substantia & quæcunque alia simpliciter entia &c. manifestat in hac tertia parte materiam esse necessariam pro ortu substantiæ, hunc in modum.

*Ratio tertiæ partis.*

Ea, quorum generationi aliquid subijcitur ex quo fiunt, exposcunt materiam; generationi substantiarum aliquid subijcitur, ex quo fiunt, quare necessario exposcunt materiam; minor ostenditur exemplo Plantarum & Animalium, pro quorum ortu necessarium est semen, quod fungitur officio materiæ.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Gigni simpliciter.*

CONSIDERANDVM primo, aliquid gigni simpliciter, duobus modis cõtingere, vt elicitur ex primo de Ortu & Interitu; vel absolute, vel facta comparatione; absolute substantia dicitur gigni simpliciter, accidentia minime; facta autem comparatione inter accidentia præstantiora & viliora, ea simpliciter, hæc aliquid, fieri dicuntur; similiter facta cõparatione inter substantias præstantiores & viliores, illæ simpliciter, hæ vero aliquid fieri dicuntur. Insuper cum Philosophus inquit substantiam solam non dici de subiecto, per dici de subiecto, denotat esse in subiecto, & dici de eo subiecto, cui insit; absolute tamen secundæ substantiæ dicuntur de primis.

*Dici de subiecto.*

In dictis Philosophi quatuor refulgent controuersiæ; Prima est, quoniam in hoc cont.ait ad aliquid, & quando fieri; in quinto autem Physic. negat ad hæc prędicamenta esse motum vel mutationem;

*Prima controuersia.*

*Secunda.*

Secunda est, nam primo ait solam substantiam fieri simpliciter, mox ait substantiam, & quæcunque alia simpliciter entia, indicans præter substantiam dari alia, quæ simpliciter entia dicantur; quæ si dantur, etiam fient simpliciter.

*Tertia.*

Tertia controuersia, quia Philosophus hoc in loco semen ait esse materiam, in secundo Physic. 31. numerat id inter efficientia; nec ei competit definitio materiæ, cum non seruetur in rerum ortu.

*Quarta.*

Quarta dubitatio est, cur Philosophus de solis plantis & animalibus ostẽdit quod materiam exposcant, cum dentur aliæ multæ substantiæ, quæ gignuntur.

*Solutio primæ.*

De prima controuersia dico aliqnid fieri contingere dupliciter, vel per se & primo, vel secundario & per consequntionem; per se & primo non fiunt, quia non sunt per se termini motus, sed fiunt per consequutionem, pro quibus etiam necessaria est materia.

*Solutio secundæ.*

De secunda difficultate, quia concedere videtur præter substantiam dari alia quoque simpliciter entia, dicunt nonnulli denotari artificiosa, quæ sunt imitationes substantiarum, & non secus ac substantiæ proprio nomine denotantur; at Artificiosa non sunt præsentis considerationis, nec numerantur pro membro distincto rerum, quæ fiunt; ea enim solum dicuntur esse vel substantiæ, vel accidentia: potius dicendum puto ab Aristotele id per modum explicationis proferri, vt patefaciat nil superesse, quod materiã non exposcat; nam cum numerasset prædicamenta accidentium, inquit quod autem substantia & quæcunque alia simpliciter entia, quasi dicat, cætera omnia, præter accidentia, quales sunt substantiæ.

*Solutio 3.*

Tertia controuersia est de semine, quod modo materia, alibi vero efficiens dicitur; soluitur per declarata a Philosopho in primo de Gen. animalium cap. 18. nam inueniuntur genitura, menstruum, semen; genitura viri est efficiens & formans, menstruum materia, semen vero congregatum ex vtrisq;, id enim

per

per partes crassiores fungitur officio materiæ; per tenues & spiritales, efficientis; &
*Solutio 4.* ideo non est absurdum cũ pro materia, tum pro efficiente accipi. Dubitabatur quarto cur de solis viuentibus ostendat materiam exposcere: Inquiunt nonnulli id fieri, quia adhuc non est ostensum Elementa gigni, id enim veteres inficiati sunt; quæ solutio non videtur approbanda, primo quia solus Empedocles id inficiatus est, cæteri de nonnullis id concesserunt; præterea præter Elementa inueniuntur metalla & fossilia, quæ omnium consensione fiunt. Propterea dicamus iure ab Aristotele fuisse factum; & ratio potissima est, quia sola viuentia proprie gigni, & generare dicuntur; nã animæ nutrientis officium est generare, cæteris autem minus proprie competit; ideo Aristoteles id patefecit de potissima generatione, & de primo ab vno. Insuper viuentium materia proxima, ex qua fiunt, est magis definita, quam reliquorum; demum id fecit de viuentibus, de quibus minus videtur, cum sint substantiæ pręstantiores, remotiores a prima materia. Nonnulli aiunt Aristotelem id non ostendisse de Elementis, quia eorum materia est materia prima, cuius necessitas est patefacienda; ideo si id fecisset petijsset in Principio; Quæ sententia vera non est, tum quia proprie sermo est de materia vniuerse sumpta, non de prima; tum insuper quia saltẽ id debuisset ostendere de metallis & fossilibus; tum demum quia dum aliquid ostenditur inductione non dicitur petitio in principio, sed desumptio ex conspicuis & sensu notis.

*Cont.63.* *FIVNT autem quæcunque simpliciter fiunt alia quidem transfiguratione, vt statua ex ære, alia accretione, vt quæ augentur, alia detractione, vt ex lapide Mercurius, alia compositione, vt domus, alia alteratione, vt quorum materia immutatur; omnia autem, quæ ita fiunt, ex subiecto fieri cõstat.*

*Institutum.* DE instituto Philosophi in præsenti cont. duæ sunt opiniones; Alexander & Magnus Syrianus putarunt, quod cum Aristoteles seorsum primo de accidentibus, secundo de substantia patefecerit necessitatem materiæ pro eorum ortu, nunc simul id ostendat de vtrisque; & quoniam cuncta, quæ fiunt, aliqua transmutatione fiunt, ideo inquiunt pro omni transmutatione manifestari necessitatem materiæ. Et dum Aristoteles ait, quæcunq; simpliciter fiunt, exponunt simpliciter, hoc est vniuerse, & absolute quæcunque fiunt; hanc expositionem minus veram puto tum quia Aristoteles vteretur in præcedente, & præsenti cont. voce simpliciter in varia significatione; tum insuper quia de accidentibus iam dixit ex se constare, de substantijs autem diminute id demonstrauit, cum de solis viuentibus verba fecerit; tum demum quia ratio esset diminuta, non enim includeret motum secundum locum, qui etiam est quædã generatio, nec proprie sumptam alterationem; nam transmutatio secundum materiam non est proprie alteratio, sed generatio substantiæ, neq; ad aliquid, & quando, de quibus tamen dixerat quod fiunt. Ideo cum Simplicio & alijs dicendum puto institutum Aristotelis esse id ostendere exactius de ortu substantiæ, qui præsertim consideratur, & imperfecte de eo fuit ostensum, de quo etiam dixerat, consideranti reddi manifestum quod materiam exposcat; distincte autem consideratur perpendendo modos, quos enumerat. Diuiditur
*Diuisio.* contex. in duas partes, in prima numerantur quinque modi, qui connectuntur cum
*Quinq; modi generationis.* generatione substantiæ, in alia ex eis elicitur necessitas materiæ; modi sunt quinque, transfiguratione, vt ex ære statua; Accretione, vt, quæ augentur per additum alimentum; detractione, vt statuarius ex lapide efficit statuam Mercurij; Compositione, vt domus compositione lapidum; cęmenti, & lignorum; Alteratione, vt quæ inuicem mutantur secundum materiam, veluti dum nubes vertitur in pluuiam. Consideranti

 hos

hos modos conspicuum redditur pro singulis necessariam esse materiam. Ratio ita formatur, omnis generatio, quæ fit aliquo enumeratorum modorum, exposcit materiam, omnis generatio simpliciter, quæ substantiæ est, fit aliquo eorũ modorum, quare omnis generatio simpliciter exposcit materiam. *Ratio.*

## *Caput Annotationum.*

ANIMADVERTENDVM primo, quinque enumeratos modos ita in ordinem redigi: Id quod fit vel est compositum ex partibus dissimilibus, vel non; si compositum, fit compositione, vt homo cõpositione variorum membrorum; Si fuerit consimile, vel mutatur secundum totum, & hoc dicitur fieri ea alteratione, quæ est secundum materiã, per quam vnius vniuersa substantia in aliud vertitur, vt sanguis in carnem; Vel mutatur secundum partem, quod contingit dupliciter, vel extrinsecus, vel intrinsecus; si extrinsecus, dicitur fieri transfiguratione; si intrinsecus id fit vel appositione, vt quæ crescunt, vel detractione, vt quæ minuuntur. Sed oritur dubitatio quia accretio, diminutio, & transfiguratio, non sunt generationes simpliciter, sed accidentium, vt patet; Insuper si Philosophus numerat etiam mutationes accidentium, cur non numerat proprie sumptam alterationem, pertinentem ad tertiam speciem qualitatis? Pro solutione considerandum est, quod quamuis Philosophus loquatur de generatione substantiæ, tamen considerat complicata cum ea & modos quibus fit; nam si complicata cum ea materiam exposcant, ea quoque necessario illam expostulabit. Insuper considerandum, quod Aristoteles id ipsum seruat, quod fecit in præcedentibus, dum patefecit composita quoque fieri ex contrarijs, quod latebat; considerauit enim tunc illa, quæ iuncta sunt cum ortu compositorum, similiter modo considerat iuncta cum ortu substantiæ; nam frequenter illi quinque modi in vnius substantiæ ortu vnà conspirant; veluti dum gignitur Plato, adest compositio ex varijs membris, detractio redundantium, appositio vtilium, transfiguratio sanguinis recipientis figuram fœtus, & permutatio eiusdem in carnem, & substantiam fœtus; quæ omnia simul conspirantia manifestant necessitatem materiæ pro ortu Platonis. Ex his eliciuntur solutiones, cum relatarum, tum aliarum difficultatum. Instabatur primo quia plures eorum modorum sunt ortus accidentium, id concedo; tamen dico eos esse iunctos cum ortu substantiæ; Addebatur Aristotelem siluisse proprie sumptam alterationem; respondeo eam denotari per alterationem secundum materiam, cum qua necessario nectitur; non enim fit ea permutatio sine præcurrente alteratione; vel etiam eam denotauit per transfigurationem: Dicere etiam possemus enumeratos quinque modos esse permutationes quasdam substantiæ, saltem secundum partem, vel secũdum imitationem, vt transfiguratio; sed primus soluendi modus mihi magis satisfacit. Et considerandum est Aristotelem accurate seruare id, quod dixerat, ex his quæ fiunt elicere necessitatem materiæ, id enim facit perpendendo modos quibus res gignuntur.

*Quo quinque modi generationis redigantur in ordinẽ.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Solutio.*

*QVARE manifestum est ex dictis, quod omne quod fit semper cõpositum est, & est quidem aliquid quod fit, & aliquid quod hoc fit, & hoc duplex est; aut enim est subiectum, aut oppositum; dicitur autem opponi immusicus, homo autem subijci; insuper informitas infiguratio, & inordinatio opposita sunt, as autem, lapis, aut aurum subiecta.* *Cont. 64.*

*Institutum.* APPROBATA contrarietate principiorum, & necessitate materiæ, institutum Philosophi modo est ex declaratis principijs, tanquam ex causa colligere omne quod proprie generatur, esse compositum. *Diuisio.* Diuiditur contextus in duas partes, in prima colligitur relata conclusio, in altera repetuntur tria declarata principia, & manifestatur quomodo ad generationem concurrant, eisque modo aliquo tribuatur generatio. *Expositio.* Vt pertinet ad primã partem, inquit, [quare manifestum est ex dictis, omne quod fit esse cõpositum;] quæ conclusio intelligi debet de eo, quod proprie fit, cui competunt principia generationis. *Ratio.* Conclusio colligitur hunc in modum; omne, cuius Principia sunt contraria, & subiectum est compositum, omne quod proprie gignitur, præditum est huiusmodi principijs, quare omne quod proprie gignitur, est compositum, constat enim ex subiecto & forma, quæ est terminus ad quem generationis: quæ conclusio ne dum vera est de ortu substantiæ, sed etiam accidentium; non enim fit albedo sed album, cum album id sit cui principia competunt. Declarato eo quod proprie fit, pro eius exactiore explicatione, in altera parte refert tria alia, quibus modo aliquo competit generatio nimirum formam, subiectum & priuationem; denotat formam inquiens, & est aliquid quod fit; nam forma dicitur fieri, quatenus est terminus ad quem ortus, & seruatur in re genita, eamque constituit. Insuper est aliquid quod fit hoc, quod denominatur fieri per formam; & hoc cui competit huiusmodi denominatio est duplex, nimirum subiectum, vt homo fit Musicus, & oppositum siue priuatio, vt immusicus fit musicus.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Generatio tribuitur quatuor.* CONSIDERANDVM est quod generatio tribuitur quatuor, varijs modis; composito tribuitur vt ei, cui proprie competunt principia ortus, & id non fit sine ortu; formæ vt termino aduenienti, quę forma non absolute dicitur fieri, sed fieri in materia, vt dicitur in 7. Metaphysicæ 27. tribuitur tertio materiæ, quæ dum est corpus actu proprie denominatur fieri, vt homo fit musicus; dum autem est materia potestate, non denominatur fieri; non enim dicimus materiam primam fieri ignem, sed solum subijci formæ ignis; fit itaque subiectum vt deferens transmutationem; Quarto tribuitur priuationi, vt termino a quo; priuatio tamen propria cõditione non denominatur fieri, sed solũ dicitur aliquid ex ea fieri; dum vero tribuitur ei denominatio, dicendum est eam illi competere munere subiecti, quod consignificat, vt dicendo immusicus fit musicus. *Prima dubitatio.* Dubitatur quia Theophrastus (referente Simplicio) ostendebat corpori Physico competere principia, quia compositum est; & Aristoteles dicebat principia esse noscenda per confusa, qualia dicebantur etiam composita; oppositum facit Philosophus in præsenti contextu, ex principijs enim elicit ea quæ fiunt esse composita. *Secunda.* Altera dubitatio est, quoniam omnia prædicamenta fiunt, vt dicebatur ab Aristotele in præcedentibus, & iure, nam sola mortalia vere sunt in serie prædicamentorum; at prædicamenta accidentium simplices formæ sunt, quare non omne, quod gignitur, est compositum. *Tertia.* Tertio dubitatur, quia id quod interit, dum interit, non dicitur gigni, priuatio in rerum ortu interit, quare nõ recte dicitur gigni. *Quarta.* Quarto dubitatur, quia proprie gigni soli formæ videtur competere, nil enim in composito fit præter eam, & per eam dicitur fieri compositum; regula autem est, propter quod vnumquodque, illud magis est. *Solutio primæ.* Soluitur prima dubitatio dicendo, de composito duo considerari, primo quod sit compositum, secundo propter quid; primum constat sensu, & experientia, per opera eius & resolutionem; alterum noscitur ex notitia Principiorum generationis: Aristoteles per composita, vt confusa, inquirit quæ sint principia, mox per ea assignat propter quid compositorum, adeo vt sit quidam regressus: quod etiam per composita inquirat principia, patet, nam ea colligit ex omnibus, quæ fiunt, & in cont. 52. inquit nullius videmus

mus eorum, quæ sunt substantiæ contraria, & in cont. 65. dicit resolues enim rationes compositi, in rationes componentium, & in principio secundi libri explicaturus naturam progreditur per composita diuidendo ea. De Theophrasto quid sit dicendum iam patefeci in expositione primi contextus. Instabatur secundo, quia prædicamenta accidentium fiunt, eisque competunt principia generationis, vt ostenditur in 12. Metaphysicæ, & tamen sunt formæ simplices: Iam dictum est simplices prædicamentorum formas non proprie fieri, sed concreta, vt in septimo Metaphysicæ inquit Aristoteles, & concretorum sunt principia, veluti sæpe Aristoteles pro materia musicæ hominē accipit; Nam accidentia includunt materiam pro eorum ortu, & pro esse concreto, absolute autem dicuntur solum habere materiam, in qua recipiantur, nō ex qua constent, vt docet Aristoteles in 8. Metaphysicę cont. 12. Quarta dubitatio erat, quia forma videbatur proprie fieri. Philoponus disputans contra Proclum id ne dum concedit, verum insuper rationibus comprobat. At eo dimisso cum Aristotele dico composita ea esse, quæ proprie fiunt, nam eorum sunt Principia, affectiones, operationes, denominationes, eisque competit subsistere, & esse completum; formæ hæc competunt, vt causæ internę principali, quæ cum sit principium non recte dicitur id quod gignitur: Ea autem regula propter quod &c. vera est de his, quæ sunt ab vno, adeo vt prædicatum primo vni competat, & per illud alijs; at forma nō est ea cui primo competat gigni, id enim competit composito, forma autem principium cōstituitur eorum, quæ gignuntur, & nil dicitur principium sui.

*Sententia Theophrasti.* *Solutio secunda.* *Solutio quarta.* *Philoponus*

*MANIFESTVM igitur quod siquidem sunt causæ & Principia eorum, quæ natura sunt, ex quibus primis constant & facta sunt, & non secundum accidens, sed vnumquodque quod dicitur secundum substantiam, quod omne & ex subiecto & forma fit; componitur enim musicus homo ex homine & musico quodam modo, nam resolues rationes in rationes eorum; manifest um itaque est quod quæ fiunt fiunt ex his.* *Cont. 65.*

DVAE præcipuæ sunt huius contex. expositiones; putant nonnulli institutum Philosophi esse ostendere ea, quæ gignūtur esse composita, quod protulit in præcedente contex. & non ostendit; ex quorum sententia ita formanda est ratio: ea, quorum interna & per se generationis principia sunt materia & forma, sunt composita, at omnium, quæ fiunt hæc sunt interna, & per se principia, omnia igitur quæ fiunt sunt composita. Expositio est probabilis, mihi tamen parum satisfacit, tum quia Philosophus in pręcedente contex. dixit id patere ex dictis, quare non tenetur id declarare, tum insuper quia modus loquendi Philosophi potius indicat se comprobare materiam & formam esse principia, & ideo in sequenti contex. prosequitur ea declarare, quæ ad hoc pertinent; Ideo est secunda expositio, quod Aristoteles ostendat materiam & formam esse per se principia rerum; ita exponunt Simplicius, Auerroes, & alij, & cum ostendat ea esse per se principia, simul comprobat ea, quæ fiunt, ex eis constare, & esse composita. Diuiditur contextus in duas partes, in prima formatur enthymema, in secunda confirmatur cōsequens eius. Vt pertinet ad primam partem, profert Philosophus hoc antecedens, si rerum natura constantium ea sunt principia, ex quibus primis constant, & facta sunt, non ex accidenti, sed secundum substantiam; Ex quo antecedente infert, quod omne ex subiecto & forma fit, & est idem ac si dicat hæc esse per se principia. Hoc Enthymema ita in syllogismum redigitur; Ea ex quibus res per se fiunt & constant, sunt principia

*Ratio.* *Prima explicatio.* *Secūda explicatio.* *Institutum.* *Diuisio.* *Syllogismus.*

dum, inter non esse penitus, cui tamen non repugnet esse, & esse ipsius materiæ distātiam esse infinitam, & ob id creationem ex potentia, quam dicunt obiectiuam ad esse exposcere vim immensam, nam profecto ea distantia, vt alibi patefeci, mensuratur per recessum a non gradu, qui non est intensior, quam sit essentia materiæ, & ob id puto distantiam materiæ ad esse actu, esse maiorem quam a non esse penitus, cui non repugnet esse; creatio autem exposcit vim immensam, non ob immensam distantiam, sed ob modum productionis sine subiecto, & constitutionis rei in esse absolute; quod solum potest esse munus eius, quod absolute est, & ex alio non pendet. Demum considerandum est, quod Aristoteles inquit, principia solum inter se differre eo quod prius & posterius, non autem genere; hoc enim videtur dubium, quia Principia rediguntur ad id prædicamentum, cuius sunt Principia; quare cum ea, quæ fiunt, sint distinctorum prædicamentorum, est necesse fateri Principia quoque eorum differre genere; Augetur dubitatio, quia cum dicat Philosophus omnes cōtrarietates redigi in vnam; ea non videtur esse forma & priuatio, sed potius contradictio, siue esse, & non esse, in quam omnis oppositio demum resoluitur. Respondeo sententiam Aristotelis quatuor modis esse veram; primo contraria sunt eiusdem generis, intelligendo nomine generis materiam, quæ genus est Physicum; secundo sunt eiusdem generis considerando genus modi, quo sunt principia, nam sunt termini, quibus subijcitur materia; tertio sunt eiusdem generis ab vno, veluti entia, vt etiam cuncta quæ fiunt, sunt eiusdem generis ab vno; Demum principia sunt eiusdem generis, quia inquiruntur (vt dixi) principia prædicamenti substantiæ, quod est corpus Physicum, cuius qui tradit principia, etiam tradit principia cæterorum prædicamentorum, cum principia eorum sint eadem secundum Analogiam; & hic quartus modus ad rem facit. Instabatur, quia oppositio formæ & priuationis non est prima, sed contradictio; respondeo oppositionem secundum affirmationem & negationem esse quidem communiorem, sed non propriam generationis, & esse communiorem secundum prædicationem, at non secūdum productionem, quoniam non ex omni non albo fit album, vt dicitur in cont. 43. sed ex nigro circumscribente priuationem; & quamuis generatio in quinto Physic. definiatur per esse & non esse, & dicatur versari inter contradicentia; tamen non versatur inter omnia absolute, sed inter ens & id non ens, quod aptum est fieri, & id pertinet ad priuationem.

*Quo principia sint eiusdem generis.*

*cont. 57.*

*QVOD igitur neque vnum, neque plura duobus vel tribus sit Elementum, manifestum est, sed quod nam horum sit asserendum, dubitationem habet multam, vt diximus. Sic itaque nos dicamus primum de omni generatione aggredientes, Est enim secundum naturam communia primo dicentes, sic circa vnumquodque propria speculari.*

*Institutum.*

*Diuisio.*

CVM Philosophus hactenus disputando, & confuse ternarium numerum principiorum declarasset, institutum eius modo est id ipsum distinctius patefacere, exactius declarando necessitatem materiæ, & secernendo materiam a priuatione; In hoc contex. tria facit; in prima parte colligit conclusionem, in secunda patefacit institutum suum, in tertia tradit ordinis seruandi rationem. Inquit in prima parte, patere ex dictis Elementa non esse plura duobus, vel tribus: loquitur cum disiunctione, quia adhuc non exacte est patefacta necessitas materiæ, nec distinctio eius a priuatione, ideo addit, sed quod nā horum sit approbandum, dubitationem habet multam, vt diximus; hoc non potest

ad aliud

ad aliud referri,nisi ad id,de quo verba fecit, num scilicet principia sint contraria, vel non,nam de alio in præcedentibus non dubitauit: Explicans in secunda parte institutum suum inquit, sic itaque nos dicamus declarantes numerum principiorum, primo de omni generatione loquentes, hoc est explicantes principia communia generationis, cuius seruandi ordinis rationem tradit in tertia parte inquiens; est enim secundum naturam,hoc est exposcit naturæ ordo, quem nos sequi debemus, vt primo declaremus communia,mox ad propria vniuscuiusque descendamus.

## *Caput Dubitationum.*

DVBITATVR primo cum iam Philosophus ostenderit principia esse tria, cur modo inquit de hoc magnam esse difficultatem? Dubitatur secundo cur Philosophus hoc in loco,& non in procemio ordinem, ordinisq; rationem manifestat? Tertio dubium est cur communia primo sint declaranda. Demũ dubitatur num Philosophus seruauerit ordinẽ hũc, quem seruandum affirmat. De prima difficultate dico Aristotelẽ dubitasse in pręcedẽtibus an contraria sint principia vel non; quam difficultatem leuissime soluit, solum inquiens, siquis voluerit seruare pugnantes rationes, tenetur addere tertium, & id approbauit authoritate veterum, at non exacte patefecit id tertium esse necessariũ, quod faciet in progressu, neque id tertium secreuit a priuatione. Quærebatur secundo cur Philosophus hoc in loco & non in procemio ordinem patefecit. Putauit Auer. hoc fieri in quarto contextu, at manifestaui in eius expositione eo loci viam declarandi principia, non ordinem tradi; & si ibi id factum fuisset, inaniter Philosophus iterum modo id ipsum repeteret; Propterea dicamus in primo contextu fuisse declaratum ordinem inter Principia & pendentia ex illis; & sancitum fuit primo esse agendum de Principijs, Nunc autem, cum de illis ex sua sententia distinctius sit agendum, manifestat ordinem seruandum, ordiendo a communioribus, quia modo huiusmodi ordo debebat inseruire, veluti etiam in secundo de Anima 33. ad gradus animæ descensurus, de ordine & Methodo verba facit; Erat itaque hæc declaratio huic loco accommodata. At dubitatur quia Aristoteles in primo de partibus animalium discutiendum hoc proponit, an primo declaranda sint communia, & ait nil adhuc ea de re fuisse declaratum, respondeo nil fuisse decisum a veteribus Philosophis; insuper nil fuisse decisum ab eo exacte, & exquisite; nam hoc in loco, vt etiam in primo Elenchorum, in secundo de Anima, & alibi solum profert communia primo esse declaranda, at non exacte ea de re disputat, & verba facit. Dubitabatur tertio, cur communia primo sint declaranda. Auer. in procemio magnorum commentariorum primi Poster. tres affert rationes; prima quia sunt nobis notiora; secunda ne fiat inanis repetitio declarationis eiusdem communis; tertio vt affectio communium suo primo subiecto tribuatur. Harum rationum prima non est vera, quoniam in ordine non tenemur exordiri a notioribus, vt in procemio patefeci; id enim ad viam pertinet; Aliæ duæ rationes non cogunt, quia facile esset ea absurda vitare. Propterea dicamus eius ordinis duas esse causas principales; vna est, quia res in scientia ita sunt in ordinem redigendæ, vt per naturam ordinatæ sunt; scientiæ enim sunt res ipsæ per imitationem; hanc rationem attulit Philosophus hoc in loco inquiens id esse secundum naturam, quia tenemur naturam sequi, & eam æmulari, & hoc exposcit natura rei. Ex hac prima causa pendet secunda, nam quia res, vt se habent ad esse, ita ad cognitionem, cum communia sint principia minus communium & ignoratis communioribus ignorẽtur minus communia, ideo communiora primo sunt declaranda. Hæc ratio elicitur ex primo contextu huius libri, nec non ex sexto Top. cap. 3. quo loci inquit Philosophus ignorato genere, ignorari speciem, hac de re latius verba feci in introductione ad Philosophiam de motibus. Dubitabatur quarto, an Philosophus regulam hanc ordinis seruet; nam mi-

*Dubitatio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Solutio primæ diff.* *Secunda.* *Cur communia primo declaranda.* *An Philosophus regulam seruet.*

nime videtur eam seruare, quoniam subiectum Naturalis scientiæ est corpus Physicum, cuius hæc mortalia sunt exigua portio. Cum itaque Philosophus tradat principia ortus & interitus, tantum abest, vt declaret communia omni corpori Physico, vt potius solum de illis, quæ minori parti competunt, verba faciat. Ob hanc difficultatem dixere nonnulli non corpus omne Physicum, sed solum mortale esse subiectum naturalis scientiæ, quod esse falsum in consideratione subiecti patefeci. Dixerunt alij in hoc libro declarari principia mortalium, in 8. Physic. principia æternorum corporum, & ita principia omnium natura constantium explicari: Qui hoc dicūt primo difficultatem non soluunt; adhuc enim non patet, quomodo Aristoteles primo communia declarauerit, sed primo declarasset solum competentia mortalibus, nō communia. Præterea falsa enunciant; non enim in 8. Phy. declarantur interna principia, ex quibus cœlum constat, de quibus internis principijs modo est sermo, non autem de compositione ex motore & mobili, quæ declaratur in 8. Physic. & confirmatur quia Arist. solum in primo de Cœlo manifestat Cœlum esse distinctæ naturæ ab ea mortalium, quare non valuit prius eius interna principia patefecisse; Propterea dicamus cœlum, vel consideratur ex sententia veterum, vel Aristotelis, Si consideratur ex sententia veterum, est eiusdem naturæ cum mortalibus, & ita declarantur principia communia; Si consideratur ex sententia Aristotelis cœlum est corpus simplex, cui nō competunt interna principia ortus & constitutionis, nisi vt est mobile motu secundum locum; nam omnis motus est quidam ortus & interitus, vt sæpe docet Aristoteles. Ex his elicio primo Aristotelem declarare communia principia interna ortus omnium, quibus cōpetunt, at proprie solum competunt mortalibus, ideo declarando principia horum, declarantur principia omnium, quibus competunt. Addo secundo, ex horum declaratione etiam refulgere principia cœli, quatenus est corpus Physicum & ortui ac interitui est obnoxium, quod ei competit, vt est mobile; nam cœli corpus, & termini motus eius secundum partem considerati, sunt materia forma & priuatio, ideo recte Alexander (referente Auer. 12. Metaphysicæ 29.) asserebat ex horum principiorum declaratione refulgere principia cœli, & ea secundum quandam Analogiam, declarare; Demum his addo, quod dum aliquid est ab vno, tradi debent principia primi, ex quorum notitia refulgent principia aliorum. Corpus Physicum est ab vno, primum secūdum proprietatem est corpus mortale, hoc enim est Physicum per formam & materiam, & per omnem motum; secundario & minus proprie cœlum est Physicum, quia non per formam, sed per solam materiam & per solum motum secundum locum Physicum est: cœlum inter corpora Physica primum est secundum dignitatem, at non secūdum proprietatem; est primum absolute, at non nobis. Colligo itaque declarari principia communia omnium, quibus proprie competunt, aliorum vero secundum Analogiam, & facultate quadam.

*Opinio quorundam.* *Opinio aliorum.* *Opinio propria.* *Elicitur primo.*

Cont. 58. *DICIMVS enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum, vel simplicia dicentes, vel composita; quod autem dico hoc est, fieri potest vt homo fiat musicus, aut non musicum quid fiat musicum, vel non musicus homo fiat homo musicus; Ac simplex quidem factum, hominem, & non musicum dico, simplex vero cuius est generatio musicum; At compositum, tam quod fit, quam cuius est generatio, cum hominem non musicum dicimus fieri hominem musicum. De horum autem altero non solum dicimus hoc aliquid fieri, sed etiam ex hoc, vt è non musico musicus; de*

*altero vero in omnibus non dicitur, non enim ex homine musicus fit, sed homo fit musicus.*

DECLARATVRVS Philosophus definitum numerum Principiorum, & modum, quo ad rerum ortum conspirant, quia Plato visus est non secreuisse materiam a priuatione, ideo primo huiusmodi discrimen sibi patefaciendum proponit. Diuiditur præsens contextus in duas partes, in quarum prima assignatur diuisio generationis in simplicem & compositam secundum modum loquẽdi, in altera manifestatur discrimen ad modum loquendi pertinens. Pro cunctorum notitia, quinque sunt prænoscenda; primum est generationem esse duplicem, vnam substantiæ, per quam fit aliud, alteram accidentiũ, per quam non aliud, sed alterum fit. Prænoscendum secundo generationem posse tribui tribus, vel soli subiecto, vt homo fit musicus; vel soli priuationi, vt immusicus fit musicus; vel coniuncto ex vtrisque, vt homo immusicus fit homo musicus. Prænoscendum tertio generationem diuidi in simplicem & compositam, secundum modum loquendi; Simplex quidem dicitur dum vni soli tribuitur, nimirum vel soli subiecto, vel soli priuationi; composita vero, dum tribuitur congregato, vt homo non musicus, fit homo musicus; Quarto prænoscendum, quod dum loquimur de generatione, id quod accipitur pro subiecto enunciationis ab Aristotele dicitur τὸ γιγνόμενον, factum, quod vero pro prædicato ὃ γίνεται, quod fit. Prænoscendum quinto duos inueniri loquendi modos, vnum in recto, hoc fit hoc; alterum in obliquo, ex hoc fit hoc; primus denotat subiectum permanens, quod competit generationi accidentium, vt dicendo homo fit musicus; si autem tribuitur priuationi, ei competit quatenus denotat subiectum priuatum; vt dicendo immusicus fit musicus; Alter vero modus in obliquo duo denotat, vel partem, & competit subiecto, vt dicendo ex ære fit Statua, ex lapidibus fit domus; vel recessum & terminum a quo, & competit proprie soli priuationi, vel subiecto proximo generationis substantiæ, quatenus interit, & terminum a quo includit, vt ex lignis fit ignis, ex nube pluuia. Et quoniam priuatio omnis constituit terminum generationis a quo, ideo de omni priuatione recte dicimus ex hoc; dicimus autem hoc, dum per denominationem denotatur subiectum actu permanens; de materia vero dicimus hoc, dum est permanens & actu, vt subiectum accidentium; dicimus ex hoc dum interit vel saltem partem denotat, vt competit materiæ substantiæ; vel imitantium eam, vt statuæ & domus. Ex his elicitur explicatio verborum; inquit itaque Philosophus, Dicimus fieri ex alio aliud, indicans generationem substantiæ, & ex altero alterum, indicans generationem accidentium; vel simplicia dicentes, vel composita, nempe secundum modum loquendi, vt mox exemplis se declarat, tribuendo generationem vel soli subiecto, vel soli priuationi, vel congregato ex vtrisq;. Quibus præassumptis discrimen ponit inquiens, De horum autem altero, nempe de priuatione, non solum dicimus hoc aliquid fieri, sed ex hoc, vt immusicus fit musicus, & ex immusico fit musicus; De altero vero, nempe de subiecto, in omnibus non dicitur ex hoc; non enim ex homine dicitur fieri musicus, sed homo fit musicus; Adeo vt differentia hæc sit de omni priuatione, dicimus ex hoc fit hoc, non autem de omni materia.

*Institutum.*

*Diuisio.*

*Quinq; prænoscenda.*

*Expositio.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Tres differentiæ attinētes ad modum loquēdi.*

CONSIDERANDVM est ex modo loquendi tres elici differentias, vt ex dicendis clarius patebit; vna est modum loquendi in obliquo magis congruere priuationi, in recto vero subiecto; Altera est de omni priuatione dicere valemus ex hoc, non de omni subiecto; Tertia est de eadem priuatione frequenter vti valemus vtrisque loquendi modis, non autem de eadem materia; Considerandum secundo ex Aristotele hanc elici rationem, Ea de quibus recte loquendo, vario modo loquimur, putanda sunt varia; de materia & priuatione loquimur modo vario, quare putanda sunt varia; Sed tunc oritur dubitatio, quia Aristoteles in libro de interpretatione nomina, & modum loquendi ait esse ad libitum, non autem secundum naturam; quare ex modo loquendi non valemus elicere attinentia ad naturam & conditionem rerum. Insuper dubitatur, quia quod est in definitione alicuius competit omni; fieri ex, sumitur in definitione materiæ, nam Aristoteles in hoc primo Physic. 82. & in secundo Physicorum materiam definiens ait ex quo fit aliquid eum insit. Tertio dubitatur, si modus loquendi in recto magis cōgruit subiecto, cur non de omni subiecto loquentes eo vtimur? & præsertim cum materia seruetur in rerum ortu, non autem intereat. De prima difficultate dico in elocutione duo considerari, impositionem nominum absolute, & rectam rationem; primum est ad libitum imponentis, alterum nequaquam: nomina enim debēt congruere conditioni rerum, alioquin dicerentur perperam imposita; hinc imponere nomina est officium sapientis, & ob id Aristoteles frequenter etiam vtitur ratione sumpta ex Ethymologia, vt patet de casu, in secundo Physic. de mutatione in quinto, & de alijs. At quæritur qualis nam iudicanda sit ratio sumpta ex modo loquendi, & ex Ethymologia? & dicendum esse ab authoritate sapientum, qui nomina imposuere, longo vsu a populis per successionem approbata. Dubitabatur secundo, quia fieri ex ingreditur definitionem materiæ, quare debet competere omni. Respondeo materiā quatuor modis posse cōsiderari, primo vt ex ea educitur forma; Secūdo vt est materia proxima, quæ interit, veluti ex ligno fit ignis; Tertio vt est pars compositi, quod proprie generatur, & hac triplici consideratione semper de ea dicitur ex, & dum definitur consideratur tertio modo; Quarto consideratur vt subiectum actu, quod denominatur per formam, quæ in eo recipitur, & tunc solum dicimus hoc fit hoc. Ex hoc patet primo solutio difficultatis; patet secundo Aristotelem in hoc primo Physi. non distincte loqui de materia prima, de qua solum dicimus ex, sed de materia vniuersè sumpta; hoc enim pertinet ad librum & considerationem communem, loqui tamen præsertim de materia prima, tanquam de primo ab vno; patet demum solutio tertiæ difficultatis, cur non de omni materia vtamur recto; nā modus ille loquendi magis congruit materiæ, non quidem omni, sed ei, quæ est subiectum actu, & denominatur per formam, quæ acquiritur; competit autem priuationi quatenus hanc consignificat; hinc dum huiusmodi loquendi modus non congruit materiæ, etiam non recte tribuitur priuationi eius, non enim recte dicimus non ignis fit ignis, dum per non ignem intelligimus priuationem eius in prima materia.

*Ratio quæ elicitur ex Aristotele.*

*Prima dubitatio.*

*Secūda dubitatio.*

*Dubitatio tertia.*

*Solutio primæ.*

*Solutio secundæ.*

*Cont. 59.*

*AT vero eorum, quæ vt simplicia fieri dicimus, alterum permanens fit, alterum non permanens; nam homo quidem permanet, cum fit musicus homo, Non musicum autem, & immusicum neque simplex, neque compositum permanet,*

Tradita differentia materiæ a priuatione cõsiderata in modo loquendi, institutum est Philosophi assignare differentiam attinentem ad conditionem eorum, quæ est præcipua causa varietatis modi loquendi. Diuiditur contextus in duas partes, in prima refertur differentia, in altera exemplo illustratur. Inquit Philosophus in prima parte; eorum, quæ secundum modum loquendi dicimus fieri, vt simplicia, hoc est materiæ, & priuationis, in rerum ortu adueniente forma alterum, nempe materiam, permanere & forma perfici, alterum vero, nimirum priuationem, nõ permanere, sed euanescere. Quod explicans in secunda parte inquit, nam homo, hoc est subiectum & materia permanet, cum fit musicus; Non musicus autem siue immusicus, hoc est negatio coarctata ad priuationem, quia sic est terminus a quo generationis, neque simplex neque compositum permanet; nam compositum est homo immusicus, quod perit pereunte altera partium, ex qua pendet. Pertinentia ad hunc contextum in explicationem sequentis reijciuntur, quoniam eadem sententia repetitur. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

*Determinatis autem his, ex omnibus quæ fiunt, hoc est accipere, si quis inspexerit vt diximus, quod oportet semper aliquid subijci quod fit, & hoc & si numero est vnum, forma quidem non est vnum; forma dico & ratione idem: non enim idem est homini & immusico esse, & illud quidem permanet, hoc vero non permanet, etenim non oppositum permanet, homo enim permanet, musicus autem & immusicus non permanet, neque ex ambobus compositum, vt immusicus homo.* *Cont. 60.*

Patefacta differentia materiæ a priuatione, siue potius varietate earum, comprobare vult modo Philosophus necessitatem materiæ, vt pateat quomodo principia, & duo & tria dici valeant: Diuiditur hic contex. in tres partes, in prima patefit necessitas materiæ; in secunda manifestatur quomodo materia sit eadem cum priuatione; in tertia quomodo varia. Inquit in prima parte quod cum sit traditum discrimen materiæ a priuatione, quibus modo vario tribuitur generatio, progrediendo inductione, & experientia per ea quæ fiunt, quæ sunt composita, confusa; & nobis notiora; & inspiciendo, vt diximus, hoc est considerando discrimen, manifestum redditur oportere semper aliquid subijci ortui rerum, quod vt subiectum dicitur fieri; mox in secunda parte ait, & hoc & si numero est vnum, hoc est cum id subiectum fundamento sit vnum, ac ita dicatur vnum numero cum priuatione, forma quidem, hoc est ratione, non est vnum. Declarans in tertia parte quomodo distinguantur specie, forma, & ratione, affert distinctionem sumptam ex conditione eorum, traditam in præcedente contex. inquiens, non enim idem est esse, eademque ratio hominis & immusici, hoc est materiæ, & priuationis; & illud, nempe materia, & permanet & seruatur adueniente forma, non autem seruatur priuatio, nec compositum ex ea & materia, vt dictum est. *Institutum.* *Diuisio.*

## Caput Dubitationum.

*Prima dubitatio.* EX dictis a Philosopho in hoc, & in præcedente contex. sex prodeunt dubia: primum est, quomodo materia & priuatio dici possint vnum numero, plura vero specie & forma, cùm vnum numero sit maxime vnum, includens cæteros modos vnius, vt patet ex quinto Metaphysicæ. *Secunda.* Dubitatur secundo, si priuatio adueniente forma perit, quia ei opponitur, cur etiam non perit materia, cum materia dicatur potestas, quæ formæ & actui maxime opponitur, vt dicitur ab Auer. in proœmio de Anima cõm. 8. *Tertia.* Tertio dubitatur an verum sit, quod adueniente forma, seruetur materia: inquit enim Themistius ex sententia Boethi, præsente forma non amplius esse materiam, sed subiectum; Ideo dubitabat Plotinus in lib. de materia quomodo fieri possit, vt adueniente forma, quæ actus, bonum, & terminus est, non pereat materia, quæ est potestas, malum, & infinitum? *Quarta.* Quarto dubitatur an verum sit, quod distinguantur ratione; nam & priuatio per materiam, & materia per priuationem definitur; priuatio enim est absentia formę in subiecto nato eam recipere; materia vero est subiectum carens forma, aptum eam recipere. *Quinta.* Quinto dubitatur, Quia si priuatio perit, dabitur priuatio priuationis, quod videtur absurdum, & præsertim quia consideraretur progressus in infinitum; ac insuper cum sit non ens & interitus, vt non datur generatio generationis, ita nec interitus datur interitus; non ens enim non valet transire in non ens, alioquin esset interemptum prius quam interiret. *Sexta.* Demum dubitatur, cur materia potius dicatur vna numero cum priuatione, quam cum forma, & num cum forma quoque dici valeat vna numero. *Quid primo considerandum.* Pro solutione harum difficultatum considero primo a Philosopho hoc in loco vsurpari vnum numero pro eo quod est vnum subiecto, fundamento, & pro esse absoluto; nam priuatio pro esse absoluto non distinguitur a materia, cum materiæ solum superaddat relationem, & ideo non competit materiæ in prima notione. *Alterũ considerãdum.* Insuper considero quod esse vnum subiecto contingit dupliciter, vel quia sint duo vni subiecto competentia, vt flauum & dulce melli, vel quia vnum fundamento competat, vt lac & albedo; priuatio dicitur vna numero cum materia fundamento hoc secundo modo. *Tertium.* Considero insuper, quod Aristoteles distinctionem ratione, nuncupat distinctionem forma & specie, vsurpando formæ nomen pro essentia cuiusuis rei ratione explicanda, adeo vt essentia materiæ, quæ est id quod materia est, forma dicatur, ac ita materia, & priuatio distinguuntur forma, & propria conditione; hinc prodeunt etiam formalitates prædicamentorum, nam sat est vt prædicamenta distinguantur ratione, ita enim dicuntur distingui forma & conditione: *Quõsemper essentia rei sit forma.* Ex quo elicio semper id quod res quæuis est, posse dici formam, & propterea absurdum non est concedere materiæ actum, quo dicunt, entitatiuum, sumptum pro gradu entis & pro formalitate & ratione eius propria. Ex his facile modo est elicere solutiones propositarum difficultatũ; *Solutio primæ difficultatis.* Quarum prima erat, quomodo materia valeat dici vna numero cum priuatione, & distincta specie, siue forma? Nam vnum numero dupliciter vsurpatur, vel pro collocato in ordine prædicamenti sub specie, & ita vnum numero est vnum specie, & genere; vel pro eo quod est vnum subiecto & fundamento & pro absoluto, contradistinctum ab eo, quod est ratione multiplex; & ita vnum numero, valet esse duplex ratione formalitate & specie. *Solutio secundæ.* Dubitabatur secundo, quia adueniente forma, ne dum priuatio ei aduersa, verum etiam materia ob eandem rationem videtur debere perire, cum aduersetur formæ. Respondeo materiam dupliciter posse considerari, primo pro suo esse proprio, secundo pro his, quæ ei competunt ex accidenti, ob ei iunctam priuationem: dum consideratur pro suo esse proprio, est gradus entis denotatus per potentiam, ex qua & forma per se fit vnum, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, & solum formæ opponitur per relationem, vt dicitur in secundo Phy. 26. quę non se mutuo destruunt;

At dum

At dum consideratur ob ea, quæ illi per priuationem competunt, sic est fœmina, turpis, informis, indefinita, quæ omnia abolentur aduenieñte forma; ita materia in contex. 81. dicitur fœmina & turpis ex accidenti, & in cont. 82. dicitur ex accidenti interire. At instabatur tertio, quia adueniente forma non amplius dicitur materia eius, sed subiectum; respondeo, si Themistium & Boethum defendere cupimus, variari quidem tunc nomen, at non naturam & essentiam: Addo deinde sententiam illam non esse approbandam; nam materia ante quam recipiat formam aliquam, dicitur materia illius potestate, cum vero eam receperit, dicitur materia eius actu, & ideo tunc verius est materia illius. Confirmatur quia definitur materia, quod sit id, ex quo fit aliquid cum insit, quare inesse & subijci formæ est pars definitionis materiæ, non autem est aliquid materiæ conditionem euertens. Dubitabatur quarto, quia materia & priuatio non videntur distingui ratione, cum vnum per alterum definiatur: Respondens dico primo materiam in prima notione non includere priuationem, & propterea non definiri per eam: Addo secundo, quod quamuis vnum definiatur per alterum, nil propterea obest, quin distinguantur ratione; semper enim definitiones iudicandæ erunt distinctæ cum definitio vnius non competat alteri, vt definitio serui differt ab ea domini. Dubitabatur quinto, quia non videtur priuatio posse perire; Respondeo, priuatio dupliciter consideratur primo absolute & per se, vt est priuatio, ac ita, vt non datur absentia absentiæ, ita nec priuatio priuationis, sed priuatio omnis dicitur esse formæ absentia, & priuatio: Secundo consideratur vt est forma quædam, per quam subiectum modo aliquo afficitur & denominatur, vt patet ex secundo Physic. 15. nec non ex 5. Metaphysicæ, & hac consideratione potest considerari priuatio quædam priuationis, quamuis minus proprie; nec ob id dabitur progressus in infinitum, quia per huiusmodi priuationem subiectum non afficitur modo aliquo, adeo vt mox possit dici priuatū ea affectione & forma, sed solum nostra ratione id concipitur. Quo autem pacto priuatio valeat interire, in explicatione cont. 82. patebit. Demum quærebatur, cur materia potius cum priuatione dicatur vna numero, quam cum forma; qua de re tria dico, primum est materiam iure dici vnā numero cum priuatione, quia pro fundamento & pro esse absoluto nō distinguuntur, sed solum relatione & ratione, vt prius dixi; de forma secus se habet. Dico secundo priuationem intimiorem esse materiæ, & conditioni eius, cum materia ex sui natura & conditione formam non includat, & actus aduersetur conditioni eius; Addo tertio materiā non recte dici vnam numero cum forma, quia materia cum forma constituunt tertium, quod est vnum numero, priuatio autem cum materia tertium non constituit; rectius autem diceremus duo accidentia, eidem competentia, vnum numero esse, hoc est fundamento, & subiecto, vt in melle dulcedo & color flauus. At obijciet aliquis, quia Aristot. 8. Metaphysicæ 16. inquit, Est autem, vt dictum est, vltima materia & forma idem; cum dicantur idem, nil aliud denotari videtur nisi quod sint vnum numero; respondeo dici idē, quia ex eis vnum per se constituitur, vt semetipsum declarat Philosophus.

*Solutio tertia.*

*Solutio quarta.*

*Solutio quinta.*

*Solutio sexta.*

*SED ex aliquo fieri aliquid, & non hoc fieri, magis quidem dicitur in non permanentibus, vt ex immusico musicum fieri, ex homine autem non; At vero & in permanentibus aliquando dicitur similiter, ex ære enim statuam dicimus fieri, non æs statuam. Hoc tamen ex opposito & non permanente vtroque modo dicitur & ex hoc hoc, & hoc hoc, namque ex immusico, & immusicus fit musicus; Quocirca & de composito similiter, nam ex immusico homine, & immusicus homo dicitur fieri musicus.* Cont. 61.

*Institutum.* IN præcedentibus secrenit materiam a priuatione per modnm loquendi, id tamen non exacte fecit; ideo repetito discrimine sumpto ex conditione eorum, nunc repetit discrimen attinens ad modum loquendi, idq; exactius declarat: dixi discrimen esse triplex, vnum quia sermo in recto est magis proprius materiæ; alterum quia sermo in obliquo, dum denotat recessum, est magis proprius priuationis, & dicitur de omni priuatione; tertium, qnia frequenter de eadem priuatione vtimur vtrisque loquendi modis. *Diuisio.* Præsens cont. diuiditur in tres partes, in prima secernitur materia a priuatione, quia modus loquendi in obliquo, dum denotat recessum, magis congruit priuationi, & dicitur de omni priuatione, non autem de omni materia sed de aliqua; dico dum denotat recessum, quia dum denotat partem, congruit soli materię; in secunda parte, dum inquit hoc tamen ex opposito & non permanente, traditur alterum discrimen, & est quod de eadem priuatione frequenter vtimur vtroque loquendi modo; in tertia dum ait. Quocirca & de composito similiter, manifestatur id ipsum quod dictum est de priuatione, competere etiam composito ex materia & priuatione, cum tale compositum ex priuatione sumat denominationem; pertinentia ad huiusmodi differentias in præcedentibus sunt explicata. *Dubitatio.* Dubitatur quia si priuatio non seruatur cum forma, nunquã principia erunt tria, sed ante rei ortum solum aderit materia & priuatio; post vero sola forma & materia: *Solutio.* Respondetur hæc tria principia posse esse simul in parte, dum forma recipit magis & minus, absolute autem nunquam sunt, nec esse debent simul, quia termini transmutationum non valent esse simul; sat est vt conspirent ad eandem transmutationem, solum esse debent simul principia interna rei genitæ.

## *Digressio de priuatione.*

*Institutum.* CVM Philosophus priuationem inter principia numeret, eamque secernat a materia, vt exactiorem de ea notitiam habeamus, operæprecium duxi aliquantulum pro eius explicatione digredi; plura autem legi possunt in libris de materia; modo vero in quatuor versabor; Declarabo primo quotuplex sit priuatio: Secundo quid sit; Tertio quomodo ad materiam se habeat; Quarto quomodo sit Principium. *Quatuor explicãda.* Ordiens a primo Aristoteles in 5. Metaphysicæ, contex. 27. varias refert nominis priuationis significationes, omnes tamen ita in ordinem redigendas censeo. *Priuatio multiplex.* Priuatio vel competit alicui ratione generis siue proximi, siue remoti vniuoci, siue communis ab vno, vel ratione propriæ speciei, ratione communis ab vno; motores cœli dicuntur priuati perfectione Dei, ratione communis generis vniuoci remoti, lapides dicuntur cœci, quia videre non repugnat substantiæ, similiter Plantæ cœcæ; qnia non repugnat corpori animato; talpę cœcæ, quia nõ repugnat animali; per propriam autem speciem homo dicitur cœcus, & Plato cœcus; *Vide pro his cap. 14. primi libri de materia.* quæ priuatio adhuc est duplex, vel in subiecto actu, vel in subiecto potestate, qualis est materia; & vtraque est triplex, vel deprauatio, vel diminutio, vel absoluta remotio formæ; Insuper priuatio & pręsertim in materia considerata, vel antecedit formæ, vel formam sequitur, siue potius interitum formæ: priuatio, quæ formæ recipiendæ antecedit, remouet actum siue formam, at non facultatem recipiendi eam; priuatio vero, quæ sequitur interitum formæ, remouet ne dum formam, sed etiam facultatem saltem ad eandem numero; a priuatione antecedente ad formam non dicitur dari regressus, quia ea non præfuit, sed progressus; & hæc est terminus a quo generationis: a priuatione vero sequente interitum formæ ad eandem numero nunquam datur regressus, & hæc est terminus ad quem interitus; & nonnunquam non datur regressus ad eandem speciẽ, qualis est cœcitas, & surditas hominis, de quibus Aristoteles in postprædicamentis dixit a priuatione ad habitum nõ dari regressum; quod intelligi debet de priuatione in subiecto actu euertente formam & facultatem: & hęc de

prima

prima parte, ex qua hoc elicimus solum Deum esse omnino immunem a priuatione, cum cæteris omnibus modo aliquo competat. Quæritur secundo, quid nam sit priuatio materiæ competens, numerata inter principia; de qua dico differre negationem a priuatione; nam negatio est communior. Negatio ab Aristotele numeratur inter ea, quæ non sunt, ea enim solum remouet, nihil ponit, ideo competit vnicuiq; & quod est & quod non est, vt de vocibus infinitis dixit Aristoteles in libro de interpretatione; priuatio vero non omnino est non ens, sed est non ens ex se, ens vero ex accidenti; dicitur ex se non ens, quia ex se est absentia, & remotio; dicitur ens ex accidenti, quia connotat definitum subiectum, est enim absentia formæ in subiecto nato recipere formam. Hæc priuatio pro suo esse absoluto non est aliquid distinctum a materia, nec, cum sit in materia, constituit aliquid compositum, sed insequitur naturam materiæ & solum superaddit quandam relationem, & ob id Aristoteles dicebat esse eandem numero & distingui ratione, vt etiam se habet de proprijs affectionibus; nectitur enim priuatio cum ea affectione, quæ potestas est relata ad formam: Nam consideratur hic ordo; primo est essentia materiæ, quæ est potestas pro gradu entis, & pro absoluto de qua veræ sunt negationes, quod non sit, quid, quale, quantum, &c. mox ei essentiæ superadditur potestas cum relatione ad formas, quæ est tanquam affectio materiæ, quam potestatem sequitur propria ratio priuationis, per quam, vt potestas, cuius est comes, ita priuatio a materia secernitur, cum tamen ambo pro absoluto & pro fundamento sint idem cum materia. Dum dicimus adueniente forma potentiam, & priuationem euanescere, id debet intelligi de propria eorum superaddita formalitate: hac consideratione Aristoteles conciliatur cum Academicis, non distinguentibus materiam a priuatione; Academici enim considerarunt fundamentum, Aristoteles vero propriam superadditam formalitatem & rationem; Sic etiam priuatio pro suo esse absoluto, vt etiam potentia, quam comitatur, rediguntur ad materiam; pro superaddita vero relatione ratione & formalitate dicuntur quædam formæ. Insuper considerandum est, quod in priuatione considerantur tres gradus, vt etiam in potentia quam comitatur: primo enim consideratur essentia materiæ; secundo superaddita relatio ad formas; tertio priuatio propria & proxima prodiens ex dispositione aliqua & sequens formam antecedentem in materia; proxima, qualis est priuatio formæ hominis in sanguine menstruo, non autem in lapide; per primum gradum priuatio & potentia non distinguuntur a materia; per secundum gradum constituuntur per intellectum & rationem conspirante conditione materiæ; per tertium gradum prodeunt ex forma antecedente, & dispositionibus; per primũ gradum sunt coæterna materiæ; per secundũ concipiuntur & formantur ratione; per tertium incipiunt & desinunt cum forma & dispositionibus antecedentibus. At dicet aliquis, si priuatio pro absoluto non distinguitur a materia, & pro secundo gradu est tanquam eius affectio, tunc materia erit per se fœmina, & turpis, quia erit talis per propriam eius affectionem; insuper tunc adueniente forma non peribit priuatio, & si peribit, tunc peribit affectio rei æternæ, quod est absurdum; Respondeo, inquit Aristoteles, quod materia non est per se fœmina & turpis, quia non est talis per propriam conditionem, sed per rationem priuationis sequentem & superadditam, quæ quamuis sit tanquam affectio materiæ, tamen non est proprie affectio, cum conspiret ratio & relatio pro ea constituenda; nec est per se in primo modo dicendi per se, quem considerauit Aristoteles. Addebatur quod tũc periret affectio rei æternæ; respondeo id quod proprie perit est gradus tertius priuationis, gradus enim primus nullo pacto perit, medius autem medio quodam modo se habet; de eo enim solum dicimus, quod materia non amplius caret ea forma, nec, cum ea perierit, valet iterum eandem numero recipere; at non ob id aliquid materiæ perit, præter quam id quod a nobis ea ratione concipitur, immo quatenus ad materiam pertinet, semper dicitur priuatione prædita, & posset eandem numero formam recipere, vt patet de hominis anima a Deo creata; solum dicitur non dari regressum ad idem numero,

*Quid sit priuatio.*

*Conciliatur Arist. cum Academicis.*

*In priuatione tres gradus.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

numero,quia repugnat efficienti & tranſmutationi,vt idem numero efficiant,non autem materię recipienti. Ariſtoteles itaque inquiens priuationem interire conſiderauit ſecundum gradum eius iunctum cum tertio. Inquiunt Themiſtius & Alexander materiam mediare inter formam & priuationem,& eſſe capacem vtriuſque: hæc ſententia vera eſt de tertio gradu priuationis,ſequente formam antecedentem & diſpoſitiones; de primo gradu, qui in idem venit cum materia, nequaquam; de gradu autem medio,ſe habet modo medio,quatenus materia eſt capax illius proprie rationis priuationis,quæ diſtinguitur a materia,& conſiderari poteſt materia ſine ea. Ex his patet quo tuplex,& quid ſit priuatio,& quomodo ad materiam ſe habeat; Supereſt vt breuibus declaremus quomodo ſit principium; qua de re dico priuationem non per primum, ſed per ſecundum & tertium gradum conſtituere genus tertium principij a materia diſtinctũ,quia non conſpirat ad ortum & interitum tanquam ſubiectum,ſed tanquam terminus neceſſarius a quo ortus, & ad quem interitus: de potentia diſtincta a priuatione, nec non de dimenſione materiæ ſecus ſe habet, hæc enim vnà cum ſubiecto,& per modum ſubiecti conſpirant: Quæ priuatio duplici conſideratione ad ortum referri poteſt; Primo poteſt referri ad ortum, quatenus per ortum res genita conſtituitur, & ita dicitur principium ex accidenti,quia non remanet tanquam pars rei genitę: hac conſideratione conſideratur in primo Phyſicorum; Secũdo referri poteſt ad ortum, quatenus ortus eſt tranſmutatio a motu diſtincta; qua conſideratione, cum ſit per ſe terminus ortus,dicitur principium per ſe, & hac conſideratione conſideratur in 5. Phyſic.hinc ortus & interitus per priuationem definiuntur; quod non fieret,niſi eſſet principium per ſe,& quatenus eſt per ſe,eatenus etiam dicitur Principium neceſſariũ. Inſtantiæ variæ, quæ afferuntur, quia ſi priuatio eſſet principium ſubſtantiæ,id quod non eſt eſſet principium entis,ex non ſubſtantia fieret ſubſtantia, non ſubſtantia eſſet prior quam ſubſtantia,& aliæ ſimiles per ſæpe dicta diluuntur,quæ non repeto,& plura explicantur in libro de materia.

*Quo priuatio ſit principium.*

*Cont. 62.*

*MVLTIFARIAM autem cum dicatur fieri, & quædam non fieri ſimpliciter, ſed fieri aliquid, ſimpliciter autem fieri ſubſtantiarum ſolum eſt, in alijs quidem conſtat ſemper aliquid ſubijci quod ſit. Nam & quantum, & quale & ad aliquid & quando & vbi fiunt ſubiecto aliquo, propterea quod ſola ſubſtantia de nullo alio dicitur ſubiecto, ſed alia omnia de ſubſtantia. Quod autem ſubſtantia & quacunque alia ſimpliciter entia ex ſubiecto quodam fiant, conſideranti fiet vtique manifeſtum; Semper enim eſt aliquid, quod ſubijcitur, ex quo ſit quod ſit, vt Planta & animalia ex ſemine.*

PHILOSOPHVS in præcedentibus ſolum indirecte patefecit neceſſitatem materiæ,manifeſtando quod ſi ſola contraria ſtatuerentur principia, varia ſequerentur abſurda; Ideo patefacto diſcrimine materiæ a priuatione,inſtitutum modo eius eſt directe neceſſitatem materiæ manifeſtare; & in præſenti contextu tria facit, primo diſtinguit generationem ſubſtantiæ ab ea accidentium; ſecundo manifeſtat pro ortu accidentium neceſſariam eſſe materiam; tertio eſſe neceſſariam pro ortu ſubſtantiæ; Adeo vt ratio in hanc formam redigatur; omnis vel ſubſtantiæ, vel accidentium generatio expoſcit materiam,omnis generatio,vel eſt ſubſtantiæ, vel accidentium, quare omnis generatio

*Inſtitutum.*

*Diuiſio.*

*Ratio.*

tio exposcit materiam. Inquit in prima parte fieri dici multipliciter, non quidem pure æquiuoce, sed ab vno, nam substantiæ solæ dicuntur fieri simpliciter, cætera vero dicuntur fieri aliquid; dum Plato oritur, absolute dicitur genitus, dum calefit, vel dealbatur non absolute dicitur gigni, sed fieri calidus, vel albus; & id euenit quia substantia est primo & absolute ens, accidentia vero non sunt entia, nisi quia entis. In secunda parte ostendens accidentium ortum exposcere materiam, hanc format rationē; Quæcunque necessario subiectum exposcunt, gigni non possunt non conspirante subiecto; Prædicamenta accidentium necessario subiectum exposcunt, quare non gignuntur non conspirante subiecto, quod eorum est materia. Quod autem substantia & quæcunque alia simpliciter entia &c. manifestat in hac tertia parte materiam esse necessariam pro ortu substantiæ, hunc in modum. Ea, quorum generationi aliquid subijcitur ex quo fiunt, exposcunt materiam; generationi substantiarum aliquid subijcitur, ex quo fiunt, quare necessario exposcunt materiam; minor ostenditur exemplo Plantarum & Animalium, pro quorum ortu necessarium est semen, quod fungitur officio materiæ.

*Expositio.* *Ratio secundæ partis.* *Ratio tertiæ partis.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDUM primo, aliquid gigni simpliciter, duobus modis cōtingere, vt elicitur ex primo de Ortu & Interitu; vel absolute, vel facta comparatione; absolute substantia dicitur gigni simpliciter, accidentia minime; facta autem comparatione inter accidentia præstantiora & viliora, ea simpliciter, hæc aliquid, fieri dicuntur; similiter facta cōparatione inter substantias præstantiores & viliores, illæ simpliciter, hæ vero aliquid fieri dicuntur. Insuper cum Philosophus inquit substantiam solam non dici de subiecto, per dici de subiecto, denotat esse in subiecto, & dici de eo subiecto, cui insit; absolute tamen secundæ substantiæ dicuntur de primis. In dictis Philosophi quatuor resulgent controuersiæ; Prima est, quoniam in hoc contrait ad aliquid, & quando fieri; in quinto autem Physic. negat ad hæc prædicamenta esse motum vel mutationem; Secunda est, nam primo ait solam substantiam fieri simpliciter, mox ait substantiam, & quæcunque alia simpliciter entia, indicans præter substantiam dari alia, quæ simpliciter entia dicantur; quæ si dantur, etiam fient simpliciter. Tertia controuersia, quia Philosophus hoc in loco semen ait esse materiam, in secundo Physic. 31. numerat id inter efficientia; nec ei competit definitio materiæ, cum non seruetur in rerum ortu. Quarta dubitatio est, cur Philosophus de solis plantis & animalibus ostēdit quod materiam exposcant, cum dentur aliæ multæ substantiæ, quæ gignuntur. De prima controuersia dico aliquid fieri contingere dupliciter, vel per se & primo, vel secundario & per consequutionem; per se & primo non fiunt, quia non sunt per se termini motus, sed fiunt per consequutionem, pro quibus etiam necessaria est materia. De secunda difficultate, quia concedere videtur præter substantiam dari alia quoque simpliciter entia, dicunt nonnulli denotari artificiosa, quæ sunt imitationes substantiarum, & non secus ac substantiæ proprio nomine denotantur; at Artificiosa non sunt præsentis considerationis, nec numerantur pro membro distincto rerum, quæ fiunt; ea enim solum dicuntur esse vel substantiæ, vel accidentia: potius dicendum puto ab Aristotele id per modum explicationis proferri, vt patefaciat nil superesse, quod materiā non exposcat; nam cum numerasset prædicamenta accidentium, inquit quod autem substantia & quæcunque alia simpliciter entia, quasi dicat, cætera omnia, præter accidentia, quales sunt substantiæ. Tertia controuersia est de semine, quod modo materia, alibi vero efficiens dicitur; soluitur per declarata a Philosopho in primo de Gen. animalium cap. 18. nam inueniuntur genitura, menstruum, semen; genitura viri est efficiens & formans, menstruum materia, semen vero congregatum ex vtrisq; id enim

*Gigni simpliciter.* *Dici de subiecto.* *Prima controuersia.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Solutio primæ.* *Solutio secundæ.* *Solutio 3.*

per

per partes crassiores fungitur officio materiæ; per tenues & spiritales, efficientis; &
*Solutio 4.* ideo non est absurdum cũ pro materia, tum pro efficiente accipi. Dubitabatur quarto cur de solis viuentibus ostendat materiam exposcere: Inquiunt nonnulli id fieri, quia adhuc non est ostensum Elementa gigni, id enim veteres inficiati sunt; quæ solutio non videtur approbanda, primo quia solus Empedocles id inficiatus est, cæteri de nonnullis id concesserunt; præterea præter Elementa inueniuntur metalla & fossilia, quæ omnium consensione fiunt. Propterea dicamus iure ab Aristotele fuisse factum; & ratio potissima est, quia sola viuentia proprie gigni, & generare dicuntur; nã animæ nutrientis officium est generare, cæteris autem minus proprie competit; ideo Aristoteles id patefecit de potissima generatione, & de primo ab vno. Insuper viuentium materia proxima, ex qua fiunt, est magis definita, quam reliquorum; demum id fecit de viuentibus, de quibus minus videtur, cum sint substantiæ prestantiores, remotiores a prima materia. Nonnulli aiunt Aristotelem id non ostendisse de Elementis, quia eorum materia est materia prima, cuius necessitas est patefacienda; ideo si id fecisset petijsset in Principio; Quæ sententia vera non est, tum quia proprie sermo est de materia vniuerse sumpta, non de prima; tum insuper quia saltẽ id debuisset ostendere de metallis & fossilibus; tum demum quia dum aliquid ostenditur inductione non dicitur petitio in principio, sed desumptio ex conspicuis & sensu notis.

*Cont.63.* *FIVNT autem quæcunque simpliciter fiunt alia quidem transfiguratione, vt statua ex ære, alia accretione, vt quæ augentur, alia detractione, vt ex lapide Mercurius, alia compositione, vt domus, alia alteratione, vt quorum materia immutatur; omnia autem, quæ ita fiunt, ex subiecto fieri cõstat.*

*Institutum.* DE instituto Philosophi in præsenti cont. duæ sunt opiniones; Alexander & Magnus Syrianus putarunt, quod cum Aristoteles seorsum primo de accidentibus, secundo de substantia patefecerit necessitatem materiæ pro eorum ortu, nunc simul id ostendat de vtrisque; & quoniam cuncta, quæ fiunt, aliqua transmutatione fiunt, ideo inquiunt pro omni transmutatione manifestari necessitatem materiæ. Et dum Aristoteles ait, quæcunq; simpliciter fiunt, exponunt simpliciter, hoc est vniuerse, & absolute quæcunque fiunt; hanc expositionem minus veram puto tum quia Aristoteles vteretur in præcedente, & præsenti cont. voce simpliciter in varia significatione; tum insuper quia de accidentibus iam dixit ex se constare, de substantijs autem diminute id demonstrauit, cum de solis viuentibus verba fecerit; tum demum quia ratio esset diminuta, non enim includeret motum secundum locum, qui etiam est quędã generatio, nec proprie sumptam alterationem; nam transmutatio secundum materiam non est proprie alteratio, sed generatio substantiæ, neq; ad aliquid, & quando, de quibus tamen dixerat quod fiunt. Ideo cum Simplicio & alijs dicendum puro institutum Aristotelis esse id ostendere exactius de ortu substantiæ; qui præsertim consideratur, & imperfecte de eo fuit ostensum, de quo etiam dixerat, consideranti reddi manifestum quod materiam exposcat; distincte autem consideratur perpendendo modos, quos enumerat. Diuiditur
*Diuisio.* contex. in duas partes, in prima numerantur quinque modi, qui connectuntur cum
*Quinq; modi generationis.* generatione substantiæ, in alia ex eis elicitur necessitas materiæ; modi sunt quinque, transfiguratione, vt ex ære statua; Accretione, vt, quæ augentur per additum alimentum; detractione, vt statuarius ex lapide efficit statuam Mercurij; Compositione, vt domus compositione lapidum; cęmenti, & lignorum; Alteratione, vt quæ inuicem mutantur secundum materiam, veluti dum nubes vertitur in pluuiam. Consideranti

hos modos conſpicuum redditur pro ſingulis neceſſariam eſſe materiam. Ratio ita formatur, omnis generatio, quæ fit aliquo enumeratorum modorum, expoſcit materiam, omnis generatio ſimpliciter, quæ ſubſtantiæ eſt, fit aliquo eorũ modorum, quare omnis generatio ſimpliciter expoſcit materiam. *Ratio.*

## *Caput Annotationum.*

ANIMADVERTENDVM primo, quinque enumeratos modos ita in ordinem redigi: Id quod fit vel eſt compoſitum ex partibus diſſimilibus, vel non; ſi compoſitum, fit compoſitione, vt homo cõpoſitione variorum membrorum; Si fuerit conſimile, vel mutatur ſecundum totum, & hoc dicitur fieri ea alteratione, quæ eſt ſecundum materiã, per quam vnius vniuerſa ſubſtantia in aliud vertitur, vt ſanguis in carnem; Vel mutatur ſecundum partem, quod contingit dupliciter, vel extrinſecus, vel intrinſecus; ſi extrinſecus, dicitur fieri transfiguratione; ſi intrinſecus id fit vel appoſitione, vt quæ creſcunt, vel detractione, vt quæ minuuntur. Sed oritur dubitatio quia accretio, diminutio, & transfiguratio, non ſunt generationes ſimpliciter, ſed accidentium, vt patet; Inſuper ſi Philoſophus numerat etiam mutationes accidentium, cur non numerat proprie ſumptam alterationem, pertinentem ad tertiam ſpeciem qualitatis? Pro ſolutione conſiderandum eſt, quod quamuis Philoſophus loquatur de generatione ſubſtantiæ, tamen conſiderat complicata cum ea & modos quibus fit; nam ſi complicata cum ea materiam expoſcant, ea quoque neceſſario illam expoſtulabit. Inſuper conſiderandum, quod Ariſtoteles id ipſum ſeruat, quod fecit in præcedentibus, dum patefecit compoſita quoque fieri ex contrarijs, quod latebat; conſiderauit enim tunc illa, quæ iuncta ſunt cum ortu compoſitorum, ſimiliter modo conſiderat iuncta cum ortu ſubſtantiæ; nam frequenter illi quinque modi in vnius ſubſtantiæ ortu vnà conſpirant; veluti dum gignitur Plato, adeſt compoſitio ex varijs membris, detractio redundantium, appoſitio vtilium, transfiguratio ſanguinis recipientis figuram fœtus, & permutatio eiuſdem in carnem, & ſubſtantiam fœtus; quæ omnia ſimul conſpirantia manifeſtant neceſſitatem materiæ pro ortu Platonis. Ex his eliciuntur ſolutiones, cum relatarum, tum aliarum difficultatum. Inſtabatur primo quia plures eorum modorum ſunt ortus accidentium, id concedo; tamen dico eos eſſe iunctos cum ortu ſubſtantiæ; Addebatur Ariſtotelem ſiluiſſe proprie ſumptam alterationem; reſpondeo eam denotari per alterationem ſecundum materiam, cum qua neceſſario nectitur; non enim fit ea permutatio ſine præcurrente alteratione; vel etiam eam denotauit per transfigurationem: Dicere etiam poſſemus enumeratos quinque modos eſſe permutationes quaſdam ſubſtantiæ, ſaltem ſecundum partem, vel ſecũdum imitationem, vt transfiguratio; ſed primus ſoluendi modus mihi magis ſatisfacit. Et conſiderandum eſt Ariſtotelem accurate ſeruare id, quod dixerat, ex his quæ fiunt elicere neceſſitatem materiæ, id enim facit perpendendo modos quibus res gignuntur.

*Quo quinque modi generationis redigantur in ordinẽ.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Solutio.*

*QVARE manifeſtum eſt ex dictis, quod omne quod fit ſemper cõpoſitum eſt, & eſt quidem aliquid quod fit, & aliquid quod hoc fit, & hoc duplex eſt, aut enim eſt ſubiectum, aut oppoſitum; dicitur autem opponi immuſicus, homo autem ſubijci; inſuper informitas infiguratio, & inordinatio oppoſita ſunt, as autem, lapis, aut aurum ſubiecta.* *Cont. 64.*

mus eorum, quæ sunt substantiæ contraria, & in cont. 65. dicit resolues enim rationes
compositi, in rationes componentium, & in principio secundi libri explicaturus natu-
ram progreditur per composita diuidendo ea. De Theophrasto quid sit dicendum *Sententia*
iam patefeci in expositione primi contextus. Instabatur secundo, quia prædicamen- *Theophra-*
ta accidentium fiunt, eisque competunt principia generationis, vt ostenditur in 12. *sti.*
Metaphysicæ, & tamen sunt formæ simplices: Iam dictum est simplices prædicamen- *Solutio se*
torum formas non proprie fieri, sed concreta, vt in septimo Metaphysicæ inquit Ari- *cunda.*
stoteles, & concretorum sunt principia, veluti sæpe Aristoteles pro materia musicæ ho
minē accipit; Nam accidentia includunt materiam pro eorum ortu, & pro esse con-
creto, absolute autem dicuntur solum habere materiam, in qua recipiantur, nō ex qua
constent, vt docet Aristoteles in 8. Metaphysicę cont. 12. Quarta dubitatio erat, quia *Solutio*
forma videbatur proprie fieri. Philoponus disputans contra Proclum id ne dum con- *quartæ.*
cedit, verum insuper rationibus comprobat. At eo dimisso cum Aristotele dico com- *Philoponus*
posita ea esse, quæ proprie fiunt, nam eorum sunt Principia, affectiones, operationes,
denominationes, eisque competit subsistere, & esse completum; formæ hæc compe-
tunt, vt causæ internę principali, quæ cum sit principium non recte dicitur id quod gi-
gnitur: Ea autem regula propter quod &c. vera est de his, quæ sunt ab vno, adeo vt
prædicatum primo vni competat, & per illud alijs; at forma nō est ea cui primo com-
petat gigni, id enim competit composito, forma autem principium cōstituitur eorum,
quæ gignuntur, & nil dicitur principium sui.

*MANIFESTVM igitur quod siquidem sunt causæ & Principia eorum, quæ natura sunt, ex quibus primis constant & facta sunt, & non secundum accidens, sed vnumquodque quod dicitur secundum substantiam, quod omne & ex subiecto & forma fit; componitur enim musicus homo ex homine & musico quodam modo, nam resolues rationes in rationes eorum; manifestum itaque est quod quæ fiunt fiunt ex his.* Cont. 65.

DVAE præcipuæ sunt huius contex. expositiones; putant nonnulli insti-
tutum Philosophi esse ostendere ea, quæ gignūtur esse composita, quod
protulit in præcedente contex. & non ostendit; ex quorum sententia
ita formanda est ratio: ea, quorum interna & per se generationis prin- *Ratio.*
cipia sunt materia & forma, sunt composita, at omnium, quæ fiunt hæc
sunt interna, & per se principia, omnia igitur quæ fiunt sunt composita. Expositio est *Prima ex-*
probabilis, mihi tamen parum satisfacit, tum quia Philosophus in pręcedente contex. *plicatio.*
dixit id patere ex dictis, quare non tenetur id declarare, tum insuper quia modus lo-
quendi Philosophi potius indicat se comprobare materiam & formam esse principia,
& ideo in sequenti contex. prosequitur ea declarare, quæ ad hoc pertinent; Ideo est
secunda expositio, quod Aristoteles ostendat materiam & formam esse per se princi- *Secūda ex-*
pia rerum; ita exponunt Simplicius, Auerroes, & alij, & cum ostendat ea esse per se *plicatio.*
principia, simul comprobat ea, quæ fiunt, ex eis constare, & esse composita. Diuiditur *Institutum.*
contextus in duas partes, in prima formatur enthymema, in secunda confirmatur cō- *Diuisio.*
sequens eius. Vt pertinet ad primam partem, profert Philosophus hoc antecedens, si
rerum natura constantium ea sunt principia, ex quibus primis constant, & facta sunt,
non ex accidenti, sed secundum substantiam; Ex quo antecedente infert, quod omne
ex subiecto & forma fit, & est idem ac si dicat hæc esse per se principia. Hoc Enthyme-
ma ita in syllogismum redigitur; Ea ex quibus res per se fiunt & constant, sunt prin- *Syllogis-*
*mus.*

cipia per se earum, Ex materia & forma res per se fiunt & constant, quare sunt per se earum principia. In altera parte comprobans illud consequens addit id per quod ostenditur minor relata propositio, quæ erat, Ex materia & forma res per se fieri & constare, ideo inquit, componitur enim Musicus homo ex homine & musico quodam modo; at si ex his componitur, patet quod, ex his fiunt & constant; & ait quodam modo, tum quia compositio est multiplex, tum insuper quia componuntur ex accidenti non secundum se; Quod autem ex eis componatur, ostenditur hac ratione; Id cuius definitio resoluitur in definitiones aliorum, est compositum ex eis, definitio hominis musici, resoluitur in definitiones hominis & musicæ, quare constat ex eis; definitio enim id ipsum denotat distinctè, quod definiti nomen denotat confuse, vt patet ex 5. contex. Et animaduertendum est, quod Aristoteles antecedens protulit cum conditione, quod sæpe facit dum profert sententiam conspicuam, & ab omnibus approbatam.

## *Caput Dubitationum.*

*Prima dubitatio.* *Secūda dubitatio.* *Dubitatio tertia.* *Solutio primæ.* *Solutio secundæ.*

DVBITATVR primo quia Aristoteles, videtur vti circulo; nam primo ex declaratis principijs colligebat ea, quæ fiunt, esse composita, modo vero per compositorum resolutionem declarat Principia. Dubitatur secundo cur dixerit constant & facta sunt; Tertio dubitatur quomodo musica & homo distinguantur definitione, cum definitionem Musicæ ingrediatur homo; affectiones enim per subiectum definiuntur. De prima difficultate dico; Aristotelem non vti circulo sed regressu; ex compositorum enim resolutione inuenit principia, & per principia causam affert compositionis genitorum; De secunda difficultate dico Aristotelem indicare se loqui de principijs primis & per se generationis cum relatione ad rem genitam; ideo inquit ex quibus primis, indicādo prima & communia; addit constant & facta sunt, indicando quod constituant rem genitam, quod non competit causis externis, de quibus modo non est sermo; insuper addit non secundum accidens, sed secundum substantiam, vt excludat priuationem, ex qua res genitæ non constant, & varia quæ ex accidenti ad rerum ortum conspirāt; & inquit, sed secundum substantiam, denotando & per se, & essentiam rerum, nam ex materia & forma res per se fiunt & ex eis consurgit essentia earum. Dubitabatur tertio quomodo Musica & homo distinguantur ratione; Respondeo quamuis vnum definiatur per alterum, nil ob id prohibere, quod distinguantur ratione; sat enim est eorum definitiones esse varias, vt serui & domini. Insuper in definitione hominis Musici inueniuntur partes propriæ hominis, & aliæ propriæ Musicæ, vt conspicuum est; sic etiam 13. Metaphysicæ inquit Aristoteles albedinem esse priorem homine albo & accipi in eius definitione, vt etiam Musica in definitione hominis Musici.

*Solutio tertia.*

*Cont. 66.* *EST autem subiectum numero quidem vnum, forma vero duo, homo enim & aurum & omnino materia numeratilis est, nam hoc aliquid magis, & quod fit non ex accidenti ex ea fit; Priuatio autem & contrarietas accidens; Vnum autem forma, vt ordo aut Musica, aut aliorum quippiam, quæ sic prædicantur.*

PATE-

PATEFECIT Philosophus materiam & formam esse per se principia, & constituere essentiam eorum, quæ fiant; institutum modo eius est ea distinctius referre, inuicem comparare, & patefacere eorum conditionem, vt pateat numerus proprius principiorum, & quomodo duo, quomodo tria sint. Diuiditur contextus in tres partes, in prima sermo est de materia comparata cum priuatione, in secunda de priuatione, in tertia de forma. Vt pertinet ad primam, subiectum siue materia dicitur vna numero, hoc est fundamēto & pro absoluto, forma vero, hoc est formalitate & ratione duo; quia alia est ratio propria eius, alia priuationis, vt patefeci in explicatione contex. 60. nam quia forma est essentia rei, ideo late omnis essentia dicitur forma, & præsertim ea totius, quæ dicitur forma totius, contradistincta a forma partis, quæ est altera pars compositi. Insuper, quia forma & essentia est, quæ explicatur per definitionē, ideo etiam definitio dicitur forma, (Homo enim & Aurum & omnino materia) hoc est vnumquodq; fungēs officio materiæ, & per hoc indicat proprie se loqui de materia vniuerse sumpta; ea enim pertinet ad libros communes, Materia inquam est numeratilis, hoc est numeratur inter ea quæ sunt, tanquam gradus entium, res enim sunt numeri numerabiles, & præsertim quia ens & vnum reciprocantur, vnum autem ad numerum pertinet; hinc etiam essentiæ rerum sunt tanquam numeri, vt dicitur in 8. Metaphysicæ contex. 10. & ostendens Philosophus quomodo sit numerabilis, inquit nam hoc aliquid magis; hoc aliquid vsurpatur dupliciter, primo pro definita essentia rei, & præsertim substantiæ, ac ita materia est aliquid infimum in serie substantię; secundo pro composito substantiæ per se subsistente, vt dicitur in prædicamento substantiæ; ac ita quamuis materia non sit hoc aliquid, ea tamen est magis hoc aliquid quam priuatio, cum sit pars compositi, cuius priuatio pars non est. Ex his constat prima differentia materiæ a priuatione; altera hanc sequens est, quia ex materia non ex accidenti composita fiunt, ex priuatione minime. Ideo in secunda parte loquens de priuatione, vt contradistinguitur a materia inquit, priuatio autem accidēs, priuatio vt est ens, ita est principium, est accidens & ens secundum accidens, ideo etiam relata ad genitum est principium secundum accidens, cum non sit pars eius. At perpendamus quomodo ea sit accidens; profectò non est accidens aliquod nouem prædicamentorum, ita enim forma esset, Sed est accidens primo quia est ratio & formalitas competens materiæ, dum refertur ad formas, quas non habet, & ideo dicitur ei accidere, cum ei competat per relationem ad aliud; Insuper dicitur accidens, quatenus contra distinguitur a negatione, quæ omnino est non ens, priuatio vero saltem est ens secundū accidens, quia consignificat subiectum; negatio solum aufert, nil ponit, priuatio vero aufert formam, ponit autem subiectum natum eam recipere; Tertio est ens secundum accidens considerando priuationem in materia proxima & subiecto in actu; ita enim vel est forma deterior, vel nectitur cum antecedente forma, vel cum aduersis dispositionibus, vt surditas & cęcitas; quæuis tamen priuatio quatenus priuatio, est non ens, & solum ex accidenti est ens, (Vnum autem forma, vt ordo) loquitur in hac tertia parte de tertio principio, quod forma est, & inquit vnum, quoniam forma non ita constituit duo principia, vt materiam per ei iunctam priuationem.

*Institutum.* *Diuisio.* *Cur omnis essentia dicatur forma.* *Cur definitio dicitur forma.* *Hoc aliquid duplex.* *Prima differentia materiæ a priuatione.* *Secunda.* *Priuatio vt est ens ita principium.* *Quō priuatio sit accidens.*

## *Caput Dubitationum.*

DUBITATUR primo cur de forma Philosophus dicat vnum, nam forma, quæ principium statuitur, nec vna numero, nec specie, nec genere esse potest, cum effundatur in omnia decem prædicamenta. Dubitatur secundo, quomodo materia possit dici magis hoc aliquid, cum ipsa nec quid, nec quale, nec quantum dicatur in septimo Metaphysicę, hoc aliquid autem denotet perfectum & per se subsistens; Tertio dubitatur, si priuatio

*Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.*

est accidens, quomodo valeat esse principium substantiæ; si est principium secundum accidens, quomodo consideratur in scientia, & præsertim quia ea quæ sunt secundum accidens sunt indefinita; Quarto dubitatur, quia Aristoteles videtur incidere in opinionem Platonis dicentis duo pati, & vnum agere; nam ipse quoque duo dixit includi in subiecto, vnum vero dixit formam. Demum quæritur quæ, & quot sint differentiæ quibus materia in hoc contex. seiungitur a priuatione. De prima difficultate dico iure optimo formæ tribui vnum, nam vt dicitur in secundo de Anima contex. 7. proprie ens & vnum dicitur de actu, & forma ea est, ex qua prodit vnum & numero & specie, & genere; ita formæ, quæ sunt rerum essentiæ, in indiuiduo dicuntur positæ, tanquam numeri, vt dicitur in 8. Metaphysicæ contex. 10. hoc tamen in loco præsertim ei tribuitur vnum, quia constituit non duo, vt subiectum, sed vnum genus principij, quod tamen est vnum non vniuoce, sed ab vno, & primo dicitur de substantia.

*Quarta.* *Quinta.* *Solutio prima.*

*Secunda.* *Simplicius.* Dubitabatur secundo, quomodo materia dicatur magis hoc aliquid. Inquit Simplicius Aristotelem inclinare in opinionem Platonis, qui sumpsit hoc aliquid pro permanente, & ideo dixit id conuenire materiæ, quæ seruatur & non perit, sed minus recte sentit Simplicius, primo quia Aristoteles solum id tribuit materiæ per cōparationem cum priuatione, Plato vero absolute, & ei putat magis congruere quam composito, & formæ eius, quæ variantur; Secundo quia Aristoteles non accipit hoc aliquid pro permanente, sed in alia significatione; pro cuius notitia considerandum hoc aliquid vsurpari quinque modis, primo pro genere substantiæ cōtradistincto a generibus accidentium, vt in 3. Physi. contex. 3. Secundo pro indiuiduis prædicamenti substantiæ vt patet ex prædicamento substantiæ; Tertio pro gradu entis contradistincto a non gradu & nihilo; Quarto vt denotat diminutionem & contradistinguitur a simpliciter, vt substantia dicitur fieri simpliciter, composita vero secundum accidens dicuntur fieri hoc aliquid, vt patuit in contex. 62. Demum vsurpatur pro permanente post interitum compositi, in qua quinta significatione vsurpatur apud Platonem. Materia ab Aristotele dicitur magis hoc aliquid, non absolute, sed solum facta comparatione cum priuatione; & id verum est considerando tres primo relatos modos.

*Euersio.* *Hoc aliquid quinque modis.*

*Solutio tertia.* Dubitabatur tertio quomodo priuatio, cum sit accidens, statui possit principium substantiæ; hęc dubitatio persæpe dicta soluta est, nam est accidens non secundum formam, sed per priuationem, vt mihi accidit non esse in foro; & est principium non pro constitutione, sed pro transmutatione requisitum, tanquam terminus a quo; & dicitur accidens quia est ens secūdum accidens, vt iam patefeci. *Auer.* Inquit Auerroes, quod secundum accidens duplex est, vnum necessarium & huiusmodi est priuatio, alterum non necessarium; & hanc distinctionem tradit ne dum in hoc primo Phy. verum insuper 4. Phy. com. 20. & 5. Metaphysicæ comm. vltimo. At per hanc distinctionem dubitatio redditur maior, quia necessarium, & secundum accidens pugnāt adinuicem; inquit enim Aristoteles in primo, & in 8. Physic. nec non in primo Post. omne secundum accidens posse non esse; Immo ipsemet Auer. in primo Poster. comm. 35. dānat Alpharabium dicentem dari necessarium ex accidenti, quod non fit per se, & inquit id non esse iudicandum necessarium. Propterea dicamus regulas semper debere intelligi per se, adeo quod, secundum accidens possit non esse; quatenus est secundum accidens, priuatio relata ad generationem, est terminus a quo per se, & ideo non potest non esse; relata verò ad rem genitam est principium secundum accidens, ac ita compositum eam non includit; priuatio itaque eatenus est necessaria, quatenus particeps est eius, quod est per se, & ita patet solutio reliquorum, quæ addebantur.

*Solutio 4.* Quarta dubitatio erat, quia Aristoteles videtur incidere in sententiam Platonis, quod duo patiantur; Respondeo id non esse verum; nam Plato magnum & paruum, quæ sunt contraria, vtrunque dixit pati, & constituere subiectum; Aristoteles negat contraria constituere subiectum, sed esse terminos, vnum tamen eorum maxime esse iunctum cum conditione materię.

*Solutio 5.* Quærebatur demum quibus differentijs materia secernatur a priuatione; pro cuius

notitia

notitia considerandum est ex toto hoc libro duodecim præsertim elici differentias: prima eliciebatur ex modo loquendi, & erat triplex, secunda erat quia materia non opponitur formæ, vt priuatio; tertia quia materia seruatur vna cum forma, nō autem priuatio ei opposita; quarta, materia numeratilis non priuatio; quinta materia est magis hoc aliquid, quam priuatio; sexta materia est ens per se; septima, materia est principium per se, priuatio vero vtrunque est ex accidenti: & hæ quatuor nuper relatæ differentiæ eliciuntur ex præsenti contex. octaua est, quia materia est subiectum generationis, priuatio terminus a quo; nona, materia est benefica, priuatio machinatur maleficium: decima, materia secundum se formam appetit, non priuatio; vndecima, materia secundum accidens est mala, turpis, & fœmina, priuatio secundum se, immo est ipsa turpitudo; duodecima, materia secundum accidens fit & interit, priuatio secuncundum se, vt patebit in contex. 82. his addo quod materia est causa, priuatio autem non est causa.

*Quocirca est quidem, vt duo dicenda sint Principia, est autem vt tria, & est vt contraria; vt siquis dicat musicum & immusicum, calidum & frigidum, consonans & inconsonans, est autem vt non; a seinuicem enim pati contraria nequeunt; soluitur & hoc quod aliud est subiectum, hoc enim non est contrarium, quare neque plura contrarys principia, quodam modo sunt, sed duo (vt ita dicam) numero; Nec iterum penitus duo, propterea quod alterum est esse ipsis, sed tria, aliud est enim homini & non musico esse & infigurato & ari.* Cont. 67.

DVBITAVERAT Philosophus in præcedentibus, num principia sint duo, vel tria, contraria, vel non contraria; & cum veritatem lucide patefecisset, colligit in præsenti contex. quomodo pars vtraque, vtriusq; propositæ difficultatis vera sit; ratio huius instituti est, vt pareat quomodo per additam materiam diluatur omnis ambiguitas. *Institutum.* Diuiditur contextus in duas partes, in quarum prima duas profert Theses, in altera eas explicat. Theses *Diuisio.* in prima parte prolatæ hæ sunt; Principia modo aliquo sunt duo, alio vero tria; Insuper partim sunt contraria, partim non. Explicans in altera parte has Theses, manife- *Expositio.* stat quod addendo materiam, diluitur vniuersa dubitatio, ideo inquit soluitur & hoc, quia præter contraria additur subiectum, quod nulli est contrarium; & ob id principia sumpta pro terminis, contraria sunt; relata vero ad subiectum non sunt contraria. Insuper sunt duo, & tria; nam principia, quodam modo non sunt plura contrarijs, sed vt contraria sunt duo, ita principia statui possunt duo; vt ita dicam, numero, quatenus materia & priuatio dicta sunt vnum numero; & quia minus proprie materia & priuatio dicuntur vnum numero, ideo ait, vt ita dicam; Sed cum sint duo numero, non absolute sunt duo, sed ratione sunt tria, cum priuatio & materia distinguantur ratione, vt patuit: adeo vt principia sint contraria, considerando oppositos terminos, non sint contraria referendo ea ad materiam; & considerando principia per se; insuper sint duo vel numero, vel considerando sola contraria, vel sola principia per se; sint autem tria ratione, & numerando principia cuncta vel contraria, vel non contraria, vel per se, vel ex accidenti.

Caput

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Theses variæ de numero Principiorum.*

CONSIDERANDVM in Aristotele quod accurate nos docet de eadem re enunciare, & defendere conclusiones varias auxilio distinctionis vocũ, & considerationum; propterea eum sequentes de numero Principiorum Theses varias statuere valemus; Et primo quod sint vnum, nempe Deus, cui soli competit vt sit principium absolute primum; Principium omnium, & principium tantum cum ex nullo pendeat; ita Aristoteles in calce 12. Metaphysicæ vnicum statuit principium: *Principia sunt vnum.* Insuper in orbe mortali Principium potest dici vnicum, & id sola materia cum veteribus, quia ea sola seruatur æterna, cætera ex ea pẽdentia continenter varientur; *Principia sunt duo.* Secundo principia possunt statui duo tantũ, cõsiderando principia æterna, & hæc sunt Deus & materia, quæ tamẽ ita se habent, vt materia pendeat ex Deo, non autem ex nullo pendeat, vt perperam putarunt Manichæi: insuper principia possunt statui duo cum Aristotele, vt iam apparuit: *Tria.* Tertio principia interna possunt statui tria, vt iam patefeci, ex sententia Aristotelis; *Quatuor.* Præterea possunt dici quatuor considerando quatuor genera causarum, quæ etiam principia sunt; *Quinque.* Insuper dici possunt quinque addendo priuationem; *Sex.* similiter sex addendo causam exemplarem, *Septem.* & septem addendo organicam; *Triginta.* Præterea dici possunt triginta, tribuẽdo vnicuique prædicamento sua tria Principia propria; *Infinita.* Dici etiam possunt infinita considerando principia propria singulorum, quæ successione sunt infinita. *Nullũ principium.* Præterea verum est dicere Principium internum mortalium nullum esse, quia nil in eis inuenitur, quod absolute sit primum, & ex alio non pendeat; similiter dici possunt alia, quæ accuratis iuuenibus consideranda relinquo. *Prima dubitatio.* Dubitatur quia Aristoteles dubitans an Principia sint contraria inquit, a se inuicem pati contraria nequeunt; oppositum docuit in præcedentibus, nam dixit omne agens agere in contrarium, & patiens pati a contrario. *Secunda.* Insuper dubitatur quia Aristoteles inquit Principia esse duo, vt ita dicam, numero, at dubium est quomodo forma, quę est alterum principium, dici possit vna numero, cum neque etiam sit vna genere ob formam accidentium. *Solutio primæ.* De prima difficultate dico passionem ducere ortum ex materia, ideo dicebat Philosophus in primo de Ortu & Interitu, quod si forma esset seiuncta a materia non pateretur; propterea recte nunc ait, quod contraria sine materia non paterentur a se inuicem, nec se mutuo permutarent, at addita materia omnis dubitatio diluitur. Pro solutione alterius difficultatis considerandum, quod vnum numero quinque modis vsurpatur; *Vnũ numero quinque modis.* primo proprie & per denominationem; sic Plato est vnus numero; hoc definitur in 5. Metaphysicæ cont. 12. quod sit id, cuius materia est vna. Secundo pro causa proxima vnius numero, siue fuerit principalis, vt forma, siue secundaria & sine qua non, vt materia propria indiuidui; Tertio pro vno subiecto, & pro absoluto, vt materia & priuatio; Quarto pro quauis essentia vna simplici & non multiplicabili; vt Deus dicitur vnus, materia prima vna; modo tamen vario; Quinto pro eo quod est vnum genere & non multiplicabile, vt prædicamenta dicuntur numero decem, genera causarum dicuntur numero quatuor; & hoc vnum numero genus si fuerit vniuocum, rectius est vnum, minus autem si fuerit ab vno. Ex his elicio materiam dici vnam numero tertio & quarto modis, Formam verò esse vnum numero principium in quinta significatione.

*QVOT igitur Principia sint rerum naturalium, quæ circa generationem, & quomodo tot, dictum est; & manifestum est quod oportet subijci aliquid contrarijs, & contraria duo esse; quodam autem modo alio non necessarium est; sufficiens enim erit alterum contrariorum absentia & præsentia facere mutationem.* *Cont.68.*

CVm Philosophus de communium principiorum numero varia declarasset; institutum eius est ad materiam cum priuatione iunctam descendere, eiusque absoluere declarationem; de forma autem in calce libri se mox disputaturum pollicebitur; *Institutum.* Hoc autem facturus primo vtitur Epilogo, in quo tria facit; *Diuisio.* primo enim colligit communia principijs, secundo attinentia ad materiam, tertio ad contrarietatem. Pro prima parte colligit declaratum esse quot sint principia, & quomodo tot, rerum naturalium, quæ circa generationem, *Expositio.* inquiens quot, indicat & duo, & tria; addens quomodo tot, quia sunt duo numero, tria ratione, duo per se, tertium per accidens, duo contraria, tertium immune a contrario; ait naturalium pro distinctione ab his, quæ fiunt arte, quibus tamen per imitationem, & participationem generationis consimilia principia competunt; addit quæ circa generationem, indicans hæc principia esse propria mortalium, cœlo autem solum competere, vt est particeps motus, qui est quædam generatio, & competunt generationi relatæ ad corpus naturale, non autem absolute, vt generatio est; alioquin priuatio esset principium per se. Addit pro secunda parte id quod pertinet ad materiam, inquiens, constare quod oportet subijci aliquid contrarijs, quia sola contraria non erunt satis; demum colligens pertinentia ad contraria inquit, patere contraria esse duo, quia vna sola contrarietas prima erat; & addit quodam autem modo non esse necessarium ambo contraria statuere principia, quia sat est alterum eorum, nimirum forma, quæ sui absentia interitum, sui præsentia ortum constituat. At dubitatur *Dubitatio.* quia dicebatur in præcedentibus tot esse statuenda principia, quot sint satis, & nunc dicitur duo sola esse satis, quare Aristoteles est redundans inquiens esse tria. Natura enim non abundat superuacaneis, & non facit per plura quod facere potest per pauciora; augetur difficultas quia Aristoteles videtur asserere priuationem, nedum non esse principium per se, verum etiam non esse necessarium, nam inquit quodam modo non est necesse, &c. Respondeo Aristotelem eo loquendi modo tria denotare voluisse, *Solutio.* primum quod priuatio non sit principium per se, dum refertur ad genitum, & vt nō est per se, ita non est necessarium pro eius constitutione; Alterum quod priuatio non sit ens per se, sed absentia formæ, & cum Aristoteles inquit formam sui absentia facere mutationem, ea absentia est priuatio; demum manifestat quomodo id quod est per accidens redigatur ad per se, quia priuatio redigitur ad formam tanquam absentia eius. Sunt itaque satis duo, quæ sint principia & entia secundum se; at requiritur id quod est secundum accidens.

*SVBIECTA autem natura scibilis est secundum Analogiam; vt enim ad Statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliud aliquid habentium formam materia & informe se habet, ante quam recipiat formam, ita hæc ad substantiam se habet, & hoc aliquid, & quod est; Vnum igitur prin-* *Cont.69.*

cipium

*cipium hæc, non ita vnum, nec ita ens vt hoc aliquid; Vnum autem*
Cont. 70. *secundum quod ratio. Insuper contrarium huic priuatio, hæc quomodo duo & quomodo plura dictum est in præcedentibus. Primum igitur dictum est quod contraria solum principia sunt, postea quod est necesse aliud subijci & esse tria; Ex his autem quæ nunc manifestum quæ sit differentia contrariorum, & quomodo se habent principia adinuicem, & quid subiectum, Vtrum autem substantia sit species, aut subiectum, non dum manifestum est; sed quod principia tria sint, & quomodo tria, & quis modus eorum manifestum est. Quot igitur & quæ sint Principia ex his consideretur.*

Institutum. Diuisio. EXPLICATIS illis, quæ sunt communia ternario numero principiorum, institutum Philosophi est distinctius declarare pertinentia ad materiã, & ei iunctam priuationem; quod facturus, tria in calce huius capitis patefacit; primo quomodo noscatur materia; secundo colligit declarata a contex. 41. vsque ad hunc locum; tertio manifestat quid ex declara-
Expositio. tis adhuc non sit notum. Vt pertinet ad primam partem, manifestat Philosophus modum cognitionis materiæ; ratio est, quia cum materia sit origine prima, primo est diuisim explicanda; secundo quia in præcedentibus frequẽter de materia artificialium mentionem fecit; ideo ne leuiter id fecisse videatur, manifestat materiam Physicam reddi notam per artificiosam; Ait materiam nosci per analogiam; In libris de mate-
Quatuor cõnexa. ria exactius sum loquutus de modis cognoscendi eam, ideo nunc breuis ero. Considero quatuor inueniri subordinata, nimirum rationem, analogiam, commutatam proportionem, & metaphoram; Ratio est mutua habitudo duorum adinuicem, vt octo ad quatuor est ratio dupla; Analogia est similitudo plurium rationum, vt definitur ab Euclide in 5. suorum Elementorum, & ab Aristotele in 5. Nicomachiorum, quæ analogia vel est continuata, veluti si dixero, vt octo ad quatuor, ita quatuor ad duo; vel est seiuncta, & ad minus constat ex quatuor relatis terminis, vt si dixero, vt sexdecim ad octo, ita quatuor ad duo; Sequitur tertio commutata proportio, per quam inferimus, igitur vt primum se habet ad tertium, ita secundum ad quartum; inde elicitur metaphora, per quam vnum nomine alterius denotamus, vt fundamenta lecti dicimus pedes. Aristoteles itaque inquit materiam nosci per analogiam sumptam ex Artificiosis, & vtitur Analogia seiuncta, constituta ex multis rationibus, Inquiens, vt æs se habet ad statuam, & lignum ad lectum, aut ad aliud aliquod habentium formam, materia & informe se habet, ante quam recipiat formam, indicans similiter alia posse accipi, veluti vt Argentum ad Phialam, Terra ad vasa, & sic de alijs; Ita hæc subiecta natura rerum naturalium se habet ad substantiam, hoc aliquid, & quod est, hoc est ad corpora naturalia, & hæc de prima parte; Inquit in secunda. [Vnum igitur principium hæc, &c. ] Colligit tria declarata principia, quorum vnum est hæc, nimirum materia & subiecta Natura; Alterum est secundum quod ratio, nimirum forma, quæ est rei ratio, & definitio; Tertium est priuatio formæ opposita, de quibus dictum est quomodo & duo & tria dici valeant. Et distinctius repetens declarata inquit primo dictum esse, quod solum contraria sint principia, mox fuisse patefactam necessitatem tertij. Ex nuper autem declaratis elicimus quomodo contraria inter se distinguantur, quia vnum est forma, alterum absentia eius, & principium secundum accidens; Insuper est ostensum quomodo principia adinuicem se habeant, quæ inquam sint subiectum, & quæ versentur circa illud, quæ sint contraria, quæ nõ, quæ secundum se, quæ minime;

Demum est declaratum subiectum, quod refulsit per Analogiam. Vtrum autem substantia sit species, aut subiectum, &c.] In hac tertia & postrema parte manifestat Philosophus quid nam adhuc non sit declaratum, inquiens non constare ex dictis, num forma, vel subiectum sit substantia hoc est natura & essentia eorum, quæ natura constant; & hoc dicit quia in præcedentibus affirmauit veteres putasse materiam esse naturam, & id quod res sunt; propterea ne quis deciperetur, & putaret id fuisse prolatum tanquam verum, ait non dum esse manifestum. Sed quæritur vbi nam hoc declarabitur, si Philosophus per ea verba denotaret quid sit magis substantia, num forma, vel materia, profectò id fit in septimo Metaphysicæ; ea enim comparatio Metaphysica est; At si denotat quæ propriè & præsertim sit natura eorum, quæ natura constant, profectò id fiet in secũdo Physicorum in Cap. de Natura; & puto Philosophum hoc denotasse, quia inquit non dum esse manifestum, quo loquendi modo indicat in progressu huius scientiæ esse declarandum; demum iterum repetit Philosophus declarata principia, & verba sunt conspicua. *Dubitatio.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

VARIA se offerunt digna consideratione, quorum multa prætereo, vt exactè discussa in libris de materia; nonnulla solum magis ad rem facientia breuibus perstringam. Duo in vniuerso inueniuntur maximè distantia, Deus, & Materia, quæ duo distincta ratione sunt difficillima cognitu; Deus ob imbecillitatem nostræ Mentis, Materia ob vilem, & humilem suam conditionem; ideo dicebat Plato in Timæo quod materia sine sensu tangentis tangitur, hoc est negatione percipitur, & adulterina cognitione hoc est per analogiam; quibus modis adhuc dicitur vix apta percipi: Nam materia, cum non sit forma, nec formæ particeps, non est apta mouere, nec formare nostram Mentem, quæ in tertio de Anima contex. 6. dicitur locus specierum, siue formarum, tendimus autem in notitiam materiæ nõ vna, sed multiplici via; nam quod ea sit, ex se patet, & ab omnibus conceditur. Quod numeranda sit inter principia patet ex genere transmutatiõnum, & ex resolutione compositorum, vt dicitur in contex. 52. & 65. & in primo de Ortu & Interitu 43. Quid autem & qualis sit, cognoscitur triplici via, vel per negationem, vt patet ex septimo Metaphysicæ contex. 7. & ex 10. Metaphysicæ 24. vel per Analogiam, vt dicitur hoc in loco, vel per transmutationem, & prodeuntia ex necessitate materiæ; quæ omnes sunt viæ quædam nos ducẽtes in notitiam materiæ, ex quibus elicimus varias materiæ circumscriptiones; quæ omnes viæ, ita in ordinem rediguntur; nam cognoscitur materia vel negatione, vel affirmatione; si affirmatione, vel cum relatione, vel sine; si cum relatione, vel simplici, vel similitudine plurium; simplici quidem, dum noscitur per relationem ad formam, vt relatiua; similitudine autem rationum, dum noscitur per Analogiam; si noscitur sine relatione, vel id fit progrediendo per priora, at ea non habet, nisi communia quædam & confusa, nil distinctè patefacientia, vel progrediendo per posteriora, quæ vel sunt composita, & ita noscitur resolutione, vel sunt opera, vt transmutatio, quæ necessario materiam exposcit. Modus noscẽdi materiam per negationem est magis proprius Metaphysici; negatio enim competit materiæ in eius prima & absolutiore notione; modus vero per analogiam magis congruit Physico, & materiæ competit notione relata, & est nobis familiarior, ideo antecedit, per negationem tamen magis eleuamur. Cum Materia noscatur per Analogiam, hæc peti potest ex varijs, veluti ex loco, ex matre, ex nutrice, ex silua, ex subiecto accidentium, rectius tamen elicitur ex Artificiosis, vt dicitur hoc in loco. Ex qua analogia elicitur hæc descriptio, Materia est subiectum per inde se habens ad corpora Physica, ac materia arte constantium ad Artificiosa; ex qua ducimur mox in notitiam alterius circumscriptionis, quæ traditur in contex. 82. materia est primum subiectum,

*Duo maximè distãtia.*

*Quo tendimus in notitiam materiæ.*

biectum, ex quo primo & inexistente ea fiunt, quæ oriuntur, & in quod ea, quæ pereunt, resoluuntur; hinc venimus in notitiam quod sit potestate, & ex ea eleuamur in notitiam per negationem, quatenus recipiens debet esse nudatum eo, quod recipere debet. Hi duo modi cognoscendi, nimirum per Analogiam & per negationem competunt Deo, & materiæ; at per oppositas conditiones Deo vt supremo, materiæ vt infimæ: hinc de Deo loquentes & vtentes negatione, addimus, sed aliquid eminentius, vt Deus non est cœlum, non Angelus, sed aliquid sublimius, indicando præstantiam; de materia vero addimus sed aliquid inferius, & potestate, indicando conditionem eius vilem. Ex his, quæ de cognitione materiæ per Analogiam dicta sunt, varia elici possunt vtilia cognitu; primo enim apparet quid sit Analogia, quæ minus recte a nonnullis explicatur; Apparet secundo minus recte nonnullos dicere materiam nosci per Analogiam ad formam, vt etiam inquit Scotus 2. sent. dist. 12. q. 1. nam relatio vnius ad alterum non est analogia, sed ratio; similiter male loquuntur qui aiunt eam nosci per Analogiam ad Artificialia; nam relatio ad aliud, non est analogia; sed dicitur nosci per Analogiam depromptam ex Artificiosis, vt etiam dixi posse peti ex alijs. Insuper ex cognitione Analogię elicimus quid denotet Philosophus per ea verba, dum inquit ad substantiam, hoc aliquid etiam quod est, quæ a varijs vario modo exponuntur; & profectò minus recte, nam per ea nil aliud denotare valuit Aristoteles, nisi compositum natura constans: ratio est quia Aristoteles de Artificiosis loquens materiam referebat ad compositum, inquiens vt æs ad statuam, lignum ad lectum, & informe ad formatum; quare transferens hoc ad Physica, vt seruetur similitudo rationum, nil aliud denotare valuit, nisi compositum, dum inquit ita hæc materia naturalium ad substantiam hoc aliquid & quod est; nam si aliud denotasset, non seruaretur eadem ratio, & sententia esset falsa; sic itaque per substantiam intelligit compositam, collocatam in prædicamento, quæ cum sit quid completum dicitur hoc aliquid, & præsertim quia particularia ea sunt, quæ gignuntur, & dicitur quod est, quia frequenter Aristoteles per id quod est composita denotat. Insuper animaduertendum, quod Aristoteles repetens declarata principia inquit, vnum igitur Principium hoc nimirum materia, non sic vnum, nec ita ens, vt hoc aliquid &c. his verbis denotat ens, & vnum vsurpari dupliciter, primo proprie & per denominationem, & huiusmodi est hoc aliquid, nimirum indiuiduum substantiæ & compositum, quo pacto materia nec vnum, nec ens est; secundo pro principio & pro essentia consimili contradistincta a nihilo, & a varietate; quo secundo modo materia est ens & vna; ideo in libro de materia patefeci materiam distincta significatione esse ens, & non esse, insuper esse & non esse vnam; & hic modus loquendi Philosophi est dignus consideratione. Insuper animaduertendum, quod Philosophus denotans formam inquit vnum secundum quod ratio; Forma dicitur ratio, tum quia est essentia compositi, quę per definitionem explicatur, tum secundo quia est ratio & causa affectionum ex ea prodeuntium, tum tertio, quia est ratio, per quam compositum est id quod est: nam quod homo sit animal rationale alia ratio assignari non debet, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, & hæc est vna & ens non per denominationem, sed tanquam principium, & causa Principalis; & est vna, quia denotat vnum genus principij, est potissima causa per quam compositum est vnum, & est vna ratione, non autem est duplex, vt materia. Demum considerandum quod Philosophus colligit se declarasse quid sit subiectum, non autem id colligit de forma, sed in calce libri eam posterius ait declarandam, vt indicet quod declarato numero principiorum descendens ad singulorum distinctam explicationem orditur a materia, vt sæpe dixi.

*Quæ ex dictis colligantur.*

*Quid denotarit Arist. per substantiā hoc aliquid, & qd est.*

*Ens & vnū dupliciter.*

*Forma dicitur ratio.*

*Quod*

*QVOD autem hoc solo modo soluitur & antiquorum dubitatio dicamus post hæc; Quærentes enim Philosophi primi veritatem, & naturam eorum quæ sunt, conuersi sunt veluti in viam quandam depulsi ob inexperientiam; Dicuntque neque fieri eorum, quæ sunt, vllum, neque interire, quoniam quod fit, necesse est fieri vel ex eo, quod est, vel ex eo quod non est, ex quibus vtrisque impossibile est; neque enim quod est fieri, esse enim iam, & ex eo quod non est nil vtique fieri, subijci enim quippiam oportet, ita deinceps quod consequenter accidit augentes, neque esse multa dicunt, sed tantum id quod est: illi igitur in hanc venere sententiam ob ea, quæ dicta sunt.* Cont. 71. Cont. 72.

VERITAS per inde se habet ac Sol, ab ea enim omnes ambiguitates tanquam nubes longe repelluntur; propterea Aristoteles patefacta de principijs sentẽtia sua, vt manifestet veram esse, sibi proponit ostendendum per eam solam ambiguitates veterum posse dilui, adeo vt hæc sit tanquam comprobatio suæ opinionis; Quasi dicat ea opinio, per quam solam ambiguitates exacte diluuntur, iure optimo est approbanda, per opinionem nostram de Principijs, & præsertim per ea, quæ dicta sunt de materia & priuatione, ambiguitates veterum diluuntur, quare tanquam vera est approbanda. Hoc explicaturus Philosophus in his duobus cont. tria facit, primo institutum suum patefacit, secũdo refert difficultatem principalẽ, tertio manifestat quõ ex vno errore veteres in alios lapsi sint. Vt pertinet ad primam partem, inquit Philosophus, Quod autem μοναχῶς hoc est, ita solum, & non secus soluitur veterum dubitatio, dicamus post hæc; ideo in contex. 78. colliget, quare quod dicebamus dubitatio soluitur &c. Proponens autem difficultatem in secunda parte inquit, Quærentes enim Philosophi primi veritatem, & naturam; ait quærentes, quia tot sunt ea, quæ inquirimus, quot ea quæ scimus; addit Philosophi primi, quia ea dubitatio non fuit Platonis, Socratis, vel Pythagoræ, sed vetustiorum Philosophorum, nec denotat primos absolute, quia Aristoteles non putat dari, sed primos inter celebres fama, quorum opiniones circunferebantur; & eiusdem difficultatis mentionem fecit Aristoteles in præcedentibus cõtex. 34. addit veritatem & naturam, hoc est veritatem de natura; nam veritas erat finis eorum, quæ conformatur cum natura rerum, denotans suo more per ea, quæ sunt composita. Sequitur conuersi sunt veluti in viam quandam depulsi; nam scientiæ per metaphoram dicuntur viæ, & methodi, & qui errant dicuntur deserere viam rectam, quæ regia est; & deuiare dicuntur; depulsi, quia cogebantur ratione, quam non valebant soluere; quod eis competebat ob inexperientiam, non ob ignorantiam Logicæ, vt perperam ait Auer. non enim Logica cum experientia affinitatem habet, sed quia in communibus versabantur, nec considerabant singula naturæ opera: ideo Aristoteles in sexto Nicomachiorum inquit iuuenes non posse esse Prudentes, & Physicos, quia hæc egent experientia, & in præcedentibus dixit debere colligi notitiam principiorum ex his, quæ fiunt, ac etiam per resolutionem; Dicuntque neque fieri eorum, quæ sunt, vllum, &c. dubitatio ita formatur: si ens fit, vel fit ex ente vel ex non ente; non ex ente, quia sic fieret ex seipso, & esset antequam fieret; non ex non ente, quia generationi oportet aliquid subijci, & ex nihilo nihil fit, vt Philosophi omnes considerantes naturæ opera consenserunt, quare ens non fit, & est ingenitum. Ita deinceps quod consequenter accidit augentes, neque esse multa dicunt, &c. In hac tertia & postrema parte manife-

*Institutum.* *Ratio.* *Diuisio.* *Ex positio.* *Dubitatio Veterum.*

statur quomodo ex vno in alia mendacia lapsi sint; nam vno absurdo dato varia sequuntur,& exiguus error in principio in progressu fit maior, & præsertim error in attinentibus ad principia,quæ facultate sunt omnia, adeo vt mendacium magis sit fœcundum in pariendis mendacijs,quam verum in veris:facile enim est labi,ideo in principijs accuratissimi esse tenemur, & niti debemus ea ab illis addiscere, qui recte illa percipiunt; & iure Aristoteles in attinentibus ad definitiones se accuratissimum præbuit, quia sunt principia cognitionis aliorum; sic itaque veteres huiusmodi ratione coacti,vt primo inficiati sunt ortum eius quod est,ita consequenter negarunt multitudinem; sed solum dixere id reperiri,quod est,idque esse vnum, & cum negerint transmutationem,& multitudinem,quæ sunt nota sensu,& principia Physicæ cognitionis, de nullo recte sentire valuerunt.

## *Caput Annotationum, siue Dubitationum.*

*Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.* VARIA nobis offert Philosophus,quæ considerationem exposcunt; Primo quæritur quomodo veteres ostenderint ens non interire; nam Aristoteles id patefecit de ortu,non de interitu; Quæritur secundo quomodo colligebant id quod est esse vnum; Tertio,dum Philosophus dixerit veteres errasse ob inexperientiam, considerandum est quæ sint præcipuæ causæ nostratum deceptionum; *Quarta.* Quarto,si veteres inficiati sunt ortum rerum,cur assignarunt principia generationis, non enim dantur principia eorum, quæ non sunt; *Quinta.* Quinto occurrit considerandum quæ sit vis propositæ difficultatis. *Solutio prima.* Ordiens a primo dico veteres collegisse ens non interire cum ex conclusione, tum ex ratione formata de ortu; ex conclusione quidem, quia si ens est ingenitum,omne ingenitum immune est ab interitu,vt patet ex primo de cœlo; ortus enim & interitus prodeunt ex eodem principio interno,nimirum ex materia,& apta sunt fieri in eodem; Ex ratione vero, quia si ens interit, vel interit & transit in ens; vel in non ens; non in non ens; quia vt ex nihilo nil fit,ita nil transit in nihilum,& præsertim quia vt ortui, ita interitui debet aliquid subijci; neque etiã in ens,quia sic dissolueretur in seipsum & esset corruptum antequam interiret,vt de materia dicit Philosophus in contex. 82. *Solutio secunda.* Quærebatur secundo quo colligebant id quod est esse vnum. Pro notitia considerandum quod veteres omnes statuentes materiam vnam, & putantes eam esse vniuersam essentiam rerum, coacti fuerunt colligere id quod est esse vnum,& ingenitum; nam per ens denotabãt substantiam; *Ratio.* & ratio ita formatur; ea quorum substantia est vna, immunis ab ortu, & interitu,vnum sunt,sed ea quorum vna est materia, substantia est vna, immunis ab ortu,& interitu,igitur vnum sunt; & hoc est principale fundamentum opinionis veterum, quorum tamen varij distinctis vtebantur rationibus pro eodem colligendo, vt elicitur ex disputationibus Aristotelis aduersus eos, cum in hoc primo Physicorum, tum in primo Metaphysicæ. *Melissus.* Nam Melissus ita ratiocinabatur; si ens est ingenitum, igitur caret principio; si hoc caret, etiam caret fine, destitutum principio, & fine, est infinitum; quod infinitum,etiam est vnum. *Parmenides.* Parmenides varijs vtebatur rationibus, & hac præsertim,vt elicitur ex Parmenide Platonis. Quicquid est præter ens,est non ens,igitur ens est vnum; deducitur consequutio,quia si essent plura, secernerentur ab inuicem, vel per ens, vel per non ens; non per ens, quia id eis esset commune; non per non ens,quia est nihil,& quæ nihilo distinguuntur, non dicuntur distingui. Fundamentum itaque eorum idem erat, rationes autem particulares variæ. *Latini.* Latinorum multi ita rationem formant; Quicquid est præter ens, est non ens; sed ens, & vnum reciprocantur,quare id,quod est, vnum est. Hæc ratio ad rem non facit,quia non est dubitatio de eo vno,quod cum ente reciprocatur & transcendens dicitur. *Causæ nostrarum deceptionum. Prima.* Proponebantur tertio considerandæ causæ principales nostrarum deceptionum,quas dico esse varias; primo enim inepti sumus ad scientias ob deprauationem conditionum indi-

uidui, veluti sunt illi, qui dicuntur capti oculo mentis, nec valent secernere ex se notum, a non ex se noto, vt qui disputare volunt de coloribus, cum ab ortu sint cœci, vt dicitur in secundo Physic. contex. 6. Secundo ob ignorantiam Logicæ, & priuationem eius Pædiæ, siue rectæ institutionis, qua muniti esse tenemur, dum ad scientiam aliquam addiscendam accedimus, vt dicitur ab Aristotele in primo Nicomachiorum, in secundo Metaphysicæ, & alibi; Tertio ob prauã assuetudinem in audiendis falsis, vt euenit pueris, qui assueti audire falsa, ea iudicant vera; Quarto ob nimiam fidem, quam docenti adhibemus, vt faciunt qui iurare dicuntur in verba docentis, vt nimium addicti Scoto, D. Thomę, Aristoteli, Platoni, & similibus; Quinto ob inexperientiam; nam viri Prudentes, & Physici experientia egent, qua destituti errant: hinc legitur in primo Metaphysicæ nos magis debere confidere in medico experto, & minus erudito, quam in eruditiore, & minus experto; & de hac loquitur in hoc cont. Philosophus, dum inquit veteres Philosophos errasse ob inexperientiam. Missum facio iuuenes frequenter errare, qua nimium indulgent sensibus, sequuntur appetitum ex eis prodeuntem, vitant labores, neque accurate dant operam scientijs; nam sine labore, nil præclarum assequi valemus. Dubitabatur quinto, quia dicere veteres negasse generationem, & statuisse Principia eius, est pugnantia proferre; Respondeo eos negasse generationem entis, hoc est substantiæ, concessisse autem mutationes & varietates accidentium, quarum statuebant principia, vel saltem concessisse generationem secundum sensum, non autem veram, & id facere varijs modis; qui omnes vt appareant, animaduertendum nouem præsertim esse modos, quibus viri sapientes putarunt, res posse fieri; Primus est modus communicationis diuinarum personarum, per quam pater generat filium, & vnà cum eo spirat Spiritum sanctum; Secundus est creatio; Tertius, ex sententia Pythagoræ, & Platonis, participatio, siue imitatio numerorum, & idearum; Quartus est secretio mixtorum in chao, vt censuit Anaxagoras; Quintus est per condensationem, vel rarefactionem materiæ, siue eius quod est, vt Thales Milesius aquæ, Diogenes aeris; Sextus est per tactum, ordinem, & connexionem primorum corporum, vel corū secretionem, vt Democritus, & Epicurus atomorum, ex quorum sententia Lucretius libro primo dixit.

*Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Solutio secunda diff.* *Modi cõtra generationum.* *Primus.* *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.* *Quintus.* *Sextus.*

*Huc accedit vti quæque in sua corpora rursum,*
*Dissoluat Natura, neque ad nihilum interimat res,*

Septimus est Parmenidis dicentis variari accidentia, & dispositiones actione, & perpessione prodeunte ex calido, & frigido; Octauus est per apparentem mixtionem qua tuor Elementorum, vt putauit Empedocles; Nonus est Aristotelis putãtis res proprie gigni per eductionem formarum ex potestate materiæ; his addere valemus modum decimum, & est prædefinitio ab æterno Idearum rerum procreandarum, ob quã Dei mens dicitur liber rerum procreandarum, antequàm extrinsecus fiant, vt legitur in Genesi; quorum modorum tres sunt supra naturam, reliqui naturæ subijciuntur. Demum querebatur qualis iudicari debeat ea ratio, ob quam veteres inficiati sunt ortum entis; qua de re cum verba fecerim in libro de Placitis veterum Philosophorum, nũc breuibus dico, si nomine entis denotamus materiam rerum, vel substantiam vniuersè sumptam, vel ens sumptum vniuersè, ratio cogit, & solui non potest, quia nil corũ per naturam fieri potest, ob relatam rationem, vt consideranti redditur notum; solum cum Theologis rectè sentientibus dicere valemus ens ex Deo pendens per creationem constitutum esse ex non esse in esse; at si nomine entis denotamus particularia composita, sub speciebus posita, quæ sola vere generantur, ratio de illis vim non habet, & diluitur ab Aristotele, præcipua autem origo erroris veterum hæc fuit, quod materia esset vniuersa essentia rerum.

*Septimus.* *Octauus.* *Nonus.* *Decimus.* *De vi rationis.*

Cont. 73. *NOS autem dicimus quod ex eo quod est, aut ex eo quod non est fieri, aut quod non est, aut quod est facere aliquid, aut pati, aut quodcunque hoc fieri vno modo nil differt, aut Medicum facere aliquid, aut pati, aut ex*
Cont. 74. *medico esse, aut fieri. Quare cum hoc dupliciter dicatur, manifestum quod & ex eo quod est, & id quod non est, aut facere aliquid, aut pati; Aedificat igitur Medicus, non vt medicus, sed vt ædificator, & albus fit non vt medicus, sed vt niger; curat autem, & non medicus fit, vt medicus; Cum autem maxime proprie dicimus Medicum facere quid, aut pati, aut ex medico fieri, si qua Medicus hæc patiatur, aut faciat. Manifestum quod & ex non ente fieri, & hoc significat quatenus non est, quod illi non distinguentes errarunt, & ob hanc inscientiam adeo insuper deliquerunt, vt nil aliorum opinati sint fieri, aut esse, sed substulerunt omnem generationem.*

Institutum. VULT Philosophus propositam difficultatem diluere, idque efficiet duplici distinctione; vt enim ex varia vocum, & interrogationum significatione, innumeræ prodeunt deceptiones, vt dicitur in libro Elenchorum, ita ex distinctionibus, earum euersiones eliciuntur; hinc monemur in libro de interpretatione, interrogationes multiplices primo distinguere, mox respondere. Dicebant veteres, si ens fit, vel fit ex ente, vel ex non ente; distinguit Philosophus fieri ex ente, siue ex non ente, in per se, & ex accidenti, & quia distinctio in agente, & patiente est clarior, ideo extendit id quod diuidi debet ad agentia, & patiëtia; insuper quia in artificiosis est nobis notior, ideo distinctionem tradit medentium.
Diuisio. Diuiduntur hi duo contextus in tres partes; in prima accipitur quod vel de ente loquamur, vel de medico, vt pertinet ad dandam distinctionem, nihil refert; in secundo distinctionem tradit de medico, in tertia nectit distinctionem
Expositio. cum interrogatione distinguenda, patefaciens quomodo intelligi debeat. Vt pertinet ad primam partem inquit. Nos ex propria sententia dicimus quod ex eo quod est, aut ex eo quod non est fieri, aut quod non est, aut quod est facere aliquid, aut pati, & ita extendit sermonem ad agentia, & patientia, vno modo, nil differt, hoc est vt pertinet ad tradendam distinctionem, nil refert, siue loquamur de ente, siue loquamur de Medico; & ita sermonem transfert ab ente ad Medicum; [Quare cum hoc dupliciter dicatur, &c.] facta translatione ad medicum, tradit in hac secunda parte distinctionem;
Pars secunda. nam medicus dicitur facere, vel pati, vel ex eo aliquid fieri dupliciter, vel secundum se, & cum reduplicatione, vt medicus medetur; aut ex accidenti, vt medicus ædificat: Cum autem maxime proprie dicamus medicum facere aliquid, dum id facit,
Tertia. qua medicus; In hac tertia parte manifestat proprie ea medico tribui, quæ ei competunt secundum se, ex quo colligit, similiter fieri ex ente, vel ex non ente proprie id denotare, quod est secundum se; adeo vt vniuersa sententia hæc sit, vel loquamur de ente, vel de medico nil refert; sed loquendo de medico conspicuum est, quod ea, quæ illi tribuuntur, valent ei competere dupliciter & secundum se, & ex accidenti; quare similiter loquendo de ente, & quærendo an ens fiat ex ente, vel ex non ente. Et quia proprie interrogatio id denotat quod est secundum se, ideo fieri ex ente, vel ex non ente hoc proprie denotat, quod est secundum se; qua distinctione cum non sint vsi

veteres,

veteres, errarunt in attinentibus ad propositam difficultatem, ob quem errorem in fatuam hanc opinionem venerunt, vt nil opinati fint fieri, aut esse, sed solum reperiri id, quod est, ingenitum, & vnum.

## *Caput Annotationum, siue Dubitationum.*

ELICIMVS ex verbis Philosophi regulam apprime vtilem, & est, quod sermo absolute prolatus debet intelligi per se; hinc regulæ & definitiones semper debet intelligi per se, nam ex accidenti nulla est regula, quæ non valeat reddi falsa; Et ratio est, quia sermo intelligi debet in potiore significatione, potior autem ea est, quæ est secundum se. Insuper ea sunt cõsideranda, quæ definita sunt, huiusmodi sunt ea, quæ sunt per se, ea autem quæ sunt ex accidenti, indefinita sunt, & excluduntur ex scientijs. Insuper considerandum est distinctionem traditam tribui posse & enti, & fieri, vt vna cum Alexandro considerauit Simplicius; & nonnulli putant tribuendam esse enti, vt etiam per diuisionem entis, in ens actu & ens potestate, traditur secunda solutio. At profectò verior expositio est, quod diuidatur fieri, non ens; Nam Philosophus non medicum distinguit, sed fieri ex eo; similiter dum traditur solutio a Philosopho, ea nectitur cum ipso fieri, non cũ ente; & si cum ente necteretur solutio non esset omni ex parte vera, vt patebit. Quare dicamus Philosophum duplici distinctione soluere difficultatem, quarum hæc prima est distinctio ipsius fieri, siue facere, altera erit distinctio entis, per actũ, & potentiam; & vtrumque debuit distingui, vt refulgeat exactissima solutio. At dubitatur, quia Aristoteles inquit medicum curare vt medicum, quod non videtur verum; nam reduplicatio debet verti in vniuersale, & reciprocari; hęc nõ est huiusmodi, non enim omnis medicus curat, nec omnis curans est medicus. Confirmatur, quia affectio, ex qua constituitur enunciatio per se, est facultas, non officium; medicus enim vt medicus, est aptus curare, non autem curat, quia potest esse medicus, & non curare. Inquiunt nonnulli, id non debere intelligi pro reduplicatione, sed pro specificatione, vt aiunt; quæ solutio non satisfacit, quia Aristoteles explicat id, quod est secundum se, ex quo elicitur reduplicatio. Propterea dicamus considerandum esse ordinem; prima est Ars medendi constituens medicum, hanc sequitur facultas, facultatem sequitur officium; Medicus vt medicus est aptus curare, mox dum curat, id facit vt aptus curare, adeo vt medicus curans dicatur curare vt medicus; ac ita vertitur in vniuersale & conuertitur, nam omnis medicus curans, curat vt medicus, & omnis curans vt medicus, est medicus curans. Insuper dubitatur, quia Philosophus inquit medicum fieri album, quia niger, quod dubium est, nam forte non niger, sed rubeus est. Insuper si fit albus, quia niger, omnis niger deberet fieri albus, quod non est verum, vt patet de Aethiope, & coruo. Soluitur dicendo Aristotelem per nigrum circumscribere modo omnem terminum a quo per se, nimirum priuationem albedinis: de altera difficultate id dicendum est, quod est dictum de medico curante.

*Regula.*

*Ratio regulæ.*

*Sententia quorundã.*

*Sententia verior.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Dubitatio.*

*NOS autem dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo quod non est, sed tamen fieri ex eo quod non est, vt secundum accidens; Ex priuatione enim, quæ est per se non ens, non inexistente fit: Mirabile autem hoc est, & impossibile videtur, sic fieri aliquid ex eo quod non est; Similiter autem neque ex eo quod est, neque id quod est fieri nisi secundum accidens, sic autem, & hoc fieri eodem modo est, ac si ex animali animal vtique fiat, & si* *Cont. 75.* *Cont. 76.*

*ex quodam Animali quoddam animal. vt si canis ex quo fiat; fiet enim non solum ex quodam animali canis, sed etiam ex animali, at non quatenus est Animal; est enim iam hoc, si autem aliquid debet fieri Animal non secundum accidens, non ex Animali erit; Et si aliquid fit non ex eo quod est, neque ex eo quod non est, Quid enim significat ex eo quod non est, iam dictum est quod quatenus non est. Amplius autem & esse omne, aut non esse non remouemus; Vnus igitur modus hic est.*

Cont. 77.

Cont. 78.

*Institutum.* *Diuisio.*

INSTITVTVM Philosophi est, vti tradita distinctione pro solutione propositæ difficultatis. Diuiduntur hi contex. in tres partes, in prima ostẽditur quomodo id, quod fit fiat ex non ente; in secunda quomodo ex ente; in tertia diluitur tacita obiectio: per traditam distinctionem patet quomodo intelligi debeat ea maior, si ens fit, vel fit ex ente, vel ex non ente; ideo nunc soluens considerat attinentia ad minorem; solutio autem vniuersa in hoc est posita, quod ex neutro fit secundum se, ex vtrisque autem secundum accidens. Pro notitia solutionis, & verborum considerandum est, quod Philosophus primo manifestat quomodo ens fiat ex non ente, & per non ens debet intelligi priuatio, ex qua ait res fieri ex accidenti, quia non remanet in re genita, sed recedit vt terminus a quo, adueniente forma: dum vero Philosophus secundo manifestat quomodo fiat ex ente, per ens denotat materiam & præsertim proximam, vt dum dicimus ex lignis fieri ignem; nam quomodo res fiant ex prima materia manifestatur per secundam solutionem; res itaque fit ex ente, vt ignis ex ligno secundum accidens, quia lignum nõ fit vt est, sed vt non est, nimirum quatenus non est ignis. Iure Philosophus per non ens denotat priuationem, per ens vero materiam, quia id denotat quod est per se, priuatio per se non est, materia vero per se est. Et quoniam aliquis posset putare per hanc solutionem euerti commune effatum. De quouis dicitur esse, vel non esse, quatenus dicitur ens neque ex ente, neque ex non ente fieri, adeo vt cum affirmatio, tum negatio entis reijciatur vt falsa, ideo in postrema parte inquit Philosophus, Amplius autem & esse omne, aut non esse non remouemus, indicans effatum illud non euerti, vt in cap. annotationum patefaciam.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

DECVRSA breuibus sententia verborum varia cum ad sententiam, tum ad verba attinentia, se offerunt consideranda. Primo considerandum est, quod Aristoteles soluens difficultatem, semper distinctionem refert ad fieri, non ad ens, vel non ens; ideo inquit res fieri ex non ente, siue ex ente secundum accidens. At obijciet aliquis, si distinctio refertur ad fieri, cum priuatio sit principium per se generationis, deberemus dicere res per se fieri ex priuatione; respondeo, quamuis distinctio referatur ad fieri, tamẽ id fieri semper consideratur cum relatione ad rem, quæ gignitur. At perpendamus secundo quomodo ex priuatione res fiant secundum accidens; multi dicunt fieri ex ea secundum accidens, quatenus accidit materiæ, nec reperitur seorsum ab ea, quæ explicatio vera non est, quoniam etiam formæ sunt in materia, ex quibus tamen non dicimus res fieri ex accidenti; propterea cum Aristotele dicẽdum est ex ea res gigni ex accidenti, quia non inest in re genita, & non est necessaria pro re genita. Sed dubitatur quia dicam omne quod gignitur fit ex priuatione, priuatio est per se non ens, quare omne quod

*Dubitatio.*

*Quõ ex priuatione res fiant ex accidenti.*

*Dubitatio.*

gignitur sine ex non ente per se. Insuper dicam omne quod fit, eatenus fit, quatenus
non est, quare per se fit ex non ente; nam reduplicatio denotat per se. Respondeo res *Solutio.*
gigni quidem ex per se non ente, nimirum ex priuatione, ex eo tamen per se non ente
fieri secundum accidens, quia non remanet in re genita; ex quo patet distinctionem
illam nectendam esse cum generatione, non cum ente. At addebatur omne quod fit
eatenus fieri, quatenus non est; respondeo id denotare priuationem esse per se termi-
num a quo generationis, non autem principium per se rei genitæ. Tertio consideran-
da sunt ea verba Philosophi, Mirabile autem & impossibile sic videtur fieri aliquid ex
eo quod non est; Inquit mirabile, quia later modus, quo per naturam res ex non esse *Mirabile et*
transferuntur ad esse, per eductionem formæ ex potentia materiæ, & cum veteres mo- *impossibile.*
dum illum noscere non valuerint, impossibile absolute iudicarunt res fieri, quæ prius
non essent, & ex non ente, nam admiratio prodit ex ignorantia causæ; & dum puta-
mus causam non inueniri, dicimus id, ob quod miramur esse impossibile. Quarto con- *Quo ens*
siderandum est, quomodo ens dicatur fieri ex ente secundum accidens; id enim vide- *fiat ex ente*
tur falsum, nam inquit Philosophus ens fieri ex priuatione secundum accidens, quia *secundũ ac-*
non remanet in re genita, quare cum materia remaneat, deberent res fieri ex ea secun *cidens.*
dum se per regulam primi Posteriorum; Si negatio causa est negationis, affirmatio
debet esse causa affirmationis. Confirmatur, quia id quod fit per se, fit ex materia, &
materia secundum se est ens, quare per se fiet ex enti. Soluitur, dum dicimus ens fie- *Solutio.*
ri ex ente secundum accidens, considerari materiam proximam non primam, & mate-
riam, quæ actu sit per antecedentem formam, de qua etiam Aristoteles dedit exem-
pla; nam dum consideramus materiam primam, ea nil dicitur esse actu, & omnia po-
testate, ex qua & forma per se vnum consurgit, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, & hoc pa-
tebit per secundam solutionem. Insuper ex materia prima, vt includit gradum entis,
compositum fit quidem per se vt ex parte, at non vt ex termino, quia non fit quate-
nus est, & includit gradum entis, sed quatenus non est actu, & est potestate aliud; om-
ne enim quod permutatur, eatenus permutatur, quatenus est potestate. De prima in-
stantia dico, dum consideratur materia vt manens & per se, sic ens fit ex ente secun-
dum se, at sic consideratur vt est potestate; De altera instantia dico compositum gigni
quidem ex eo quod est, ens secundum se; ex eo tamen gigni ex accidenti, referendo
distinctionem ad gigni, non ad ens, vt dixi. At quinto loco occurrit considerandum
exemplum, quo vtitur Philosophus; nam ait, Vt si canis ex equo fieret, non fieret qua *Si canis ex*
tenus est animal, iam enim est, sed quatenus non est latrabile, & reddi potest latrabile. *equo fieret.*
Dedit Philosophus exemplum in re quæ fieri nequit, sequens imaginationem, mo-
re Philosophorum. Nonnulli putant exemplum fore naturæ consonum, si dicere-
mus ex Tauro & vaccis gigni apes & ex equis vespas, ita animal ex animali gignitur;
at hoc minime verum est, quia nõ animal ex animali gignitur, sed ex cadaueribus quę
animalia non sunt. Philoponus putat exemplum esse accommodatius, loquendo de *Philoponus*
vermibus sericis, & alijs, qui cum primo non sint alati, deinde sunt vermes alati. At
hoc quoque omnino simile non est, quoniam vermes illi primo non alati, mox alati,
non sunt distinctæ speciei, & varietas non est nisi accidentium; Ideo dicamus exem- *Exemplum*
plum conformius esse naturæ rerum, si cum Aristotele in secundo de Gen. animalium *accommoda*
dicimus, non simul gigni Animal & equum, adeo vt in vtero ex animali fiat equus, nõ *tius.*
quatenus animal, sed quatenus equus; similiter ex ente fit ens, & ex substantia, fit sub-
stantia, non tamen quatenus ens vel substantia est; nam ens absolute, & substantia nõ
fiunt. Sexto considerandum quomodo per solutionem a Philosopho traditam non
euertatur communis enunciatio, de quouis dicitur esse, vel non esse; & breuibus di- *Quomodo*
co eam non euerti duplici ratione; primo quia interrogatio non est per affirmationẽ, *non euerta-*
& negationem, nam quærendo num ens fiat ex ente, vel ex non ente, ambæ enuncia- *tur axioma*
tiones sunt affirmatiuæ, & ambæ falsæ, negatiuæ autem ambæ veræ; sunt autem ambę
affirmatiuæ, quia negatio non cadit supra verbum, sed supra prædicatum: dicere ens

fit ex

fit ex ente est affirmatio, cuius negatio est ens non fit ex ente; similiter ens fit ex non ente est affirmatio, cuius negatio est ens non fit ex non ente; affirmationes sunt falsæ, negationes autem veræ. Similiter, si dixero ens per se fit ex ente, ens per se fit ex non ente, ambæ sunt affirmatiuæ; quia negatio non cadit supra modum, negatiuæ autem erunt dicendo ens non per se fit ex ente, ens non per se fit ex non ente, quæ ambæ sunt veræ, & mediant inter affirmationes. Insuper non euertitur illud effatum, quia non absolute negamus ens fieri ex ente, vel ex non ente, sed id negamus secundum se, concedimus secundum accidens. Demum est dubitatio, cum generatio non valeat esse ex non ente per se, num creatio dici debeat ex non ente per se; nonnulli id affirmant quia generatio non est ex nihilo, ideo non est ex non ente per se, at creatio ex nihilo est, hinc Simplicius ait, si quid fieret ex nihilo prorsus, id certe nec per accidens ex eo fieret; similiter Auer. com. 63. inquit per creationem res ex non esse indiuidui vertitur in esse; confirmatur quia in creatione id non esse ex quo res constituitur in esse, non accidit materiæ & enti, sed absolute est non ens. Soluens dico creationem pro termino a quo, vt ei terminus competit, non exposcere priuationem, quia priuatio solum competit subiecto apto recipere formam, nec sat esse absolutam negationem, quoniam exposcit non repugnantiam ex parte obiecti; sed negationem eatenus similem priuationi, quatenus includit non repugnantiam obiecti; quam nuncupant potentiã obiectiuam; ex hac creatum constituitur in esse secundum accidens, quatenus nõ est pars rei creatæ; non autem secundum accidens quia accidat subiecto; & hoc secundum considerarunt Auer. & Simplicius, si autem id referatur ad creationem, vt creatio est, sic erit terminus a quo eius secundum se, vt priuatio est terminus a quo generationis secundum se.

*Num creatio fit ex nõ ente per se.*

*Solutio.*

Cont. 78. *VNVS igitur modus hic est, alter vero quod contingit eadem dicere secundum potentiam & actum; hoc autem in alijs definitum est diligentius. Quare vt dicebamus dubitationes diluuntur, quibus coacti remouent dictorum quædam; ob hoc enim tam longe recessere veteres a via in ortum, interitum, & omnino mutationem. Hac enim visa natura omnem diluit eorum ignorationem.*

*Institutum.* DATA prima solutione, Philosophus alterã tradit, & in præsenti contextu quatuor habemus; primo distinctionem entis per actum & potentiã, per quam soluentes dicimus ea, quæ fiunt, fieri ex nõ ente actu, ex ente potestate; & ita fieri secundum se; In secunda parte exactiorem explicationem huius distinctionis & modi solutionis per eam, reijcit in primum de Ortu & Interitu; In tertia colligit se id seruasse & patefecisse quod pollicitus est in contex. 71. inquiens hoc solo modo, nimirum per nostram explicationem principiorum, & præsertim materiæ & priuationis, dilui difficultates, quibus veteres coacti inficiabantur ortum, interitum, mutationem, & multitudinem eorum, quæ sunt; Demum colligit ex inspectione materiæ, eique iunctæ priuationis elici euersionem deceptionis eo-

*Diuisio.*

## *Caput Annotationum.*

*Primo considerandũ.* PRIMO occurrit considerandum quod Aristoteles difficultatem hanc proponit,& diluitur in quarto Metaphysicæ, & præsertim in primo de Ortu & Interitu , & hoc in loco:& vt pertinet ad difficultatem aduertendum,quod hoc in loco, tanquam in libro communiore eam proponit modo communiore , dubitando de ente num gignatur ; in primo autem de Ortu & Interitu , modo minus communi , dubitando an detur generatio simpliciter,siue substantiæ ; in idem tamen veniunt , quia veteres nomine entis substantiam denotarunt , *Secundo cõsiderandũ.* Considerandum secundo,vt pertinet ad solutionem,quod Aristoteles hoc in loco duplicem tradit solutionem , secundam tamen solum leuiter tangit,non explicat ; in primo autem de Ortu & Interitu , primam dimittit & secundam latissime explicat,ne videatur redundans vel diminutus . *Tertio considerandũ.* Insuper considerandũ quod iure Aristoteles in primo de Ortu late explicat hanc secundam solutionem ; Ratio est, quia non ens actu,ens autem potestate , per quod diluitur , est materia prima, de qua distincte loqui magis pertinet ad illum librum; ad hunc autem proprie pertinet de materia loqui vniuerse,& latius sumpta . *Cur Philosophus dupliciter soluat.* At iure quæritur cur Aristoteles duplici solutione est vsus ; respondeo id factum fuisse multiplici ratione ; *Ratio prima.* prima est, quia per primam non manifestatur ex quo res per se fiant,sed solum per secundam ; *Secunda.* Altera est, quia dubitatio ex duobns constat , ex ente & fieri,& vtraque distingui debent ; per primam distinguitur fieri ; per alteram ens ; veteres autem neutrũ distinxerunt . *Tertia.* Insuper cum dubitatio constet ex maiori & minori propositione , per primam assignatur medium inter fieri per se ex ente , & fieri per se ex non ente , & est fieri secundum accidens ex vtrisque,quod verum est,& pertinet ad maiorem propositionem ; per alteram assignatur medium inter ens actu , quod denotabant antiqui , & nihil ; & est non ens actu , ens autem potestate , ex quo composita per se fiunt , & pertinet ad minorem propositionem ; *Quarta.* demum per primam ens vsurpatur vt apud veteres pro ente actu & materia proxima,per secundam vero latius,vt includit ens potestate, quod inducitur ab Aristotele,ex quo constat eas non esse solutiones omnino distinctas , sed ex eis consurgere solutionem vnam,omni ex parte perfectam . *Quarto cõsiderandũ.* Quarto animaduertendum est,quod Philosophus loquens de solutione per secundam distinctionem inquit, hoc autem alibi diligentius definitum est . Non constat,quẽ librum denotet Philosophus inquiens alibi ; nonnulli aiunt denotari nonum Metaphysicæ , at in eo libro quamuis agatur de actu & potentia,non tamen diluitur per huiusmodi distinctionem ea dubitatio ; id autem fit in quarto Metaphysicæ,exactius tamen , & tanquam in loco magis proprio in primo de ortu & interitu , quem locum modo denotari puto . *Dubitatio.* At occurrit dubitatio, quia in hoc contex.ait de hoc alibi esse definitum diligentius,ibi autem contex. 11. dicitur oppositum ; nam inquit Philosophus , de his in alijs dubitatum est sermonibus amplius. Soluitur dicendo hoc in loco id diligentius debere referri ad solutionem per actum & potentiam , eo autem loci , cum legatur de his in alijs dubitatum fuisse amplius, siue latius, id referri debet ad vniuersam dubitationem , quam latius hoc in loco proponit & explicat . *Quinto considerandũ.* Quinto considerandum , quod Aristoteles inquit quare , quod dicebamus,dubitationes soluuntur,inquiens, quod dicebamus,denotat id quod dixerat in contex. 71. hoc solo modo solui difficultatem ; & vtitur plurali inquiens dubitationes,quamuis ea videatur vna,tum quia per eam rationem in varios lapsi sunt errores , adeo vt vim habeat plurium ; tum quia ea erat dubitatio in duas partes diuisa ; tum demum vt indicetur similiter posse dilui difficultates alias ad ortum & interitum pertinentes ; & addit Philosophus quod veteres coacti remouent dictarum quædam . Inquit Plato in Hipparcho nos sæpe cogi , dum soluere non valemus , & non suaderi iudicando id quod colligitur non esse verum , veluti si dicerem, qui ait Platonem esse

animal

animal dicit verum, qui dicit eum esse equum, dicit esse animal, quare dicens eum esse equum dicit verum; qui nesciret soluere & conclusionem putaret falsam, cogeretur, at non suaderetur: Veteres autem per propositam difficultatem ne dum cogebantur, sed etiam suadebantur. Insuper inquit Philosophus veteres remouere dictorũ quædam; nam procul dubio non cuncta auferebant, vt non accidentia, non ortum secundum sensum, non materiam & similia; ideo cum Aristotele dicendum est eos primo remouere ortum, & interitum, per consecutionem vero multitudinem eorum, quæ sunt; concesserunt mutationem, & alterationem consequentium, vt non entis, quod putarunt solam substantiam, & hanc solam materiam. Demum considerandum, quod Philosophus inquit hæc visa natura, omnem soluit eorum ignorantiam. Hæc profert Philosophus, quasi dicat dubitatio relata perinde se habet ac Sphynx Thebanorum, quæ hac lege proponebatur populis, vt qui eius ænigmata non diluerent, vorarentur, qui autem diluerent, perderent illam; Veteres non valuerunt diluere, ideo vorati fuerunt & in nihilum redacti, cum mendacium sit non ens; Aristoteles eam diluens coegit eam ruere & præcipitem dari, ideo inquit hæc visa natura, &c. quid autem denotet per hanc visam naturam, varij varia dicũt, vt refert Simplicius: at profectò nil aliud denotare valuit nisi materiam, vt est eadem numero cum priuatione, & seiuncta ratione; ideo in sequenti contex. inquit nonnullos eam tetigisse, at nõ secreuisse a priuatione, nam ex ea connexione & secretione eliciuntur distinctiones, quibus dubitatio diluitur. Et iure dubitatio soluitur inspiciendo naturam & conditionem materiæ, quia per materiam res fiunt, & ex notitia principij prodit cognitio pendentium ex eo.

*Hæc visa natura.*

Cont. 79.

*TANGENTES igitur & alij quidam fuerunt ipsam, at non sufficienter; primum enim confitentur simpliciter fieri aliquid ex eo quod non est, quatenus Parmenidem recte dicere censent; Præterea videtur, si quidem numero vna est, & potestate vnicam esse, hoc autem differt plurimum; Nos enim materiam & priuationẽ alterum esse dicimus, & hanc quidem non esse secundum accidens, nimirum materiam, priuationem vero secundum se; Et materiam quidem propè, & quodam modo esse substantiam, priuationem vero nequaquam.*

*Institutum.*

*Diuisio.*

CVM Philosophus enunciasset ex notitia materiæ prodire solutionẽ difficultatis, potuisset quis ei obijcere, non ne & alij materiam nouerunt? curnam que ipsi quoque non valuerunt dubitationi satisfacere? Ideo institutum Philosophi est ei obiectioni occurrere; & tria facit; primo fatetur alios quoque nonnullos tetigisse materiam, & eius cõditionem sed leuiter, & per communia quędam, & ob id verum exacte inspicere non valuerunt; & hic fuit Plato, qui in Timæo, Philebo, Sophista & Lyside varia refert, ad materiæ notitiam pertinentia. Secundo vt ostendat quam leuiter id fecerint, patefacit duo præcipua eorum errata; primum est quia dixerunt id quod est, simpliciter siue per se & absolute fieri ex non ente, quod apparuit falsum; & quod Plato id dixerit, ex eo colligit Philosophus, quia Plato summopere commendabat Parmenidem, qui ostendẽs ens esse vnum, dicebat quicquid est præter ens, est non ens, igitur ens est vnum; Plato nulla vtens distinctione entis, vel vnius, absolute concedebat illud assumptum mox addebat dari non ens, ex quo res per se fierent; quod non ens, erat materia. Hæc explicatio elicitur ex Sophista Platonis 193. & ex Aristotele in hoc lib. contex. 30. Alter

error

error Platonis erat, quia videbatur ei, siquidem materia numero est vna cum priuatione, & potestate etiam esse eadem; non enim materiam a priuatione secernebat, & ideo vtriusque eandem putabat potentiam, & eodemmodo ad ortum & interitũ conspirare, non autem distincta ratione, vt censuit Aristoteles, & hic secundus error affertur tanquam fundamentum primi, Cum enim materia non distinguatur a priuatione, materia per se erit non ens, & quia ex materia res per se fiunt, fient ex non ente per se; dicere autem quod sint vnum numero, & vnum facultate, differunt plurimum; vnum enim est verum, alterum falsum, verum autem & falsum maxime differunt, falsum enim est quod sint vnum potestate, hoc est ratione, conditione, & modo concurrendi ad ortum. Nos enim materiam & priuationem alterum esse dicimus, &c.] In hac tertia parte refert Philosophus sententiam suam secernens materiam a priuatione duplici differentia; prima est quia materia est non ens secundum accidens, idest ob priuationem, hinc in prima notione non dicitur non ens, priuatio vero secundum se; Altera differentia est, quia materia est prope, & quodam modo substantia, priuatio autem minime. *Duplex differentia materię a priuatione.*

## *Caput Annotationum.*

Considerandum est primo, quod iure Aristoteles inquit Platonem tetigisse materiam, Nam Plato ne dum tetigit, sed etiam exactissime naturam, & conditionem eius patefecit, vt patet ex Timęo, Philebo, Sophista & alijs dialogis; & quamuis eam dixerit non ens, non propterea putauit esse nihil, sed infra ens; nam Deum constituebat supra ens, Ideas Menti competentes vere esse putabat, quarum imitationes, in materia apparentes dicebat esse vmbras; materiam dixit infra ens, locum imitationum & vmbrarum exemplar, diuinitatis expers, non autem nihil; vt enim ab Aristotele in primo de ortu & interitu dicitur ens potestate, non ens actu, & aliquando ens, ita a Platone nuncupabatur infra ens, & non ens pro alteritate ab ente, & imitatione. Quo autẽ pacto materia & ens & non ens dici possit in libro de materia patefeci. Insuper considerandum, quod Aristoteles de materia inquit, quod sit prope, & quodam modo substãtia; quod verum est duplici ratione, primo quia est substantia potestate, quæ est prope & quodam modo substantia; Secundo quia substantia vsurpatur dupliciter, vel pro composita collocata in prædicamento, cuius materia est pars, & dicitur prope; vel pro contradistincto ab accidente, & hoc modo substantia est. Apparet in Aristotele controuersia, nam in contex. 33. & in præcedentibus dixit veteres cõsensisse ex nihilo nil fieri, modo autem Platoni tribuit, quod dixerit res per se fieri ex non ente. Soluitur quia, vt dixi, id non ens non erat nihil sed infra ens. Insuper alia refulget controuersia; hoc enim in loco Aristoteles Platonem damnat, quia materiam dixerit non ens & eandem cum priuatione; in secundo autem de Ortu & Interitu contex. 4. inquit, quod eam putauerit & nuncupauerit hoc aliquid, at hoc aliquid vere est. Respondeo Platonem vsum fuisse hoc aliquid, non pro denotando vero ente, sed pro denotando eo quod permanet & non variatur, quod & ideis & materiæ competere dixit, hinc eam in Timæo dixit esse locum, qui nunquam interiret.

*Conciliatur Arist. cum Plat.*

*Materia prope & quodam modo substantia.*

*Controuersia prima.*

*Altera.*

*Si autem quod est magnum & paruum similiter, vel simul vtrunque vel seorsum vtrunque, Quare omnino alter est hic modus ternarij & ille. Huc vsque itaque deuenere quod oportet quandam subijci naturã, hanc tamen vnam faciunt; Et enim si quis dualitatem facit nuncupans eam magnum &* *Cont. 80.*

parum

*paruum nihilominus idem facit, alteram enim despexit priuationem; Illa enim permanens cum forma concausa est eorum, quæ fiunt vt mater; altera vero pars oppositionis sæpe videbitur non esse ei, qui ad eius maleficium animum adhibuerit.*

DIXERAT Philosophus nonnullos leuiter, nec vt satis sit, tetigisse materiam, quia eam a priuatione non secreuere: & quoniam posset quis putare eam secreuisse, quatenus materiam nuncuparunt magnum & paruum, quæ duæ voces forte duplicem subiecti rationem indicant; Ideo institutum Philosophi est huiusmodi sententiam & euasionem euertere. Diuiditur contextus in tres partes; in prima refertur quomodo materia diceretur a Platone magnum & paruum; Secundo manifestatur quid recte nouerint veteres; Tertio confirmat Platonem non secreuisse materiam a priuatione, afferens rationem. Inquit itaque, Hi autem nimirum Plato, & eius asseclæ, quod non est, hoc est materiam, quam non ens & infra ens nuncuparunt, magnum & paruum similiter, hoc est sine distinctione & varietate significatorum, appellarunt: vel enim simul, vel seorsum illæ voces proferrentur, semper tamen solam materiam denotare opinati sunt; putabat tamen Plato voces eas simul esse proferendas, vt conditionem indefinitam materiæ patefacerent. Ex quo elicitur ternarium approbatum ab Aristotele pro principijs, distingui a ternario approbato a Platone statuente magnum, paruum, & vnum; ternarius enim Platonicus est ternarius vocum, non autem distinctarum rationum, vt Peripateticus. Patefacit mox Philosophus quid tetigerint, & nouerint; id autem fuit, materiam esse necessariam pro rerum ortu; At statim repetit diminutionem cognitionis, quatenus materiam a priuatione non secreuerunt; nam quamuis vsi sint duplici voce, non ob id putarunt secerni; neglexerunt enim priuationem, & vsi sunt solo officio materiæ, quoniam materia remanet in composito vnà cum forma; & perinde ac mater est concausa compositi; quod a Platone dicebatur proles: si autem mentem adhibemus maleficio priuationis, iudicabimus eam non esse penitus, quoniam maleficium eius est interitus, cuius terminus est non esse; statim enim quod in materia imaginamur priuationem alicuius, veluti ignis, statim imaginamur eius interitum; ex quo elicitur hæc ratio. Id quod in rerum ortu perinde se habet ac mater, debet numerari inter requisita pro ortu, id vero quomodo est euersio, debet negligi; primum competit materiæ, alterum priuationi, quare materia numeranda est, priuatio autem negligenda.

*Institutum.*
*Diuisio.*
*Expositio.*
*Ratio.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

QVATVOR præsertim se offerunt explicanda, Primum est, cur materia a Platone dicta sit magnum, & paruum; Alterum quomodo materia sit concausa, tanquam mater; Tertium, quia Aristoteles videtur secum pugnare, nam ex vna parte inquit Platonem non secreuisse materiam a priuatione, ex altera ait eum neglexisse priuationem, non autem materiam, & vnam esse maleficam, alteram per inde ac matrem, quæ magnam indicant distinctionem; Quarto considerandum maleficium priuationis. Ordiens a primo, cur inquam Plato materiam magnum & paruum nuncupauerit; ternariumque constituerit a Peripatetico distinctum, Considero primo Platonem per magnum, & paruum non denotasse conditionem materiæ a priuationis conditione distinctam, sed iunctum ex vtrisque; id enim illud est, quod est indefinitum; Considero insuper quod Plato in Philebo quatuor refert ad ortum cōspirantia, nimirum infinitum, terminum, vnum,

*Quatuor cō sideranda.*
*Cur materia dicitur magnum & paruum.*

vnum, & commiſcens, quibus etiam addit quintum, quod eſt eſſentia: Infinitum eſt materia cum priuatione iuncta, quæ in Timæo dicitur magnum & paruum; terminus eſt imitatio ideæ, quæ ab Ariſt. dicitur forma; vnum eſt compoſitum, quod in Timæo dicitur proles; commiſcens, ſiue vniens eſt efficiens; eſſentia eſt Idea, cuius terminus eſt imitatio. Ariſtoteles referens ſententiam Platonis non conſiderat eſſentiam, efficiens, & compoſitum, quia ad rem non faciunt; ſermo enim eſt de principijs internis, Ideo ſolum conſiderat infinitum, quod dicitur magnum, & paruum, & terminum, quem dicit formam. Ex quo conſtat quomodo ternarius ſit diſtinctus, quia magnũ, & paruum ſolum denotat vnum, quod & infinitum & locum generationis appellat; Nuncupauit autem infinitum, ſiue materiam magnum & paruum, Primo, vt circumſcriberet & denotaret indefinitam materiæ conditionem, nam vt monuit in Cratilo, nomina debent eſſe conſona rebus, magnum autem & paruum denotant indefinitam molem, vt patet ex prædicamento quantitatis; Secundo vt ſequeretur Pythagoram, qui numeros dicebat eſſe conditionem rerum, & materiam appellabat binarium; quia vt binarius eſt initium multitudinis, ita materia; numerantes enim ſtatim poſt vnum labimur in binarium: Inſuper materiam dicebat parem, quia vt impar eſt cauſa conſimilis figuræ numerorum, nimirum quadratæ, ita par diſſimilis, quod competit conditioni materiæ; ſeruare itaque voluit Plato binarium & parem numerum pro denotanda materia: illi enim dicebantur numeri fœminini: Tertio id fecit, vt indicaret molem indefinitam coæuam materiæ; Quarto vt ſimul etiam circumſcriberet terminos oppoſitos tranſmutationum, quæ fiunt circa materiam, vt dum Elemẽta inuicem permutantur; Quinto vt indicaret materiam eſſe locum & ſedem contrariorum; Sexto quia vt pro rerum ortu poſt Deum conſideramus materiam, tanquam Chaos, ita binarius eſt numerus ille, qui vnitati tanquam Deo ſuccedit. Quærebatur ſecundo, quomodo materia diceretur concauſa eorum, quæ fiunt tanquam mater; Et quoniam Philoſophus loquitur cum Platone, ſiue de prolatis ab eo, ideo pro notitia conſideremus verba nonnulla Platonis. Legitur in Timæo, Tria nũc ſumenda ſunt, vnum quod gignitur, aliud a quo ſimilitudinem trahit, & hæc ita comparare decet; Quod recipit, materia, vnde recipit, patri, naturam horum mediam, nimirũ compoſitum vel ſaltem imitationem, Ideæ, proli, adeo vt Mens tanquam Pater impartiatur per medias rationes & ſemina imitationes Idearum materiæ, tanquam matri: Sententiam hanc Platonis conſiderat modo Philoſophus, quam explicauit Plotinus Enn. 3. lib. 6. cap. 19. at eo dimiſſo dico metaphoram ſumptam ex matre non abſolute, ſed in parte eſſe ſimilem. Similitudo in quatuor præſertim eſt poſita, primo quia ex ſententia Ariſtotelis mater ſolum patiendo, & præbendo materiam conſtituit prolem, vt etiam materia ſolum patitur; Secundo quia proles ex viſceribus matris educitur, vt forma ex potentia materiæ; Tertio, quia Mater ſeruat, fouet, & auget fœtum, vt materia tribuit molem, & extenſionem compoſito; Quarto, quia vt Mater id non efficit ſine ſemine, & officio Patris, ita nec materia ſine officio mouentis & efficientis. At perpendamus quomodo materia permanens vnà cum forma dicatur concauſa eorum, quæ fiunt. Multi dicunt eam eſſe concauſam, quia eſt interna, ſeruatur, & vnà cum forma conſtituit compoſitum. Dicitur enim concauſa, quia eſt ſimul cum re effecta, non autem ita ſe habent cauſæ externæ: quæ explicatio vera non eſt, quoniam Ariſtoteles modo cõſiderat ſententiam Platonis, & vtitur modo loquendi eius; pro cuius notitia duo ſunt conſideranda; primum eſt quod συναίτιον græce, concauſa latine, non principalem cauſam denotat, ſed inſtrumentum & id quod principali inſeruit; & quoniam apud Platonem cauſa denotat efficientem, vt dicitur in Philebo, ideò nec materia, nec forma cauſæ ſunt, ſed concauſæ, quia motæ ab efficiente eique famulantes compoſitum conſtituunt; Inſuper conſiderandum quod cauſæ diuiduntur in cauſas & concauſas; externæ abſolute dicuntur cauſæ, quia præſunt, mouent, & dirigunt internas; internæ vero vt ab eis directæ & motæ dicuntur concauſæ. Sic itaque quamuis materia & for-

*Cur materia cõcauſa.*

*Verba Platonis.*

*Similitudo materiæ & matris.*

*Materia cõcauſa.*

ma possint dici concausæ ex sententia Aristotelis quia sunt vna cum re effecta, & ambo simul compositum constituunt: vt tamen ad hunc locum pertinet dicuntur concausæ, hoc est non proprie & principales causæ, tum relatæ ad efficiens, quod solum a Platone dicebatur vere causa, tum relatæ ad externas, quæ absolute causæ, hæ vero concausæ apud Academicos nuncupabantur; & dicuntur cócausæ eorum quæ fiunt, hoc est compositorum, quæ similia sunt Proli.

*Solutio tertia.*

Dicebatur tertio, quod Aristoteles videbatur secum pugnare; Respondeo Aristotelem recte nouisse Platonem per materiam denotasse subiectum priuatum, quod magnum, & paruum nuncupauit; quod subiectum cum duplicem includat rationem, vnam materię, alteram priuationis ait, rationem priuationis vt seiunctam ab ea materiæ neglexisse, non numerando eam pro principio distincto generationis, nec pro distincto a materia, sed pro nihilo habuisse, cum sit absentia formæ, interitus, & non ens; Postremo considerandum proponebatur maleficium priuationis; nam inquit Philosophus, altera pars oppositionis sępe videbitur non esse ad maleficium eius adhibenti mentem.

*Maleficium priuationis.*

Maleficium priuationis profecto maximum est, vt enim in attinentibus ad naturam esse est optimum, ita non esse est deterrimum; at statim quod in materia consideramus priuationem alicuius, consideramus eius interitum; priuatio enim est absentia & interitus formæ; vtitur Philosophus hoc loquendi modo, sæpe videbitur non esse; ait sæpe, hoc est dum consideratur secundum se, nam ex accidenti est ens.

*An priuatio sit principium interitus secundum se.*

*Lud. Bocc.*

*Euersio.*

At quæret aliquis num priuatio debeat dici principium interitus secundum se? Ludouicus Boccaf. nec non Suessanus id affirmant; nam terminus non differt a via: terminus interitus ad quem, est priuatio, ideo priuatio est interitus; & cum sit interitus nón debet dici quod ex accidenti nectatur cum eo, vel sit principium eius; Hæc opinio mihi videtur dubia, quia Arist. generationis & interitus communia assignauit principia, quæ vt vnius, ita alterius principia essent vel secundum se, vel ex accidenti, & prępertim quia oppositorum eadem est ratio. Confirmo, quia Aristoteles dubitans an ens fiat, similiter dubitabat an intereat, & vt soluit de ortu inquiẽs ex accidenti res fieri ex non ente, ita putandum est soluisse de interitu, alioquin diminute soluisset. Confirmatur quia (vt recte ait Philoponus) Principia, vt sunt entia, ita sunt principia; quare cum priuatio solum sit ens secundum accidens, etiam solum secundum accidens potest dici principium siue ortus, siue interitus; Quare dicamus priuationem relatam ad ortum vel interitum esse principium per se, relatam vero ad rem, quæ gignitur vel interit, esse principium secundum accidens; id enim quod interit secundum se in ea interit, ex quibus constat, at solum constat ex materia & forma, ideo secundum se desinit esse forma, remanet autem materia; priuatio potest quidem dici interitus, cum sit non esse, & absentia, & non per se principium rei corruptæ. Hoc nos docuit Aristoteles in præcedentibus inquiens satis esse formam, quæ sui præsentia & absentia constituat mutationes, indicans priuationem solũ ex accidenti esse principium vtriusque.

*Dubitatio.*

At obijciet aliquis omne principium boni, & generationis est beneficium, priuatio est principium boni & generationis, quare benefica est;

*Solutio.*

Respondeo priuationem esse principium boni ex accidenti, & cum suo recessu, vt etiam ægritudo in laborante est causa vt sanitatem quærat; in vniuerso autem nil adeo est malum, quin Dei Prouidentia dirigatur in bonum, bonoq; seruiat.

*Cont. 81.*

*EXISTENTE enim quodam diuino bono & appetibili, aliud quidem contrarium ei dicimus esse, aliud autem quod sui natura aptum est appetere id: Quibusdam autem accidit contrarium appetere sui ipsius interitum; Attamen neque se ipsum apta est appetere forma, propterea quod non eget, neque contrarium; mutuo enim se contraria destruunt; sed hæc est ma-*

teria,

*teria, ut fœmina marem, & turpe pulchrum, verum non ex se turpis est; sed secundum accidens, neque fœmina sed secundum accidens.*

NECTITVR hic contextus cum antecedente, & inducitur vario modo. Ego ita inducendum puto; Cum Philosophus materiam dixisset similem matri, priuationem vero maleficam, institutum modo eius est manifestare quomodo sit similis matri, & per relationem ad ortum distinguatur a priuatione, conspirando ad eam vario modo. Hinc Philosophus assignaturus rationem dictorum vtitur particula enim denotante causam & rationem. *Institutum.* Diuiditur contextus in quattuor partes; in prima numerantur tria requisita pro quauis appetitione; in secunda ducit Platonem non secernentem materiam a priuatione in conspicue absurdum; in tertia patefacit quomodo materia formam optet; in quarta quomodo sit mala & fœmina. *Diuisio.* Redeundo ad primam partem, duæ sunt eius aliorum expositiones; quidam aiunt Aristotelem per diuinum, &c. denotasse Deum, cui materia recipiendo formam optat reddi similis: Alij denotasse genus materiatarum formarum, quas materia appetit, & probabiliter possent defendi; quia tamẽ expositiones illæ nil artificiosi patefaciũt, & quia Aristoteles vtitur vocibus communibus, non autem ad aliquod definitum genus se contrahit, ideo puto Aristotelem mira Arte euersurum sententiam Platonis primo iacere fundamentum, ex ipsomet Platone in Lyside depromptum, numerãdo tria pro quauis appetitione requisita, adeo vt loquatur indefinite & vniuerse, non autem de re aliqua definita; *Expositio.* Primum quod requiritur est appetibile; quod secundum se obtinet conditionem boni; omne enim appetitur, quia indicatur bonum; Alterum est oppositum rei appetibilis excitans appetitum; tertium est appetens. Hæc tria in omni appetitione locum habent; vt explicat Plato in Lyside, siue in dialogo de amicitia. Primum denotat Philosophus inquiens, existẽte quodam diuino bono & appetibili, quodcunque sit illud; ea tria subiecto sunt idẽ, distinguuntur ratione; nam Diuinum dicitur, quia est conditio Dei, vel ex Deo ducitur; Bonum vero secundum gradum suæ naturæ; optabile demum relatum ad ea, quæ illo egent; Diuinum est vt principium, bonum tanquam medium; optabile vt finis facultatum appetentium; Quia est Diuinum, ideo est bonum, & quia bonum optabile; Potest esse Diuinum bonum & optabile, vel vere, vel quia apparet; insuper potest esse bonum vel absolute, vel alicui; Demum vel ex se, vt Deus, vel per participationem. Refert deinde Philosophus alterum pro appetitione requisitum inquiẽs; hoc quidem contrarium ipsi dicimus esse; Requiritur contrarium rei appetibilis, quod competat vel appetenti, vel saltem ei, pro quo appetimus, quod esse debet non vere contrarium, sed priuatio rei optabilis; hæc sola est necessaria; quia recipiens debet esse nudatum eo quod recipere debet; si autem fuerit vere contrarium, id ob inclusam priuationem necessarium est, ob contrarietatem vero est tanquam calcar & stimulus; vt frigus nos excitat ad appetendum calorem. Insuper requiritur, vt id contrarium non sit congruens naturæ appetentis, vt calor nobis secundum naturam congruens non excitat appetitum frigoris; vt docet Plato in Lyside. Affert deinde tertium, quod requiritur, & est appetens, inquiens hoc vero quod aptum est expetere ipsum sui natura; & hoc illud est quod per appetibile perfici debet, quod cum sit potestate, quatenus perfectibile & potestate est, dicitur aptum appetere, ac ita cum reduplicatione & per se, tale appetens est tanquam medium aptum fieri vtrunque extremum; sic materia appetit in secunda sui notione, dum cõsideratur vt est potestate, & perfectibilis. [Quibusdam accidit contrarium expetere sui ipsius interitum, &c.] Hæc est pars secunda in qua Platonem non secernentem materiam a priuatione deducit in conspicue absurdum; & est vt illud contrarium appetibili, secundario requisitum, expetat suimet interitum; & ratio ita formatur; materia secundum se appetit formam, Per Platonem pri- *Ratio.*

natio est eadem cum materia, igitur ea secundum se formam sibi contrariam expetet, contrarium autem vnum est interitus alterius, quare expetet sui interitum. Manifestat mox in tertia parte materiam esse id quod formam appetit, vt pateat quomodo *Ratio.* Plato in id absurdum labatur, & veritas propriæ sententiæ. Ratio autem ita formatur; id, quod formam appetit vel est forma, vel priuatio, vel materia; non est forma, quia appetens eget appetibili, nil autem eget seipso; non est priuatio, quia mutuo se destruunt; Quare hoc appetens materia est, quę ita formam appetit, vt turpe pulchrum, & fœmina marem. Hac metaphora etiam vtitur Plato in Timæo inquiens, tria nunc genera sumenda sunt, vnum quod gignitur, aliud a quo similitudinem trahit; Quæ ita comparare decet, Quæ recipit, matri, vnde recipit, Patri naturam horum mediam proli, quæ natura media est compositum; ex sententia tamen Platonis, Pater est Mens per ideã; ex sententia vero Aristotelis est efficiens proximum, simile specie proli. Demum manifestat Philosophus quomodo materia sit turpis, & fœmina inquiens, præterquam non ex se mala, sed secundum accidens, neque ex se fœmina, sed secundum accidens; profert hoc Philosophus, vt manifestet Platonem vere labi in id absurdum, quia non secernens materiam a priuatione coactus fuit putare eam esse malam & fœminam secundum se; at ex sententia Aristotelis materia est mala & fœmina ob iunctam & ab ea distinctam priuationem.

## *Caput Annotationum & Dubitationum:*

VARIA se offerunt digna accurata consideratione; verum quia in libro de materia exacte fuerunt discussa, nõnulla breuissime explicabo. Quæ- *An materia appetat formam.* ritur primo an materia appetat formam; soluitur eam non expetere appetitu proxime sequente cognitionem, vt appetunt animalia; nec appetitu sequente formam, vt grauia appetunt locum deorsum, sed appetitu sumpto pro facilitate suæ conditionis & ordine in formam; est enim materia ad formam facilis & Dei prouidentia ordinata in eam; Et appetit seruare eam quam habet, idque præsertim optat, & cum eam seruare non valet, se præbet facilem pro futura. Materia considerata cum aliqua externa dispositione dicitur appetere eam formam pro qua est parata; considerata vero prorsus sine externa dispositione, cum æque sit facilis ad varias formas, dicitur primo appetere quatuor formas elementorum, mox mediantibus illis cæteras, & demum, vt quo ordine est apta sui natura formas recipere, eodem dicitur eas appetere. Quæritur secundo an materia formam appetat secun- *An materia formam appetat secundum se.* dum se; videtur quod non, quia formam appetit ob priuationem ei iunctam; hæc in prima notione non dicitur eam appetere, cum appetitus priuationem præsupponat. Respondeo appetere formam per se, potest intelligi dupliciter, vel vt per causam prin- *Solutio.* cipalem, vel vt per necessario requisitum. Materia vt per causam principalem per se optat formam, quia hoc ei competit per propriam conditionem & rationem ab ea priuationis distinctam, appetit enim quia ex ea & forma tãquam ex perfectibili, & perfectione vnum per se fit; Vt vero per necessario requisitum pro appetitu, dicitur appetere ob priuationem ei iunctam, quæ priuatio non est causa appetitus, sed occasio, & aliquid necessario requisitum pro appetitu. Et quod res ita se habeat, patet considerando materiam Artificialium, quæ cum sui natura non sit facilis ad formam, sed per violentiam eam recipiat, non dicitur sui natura formam appetere, quamuis ea sit priuata; Appetit itaque sui natura & conditione materia formam, at non sine antecedente priuatione. Quæritur tertio an dicere valeamus priuationem appetere formam; *An priuatio appetat formam.* videtur quod sic, quia bonum omnia optant, & propter quod vnumquodque & illud magis; per priuationem appetimus, quare longe magis priuatio dicetur appetere. Re- *Solutio.* spondeo priuationem non posse per se appetere, quia per se est non ens, solum est ens secundum accidens, nimirum vt consignificat materiam, & ita secũdum accidens, hoc

est per materiam appetit, solum dicere valemus eam dirigi in bonum, & requiri pro bono; nec de ea seruatur regula Propter quod vnumquodque &c. quia non est vere & proprie causa appetitus, vt dixi. Quæritur quarto an forma appetat materiam; & dicendum quod forma, quæ in materia est, appetit in ea materia pro facultate seruari; nam appetere aliquid contingit dupliciter vel vt finem, vel pro fine; vt appetimus sanitatem & medicamenta.

*An forma appetat materiam.*

Quæritur quinto, an verum sit quod appetitus exposcat priuationem; id enim dubium est, tum quia Deo tribuimus appetitum, cui tamen nil deest, tum insuper quia frequenter etiam dicimur ea appetere, quæ possidemus, vt sanitatem, diuitias, & similia.

*An appetitus exposcat priuationem.*

*Solutio.*

Soluitur dicendo priuationem necessariam semper esse pro appetitu, sed non in appetente; nam requiritur priuatio in eo, pro quo appetimus; si appetimus pro nobis, requiritur in nobis; si pro alio, in alio: Deus non appetit pro se, quia non eget, sed pro alio, quod denotamus dicentes, Deus vult omnem hominem saluum esse; ita etiam medicus & amicus optant sanitatem pro alio laborante: insuper priuatio est duplex vel pro præsenti, vel pro futuro; dum sumus sani, non optamus sanitatem pro tunc quando sumus sani, omne enim quod est, quando est, necesse est esse, sed pro futuro, de quo timemus & non possidemus, vt recte docuit Plato in Conuiuio.

*An aliquid optet sui interitum.*

Dubitatur sexto, an aliquid possit expetere sui interitum. Aristoteles id dereliquit vt conspicue absurdum, cuncta enim per naturæ instinctum cupiunt esse, & vitant pro facultate non esse; nam interitus est malum aliquid, id autem quod optatur, bonum est.

*Solutio.*

Soluitur interitum per se non optari, cum malus, & vltimum terribilium dicatur, optari tamen ex accidenti; & id contingit dupliciter vel ob imbecillitatem pro vitando præsenti malo, vt qui ob amorem, vel paupertatem se necarunt; vel ob fortitudinem pro assequendo maiori bono, vt Paulus, cupio dissolui & esse cum Christo, vel pro vitando deteriore scelere: at de his latius in Philosophia Ciuili.

*Controuersia.*

Septimo dubitatur, quia Aristoteles videtur secum pugnare; primo inquit contrarium non appetere suum contrarium, mox ait turpe appetere pulchrum, quę contraria sunt. Respondeo turpe duo denotare, subiectum & turpitudinem; subiectum quod neutrum & medium dicitur pulchritudinem appetit; si quis turpitudinem non secerneret a subiecto, vt Plato priuationem a materia, ille in absurdum laberetur, quod contrariũ optaret suum contrarium, & interitum.

*Q̃uo fœmina marem optet.*

Dubitatur octauo, quia Aristoteles inquit fœminam appetere marem; quæritur quomodo id intelligi debeat. Nonnulli aiunt fœminam optare se esse marem, alij optare parere marem; at hæc ad rem non faciunt; nec respondent metaphoræ & instituto Aristotelis; non enim materia appetit se esse formam, nec formam vt fœtum seorsum existentem parere, sed necti cum forma, vt inde prodeat compositum tanquam proles; similiter fœmina appetit necti cum mare, vt inde prodeat compositum, tanquam proles; ac ita etiam respondet metaphoræ Platonis, qui considerabat causam efficientem, materiam tanquam matrem, compositum vt prolem. At dicet aliquis, si consideramus appetitum connubij & connexionis, nędum fœmina appetit marem, sed etiam mas fœminam, & quidam censent quod magis eam appetat, quam vice versa appetatur.

*An mas optet fœminã.*

Respondeo appetere aliud contingit dupliciter, vel tanquam bonum optabile vt finem, de quo Aristoteles loquitur, vel tanquam necessarium pro fine; fœmina per naturam appetit marem vt bonum optabile includens perfectionem & finem; mas vero per naturam appetit fœminam vt necessariam pro fine, velut agricola appetit fœcundam terram pro fructu & fine; & si quis secus appetit fœminam, ille est appetitus præter naturam. Demum dubitatur an verum sit id quod dicitur a Philosopho, quod materia sit fœmina & turpis secundum accidens; aduersus quod multa pro Platone dicuntur a Plotino in lib. de materia: num tale vnumquodq; iudicari sui conditione debet, quale remanet, ablato omni eo, quod ab alio ei tribuitur; at ablato vniuerso genere materiatarum formarum nil aliud remanere imaginamur nisi indefinitum, priuatum, & turpe aliquid: confirmatur, quia ex sententia Aristotelis materia sui natura & conditione est potestas; Potentia est tan-

*Q̃uo Materia sit fœmina & turpis.*

quam fœmina & turpe, cum includat priuationem, quare materia ex se non secundum accidens fœmina & turpis est. Hinc legitur in quarto Phy. contex. 15, cum remouentur termini & affectiones a sphæra, relinquitur nihil præter materiam, at id quod relinquitur profecto indefinitum & informe est. Soluens dico materiam ex se esse turpem & fœminam dupliciter posse intelligi, vel per se in primo modo, adeo vt ea sit essentia eius; vel per se in secundo modo, quia ea turpitudo sequatur conditionem materiæ, dum materia in secunda notione refertur ad aliud, tanquam affectio vnà cum potentia includente relationem ad formam. Aristoteles negat esse per se primo modo, adeo vt non distinguatur ab essentia materiæ; non negat secundo modo. Academici non distinguentes modum vnum ab altero absolute affirmant materiam per se turpem; ita patet conditio priuationis, & quomodo materia sit & nõ sit per se turpis, nec non concilium opinionum. At obijciet aliquis; id, quod alicui per se competit, non potest perire superstite eo, cui competit, priuatio autem præsente forma euanescit superstite materia. Respondeo eam regulam esse veram de his, quæ per se competunt absolute, non autem de sequentibus relationem, quæ variantur per varietatem relatorum. Insuper interitus priuationis nil aliud est nisi exequutio officij eius; competit enim materiæ vt eam reddat aptam pro recipienda forma, & interit priuatio huius vel illius non absolute, veluti cum homini per se competat, vt sit disciplinæ capax, quamuis disciplinam suscipiat, non ob id absolute perit ea facultas recipiendi, sed potius fungitur officio, cuius gratia parata erat.

Cont. 83. *CORRVMPITVR autem & fit est quidem vt sic, est autem vt non; quatenus enim est id in quo, secundum se corrumpitur, quod enim interit in hoc est priuatio, quatenus autem secundum potentiam non per se; sed incorruptibilem & ingenitam necesse est esse ipsam; Si enim fiat, subijci aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat; hoc autem est ipsius natura; quare erit antequam fiat. Dico autem materiam primum subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens, & si quid interit in hoc abibit vltimum; quare corrupta erit antequam corrumpatur.*

PATEFACTA necessitate materiæ, ostenso per analogiam quid sit, posita differentia inter eam & priuationem, declarato cæteros leuiter tantum eam attigisse, quomodo appetat formam, & turpis sit, vt absoluat eius declarationem, manifestat in præsenti contex. quam fiat & intereat, ac etiam quomodo nec fiat, nec intereat; ex quo etiam patebit maleficiũ
*Institutum.*
*Diuisio.* priuationis, & distinctio eius a materia. Diuiditur contex. in tres partes, in prima de-
*Expositio.* claratur quomodo materia sit & non sit expers generationis & interitus; in secunda declaratur ea secundum se non gigni; in tertia non interire. Vt pertinet ad primam partem inquit Philosophus Materiam partim gigni & interire, partim non; nam materia dupliciter consideratur, primo ex parte priuationis ei iunctæ ac ita gignitur & interit; secundo ex parte suæ essentiæ, secundum quam nec gigni nec interire valet; variatur propria ratio priuationis, seruatur semper propria ratio & essentia materiæ; si enim fieret, subijci aliquid oporteret, ex quo inexistente fieret. In hac secunda parte ostẽditur materiã non gigni, & ratio ita formatur; oẽ quod gignitur, ex aliquo inexistente gignitur, materia non valet ex tali inexistente gigni, quare non gignitur: maior

patet ex eo quod est ostensum, pro omnium ortu necessariam esse materiam; minor ostenditur, quia id, ex quo inexistente res fiunt, materia est; quare si materia fieret, ea esset antequam fieret, id enim ex quo fit aliquid antecedere debet. Quod autem id ex quo res fiunt sit materia, ostenditur per definitionem eius, quæ hæc est; Materia est primum subiectum, ex quo inexistente per se res fiunt, & in quod ea, quæ pereunt, resoluuntur. Ex prima parte definitionis elicimus materiam non posse gigni, quia esset antequam fieret; ex altera vero quod nequeat interire, quia omne quod interit demum in primam materiam resoluitur; at ipsa iam simplex est, & terminus resolutionis postremus, quare erit corrupta antequam corrumpatur, & simul erit, & non erit, quod maxime est absurdum. Hæc est sententia verborum.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Materiam Philosophi omnes putarunt æternam.*

VT pertinet ad principalem conclusionem, quæ est materiam secundum propriam essentiam, nec oriri nec interire posse, considerandum est de hoc Philosophos omnes consensisse; omnes enim eam indicarunt æternam, nec putarunt posse gigni, quia re vera per naturam gigni non potest, vt dicitur in secundo Phy sic, contex. 10. Theologi tamen recte nouerunt eam non per generationem, sed per creationem recepisse principium, ex quo etiam constat Aristotelem nullo pacto creationem nouisse; nam ex eo quod materia per propriam generationem fieri non potest, absolute intulit nec gigni, nec interire posse, quod non fecisset, si putasset secus, ac per veram generationem ex non esse eam posse constitui in esse. Considerandum secundo, quod declarans Philosophus materiam per priuationem interire, inquit, vt enim id in quo, secundum se interit, hoc est dum consideratur ratio propria priuationis, quæ inest materiæ, ea ratio secundum se interit, hoc est non per materiam, sed ex se vt terminus a quo; ideo statim addit, quod enim perit in hoc est, priuatio; per hanc explicationem diluuntur duo dubia; Primum est, quia cum priuatio sit non ens, non videtur vt non ens, & secundum se posse corrũpi; alterum est, quod si materia interit per priuationem, non recte dicitur corrumpi secundum se, ideo nonnulli aiunt debere legi secundum hoc nimirum per priuationem. *Quo materia per priuationem intereat.* Soluitur prima dubitatio, quia priuatio dicitur interire secundum se, nõ quia proprie intereat, sed quia interitus ei competit ratione propria, non per aliud vt materiæ: & dum a Philosopho dicitur, secundum se corrumpitur, id non debet intelligi de materia, sed de propria ratione priuationis; nam considerat materiam & priuationem, vt vnum numero, præditum duplici distincta ratione; & considerando rationem priuationis dicit secundum se corrumpitur, quia non per rationem materiæ, & se declarans inquit, quod enim interit est priuatio, at si consideratur propria ratio materiæ, ita nec gigni, nec interire valet. At instat adhuc & vrget ambiguitas, quia si priuatio perit, dabitur absentia absentiæ, priuatio priuationis, non ens transibit in non ens, & erit corruptum antequam corrumpatur, & demum dabitur interitus ipsius interitus; priuatio enim est quidam interitus. *Dubitatio.* Respondeo, priuatio non est omnino non ens, vt negatio, sed consignificat subiectum, eique tribuit denominationem ac insuper affirmatione denotatur, vt dicitur in quinto Metaphysicæ, veluti nudus, edentulus, & in secundo Phy sic. 15. dicitur quædam forma; quæ præsertim vera sunt de priuatione proxima: & demum vt priuationi competit esse, ita competere potest interitus. *Solutio.* Sed dubitatur, quia Aristoteles dubitat de Ortu & Interitu, mox explicat de solo interitu, inquiens, quod interit, priuatio est, de ortu non loquitur, & non patet quomodo priuatio oriri valeat, & materia ex accidenti per eam. *Dubitatio.* Respondeo, vel loquimur de priuatione communi & indefinita, quæ est eadem numero cum prima materia, vel de proxima prodeunte ex antecedentibus dispositionibus, & iuncta cum antecedente forma; si de prima loquimur, ea non fit, sed materiæ naturam sequitur; solum dicitur cõ- *Solutio.*

siderari

siderari in materia, dum per rationem refertur ad formam, & desinere in parte dum adest forma; absolute tamen nil positiui in materia desinit, vel incipit esse: si vero de altera loquimur, ea vere incipit & desinit, dum incipiunt vel desinunt esse antecedentes formæ vel dispositiones. Considerandum tertio quod Aristoteles loquens de propria ratione materiæ inquit, Quod vero ad potentiam, non secundum se interit, per potentiam denotauit essentiam materiæ, & dicens non interit secundum se, indicat se prius denotasse per priuationem non secundum se, sed ex accidēti interire, adeo vt priuatio secundum se intereat, materia ex accidenti per priuationem, secundum se autem nec fiat nec intereat. Insuper considerandum quod essentiam materiæ nuncupauit potentiam, quod quidem est verum accipiendo potentiam pro fundamento, pro gradu entis, & pro absoluto, non autem pro superaddita resolutione; hæc potentia semper comitatur materiam in qualibet notione, & nunquam interit, sed perficitur per formam. Quinto considerandum, quod iure Aristoteles ostensurus materiā nec gigni, nec interire, affert definitionem materiæ; ex definitione enim subiecti, elicitur ratio affectionum ei competentium. Definitur materia in secunda notione, vt consideratur a Physico, & cum alibi solum definiatur per generationem, quia ad eam dirigitur secundum se, hic tamen etiam definitur per interitum, vt ex definitione elici possit vtrunque, nimirum, quod nec oriatur, nec pereat. Elicitur hæc definitio materiæ ex analogia, per quam dicebatur nosci materia, & elicitur non proxime, sed intermedia aliqua ratione, ex sensu & experientia notis deprompta. Definitur prima materia, quia quamuis ad hunc librum pertineat consideratio materiæ communis, & vniuersæ, tamen dū sermo est de his quæ sunt ab vno, primo & proprie considerari dicitur id quod in eo genere est primum. Pro genere accipitur subiectum, quia est communius, & notius quam prima materia, cum conspicue dicatur de subiecto accidentium. Additur primum, quia materia prima est subiectum primum origine, vltimum resolutione: secundum subiectum sunt Elementa, tertium mixta similium partium, quartum membra, quintum composita, quæ sunt subiectum accidentium, sextum est subiectum motus secundum locum. Cum materia sit subiectum primum, etiam est subiectum formæ substantialis, quæ prima est. Insuper cum sit subiectum primum, etiam est commune omnium mortalium, id enim quod est primum origine, præsupponitur ab aliis. Sequitur ex quo fit aliquid, dicitur aliquid, tum quia non omnia fiunt, tum insuper, quia ea quæ fiunt sunt particularia; similiter dicitur & si quid interit in hoc abibit vltimum, nam primum origine, est vltimum resolutione; Et cum dicatur in hoc abibit vltimum, indicatur non semper fieri resolutionem in primam materiā, sed solum per resolutionem postremam; & dicitur compositum resolui in primam materiam, dum nil eius remanet præter eam; vt dum aqua vertitur in ignem. Cætera attinentia ad definitionem materiæ, & ad id num potentia sit eius essentia, exacte sunt explicata in libris de materia; ideo prætermittuntur. Occurrunt demum varia dubia; Quæritur primo, cum materia dicatur oriri & interire per priuationem, num etiam oriatur & intereat per formam? Dubitatur secundo quia Aristoteles tertio cœli 61. ait æternorum æterna, mortalium mortalia esse principia, nunc autem mortalium statuit Principia æterna; Tertio dubitatur, cum per materiam composita pereant, ea maxime videtur perire per regulam Propter quod vnumquodque &c. Quarto dubitatur, quia si materia est æterna, compositum & forma mortalia, & æterna præstantiora sunt mortalibus, materia præstabit vtrisque: Quinto cum compositum vltimo dicatur resolui in materiam primam, num etiam dicatur resolui in formam? Sexto dubitatur, quia Aristoteles 10. Metaphysicæ contex. 26. inquit nil interire secundum accidens, hoc autem in loco ait materiam solum ex accidenti interire. De prima difficultate dico materiam rectius dici interire ex accidenti per priuationem, quam per formam, tum quia dicuntur idem numero vt patefeci, tum insuper quia priuatio est affinior cōditioni materiæ, & tanquam eius affectio; per formam autem dicitur fieri & interire

*Essentia materiæ per potentiam denotatur.*

*Cur tradatur definitio materiæ.*

*Genus materiæ subiectum.*

*Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.*

*Solutio primæ.*

compo-

compositum, materia prima non denominatur gigni vel interire per formam, sed solum subiectum accidentium, vt homo dicitur fieri musicus, vel interire secundum accidens per interitum musicæ. De secunda difficultate dico principia propria mortalium esse mortalia, principium autem commune, qualis est materia, sat est vt intereat secundum accidens; dum enim interit secundum accidens per interitum priuationis, est principium generationis. Dicebatur tertio composita perire per materiam & propter quod vnumquodque, &c. Respondeo per duo fundamenta; primum est, quia regula vera est de illis, quæ sunt ab vno, adeo vt affectio competat primo & per id alijs, de interitu relato ad materiam non sic se habet; Alterum est quia materia non est causa integra, nec principalis interitus, huiusmodi sunt contraria & corrumpentia, materia est causa sine qua non, & locus interitus & ortus. Obijciebatur quarto, quia sic materia præstaret formæ & composito; legitur enim in 9. Metaphysicæ æterna præstare mortalibus: Respondeo æterna actu præstant mortalibus, non æterna potestate vt materia: Insuper æterna supra ortum præstant mortalibus, non æterna infra ortum, vt materia, quæ ortui & interitui subijcitur; demum æterna, quæ non intereunt ex accidenti, præstant, at materia ex accidenti interit. Dubitabatur quinto, num compositum dicatur etiam resolui in formam: Respondeo non resolui vltimo in formam, sed in materiam, quia materia vt est prima origine, ita est postrema resolutione; Insuper rectius dicitur resolui in materiam, quia ea remanet & seruatur, forma autem perit. Dicimus tamen compositum etiam resolui in formam, quia vnumquodque compositum dicitur posse resolui in sua componentia, & id præsertim fit per intellectum & rationem; ideo Aristoteles de homine musico dixit resolui in hominem & musicum, quia definitio compositi resoluitur in definitiones componentium; Demum dubitabatur, quia ex decimo Metaphysicæ nil interit secundum accidens; Respondeo interire ex accidenti posse dupliciter intelligi, primo vt pereat non principaliter, sed per consequutionem & secundario, ac ita multa pereunt ex accidenti; Secundo vt cum sit aptum interire non intereat & valeat non interire; & hoc non conceditur ab Aristotele, omne enim mortale necessario interit, & nullum mortale seruari valet æternum; & hoc est quod dicitur in calce decimi Metaphysicæ quod sententiæ hoc in loco prolatæ non aduersatur.

*Solutio secundæ.* *Solutio tertia.* *Solutio 4.* *Solutio quintæ.* *Solutio sextæ.*

*DE Principio secundum formam, num vnum vel plura sint, & quale vel qualia, primæ philosophiæ officium est exquisite decernere; quare in id tempus reijciatur. De Physicis autem & corruptibilibus formis in posterius demonstrandis dicemus. Quod igitur sint Principia, & quæ & quot numero, determinatum sit a nobis sit; Rursus autem aliud principium sumentes dicamus.* Cont. 83.

C[illegible] numero principiorum & absoluta declaratione materiæ eique iunctæ priuationis, cupiens Philosophus primo libro congruentem tribuere finem, quia posset quis putare modo declarandam esse primam formam, quæ est tertium Principium, Ideo in præsenti contextu quatuor facit; primo reijcit considerationem principij secundum formam in primam philosophiam; Secundo in sequentibus proponit agendum de formis Physicis; Tertio dicta colligit; demum ad dicenda nos dirigit; ait in prima parte, de Principio secundum formam; hoc ex ponitur vario modo; nonnulli putant denotari vniuersum genus formarum materialium, quod non est dicendum, quia tale genus est

*Insistit unum.* *Diuisio.* *Quid per Principiū secundum formam.*

nus est

nus est natura, de qua agitur in secundo Physic. insuper denotatur ea forma, quæ contradistinguitur a mortalibus; alij hoc referunt ad Deum, quod etiam verum non est; quia non quæritur de Deo quot, & qui sint; Ideo hoc referri debet ad genus separatarum formarum, & hoc respondet contextui 43. duodecimi Metaphysicæ, quo loci ostenso dari genus separatorum a materia, quærit an huiusmodi formę & motores sint vna vel plures, & ostendit esse tot, quot sunt orbes cœlorum: Et hoc proprie est principium secundum formam, quia principij nomen proprie denotat primum, hoc autem genus est absolute primum. At obijciet aliquis, quia hoc non est id, quod sumptum sit pro principio generationis mortalium, ideo non videtur ad rem facere. Respōdeo re vera non esse illud & propterea non attinere ad Physicum, sed ad diuinum; est tamen principium secundum formam absolute; & posset quis putare quod vt prima materia, ita illud primū, attineret ad Physicum, ideo Aristoteles hoc reijcit; & quod hoc denotet, conspicue ex eo patet, quia ei generi opponit genus Physicarum formarum mortalium; de eo itaque in prima philosophia quæret an sit vnum vel plura; nam primum absolute ostenditur vnum, & est Deus; primum autem in vniuerso genere separatorum, est multiplex: de hoc exacte agere, & tanquam in proprio loco, attinet ad Metaphysicum; dicit exacte quia confuse, obiter, & tanquā in loco alieno etiam in Physicis nonnunquam de eo est sermo; hoc dicitur genus formæ, quia est actus, & saltem est forma assistens; Metaphysica autem dicitur prima philosophia, quia est prima absolute & sui conditione, quamuis sit vltima, & post naturalia ex parte nostri. [De Physicis & corruptibilibus in posterius demonstrandis dicemus.] Hæc est pars secunda in qua proponit in sequentibus agendum de eo formarum genere, quod est natura, ad Physicum pertinet, & pro principio generationis constitutum est, quod genus formarum rectius natura, quam naturale dici meretur; vsurpatur tamen naturale latius, vt etiam dicitur de natura, quatenus pertinet ad naturalem scientiam. Forma Physica & mortalis inuicem reciprocantur, nam si est Physica pendet ex materia, & mortalis est, & vice versa; & intelligi debet genus formarum substantialium, quia hoc, non autem accidentia est natura; accidentia autem considerantur ob connexionem, & per consequutionem. De hoc genere formarum in posterius dicendis erit sermo; nam de eo vniuerse, vt est natura, sermo erit in prima parte secundi Physic. singulatim autem & in specie agetur in alijs libris. [Quod igitur Principia sint, & quot, & quæ definitum sit hoc modo.] Hæc est pars tertia in qua vtitur Epilogo respondente Procemio; proposuit in primo textu primo agendum de Principijs; colligit modo se id seruasse, ex quo constat quid eo loci nomine Principij denotauerit; nam sequens veteres denotauit interna Principia generationis. De his ait se declarasse quod sint, id autem fecit partim ex accidente, reijciendo falsas veterum opiniones euertentes Principia, partim indutus habitu dialectico, vel Metaphysico, nam in contex. 8. dixit id proprie ad Physicum non attinere; de his insuper declaratum ait quot sint, nimirum tria, & quæ, hoc est materiam, formam, & priuationem. [Rursus alio sumpto principio dicamus.] Hęc est pars postrema, in qua accingitur Philosophus & nos dirigit ad dicenda.

*Dubitatio*

*Solutio.*

*Metaphysica est prima philosophia*

Caput

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

QVAERETVR primo, quod principium denotet Philosophus, dum postremo ait, alio principio sumpto dicamus. Auer. hoc exponit tripliciter, primo quod denotetur primus motor, de quo est sermo in 8. Physi. in cuius gratiam cætera declarantur; quæ sententia non est vera, nam primus motor in 8. Physic. gratia alterius, nimirum æterni motus inquiritur, & proprie ad Physicum non pertinet, sed iam reiectum est in primam Philosophiam; Secundo exponit quod denotetur principium aliud doctrinæ, quatenus absolute & re vera principium naturalis scientiæ, statui deberet secundus liber; quæ sententia vera non est, vt patebit in procemio secundi libri; nam liber hic in quo versamur absolute primus statui debet, non ex accidenti, vt quidam aiunt. Ideo tertio exponit quod denotetur natura, quæ est principium motus, & corporis Physici, de qua mox agetur; hoc profectò est probabilius, at non apparet ratio connexionis, & cur dicatur Principium aliud. Propterea dicamus, cum Philosophus pro exacta Principiorum declaratione quatuor sibi explicanda proposuerit, nimirum ex quibus principijs intrinsecus res fiant, secundo ex quibus Elementis res genitæ cõstent, tertio per quas causas cognoscantur, demum qui nam sit modus operandi naturæ, absoluto primo capite, iure nunc ait, Alio principio sumpto dicamus; Hoc autem erit principium secundi capitis, principium libri, Principium rei quę consideratur; ea enim est Natura, Principium communis diuisionis, nam in primo libro contex. 6. Orsus est a diuisione principiorum, nunc vero ordietur a diuisione eorum, quæ sunt; Insuper considerandum ex hoc contex. conspicue elici non dari formam corporis ad prædicamentum substantiæ pertinentem, quæ sit coæua materiæ; nam Aristoteles solum ponit principium in genere formæ a materia solutũ, & formas Physicas ac mortales; ea forma corporis neutra harum est, vt patet, & pręsertim, quia si daretur, vt materia, ita ea ad Physicum pertineret; at Aristoteles de Physicis & mortalibus proponit agendum. Insuper considerandum conspicue refulgere errorem eorum, qui inficiantur in hoc primo Physicorum Aristotelem ordiri a consideratione materiæ; conspicue enim patet quod Aristoteles statuto numero principiorum, de eis singulatim loquuturus a materia, eique iuncta priuatione orditur; & colligit se declarasse quid sit materia: nunc vero indicans se non egisse de Principio in genere formę, de eo in progressu disserendum proponit. Insuper considerandum ex hoc contextu colligi in secundo Physic. de sola mortalium natura esse agendum; nam de solis mortalibus formis, quæ naturæ sunt, se disputaturum pollicetur; materia autem consideratur vt ad formam refertur. Demum considerare debemus primum hunc librum, sui natura & conditione rectaque ratione primum esse; nam generatio antecedit rei genitæ, ideo principia primo sunt consideranda, vt ad generationem, mox vt ad rem genitam referuntur. Insuper Aristoteles absoluta ratione in primo contex. ostendit primo agendum de principijs, non autem ex accidenti, vt explodantur errata veterum; ac ita Epilogo colligit se ea declarasse.

*Auer. quid noĩe principij.*

*Opinio propria.*

*Non dari formam corporis.*

*Arist. est orsus a materia.*

*De sola natura mortalium esse agendum.*

## *Epilogus totius Libri primi.*

PROPOSVIT Philosophus primo agendum de principijs internis generationis, viamque patefecit indagandi ea; De quibus loquens disputans aduersus veteres patefecit primo Principia nec vnum, nec infinita esse; ostensurus mox definitum numerum, patefecit primo, contraria esse principia, declarauit secundo ea non esse satis, sed addendam materiam; & inde patuit esse tria. Quæ declaraturus orditur a materia, eique iuncta priuatione, manifestans quomodo distinguantur, quomodo cognoscatur materia, quid, & qualis sit: absoluta autem materiæ & priuationis declaratione, cum sequatur agendum de forma, secretas formas Metaphysico deserit considerandas, Physicas vero & mortales se in progressu declaraturum pollicetur.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## Procemium & Introductio ad SECVNDVM LIBRVM Physicorum.

DECLARATVRVS Aristoteles in primis duobus libris Physicorum communia Principia rerum Natura constantium, considerauit pro exacta earum explicatione quatuor esse patefacienda; primo ex quibus internis Principijs producantur; secundo ex quibus Elementis genita constent; tertio per quæ genera causarum cognoscantur; demum qui nam sit modus operandi Naturæ. Ideo vniuersam eorum explicationem in quatuor capita redegit, & sequens more suo ordinem naturæ, quia res primo gignuntur, secundo sunt, tertio cognoscuntur, demum considerandus occurrit modus operandi naturæ per genera causarum iure optimo in eorum explicatione exactissime eundem ordinem seruauit. Egit de principijs generationis in vniuerso primo libro; mox inquiens in calce libri Principiū aliud esse sumendum, Egit de Elementis rei genitæ, quæ sunt natura eius, vsq; ad cont. 27. quo loci nouo vtens procemio proponit agendum de causis per quas Physica cognoscuntur, & de illis disseruit vsque ad cont. 75. in quo quartum statuens principium proponit agendum de modo operandi Naturæ, de quo vsque in finem libri verba facit; mox vero in principio tertij libri proponit agendum de communibus affectionibus: hoc exposcebat recta ratio ordinatæ explicationis principiorum; & hoc constat seruasse Philosophum. Hinc interrogati ex sententia eius quot sint interna Principia generationis, nil aliud respondere valemus, nisi quod sint tria, materia, forma, & priuatio; interrogati quot sint Elementa rei genitæ, dicimus esse duo, materiam, & formā; Interrogati de causis dicimus esse quatuor; ita nos docente Philosopho respondere cogimur; nomina profecto Principiorum, causarum, & Elementorum frequenter variari possunt, at ea distincta ratio semper seruatur. Ex quo constat quod quamuis de materia, similiter & de forma sermo sit in tribus primis capitibus, quia tamen id fit distincta ratione, Philosophus non est redundans; insuper hoc seruare licet, quod cum quatuor sint causæ, in singulis quatuor relatis capitibus, vna præsertim ei capiti accōmodatior consideratur, veluti quia per materiam res fiunt, ideo in primo libro præsertim explicatur materia; & quia per formam res sunt, & sua natura sunt præditæ, ideo in capite de Natura & Elementis præsertim explicatur forma; & quoniam causæ nomen apud veteres præsertim denotabat efficientem, & Plato in Philebo causam cum efficiente reciprocari asseruit, ideo in tertio capite, quod est de causis, præsertim sermo est de efficiente, cum per se, tum ex accidenti; demum quia Natura operatur propter finem, ideo in quarto cap. ad modum operandi Naturæ pertinente, multa declaran-

*Nouem quæ ex dictis colliguntur.* tur cognitioni finis conducentia. Ex his nouem eligere valemus scitu digna, & vtilia; primum est, solos duos primos libros esse nuncupandos de principijs, cum in eis absoluatur explicatio attinentium ad ea; *Primum.* *Secundum.* Alterum est Principia exactissime fuisse declarata, cum explicatæ sint relationes omnes eorum, & modi considerandi instituto inseruientes; *Tertium.* Tertium est fuisse declarata ordinatissime, cum seruatus sit ordo naturæ variorum modorum considerandi; *Quartum.* Colligitur quarto, Librum primum non ex accidenti, vt perperam nonnulli aiunt, sed absoluta ratione & sui conditione esse primum, cum res primo per interna principia gignantur; *Quintum.* Colligo quinto, Inter primum & secundum librum nil aliud mediare, vt male putant nonnulli existimantes inseri debere librum secundum Metaphysicæ, at hoc facientes euertunt admirabilem ordinem & connexionem capitis pro notitia Principiorum conducentium; *Sextum.* Sexto colligo etiã principio secundi libri complectere proœmium, nam finis primi libri dum proponitur agendum de formis mortalibus, inseruit pro secundi libri procemio; *Septimum.* Ex quo septimo colligo de qua natura sit institutum Philosophi agere in secundo libro, nimirum de natura mortalium, cum de formis mortalibus proposuerit agendum. *Octauum.* Colligo octauo Consilium Aristotelis in secundo libro, id autem est absoluere explicationem attinentium ad partem de Principijs; *Nonum.* Et quoniam ea sunt tria, ideo elicio nono secundum librum diuidi in tres partes, quarum prima est de Natura, secunda de causis, tertia de modo operandi Naturæ. Loquuturus itaque Philosophus de Principio secundum formam, quod est genus formarum mortalium, quia id vnà cum materia est natura, Elementum, & principium rei genitæ, ideo de natura loquitur, quæ est vox naturali considerationi summopere accommodata, Et quia Natura consideratur vt aliquid simplex, cui competunt, duæ simplices quæstiones an sit, & quid sit, cum ex se pateat naturam esse, explicaturus quid sit, inquirit eius definitionem inquiens.

*Cont. 1.* *EORVM quæ sunt, quædam sunt natura, alia vero propter alias causas: Natura sunt & Animalia, & partes eorum, & Plantæ & Simplicia corpora, vt Terra, & ignis, & aer, & aqua; hæc enim & huiusmodi natura esse dicimus; Omnia autem quæ dicta sunt videntur differre ab ijs, quæ non natura existunt; quæ enim Natura sunt omnia videntur habere in se Principium motus & status, hæc quidem secundum locum, illa secundum accretionem & diminutionem, quædam autem secundum alterationem.* *Cont. 2.* *Lectus autem & indumentum, & quæ huius generis sunt, quatenus sortita sunt prædicationem vnamquamque, & quatenus sunt ab Arte, nec vnam quidem habent propensionem mutationis insitam, quatenus autem accidit eis lapidea, aut terrea esse, aut mixta ex his, eatenus habent.*

*Institutum.* COLLECTVRVS Philosophus per nobis notiora definitionem naturæ, orditur a diuisione compositorum, quæ confusa sunt; & ex conspicua distinctione naturalium ab artificiosis, definitionem eam eliciet. *Diuisio.* Diuiduntur hi duo contextus in tres partes, in prima traditur diuisio, in secunda numerantur ea, quæ natura constant, in tertia manifestatur distinctio eorum ab artificiosis. *Expositio.* Vt pertinet ad primam partem inquit eorum quę sunt,

per ea quæ sunt, more suo, vt apparuit in primo Physicorum, indicando composita, & ex causis pendentia: hæc vel dicuntur ex natura pendere, vel ex alijs causis, & præsertim ex Arte, hæ namque sunt causæ principales & per se compositorum, quæ fiunt. Numerans in secunda parte ea, quæ natura constant, inquit Natura esse & animalia & partes eorum & Plantas, & Simplicia corpora, Quæ tertio ab artificiosis distinguuntur, quia cuncta natura constantia videntur prædita interno principio alicuius naturalis motus, vel status, vt simplicia corpora prædita sunt interno principio motus secundum locum, Plantæ accretionis, & diminutionis, hæ, & animalia alterationis, alterant enim hæc semetipsa ob partium varietatem, veluti cor calefacit præcordia, cerebrum obtundit calorem cordis, & sic de cæteris. At ex aduerso Lectum indumentum & artificiosa, dum considerantur vt artificiosa ne dum carent principali principio motus, quo prædita sunt animalia, verum insuper destituta sunt propensione ad motum, quæ ὁρμὴ dicitur, qua prædita sunt simplicia corpora; at dum considerantur quatenus includunt materiam, & subiectum Physicum, ex quo constant, ita non secundum se, verum ex accidenti ob illud inclusum subiectum prędita inspiciuntur principio aliquo motus, per quod Statua marmorea ruit, similiter & alia arte constantia modo aliquo mouentur.

## *Caput Annotationum & Dubitationum:*

CONSIDERANDVM primo est, quod quemadmodum Philosophus in primo Physicorum contex. sexto primæ parti principium dedit per diuisionem Principiorum, ita modo secundæ parti principium tradit per communem diuisionem eorum, quæ sunt; insuper quemadmodum in primo Physic. loquens de Principijs generationis dicebat ea refulgere per illa, quæ gignuntur, ita modo loquens de Principijs rei genitæ, non generationem diuidit, sed ea quæ sunt, nimirum composita, quæ omnia & præsertim mortalia ex causa aliqua pendent: ita soluitur instantia de Deo, qui ex nulla causa pendet. Secundo considerandum est, quod causæ, ex quibus res pendent vario modo ab Aristotele referuntur, nam in primo Rhetor. septem dicuntur, nimirum Fortuna, Violentia, Natura, consuetudo, ratio, ira & cupiditas, quæ tamen in duodecimo Metaphysicæ in quatuor rediguntur in Artem, Naturam, Fortunã, & Casum. Et quoniam harum quatuor, duæ sunt causæ secundum accidens, ideo eis derelictis, considerat solum pendentia ex causis principalioribus, & per se, quæ sunt Natura & Ars. Et hæc inuicem comparat; & cum dicat quædam esse Natura, alia per alias causas, numerat membra simplicia, ex quorum notitia refulgent composita, nam dantur varia, quæ ex Natura & Arte vna conspirantibus prodeunt, vt plantæ, & homines qui sanantur. Considerandum tertio, quod ea, quæ natura constant, in quatuor gradus distribuuntur, & sunt corpora simplicia, mixta consimilium partium, Plantæ & Animalia. Aristoteles tria tantum numerauit dimisso gradu mixtorum consimilium; ratio huius est, quia considerat corpora Physica cum relatione ad motum & statum secundum naturam; at mixta consimilia non secus mouentur ac simplicia, hinc in primo de Cœlo dicuntur moueri per Elementum in eorum mixtione dominans, ideo fuit satis referre simplicia. Considerandum quarto, quod Philosophus loquens de Animalibus dixit Animalia, & eorum partes natura constare; loquens de cæteris nullam partium fecit mentionem, cuius varietatis cum a varijs variæ afferantur rationes, quas silentio prætereo, ratio verior explicata non fuit; ea autem est, quia vt dixi, considerantur corpora Physica cum relatione ad motum secundum naturam; proprium autem est partium animalis, vt prędítæ sint principio aliquo proprij motus, distincti a motu totius, vt oculi in suo loco reuoluuntur, lingua proprio aliquo motu mouetur, distincto ab eo totius, hoc competit partibus animalium, non aliorum, ideo distinçte eas, & eas tantum referre tenebatur;

*Primũ considerandũ.*

*Causæ ex quibus ortæ pendent.*

*Gradus eorũ, quæ natura cõstãt.*

*Cur dicitur animalia & partes.*

tur; in qua corporum natura constantium enumeratione hoc quoque cõsiderandum est, quod solum mortalia, non autem cœlestia corpora referuntur; neque illis est assentiendum, qui inquiunt nomine animalium etiam cœlum denotari, non enim consueuit Aristoteles cœlum inter animalia, sed potius inter simplicia corpora referre, vt patet ex primo de Cœlo; neque de cœlo verum est, quod partes distincto motu moueantur, vt illæ animalium. At hæ se offerunt diluendæ difficultates; prima est, quid denotet Philosophus per principium motus, dum ait omnia Physica videri prędita principio interno motus, num denotet solum efficiens, respõdens Arti, vel etiam patiens; Secundo dubitatur, cur numerans motus, quibus videntur moueri, de ortu & interitu non facit mentionem, sed de sola latione, accretione, diminutione, & alteratione; Tertio dubitatur quia motus Animalium non videntur secundum naturam, illi enim producuntur per masculos, qui voluntarij motus, non autem Physici dicuntur Principia. Quarto dubitatur de homine dum mouetur per intellectum, qui non est natura, num per motum animalium motus quoque eius denotetur. De prima difficultate dico Aristotelem per principium motus denotasse, & proprie efficiens, & inclinationem ad eum sequentem formam; Nam principiorum motus tres sunt gradus, Primo consideratur vere efficiens, cui respondet internũ patiens resistens, quale principium competit animalibus, quæ ad libitum mouentur, & quiescunt, non autem inanimis; Secundo consideratur ὁρμή, inclinatio, & propensio sequens formam, qua le principium competit grauibus & leuibus inanimis, cuius mentionem fecit Aristoteles in secundo contex. Tertium est principium patiens cum facilitate, & propensione ad formam, sequente conditionem materiæ, per quod Principium generatio sæpe dicitur Physica. Aristoteles primum & secundum principium denotasse visus est, quæ competunt rebus natura constantibus, quia hæc sunt ea principia, quæ Arti respondent, & hoc patet quia in secundo contex. ait Artificiosis, nec quidem impetum competere mutationis, insitum, quasi dicat, ne dum eis non competit principium primi ordinis, verum neque secundi, nullam de eo tertij ordinis mentionem faciens; Et iure profecto, nam quamuis etiam per hoc tertium principium, motus fit Physicus, & præsertim generatio, tamen id latet; & Aristoteles cuncta accipit vt sensu conspicua, ideo sæpe ait, videntur. Dubitabatur secundo cur de generatione, & interitu mentionem non fecit, numerans mutationes secundum naturam. Putat Auerroes nomine alterationis etiam generationem denotasse, nam Aristoteles in primo Physic. generationem nuncupauit alterationem secundum subiectum, & hoc facere valuit, tum quia adhuc non patefecit aduersus veteres formam esse substantiam, tum insuper quia res tunc dicitur gigni, dum per antecedentes dispositiones materia per alterationem disponitur pro forma. Ego tamen hanc sententiam minus veram puto, primo quia si per alterationem denotasset vtrunque, tunc vteretur voce æquiuoce, & quæ genere distant pro vno genere retulisset; si autem solam denotasset generationem, tunc diminutus fuisset, prætereundo proprie sumptam alterationem: propterea dico iure optimo Aristotelem de generatione non fecisse mentionem; ipse enim considerat corpora naturalia, quatenus prædita interno Principio, per quod moueantur, at dicere aliquid esse præditum interno principio, per quod generetur, est pugnantia proferre; nil enim valet se generare; Solum de semine dicere valemus quod sit præditum interno principio generationis, non tamen sui, sed alterius. Tertia dubitatio erat de motu animalium, de quo dico illum quoque esse secundum naturam, vt inquit Philosophus in octauo Physic. 27. Considerandum tamen, quod motus dupliciter, dicitur secundum naturam, vel quia pendeat ex principijs per naturam & sine cognitione operantibus, vel quatenus ex interno principio pendet; quod etiam natura sit motus animalium, non est secundum naturam primo modo, sed secundo; anima enim omnis ex materia pendens natura est, & dicitur mouere secundum naturam, quamuis cum cognitione, & sponte moueat: ille tamen motus sæpe contradistinguitur a motu per naturam & sine cogni-

*Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Solutio prima.* *Solutio secunda.* *Solut. tertia.*

cognitione producto, vt etiam anima contradistinguitur a natura infra eam posita. At dubitabatur quarto de motu hominis ex mente prodeunte; de quo dico motum hominis proxime pendere ex Phantasia, & appetitu attinentibus ad animam, quæ natura est; Vt autem pendet ex mente, non amplius dicitur motus secundum naturam, sed secundum rationem supra naturam positam, a qua tamen non motus pendet, sed ordo, dispositio, & modus eius, qualis etiam est motus pendens ex Arte saltandi, qui distincta relatione & Physicus, & Artificiosus, & rationalis dici potest; vt enim proxime pendet ex phantasia & appetitu Physicus est. *Diluitur quarta.*

*TANQVAM existente Natura Principio quodam & causa, quod res moueatur & quiescat, in qua est primo, per se, & non secundum accidens. Dico non secundum accidens, quoniam fiet vtique sibi ipsi aliquis causa sanitatis, cum sit medicus; attamen non quatenus sanatur, medicus est, sed accidit eundem medicum esse & sanari; quapropter & separantur aliquando abinuicem; similiter autem & aliorum quæ fiunt vnumquodque, nullum enim ipsorum habet in seipso effectionis Principium, sed alia quidem in alijs & ab externo, vt domus & aliorum manufactorum vnumquodque; alia autem in seipsis quidem, sed non secundum seipsa quæcunque ex accidenti causa fieri possunt sibypsis. Est igitur Natura quod dictum est.* *Cont. 3.*

EX conspicua differentia eorum, quæ arte constant, a rebus natura constantibus colligit Philosophus definitionem naturæ: & diuiditur hic contextus in duas partes; in prima colligitur definitio, in altera declaratur pars vna, quæ magis eget explicatione. Vt pertinet ad primam partem animaduertendum, quod sententia est Aristotelis sub initio sexti Metaphysicæ particulares scientias, vel accipere definitiones a Metaphysico, vel eas colligere ex sensu conspicuis. Aristoteles definitionem hanc ex differentia sensu conspicua colligit, ideo dicebat, Physica videntur differre ab artificiosis, quia videntur prædita interno principio motus; dicebat videntur indicans ex sensu notis se hoc elicere. Ratio potest formari duobus modis vel absoluta, vel hypothetica; Absoluta dicendo, Differentia Naturalium ab Artificiosis est principium internum motus, Natura est differentia Naturalium ab Artificiosis, Quare Natura est internum principium motus, &c. Vt tamen clarius indicetur eam non ostendi, sed ex conspicuis colligi melius est vt formetur ratio hypothetica hunc in modum. Si Naturalia differunt ab Artificiosis per internum principium motus, Natura est internum motus principium; sed antecedens est verum & sensu constat, quare & consequens. Nam in Syllogismo hypothetico per Naturam, vt se habet de antecedente, ita de consequente. Ait igitur Philosophus tanquam, quæ est particula diminutiua, indicās se non ostendisse, verum ex conspicuis eam collegisse, ideo non ait igitur sed tanquam. Sequitur, Existente Natura; Hæc est res definienda; dubium est an definiatur Natura communis Cœlo & mortalium; Et si definitur ea mortalium, num definiatur pro sola forma, vel pro forma & materia. Dico nunc definiri naturam mortalium, sumptam pro forma & materia; primo tamen pro forma, Secundo pro materia, quia hoc ordine natura est, vt ex dicendis patebit. Sequitur Principio quodam & causa; Id signum particulare quo- *Institutum.* *Diuisio.* *Ratio.* *Expositio.*

dam non est pars definitionis, omnis enim definitio vniuersaliter competit suo definito; additur tamen nonnunquam id signum particulare generi, vt denotetur addendas esse differentias, cum genus sit communius, & non reciprocetur, vt si dixero homo est animal quoddam, nimirum rationale. Vtitur Philosophus duabus vocibus principio, & causa, quæ frequenter confunduntur & modo in vna, modo in altera significatione vsurpantur; hinc a varijs vario modo exponuntur; possemus probabiliter dicere Aristotelem eis vti indefinite, quia adhuc non constat quomodo natura sit principium, apparebit autem dum declarabitur de quibus dicatur naturæ nomen; Si autem volumus definitam eis tradere significationem, dicamus per principium denotari præsertim efficiens, secundario patiens, nam cum Potētia efficiendi, tum ea patiendi per Principium definitur, per causam vero finem, & præsertim Principium refertur ad motum, finis vero ad quietem. Confirmatur hæc expositio per Aristotelem in primo de Partibus Animalium dicētem Naturam dici de materia & de essentia siue forma, quæ est efficiens & finis motus; quod res moueatur & quiescat, vtitur Philosophus verbo passiuo [illegible], quia hoc refertur ad mobile, quasi dicat natura est id principium, per quod mobile mouetur & quiescit; & hoc verum est siue natura sit Principium efficiens, siue patiens, vt etiam dicimus animam esse id Principium, per quod animalia mouentur; Et denotatur motus omnis secundum naturam, quicunque sit, qui ex interno prodeat Principio, præsertim tamen motus secundum locum, similiter & quies. Physica enim mouentur vt quiescant; & quoniā quies magis proprie dicitur de quiete in loco, ideo Aristoteles frequenter vtitur nomine status, vt anima nutriens est internum principium motus, accretionis, & status eius, qui est finis accretionis. Sequitur in quo est primo, per se, & non secundum accidens; Inquit in quo est, denotando quod sit Principium internum mobili, ait primum, quod quamuis sit verum de Principio motus, quia natura est primum principium Physici motus, nunc tamen refertur ad id, in quo est, indicando quod est in eo primo, non per subiectum aliud medium; & hoc in loco vsurpatur primum non pro prædicato primo, minus communi, quam per se vt in primo Poster. Sed pro inesse sine alio medio, vt corpus primo est in loco, & albedo primo dicitur esse in superficie, cum tamen in ea sit secundum accidens; ideo iure additur secundum se; id demum quod dicitur & non secundum accidens, profecto non est pars distincta definitionis, sed explicat id secundum se, vt sæpe explicare consueuit Philosophus; hinc alibi Philosophus referens hanc naturæ definitionem nunquam addit non ex accidenti. Duæ itaque sunt differentiæ, quarum secunda cōtrahit primam, & ita sunt duæ vt in vnam redigi valeant, quod fecit Aristoteles in quinto Metaphysicæ cap. de natura, quo loci has differentias in vnam redigens inquit naturam dici de materia; item vnde primus motus in vnoquoque eorum, quæ natura sunt, in eo secundum quod ipsum est, adeo vt eas differentias in hanc redigat; quatenus Physicum est; quæ reduplicatio includit per se & primum; vsus est tamen Philosophus clarioris distinctionis gratia hoc in loco distinctis vocibus, vt per primo secernat naturalia ab Artificiosis, quæ secundario, & per Physica includunt tale principium; per secundum se, ea secernat ab Artifice, veluti a medico ex accidenti curante se. [Dico autem non secundum accidens, &c.] in hac secunda parte rationem affert Philosophus cur dixerit secundum se, & non ex accidenti inquiens id esse dictum pro distinctione ab Artifice in se operante ex accidenti, vt se habet de medico; quod autem curet se ex accidenti, ostendit vtens pulcherrima regula, quæ est; Cuncta secundum se iuncta, secerni non posse, necessario enim connectuntur, at medicus, & se curans frequenter secernuntur, frequenter enim medicus curat alios, accidit tamen nonnunquam vt medicus & laborans in vnum veniant, & tunc se curat secundum accidens; quo declarato colligit vniuerse sola Physica esse prædita interno Principio motus, artificiosa vero omnia effici per principium externum, vt Domus ab ædificatore, & statua a statuario, & solum ex accidenti contingere, vt Ars sit prin-

cipium motus eius, in quo est: & propterea definitio tradita cum Natura reciprocatur.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

Pro omni definitione recte explicanda & intelligenda accurati esse tenemur, cum sit principium cognitionis aliorum; præsertim tamen id seruandum est in definitione Naturæ, cum ex ea pendeat cognitio vniuersæ Naturalis scientiæ, quæ frequẽter ab Aristotele nuncupatur sciẽtia de Natura; Propterea vt cuncta ad eam pertinentia reddantur conspicua, proponam difficultates varias, & eas singulatim dissoluam. Ordiar a difficultatibus attinentibus ad rem definitam; Cum enim definiatur Natura, dubito primo an hæc natura, quæ definitur, sit sola natura mortalium, vel Natura communis Cœlo & mortalibus: multi censent esse Naturam communem, tum quia primo sunt declaranda communia, tum insuper quia Aristoteles in primo de Cœlo contex. 5. loquuturus de natura Cœli, vtitur hac definitione, tum demum quia de quo vera sunt Principia, etiam vera est conclusio. Principia ex quibus colligitur definitio Naturæ, sunt vera de Cœlo, quare & definitio minor ostenditur, quoniam colligitur ex differentia Physicorum ab Artificiosis, qua differentia etiam cœlum ab eis secernitur, cum sit corpus Physicum includens internum principium motus; Respondens dico Aristotelem profecto considerare modo & definire naturam mortalium, id tamen ita facere, vt per analogiam & exigua facta mutatione etiam eliciatur definitio communis naturæ cœli, adeo vt proprie naturam mortalium definiat, facultate vero & virtute etiam definiat Naturam cœli. Ratio huius est, quia non poterat Aristoteles naturam cœli distincte definire, cum adhuc nõ patefecerit naturam cœli ab ea mortalium distingui, quod faciet in primo de cœlo; veteres autem non existimarunt distingui. Insuper loquendo de his, quæ sunt ab vno, consueuit proprie & præsertim de primo loqui. Natura de ea cœli & mortalium non vniuoce dicitur, sed ab vno, & quamuis ea cœli sit præstantior, magis proprie tamen dicitur de ea mortalium, vere cõstantium ex materia & forma, & præditorum principio cuiusque motus naturalis. Confirmatur, quia ea natura, quæ definitur est Principium motus & finis quietis, quies autem cœlo non competit. Hinc Aristoteles in primo de Cœlo contex. 5. transferens definitionem hanc ad cœlum vtitur aliqua permutatione; nam prætermittit quietem, & solum motionem facit de motu secundum locum, inquiens omnia corpora Physica secundum se mobilia esse secundum locum: Sic etiam Aristoteles in primo Physic. loquutus est de Principijs mortalium, in calce proposuit considerandum genus formarum mortalium, & in progressu de sola materia & forma mortalium ostẽdet dici Naturam: Rationes aduersæ facile diluuntur. Dicebatur communia esse primo declaranda; respondeo id seruandum, quando apparet eorum varietas; insuper maxime id seruandum in vniuocis; de his quæ sunt ab vno sat est vt id fiat facultate, & virtute; Addebatur Aristotelem in primo de Cœlo definitionem transferre ad cœlum; iam dixi quod id facit cum aliqua mutatione. Dicebatur principium, ex quo colligitur definitio, etiam de cœlo verum esse; Respondeo, id minime verum esse de cęlo, nam sumebantur ea, quæ sunt, quę profectò sunt cõposita ex materia & forma, Cęlum autẽ est corpus simplex. Insuper sumebatur Physica esse prædita interno principio motus & status; hoc non competit cœlo cum solum moueatur; differt tamen etiam cœlũ ab Artificiosis; ideo secundum similitudinem & analogiam formari ita potest definitio, vt etiam ei competat. Dubitabatur secundo, cum Philosophus definiat Naturam mortalium & ea sit forma & materia, num definiat pro sola forma, vel pro sola materia, vel pro vtrisque? quod definiat pro sola materia nemo dicit: Nonnulli autem satis probabiliter aiunt definiri pro sola forma, tum quia hæc est primum ab vno, quod præsertim & proprie considerandum

*In explicãdis definitionibus tenemur esse accurati.*

*Prima dubitatio.*

*Quæ Natura definiatur.*

*Solutio.*

*Diluuntur rationes aduersæ.*

*Secũda dubitatio.*

*An definiatur pro sola forma.*

randum est, vt dicitur sub initio quarti Metaphysicæ, tum insuper quia in calce primi libri de formis mortalibus, quæ naturæ sunt, proposuit agendum; Tum tertio, quia forma ea est, quæ recta ratione respondet Arti, quam mutuam responsionem considerauit Philosophus; tum quarto, quia ea dicitur principium motus & quietis, non materia; tum demum quia conspicue Philosophus in 5. Metaphysicæ cap. 5. quod est de natura inquit, naturam esse principium motus & quietis, materiam vero dici naturā, quia tale principium recipit; conspicue Philosophus definitionem tribuit formæ, & inficiatur materiam esse principium motus, sed ait esse subiectum recipiens id principium. *Euersio.* Hanc opinionem non puto veram; primo quia si definitio non deberet competere materiæ, tenebatur Philosophus primo distinguere, mox partem definiendam accipere; insuper conspicue Philosophus data definitione naturæ, inquit naturam dici de materia & forma; quod dicere non debuisset, si materia quoque non fuisset definita; Præterea sæpe affirmat motum dici Physicum etiam per principium patiens, dum affert vim: Insuper in progressu quæret cum duplex natura sit, Physicus de qua tenetur verba facere? at si definitio soli formæ competeret, non duplex, sed vna esset Natura, non enim ei competit nomen, cui non competit definitio nisi æquiuocè: Confirmatur, quia cum veteres putarint conditionem & definitionem Naturæ competere Materiæ, Aristoteles id non inficiatur, sed approbat; solum negat competere materiæ & soli & primo. *Solutio.* Propterea dicamus Aristotelem more suo loquētem de eo quod est, ab vno, inspexisse quidem principale, id tamen ita definiuisse, vt ea definitio præsertim & maxime competeret principali, secundario vero etiam minus principali, qualis est materia; quod confirmatur, quia dum definitio transfertur ad cœlum, cum id sit corpus simplex, & solum sit natura, vt est materia & subiectum motus, coguntur fateri definitionem etiam competere materiæ. Rationes aduersæ diluuntur. Dicebatur primo formam esse primum ab vno, & in calce libri propositam fuisse; respondeo hæc indicare id quod dixi, nimirum esse primam, quæ consideratur & vt prima respōdet Arti, & magis proprie est principium motus; materia tamen est principium quatenus facilis est ad recipiendam formam, & hoc indicauit Philosophus in 5. Metaphysicæ inquiēs materiam dici naturam, quia recipit proprium principium motus, & cum ad id recipiendum sit facilis, præbet vim, & redditur in suo genere principium motus; sic Elementa dicuntur moueri secundum naturam, quāuis Aristoteles dicat in 8. Physic. 32. ea esse prædita principio motus, non agendi, sed patiendi. *Dubitatio tertia. An includatur aīa. Opinio quorundam.* Dubitatur tertio, cum definiatur Natura mortalium, & præsertim forma, num definiatur Natura sumpta pro vniuerso genere formarum, ex materia pēdentium, includēdo etiam animas, vel definiatur solum pro forma & natura infra animam posita? Putarunt nonnulli, & præsertim Simplicius solum definiri Naturam infra animam positam; considerarunt enim vnà cum Academicis in vniuerso hunc ordinem, primo Mentem, sub ea Animā, sub Anima Naturam; Ideo frequenter Natura vsurpatur pro contradistincto ab anima. Considerat Simplicius pro confirmatione suæ sententiæ, Quod Aristoteles definiens vtitur verbo passiuo inquiens, Naturam esse principium quod res moueatur; Insuper Natura dicitur id principium quod primo est in mobili, adeo vt sit vel subiectum, vel in subiecto, & competit corpori Physico, vt Physicum est; Anima non est huiusmodi, ea enim non primo est in materia, sed per instrumenta media, vel communia vt spiritus, vel propria partium animæ; & est in corpore, non quatenus Physicum est, sed quatenus animatum, & est principium animarij motus, non Physici. *Euersio.* Hæc opinio longe abest a vero: & pro notitia considerandum, quod in hoc mortalium orbe ex formis sola Mens hominis ab interitu est immunis, ideo non est natura, sed supra naturā; nec proxime mouet, sed per mediam Phantasiam, & appetitum, nec terminus est generationis, quæ omnia debent Naturæ competere. Hinc Aristoteles in primo de partibus Animalium, latissime ostendit Mentem non esse naturam; & in calce præcedentis libri de formis mortalibus disserendum proposuit. Cum itaque Mens non sit Na-

tura,

tura,reliqui gradus animę sub Mente positi Naturæ sunt,& eis competit definitio Naturæ: quod ostendo, primo quia hic est liber de communibus, ideo tenetur Philosophus ea declarare,quæ sunt communia vniuerso generi formarum ad Physicum attinentium, non autem ea, quæ vni soli parti competunt: hinc Aristoteles in calce præcedentis libri vniuerse de omni forma mortalium proposuit differendum. Præterea luce clarius Aristoteles in primo de partibus animalium ostendit animam attinere ad Physicum,quia est natura,& ei competit definitio naturæ,cum sit principium mouẽs & finis,& ob id ait omnem animam, excepta Mente,ad naturalem scientiam pertinere, quæ est scientia de natura; Præterea in hoc secundo Physic. numerans ea, quæ natura constant,numerat animalia & partes eorum,insuper Plantas,quæ accretionis, & diminutionis principio præditæ sunt; Præterea in contex. 13. ostendens formam esse naturam,quia simile generat, inquit homo generat hominem, id autem facit per animam,& in contex.26.ostendens Naturalem considerare naturam pro forma sumptam,id ostendit de forma hominis inquiens sol & homo generant hominem; præterea in cont.80.ostendens Naturam operari propter finem, considerat opera formicarum,hirundinum, aranearum, & similium, quæ tamen fiunt per Phantasiam,vt patet ex secundo de Anima contex.156.& in 8.Phys. contex.27.inquit animalia,cum moueantur,ab interno principio moueri secundum naturam; & ita animæ ait competere definitionem naturæ: at in re conspicua non est diutius immorandum; Rationes aduersæ facile diluuntur. Dicebatur primo in serie causarum Mentẽ Animæ & Animam Naturæ præstare; Respondeo id esse verum ex sententia Academicorum, secus de natura sentientium,ac sentiant Peripatetici, vt suo loco patebit; Insuper id est verum nomine animæ intelligendo rationalem, vt intelligunt Academici. Demum id est verum ex sententia Aristotelis, dum natura vsurpatur vt cõtradistinguitur ab Anima, non autem dum accipitur late pro omni forma substantiæ ex materia pendente, vt hoc in loco. Addebatur quod Aristoteles vtitur verbo passiuo indicando Naturam non efficiendi,sed patiendi esse principium; Cum Simplicius hoc dicat in grauiorem labitur errorem: conspicue Aristoteles & in primo de partibus Animalium, & in octauo Physic.27.& in hoc secundo libro.cont.80. affirmat Naturam esse principium efficiens,& ob id ostendit eam operari propter finem, & ait casum ob id redigi ad causam efficientem,quia redigitur ad Naturam, quæ efficiens est; Cum autem in definitione vtatur verbo passiuo,id referri debet non ad Naturam, sed ad mobile, & verum esse potest de principio cum patiente, tum efficiente, veluti si dicerem animam esse id internum principium,per quod animalia mouentur; ita natura est id principium, per quod mouentur naturalia. Demum dicebatur Animam non primo esse in corpore Physico, vt Physicum est, sed in viuente, & in eo per media. Respondeo Naturam vniuerse sumptam referri ad corpus naturale vniuerse sumptum; sumptum vero in specie,vt est anima, referri ad corpus Physicum in specie, & huiusmodi est corpus viuens præstantissimum inter corpora Physica,& in eo est,quatenus in specie est Physicum,hoc est quatenus est viuens,& in eo non est per medium aliud subiectum:primo enim dicitur esse perfectio corporis viuentis, vt viuens est; instrumenta non euertunt, quia ei primo competat cum non sint proprium & totum subiectum animæ. Constat itaque,vt pertinet ad definitum, definiri Naturam mortalium, præsertim sumptam pro forma, secundario pro materia, & intra terminos definitionis contineri omnem formam substantiæ ex materia pendentem.

*Diluuntur rationes aduersæ.*

*Dubia*

## *Dubia attinentia ad partes definitionis Naturæ:*

*Prima dubitatio.* DEscendens ad partes singulas definitionis, definitur Natura, quod sit Principium & causa; ex hoc erit prima dubitatio, quia genus debet esse vnum, Aristoteles autem duo tribuit Naturæ genera Principium & *Solutio.* causam, quæ varia denotant: Respondeo Naturam esse vnum commune vnitate ab vno, ideo ei tribuendum est genus, quod sit vnum vnitate ab vno, huiusmodi sunt Principium & causa; hæc enim habent hoc commune, vt ambo dici possint causæ, & ambo dici possint principia, omnis enim causa Principium est; & propterea quamuis nomina sint duo, indicant tamen vnum commune, vnitate ab vno. Sequitur quod res moueatur & quiescat; ex hoc prodeunt tres difficultates; *Altera dubitatio.* prima est, quia agens per naturam non est per se causa oppositorum, vt dicitur in 8. Physic. contex. 8. & 10. Metaphysicæ, motus & quies sunt opposita, quare Natura nō *Secunda.* valet eorum esse per se causa; Altera est, quia id non competit omni naturæ, non ei ignis, qui eleuatus in suum locum adhuc reuoluitur vna cum cœlo, nec cœlo, quod solum mouetur, nec terræ, quæ dicitur immobile centrum in secundo de Cœlo. Tertia *Tertia.* dubitatio est, cum ex natura prodeat motus & quies, quid horum est principalius & *Solutio.* magis consentaneum Naturæ? Pro solutione accipio, vt dixi, Aristotelem definire Naturam mortalium; mortalia mouentur vt requiescant, adeo vt motus sit via, quies vero terminus & finis: Insuper considero quietem esse duplicem, vnam in termino a quo, & est violenta, non ex natura, sed ex aliqua violentia pendens; altera est in termino ad quem, & est secundum naturam, ex naturaque pendens. Prima quies vere opponitur motui naturali, & ab eo destruitur, altera vero construitur, eique subordinatur; subordinatorum autem idem est principium, hoc tamen eis competit, vt cum sint varia, pendent ex eodem vario modo se habente. Natura enim extra suum locū est causa motus, in proprio autem loco quietis, vt recte dixit Auerroes, secundo Cœli 92. Ex his eliciuntur solutiones propositarum difficultatum. Dicebatur primo Naturam non esse per se causam oppositorum; iam patuit subordinatorum eandem debere esse causam, vt etiam idem dicitur agens disponens & inducens formam; Addebatur id non competere omni; Respondeo competere Terræ secundum partes, dum ex suo loco remouentur, competere etiam igni, quia habet definitum terminum, ad quem eleuatur, adeo vt altius eleuari non possit; si autem tunc circumfertur, nil refert, sat est quod quiescit quiete, quæ est terminus ad quem, & finis sui motus Naturalis. De Cœlo iam dixi definiri Naturam mortalium; qui autem putant includi etiam *Porphyrius.* naturam cœli varia dicunt. Porphyrius dicebat id debere intelligi cum disiunctione, quod sit principium motus, vel quietis; aut quod sit principiū motus in his quæ mouentur, quietis similiter in his, quibus ea competit: at conspicuum est, quod hi minus proprie indicant Aristotelem fuisse loquutum, quod conditioni definitionis aduersa- *Alij.* tur. Alij aiunt cœlo competere quietem secundum totum, vel per Polos, vel per relationem ad antecedentem motum, vt ait Simplicius, quæ omnia cum vero pugnare videntur; Nam quietis siue immobilitatis cœli secundum totum non est causa Natura, sed Deus, vt dicitur in 8. Physic. 52. Manente primo necesse est manere vniuersum, quod continuatur cum eo; immobilitas Polorum non est ea, quæ finis sit motus, de qua modo est sermo, nec cuius Natura sit Principium; Quies per relationem ad motum antecedentem, veluti quod Sol in Meridie quiescat a motu tendente in Meridiē, & moueatur in occasum, penitus improprie quies dicitur, & in sola imaginatione est posita, ita enim etiam diceretur in medio aeris quiescere lapides dum descendūt. Colligamus itaque Aristotelem definiuisse naturam mortalium; nam mortalia mouentur vt quiescant; & dum voluit definitionem etiam competere naturæ cœli, prætermisit quietem, vt patet ex primo de Cœlo contex. 5. Dubitabatur tertio cuius præsertim

Natura

Natura sit principium, num motus, vel potius quietis? communiter dicitur, quod motus sit forma, quies priuatio. Ex aduerso tamen Pythagoras & cum eo Academici quietem dicunt esse formam & habitum, Motum vero priuationem; ideo in serie contrariorum denotantium formam statuerunt quietem siue statum, motum verò in serie priuationum. Et Aristoteles in quarto de Cœlo air quod tendere ad locum, in quo Elementa quiescunt, est tendere ad formam; hinc Themistius dixit quietem Naturalem esse habitum & formam.

*Solutio.*

Respondens dico, æterna moueri, vt moueantur, mortalia vero moueri, vt quiescant: quies relata ad Naturam est prior secundum institutum & appetitionem, motus secundum originem; quies est priuatio externi actus motoris, est autem habitus per motum acquisitus, actus ille motoris dirigitur ad actum acquirendum per motum, ideo eo est ignobilior; perinde enim se habet ad quietē, ac pugna ad coronam: motus tamen magis parefacit vires naturæ, quam quies, vt pugna militis, quam corona; & etiam magis cadit sub sensum. Sequitur altera particula definitionis (in quo est) denotans quod sit principium internum mobili, ex qua duæ prodeunt difficultates; Prima est, quia efficiens & finis dicuntur causæ externæ, Natura dicta est efficiens & finis, per Aristotelem in primo de partibus animalium, quare est Principium externum, non autem internum; Altera est, quia Natura magnam cum generatione habet affinitatem, & connexionem, generans autem externum est, cum nil valeat generare seipsum: non semper itaque Natura est principium motus internum: definitio autem debet tanquam proprium competere omni, soli, & semper.

*Prima dubitatio.* *Secunda.*

De prima difficultate dico esse internum contingere dupliciter, vel mobili, vel rei effectæ: motor & efficiens possunt esse interna mobili, vt dicitur de Natura, at non rei effectæ; non enim motor intrinsecus constituit motum, id enim solum est officium formę, & materiæ; finis quoque generationis & finis cui internus est mobili.

*Solutio primæ.*

De altera difficultate dico Naturam operari posse & in id in quo est, & in externa, vt patet de alteratione, & generatione; quod agat in externa est ei commune cum Arte, ideo id debuit accipi per quod ab ea distinguitur; competit autem omni naturæ, vt sit principiū alicuius interni motus. Insuper aduertendum, quod dum Natura alterando, & generando agit in externum, id secus facit ac Ars; natura agens redditur modo quodam interna patienti, permutando ea, quæ intus sunt, & formam educēdo ex potestate materiæ, ad quam materia sit facilis, quæ non competunt Arti. Sequitur in definitione, primo per se & non secundum accidens, quæ rediguntur in hoc, quatenus Physicum est.

*Solutio secunda.*

Sed occurrit dubitatio, quoniam vt considerauit Proclus in Timæum hac de re Aristoteles cum Platone pugnare videtur; nam Plato naturam dicit Principium postremum, Aristoteles vero primum.

*Dubitatio.*

Insuper dubitatur, quia dum aliquid vni per se competit, & est in eius definitione, non valet id sine eo inueniri, at inueniri potest natura, quę nec quietis naturalis, nec motus sit principium, quod patet de igne genito in fornace, & in ea extincto, qui non valet per naturam ferri sursum, nec ibi per naturam quiescere, cum non sit locus proprius eius.

*Secūda dubitatio.*

Pro solutione huius secundæ difficultatis duco ea esse consideranda, quæ sunt secundum se, Physica, vt Physica, semper seruant propensionem ad motum & quietem secundum naturā; si secus de secundo actu eueniat, est ex accidenti & per violentiam.

*Solutio secundæ.*

De prima autem difficultate, considero id primum ad tria posse referri, ad id in quo est, ad Principium, & ad motum, & semper sententia est vera; hoc in loco refertur ad id in quo est, adeò vt in eo sit primo, non excludendo tamen instrumenta, vt patet de anima, sed subiectum aliud medium, vt artificiosis secundario competit. Si refertur ad motum, vt Aristoteles in 5. Metaphysicæ retulit, inquiens Naturam esse principium primi motus, id etiam verum est, pro distinctione ab Arte saltandi, quæ non primi motus est origo, sed ordinis & dispositionis eius; insuper etiam pro distinctione ab illis motibus, qui per artem sequuntur motum primum naturalem, vt in horologijs, & statuis, quæ moueri ex se videntur. Tertio si referatur ad principium, etiam id verum est; & quia instabatur per Platonem statuen-

*Solutio primæ.*

*Conciliatur Arist. cum Platone.*

tem

tem naturam Principium postremum, respondeo vtrunque esse verum; Natura enim est principium primum in eo in quo est, vt considerauit Aristoteles, postremum vero in ordine vniuersi; nam supremum principium est Mens, sub Mente est anima, quæ dicitur Media, Natura vero infima; quamuis itaque Natura non sit principium absolute primum, quia huiusmodi est solus Deus superaque Mens, est tamen primũ in corpore Physico, quod simul est primum & proprium; non enim causis secundis repugnat vt in aliquo genere primæ sint, vt repugnat instrumentis.

## *Dubia attinentia ad vniuersam definitionem Naturæ.*

SOLVTIS difficultatibus attinentibus ad Naturam, quæ definitur, & ad singulas eius partes, superest vt illæ diluantur, quæ attinent ad definitionem vniuersam, quarum principaliores tres sunt; Prima quia videtur definitio competere alijs, nam varia Artificiosa per internum principium artificiose mouentur, vt patet de horologijs, & radio eorum, patet de varijs imaginibus, quas circumferunt gesticulatores, quæ positæ super tabulam, ambulant, & lyram pulsant; patet de statuis Dædali, de quibus inquit Plato in Memnone quod nisi ligabantur, fugiebant; aiunt Archimedem construxisse columbam ligneam volantem; similiter id patet de alijs. Insuper competit Arti saltandi, & canendi, competit etiam calori, qui est primum principium calefaciẽdi, quia vt dicitur in lib. de sensu & sensili, ignis calefacit non vt ignis, sed vt calidus, at principium primũ transmutationis naturalis, qualis est calefactio, censeri debet natura; similiter eadem definitio competit Prudentiæ, quæ est internum Principium nostrarum actionum, & dicitur recta ratio agibilium, vt etiam Ars est habitus, & internum principium, per quod Artifex mouetur pro efficiendis Artificiosis. Altera dubitatio est, quia tradita definitio non explicat quid Natura sit, quod est officium definitionis, sed quid agat & cuius sit Principium. Postrema dubitatio est num forte natura rectius definiatur ab alijs?

*Prima dubitatio.* *Altera dubitatio.* *Tertia.*

*Solutio primæ, definitionem non competere alys.*

De prima difficultate dico definitionem soli Naturæ competere, & cum ea reciprocari. Instantiæ sumptæ ex Artibus & Artificiosis soluuntur, quia non sunt Principia motus naturalis, sed artificiosi, & violenti: non sunt principia primi motus, sed sequentium primum, non sunt absolute principia motus, sed ordinis, & figuræ eius: Nam dum Artificiosa videntur ex se moueri, id eis competit, quia per Artem insertum habent aliquid, quod per naturam moueatur, cuius motum sequuntur motus connexorum, & id præsertim fit ope circuli, cuius conditio plurimorum admirabilium causa est, vt docet Aristoteles sub initio suarum Mechanicarum; sic in horologijs vtimur ponderibus pro motu rotarum, & in horologijs solaribus vtimur lapide herculeo, qui sui conditione vergit ad Polum; sic Ars saltandi & canendi sunt principia non prima, sed secundaria, non motus sed figuræ, & ordinis eius. His accedit quod huiusmodi Artes pro fine habent componere motus & voces, non magis suas, quam aliorum; & si componunt suas, id est ex accidenti, vt se habet de Medico se curante; hinc frequenter huiusmodi Artifices sua Arte componunt motus aliorum & voces. Instantia de prudentia soluta est per iam dicta; ea enim est principium non primum & primi motus, nec Physici, sed secundarij voluntarij, & est principium modi & qualitatis actionum. Instantia sumpta ex calore nobis non obest, tum quia non est principium motus eius in quo est, tum insuper quia accidentia sunt quidem Principia productionis sui similis, & præsertim calor & frigus, at non omnia huiusmodi principia naturę sunt, sed vel naturæ accidunt, vel cum natura connectuntur. Dubitabatur secundo, nam dicebat Plotinus Peripateticam Naturæ definitionem non declarare quid sit, sed quid faciat; Propterea Philoponus id concedens dixit definitioni addendas esse partes nonnullas, quas Aristoteles supposuit, & dicendum Naturam esse facultatem, & vim, quæ per corpora diffunditur, eorum formatricem & gubernatricem, principium motus & quietis,

*Solutio secundæ.* *Philoponus*

quietis, eius in quo est, primo & per se. Similiter D. Augustinus partes nonnullas cō- *D. August.*
similes addidit, vt patebit. At hi non exactè percipiunt curam & diligentiam Aristotelis, qui cum nouerit Naturam esse commune ab vno, & vario modo cōsideratam, ac ad varia relatam debere vario modo definiri, triplicem eius assignauit definitionem, hoc in loco cupiens tradere definitionem communem materiæ & formæ, quia id commune est valde tenue, ideo definitionem dedit satis leuiter conditionem naturæ patefacientem, quam volens reddere communem etiam cœlo modo aliquo, eam permutauit in 5. contex. primi de cœlo inquiens eam esse principium motus secundum locum, corporum Natura constantium; At in quinto Metaphysicæ distinctius Naturam explicans, distinctè naturam formæ ab ea materiæ definiens, dixit Naturam esse substantiam, quæ est principium motus eorum, in quibus est, quatenus talia; materiam vero esse naturam, quia recipit tale principium: quo loci dixit Naturam esse substantiam, denotando formam, quæ absolute dicitur essentia & quid est ipsius compositi. In hoc secundo Physic. non dixit naturam esse substantiam, tum quia id considerare magis attinet ad Metaphysicum, tum insuper quia substantia magis proprie dicitur de forma; tamen ab Aristotele non recedentes vsurpando substantiam late, vt dicitur etiam de materia, possemus dicere, Naturam esse substantiam, quæ est principium & causa quod res moueatur & quiescat, in qua est primo & per se. Nam duo sunt mu- *Duo munera Naturæ.*
nera Naturæ, primum vt sit essentia rei, vt dicitur in contex. 7. & sequentibus, aliud vt sit internum principium operationum eius. Ex his patet primo instantias esse inanes, nam hoc in loco id patefecit, quod est commune, & magis Physicum, & inquiens Naturam esse principium, cum mox declaret tale principium esse formam & materiam, facultate & virtute manifestat naturam esse talem. Et Philoponus cupiens definitionem perficere eam euertit, quia reddit illam propriam formæ, non communem materiæ, cum tamen Aristoteles ipsomet consentiente definitionem tradat communem; adeo vt simul secum & cum Aristotele pugnet. At veniamus ad tertium caput & per- *An valeat*
pendamus an forte alij rectius naturam definiuerint. Academici putantes Naturam *secus rectius definiri.*
esse vitam postremam, nam vitam primam dixere Mentem, Mediam animam rationalem, quia de re definienda secus sentiebant, quam Peripatetici, ideo mirum non est, si *Academici*
secus eam definientes dixerunt, Naturam esse vim seminariam, a Mundi anima infusam materiæ. Stoici (referente Diog. Laer.) dicebant, Naturam esse habitum, ex seipso motum, accipientem, iuxta seminariam rationem, efficientemque & continentem quæ ex ipso constant, constitutis temporibus. Alij eorum dixere esse ignem Artificiosum ad gignendum congruente via progredientem; ita enim definiebat Zeno, *Zeno.*
referente Cic. in secundo de natura Deorum. Seneca in secundo de Beneficijs dixit, *Seneca.*
Natura est Deus, Diuinaque ratio toti Mundo, & partibus eius inserta. D. Augustinus *D. August.*
dixit Naturam esse vim, & facultatem, diuinitus rebus insitam, quæ vnicuique suum esse tribuit, qua cum quis male vtitur, malus esse iudicatur. Epicurus, omnia natu- *Epicurus.*
ræ nomine appellauit, inquiens omnium quæ sunt naturam esse, corpora & inane, & quæ his accidunt. Has & similes definitiones si consideramus, inspiciemus vel naturam distinctæ significationis explicare, vel non rectius locoque congruentius eam declarare, ac fecerit Aristoteles.

*NATVRAM autem habent quæcunque huiusmodi habent Principium, & sunt hæc omnia substantia: Subiectum enim quoddam & in subiecto est Natura semper; Secundum autem naturam sunt & hæc, & quæcunque his insunt secundum se, vt igni ferri sursum; hoc enim natura quidem* *Cont. 4.* *Cont. 5.*

*non est, nec habet Naturam, sed a natura & secundum Naturam est. Quid igitur sit Natura dictum est, & quid a natura & secundum Naturam.*

*Institutum.* TRADITA definitione naturæ, patefacienda occurrunt ea, quæ ex natura pendent, & cum Naturæ nomine habent affinitatem; quæ tria sunt, habens Naturam, secundum Naturam, & a natura. Hæc declarans Philosophus in his contextibus tria facit, *Diuisio.* Primo declarat quid sit habere Naturam, Secundo ostendit omne habens Naturam esse substantiam, *Expositio.* Tertio, quid sit secundum Naturam & a Natura. Declarans primum inquit ea habere Naturam, quæ sunt prædita huiusmodi principio, nimirum motus, & quietis, &c. & *Ratio.* ratio ita formatur. Quæcunq; includunt definitionem, dicuntur habere definitum, includentia principium motus includunt definitionem naturæ, Igitur includentia tale principium dicuntur habere Naturam. Ostendens autem in secunda parte omne habens naturam esse substantiam inquit, & sunt hæc omnia substantia; quæ sententia vera est & de Natura, & de habente Naturam; hæc enim est prima conditio Naturæ, vt sit essentia rei; hoc autem in loco id videtur esse referendum ad habentia naturam, de quibus est sermo; Nam habens Naturam est corpus Physicum, & est proprie substantia ad prædicamentum pertinens, quæ maxime omnium nomine substantiæ denotatur, vt dicitur sub initio secundi de Anima; Et id confirmans addit, Subiectum *Ratio.* enim quoddam, & in subiecto est natura semper, hoc est, omne constans ex subiecto & propria subiecti forma, est substantia composita, & proprie substãtia, habens naturam constat ex subiecto & propria subiecti forma, quare &c. minor ostenditur, quia Natura semper, hoc est omnis, subiectum est vel in subiecto. Declarat tertio, quid sit secundum Naturam inquiens, hoc esse communius quam habens Naturam, nam omne habens Naturam, dicitur secundum Naturam, non vice versa: quæcunque enim secundum se insunt in habente Naturam, dicuntur secundum naturam, quales sunt affectiones corporis Physici, quæ tamen nec sunt natura, nec habent Naturam, vt latio ignis sursum, & terræ deorsum, & similes affectiones; sed dicuntur esse a natura & secundum naturam, vt homo a natura & secundum naturam dicitur aptus ridere. Colligit demum Philosophus declarata, & conspicuum est.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Primo considerãdum.* CONSVEVIT Philosophus frequẽter vti aduerbio temporis semper, pro denotanda vniuersitate, vt in primo Physi. inquiens id quod gignitur, semper debere esse compositum, & oportere Principia semper manere, & alibi. Id ipsum facit hoc in loco, inquiẽs subiectum enim quoddam & in subiecto est natura semper; & iure hoc tribuitur naturæ, cum ea sit substantia materiata, non apta seiungi nisi ratione, & finis sit generationis, vt dica- *Secundo cõsiderãdum.* tur a Philosopho. Insuper considerãdum quod Aristoteles vtitur esse in subiecto pro esse in materia, quod valde differt a modo, quo accidentia dicuntur esse in subiecto, vt Alexander conspicue patefecit: forma enim materiæ tribuit terminos & composito largitur esse, & nomen absolute, quæ per definitionem explicantur; quæ non efficiunt accidentia, vt conspicuum est. *Sex dubia.* Occurrunt sex dubia diluenda, *Primum.* Primum est, quia Aristoteles videtur vti circulo, primo enim ex compositis Physicis elicebat definitionẽ naturæ, nunc contra per naturæ definitionem declarat corpora Physica, quę dicuntur *Secundum.* habere Naturam; Alterum est, quia videtur peruertere ordinem declarans secundum *Tertium.* naturam posterius, quam habens Naturam, cum tamen sit communius; Tertium est quia videtur diminutus, non enim tradit discrimen inter a natura & secundum Naturam,

ram, quod tamen assignant Græci interpretes; Quartum, num tradens definitionem habentis naturam, dicatur definire subiectum Naturalis scientiæ. Dubitatur quinto, quid de cœlo dicendum sit, num dicatur habere naturam. Postrema dubitatio est de accidentibus secundum accidens, quomodo se habeat ad naturam; omne enim quod a Physico consideratur, eatenus consideratur, quatenus cum natura connectitur. Prima dubitatio per tria fundamenta diluitur. Primum est, quia Aristoteles in præcedentibus non demonstrauit, sed ex conspicua differentia collegit definitionem naturæ; nec modo demonstrat habens naturam, sed tanquam notum ex definitione Naturæ colligit. Alterum est, quia natura & naturatum, hoc est habens naturam, sunt ad aliquid, ideo non est absurdum, si se mutuo patefaciunt; Tertium est, quia dum considerantur pro absoluto, natura est prior & causa, ideo potius dici deberet regressus, quã circulus. De secunda difficultate dico tunc communius debere primo declarari, dum est vere communius, adeo vt sit causa & principium minus communium, & sit simplicius, vt animal se habet ad hominem; de his contra se habet, nam quamuis secundum naturam dicatur de pluribus, tamen habens naturam est simplicius, quia non de tot dicitur, & est causa & principium accidentium secundum se, de quibus dicitur secundum naturam, vt ab eo contradistinguitur; recte itaque Aristoteles seruauit ordinem naturæ; nam primo natura constituit habens naturam, & inde prodeunt mox accidentia secundum se. Dubitabatur tertio, quia Aristoteles videtur diminutus cum nõ seiunxerit a natura, & secundum naturam; Græci interpretes recte inquiunt a natura esse latius, quàm secundum naturam; id enim quod est secundum naturam etiam est a natura, sed non vice versa, vt omne quod est secundum Artem, est ab Arte, nõ contra; nam effecta prodire possunt ex natura, & Arte dupliciter, vel seruatis legibus & regulis Naturæ & Artis, & hæc dicuntur secundum naturam, siue secundum Artem, vel non seruatis legibus, vt dum Artifex errat perperam formando Artificiosa, & natura producendo mõstra; primum est secundum se, alterum ex accidenti, adeo vt in his, quæ sunt secundum se non distinguantur, sed solum in his quæ fiunt ex euentu; & quoniam in scientijs ea sunt consideranda, quæ sunt per se, non ea quæ sunt secundum accidens, ideo iure Philosophus scientiã docens, & id quod est secundum se considerans, vnum ab altero non secreuit; si id discrimen manifestaretur, redderetur doctrina latior & cumulatior, at cum facile cognoscatur, error non est, si obuoluitur silentio. Quarta dubitatio est an Aristoteles definiat subiectum Naturalis Philosophiæ: Sententia est Auer. in proœmio primi de Cœlo id subiectum non definiri nisi in proœmio librorum de cœlo; quæ sententia vera non est, nam ibi non debuit definiri, nec definitur, hoc autem in loco & definiri debuit & definitur: ostendo vtrunq;, nam definire commune subiectum scientiæ pertinet ad librum communem, qualis non est liber de cœlo, sed liber Physicorum. Insuper attinet ad partem de Principijs, quia subiectum cõmune, principium est, & refulget ex notitia principiorum. Et Aristoteles in primo Poster. inter prænoscenda in scientijs id constituit: Insuper attinet ad eam partem, in qua explicatur natura, quia definitio corporis naturalis elicitur ex definitione naturæ & maxime damnandus esset Aristoteles, si hæc duo secreuisset; nec recte valuisset in principio tertij libri proponere declarandas communes affectiones, nisi prius declarasset commune subiectum. Quod autem id non definiuerit in proœmio libri de Cœlo patet, quia ibi definitur non naturale corpus, sed corpus, quod quantitas est, & definitur definitione communi etiam Mathematico, per trinam dimensionem. Inquiunt nonnulli Aristotelem solum obiter id fecisse in hoc contex. at errant; id fit quidem breuibus, quia definita natura, statim refulget quid sit corpus naturale; potius obiter fit in proœmio de Cœlo, cum ibi id fiat, non vt definiatur commune subiectum, sed vt refulgeat præstantia corporis vniuersi. Dubitabatur quinto an Cœlum sit Natura, vel habens naturam; Respondeo vt modo definita est natura mortalium, ita definita sunt corpora mortalia naturam habentia; Et quemadmodum definitio naturæ cum aliqua tamẽ

*Quartum.* *Quintum.* *Sextum.* *Solutio prima.* *Solutio secunda.* *Solutio tertia.* *An definiatur subiectũ naturalis philosophiæ Auer. Euersio.* *Solutio quinta.*

mutatione eleuabatur ad Naturam cœli, ita putandum est se habere de habente naturam, adeo vt definitum proxime sit corpus Physicum mortale, facultate tamen & virtute vniuersum corpus Physicum, quod est subiectum Naturalis scientiæ; vniuersum enim est corpus præditum interno principio motus secundum locum; cœlum proprie potius est natura, quam habens naturam, cum in libro de cœlo patefecerim esse corpus simplex, solum compositum ex mobile & motore, vt ad substantiam pertinet, qui motor natura non est, sed supra Naturam, tamen quia id est corpus actu saltem per negationem quatenus alio actu non eget, & est procliue ad motum in orbem, vt grauia & leuia ad rectum, ideo proportione respondet simplicibus quatuor Elemētis, & vna cum eis suo ordine constituit vniuersum, quod est corpus Physicum. Dubitabatur

Solutio 6. postremo loco de accidentibus secundum accidens quomodo se habeāt ad naturam; Respondendum est ea esse varia, & non vno, sed vario modo se habentia; Nam accidentia vel sunt secundum se, vel secundum accidens; si secundum se, vel id habent a forma, vel à materia; si à forma, quæ natura sit, absolute & primo dicuntur a natura & secundum naturam, si a materia, vt colores sequentes temperamenta, similiter odores & sapores, dicuntur a natura, & secundum naturam non absolute, vt ea formæ, sed materiæ; at si sequuntur naturam ex accidenti penitus, dicentur esse a natura, sed non secundum naturam; & frequenter per relationem ad varia vario modo denominantur, vt calor aquæ, si refertur ad ignem calefacientem, est a natura, si ad aquæ conditionem, est præter naturam. Sic inuenitur in vniuerso, Natura habens naturam, secundum Naturam formæ, secundum naturam materiæ, a natura, præter naturam, & contra Naturam, vt igni ferri deorsum.

Cont. 6. *QVOD autem sit Natura tentare ostendere ridiculum est; manifestum enim est quod huiusmodi entia sunt multa, demonstrare autem manifesta per immanifesta, non potentis iudicare est, quod ex se, & non ex se notum est; Quod autem contingat hoc pati non immanifestum est, syllogizare enim quis posset de coloribus, cum a natiuitate sit cæcus: quare necesse talibus de nominibus esse sermonem, nil autem intelligere.*

Institutum. POSSET quis Aristoteli obijcere quod diminutus sit, cum declarauerit quid natura sit, non præostenso eam esse. Ideo institutum eius est obiectioni occurrere, & manifestare quod iure id non fecit, & si tentasset id efficere deridendus esset, & ob id modo eos esse deridendos indi-

Diuisio. cat, qui auderent illum carpere. Diuiditur contextus in duas partes; in prima declaratur non debere virum mentis compotem niti ostendere Naturam esse, alioquin se deridendum redderet; In altera id ostenditur exemplo eorum, qui ab or-

Expositio. Ratio. tu sunt capti oculis. Vt pertinet ad primam partem, formatur hæc ratio: Nemo sanæ Mentis debet niti id ostendere, quod est ex se notum, Naturam esse ex se est notum, Quare nemo sanæ mentis niti debet ostendere eam esse. Quod ex se pateat Naturam esse ostendit Philosophus inquiens, manifestum enim est quod huiusmodi entia sunt multa, denotando prædita interno principio motus, nam vt se habet de definitione, ita putandum est se habere de definito. Quod nemo sanæ mentis debeat niti ostendere ex se notum, manifestat, quia se deridendum redderet; nam vel id ostenderet per notius, vel per æque notum, vel per latentius; non per notius, quia ex se tali non datur magis tale; non per æque notum, quia consimilium par est ratio, & vnum non agit in aliud, nec id valet reddere clarius. Si id efficiet per latentius, indicabit se mentis

tis inopem, non aptum fecernere ex fe notum ab eo quod ex fe non eft notum; nam fi ea fecerneret, non niteretur per ignotius illuftrare notius, cum id fieri nequeat, nam perinde fe haberet, ac ille qui die media accenfa lucernula niteretur patefacere folem. [Quod autem contingat hoc pati non immanifeftum eft, &c.] In hac fecunda parte fuam fententiam illuftrat exemplo, inquiens, quod qui niteretur id facere, perinde fe haberet ac captus oculis ab ortu, & niteretur differere fcientiamque affequi de coloribus, quam tamen non eft aptus affequi, cum regula hæc fit, deftitutum fenfu aliquo ab ortu, non poffe affequi fcientiam de fenfilibus proprijs & per fe eius fenfus.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDVM quod Philofophus prius definiuit Naturam, quam diuiferit in materiam, & formam, indicando hanc effe definitionem cōmunem vtrique; nam fi communis non effet, prius fuiffet diuidenda: Infuper prius definiuit, quam rationem attulerit, cur non oftenderit eā effe; ratio eft, quia veteres nomine naturæ varia denotarunt; ideo primo patefaciendum fuit, quid eo nomine denotaretur; hæc enim eft ea cognitio, quæ cæteris antecedit; diftinctè autem nofcitur quid nomine denotetur, per definitionem eius. Præterea tertio animaduertendum, quod Ariftoteles inquit captum oculis ab ortu, non poffe notitiam affequi de coloribus; Addit ab ortu, quia fi cui id accidat in progreffu ætatis, poterit ille eam affequi, cum eos præuiderit, & eorum imagines memoria feruauerit; & id ipfum de fenfilibus proprijs cæterorum fenfuum intelligi debet. Confiderandum quarto, ab Ariftotele indicari rationem vnam, ob quam multi non valent affequi fcientiam, & eft deprauata conftitutio per naturam eius indiuidui; aliæ rationes funt, Ignorantia difciplinarum organicarum, & præfertim Logicæ, praua affuetudo, deftitutio experientiæ, Nimia fides, quæ perperam docenti adhibetur, & demum odium laboris. Quinto animaduertendum, quod Ariftoteles perpulchra vtitur Metaphora; Nam vt dantur oculi corporis, ita per Metaphoram Mens dicitur oculus animi, vt dicitur in primo Nicomachiorum cap. 6. de quo animi oculo dicebat Plato, quod pluris fieri debet vnus, quam mille corporis: Et vt duplex eft oculus, ita duplex eft cœcitas, & quia ea quæ attinent ad corpus funt nobis notiora, ideo rectè Ariftoteles exemplo cœcitatis corporis, patefecit cœcitatem animi, quę amentia dicitur. Demum confiderandum eft quod accurate Ariftoteles dixit, quod fit natura tentare, fiue niti oftendere, non autem abfolute dixit, oftendere, nam ita fuppofuiffet poffe oftendi; tentare namque & niti valemus, etiam ea facere, quæ ex fe fieri nequeunt. At dubitabit aliquis, primo quia varijs rationibus dialecticis poffemus colligere naturam effe; Infuper id cuius cognitio pendet ex notitia alterius, nō dicitur ex fe notum, cognitio naturæ pendet ex cognitione motus, nam legitur in principio tertij Phyfic. ignorato motu ignorari Naturam, quare ea non eft ex fe nota, quod enim eft ex fe tale, remoto quouis alio, femper eft tale. Augetur dubitatio, quia fi naturam effe ex fe patet, & ob id non debet oftendi, etiam ex fe patet quid fit, nam dicitur in 8. Phyfi. 22. fuppofitionem effe quod natura fit principium motus, fuppofitio autem non oftenditur, fed fupponitur. Præterea adhuc redundans videtur effe excufatio, quod id non oftenderit, quia oftendere rem effe, officium eft Metaphyfici, vt etiam quid fit, veluti dicitur in principio fexti Metaphyficæ. Præterea ea enunciatio dicitur ex fe nota, cuius prædicatum eft definitio vel pars definitionis fubiecti; de hac quod natura fit, non ita fe habet, vt confpicuum eft. Hinc Auicenna in primo fuæ fufficientiæ cap. 5. inquit, fi natura effet aliquid ex fe notum, non adeo laboraffet Ariftoteles pro inuenien do motore cuiufque rei. Hinc ait Naturam effe iudicari debere principium in Phyficis, nec debere Phyficum niti id oftendere, Metaphyficus tamen id facere valet, tenetur euertere fententias euertentibus eam. Pro folutione confiderandum primo non

*Primū confiderandū.* *Cur non prius diuifit.* *Cur non prius patefecit conftare naturam effe.* *Cæcus ab ortu.* *Cur multi nō fint apti addifcere.* *Pulchra Metaphorę.* *Prima dubitatio.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Solutio.*

omne ex se notum esse huius conditionis, vt prædicatum sit ratio subiecti, nam datur etiam ex se notum, quod tale dicitur, quia ex se cadit sub sensum, vt motum esse, & ea quæ sunt esse multa, & ita ex se notum est Naturam esse; & propterea Aristoteles in primo Topicorum dicebat negantes ea, quæ cadunt sub sensum, vt ignẽ esse calidum, egere non ratione, sed sensu. Secundo considerandum est, quod dum quæritur, ad quem pertineat ostendere aliquid esse, vel consideramus medium, vel id quod quæritur: si medium, dicendum id posse etiam a scientijs particularibus tradi, vt æternitas motus pro ostensione abstractorum a Physico ostenditur; Si autem consideramus id quod quæritur, id vt ad rem facit est esse, quod considerari potest dupliciter, vel sub ratione entis absolute, ac ita ad solum Metaphysicum pertinet, vt etiam quid, & hoc dicitur in principio sexti Metaphysicæ, Vel cum contractione ad aliquod definitum genus, veluti ad Physicum; ita valet Physicus id considerare, & ostendere. His præassumptis dico ex se patere naturam esse, quia cadit sub sensum, & Physicum non posse id ostendere, neque etiam Metaphysicum id posse facere, tanquam rem obscuram, sed posse occurrere negantibus eam, & vnà cum dialectico rationibus communibus & probabilibus posse id colligere, at facere hoc non est ostendere rem obscuram per notiora, sed formare rationes ad homines perperam affectos per concessa ab eis, & redigendo eos ad pugnantia & conspicue absurda. Rationes aduersæ facile diluuntur; dicebatur primo id posse varijs rationibus colligi; iam hoc solutum est. Addebatur secundo notitiam eius pendere ex notitia alterius; Respondeo id per quod aliquid cognoscitur, vt ad rem facit, esse duplex, vel esse aliquid distinctum ab eo, & tanquam causam eius, vt interpositio Terræ se habet ad Eclypsim Lunæ, & tunc per id proprie dicitur posse ostendi; vel est aliquid, quod ita iunctum est cum eo, vt sit eiusdem rationis cum illo, veluti priuatio luminis & Eclypsis, & tunc vnum non dicitur ostendi per aliud, sed dicimus vt de vno, ita de altero se habere; & ex eis formatur syllogismus hypotheticus per naturã, de quo vera est ea regula, Si antecedens sequitur cõsequens, antecedens cum modo sequitur consequens cum eodem modo, vt patet ex primo Priorum. Hoc indicauit Philosophus in hoc contex. nam vice eius quod constet naturam esse, dixit, manifestum enim est huiusmodi entia, (nimirum prædita interno principio motus) esse multa: indicans quod eadem est ratio definiti & definitionis declarantis quid. Dicemus itaque, si datur internum principium motus, datur & natura; quod antecedens sit, patet, quare & consequens, & cum lateat quid sit motus quamuis proxime pateat naturam esse principium motus, tamen non distincte constat quid sit, quousque quid sit motus non patuerit, & ob id Aristoteles in procemio tertij libri proponit declarandum quid sit motus. Addebatur etiam ex se patere quid sit natura; Respondeo ab Aristotele hoc non ostendi, sed colligi ex sensu conspicuis; nam inquit Philosophus in primo de Moribus, Principia assuetudine, vel inductione, vel sensu innotescere. Addebatur excusationem esse redundantem, quia ostendere rem esse officium est Metaphysici; iam dixi id esse verum, dum consideratur pro esse absolute, non cum contractione, ad definitum genus. Quomodo autem naturam esse sit ex se notum iam dixi; De sententia Auicennæ dico quamuis de Natura hoc constet quod sit, tamen de ea formari possunt quæstiones variæ ad alia ei competentia pertinentes; & si accurate perpenduntur dicta Auicennę, parum eius sententia a nuper explicata seiungitur, at in eius dictis morari nolo.

*VIDETVR autem nonnullis Natura & substantia eorum, quæ Natura sunt, esse id quod primum subiectum est vnicuique, non formatum ex se, vt Lecti Natura Lignum, Statuæ autem æs: Signum autem affert Antiphon, quoniam si quis Lectum Terra obruat adeo vt putredo vim recipiat, & inde prodeat Germen, non vtique fieri Lectum, sed Lignum, tanquam accidens sit ea dispositio, quæ est secundum Legem, & Ars; Substantiam autem esse eam, quæ permanet hoc patiens continue, si autem & horum vnumquodque ad aliud hoc patitur, vt æs quidem & aurum ad Aquam, ossa autem & ligna ad Terram, similiter autem & aliorum quodlibet, illa naturam esse & substantiam ipsorum. Quocirca hi quidem Terram, alij ignem, alij aerem inquiunt, quidam aquam, nonnulli autem quædam horum, aly omnia, hæc Naturam statuunt eorum, quæ sunt: Quod enim aliquis eorum existimauit, idipsum siue vnum, siue plura inquit esse vniuersam substantiam, Alia autem omnia putauit esse affectiones eorum, & habitus, & dispositiones, Et eorum quodlibet esse perpetuum, non enim eis competere posse mutationem ex seipsis, alia autem fieri & interire infinities. Vno igitur modo natura ita dicitur prima vnicuique subiecta materia habentium in se motus principium & mutationis.*

Com. 7. Com. 8. Com. 9. Com. 10.

DECLARATO quid sit Natura, patefaciendum occurrit quæ sint ea, quibus cum nomen, tum definitio naturę competat, & iure; nam de primo consensere Philosophi omnes; putarunt conditiones Naturæ duas esse, vnam vt sit essentia rerum natura constantium, alteram vt sit principium operationis earum; At cui ea competant longe secus senscrunt ac Aristoteles, propterea tenebatur id patefacere. Diuiduntur hi quatuor iuncti contextus in quinque partes, quæ in earum explicatione patebunt. Inquit primo nonnullis, hoc est veteribus Philosophis videri Naturam, quæ est essentia rerum, esse subiectum primum, & id quod ipsi materiam primam putarunt, quod Antiphon Sophista ita ostendit. Id quod in permutationibus seruatur, & simile generat, iudicari debet Natura, huiusmodi autem est materia, quod ostendit exemplo Lecti lignei Terra obruti, adeo vt putredo eius facultatem recipiat gignendi; inspicimus enim tunc germen prodire, quod Planta & lignum est, non autem prodire lectum, idque accidit quoniam ea forma & dispositio lecti ex lege, hoc est ex recta Artis ratione pendens, & Ars quædam esse dicitur, quia eius est opus, accidens est, substantia autem & Natura lignum est, quod varijs accidentibus, & permutationibus subijcitur, Et quoniam id quod de lecto & ligno dictum est ad Artem pertinet, & gratia exempli est prolatum, Ideo in secunda parte inquit id ipsum debere intelligi de cunctis natura constantibus, adeo vt id quod fungitur officio materiæ sit natura, & substantia, forma vero sit accidens, veluti æris & auri natura est aqua, quoniam metalla sunt, quæ ex vapore aqueo gignuntur, & a Platone in Timæo inter species aquæ numerantur & dicuntur fusiles aquæ; Lignorum autem & ossium natura & substantia est Terra, quæ in eorum mixtione imperium obtinet; Ex quo in tertia parte elicit, quod id quod veteres materiā statuerunt,

Institutum. Diuisio. Expositio.

statuerunt, id ipsum dixere naturam & essentiam rerum, veluti Hesiodus & Pherecides Chius, siue vt ait Galenus in lib. de historia Philosophorum, Pherecides Syrus præceptor Pythagoræ terram, Heraclitus ignem, Diogenes aerem, Thales Milesius aquam, Parmenides ignem & terram, Empedocles omnia quatuor Elementa, vt materiam, ita naturam putarunt & vniuersam substantiam rerum; cætera vero omnia dixerunt accidentia, vel firma & constantia vt habitus, vel facile mobilia, vt dispositiones. Ac vt latius explicet sententias veterum, & conditiones materiæ, & Naturæ cōsimilitudinem, Addit pro quarta parte, Veteres vt Naturam, & essentiam rerum, ita id quod materiam statuerūt, iudicasse immune ab ortu & interitu, quoniam omne quod fit ex materia fit, quare materia fieri non potest, alioquin fieret ex seipsa & esset ante quam fieret; qua ratione etiam est vsus Aristoteles in primo Physi. 82. cætera autem, quæ accidentia putarunt, dixere infinities variari, ac ita ens dixere ingenitum, & concesserunt permutationem accidentium, & generationem secundum sensum. Ex quibus omnibus, consensione veterum colligit Philosophus quinto loco conclusionem, quæ est, Vno modo Naturam dici primam vnicuique subiectam materiam, habentiū in se principium motus, & mutationis; inquit vnicuique, quia veteres cœli & mortalium eandem putarunt materiam; addit habentium in se principium motus, denotando Physica, contradistincta ab Artificiosis, quæ eo carent; & ob id etiam in contex. 6. dixit, patere huiusmodi entia, nimirum prædita interno principio motus esse multa; non autem dixit omnia, ob artificiosa.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Ex falsis colligi verum.*

Considerandvm primo ex principijs falsis posse colligi cōclusionem veram; quod seruatur in relata ostensione, nam veteres per principia, quæ vera non sunt, colligebant materiam esse naturam; quam conclusionem Aristoteles approbat, inficiatur tamen eam simile generare, sed hoc officium tribuit formæ. Considerandum secundo, quod lignum

*An lignum generet lignum.*

putrescens non emittit germen, id enim est officium ligni viuentis per animā nutrientem, vt inspicimus frequenter ligna salicis adhuc seruantia vitam pullulare; tamen Aristoteles hoc exemplum populare concedit. Considerandum tertio, quod Aristoteles

*Duo principalia ad naturam attinentia.*

considerans cui competat Naturæ nomen, & conditio, duo inspicit, nimirum essentiam & operationes & præsertim generationem, hæc enim sunt duo ad Naturam attinentia. Considerandum quarto, quod vis putredinis, de qua loquitur Aristoteles,

*Vis putredinis.*

est collocata in eo spiritu humoris putridi, proportione respondente genituræ & semini, per quem spiritum materia putris redditur fœcunda & valet viuens aliquod gignere.

*Albertus Magnus.*

Albertus Magnus inficiatus est Plantas gigni posse ex putri, Aristoteles tamen id concedit, & rationi est consentaneum; cum enim ex putri gignantur animalia, longe magis putandum est posse gigni Plantas nonnullas, quamuis ligna destituta vita non valeant pullulare & similia generare, vt dixi; nam ea quæ fiunt ex putri, non dicuntur fieri a simili.

*Octo dubia.*

At octo præsertim se offerunt difficultates, quas singulatim proponam & diluam.

*Primum.*

Primo Philosophus videtur pugnantia proferre, nam ex vna parte inquit materiam esse naturam, quia similem generat, vt lignum lignum; Ex altera inquit veteres putasse naturam, & materiam nec gigni, nec interire.

*Solutio.*

Soluitur dicendo quod quando Aristoteles ex sententia Antiphontis inquit lignum emittere germen & lignum, non denotat lignum fieri, sed idipsum seruari, & mutari accidentia, ideo inquit

*Secundum.*

substantiam esse eam, quæ permanet, hoc patiens continue. Dubitatur secundo quid denotet Philosophus inquiens primum subiectum vniuscuiusque non formatum secundum se. Nonnulli aiunt denotari propriam & proximam materiam rerum, vt lecti lignum, æris aquam, ligni terram; nam hæc dicitur informis secundum se, hoc est

vt

vt materia eius,prima autem materia est informis absolute. At hi aberrant,nam Aristoteles eam denotat materiam, de qua colligit conclusionem, at ipse eam colligit de prima materia; confirmatur,quia veteres de hoc consenserunt quod ea esset Natura, quam putarunt materiam primam, vt etiam refertur ab Aristotele. Propterea dicamus Aristotelem denotare materiam primam, de cæteris autem mentionem facere gratia exempli,& per analogiam; quæ prima materia secundum se est informis per negationem,hoc est ex sui conditione & pro sui constitutione nullam includit formá; nam materia non eget forma vt sit,sed vt actu existat, & subsistat. *Solutio.* Tertio dubitatur, quia Aristoteles ligna dicit Terrea,in quarto Meteororum cont. 42. inquit esse aerea, & terrea,præsertim tamen aerea & ob id supernatare in aqua,præter ebenum. *Tertium dubium.* Dicamus ligna dupliciter considerari,vel secundum propriam substantiam, ac ita sunt Terrea,vel secundum aerem inclusum in poris & cauitatibus eius,& ita esse aerea,excepto Ebeno, quod eis caret & aerem excludit. *Solutio.* Quarto dubitatur, quia in primo Metaphysicæ 14.& in primo de Anima 32. ait Elementa omnia sumpta fuisse a veteribus pro materia, excepta Terra; nemo enim Terram solam putauit materiam; nunc oppositum profert. *Quartum dubium.* Soluitur per ipsummet Aristotelem in primo Metaphysicæ dicentem id debere intelligi de Philosophis non de Theologis; nam Hesiodus,Pherecides, & Moyses inter Theologos numerantur. Quinto dubitatur de materia proxima, an ea quoque sit Natura. *Quintum dubium.* Aristoteles in hoc cap. id tribuit materiæ primæ; nam materia proxima,vt carnes & membra, Naturam habent; in quinto autem Metaphysicæ cap. de Natura,etiam id tribuit materiæ proximæ; Soluitur dicendo materiam proximam dupliciter posse considerari; *Solutio.* Primo pro suo esse absoluto,& ita est composita & habet naturam; Secundo cum relatione ad sequentem formam,quæ natura sit, ad quam est facilis,& parata,& hac consideratione ea quoque est natura. Aristoteles tamen id solum tribuit materiæ primæ, tum quia per eam cæteræ redduntur materiæ; tum insuper quia ea solum est natura,non autem modo aliquo naturam habet, vt materia proxima. Sexta dubitatio est de Materia Cœli, an ea sit natura; & videtur quod non, quoniam ea non iunctam habet generationem,quæ est opus naturæ maxime consentaneum. *Sextum dubium.* Insuper Aristoteles in 5.Metaphysicæ ait materiam esse naturam,quia recipit naturam,quæ est principium motus,at ea cœli naturam non recipit,motores enim Cœlorum sunt supra naturam, non naturæ. Respondeo Aristotelem modo loqui de Natura mortalium, vt dixi, hæc tamen secundum quandam analogiam mox transferuntur ad cœlum,in qua eleuatione (vt dixi in præcedentibus) cœlum distincta consideratione & Natura,& habens naturam dici potest; *Solutio.* nam quæ apud nos distinguuntur,frequenter in superis veniunt in idem; magis proprie tamen dicitur Natura: at instabatur,quia non nectitur cum ortu; respondeo, cœlum necti cum primo motu, qui modo aliquo est generatio,& interitus, & est commune principium generationis mortalium. Addebatur quod non recipit Naturam; respondeo primo sat esse quod recipiat motum naturalem,ad quem sit procliue; insuper recipit formam,quæ cum sit supra naturam, præbet naturæ munera secundum quandam eminentiam. Dubitatur septimo, cur materia artificialium non sit Natura, cum ea sit substantia & subiectum alicuius generationis; *Septimum dubium.* Respondeo eam esse totum quoddam completum,quod habet Naturam; *Solutio.* insuper non est natura, quia naturam non recipit, nec formam supra naturam,sed solum accidentia; addo tertio generationem, cui subijcitur, non esse Physicam, sed Artificiosam & violentam, ad quam sui conditione non est facilis. Octaua dubitatio est de prima materia,an recte dicatur Natura; *Octauum dubium.* Videtur quod non,quia non est principium motus,sed dicitur materia habentium principium motus, tanquam aliquid ab eo distinctum. Insuper natura est essentia rei,& principium operationis eius, hæc autem sunt munera formæ non materiæ: præterea inquit Aristoteles in cont. 11. quod ante quam forma carnis adueniat,nil naturæ carnis adesse dicitur, quare materia non est pars Naturæ eius; Sic forma dicitur essentia & totum id quod res est. Sol-

uitur

*Solutio,* uitur dubitatio dicendo materiam primam non esse naturam propriam, sed communem, nec esse principalem, sed secundariam, nec esse partem essentiæ in prima significatione, sed in secunda; & hoc ostendunt instantiæ: hinc antequam adueniat forma alicuius, nil naturæ propriæ eius adesse dicitur, cum tamen adsit natura communis.

*Nonum dubium.* At quæritur, cum variæ sint notiones materiæ, in qua notione ei competit nomen & conditio naturæ? Respondeo materiam in prima notione non dici naturam, nisi late, *Solutio.* vt naturæ nomen dicitur de quauis essentia, non autem proprie, quia nullius est pars nec principium transmutationis; in secunda notione dum refertur ad formā recipiendam est natura potestate, & natura, vt facilis & parata ad formam; in tertia notione dum consideratur cum forma, est natura actu, cum actu sit prædita forma, & vnà cum ea, saltem vt causa sine qua non, conspiret ad permutationes secundum naturam, quæ compositorum esse dicuntur. Sed alia occurrit pulchra dubitatio, cum omnis gradus

*Decimum dubium.* formarum materiatarum dicatur natura, cur etiam non omnis gradus materiæ dicitur

*Solutio.* natura, sed sola prima materia? Soluitur primo dicendo etiam omnem gradum materiæ, dum refertur ad formā sibi respondentem, dici naturam, vt patuit in præcedētibus. Addo tamen id magis dici de forma, quam de materia proxima, quia quæuis forma simplex est, non autem materia proxima, vt carnes. Insuper non datur vna communis materiata forma, per quam cæteræ sint formæ, vt datur vna communis materia, a qua habent sequentes gradus, vt materiæ sint.

*Cont. 11.* *ALIO autem modo forma & Species, quæ secundum rationem: Vt enim Ars dicitur quod Arte constat atque Artificiosum, ita natura quod secundum naturam dicitur & Naturale; Neque enim id dicimus modo aliquo habere secundum Artem quid, si potestate solum est Lectica, & non dum habet Speciem lecticæ, neque esse Artem, neque in his quæ natura constant; Quod enim potestate caro est, vel os, non dum habet suā naturam, antequam formam acceperit, quæ secundum rationem, quam*

*Cont. 12.* *definientes dicimus quid est caro vel os, neque natura est. Quare alio modo natura erit habentium in se motus principium forma & Species, quæ nisi ratione separari non potest.*

*Institutum.* OSTENSO consensione veterum naturæ nomen dici de Materia, ostendit

*Diuisio.* modo Philosophus ex opinione propria id ne dum dici de forma, sed præsertim & magis proprie; & tria facit, primo proponit sententiam suam, secundo eam ostendit, tertio conclusionem colligit. Sententia

*Expositio.* eius est, alio modo naturæ nomen dici de forma rerum natura constantium, per quam in specie constituuntur, & quæ per definitionem explicatur, indicando formas substantiales ex materia pendentes; Hanc sententiam ratione analogica, ex Artificiosis deprompta in secunda parte ita confirmat. Vt Artificiosum nuncupatur Ars, ita quod Natura constat nuncupatur Natura, sed artificiosum tunc solum dicitur Ars, artisque particeps, dum formam includit, quare simili modo quod natura constat, tunc solum naturæ suæ conditionem dicetur includere, dum forma fuerit prę ditum, veluti caro, os, & similia tunc solum dicuntur sua natura prædita, dum formam receperint, quæ est ratio & definitio eius: at quia propter quod vnumquodque & id magis est, forma maxime iudicanda est natura; Ex quo in tertia parte colligit Philosophus

ſophus, alio modo naturam dici de forma præditorum interno principio motus, quæ ſeiungi apta non eſt, niſi ratione.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDVM primo, quod quamuis Natura primo dicatur de forma, & ob id iudicare valeamus Ariſtotelem debuiſſe ordiri ab ea, tamẽ recta ratione a materia eſt orſus, tum quia eſt origine prima; tum quia ea veterum omnium conſenſione natura eſt; tum tertio, vt valeat priſcam ſententiam explodere putantium materiam ſolam eſſe naturam. *Primo conſiderandũ.* Inſuper cõſiderandum quod Artificioſa nonnunquam nil aliud ſunt, niſi Phyſica, vno vel alio modo diſpoſita, & ordinata, vt patet de Plantis ab Agricola paratis, & diſpoſitis; nonnunquam re vera ſunt forma aliqua ex Arte pendens, vt patet de muſica, de forma domus, de picturis quæ formæ etiam ad ſpeciem aliquam prædicamenti præſertim qualitatis rediguntur; non enim in ſerie prædicamentorum ſola Phyſica locum habent, vt patet de habitibus animi, vel aſſuetudine, vel diſciplina formatis. *Secundo.* At quinque occurrunt dubia; Primum eſt quia Ariſtoteles inquit artificioſa dici Artem, quod verum non eſt, cum Ars ſit habitus Mentis; ſimiliter dicit natura conſtantia dici Naturam, cuius oppoſitum docebit in ſequenti contex. *Prima dubitatio.* Soluitur dicendo Ariſtotelem eo loquendi modo noluiſſe aſſerere ea cõpoſita dici Artem vel naturam, ſed indefinite fuiſſe loquutum, vt patefaceret perinde Naturam ad naturalia ſe habere, ac Ars ſe habet ad Artificioſa. *Solutio.* Quod ſi etiam ſeruare volumus ea eſſe Artem, ſiue Naturam, dicemus compoſitum eſſe Naturam naturatam, inſuper eſſe naturam per denominationem & participationem formæ, & demum eſſe Naturam pro primo ſignificato; docet enim Philoſophus in 8. Metaphyſicæ contex. 7. & 8. nomina compoſitorum primo denotare formam, vt Animal animam, Non autem eſſe Naturam proprie pro contradiſtincto ab habente Naturam, vt ſemetipſum declarabit. Dubitatur, ſecundo quia non videtur Natura reſpondere Arti, vel vice verſa, vt ait Philoſophus; Natura enim eſt forma rerum Natura conſtantium, non ſeparabilis ab eis; Ars autem non eſt forma Arte conſtantium, ſed eſt habitus animi; quare ex ratione Ariſtotelis non colligemus formam eſſe naturam, ſed opus aliquod eius, vt forma arte conſtantium non eſt Ars, ſed opus Artis. *Secunda.* Hinc Simplicius ait proprie Naturam Arti reſpondentem non eſſe formam naturalium, ſed propenſionem materiæ ad formam & tanquam ſemen eius. *Simplicius.* At Simplicio dimiſſo, qui Platonẽ ſequitur, de quo in digreſſione aliquid dicam, Reſpondeo cum Ariſtot. Artem & Naturam partim ſimilia, partim diſſimilia eſſe; nam duo ſunt officia Naturæ, conſtituere, & eſſe principium operationis, & præſertim generationis; quæ duo in forma, quæ natura eſt, ſunt coniuncta, quia ſimile generat ſimile, in Arte impotentiore ſunt ſeiuncta; Naturæ vt operanti reſpondet Ars pro habitu Mentis, Naturæ vt conſtituenti reſpondet forma artificioſi; Et quoniam hoc erat id quod inſeruiebat Ariſtoteli, ideo conſiderauit Artem pro forma Artificioſi, & ei dixit naturam eſſe ſimilem, vt enim ea eſt id totum Artis, quod præſertim in Artificioſo refulget, ita forma rerum natura conſtantium eſt propria natura eorum: ita ſumenda eſt ſimilitudo Naturæ & Artis, non vt minus recte explicatur a Simplicio. *Solutio.* Dubitatur tertio, quia regula eſt nil debere colligi in concluſione, quod non fuerit aſſumptũ in præmiſſis; Ariſtoteles non ſeruat hanc regulam, nam colligit formam eſſe Naturam, & addit quæ ſeparari non poteſt niſi ratione; hoc non eſt præaſſumptum, neque aliquid eſt dictum, ex quo videatur poſſe elici: *Dubitatio tertia.* Reſpondeo nil debere colligi in concluſione, quod niſi actu, ſaltem facultate non includatur in præmiſſis; quod forma, quæ eſt natura, non ſit apta ſeiungi niſi ratione, includitur in præmiſſis facultate, quia in præmiſſis accipiebatur ea forma, quæ tribuit eſſe compoſito, & eſt id quod ipſum eſt; huiuſmodi autem ſunt illæ ſolæ formæ, quæ ſeparari nequeunt, cum perfectio & eſſentia *Solutio.*

compoſiti

*Dubitatio quarta.* compositi non valeat esse sine eo. At quarta oritur dubitatio, quia Aristoteles videtur secum pugnare; in hoc contex. concedit formas Physicas posse ratione seiungi; oppositum affirmabit in contex. 19. eo enim loci inquit formas Physicas perinde se habere, ac simum, quod definitum exposcit materiam & sine ea definiri nequit. *Solutio.* De hoc varia dicuntur a viris doctis, quibus silentio decursis, breuibus dico formas Physicas dupliciter posse considerari, vel pro suo esse absoluto, vt actus sunt, vel pro esse relato, nimirum vt Formæ Physicæ exposcentes definitam materiam: pro suo esse absoluto possunt circumscribi sine materia, vt etiam materia pro sua prima notione circumscribi potest sine forma; at pro esse relato, ac vt forma Physica est, non valet sine materia recte definiri: Et addo, quod quamuis forma per materiam, & materia per formam definiantur, tamen dicuntur distingui ratione, quia eorum distincta est definitio, vt etiam seruus a domino ratione distinguitur, quatenus definitio vnius non competit alteri. Mens itaque vt dicitur ab Auer. 12. Metaphysicæ 39. eatenus est potentior quàm natura, quatenus valet multa resoluere, & secernere, quæ per naturam seiungi nequeunt; sic in primo Physic. de homine Musico dicebat Aristoteles resolui definitionem totius in definitiones componentium. *Quinta dubitatio.* At dubitatur quinto an vera sit conclusio quod forma sit natura; *Solutio.* Dico, forma non quæuis, sed species, hoc est ea per quã Physica in specie constituuntur, & quæ est id quod compositum Physicum est, & per definitionem corporis Physici explicatur; materia vero, eius dicitur vehiculum, vt patet ex calce huius libri. *An Mens sit Natura.* At dubitatur, quia etiam forma separabilis, vt humana Mens, videtur Natura, cum sit internum principium motus, & consideretur a Naturali Philosopho, & sit actus corporis Physici Organici, vt patet ex secundo de Anima: præterea formæ Physicæ non videntur naturæ; primo quia inquit Philosophus, vt se habet de Arte, ita de Natura; addo minorem, forma Arte constantium non est Ars, igitur nec forma constantium Natura: præterea huiusmodi formæ sunt in subiecto, variantur, seruato subiecto, recipiunt magis & minus, prædítæ sunt cõtrarietate differentiarum, propterea videntur esse accidentia, & sola materia cum veteribus videtur iudicanda Natura. His addo quod Natura debet præesse materiæ, quia collocatur sub Deo, non autem debet ex materia pendere, vt pendent materiatæ formæ. Demum Natura videtur præesse etiam cœlo, nam in primo de Cœlo 31. Philosophus loquens de cœlo & motu eius, patefaciens in cœlo nil esse frustra, inquit Deum & Naturam nil facere frustra, indicans etiam cœlum ex Natura pendere, quod tamen non pendet ex Physicis, & materiatis formis. *Solutio.* Arduas tetigi difficultates, quibus nitar breuibus satisfacere. *Quatuor gradus formarum.* Pro notitia accipio formas quatuor esse graduum, quædam sunt supra naturam a materia solutæ, quarum caput, formarumque forma Deus est. Aliæ sunt formæ ex materia pendentes, quarum suprema est Phantasia; infimæ sunt formæ Elemẽtorum, quæ nomine Naturæ denotantur; Tertium genus constituunt formę magna ex parte æmulæ naturæ, & sunt formæ Arte constantium. Quarti generis sunt formæ accidentium asseclæ Naturæ, *Mens hominis non est Natura.* humana Mens non est Natura, vt ostenditur in primo de partibus animalium, nec pro suo esse absoluto attinet ad Physicum, vt eodem in loco docet Philosophus, sed solum pro esse relato, vt particula animæ, Natura nexum habet cum generatione, constituit corpus Physicum, & est internum principium operationum naturalium eius, huiusmodi solum sunt materiatæ formæ. Insuper considerandum materiatas formas latere sensum, operari per accidentia, & per eadem cognosci, & ob id veteres putarunt eas esse accidentia, non substantiam, & Naturam, Pythagoras & Socrates præsertim cœperunt eorum errorem explodere; Id quod maxime indicat eas esse substantiam, est, quia ostenditur dari formas a materia solutas, quas veteres non cognouerunt, & per id ducimur in notitiam, quod detur genus formarum substantialium, quæ dominantur materiæ: id ipsum colligimus, quia per earum varietatem, variatur essentia, nomen, definitio, & operatio rerum, quæ indicant imperium supra materiam. Ex his eliciuntur solutiones instantiarum; de humana mente iam dixi;

dixi; addebatur formas arte constantium non esse Artes; iam patefeci similitudinem & differentiam Artis & Naturæ, quam non repeto. Addebatur eis competere conditiones accidentium, respondeo esse in parte similes, at non easdem, vt alibi patefeci, & conspicuum est. Dicebatur Naturam præesse materiæ & dominari Cœlo, non autem ex materia pendere; respondeo Naturam pro suo esse absoluto, & ordine dignitatis præesse materiæ, & materiam esse Naturam infimam; At ordine originis, in his quæ fiunt & intereunt, contra se habet; posterius enim origine, est dignitate prius, & dum dicitur Cœlum ex Natura pendere, respondeo tunc secus vsurpari Naturæ nomen, vt in digressione patefaciam.

*QVOD autem ex his est Natura quidem non est, sed constat Natura; Atque Natura magis ipsa est, quam Materia, quoniam vnumquodque tunc dicitur cum actu fuerit magis, quam cum potestate;* *Cont. 12.* *Adhuc gignitur ex homine homo, sed non lectica ex Lectica, & propterea inquiunt non figuram esse Naturam sed Lignum, quia si germen proferat, non Lectica sed Lignum exoriatur; si itaque hoc est Ars, forma quoque est Natura, gignitur enim ex homine homo.* *Cont. 13.*

DECLARATO materiam & formam esse naturam, considerat modo compositum ex vtrisq; ac insuper comparat duplicem naturam ad inuicem; & soluit rationem Antiphontis. *Institutum.* Diuiduntur hi duo contex. in tres partes; *Diuisio.* In prima consideratur compositum ex materia & forma, & dicitur constare natura, natura præditum, naturamque habens; quod conducit pro confirmatione, *Expositio.* quod forma sit natura; non enim compositum diceretur habere Naturam, nisi componentia illud & præsertim forma natura esset; In secunda parte comparans materiam & formam ad inuicem, asserit formam præsertim esse naturam; quod ita ostendit; Id magis statuendum est natura, per quod constantia natura actu constant, quam id per quod constant potestate; actus enim est finis & absolutio; sed per formam actu constant, per materiam potestate, forma itaque magis iudicanda est natura. Nonnulli, e quorum numero est Simplicius, inquiunt Aristotelem comparare *Simplicius.* compositum cum materia, adeo vt sententia sit, compositum magis quam materiam, esse naturam; quæ expositio non est approbanda, tum quia dixit compositum nõ esse naturam; tum quia ratio sumpta ex actu & potentia indicat comparari formam cum materia; tum quia Aristoteles solum colliget Naturam dici de materia & forma; tum demum quia verba Aristotelis conspicue hoc denotant. Adhuc gignitur ex homine homo, &c.] In hac tertia parte argute Aristoteles suo more euertit fundamentum Antiphontis relatum in contex. 7. & ita euertit, vt id reflectat in Antiphontem, & ex eo suam sententiam colligat. Argumentabatur Antiphon, Id est Natura, quod generat simile, concedit hoc Aristoteles: at addit minorem oppositam, quæ est, sed forma generat simile, quare ea est natura; ostenditur minor, quia homo generat hominem, similitudo quorum ex forma pendet, & in ea est posita; dicebat Antiphon quia Lectica non generat simile, non est natura, sed Ars, & accidens; infert Aristoteles, si non est natura sed Ars, quia non generat simile, igitur propria forma Physicorum, quia generat simile, natura erit, per regulam posterioristicam, si negatio est causa negationis, affirmatio erit causa affirmationis.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDVM primo Aristotelem nomine endelechiæ denotare
omnem formam, quæ natura est; vt pateat perperam Ciceronem dixis-
se vocem eam denotare motum perennem, & formatam ab Aristotele
fuisse, pro denotãda essentia quinta animæ, distincta ab ea quatuor Ele-
mentorum; nã Aristoteles ea voce vtitur pro denotando quouis actu,
potentiæ opposito siue separato, siue materiato, siue substantiæ, siue accidentium, vt
explicans animæ definitionem patefeci. Insuper considerandum quod quemadmo-
dum forma est magis natura quam materia, ita magis est essentia rei, veriusque inter-
*Prima dubitatio.* num principium operationum, ex quo nomen, distinctio, & rei definitio eliciatur. At
quæritur primo, cum composita Naturalia dicantur habere naturam, num etiam cõ-
posita Artificiosa dicantur habere Artem; id enim verum non videtur, quoniam Ar-
*Solutio.* tifex ille est, qui Artem habet, non opus Artificiosum. Soluitur dicendo cũ duo offi-
cia, quæ in Natura sunt iuncta, nimirum vt sit essentia rei, & principium operationis
eius, in Arte esse seiuncta, & ob id cum Artifex, tum Artificiosum dicuntur habere
Artem, Artifex pro principio productionis, Artificiosum pro forma constituente; om-
nis enim forma, quæcunque forma sit, in suo genere largitur esse composito. At du-
*Secunda.* bitatur secundo, Si composita, quæ natura constant, includunt duplicem naturam,
*Solutio.* tunc vnius non erit natura vna, sed duæ. Respondeo vnius esse duas Naturas subor-
dinatas, ex quibus consurgit per se vnum; nam ex actu & potentia per se vnum con-
surgit, vt dicitur in 8. Metaphysicæ: Insuper vnius duæ sunt naturæ, vna communis,
altera propria contrahens communem tanquam postrema differentia, quæ dicitur to
*Tertia.* tum id quod res est, vt patet ex 7. Metaphysicæ 43. Sed occurrit tertia dubitatio, cum
detur forma totius consurgens ex forma & materia partis, num ea forma totius dici
debeat Natura, vel habens naturam; nam videtur Natura, cũ sit forma vna, vere prin-
cipium integrum operandi; respondeo formam partis esse Naturam originalem, sim-
plicem & Naturantem, quam modo considerat Aristoteles; formam vero totius, rela-
tam ad eam partis, esse præditam natura, & dici posse Naturam consurgentem, & Na-
*Solutio.* turatam. At dubitatur quarto, quoniam Philosophus hoc in loco inquit Artificiosa
non fieri a simili, cum tamen in 12. Metaph. 18. dicat ea quoque a simili fieri; soluitur
ea fieri a simili exemplo, repræsentatione, & recta ratione, qualis est Ars, non autẽ fie-
ri a simili, secundum existentiam, & modum existendi, vt fiunt Physica. Quo autem pa
cto homo generet hominẽ, cum mens extrinsecus accedat, non est præsentis conside
rationis. Dubitatur quinto, quia Aristoteles non videtur recte soluere rationem Anti
*Quinta.* phontis; Nam Antiphon dicebat ex ligno fieri lignũ, & fieri ex accipiebat vt pertinet
ad Materiam, Aristoteles soluens ait ex homine fieri hominem, sumendo ex vt perti-
*Solutio.* net ad efficientem; Respõdeo materiæ non competere munus producendi simile, sed
efficienti, ideo sententiam falsam Antiphontis Aristoteles in veram conuertit; Et si
etiam lignum pullularet, germenq; emitteret, id faceret non quia materia simile pro-
duceret, sed per facultatem seminariam, vel putrem ei similem, cui competeret vis effi-
ciendi aliquid, quæ modo aliquo forma est.

*Cont. 14.* *ADHVC natura, quæ vt generatio dicitur, via est ad Naturam, non enim vt medicatio ad sanitatem non ad Artem medendi est via: oportet enim ab Arte medendi non ad Artem medendi esse medicationem; Sic Natura se habet ad Naturam, sed quod fit ex aliquo in aliquid, venit quatenus fit; ad quid itaque fit? non ad id ex quo, sed ad quod; forma itaque Natura est.*

AFFER-

AFFERTVR ratio tertia, quod forma sit Natura, quæ sic formatur; Id per quod via ad illud nuncupatur Natura, debet iudicari Natura, sed per formam, generatio, quæ est via ad formam, nuncupatur Natura, quare forma est iudicanda Natura. Diuiditur contextus in duas partes; in prima profertur id quod includit vim vniuersæ rationis; in altera explicantur attinentia ad minorem propositionem. Inquit in prima quod Natura dicta de generatione, est via ad Naturam, hoc est generatio nuncupatur Natura, quia ducit, & via est ad Naturam; ex quo elicimus rationem supra formatam. Et pro minoris explicatione & approbatione, ait in parte secunda, Non se habere de Generatione, dum nuncupatur Natura, vt se habet de medicatione, quæ denominationem recipit non a fine, qui est sanitas, sed a principio, quod est Ars medendi; nam de Natura dicta de generatione secus se habet; ea enim recipit nomen a fine, quia id quod per naturam generatur, dicitur tendere in definitum aliquid, a quo nomen recipit, id autem ad quod tendit, finis est, qui est forma.

*Institutum.* *Ratio.* *Diuisio.* *Expositio.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDVM primo, quemadmodum cum Natura summopere iuncta est generatio, adeo vt dicatur opus naturæ summopere consentaneum, ita nomina, quæ debent esse consentanea rebus, adeo sunt iuncta, vt vtrunque nomine naturæ honestetur; quæ connexio, vt apud latinos est conspicua, considerando Naturam, nasci, & natiuitatem, ita præsertim est conspicua apud Græcos. Natura enim dicitur φύσις, gigni vero & φύεσθαι, & φύσεως, vt etiam retulit Philosophus in quinto Metaphysicæ, loquens de Natura, & putandum est viam recipere nomen a fine, non vice versa. Secundo considerandum nos denotare generationem nomine Naturæ, dum ea quæ nobis ab ortu & per generationem competunt, dicimus nobis competere per naturam, & ea a natura recepisse, & dum finis non est natura, generatio quoque eius non recte dicitur natura, veluti calefactio, dealbatio, & similia, non recte nomine Naturæ denotarentur. Considerandum tertio, quod cum Aristoteles asserat generationi competere nomen Naturæ, non ob id censet ei competere definitionem, quod indicat inquiens dici naturam, quia via fit in naturam, quasi dicat non ex se naturam esse, sed ob aliud, nimirum vt viæ tribuitur nomen finis, & etiam, quia via est quædam finis participatio & adeptio, præsertim dum consideratur mutatio non pro fluxu, sed pro forma, quæ per fluxum acquiritur, qua consideratione mutatio est forma imperfecta tendens ad perfectionem, & quamuis non omnis natura recipiat magis & minus, sed sola forma infra animam posita, consideratur tamen id magis & minus in dispositionibus parantibus pro forma; Ex quo elicio errare Philoponum, & cum eo omnes, qui laborant in declarando modo quo definitio naturæ competat generationi, cum ei competere non debeat, vt etiam exercitio non competit definitio sanitatis; non enim generatio, quæ est mutatio, recte dicitur internum principium motus. Considerandum quarto mutationes cum in Physicis, tum in Artificiosis magna ex parte denominari a fine, vt nos docet Philosophus in quinto Physic. contex. 48. inquiens, Et dicitur vnumquodque in quod mutatur magis, quam ex quo, vt sanatio in sanitatem, & ægrotatio in ægritudinem ducens: quod etiam affirmauit in primo Nicomachiorum; ratio est quia finis ille est, qui optatur, quæritur, acquiritur, & per quem principia & media in eum diriguntur; Ex quo constat decipi eos, qui hoc in loco inquiunt in Artificiosis denominationes magis recipi a principio: id enim absolute falsum est; solum potest dici verum facta comparatione; nam comparando Artificiosa cum Physicis, præsertim Physicæ mutationes a fine nomen recipiunt, quod eis competit duplici ratione; prima est, quia

*Primo considerandũ.* *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.* *Error quorundam.* *Ratio.*

finis naturæ magis certus magisque in facultate Naturæ est positus, quam finis Artis sit positus in facultate Artificis, vt patet de officio medici, quod non sanatio est, quia non est in facultate eius: Altera ratio est, quia Physica fiunt a simili, ideo a quouis petatur denominatio, semper seruatur, vt ea quoque sit a fine; Artificiosa vero non simi-

*Dubitatio.* liter a simili fiunt. Sed oritur dubitatio, cum generatio Physica nuncupetur Natura,

*Solutio.* num etiam generatio Artificiosa nuncupetur Ars? Respondeo eam quoque nuncupari posse Artem, veluti ædificationem nuncupamus Artem ædificandi, & dicimus in

*Secũda dubitatio.* ea seruari vel non seruari Leges Artis. Dubitatur secundo num generationes Physicæ nonnunquam recipiant nomen a principio. Aristoteles dixit eas recipere nomen a fine, quod intelligi debet de nomine Naturæ, de quo erat sermo, & vt plurimum; nam aliquando illæ quoque denominantur a principio, & præsertim dum aliquid non fit a simili; vt vini potio, non semper dicitur inebriatio, sed potio vini, & productio vermis putredo: insuper dum ea quæ eueniunt sunt incerta, vt concubitus potius concubitus dicitur quam prolificatio, quia proles dubia est. Colligamus denominationes absolute rectius peti a fine, & id præsertim in Physicis seruari, & petendas esse a fine non secundum accidens, sed secundum se, non communi sed proprio, non remoto, sed proximo.

*Cont. 15.* *SED forma & Natura dupliciter dicitur; Nam priuatio species quodammodo est; Si autem est species & contrarium aliquod circa simplicem generationem, aut non est, posterius considerandum est.*

*Institutum.* APPARVIT materiam & formam esse naturas; superest aliquid dicendũ de priuatione, & præsertim quia forma dupliciter vsurpatur pro principali, & pro ei opposita priuatione; ideo institutum Philosophi est formam diuidere, & quid de vtraque diuisionis parte sit dicendum mani-

*Diuisio.* festare. Diuiditur contextus in duas partes, in prima traditur diuisio formæ, in altera reijcitur in alium locum considerandum, an ea diuisio competat for-

*Expositio.* mæ substantiæ. Inquit in prima, cum forma dicta sit natura, diuiditur forma in principalem, & priuationem ei oppositam, & propterea vtraque iudicari debet Natura, nam priuatio est quodammodo forma. At dubium est an huiusmodi priuatio, quæ species dicitur, & contraria est formæ, locum habeat in generatione simplici, quæ substantiæ est, quod posterius se consideraturum pollicetur.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Quid denotetur nomine priuationis.* ANIMADVERTENDVM primo, quod non constat, quid Philosophus denotet per priuationem, quam speciem, & naturam affirmat; & duæ sunt expositiones. Nonnulli putant denotari absolutam priuationem, quæ inter principia numerata est, nam ea afficit modo aliquo materiam, & antecedenti formę iuncta est; quam expositionem approbandam non

*Prima expositio.* puto, tum quia ea priuatio per se est, non ens, & malefica, ideo non est natura, & pręsertim cum non sit pars rei, & opponatur formæ, nec sit principium motus, sed solum

*Secunda.* terminus a quo: Ideo est alia expositio verior, quod denotetur contrarium deterius; nam in primo Physic. confuse vtens nomine contrarij, manifestauit contraria omnia esse superabundantiam, & defectum, & hæc esse principia; propterea nunc ait ambo esse formam & Naturam. Et quoniam constat veram priuationem competere substãtię, latet autem an ei competat priuatio sumpta pro contrario deteriore, ideo se id cõsidera-

ſideraturum pollicetur: & huiuſmodi forma deterior, cum ſit tanquam priuatio & defectio, dicitur ſpecies quodammodo, non abſolute, quia eſt forma, & natura deterior. Secundo cõſiderandum nonnullos viros doctos putaſſe per huiuſmodi priuationem, quæ forma ſit, Ariſtotelem denotaſſe formam corporis coæuam materiæ. Quæ ſententia explodenda eſt, tum quia ea non conceditur ab Ariſtotele, tum inſuper quia in progreſſu, an detur, non conſiderabit, tum tertio, quia non eſſet contraria formis, ſed ſeruaretur cum eis; tum quarto, quia ea non magis accidentium, quam ſubſtantię ortui conduceret. Tertio Animaduertendum, quod cum Ariſtoteles dicat eſſe conſiderandum an locum habeat in ortu ſimplici, hoc eſt ſubſtantiæ, vbi id conſideretur, non apparet. Puto dicendum conſiderari & in quinto Phyſic. vbi manifeſtatur, in ſubſtãtia non eſſe motum; quia ei non competit huiuſmodi contiarietas requiſita pro motu, & in primo de Ortu & Interitu, vbi conceditur modo aliquo, & facta comparatione in ſubſtãtia locum habere generationem ſimpliciter, & ſecundum quid: dum enim Elementum vnum comparatur cum altero, id, quod eſt deterius, dicitur modo aliquo priuatio, & eius generatio dicitur generatio ſecundum quid; quamuis abſolute ſit generatio ſimpliciter, adeo vt huiuſmodi priuatio & contrarium modo aliquo competat & non competat ſubſtantiæ, non enim competit abſolute, ſed ſolum facta comparatione. At dubitatur, quia vni contrarium non recte dicitur eſſe illud, non enim albedo recte dicitur nigredo. At priuatio eſt contraria formæ, igitur male dicitur forma. Soluitur priuationem ad duo poſſe referri, primo ad formam, cui opponitur, & ita non eſt forma; ſecundo ad Materiam, circa quam vnà cum oppoſita forma verſatur, & ita dici poteſt forma. Addo inſuper formam dupliciter vſurpari & pro principali, & pro ea late ſumpta; priuatio oppoſita formæ principali non eſt principalis forma, eſt tamen forma ſumpta late, & dicitur forma quodam modo.

*Non denotari formã corporis.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

## *Digreſſio attinens ad Natura.*

NE dum vtilis, verum neceſſaria quoque Naturali Philoſopho eſt ſcientia de Natura, quæ vnà cum vtilitate, honeſtatem, & iucunditatem iunctam habet. Explicaui in præcedentibus eius definitionẽ, supereſt modo vt de reliquis ad eius notitiam attinentibus verba faciam. Diuidam hanc digreſſionem in quatuor partes; referam primo ſignificationes varias nominis Naturæ; tradam ſecundo varias eius diſtinctiones; patefaciam tertio connexionem eius cum Fato; Quarto nonnulla dubia proponam & diluam. Ordiens a ſignificationibus nominis eius, accipio duo præſertim Naturæ competere, primum vt ſit eſſentia rei, ideo veteres id quod rerum eſſentiam putarunt, materiam nimirum, etiam indicarunt Naturam, & ob id ipſum nonnunquam pro quauis eſſentia vſurpatur; Alterum eſt, vt ſit principium operationum naturalium, & præſertim generationis, & ob id fœcũda celebratur: propterea quibuſcunque aliquid horum modo aliquo competit, naturæ nomine denotatur. Et primo origine, & conſenſione veterum dicitur de Materia prima, poſtremo tamen dignitate, & proprietate, dum cum forma comparatur: hæc materia natura eſt, tum quia eſt pars ſubſtantiæ compoſiti; tum inſuper quia eſt facilis & parata pro recipienda forma: Secundo dicitur de materia proxima, relata ad ſequentem formam ob eaſdem rationes: Tertio de cœleſti corpore, quod eſt materia motus, ad quem eſt facile & procline. Quarto de forma ſubſtantiæ infra animam poſita, vt de formis Elementorum & mixtorum conſimilium, quæ ſunt eſſentia compoſitorum, & modo aliquo principia motuum: Quinto de omni anima ex materia pendente, quæ eſt eſſentia viuentium, & verius principium efficiens motus: Sexto de priuatione ſumpta pro forma deteriore, vt dum ſit comparatio inter Elementa: Septimo de compoſito, quod eſt Natura naturata, & natura pro principali ſignificato

*Scientia de Natura naturali Philoſopho neceſſaria.*

*Diuiſio.*

*Significationes nominis Naturæ.*

*Natura dicitur de materia prima*

*De materia proxima.*

*De cœleſti corpore.*

*De forma infra aïam.*

*De anima.*

*De priuatione.*

*De compoſito.*

*De generatione.* vt patuit in præcedentibus: Octauo de generatione, quatenus est via ad formam, & modo aliquo participatio eius: Nono de instrumentis cum virilibus, tum muliebribus generationis: *De instrumentis generationis.* Decimo dicitur de quauis essentia, omnis enim essentia & conditio rei dicitur Natura eius; ita Cicero construxit libros de Natura Deorum: *De essentia.* Vndecimo, Natura dicitur de serie & ordine communium causarum, quę nuncupatur Natura vniuersalis & a Poetis dicitur Deus Pan, denotans totum, & vniuersum; eique tribuunt fistulam denotantem consonantiam vniuersi, & alia multa vniuersi conditionibus respondentia: *De serie causarum.* Duodecimo dicitur de proprietate conditione & particulari constitutione singulorum, de qua legitur *De propria singulorum constitutione.*

*Naturæ sequitur semina quisque suæ,*

Secundum quam dicimus Platonem esse benignæ Naturæ, alium malignæ, quosdam facilis & mutabilis naturæ, alios difficilis: Decimotertio demum dicitur de facultate Seminaria, veluti apud Academicos. *De virtute seminaria.* Nam qui Platonem sequuntur, Primum constituunt Deum, cui subijciunt Mentem, ad quam pertinent Ideæ; Menti subijciunt Animam, ad quam aiunt pertinere rationes; Ex anima per rationes, & præsertim ex ea Mundi aiunt prodire vim seminariam, eamque Materiæ infundi, quam dicunt esse Naturam, adeo vt Natura sit Vis seminaria a Mundi anima infusa materiæ; quæ vis seminaria non est materia, nec forma, sed media inter vtrunque, & via ad formam, quæ forma mox inducitur per huiusmodi semina, munere rationum, & Idearum ex quibus pendent. Hinc Natura ab eis nuncupatur vita postrema; dicitur vita, quia motionē aliquam seruat, & ex anima pendet; dicitur postrema, quia prima & vera vita ad Mentem pertinet, media ad animam, postrema ad Naturam; *Natura quō vita postrema.* Deus est supra vitam & Vitæ principium, Materia infra vitam, Vita Mentis est caput Vitæ, ea animæ Medium, ea Naturæ, finis: Vita mentis est tanquam Sol, ea animæ vt Lumen, ea Naturæ vt vmbra, & imago. Et hæc satis de significationibus nominis Naturæ. Loquens pro secunda parte de distinctionibus, variæ possunt assignari diuisiones Naturæ; *De distinctionib. Naturæ.* Nam primo Natura dicitur duplex vna æterna, quale ex sententia Aristotelis est cœlum; altera mortalis; prima ætherea & cœlestis, Altera dicitur Elementaris. *Prima.* Diuiditur secundo in marem & fœminam, siue Naturam patientem, qualis est Materia, & efficientem, qualis est forma; quæ agentia & patientia sibi mutuo respondēt, & sunt semina & origines eorum, quæ fiunt. *Secunda diuisio.* Tertio diuiditur in Naturam infra animam positam cognitionisq; expertem, & in Naturam ad Animam ex materia pendentem extensam, ob quam Naturæ distinctionem, etiam vniuersa scientia de Natura in duas partes distribuitur: *Tertia.* Quarto diuiditur Natura in communem & propriam; Natura communis mortalium est materia, propria vero forma; Insuper Natura Generum & specierum dici potest Natura communis, Natura vero singulorum, propria: *Quarta.* Quinto diuiditur in Naturam vniuersalem, & particularem; Natura vniuersalis statui potest triplex, primo Deus, Diuinaque Mens; Secundo Cœlum comparatum cum mortalibus, & his quæ cœlo subijciuntur, ex eoque pendent; *Quinta.* Tertio rectius Natura vniuersalis dicitur series causarum, ordiendo a Deo, superisque Mentibus, descendendo ad Cœlestia corpora, tertio ad Elementa, ac ita progrediendo vsque ad postrema effecta; de qua vniuersali Natura id intelligi debet, quod dicitur ab Aristotele in primo de Cœlo 32. Deus & Natura nil faciunt frustra; nam consideratur series causarum, vt a Deo pendet & dirigitur, de qua etiam legitur in 12. Metaphysicæ 38. quod ex Deo pendet vniuersa Natura: de eadem vera est sententia Auerrois 12. Metaphysicę 18. Naturam dirigi ab intelligentia non errante; & hæc est ea Natura, quæ cum Fato mirum in modum nectitur, vt in progressu patebit. Ex notitia Naturæ vniuersalis, refulget quæ sit Natura particularis ab ea contradistincta. Sexto diuiditur Natura in meliorem & deteriorem; *Sexta.* de qua meliore legitur,

*Hanc Deus & melior litem Natura diremit.*

Natura melior est Natura ex materia non pendens supra materiam posita, & materiæ domina;

domina; Natura deterior est Natura materiata, ex materiaque pendens. Septimo diuiditur Natura a Boetho in libro de consolatione Philosophię, nec non ab Auer. sub initio primi de Cœlo, In Naturam Naturantem, & Naturam Naturatam, cui addere valemus membrum tertium, quod est & Naturans & Naturata. Hac diuisione frequenter vtebantur Philosophi Parisienses. Ex sententia Aristotelis per tres comparationes triplex statui potest Natura Naturans; nam primo Deus, superaque Mens, quia est origo omnium, dici potest Natura Naturans, cætera vero ex eo pendentia, Natura Naturata. Secundo comparando Cœlum cum mortalibus, id dici potest Natura Naturans, seminaque infundens in collocata sub eo, mortalia vero, Natura Naturata; Tertio comparando formam & materiam cum composito, & cum forma totius, dici possunt Natura Naturans, composita vero, Natura Naturata. His quarto addo Naturam vniuersalem sumptam pro serie causarum esse Naturam Naturantem, prodeuntia autem ex illa esse Naturā Naturatam. Ex sententia Platonis anima Mundi infundens semina in materiam dici potest Natura Naturans, Materia vero prædita seminibus, Natura Naturata. Dicebam dari etiam membrum tertium, nam Cœlum distincta relatione dici potest Natura naturans, & Naturata, similiter nonnulla alia, vt consideranti redditur notum. Et quoniam cum Natura, & præsertim cum ea, quæ dicta est vniuersa, & communis, summopere iunctum est Fatum, ideo pro absolutiore Naturæ explicatione breuibus de Fato aliquid est dicendum. Fatum ex sententia Aristotelis fundamento idem est cum Natura, distinguitur tamen ratione; dicitur enim Natura, vt est essentia rei, & principium operandi, Fatum vero magis præsefert ordinem ex aliquo principio pendentem, quasi effatum, mandatum & enunciatum. Nam vt in Ciuili imperio consideratur Princeps, cui congruit Sapientia, & Prouidentia, quam sequitur constitutio Legum, promulgatio, & executio, Ita in vniuerso Princeps omnium est Deus, Diuinaque Mens, cui competit Sapientia, eminentissima, quam sequitur Prouidentia, tanquam constitutio Legum vniuersi; Prouidentiam sequitur Fatum, tanquam promulgatio Legum. Fatum sequitur Natura, tanquam exequutio Legum, adeo vt Fatum præsertim relationem seruet ad primum Principium, Natura vero magis referatur ad præsentia, vt est essentia, & ad sequentia, vt est principiū operandi. Hinc Natura, vt sequens Fatum, dicitur ordinata, in se est ordo, relata ad sequentia, dicitur proxima causa ordinis. Diuiditur autem vt Natura, ita Fatum in vniuersale & particulare: Fatum vniuersale est vniuersa Legum ordinis vniuersi promulgatio; Fatum particulare ad particularia contrahitur, & Fatum dicitur, vt cum eo vniuersali est iunctum, ex eoque pendet; proprie tamen & absolute Fatum est id, quod vniuersale est, quod eleuatur vsque ad primum principium, & effunditur vsque ad postrema effecta. Diuidunt nonnulli Fatum in Diuinum, Astronomicum, & Physicum. Diuinum ex Deo ducitur, Astronomicum ex syderibus, de quo Manilius

*Sunt qui Sydereis tribuunt hæc omnia Fatis.*

Physicum vero ex Materia, ex cuius necessitate putarunt veteres Physici cuncta prodire. At Astronomicum, est portio Diuini Fati, & Physicum proprie sumptum est portio eius postrema. Rectius diceremus, cum Fatum denotet progressum ex aliquo primo principio, quoniam eorum quæ fiunt nonnulla dicuntur fieri propter finem, vt attinentia ad ordinem vniuersi, Alia sequi necessario materiam, vt obitus & imbecillitates, ideo duplex esse Fatum, vnum Diuinum, aliud materiatum, quod tamen etiam Diuino subijcitur a quo in bonum finem dirigitur, vt interitus vnius in generationem alterius. Academici tres statuerunt principales ordinum gradus; primum in Deo superaque Mente per Ideas, secundum in Anima & præsertim ea Mundi per rationes, tertium in Materia per semina: primum gradum tribuerunt Prouidentiæ, secundum Fato, tertium Naturæ; adeo vt Sapientia & Prouidentia sit tamquam Dux & caput, Fatum Medium, Natura postremum; includitur tamen Natura in Fato, vt in proximo principio, & Fatum in Prouidentia & Sapientia, vt in prima causa.

*Septima.*

*Fatum.*

*Propria sententia.*

*Academici*

causa. Et quoniam Fatum est medium, & Animæ, quæ mediæ est conditionis, respondet, Ideo Academici Animam Mundi Fatalem Deam nuncuparunt, vt patet ex 10. de Rep. Platonis, cuius tres aiunt esse filias, æquali inuicem interuallo in Throno sedentes, nuncupatas Parcas, vestibus albis, capiteque coronato, Lachesim, Clothon, & Atropon, quæ ad Sirenum harmoniam canant, Lachesis præterita, Clotho præsenta, Atropos futura; quæ Parcę reuera, cum patefaciant facultates & opera Fati, nil aliud denotant nisi communium causarum ordinem, constituentium Vniuersalem Naturam. Atropos enim denotat inerrantem Sphęram, Clotho septem Planetas, Lachesis res sub Luna positas. Prima loquitur, secunda scribit, tertia fila deducit: de his varia dixi in Ciuili Philosophia. Hę dicuntur Parcę, vt ait Seruius, a cōtrario sensu quia nemini parcant, vel vt censet Varro apud Gellium lib. 3. a pariendo, nam parça immutata litera vna, a partu dicta est; Vel quia a recipientibus earum munera semper parcæ nimium & auaræ iudicantur. Pertinentia ad Fatum & Parcas distinctè explicarunt Academici, vt etiam distinctè loquuti sunt de sapientia superæ Mentis, de ideis & de Prouidentia, & ob id Fatū a natura magis secreuerunt. Arist. hæc omnia minus distinxit & confusius retulit, quia Ideas nō concessit, superæque Menti cognitionem & Prouidentiam tribuit satis obscuram, vt alibi patefeci. Stoici nil supra corpus excogitātes longe deterius de Fato senserunt, cum putarint eius necessitati cuncta subijci. Nostri Theologi veritatem rectè paratis animis patefecerunt: hinc D. Aug. in 5. de ciuitate Dei inquit, Siquis virtutem, vel potestatem Dei nomine Fati appellat, sententiam teneat, linguam corrigat; Potest tamen fatum sine errore dici nedum potestas Dei, verum insuper tāquam promulgatio Prouidentiæ eius, & Natura communis, adeo vt Natura, Fatum, Prouidentia & Sapientia Dei summopere sint iuncta, & quæcunq; non per absolutam, sed per ordinatam potestatem Dei fiūt, vt Prouidentia & Fato ita etiam Natura dicuntur fieri, & vice versa, quæ fiunt natura, dicuntur fieri fato, & quæ non fiunt natura etiam non fiunt Fato: hoc nobis patefecit Arist. in 5. Physic. quo in loco Fatum nomine proprio εἱμαρμένην appellans in cont. 57. inquit dari generationes nonnullas violentas & non Fato definitas; si itaq; generationes non Fato definitæ non sunt secundum naturam, sequitur omnem generationem secundum Naturam esse Fato definitam: In secundo autem de cœlo cont. 6. Fatum denotans, quod μοῖραν Parcarum nomine appellat, inquit, sed necesse Ixionis cuiusdam Fatum detinere ipsam sempiternam. In calce libri de Mundo ad Alexandrum varia de Fato leguntur; nam asseritur Deum ob varia munera & officia, varijs denotari nominibus. Dici necessitatē, eo quod Natura quædam sit immobilis; dici Fatum a serie rerum conserta, inoffensoque tenore procedente, dici Sortem græce μοῖραν a partitione rerum, & Nemesim ob facultatem diuinam distributricem munerum, Adrastiam etiam quasi causam quandam Natura comparatam, quam fallere nemo queat. Hæc eadem leguntur apud Senecam de beneficijs, verum vt puto, liber de Mundo ad Alexandrum, non est Aristotelis: Cicero tamen opinionem hanc tribuēs Aristoteli fortasse deprōpsit illam ex eo libro de Mundo. Qui distinctius opiniones de Fato inspicere vellet, in sex capita eas posset redigere; Primū quod sit Virtus & potestas Dei, vt dixit D. Aug. Secunda quod sit ordinata series cunctarum cōmunium causarum; Tertia quod sit ordo non omnium, sed corporatarum causarum: Quarta quod sit constitutio cœlestium corporum ex sententia quorundam Astronomorum: Quinta quod sit natura mortalium, adeo vt cœlum sit supra Fatum & Principium eius, vt censuit Alexander in libro de Fato cap. 3. & 4. Sexta quod sit materia quam solam veteres putarunt Naturam.

*Fatum quæ causa sit.*

Quæritur ad quod genus causæ redigatur Fatum; Alexander in libro de Fato ait redigi ad efficientem, & iure; nam mediat inter Prouidentiam & Naturam, quæ sunt causæ efficientes;

*Alexander*

*Opinio propria.*

Verum exactius quæstionem soluens dico duo esse genera eorum quæ fiunt, vt iam dixi; quædam sequuntur Prouidentiam & diriguntur in finem, & hæc fati series ad causam efficientem redigitur; alia sequuntur

Materiam,

Materiã, & fiunt ex neceſſitate eius, quæ eſt diſtincta ſeries Fati pendens tamen ex
præcedente, & Fatum huius ſecundi generis ad materiam redigitur; Præter Fatales
has duas conſtitutiones, reperitur ordo prodeuntium ex humana mẽte per rationem,
quæ cum ad effectiones, tum ad actiones pertinent. Ex quibus colligo primo non [*Colligitur*
omnia Fato fieri, ſed quædam Fato, alia præter fatum, vt violenta, quæ prętet naturam [*primo.*]
fiunt; Alia humana ratione. Colligo ſecundo non omnia neceſſario fieri; nam collo- [*Secundo.*]
cata in ordine humanæ rationis neceſſaria non ſunt, Collocata in ordine diuini Fati
ſeruant neceſſitatem quandam deſcendendo vſque ad cœlum; mox in hoc mortali
orbe varietati redduntur obnoxia & contingentiæ, ob inconſtantiã materiæ recipien-
tis, attinentia ad Materiatum Fatum neceſſitati huic ſubijciuntur, vt orta neceſſario
pereant, non autem omnia fiant quæ gigni ſunt apta. Colligo tertio Ariſtotelem iu- [*Tertio.*]
re optimo de Fato diſtincte non eg.ſſe, cùm tamen attinentia ad illud exactiſſime de-
clarauerit; nam Fatum varia includit partim ad Metaphyſicum, partim ad Phyſicum
attinentia; ea quæ attinent ad Metaphyſicum declarauit in prima Philoſophia, veluti
Diuinam Sapientiam, originalem ordinem in prima cauſa, & quod ex Deo pendet cę
lum & vniuerſa natura, de quibus in 12. Metaphyſicæ ſermo eſt; pertinentia autem
ad Phyſicum, patefecit dum de Natura verba fecit; noluit enim ea confundere, quæ
ad varias Philoſophiæ partes attinent. De quo Fato a Platone diſſentit, tum quia ani [*Q͞uo Ariſt.*
mam Mundi a Deo diſtinctam non conceſſit, tum inſuper, quia ſeriem idearum, ratio- [*de Fato a*
num, & ſeminum, qui ſunt nerui Fatales, eneruauit, progrediendo per diſtincta Prin- [*Platone diſ*
cipia; Varia ſuperſunt, quæ de Fato dici poſſent, quæ miſſa facio, & præſertim cum [*ſentit.*]
plura declarauerim in Philoſophia Ciuili; propterea ſolum nonnulla ad definitionem
pertinentia addam. Boethus in 4. de Conſolatione dixit Fatum eſſe inhærentem re- [*De Fati de-*
bus mobilibus diſpoſitionem, per quam Prouidentia ſuis quoque nectit ordinibus. [*finitione.*]
Chryſippus perperam cum Stoicis de Fato ſentiens, dixit Fatum eſſe ſempiternam [*Boethus.*]
quandam, & indeclinabilem rerum ſeriem, & catenam, ſeſe voluentem, & implicantẽ, [*Chryſip-*
per æternos conſequentiæ ordines, e quibus connexa eſt; quę de Fato ſententia red- [*pus.*]
didit, & iure optimo, apud Theologos recte ſentientes Fati nomẽ prophanum, & ex-
plodendum. Ex ſententia Ariſtotelis Fatum principalius ita definiendum putarem, [*Sententia*
Fatum eſt ſeries Dei Prouidentia, cauſis ſecundum Naturam operantibus inſerta, qua [*propria.*]
opera Naturæ, niſi quid prohibeat, in definitum finem deducuntur. In quarta & po-
ſtrema parte dubia nonnulla ad Naturam pertinentia proponam & diluam. Varia ſci- [*Dubia.*]
tuque digna de Natura quæruntur, veluti an operetur cum cognitione, An vtatur cõ-
ſultatione, An dignitate præſtet Arti, Quid ſit inſtinctus Naturæ, An faciat aliquid fru
ſtra, & alia ſimilia, quæ cum a me in Philoſophia Ciuili ſint explicata, minime repetẽ-
da cenſui. Propterea ſolum neruos præcipuos modo tangam, differentiasque perpẽ-
dam, ex quibus prodit cõſenſio, & diſſenſio operum Naturę, quæ Andipathia, & Sym- [*Cõſenſio et*
pathia dicitur, ex qua frequenter varia prodeunt, eximiam admirationem in ingenuis [*diſſenſio.*]
animis excitantia. Quæcunque ad vniuerſi corporei Mundi conſtitutionem conſpi-
rant, nonnulla habent communia, quæ ſunt tanquam communes nerui, ea ligantes &
nectentes, ex quibus conſenſio oritur, alia habent pugnantia & oppoſita, ex quibus
conſurgit Andipathia & diſſenſio, & ex vtriſque pendet, vireſque ſuſcipit admirabilis
Magia Phyſica, cuius & Ars Medendi, & Agricultura ſunt partes. Communem hanc [*Magia Phy*
ſimilitudinem & diſſimilitudinem Plato in omnibus ſub Deo poſitis locũ habere exi- [*ſica.*]
ſtimauit, propterea vtranque inter communia principia numerauit, quæ dixit eſſe eſ-
ſentiam, Motum, Statum, Identitatem, & alteritatem; ex quorum cognitione etiam
ortum ducit exacta conſideratio, diſtinctaque cognitio rerum omnium; ſtatim enim
quod cognoſcimus id quod rebus eſt commune, & id per quod diſtinguuntur, dici-
mur eas cognoſcere. Hac etiam conſideratione Amor & Odium cum Empedocle & [*Amor &*
Heſiodo dici poſſunt Principia omnium. Summopere admirati ſunt ſemper Animi [*odium prin*
ingenui, quomodo ex rebus genere, natura, & conditione diſtinctis Mundus conſur- [*cipia.*]

gere

gere valeat, qui ne dum sit vnus, verum insuper summopere sit iunctus, eximieque colligatus: propterea Academici pro hoc fungendo munere necessariam putarunt Animam Mundi; Stoici imaginati sunt spiritum quendam communem cuncta ligantem; quæ redundantia putarunt Peripatetici, ex quorum sententia dicimus Neruos dilectione cuncta ligantes hos esse; Nam primo cuncta pendent ex communi principio, qui dicitur Mundi Parens; & quia id principium est vnum, bonum, & pulchrum, inde prodeunt tres communes nerui, ob quos cuncta dicuntur vniformia, boniformia, & pulchriformia, quæ tria ita se habent vt pulchrum excitet ad bonum, bonum vero eleuet ad vnum, per quos neruos vt omnia prodeunt ex vno, ita cuncta diuino quodã & latenti tractu, trahuntur ad vnum, & in vnum finem conspirant. His primis originalibus neruis succedunt alij eis famulãtes, & inter corpora primum est cœlum, quod cunctis sub eo positis fert opem & ad cunctorum ortum conspirat; Ei deinde inseruiunt communia duo instrumenta, quæ sunt lumen & motus, & præsertim hoc competit motui diurno, qui dicitur motus totius. Sub cœlo consideratur deinde materia prima communis omnium, ex qua per quatuor primas qualitates & Elementa, mortalia cuncta, vt ex subiecto prodeunt. In his communibus neruis considero tres principales fluxus & refluxus; Nam omnia fluunt ex Deo, & in Deum vt in finem refluunt, cuncta mortalia pendent ex cœlo, & in cœlum refluunt, a quo fiunt, seruantur, & puriora redduntur. Cuncta demum materiata ex materia per ortum fluunt, & in materiam refluunt per interitum. Ita sententia Heracliti recte percepta seruari potest vera, quod cuncta fluant, & refluant: Vt ex vna parte refulserunt communia ligamenta, amorem & consensionem parientia, Ita ex aduerso refulgent origines dissensionum, litis, & oppositionis. Et ordiendo a cœlo in eo apparent varietates, cum ex parte motus, tum ex parte luminis; ex parte motus in eo apparet quadruplex varietas, vna ob duplicem motum vnum ab ortu in occasum, alterum ab occasu in ortum; secunda varietas, quia cœlum quiescit secundum totum & polos, mouetur per partes: tertia ob velocitatem, & tarditatem motuum; quarta, ob accessum & recessum planetarum ad nostros vertices. Ex parte autem luminis similiter quadruplex refulget varietas; vna lucidi a non lucido; secunda perspicui a non perspicuo; tertia lucidioris a minus lucido: quarta distantiæ & varietatis aspectuum, adeo vt cœlestia vario modo per lumen & motum influant vires suas in mortalem orbem, in quo consideratur accessus ad cœlum, recessusque ab eo, consideratur varietas potentiarum primæ materiæ, ob quam oppositis qualitatibus primis, varietateque formarum Elementorum afficitur, & formatur, & inde prodit mox varietas mixtorum, & facultatum eorum. Ita cuncta ad Naturam attinentia, ex amicitia & lite, ex similitudine & dissimilitudine conflata videntur, ac propterea iure optimo enunciauit Heraclitus Naturam ex bello genitam, & affirmauit Homerus eam in contentione & lite esse positam. Hæc opposita in vniuerso adeo æquantur, vt vnum absolute non superet aliud, & ideo seruantur coæua Mundo, & sunt tanquam venenum, & antidotus: nam si solum reperiretur ignis calidus, cuncta consumerentur, ideo Antidoti loco, inueniri debet aqua frigida; & sic de cæteris. Hæc similitudo & dissimilitudo, ex qua pendet consensio & dissensio, vt apparent in vniuerso, ita locum habent in singulis animalibus, & præsertim in homine, quorum partes nonnullæ dissentiunt ab alijs, nonnullæ vero consentiunt; ex qua consensione & dissensione consurgit primo congruens partium harmonia, mox admirabilis conspiratio pro obeundis munerum functionibus, & salute animalium: ita inspicimus Animalia conspicuo veneno prædita, etiam antidotum includere, adeo vt eadem animalia dempto veneno nobis frequenter sint remedia aduersus venenum, vt patet de Scorpione & vipera. Colligo itaque in vniuerso inueniri semina consensionis & dissensionis, adeo vt principia cum Principijs, Principia cum rebus effectis, & res effectæ adinuicem pugnent & iunctæ sint, ex quibus ortum ducit lis & amicitia Physica, prodeunt opera varia eximiam admirationem parientia, Et vires

*Primi nerui cuncta ligantes.*

*Nerui sequentes.*

*Nerui tertij ordinis.*

*Tres admirabiles fluxus & refluxus.*

*Sententia Heracliti.*

*Origines dissensionum.*

*Heraclitus.*

recipit Magia Physica, quæ recte dicitur Hymenæus Naturæ. Varia possem addere, at ne longius ab instituto recedam, finem digressioni impono.

*QVONIAM autem determinatum est quot modis Natura dicitur, post hoc speculandum est quo differt Mathematicus a Physico; etenim Plana & solida habent Physica corpora & longitudines, & puncta, quæ considerat Mathematicus;* *Cont. 16.* *Amplius num Astronomia altera sit, vel potius pars Physica; si enim Physici est scire quid sit Sol & Luna, putare quod non teneatur cognoscere accidentia per se eorum, absurdum est; Et præsertim cum Philosophi, qui in consideratione Naturæ versantur, videantur verba facere de figura Solis & Lunæ, & num Sphærica sit Terra & Mundus, vel non.* *Cont. 17.*

EX declaratione Naturæ & corporis Naturalis, in cuius consideratione versatur Physicus, oritur vna dubitatio, quam Aristoteles modo sibi diluendam proponit. *Institutum.* Cum enim Physicus versetur in consideratione habentium Naturam, quæ corpora sunt, prædita punctis lineis, & planis, non videtur distingui a Mathematico hæc eadem considerante. Pro notitia prænoscendum Mathematicas esse duplices, puras, & medias. *Mathematica duplices* Mathematicæ puræ considerant quantum a materia ratione secretum, quod quantum est duplex vel discretum, & constituit Arithmeticam; vel continuum, quod constituit Geometriam, & Stereometriam. Geometra considerat puncta, lineas, & plana, siue superficies; Stereometra considerat corpora prædicamenti quantitatis, quæ solida dicuntur; hoc tamen in loco Geometriæ nomine etiam Stereometria denotatur, vt consueuere veteres, ex relatione Platonis. Sub puris Mathematicis constituuntur illæ, quæ mediæ nuncupantur, quia ad Physicam considerationem accedunt; & præsertim sub Arithmetica reperitur Musica, sub Geometria Perspectiua, sub Stereometria Astronomia. Aristoteles primo proponit difficultatem de Mathematicis puris, & ex eis accipit Geometriam, includentem etiam Stereometriam, quia similior est Naturali sciẽtiæ, quam Arithmetica; Ex medijs vero accipit Astronomiam valde similem naturali Philosophiæ. Diuiduntur hi duo contextus in tres partes, in prima Philosophus patefacit *Diuisio.* institutum suum, in secunda dubitat de Mathematicis puris, in tertia de medijs; inquit in prima parte, Quoniam definitum est quot modis Natura dicitur, speculandum quo *Expositio.* modo differt Mathematicus a Physico; quo loquendi modo indicat difficultatem ex declaratis emergere, vt patefeci. Etenim plana & solida habent Physica corpora, &c. in hac secunda parte proponitur dubitatio de Mathematicis puris, nimirum de Geometria; & ratio ita formatur; Disciplinæ, quæ rem eandem considerant, videntur esse *Ratio.* eædem; Physicus & Geometra rem eandem considerant, quare eædem esse videntur; Maior supponitur vt nota, nam scientiæ sunt res in eis consideratę, per imitationem, & ex eis suscipiunt conditionem & affectiones; Minor ostenditur, nam Physica corpora ad substantiam pertinentia, prædita sunt planis, siue superficiebus, solidis, hoc est corpore quanto, lineis, & punctis; hæc autem sunt illa, quæ a Mathematico, nimirum a Geometra, & Stereometra considerantur. Amplius num Astronomia altera sit, vel potius pars Physicæ. In hac tertia parte proponitur dubitatio de Mathematicis medijs, & pro eis de Astrologia, quæ cum consideret partem consideratorum a Physico,

videtur

*Ratio.* videtur pars Naturalis ſcientiæ. Ratio ita formatur; Ea diſciplina, quæ conſiderat partem conſideratorum in altera, videtur iudicanda pars eius, Aſtrologia conſiderat partem conſideratorum in Naturali Sciẽtia, quare videtur pars eius; maior derelinquitur vt nota, veluti etiam in præcedente difficultate; minor oſtenditur dupliciter, primo ratione, nam ſcientia conſiderans ſubiectum tenetur etiam conſiderare affectiones eius; Phyſicus conſiderat Solem, Lunam, & Aſtra, quæ ſunt corpora Phyſica, quare & eorum affectiones, veluti motus & figuras, quas etiam conſiderat Aſtrologus; Secundo oſtenditur authoritate, nam inſpicimus veteres Philoſophos, vt Empedoclem, Heraclitum, & ſimiles, de Natura & corpore Phyſico loquentes, etiam verba facere de Figura Solis, Lunæ, Terræ, & Mundi, quæ ab Aſtrologo conſiderantur. Prima ratio erat vniuerſalis de omnibus ſcientijs & affectionibus; Secunda eſt de ſolis Phyſicis; prima ſumebatur ex conſideratione diſciplinarum abſolute; ſecunda ex parte noſtri, qui in diſciplinis verſamur.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

*Ad quẽ pertineat diſtinguere ſcientias.* Consideranandvm primo quod diſtinguere Scientiam vnam ab altera non eſt officium alicuius particularis diſciplinæ, vel ſcientiæ, ſed communis; nam conſtituens diſcrimen tenetur cognoſcere vtrunque, vt in calce ſecundi de anima docet Ariſtoteles, propterea proprie id officium eſt partim Logicæ docentis communia inſtrumenta ſcientiarum, quod ſeruat Ariſtoteles in primo Poſteriorum, partim Metaphyſicæ, quæ tanquam domina præeſt ſcientijs omnibus; iudicans in quibus verſentur, quibus terminis circumſcribantur, quibusque differentijs ſecernantur: & hoc ſeruat Ariſtoteles in ſexto Metaphyſicæ. Logicus id facit per inſtrumenta, Metaphyſicus per Principia & fundamenta; Verum mox illæ communes regulæ in particularibus ſcientijs contrahuntur & ad inſtitutum earum referuntur, quod non fit habitu eius particularis ſcientiæ, ſed per eam, quæ παιδεία dicitur, ſiue recta inſtitutio ad eam ſcientiam, qua recta inſtitutione tenetur eſſe munitus ille, qui ad aliquam diſciplinam addiſcendam accedit, de qua pędia in Philoſophia Ciuili latiſſime verba feci. Conſiderandum ſecundo, quod

*Secundo cõſiderãdum.* Ariſtoteles dubitans de Mathematicis, an ſecernantur a ſcientia de Natura, de Arithmetica mentionem non facit; Ratio eſt, quia apparuit Naturalem ſcientiam verſari in conſideratione corporis Phyſici, quod continuum eſt, non diſcretum, ideo dubitatio oritur de Mathematicis, quæ in continuorum conſideratione verſantur. Phyſicus conſiderat numerum numeratum rerum naturalium, qui non conſideratur ab Arithmetico conſiderante numerum numerantem; Phyſicus tamen conſiderat numerum numerantem non quidem conſiderando ſpecies & affectiones eius, ſed explicando Principia, & modum productionis; officium enim eſt rationis huiuſmodi numerum formare, eoque vti.

*Tertio conſiderandũ.* Tertio conſiderandum quod Philoſophus dubitans de Geometria abſolute dubitauit an ſit eadem cum Phyſica, de Aſtrologia autem dubitauit an ſit pars eius; Ratio huius varietatis eſt, quia Geometria eſt latior, & abſolute magnitudinem omnem conſiderat, propterea magis videtur ſimul effundi cum Naturali ſcientia, quamuis re vera non æque extendatur; plura enim conſiderat Phyſicus; Aſtrologia autem conſpicue in ſola parte videtur verſari, cum ſit portio Mathematicarum; ideo Philoſophus ita dubitauit, vt expoſcebat conditio earum.

*Dubitatio.* At dubitatur, cum Naturalis Philoſophus diſtinctionem tradat Naturalis ſcientiæ a Mathematica, num etiam vice verſa id faciat Mathematicus?

*Solutio.* Reſpondeo iuuenem recte inſtitutum ad Mathematicas, & Philoſophum Mathematica explicantem, teneri huiuſmodi diſtinctionem cognoſcere; Propterea Ptolemæus in primo Almageſti cap. primo diſcrimẽ manifeſtat; & idipſum faciunt periti Mathematici; hoc tamen magis tenetur facere Phyſicus, quam Mathematicus, primo quia Phyſicus magis eſt affinis, & iunctus Me-

taphyſico

taphysico quàm Mathematicus. Secundo quia Physicus plura cognoscit, quàm Mathematicus; nam cognoscit considerata à Mathematico, & alia plura, & præsertim cognoscit substantiam, quam non cognoscit Mathematicus. Præterea quamuis Mathematicus abstrahat, vtaturque abstractione, non tamen iudicat varios abstrahendi gradus, quos iudicat Physicus, ex quibus abstractionum gradibus elicitur distinctio earum ab inuicem. Demum id accidit, quia Physica quamuis ob complicationem cum materia sit minus certa quàm Mathematica, absolute tamen est scientia præstantior, cum eleuetur ad potiora & intimiora principia, qualia sunt ea substantiæ. Iure itaque id potius fit in scientia Physica, quàm Mathematica. Et hoc debet fieri in parte de Principijs, qualis est hæc, cum sit communior. Addo etiam eam distinctionem tradi posse per principia Dialectica; nam Problema de eodem & diuerso Dialecticum est.

*De his quidem Mathematicus quoque agit, sed non quatenus vnumquodque terminus est Physici corporis, nec accidentia considerat, quatenus huiusmodi rebus accidunt. Propterea separat, separari namque cogitatione possunt a motu, nihilque interest, nec quid falsi efficiunt quicunque abstrahunt.* Cont. 18.

Propositis duabus difficultatibus, eas modo vnica solutione soluit; pro cuius notitia prænoscendum in scientijs duo inueniri, nimirũ rem consideratam, tanquam materiam, & modum considerandi fungentem munere formæ; possunt scientiæ seiungi per rem consideratam, vt dum dicimus Physicum versari in materiatis, Diuinum vero in abiunctis; id tamen non est necessarium, nec principale, præsertim enim & principaliter, per modum considerandi secernuntur, tum quia hic est tanquam forma, ex qua pendet constitutio & distinctio, tum insuper quia principia & definitiones eliciuntur ex modo considerandi, eique respondent, ex principijs autem vel eisdem vel varijs pendent ostensiones, & ex his scientiæ: ideo si modus considerandi fuerit varius, definitio, Principia & demonstratio erunt varia, & per consequutionem scientiæ. Hoc præassumpto, Philosophus soluens in hoc contex. duo facit, primo tradit solutionem, mox eam explicat: Solutio est limitando maiorem propositionem; nam dicebatur scientiæ rem eandem considerantes eædem sunt, addendum rem eandem & eodem modo; & tunc minor redditur falsa, quia quamuis rem aliquam eandem considerent, id tamen faciunt distincto modo considerandi; ideo inquit Aristoteles de his Mathematicus quoque agit, hoc est concedo rem eandem considerare, nego tamen quod eodem modo, quia non ea considerat cum relatione ad corpus Physicum, quatenus termini sunt eius, vel eius affectiones, vt facit Physicus. Propterea separat, &c.] hęc est pars secunda in qua solutionem explicans inquit Mathematicum separare non omnia, sed ea, quæ apta sunt separari, & separare non subsistentia sed cogitatione, considerando vnum non considerato altero; & separat a motu, hoc est a corpore Physico, in quo est principium motus & natura; & quatenus attinet ad veritatem nil interest siue ea considerentur cum abstractione vel sine, hinc recte vtentes abstractione non errant, nec mendaces sunt.

Institutum.

Diuisio.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

Considerandum primo ea quæ sunt trium esse conditionum; nonnulla enim ex se abiuncta sunt, & considerantur in Metaphysica, quæ ob id dicitur scientia de abiunctis; alia sunt materiata exposcentia definitam materiam; & sunt Physica, quæ abstrahi a materia nequeunt, vt animalia, plantæ, & similia; Quædam sunt materiata, quæ tamen definitam materiam non exposcunt, sed in quauis seruari possunt; & huiusmodi sunt Mathematica, quæ nuncupatur non de abstractis, vt Metaphysica, sed ex abstractione; sic itaque Mathematicus dicitur abstrahere ea, quæ apta sunt abstrahi. Insuper considerandum quod abstractio est duplex, vna per naturam, vt dum Elementa secernuntur ex mixto; Altera secundum cognitionem; & hæc est duplex, vna complexa, per quam dicimus aliquid posse esse sine alio, vt dum dicimus Mentem posse esse sine corpore; altera incomplexa, quæ dicitur præcisio, siue consideratio vnius non considerato altero, cum quo iungitur: abstractio Mathematica non est per naturam & subsistentiam, sed per rationem & cognitionem; neque est complexa, dicendo linea potest esse sine materia, quæ esset falsa, sed est præcisio & consideratio quanti, non considerato subiecto, quod facere licet sine errore. Tertio animaduertendum Mathematicum considerare tanquam subiectum quantitates, vt lineas & plana; modus considerandi eius est vt quantitates sunt, hoc est vt aptæ ex se mensurari, & diuidi. Physicus considerat easdem quantitates, at non tanquam subiectum, sed tanquam affectiones sui subiecti; adeo vt consideratio quantitatis Mathematica, differat a Physica duplici distinctione vt patet. Quarto considerandum, quod quemadmodum dubitatio proposita ortum ducebat ex declaratis de Natura in Naturali corpore, ita Aristoteles, ex declaratis elicit solutionem; nam inquit Mathematica posse separari a motu; inquit a motu, quia patefactum est corpus Physicum esse præditum interno principio motus, a quo cum abstrahat Mathematicus, dicitur abstrahere a motu, hoc est a subiecto prædito interno principio motus. At duæ se offerunt diluendæ difficultates; prima est, Quia Mathematicus videtur mendax, nam qui rem considerat secus ac se habeat, dicitur mendax, huiusmodi est Mathematicus, cum consideret materiata sine materia; Altera est, quia posterius non valet abstrahi a suo priore; cum enim ex eo pendeat pro suo esse, etiam pendet pro cognitione, at Mathematicus abstrahens accidens a subiecto abstrahit posterius a suo priore. Et confirmatur dubitatio, quia accidentis esse est alteri inhærere, quare accidens sine subiecto non includit esse, & propterea si Mathematicus deserit subiectum, versabitur in eo, quod non est, & penitus erit inanis. Pro solutione primæ difficultatis considerandum est scientiam omnem abstrahere a particulari subsistentia, non enim de particularibus est scientia; & ea abstractio est cum præcisione, considerando essentiam non considerata particulari subsistentia, siue inexistentia; ideo dum instatur, quia Mathematicus considerat quantum secus ac se habeat; dico primo id facere cum præcisione, non autem cum affirmatione; dicendo quod valeat existere sine eo; addo secundo Mathematicum non considerare rem secus ac sit, tribuendo ei quod illi non competat; id enim esset mendacium; sed secus ac inexistat, quia abstrahit a particulari inexistentia. Addebatur secundo, posterius non posse abstrahi a suo priori: missa facio varia, quæ dicuntur a Zimara, & dico posterius non posse abstrahi a suo priore pro scientia absolute perfecta, id tamen posse fieri pro scientia perfecta in eo genere, qualis est scientia Mathematica, quæ quamuis dicatur certa, non tamen est absolute perfecta; hac de re latius sum loquutus in calce libri de materia, verba faciens de materia Mathematicorum. Dicebatur tertio, quod si Mathematicus abstrahit accidens a subiecto, versabitur in eo quod non est; Respondeo, aliud est versari in eo quod non est, quod non competit Mathematico, & non conside-

*Multiplex Abstractio.*

*Prima dubitatio.*

*Secunda.*

*Solutio primæ.*

considerare quantum vt est, quod ei competit; Versatur enim in eo quod est, & est accidens, & quantum; at id non considerat vt est, neque an sit accidens, sed illis suppositis, solum considerat quantum, vt quantum est. Sed alia occurrit dubitatio, quia Mathematicæ mediæ non abstrahunt a motu, vt patet de Astrologia considerante motus Cœlorum; immo etiam non abstrahunt a corpore Physico, cum ea, quæ considerant, nectant cum corpore Physico, vt patet de eadem Astrologia. Respondeo ea, quæ dicta sunt, vera esse cum de Mathematicis puris, tum de medijs: nam modus considerandi vtrarunque differt a modo cõsiderandi Physico: quamuis enim Astrologus nectat sphæram cum mundo, non tamen eam considerat vt affectionem corporis Physici, sed vt quanta est; & dum instatur, quia considerat motum, respondeo considerare motum vt quantum, non vt affectionem corporis Physici; non enim noscit Astronomus principium internum motus cœli; & hac ratione dicitur a motu abstrahere, quatenus abstrahit a materia, & natura, quæ sunt principia motus; Physicus autem motum ad ea refert, vt recte etiam explicauit Auerroes in primo Metaphysicæ cont. 19. Nam scientiæ sibi mutuo opem ferunt; nonnulla recipit Astrologus a Physico, seruans tamen semper modum communem considerandi Mathematicum, & ab eo præsertim recipiendo principia; Interpretes tamen frequenter multa Physica cum Astronomicis, & vice versa permiscent. Quæritur hoc in loco an distinctio per modũ considerandi competat singulis disciplinis; Nam Dialecticæ & Sophisticæ competere nõ videtur cum nullo coarctentur cõsiderandi modo; nam inquit Auerroes in primo Post. 85. Metaphysicum includere profecto proprium considerandi modum, non autem Dialecticum, & Sophistam, quia versantur circa omnia quouis modo considerata. Proximus exactiore notitia considerandum est, disciplinas non esse indefinitas, sed cunctas proprijs, quibusdam terminis esse circumscriptas, qui sunt triplices, vel enim pertinent ad rem consideratam, vel ad modum considerandi, vel ad conditionem disciplinæ; & per hos inuicem distinguuntur; & intra hos ea considerant, quæ ad eas pertinent: coarctantur per rem consideratam solum particulares disciplinæ, non autem vniuersales, quæ sunt Metaphysica, Dialectica, & Sophistica, quæ vagantur per omnia. Insuper scientiæ particulares coarctantur etiam modo considerandi & conditione disciplinæ, siue considerationis; Metaphysica quoque his duobus terminis circumscribitur, considerat enim id quod est, & quatenus est, & modo scientiam includenti: Dialectica & Sophistica nec per rem consideratam, nec per modum considerandi contrahuntur, sed solum per conditionem suæ disciplinæ, quatenus versantur circa omnia quouis modo considerata, quatenus in eis probabile, vel verum apparens includitur. Ex his patet Dialecticam, & Sophisticam latiores esse quam Metaphysicam, cum proprio considerandi modo non contrahantur, sed solum conditione suæ disciplinæ.

*Alia dubitatio.*

*Solutio.*

*Cont. 19.*

*DECIPIVNTVR autẽ qui hoc faciunt, & qui Ideas dicunt, nam separant Naturalia, quæ minus quam Mathematica sunt apta abiungi; quod reddetur notum, si vtrorumque tentauerit quis afferre definitiones, & ipsorum & accidentium; nam par quidem & impar, rectum & curuum, ac etiam numerus & linea sine motu definientur, caro autem & os & homo minime, sed hæc vt simum, non vt curuum dicuntur.*

DIxit Philosophus Mathematicos vtentes recte abstractione & seiun-
*Institutum.* gentes ea, quæ apta sunt abstrahi, non esse mendaces; vult modo mani-
festare quosdam re vera esse mendaces, tum quia abstractione male
vtuntur; tum insuper quia ea abstrahunt, quę non sunt apta ratione ab-
strahi. Expositores putant Aristotelem solum inuehi in Platonis Ideas:
at si verba & rationes accurate perpendimus, institutum Philosophi est duos explo-
dere errores, vnum attinentem ad Mathematica & ad Pythagoram, alterum ad Phy-
fica & ad Platonem, qui etiam ambo ad Platonem pertinent, quatenus Plato Pytha-
goram sequebatur. Dicebat Pythagoras numeros & Mathematica esse principia
rerum; Plato in Timæo & alibi hoc frequenter approbat, ac insuper addit Ideas, quas
etiam excogitarunt Pythagorei; & videbatur Plato vtraque statuere abiuncta, & puta
re esse priora Physicis, cum ea statuat principia Physicorum; ita errabat abstrahendo
Physica non apta abstrahi; insuper errabat male vtens abstractione, ea nãq; separabat
a materia non sola ratione, sed absoluta existentia. Hæc expositio consona est verbis
præsentis contextus, similiter rei de qua in præcedente erat sermo, nec non dicendis
*Aristot.* in sequenti contextu. Et vt expositio reddatur clarior, consideranda sunt verba Ari
stotelis in primo Metaphysicæ cap. 6. dicentis Philosophiam Platonis similem esse illi
Pythagoræ; nam Pythagoras imitatione numerorũ, Plato participatione Idearum ait
res gigni. Insuper Plato præter sensibilia & Ideas, Mathematicas formas constituit
medias, & differre a sensibilibus eo quod perpetuæ & immobiles sint, ab Ideis vero eo
quod illæ quidem multæ, quædam similes sunt. Idea vero ipsa vnaquæque sola, &c.]
Insuper Lucidius hoc elicitur ex 13. lib. Metaphysicæ, cap. 2. & sequentibus, in quibus
cumulate Aristoteles varijs rationibus ostendit minime dari posse Mathematica sepa-
*Magnus Syrianus.* rata a sensilibus. Ideo Magnus Syrianus explicandum assumpsit lib. illum vt Plato-
nem a calumnia vindicaret. Institutum itaque Philosophi in præsenti contex. est euer
tere duplicem abstractionem a Platone perperam factam, vnam Mathematicorum, al
*Diuisio.* teram Physicorum: & diuiditur contextus in duas partes, in prima refertur vterque
*Expositio.* error, in altera exploditur ille, qui attinet ad Ideas, inquit in prima parte; Decipiun-
tur autem qui hoc faciunt; his verbis indicat errorem attinentem ad Mathematica,
nam de his erat sermo; & ideo cum dicat qui hoc faciunt, debet illud, hoc, referri ad
abstractionem Mathematicorum, de quibus aduersus Platonẽ ait Aristoteles in deci-
motertio Metaphysicæ, nec separatas esse tales naturas possibile est a sensibilibus: &
præsertim hic error tribuitur Platoni, quia vt legitur in tertio Phy. 25. Pythagoras nõ
statuebat separatum numerum, sed in sensibilibus: Et cum additur, & qui ideas dicunt,
indicatur alter error attinens ad Ideas rerum naturalium: Et explodens hunc secun-
dum errorem ait, Physica enim abiungunt, cum minus sint apta abiungi, quam Ma-
*Ratio.* thematica: & ratio ita formatur, Si de quo magis videtur inesse non inest, nec de quo
minus; sed magis videtur Mathematica posse abiungi, quam Physica, & tamen se-
cundum subsistentiam nequeunt abiungi, quare minus Physica. Minor ostenditur
considerando modum definitionis eorum patefacientem eorum conditionem; Nam
si consideramus Mathematica, vt lineas planas, & numeros, nec non eorum affectio-
nes, vt rectum, curuum, par, & impar; hæc definiuntur sine motu, hoc est sine materia
& subiecto, quibus competit motus, & prædita sunt principio eius: At caro, os, homo,
& reliqua Physica non definiuntur sine materia origine & fundamento motus; & af-
fertur ratio huius varietatis; nam Physica sunt, vt simum exposcens definitam mate-
riam, sine qua cognosci nequit; Mathematica vero vt curuum, quod sine discrimine
in quouis subiecto seruari potest, ideo valet sine subiecto definiri. Quod autem Ma-
thematica non seiungantur secundum existentiam a subiecto patebit ex sequenti con-
textu.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDVM primo,quod hæc quæ pro euersione sententiæ Platonis afferuntur,re vera nullius sunt roboris; nam vt pertinet ad Physica, non statuebat Plato formas Physicas per se subsistentes seorsum à materia, sed statuebat Ideas in supera Mente,quæ essent originales formæ,longe variæ ab his,quæ sunt in materia,& dicuntur vmbræ earum; Ideas autem nostri Theologi summopere commendarunt. Insuper considerandum, vt pertinet ad Mathematica,quod Plato non ea statuebat seorsum per se subsistentia, sed putabat vt Ideas Menti,ita Mathematica Animæ per rationes cōpetere,& quemadmodum anima mediat inter Mentem & Naturam,ita dicebat Mathematica mediare inter Ideas,& sensibilia,vt refertur ab Aristotele in primo Metaphysicæ; vnitates tamen numerorum capita Ideis tribuebat. De his varia dicuntur a Magno Syriano in 13.Metaphysicæ; Aristoteles tamen, ne quis perperam ea intelligens deciperetur,falsas imaginationes euertere nititur. Tertio considerandum, quod quamuis quantitas maxime omniū sit materiata,quia materiæ est coæua, & in ea primo recipitur, & cum ea diuiditur, tamen maxime est apta seiungi duplici ratione; primo quia quamuis sit materiata,non tamen exposcit materiam definitam,sed confuse quamuis; ideo sat est vt cōfuse supponatur eam exposcere materiam sine eo quod propria eius materia explicetur,vt est necessarium de alijs; Secundo id accidit ob modum considerandi Mathematicum; nam Mathematici,cum non considerent quantum,neque vt ens,neque vt accidens,sed solum extrinsecus,vt quantum & mensurabile,quod non habet ex materia,sed ex propria conditione, ideo valet abiungere a materia. At quatuor se offerunt diluendæ difficultates; prima est,quia dubium videtur, quod Physica minus sint apta seiungi; nam substantia magis est apta seiungi, quam accidens, cum substantiæ esse non sit alteri inesse, Physica autem sunt substantiæ & Mathematica sunt accidentia. Confirmatur quia Aristoteles in contex. 11. ait formam, quæ est natura posse ratione seiungi, & Simplicius hoc in loco digrediens pro Ideis inquit etiam Physicas formas definiri posse sine Materia. Soluitur dicendo Physica esse composita ex materia & forma,ideo Aristoteles gratia Exempli dixit Caro,os,& homo hæc autem cōposita sunt, & cum sint substantiæ includunt materiam ex qua constant, ideo sine ea non definiuntur; accidentia autem non habent materiam ex qua,sed in qua recipiuntur,vt legitur in 8.Metaphysicæ contex. 12. Insuper consideratio Physica est consideratio perfectior & potiorum principiorum,quam Mathematica:& dum additur,quod forma potest definiri sine materia,respondeo quod ea definitio erit imperfecta,& non Physica;quomodo autem dicatur separabilis ratione in præcedentibus patefeci. Dubitatur secundo,quia Aristoteles secum pugnat; nam hoc in loco ait Mathematica esse vt curuum,at in 3.de Anima contex. 11.ait esse vt simum. Respondeo Mathematica ad duplicem materiam posse referri vel Physicam,& ita sunt vt curuum, vel Mathematicam, quæ est continuum & partes per quam sunt, vt simum; ideo Aristoteles in tertio de Anima expressit materiam Mathematicam inquiens ea esse cum continuo. Tertio dubitatur, quia non videtur verum id quod dicitur ab Aristotele Mathematicum & Physicum considerare eandem rem, non eodem modo; nam linea superficies, & solidum non secus definiuntur ab Aristotele in proœmio libri de Cœlo ac id fiat a Geometra. Linea dicitur magnitudo prædita longitudine; superficies prædita longitudine & latitudine; solidum trina dimensione,quæ non secus definiuntur a Geometra. Respondeo ea,quæ pro magnitudinum definitione cognoscuntur a Geometra, etiam cognosci a Physico,ideo sæpe Physicus ea profert, vt sibi communia cum Mathematico; at pro exacta & Physica eorum cognitione etiam requiritur vt noscantur alia,veluti quod sint affectiones corporis Physici,quod sequantur materiam, reddant

*Considerandū de Physicis formis*

*De Mathematicis.*

*Tertio considerandū.*

*Prima dubitatio.*

*Solutio.*

*Secūda dubitatio.*

*Solutio.*

*Tertia.*

*Solutio.*

eam quātam & aptam diuidi,& alia similia,quæ noscit Physicus,vt Physicus est, non
*Dubitatio quarta.* autem noscit, nec considerat Mathematicus vt Mathematicus. Quarto dubitatur, quia non videtur soluta dubitatio de Astrologia,nam ea non abstrahit, sed considerat substantiam & motum, vt dicitur in 12. Metaphysicæ 44. Et in primo Metaphysicæ contex. 19.legitur,Mathematica eorum esse,quę sunt sine motu,præter Astrologiam. Disputant tamen & considerant omnia de Natura, Generant enim Cœlum, & quæ partibus eius accidunt obseruant,&c.sic in contex.sequenti dicitur a Philosopho perspectiuum considerare Lineam vt Physica est,non itaq; per abstractionem secernuntur a Physica. Hæc dubitatio per dicta in præcedentibus soluta est,nā quamuis Astro
*Solutio.* logus nectat sphæram cum mundo, tamen seruat communem modum considerandi Mathematicum; & siquid dicit,quod eliciatur ex Natura cœli, id accipit a Physico, & de multis cognoscit quia, quorum Physicus cognoscit causam, & propter quid; & ita dicitur abiungere,quatenus pertinet ad modum considerandi;nec vtitur definitionibus distinctis ab eis, quibus vtitur Geometra, eas enim tanquam principia recipit a Geometra.

*Cont. 20.* *DEMONSTRANT autem & ex Mathematicis, quæ magis Physica sunt, vt perspectiua, Musica, & Astrologia; e contrario enim quodam modo se habent ad Geometriam; Geometra enim Physicam lineam considerat, sed non quatenus est Physica; Perspectiua autem Mathematicam quidem Lineam, sed non quatenus Mathematica, sed quatenus Physica est.*

DAT PRECIT Philosophus Physica minus esse apta abiungi Mathematicis,manifestat modo Mathematica secundum existentiam non esse a su
*Institutum.* biecto abiuncta: & hoc facit,tum vt colligat Physica per Ideas non esse abiuncta secundum subsistentiam,tum secundo vt pateat error alter ad Mathematica pertinens eorum, qui Mathematica statuebant abiuncta existere. Quod autem Mathematica non reperiantur abiuncta, ostenditur conside-
*Diuisio.* rando conditionem mediarum Mathematicarum. Diuiditur hic contex.in duas partes,in prima indicatur id patere ex Mathematicis medijs, in altera id explicatur. In-
*Expositio.* quit igitur,Demonstrant,nimirum hoc quod Mathematica non sint supra Physica, & abiuncta, Ex Mathematicis disciplinis illæ quæ dicuntur Mediæ, & comparatę cum puris Mathematicis sunt magis Physicæ, eique similiores quam puræ, vt se habet de perspectiua,quæ subalternatur Geometriæ; de Musica,quæ Arithmeticæ; & Astrologia,quæ Stereometriæ subijcitur. Explicans autem hoc in secunda parte inquit has medias Mathematicas in suo progressu e contrario se habere puris; Nam vbi definit vna,inde incipit alia. Geometra videns lineas in subiecto & materia,eas abiungit & considerat ac definit non considerato subiecto, & ideo dicitur considerare lineam vt Mathematicam,hoc est vt seiunctam a materia; e contrario perspectiuus orditur a Linea Mathematica, hoc est seiuncta,& ab eius definitione tanquam a principio, & definit in eam vt Physicam, hoc est vt iunctam cum aliqua materia Physica: Similiter Stereometra orditur a sphæra existente in vniuerso orbe, & eam considerat non considerato subiecto; e contrario Astrologus orditur ab ea sphæra abiuncta,ac ab eius definitione, & eam considerat vt Physicam,hoc est vt iunctam cum materia & vniuersi orbe: qui oppositus progrediendi modus indicat ea, quæ considerantur, non reperiri abiuncta a materia: & ratio ita formatur, Id quod per rationem a materia abiun-
*Ratio.*

gitur,

gitur, mox cum materia nectitur, non reperitur abiunctum a materia, Considerata a Mathematicis puris & medijs sunt huiusmodi, non itaque separata existunt.

## *Caput Dubitationum.*

Vm Philosophus vtatur ratione sumpta ex Mathematicis medijs, occurrit dubitatio; num illæ iudicari debeant magis Physicæ, vel potius magis Mathematicæ: Nam primo apparet huiusmodi scientias non dari, quia inter abiunctum, & non abiunctum non datur medium; at abiunctum est purum Mathematicum, non abiunctum Physicum, quare medium aliud statui non debet; Quod etiam si concederetur, videretur iudicandum magis Physicum per Aristotelem dicentem in principio contextus quæ magis Physicæ sunt. Insuper talis est scientia, qualis est modus considerandi; At Aristoteles inquit eas medias, considerare lineas, & cætera, quæ considerant, non vt Mathematica sed vt Physica; reduplicatio indicat modum considerandi; hinc D. Thomas hoc in loco affirmat eas magis esse Physicas: & confirmatur, quia denominatio præsertim petitur ex fine, Mathematicæ mediæ inchoant a linea vel sphæra Mathematica, & desinunt in Physicam, quare præsertim iudicandæ videtur Physicæ, & præsertim Astrologia, quæ considerat substantiam & motum, ac insuper multorum noscit solum quia, quorum Physicus cognoscit propter quid, vt cœlum moueri in orbem, moueri motu Physico; & aliorum similium. Ex aduerso tamen varia maioris momenti nos cogunt fateri eas esse magis Mathematicas; tum quia absolute nuncupantur Mathematicæ & constituuntur in serie Mathematicarum; tum insuper, quia subalternantur Mathematicis puris, non autem Physicis; tum etiam quia principia recipiunt ex Mathematicis puris, ex quibus formant ostensiones; nam talis est scientia, qualis est demonstratio, talis est demonstratio, qualia sunt eius principia: demonstrationes, quibus vtuntur Mediæ, conflantur ex principijs Mathematicis, quare iudicari debent scientiæ præsertim Mathematicæ; tum demum quia seruant modum considerandi Mathematicum; quamuis enim nectant ea, quæ considerant cum aliquo subiecto, tamen id subiectum non cognoscunt nisi confuse, & cognitione quia, non propter quid; & nisi seruarent communem modum considerandi Mathematicum, sed potius Physicum, Aristoteles non soluisset difficultatẽ de Astrologia, quæ ostendebatur pars Physicæ, immo potius eam comprobasset, quia dixisset Astrologiam considerare varia, quæ considerantur a Physico, & modo considerandi Physico. Hinc D. Thomas exponens Mathematica Boethi considerans absolute conditiones earum, dixit esse magis Mathematicas, hoc autem in loco oppositum enunciauit, ob verba Aristotelis minus recte sumpta. Pro solutione itaque dicamus tria; primum est Medias has disciplinas ex parte materiæ magis esse Physicas, quia considerant formam iunctam materiæ Physicæ etiam consideratam a Physico: Alterum est eas ratione modi considerandi præsertim esse Mathematicas, quia seruant communem modum considerandi Mathematicum, considerando ea, quæ considerant vt quanta, & apta mensurari: Addo tertio eas absolute magis esse Mathematicas, quia scientiæ præsertim recipiunt conditionem suam ex modo cõsiderandi, modus autem considerandi earum est Mathematicus, accedens tamen ad Physicum, ob connexionem cum materia. Aduersæ rationes facile diluuntur: afferebatur primo verba Aristotelis dicentis eas esse magis Physicas; at hoc reflectitur; nam Aristoteles eas absolute nuncupat Mathematicas, quod non faceret, si essent magis Physicæ; solum ait eas esse magis Physicas facta comparatione cum Mathematicis puris, quæ longius distant a Physicis, quasi dicat eas absolute esse Mathematicas, comparatas tamen cum puris minus distare a Physica quam distent puræ. Addebatur eas vti modo considerandi Physico, quia ait Aristoteles perspectiuum considerare lineam vt Physica est; Respondeo reflectendo rationem; quia vtuntur modo considerandi Mathe-

*An Mathematicæ mediæ sint magis Physicæ.*

*D. Thom.*

*Solutio.*

*Diluuntur rationes aduersæ.*

*Solutio secunda.*

Mathematico, vt patefeci, & Aristoteles inquiens perspectiuum considerare lineam, vt Physica est, non indicauit modum considerandi principalem, per quem distinguũtur a Physica, sed modum rei consideratæ, per quem distinguuntur a puris: Nam perspectiuus vt Mathematicus distinctus a Physico considerat lineam radiorum visus, vt quanta est, seruando modum Mathematicum; vt tamen distinguitur a puris Mathematicis, eam lineam consideratam vt quantam, considerat iunctam cum aliqua materia; & dum Aristoteles ea verba protulit, considerabat hanc distinctionem a puris.

*Solutio 3.* Instabatur tertio, quia finis, a quo petenda est denominatio est Physicus; Respondeo aliud est esse vltimum, aliud proprie esse finem; desinere in lineam iunctam cum materia, est quid vltimum, progressus abstractionis, at non vere finis demõstrationis, qui est scientia prodiens ex medio demonstrationis, quod medium Mathematicum est.

*Solutio.* Demum dicebatur Astrologum considerare motum, & substantiam; Respondeo hæc considerare vt quanta, & apta diuidi, & mensurari, non autem vt prædita interno principio motus, quod natura sit, ex qua constituatur mobile, & prodeat motus; & quamuis Astrologus varia recipiat a Naturali Philosopho, quorum dicitur cognoscere quia; tamen dum format ostensiones, vtitur principijs Mathematicis, ad mensuram attinentibus, & ob id eis dicuntur subalternari; hoc tamen addendum est, quod cum Mathematicæ mediæ sint variæ, non omnes æque accedunt ad scientiam de natura, sed quędam magis, & præsertim Astrologia, aliæ minus, & hæ sunt mediæ, non quia detur medium inter abiunctum, & nõ abiunctum, sed quatenus eadem magnitudo, modo quodam medio considerari potest. Hoc in loco pulchra se offert occasio disputandi de

*De subalternatione.* disciplinis subalternis; Nam disciplina potest dici subalterna, vel late, ac ita dummodo subiectum eius constituatur sub eo alterius, & ab altera recipiat principia, dicitur ei subijci, & subalternari, sic Metaphysica sibi subalternat particulares scientias, quę quoniam non seruant eundem communem considerandi modum numerum augent capitum, similiter Physica sibi subalternat Artem Medendi. At vsurpatur deinde magis proprie, dum seruatur idem communis considerandi modus, vt competit Mathematicis, & hę numerum capitum non augent. Vti itaque debemus distinctione subalternationis, non autem inficiari Physicum Artem Medendi, & Metaphysicum particulares scientias sibi subalternare.

*Cont. 21.* *CVM autem Natura duplex sit & species, & materia, vt dum simitatem considramus, ita in natura consideratione nos versari putandum est; Quare neque sine materia, neque secundum materiam, quæ huiusmodi sunt; Etenim de hoc dupliciter dubitabit quis, cum duæ naturæ sint, quam earum consideret Physicus? Num id quod est ex vtrisque? At si id, quod est ex vtrisque, vtranque considerabit, Num igitur eiusdem of-*

*Cont. 22.* *ficium sit vtranque cognoscere? Veterum sententiam consideranti apparebit officium Physici esse materiam speculari. Leuiter Empedocles, & Democritus speciem, & id quod res est tetigerunt; Si autem Ars imitatur Naturam, eiusdem profecto est scientiæ cognoscere speciem, & materiam, vsque ad aliquid, vt Medici sanitatem, bilem, & pituitam vsque ad aliquid, similiter ædificatoris speciem domus, & materiam, lateres nimirum & ligna, & sic de reliquis; Et Physici vtique erit cognoscere vtranque naturam.*

Con-

ONSTITVTO discrimine inter Naturalem scientiam,& Mathematicam,redit Philosophus ad Naturæ consideratione,& manifestat vtranque naturam debere à Physico considerari:ratio huius instituti duplex est, vna vt pateat officium Physici, altera vt inde eliciatur distinctio Naturalis scientiæ,a prima Philosophia. Diuiduntur hi duo contextus in quatuor partes,in prima lucide refert Philosophus sententiam suam,& est quod cum duo sint, quibus competit definitio Naturæ,nimirum forma,& materia,tales esse tenemur in consideratione corporis Physici,quales in consideratione Simi; at Simum & Simitatem considerantes primo noscunt formam, secundario materiam cui inest: quare similiter considerantes corpus Physicum, primo tenemur considerare formam, quæ primo natura est,& primo nomine corporis Physici denotatur, secūdario autem materiam, tanquam eius vehiculum, & causam, sine qua corpus Physicum & forma eius esse non valent. Etenim iam de hoc dupliciter quis dubitare posset, &c.] In hac secunda parte Sententiam relatam in dubium vertit, duasque proponit difficultates; prima est cum Naturæ sint duæ materia & forma Physica, quæ dicitur scientia de Natura,quam earum considerare tenetur; Et siquis dicat teneri cōsiderare compositum, inde inferetur quod teneatur considerare vtranque, & orietur hæc secūda dubitatio, num teneatur considerare vtranque, vel alteram tantum. Hæ sunt difficultates satis iunctæ,& ideo vnica solutione diluentur. Veterum sententiam consideranti apparebit,&c.] Hæc est pars tertia,in qua suo more Philosophus refert opinionem veterū; Illi enim cum solam materiam putarint essentiam, & naturam rerum, putarunt officium Naturalis Philosophi esse solam materiam considerare, propterea attinentia ad eam accurate indagarunt,formas neglexerunt,& solum leuiter tetigerunt. Veluti Empedocles accurate Elementa quatuor considerauit,litem autem & amicitiā,vel siquid aliud formæ officio fungeretur,leuiter tetigit; Similiter Democritus atomos magnifecit,quas putauit materiam,figuras autem, vel formas alias leuiter tetigit. Et dicuntur id fecisse leuiter,tum quia id quod putarunt formam non erat vera & propria forma; tum insuper,quia de eius consideratione parum fuere soliciti. Si autem Ars imitatur Naturam,&c.] In hac quarta parte Philosophus sententiam suam in prima parte prolatam ratione prima ostendit,quæ ita formatur; Vt se habet de imitatione, ita putandum est se habere de eo,cuius est imitatio; Sed Ars æmulatur Naturā, & Artifex considerat materiam & formam,vsque ad aliquid,nimirum quatenus suo fini conducunt, & ad modum considerandi eius pertinent, Quare Physici quoque officium erit vtranque naturam considerare.

*Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Empedocles.* *Democritus.*

## *Caput Annotationum.*

ONSIDERANDVM primo, quod ratio Aristotelis vim habet a minori ad maius; nam minus videtur officium esse Artificis cognoscere vtrunque, tum quia finis eius non est cognoscere,sed operari, tum insuper quia est ignobilior & minus principalis,cum sit imitatio. Insuper animaduertendum, cum Aristoteles dicat, si Ars imitatur Naturam, Imitationem esse duplicem, vnam Naturæ producentis, alteram Philosophi contemplantis; Nam Ars & Artifex operando æmulatur naturam operantem, considerando autem & cognoscendo,Philosophum contemplantem,nō autem naturam,quæ dicitur operari sine cognitione. Insuper considerandum,quod Aristoteles inquit eiusdem esse scientiæ considerare speciem, & materiam vsque ad aliquid : addit vsque ad aliquid,quia singulæ scientiæ particulares & Artes circumscriptæ sunt proprijs terminis,quos egredi eis non licet; qui termini denotantur per modum considerandi, qui in Artibus petitur ex proprio fine Artis, veluti in Arte Medendi cuncta considerantur,vt

*Primo considerādum.* *Secundo,* *Tertio.*

*Dubitatio.* tur, vt conducunt pro sanitate. At dubitatur cur Philosophus referens eos, qui de forma aliquid dixerunt, nil dicit de Anaxagora, qui tamen formam visus est magnifecisse, cum statuerit Mentem a chao secretam, eique dominantem; Mens autem est *Solutio.* forma suprema. Soluitur, quia vt ait Plato in Phędone, & Aristoteles in contex. 75. dum loquebatur de rerum ortu, non vtebatur officio Mentis, sed cuncta tribuebat necessitati materiæ; at hoc non satisfacit, quia simili ratione non debuisset mentionem facere de Empedocle, cum id ipsum Aristoteles ei tribuat, vt patet ex contex. 75. *Solutio verior.* Propterea dicamus iure silentio præterire Mentem ab Anaxagora excogitatam, quia modo sermo est de forma, quæ est Natura, Mens autem statuebatur seiuncta, & est supra naturam, ideo ad rem non facit.

*Cont. 23.* *INSVPER eiusdem est id cuius gratia, & finem, & quæcunque sunt eius gratia; Natura autem finis est & id cuius gratia, Quorum enim continuo motu existente est aliquis finis eius motus, hoc vltimum est & id cuius gratia: Propterea Poeta deridendus est, qui dixit adeptus est finem, cuius causa factus est, vult enim non omne vltimum esse finem, sed optimum.*

*Institutum. Diuisio. Ratio.* AFFERT Philosophus pro confirmatione suæ sententiæ rationem secundam. Diuiditur contextus in tres partes, In prima affertur ratio ita formanda, Quæcunque ita se habent, vt vnum sit finis, aliud in id vt in finem dirigatur, eiusdem sunt considerationis; At forma, quæ est Natura, est finis, materia vero in eam dirigitur, vt in finem, Quare Scientia de Natura, cum teneatur Naturam considerare, tenetur cognoscere vtranque. Maior dimittitur vt nota, nam via & finis inuicem iuncta sunt secundum esse, & cognitionem. Minor ostenditur in secunda parte textus; Nam quicunque est finis alicuius continui & non impediti motus, ille vere & proprie est finis, includens duas eius conditiones, nimirum vt sit quid vltimum & cuius gratia, hoc est optimum, At forma huiusmodi est, dum enim a permutatione abest impedimentum, ea in formam desinit, quare forma est vere, & proprie finis. Et per duas relatas conditiones finis, reijcit Philosophus in tertiam partem sententiam Euripidis, qui de morte cuiusdam viri loquens dixit, adeptus est finem, cuius gratia natus erat: inquit Aristoteles illum se deridendum patefecisse, quia conditio finis est, vt sit non quoduis vltimum, sed id solum quod est optimum; Mors autem est deterrimum malorum Naturæ.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

ANIMADVERTENDVM est, quod Aristoteles inquit: Quorum enim continuo motu existente, est aliquis finis, &c. ait motu existente continuo, hoc est sine impedimento, nam dum impeditur, quamuis finem habeat, ille tamen est finis non proprie, sed late sumptus, pro quouis vltimo, & termino, vt accidit, dum ignis ascendens detinetur a tecto ne altius eleuetur, & ille est finis late. At si absit impedimentum, erit proprie finis, includens duas finis conditiones; & dum ita explicantur verba, sententia est conspicua, & *Prima dubitatio.* nulla est eorum facienda mutatio, vt nonnulli putarunt. Verum tria se offerunt diluenda dubia; Primum est, quia si finis, & ordinata in eum, eiusdem sunt scientiæ, cun- *Secunda.* cta ad eandem scientiam pertinebunt; cuncta enim quæ sunt in vniuerso, vel sunt finis, vt Deus, vel ordinata in eum; Alterum est si mors non est finis, quis erit finis ge-

nerationis

nerationis hominis? Tertium, num Euripides defendi possit? De prima difficultate dico regulas debere intelligi semper per se, & cum reduplicatione, & ita verissimum est, quod considerans Deum vt Finem vniuersi, etiam tenetur cōsiderare vniuersum, vt ordinatum in huiusmodi Finem, & hoc est officium Metaphysici, nec ob id euanescunt cæteræ disciplinæ, quia supersunt alij modi considerandi. Quærebatur secundo quis sit Finis generationis hominis, si non est Mors. Respondeo finem esse duplicem, vnum generationis, alterum rei genitæ; finis generationis adhuc est duplex, vel generationis absolute, & huiusmodi est adeptio formæ, vel generationis perfectæ, & est adeptio formæ cum ea corporis perfectione, vt valeat simile generare. Finis deinde rei genitæ etiam duplex est, vnus cuius gratia, qui dicitur scopus, & huiusmodi est felicitas; alter cui, qui adhuc est duplex, vel proximus, vel postremus; proximus est homo, qui frui debet felicitate, Postremus est Deus, cui omnia seruiunt; mors autem nullo modo est finis; sed solum optari potest, vt via ad finem, veluti D. Paulus optabat dissolui, & esse cum Christo. Quærebatur tertio, an Poeta defendi possit. Inquiunt multi facile defendi, quia sententia est Aristotelis in 5. Metaphysicæ 21. Mortem posse dici finem secundum Metaphoram, congruunt autem Poetis Metaphoræ; sic varij poetæ & Latini, & Græci, & Etrusci Mortem nuncuparunt finem; Respondeo Poetam proferentem sententiam relatam ab Aristotele; defendi non posse; Nam aliud est absolute mortem nuncupare finem late, & per metaphoram, Aliud est eam nuncupare finem, cuius gratia nati sumus, nam id cuius gratia, denotat optimum; dum Poetę absolute mortem nuncupant finem, non errant, nec sunt deridendi, at dum addunt, cuius gratia nati sumus, vt addebat Euripides, se irridendos patefaciūt, quatenus deterrimum dicunt optimum. Quæri demum potest, cum non omne vltimū sit optimum, num contra omne optimum sit vltimum; & dicendum quod per relationem ad appetitum omne optimum est vltimū, quatenus in eo appetitus requiescit, nec id ob aliud vlterius expetit; sic Deus, cum sit primus, & optimus, etiam dicitur finis, & vltimus.

*Tertia. Solutio prima.* *Solutio secunda.* *Solutio tertia.* *Dubitatio. Solutio.*

*QVONIAM & faciunt Artes materiam, alia quidem absolute, alia vero operi congruentem, & vtimur tanquam propter nos omnibus, quæ sunt, sumus enim & nos quodam modo finis, duplex enim est id, cuius gratia, dictum autem est de hoc, in eo quidem Philosophia est.* *Cont. 24.*

DVPLICI ratione ostensum est officium Naturalis Philosophi esse cognoscere vtranque Naturam: institutum modo Philosophi est nonnulla declarare conducentia absolutioni earum rationum. Et quoniam pro secunda ratione sumpserat formam esse finem, ideo in præsenti contextu id declarat Exemplo Artium parantium materiam pro forma, tanquam pro fine; ac insuper de fine difficultatem occurrentem soluit. Diuiditur præsens contextus in tres partes; in prima accipitur tanquam experientia notum Artes efficere materiam pro forma, tanquam pro fine, & eas efficere, vel absolute, loquendo de materia proxima, veluti efficiunt Calcem, Gypsum, lateres & similia, vel eam parant reddendo aptam operi efficiendo, vt faber lignarius parat ligna. In secunda parte manifestatur artificiosa omnia, de quibus est sermo, inseruire homini, & hominem illis vti adeo vt eorum sit finis. Et quoniam prius dixerat finem esse formam, modo vero ait hominem esse finem, ideo pro diluenda controuersia affert distinctionem finis; nam forma est finis generationis, homo vero est finis rei genitæ; forma est finis cuius gratia paratur materia, homo vero est finis, cui compositum ex vtrisque inseruit; quam

*Institutum.* *Diuisio.*

quam distinctionem ait esse traditam in eo, qui de Philosophia, denotando fortasse libros de Philosophia, quos construxit; at periere. elicitur hæc distinctio ex secundo de Anima & quodam modo ex libris Nicomachiorum.

## Caput Annotationum & Dubitationum.

*Primo considerandū.* CONSIDERANDVM est, dum dicimus materiam parari pro forma, & in eam dirigi, id præsertim esse verum de forma, quæ est substantia, non autem semper de ea, quæ est accidens, veluti tribuitur auro & argento figura pro constituenda pecunia, similiter fuco decoratur puella; quę formæ parantur pro materia, non autem vice versa, vt conspicuum est; pro artificiosis tamen constituendis materia paratur pro forma, vt lapides pro domo, ligna pro scamno. At duæ se offerunt diluendæ difficultates; *Prima dubitatio.* prima est an Ars valeat efficere materiam; altera quomodo dicatur hominem esse finem, & vti gratia sui omnibus quæ sunt. *Secunda.* Ordiendo a prima, dum dicimus Artem efficere materiam, id intelligi debet de materia proxima eorum, quæ arte constant, non de prima, quæ præsupponitur; *Q̃ṏ Ars Materiam efficiat.* verum id non caret dubitatione, quia Ars est habitus Mentis, & accidens, materia autem illa est substantia, accidens non valet efficere substantiam. *Solutio prima.* Pro responsione vtendum est distinctione, & dicendum, Artem efficere substantiam intelligi posse dupliciter, vel tanquam causam principalem, vel tanquam famulam eius: Ars non valet tanquam principalis causa materiam efficere, cum Ars sit accidens, valet tamē eam parare, & eam efficere tanquam ministra Naturæ, nectendo agentia cum patientibus, quæ mox per naturam operentur; veluti agricola producit plantas, & artifex efficit Gypsum, & calcem nectendo ignem cum lapidibus, quæ duo per naturam iuncta operantur, & aliquid efficiunt. *Solutio secunda.* Quærebatur secundo, quomodo homo sit finis & vtatur omnibus, quæ sunt, gratia sui. Indicatur his verbis hominem esse finem cui, & loquendo de his, quæ Arte fiunt, de quibus præsertim modo loquitur Philosophus, nemini dubium est, hominem illis vti, eorumque esse finem, sunt enim paratæ Artes ob humanam imbecillitatem, tanquam medelæ eius; & quamuis multa fiant Arte propter Armenta, Canes, Equos & similia, ea tamen proxime diriguntur quidem ad Armenta, e longinquo vero tanquam in finem vlteriorem diriguntur in hominem, cum armenta ei inseruiant. Dubium est an sententia Philosophi etiam sit vera de Physicis. Aristoteles enim vniuerse inquit nos vti omnibus quæ sunt. Nonnulli ex iunioribus Philosophis inficiati sunt hominem esse finem cæterorum mortalium; nam inquiunt finem cunctorum veluti Elementorum, plantarum, & iumentorum hunc esse, vt tanquam distincta corpora naturalia fruantur suo esse, & existentia, non autem vt gradus vnus inseruiat alteri, & in alterum vt in finem dirigatur. Hæc sententia, consentanea magis est principijs, & decretis Democriti, Epicuri, Empedoclis, & similium reijcientium Prouidentiam ab vniuerso, quàm Academicorum, Peripateticorum, & nostrorum Theologorum eam approbantium. Et vt de cæteris sileam, loquendo cum Aristotele conspicuum est, quod ipse in 12. Metaphysicæ contex. 51. affirmat ea quæ sunt in vniuerso ita subordinata esse, vt vnum respiciat aliud tanquam finem; ita etiā in primo de Cœlo manifestatur ordinem esse formam vniuersi; & in libro de Mundo ad Alexandrum definitur Mundus, quod sit cunctorum series a Deo & per Deum seruata; in ordine autem antecedentia referuntur ad sequentia, vt ad finem; hinc Natura ab Aristotele dicitur ordo, ordinata, & causa ordinis; ordo secundum se, ordinata dum refertur ad Deum, causa ordinis, dum refertur ad sequentia ex ea prodeuntia. Mitto alia multa, quæ alibi latius retuli, & assero hominem esse finem proximum cunctorum mortalium, quibus conspicue dignitate præstat. De attinentibus autem ad cœlestia & æterna, dico hominem vti etiam beneficio eorum, & esse finem non tamen principalem, sed secundarium: Ita dicebat Alexander Cœlum agere ob hæc mortalia,

non quidem per principale institutum, sed secundarium. Et Aristoteles inquiens nos vti omnibus quæ sunt, denotauit & Artificiosa & composita mortalia, quæ frequenter nomine entis denotare consueuit.

*DVAE igitur sunt Artes, quæ dominantur materiæ, & quæ sunt cognoscentes; ea quæ vtitur, & ea quæ architectonica est efficientis; propterea & ea quæ vtitur, modo quodam est Architectonica; Differt autem quatenus hæc quidem architectonica speciem cognoscit, Alia autem vt effectrix materiæ; Gubernator enim qualis sit species aliqua temonis cognoscit & præcipit, alius autem ex quo ligno, & quibus ex motibus est. In ijs igitur, quæ ad Artes attinent, nos facimus materiam propter opus, sed in Physicis est.* *Cont. 25.*

QVONIAM ex mutua comparatione Artis & naturæ eliciebat Philosophus rationem primam pro ostensione quod ad Physicum pertineat cognitio vtriusque Naturæ, ac etiam quia Ars & Naturalis scientia, partim similes, partim dissimiles sunt; ideo pro lucidiore explicatione eius rationis, institutum Philosophi est, manifestare quomodo Artes se habeant in consideratione Materiæ & formę. Pro notitia considerandum est in attinentibus ad Artes quatuor reperiri gradus; Nonnulli enim non sunt Artifices, sed solum vtuntur Arte confecta, vt Princeps in Arce residet; alij vtuntur & sunt Artifices, vt Musicus vtitur instrumentis musicis, & Nauta Naui; Alij tertio non vtuntur, sed pręsunt ministris, qui proxime opus efficiunt; Demum dantur ministri, qui solum exequuntur & obediunt, non autem præditi sunt habitu Artis. Constituti in primo gradu sunt supra Artem, constituti in quarto sunt infra Artem; Duo medij re vera sunt Artifices, prędìti habitu Artis, sunt Architecti, hoc est domini cognoscentes & imperantes, ideo Aristoteles hos solos duos gradus considerat, manifestans, quod cum sint subordinati, ita se habent, vt ille qui vtitur formam præsertim cognoscat; qui vero efficientibus, & ministris imperat, præsertim noscit materiam, & attinentia ad eam, veluti Faber lignarius cognoscit ex quo ligno construenda sit nauis, nō ex ligno nimium graui, nec quod facile putrescat, vel frangatur; insuper ex quibus motibus, hoc est quo modo materia paranda sit. Diuiditur contextus in tres partes; in prima referuntur illi duo gradus Artium & Artificum, qui cum sint Artifices noscunt & imperant; In secunda parte dum ait, Differt autem, &c. Manifestatur discrimen inter eos, & est quod vtens noscat formam, altero vero materiam; Tertio traditur differentia inter Artifices & Naturalem Philosophum, & est quod Artifices efficiunt vel parant materiam; Naturalis autem Philosophus nil efficit, sed solum materiam, formam, & naturæ opera speculatur. Ex his elicitur hæc ratio, Vt se habent Artifices imperantes & cognoscentes in attinētibus ad materiam & formam Artium, ita Naturalis Philosophus in attinentibus ad Naturam; sed subordinatæ illæ Artes noscunt cum formam, tum materiam, quare Naturalis scientia, quę est vniuersa subordinatio considerationis naturæ, tenetur cognoscere vtranque; Adeo vt naturalis scientia vniuersę illi subordinationi Artium respondeat: hinc non semper in eodem libro materia & forma consideratur, sed in subordinatis, veluti in libro de Partibus animalium declaratur materia animalium, in libris vero de Anima consideratur forma.

*Institutum.*

*In Artibus quatuor gradus.*

*Diuisio.*

*Ratio.*

laribus, tum ex parte modi considerandi, tum ex parte rei consideratæ, ideo statuit terminos ex parte vtriusque. Et primo ex parte modi considerandi, dubitat qui sint termini considerationis formæ; Soluit exemplo artium de materia, vt indicet terminos modi considerandi pertinere ad vtranque, ideo ait quemadmodum inspicimus medicum considerare Neruum, & materiam sanitatis, & fabrum æs, vsque ad aliquid, hoc est per relationem ad proprium finem, & quatenus ei conducunt, ita putandum est teneri Physicum considerare & formam & materiam, nimirum quatenus constituunt corpus Physicum & eius sunt principia; nam principia considerantur gratia eius, cuius sunt Principia: loquitur modo Philosophus de materia & forma; in contextibus autem 71. & 73. dum erit sermo de causis, assignabit terminos attinentes ad motores, & causam efficientem, constitutis terminis ex parte modi considerandi, attinentes ad vtranque naturam; statuit deinde terminos attinentes ad rem consideratam, eosque tribuit soli formæ, non materiæ; ratio est, quia Physicus considerat omnem gradum materiæ, non autem formæ, & ideo inquit Physicum versari in consideratione earum formarũ, quæ seiungi possunt specie & ratione, non existentia; nã sunt in materia & ex ea pendent; quæ materiatæ formæ iure ad Physicum pertinent, cum sint Naturæ: quod autem in materia existant, materiatæque sint, probat de forma hominis, de qua minus videtur, cum sit præstantissima mortalium; & per hominis formam non denotat Mentem, quam in primo de Partibus animalium inficiatur esse naturam, sed materiatam formam sub Mẽte collocatam, quæ terminus est generationis, vt dixit in præcedentibus. Et ait, homo enim & Sol generant hominem, hoc est, ea forma, quæ producitur per generationem ab efficiente materiato, materiata est, & ex materia pendet; forma hominis talis est, cum Sol tanquam causa communis, & homo vt causa propria, hominem generent. Quomodo autem se habeat hæc separata, & quid sit, Philosophiæ primæ officium est decernere, hoc est si eleuamur supra Naturam, & materiatas formas, egredimur terminos Naturalis scientiæ, quia considerare quid sit, & quomodo se habeat separata forma, officium est eius Philosophiæ, quæ per relationem ad nos dicitur post Naturalia, absolute autem est prima Philosophia.

*Terminus ex parte modi considerandi.*

*Ex parte rei considerata.*

*Ratio.*

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

APPARVIT triplici ratione officium Physici esse considerare vtranque naturam; id ipsum posset ostendi per antecedentia, quia considerans compositum, tenetur considerare principia eius; per coniuncta, quia vtraque natura particeps est modi considerandi Physici; per sequentia, quia vtraque natura est principium Physici motus, qui ad Naturalem scientiam pertinet. Insuper cõsiderandum, quod materia dicitur ad aliquid, nam ei competit duplex esse, vnum absolutum, per quod dicitur substantia, alterum relatũ, dum refertur ad formam; Physicus considerat materiam pro fundamento relato, & dicitur secunda notio eius; Diuinus aũt materiam cõsiderat & pro esse absoluto, & pro relato: Insuper cum Physicus & Metaphysicus materiam considerent pro esse relato; differunt tamen, quia Metaphysicus eam refert ad ens, hoc est ad substantiam compositã quatenus est; Physicus autem ad corpus Physicum, vt Physicum est. Ex quo elicio Physicum non proprie considerare materiam primam, sed Metaphysicum; quod ostendo, quia ille proprie materiam primam considerat, qui eam considerat priore notione, at hoc facit Metaphysicus, qui eam considerat cum notione absoluta, tum relata ad ens, quæ notiones sunt priores notione relata ad corpus Physicum, vt Physicum est; propterea alibi late patefeci solum Metaphysicum in quouis genere causæ eleuari ad primum, & absolute reddi sapientem. Insuper animaduertendum, quod iure dixit Philosophus, alterius formæ alteram esse materiam, non autem alterius materiæ alteram formam; quoniam materia dirigitur in formam, & forma est finis materiæ,

*Alijs rationibus ostenditur Physicum considerare utrãque naturã.*

*Materia ad aliquid.*

*Physicus non proprie materiã primam considerat.*

*Dubitatio.* non vice versa. At oritur dubitatio de hac sententia, vel enim Philosophus loquitur de materia prima, vel de proxima; si de prima, sententia est falsa, quod alterius formę altera sit materia, cum eadem sit materia omnium mortalium; si de proxima, sententia non facit ad rem, quia sermo est de materia, quę est natura, ea autem est materia *Solutio.* prima; Respondeo sententiam esse veram de vtraq; materia; de prima quidem, quia quamuis fundamento sit vna, tamen ratione & potentia est multiplex, & per distinctam potentiam distinctę formę materia est: Ideo Aristoteles quarto de Cœlo 37. dixit materiam primam esse quadruplicem ob quatuor primas eius potentias, ad quatuor formas Elementorum. Vera est etiam de materia proxima; quia ea quoque est *Secũda dubitatio.* natura, dum refertur ad sequentem formam. At dubitatur secundo, quia Aristoteles de materia Cœli an pertineat ad Physicum nihil dixit; ea enim nullius formæ est materia, sed est subiectum motus: Respondeo nil valuit Aristoteles de materia cœli distincte proferre, cum adhuc non patefecerit eam distingui a materia mortalium; tamen per ea, quæ profert de materia mortalium, nos ducit in notitiam attinentium ad eam cœli, de qua non est dubitatio, quod ad Physicum pertinet, cum subijciatur motui. Vt pertinet ad postremam partem contex. animaduertendum, quod iure Philosophus non assignauit terminos ex parte considerationis graduũ materiæ, cum materia omnis ad Physicum pertineat; assignauit tamen terminos ex parte modi considerandi, qui ei competunt, vt dixi; loquens autẽ de forma assignauit terminos ex parte vtriusque, nam formæ materiatæ considerantur a Physico pro esse relato ad corpus Physicum, a Metaphysico vero & pro esse absoluto & pro relato ad ens siue substantiã compositam; formæ autem separatæ absolute ad diuinum pertinent. Et demum animaduertendum, quod cum Aristoteles dixerit quomodo autem se habeat hæc separata, & quid sit, primæ philosophiæ officium est decernere, inquiens hæc separata potest duo denotare, vel Mentem hominis; quæ ex primo de Partibus animalium ad Physicum non pertinet, vel, quod verius puto, vniuersum genus formarum separatarum, siue vna, siue multiplex sit, vt dicebatur in calce primi Physicorum, & vtitur singulari, quia consideratur vt genus vnum non vniuoce, sed ab vno inquiens quid sit hoc genus formarum, denotans quæstiones simplices, & quomodo se habeat, denotans compositas; ambæ enim proprie ad Metaphysicum pertinent.

*Cont.27.* *DETERMINATIS autem his considerandum est de causis, & quæ & quot numero sint. Cum enim sciendi gratia hoc negocium, scire autem non prius opinamur vnumquodque, quam nouerimus propter quid de vnoquoque, hoc autem est cognoscere primam causam; Manifestum quod & nos hoc facere tenemur de ortu & interitu, & de omni Physica mutatione loquentes vt scientes eorum principia, redigere in ea enitamur quæsitorum vnumquodque.*

DECLARATIS internis principijs generationis rerum, nec non Elemen- *Institutum.* tis, siue internis principijs rei genitæ, sequitur modo tertium caput explicandum, in quo de rerum causis est agendum; Ideo Philosophus no- *Diuisio.* uo vtitur procemio, & de illis differendum proponit. Diuiditur hoc procemium, quod in hoc contex. absoluitur, in duas partes; in prima *Expositio.* proponitur id, de quo est agendum, in altera affertur ratio. Inquit itaque Philosophus determinatis his, hoc est cum primo res fiant, secundo sint, tertio cognoscantur, decursis primis duobus, sequitur nunc tertio, vt de causis agamus, & consideremus quæ & *Ratio.* quot numero sint genera causarum. Affertur deinde ratio, quæ ita formatur; Qui-

cunque

cunque sibi pro fine constituit scire, tenetur esse solicitus de notitia causarum, Naturalis Philosophus sibi pro fine constituit scire attinentia ad naturalem scientiam, quare tenetur esse solicitus de notitia causarum; Minor est conspicua, cum Naturalis scientia sit pars inspectricis Philosophiæ; Maior ostenditur, quia tunc putamus cognoscere vnumquodque, cum causam primam nouerimus, propter quam res est, vt etiam dictum est in procemio primi libri, necnon in primo Posteriorum. Tenetur itaque Physicus accurate causas cognoscere, vt agens de ortu interitu cæterisque Physicis transmutationibus, valeat in ens resoluere quæstiones omnes, & causas quæsitorum tradere; nam vt ex declaratione Elementi, nimirum materię & formæ Aristoteles eliciebat quid sit corpus Physicum, ita modo ex notitia causarum ait refulgere propter quid affectionum eius, quia scire per causam proprie est scire per demonstrationem, quæ præsertim est ipsarum affectionum.

## *Caput Annotationum & Dubitationum.*

CONSIDERANDVM quod frequenter Aristoteles ait pro rerum notitia requiri cognitionem causæ primæ, siue summæ; quid vero denotet per causam primam patebit in explicatione contex. 38. nunc autem considerandum, quod scire per causam, proprie est scire per demonstrationem; demonstratio est affectionum: inter affectiones corporis Physici prima est motus, siue mutatio, ideo iure Philosophus ait considerandas causas, vt in eas resoluere valeamus quæstiones attinētes ad ortum, interitum, omnemque Physicam transmutationem. *Quid causa prima.* At tres se offerunt diluendæ difficultates; prima est cur Philosophus non ordiatur a definitione, definiendo primo causam, mox declarando de quibus dicatur, vt fecit de Natura. *Prima dubitatio.* Altera est, quia videtur peruerti ordo; nam communiora prius declaranda; causa, cum dicatur de pluribus, est cōmunior internis principijs generationis, vel rei genitæ: *Secunda.* Tertio dubitatur, quia in hoc capite vniuerse agitur de causis, quod videtur officium Metaphysici, non autem declarantur causæ affectionum competentium corpori Physico. *Tertia.* De prima difficultate dico Aristotelem non ordiri a definitione causæ, tum quia constat quid nomine causæ denotetur, tum insuper quia causa diminute valet definiri, cum sit tenuis notio, & commune ab vno refulgens ex notitia eorum, de quibus dicitur. *Solutio primæ.* *Cur non orditur a definitione.* Putarem ego ita posse definiri, Causa est Principium, ex quo res effecta pendet, pro suo esse, & cognitione. *Definitio causæ.* Dicebatur secundo peruerti ordinem, & non primo declarari communiora, cum causa sit communior internis principijs, & Elementis; ob hanc rationem putarunt nonnulli secūdum librum Physicorum re vera esse primum, permutatum tamen fuisse ordinē, & prælatum fuisse primum ex accidenti, vt purgarentur animi ab erroribus veterum Philosophorum. *Solutio secunda de ordine.* At qui hoc dicunt, conspicue hallucinantur, primo quia absolute in procemio primi Physicorum patefecit Philosophus primo esse agendum de principijs; secundo quia absolute res primo fiunt, secundo sunt, tertio cognoscuntur, qui ordo a tradente sciētiam seruandus est; Tertio, quia hi non valent rationem tradere cur in secundo Physicorum prius declarata fuerit Natura, cum sit minus communis, quam causa. Propterea dicamus communia vniuoca, quorum cognitio est necessaria pro notitia contentorum, necessario esse primo declaranda, at de communi ab vno, cuius cognitio non est necessaria pro cognitione aliorum, secus se habet; hoc enim est notio tenuis, quæ præsertim refulget ex notitia contentorum. *Solutio verior.* Insuper communius est prius declarandum, quādo seruatur eadem relatio, non autem dum variatur relatio includens rationem potiorem ordinis, vt de his se habere patefeci. Dubitabatur tertio, quia in hoc capite non declarantur causæ affectionum corporis Naturalis, quod profecto attinet ad Physicum, sed considerantur genera causarum vniuerse, quæ consideratio Meta- *Solutio tertiæ.*

physica potius est; ideo in 5. Metaph. legitur hoc caput, Respondeo re vera hanc considerationem non esse Physicam, sed esse Pædiam, & rectam institutionem ad Physicam, & cum sit consideratio communis attinens & ad Metaphysicum, & ad Dialecticum, in calce capitis declarato Casu, & Fortuna cōtrahetur ad Physicam & manifestabitur quæ causæ a Physico sint considerandæ, & vsque ad quem terminum, præsertim loquendo de causa efficiente,

Cont. 28. *VNO igitur modo causa dicitur ex quo fit aliquid, cum insit, vt æs statuæ & argentum phyalæ, & horum genera; Alio autem modo species & exemplar, hæc autem est ratio ipsius quid erat esse, & horum genera, vt ipsius diapason duo ad vnum, & omnino numerus, & partes, quæ in ratione.*

*Institutum.* REFERT Philosophus genera causarum ordiens a materia; & tradens singularum definitiones manifestat, quæ sit propria ratio vniuscuiusque generis causæ, per quam id genus causæ constituatur distinctum & reliquis. In hoc contex. traditur definitio primo materiæ, secundo formę.

*Diuisio.* *Expositio.* Definitur materia, quod sit id ex quo fit aliquid, non tanquam ex termino a quo, vt priuatio, sed tanquam ex parte; ideo dicitur, cum insit, nimirum in cōposito, vt æs est materia statuæ, & argentum phyalæ. Sumit exempla ab Artificiosis, quia materia cognoscitur per Analogiam ex eis sumptam; addit, & horum genera, veluti metallum, indicando ordinem generis materiæ; qui ordo vel est abstractionis, vt æs, metallum, mixtum, consimile & similia; vel est distinctorum graduum materiæ, vt Materia prima, quatuor Elementa, mixta similium partium, & membra. Alio autem modo species & exemplar; Pro secundo genere causæ statuit formam, & addit exemplar indicando id non constituere distinctum genus causæ, sed redigi ad formā; Quam definiens, inquit, quod est ratio ipsius quid erat esse; forma dicitur ratio tribus modis, primo secundum se, quia est essentia & actus qui definitione explicatur; secūdo per relationem ad compositum, quod ex ea constituitur, nam quod homo sit homo, hæc sola est ratio, quia formā hominis includit; tertio est ratio per relationem ad affectiones specierum eam sequentes; Aristoteles tamen denotat relationem ad compositum, ac ita dicitur ratio ipsius quid erat esse, hoc est, dicitur id per quod compositum est id quod est, & est vniuersa eius essentia sumpta in prima significatione; materia autem solum est pars essentiæ sumptæ in secunda significatione: addit, & horum genera, indicādo ordinem, qui duplex est vel abstractionis, vt homo per animam est homo, animal & corpus viuens; vel distinctorum graduum formarum, vt formæ Elementorum, mixtorum cōsimilium, plantarū & animalium. Vtitur exemplo Mathematico, veluti ipsius diapason, hoc est rationis duplæ; forma & essentia est ratio duorum ad vnum, quæ ratio pro genere habet numerum, qui dicetur forma remotior. Additur, Et partes, quæ in ratione; nam dum definitio consideratur consideratione Logica, dicitur constare ex genere & differentijs; genus est forma communis, differentiæ formæ propriæ. Insuper dum consideratur consideratione Metaphysica, vt est essentia, & quid, id solum dicitur pars definitionis, quod est pars essentiæ, & vltima differentia dicitur totum id quod res est. At dum consideratur vt explicans quid, & propter quid ita constare potest ex omni genere causæ, quales frequenter sunt definitiones Physicæ, & præsertim affectionū; & inquit partes, quæ in ratione, potius quam rationis, quia omnes prædicantur sub ratione totius,

*Attinentia ad materia.*

IN libris de materia cumulate satis attinentia ad notitiam materiæ explicaui, propterea modo paucissima perpendam. Materia potest considerari & pro suo esse absoluto, & pro fundamento relato; quo secundo modo est præsentis considerationis. Insuper materia relata duplex esse potest, vel materia prima eorum, quæ natura constant, & hæc definita fuit in primo libro contex. 82. quod sit subiectum primum, &c. vel materia vniuerse sumpta, quæ dicitur de quauis materia cum prima, tum proxima, cum substantiæ, tum accidentium, ac demum cum eorum, quæ natura constant, tum eorum, quæ constant Arte. Hoc in loco quia considerantur prima capita & genera causarum, definitur materia vniuerse sumpta. Insuper considerandum, quod materia ad duo referri potest, primo ad formam, secundo ad compositum, nam vtriusque dicitur materia; magis proprie tamen refertur ad compositum, quia eius est pars & principium: hinc Aristoteles præsertim eam refert ad compositum, ita tamen id facit, vt simul includat relationem ad formam, inquiens, ex quo fit aliquid, cum insit; siluit Aristoteles genus, in primo Physicorum id expressit inquiens, materiam esse subiectum. At perpendamus quæ nam sit propria ratio, per quam constituitur causa in genere materiæ. Hæc ratio non est sola receptio formæ, ita enim materia esset causa animorum, qui creantur & in materia recipiuntur; sed propria materiæ ratio duo exposcit, primum est, vt per eius transmutationem vel naturalem, vel violẽtam ex ea educatur forma; alterum est, quod subijciatur formæ, & sit pars compositi, Aristoteles inquiens ex quo fit aliquid, denotauit primum, dicitur enim fieri per transmutationem; addens, cum insit, denotauit alterum. Sic formæ assistentes non dicuntur prædità materia, nisi per metaphoram. Insuper animaduertendum, quod Aristoteles in primo Physic. 82. definiens materiam, eam retulit ne dum ad ortum, verum etiam ad interitum; modo vero de solo ortu fit mentio: ratio prima est, quia ortus ille est, qui proprie expetitur; Altera, quia ibi definiebatur materia prima, hoc autem in loco materia vniuerse sumpta. Tertia, quia ibi tenebatur ostendere materiam non interire, ideo etiam de interitu tenebatur mentionem facere. At quæritur, num hæc definitio competat etiam materiæ Cœli; respondeo per Aristotelem in 8. Metaphysicæ contex. 12. & 12. Metaphysicæ cont. 10. Cœlo competere materiam ad vbi, siue motus, de qua vere dicitur, quod ex ea fit corpus motum, & existit in eo, vt se habet etiam de omni materia accidentium; nam concretum gignitur, non sola forma. Cætera ad materiæ notitiam pertinentia latissime in libris de materia sunt explicata; pertinentia autem ad formam in calce huius capitis declarabuntur.

*Materia & absoluto & pro relato.*

*Materia relata duplex*

*Materia ad duo potest referri.*

*Quæ sit propria ratio materiæ.*

*AMPLIVS vnde Principium mutationis primum, aut quietis vt consultor causa, & Pater filij, & omnino faciens facti; & permutans permutati. Præterea vt finis hic autem est id cuius gratia, vt ambulandi sanitas, cur enim ambulet interrogati, respondemus, vt sanus sit, & ita locuti opinamur assignasse causam; Et quæcunque mouente alio intermedia sunt, fiunt gratia finis, vt sanitatis extenuatio, aut purgatio, aut medicamenta, aut organa; omnia namque hæc sunt gratia finis, differunt tamen ab inuicem, quia alia sunt opera, alia vero organa; causæ igitur ferè, tot modis dicuntur.* Cont. 29.

RELATA

*Institutum.* *Diuisio.* RELATA materia & forma refert Philosophus causam efficientem, & finem; ideo contextus diuiditur in duas partes, in quarum prima referẽs efficiẽtem inquit, Amplius, hoc est tertio modo causa dicitur principiũ primum mutationis, aut quietis, denotans nomine mutationis quamcunque speciem motus, siue secundum naturam, siue violenti; nomine vero quietis oppositum eius. Addit primum, quia id vere principium est, & vere efficit, cætera vero ad id relata mouentur ab eo, eiusque sunt instrumenta; denotando per primum, vel primum absolute vt Deus, vel in genere vt pater filij, statuaria Ars, & similia. Præterea vt finis, &c.] Refert in hac secunda parte Philosophus quartum genus causæ, nimirum finem; & quoniam finis a veteribus non iudicabatur causa, cum sit quid vltimum, ac etiam quia non putarunt naturam operari propter finem, ideo leui quadã, & Logica ratione eum esse causam ostendit; quæ ita formatur; quod pro responsione affertur interroganti propter quid, est causa, finis est huiusmodi, quare causa est; maior patet ex secundo Posteriorum, nam quærentes propter quid, causam quærunt; minor patet exemplo, interrogati enim cur ambulemus respondemus, vt sani simus; Quod etiam patet, quia quæcunque mediant inter efficientem, & finem, sunt gratia finis, id autem propter quod alia sunt, dicitur causa eorum; & interrogati cur fiant, respondemus fieri gratia finis, vt gratia sanitatis paratur diæta, tribuuntur pharmaca, educitur sanguis, & fiunt alia similia, quorum nonnulla sunt opera, vt exercitium, emissio sanguinis; alia organa, vt Ventosæ, Phlebotomum. Demum colligit Philosophus causas fere tot modis dici, nimirum quatuor; addit, fere, tum quia non sunt genera vniuoca, sed ab vno; tum insuper, quia in omni genere variæ inueniuntur distinctiones, & modi; tum demum, quia id non probauit. Digressio apparebit in calce.

*Ratio.*

*Cont. 30.* *ACCIDIT autem cum multipliciter dicantur causæ, & multas eiusdem causas esse non ex accidenti, vt Statuæ Ars statuaria & æs, non secundum alterum quid, sed quatenus est statua, at non eodem modo, verum hoc quidem vt materia, illud autem vt vnde principium motus. Sunt etiam quædam sibi mutuo causæ, vt exercitium causa est bonæ habitudinis, & hæc exercitij; at non eodem modo, verum hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus. Præterea eadem contrariorum causa est; quod enim præsens causa huius est, hoc absens inspicimus aliquando causam contrarij, vt absentiam nautæ naufragij, cuius præsentia est causa salutis.*

*Institutum.* DECLARATIS quatuor communibus generibus causarum, declarat modo Philosophus communia quædam eis competentia, vt appareat ne dum quot, quæ, & quid sint, verum insuper qualia sint, & quomodo inuicem & ad effecta se habeant; ea autem sunt tria, ob quæ contextus

*Diuisio.* in tres partes distribuitur; primum est quod eiusdem variæ possunt esse causæ, nam hominis, domus, & similium quatuor sunt causæ, genere tamen distincto: & si quis quærat an eædem genere, valeant eiusdem plures esse causæ, respondeo id contingere vt homini competunt varij gradus materiæ, formæ, efficientium, & finiũ; tamen Aristoteles dixit id contingere distincto genere, quia inspexit causam primam,

vt eius-

at eiusdem rei in vno genere vnica est causa prima, quæ absolute dicitur eius causa. Alterum, quod competit causis, est vt valeant esse sibi mutuo causæ, veluti materia est causa formæ, exercitium sanitatis, & vice versa, at vario causæ genere; omnis enim prima causa in suo genere prima est, & non pendet ex alio; at genere distincto potest nō esse prima, & pendere ex alio. Et si quis quærat, an etiam in eodem genere id euenire valeat, dicendum cum Aristotele in secundo Poster. hoc quoque contingere posse, vt patet de pluuia & nube, quæ in genere materiæ vicissim sunt sibi causæ; & etiam in genere causæ efficientis homo generat hominem & generatur ab homine; at id euenit per relationem ad varia indiuidua, & propterea non sequuntur absurda, ad quæ deducit Aristoteles in primo Posteriorum loquens de ostensione circulari; nam circulus est consimilis & vniformis, hæc autem dissimilitudinem aliquam includunt, & non est absurdum vt idem relatū ad idem, modo vario, vel per varia indiuidua sit prius ac posterius, causa & res effecta. Tertio competit causis, vt eadem valeat esse causa oppositorum, vt Nauta sui præsentia est causa salutis nauis, sui vero absentia naufragij; similiter sol in secundo de Ortu & Interitu, suo ad verticem capitis nostri accessu dicitur causa ortus plantarum, suo vero recessu, interitus. Quod idem valeat esse causa oppositorum, vnius secundum se, alterius secundum accidens, conspicuum est; nam calor ne dum caloris secundum se, verumetiam frigoris ex euentu valet esse causa; ita ventres ob frigus ambiens hyeme sunt calidiores quam æstate, vt docet Hippocrates: Similiter Nauta solum ex euentu est causa naufragij. At dubium est num valeat secundum se esse causa oppositorum; profectò agenti per naturam id non competit, sed solum agenti libero & per rationem, vt in Philosophia Ciuili latissime patefeci.

*OMNES autem nunc dictæ causæ in quatuor rediguntur modos manifestißimos; Elementa enim syllabarum, & materia effectibilium, & ignis, & huiusmodi corpora, Et partes totius & suppositiones conclusionis, vt id ex quo causæ sunt; Harum autem aliæ quidem sunt vt subiectum, veluti partes, Aliæ autem vt quod quid erat esse, & totum & compositio & species; Semen autem, & medicus, & consultor, & omnino efficiens; omnia sunt vnde principium mutationis, aut status, aut motus; Aliæ demum vt finis & bonum aliorum; Id enim cuius gratia optimum & finis aliorum vult esse; Differat autem nihil idem dicere bonum, vel videri bonum. Causæ igitur tales, & tot sunt specie.* *Cont.31.*

RELATIS quatuor generibus causarum, & tribus earum affectionibus, quoniam in omni genere multæ inueniuntur varietates, ob quas posset quis putare genera causarum esse plura, ideo institutum Philosophi est huiusmodi varietates referre, & patefacere cūctas redigi in ea quatuor causarum capita; & cum id faciat de omni genere causæ, ideo contextus in quatuor partes diuiditur; & patefacto instituto suo ordietur suo more a materia. Inquit igitur omnes causæ, de quibus sermonem habuimus, & quarum affectiones sunt patefactæ, rediguntur in quatuor modos, hoc est capita, genera ab vno, & formalitates manifestissimas; nam hæc communia capita conspicua sunt, latent autem varietates eorum: Sic Elementa grammaticæ sunt materia syllabarum; lignum, æs, & similia sunt materia effectibilium; ignis, aer, aqua, & terra, sunt materia mixtorum, & *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

partes integrantes & quátitatis sunt materia totius: Nam materia vel est compositionis tantum, vt literæ, & partes totius; vel solum alterationis, vt vinum sanguinis; vel vtriusque, vt simplicia corpora mixtorum. Refert secundo varietates formarum inquiens totum, compositio, & species; recte Philosophus tres formarum refert varietates; nam forma vel est totius, vel partis; forma partis, quæ est altera pars compositi, indicatur per speciem; forma totius est duplex, vel partium essentialium, quæ denotatur per compositionem, quia illæ secundum se componuntur; vel partium quantitatis & integrantes, quæ denotantur per totum; ita Philosophus conspicue approbat distinctionem formæ in formam totius, & partis; quæ cum competat formæ, etiam necessario competit materiæ, vt in libris de materia patefeci: formam autem totius conspicue approbauit in septimo Metaphysicæ, contextu vltimo, vt nullum reliquerit dubitandi locum. Et quoniam, vt recte ait Themistius, per materiam res fiunt, per formam res sunt; ideo vt materia dicebatur ex quo inexistente res fiunt, ita de forma dicitur quod fit id, quod res est. Tertio loco refert Philosophus varietates causæ efficientis inquiens, semen autem, & medicus, & consultor. Nam causa efficiens vel solum dirigit, & non attingit effectum, veluti consultor; Vel effectum attingit sine sui interitu, vt Medicus; vel id facit cum sui interitu, vt semen. Hæc omnia sunt vnde Principium mutationis, aut status, aut motus. Philosophus vsque in quintum librum non distinguit motum a mutatione, ideo sine distinctione illis vtitur. Semen ab Aristotele modo sumitur pro causa efficiente, vt hoc in loco; modo pro materia, vt in primo Physicorum ob varietates partium eius, vel magis materiatarum, vel magis spiritalium. Demum refert finem, cuius conditiones sunt, vt sit vltimum quid, & optimum; varietas autem præcipua eius est, quia bonum duplex est vel vere bonum, vel apparens; vere bonum est sui natura finis, id autem quod apparet, solum est finis ei, cui apparet, non autem absolute. Possent in singulis generibus causarum aliæ varietates manifestari, at hæ sunt præcipuæ, ideo iure Aristoteles collegit causas esse tales, & tot specie, hoc est forma; quia sunt quatuor formalitates & distinctæ rationes causarum constituentes quatuor causarum genera, non quidem vniuoca, sed ab vno.

Cont. 32. *MODI autem causarum numero quidem sunt multi, in capita vero redacti pauciores; & sunt hi. Dicuntur causa multipliciter, & eorum, quæ similium specierum sunt; nam alia est prior, alia posterior, vt sanitatis Medicus; & Artifex, & ipsius diapason duplum, & numerus, & omnino quæ*

Cont. 33. *continent ad singularia & contenta. Insuper vt accidens & horum genera, vt Statua aliter Polycletus, & aliter statuarius; nam accidit statuario vt sit Polycletus, & continentes etiam accidens, vt si homo causa sit statuæ, aut omnino Animal; sunt enim accidentium aliæ alijs remotiora & propinquiora, vt si albus & musicus dicantur*

Cont. 34. *causa statuæ. Præter omnes autem cum proprie dictas, tum secundum accidens, alia quidem vt potentes dicuntur, alia vero vt operantes, veluti ædificandæ domus ædificator, aut ædificans ædificator.*

CVM Philosophus pro ostensione quod quatuor sint genera causarum manifestasset singulas varietates sub singulis distincte positas in quatuor ea capita redigi, modo institutum eius est modos communes patefacere, qui in omni causarum genere locum habent. Ratio instituti est, vt pateat, quod quamuis genera causarum sint quatuor, tamen modi principales earum sunt plures: insuper vt notæ reddantur varietates cum propriæ singularum, tum communes. Hoc autem facit tradendo quatuor communes singularum causarum diuisiones, quarum tres habemus in his tribus contextibus; qui ob id in tres partes diuiduntur. Inquit Philosophus in prima parte, quamuis genera causarum sint quatuor, modi tamen earum, qui genere non distinguuntur, multi sunt; verum si in capita redigentur, erunt pauciores: Nam causæ dicuntur multipliciter non quidem æquiuoce, sed ab vno; quæ multiplicitas in quolibet genere causæ locum habet, & earum vna est, quod causarum quædam prior; quædam posterior est, vt sanitatis causa efficiens proximior est Medicus, & quia medicus est artifex, ideo causa posterior & remotior erit artifex; Similiter in genere formæ ipsius proportionis duplæ forma proximior est duplum, remotior numerus, & sic de cæteris communioribus & continentibus. Animaduertandum in causis considerari prius & posterius dupliciter, vel secundum gradus causarum; vt materia prima, Elementa, mixta similia & membra sunt materia prior & posterior hominis; vel secundum gradus abstructionis, vt medicus, & artifex. Aristoteles de hoc secundo modo dedit exempla, quia per causam denotabat primam & propriam, quæ per nomen proprium & suorum generum explicari potest. Insuper vt accidens & horum genera. In hac secunda parte diuiditur causa in causam secundum se, & causam secundum accidens, vt Polycletus est causa statuæ secundum accidens, Statuarius vero secundum se; accidit enim statuario, vt sit Polycletus; nam si consideramus esse absolute, statuarius accidit Polycleto, vt accidens substantiæ; at si consideramus modum causæ, quia statuarius est causa per se, ideo, vt pertinet ad productionem statuæ, Polycletus accidit statuario, vt id quod est ex euentu, ei quod est secundum se. Addit Philosophus & continentes etiam accidens: his verbis manifestat distinctionem primo traditam competere membris secundę distinctionis; & id declarat de causa secundum accidens, de qua magis est dubium, cum infinita vni accidant, & in infinito non seruetur ordo; ideo inquit, vt si homo causa sit statuæ, & omnino animal, indicans hominem esse causam statuæ ex accidenti propinquiorem, animal vero remotiorem; sunt enim accidentium alia alijs propinquiora, & remotiora; indicat his verbis, quod quamuis accidentia ex propria conditione sint indefinita, & destituta ordine, tamen dum includunt aliquid per se, vel referuntur ad aliquid per se, valent ordinem includere; & vtriusque modi Aristoteles mira arte dedit exempla; indicauit modum primum dicendo homo & animal sunt causæ statuæ; indicauit secundum inquiens, vt si albus & Musicus dicantur causæ statuæ; nam musicus est causa proximior, quia competit soli homini, cui soli etiam competit, vt sit statuarius; albus est causa communior & remotior, cum accidat ne dum homini, verum alijs quoque corporibus Physicis. Pręter omnes autem tum proprie dictas, &c.] in hac tertia parte traditur tertia distinctio, quia causa vel est actu, vel potestate; tunc causa dicitur actu, dum iunctum habet actum secundum, vt ędificator ędificans, statuarius statuam efficiens; Potestate vero, dum caret secundo actu, vt ędificandę domus causa potestate est ędificator ędificataturus, & tunc causa includit perfectionem suam, dum est iuncta cum secundo actu; quia causa, vt causa, dirigitur ad rem effectam, & id cuius est opus, est gratia operis; vnumquodque autem tunc dicitur absolute perfectum, dum est iunctum suo fini.

*Institutum.*

*Diuisio.*

*In causis duplex ordo.*

Cont. 35. *PERINDE autem dicitur & in ijs, quorum causæ sunt ipsæ causæ, ac in ijs, quæ dicta sunt, vt huius statuæ, aut statuæ, aut omnino imaginis, & æris huius, aut æris, & omnino materiæ, & in accidentibus similiter.*

Institutum. PHILOSOPHVS tradens tertiam distinctionem eam tribuebat etiam rei effectæ, inquiens, vt ædificandæ domus, &c. denotando effecta potestate; ideo plenioris explicationis gratia modo manifestat distinctiones causarum etiã effectis competere, & iure; nam relatorum eædem sunt distinctiones, causæ autem & effecta inuicem referuntur; id autem declarat exemplis attinẽtibus ad primam & secundam distinctionem, nam de tertia iam

Diuisio. dixit, vt ædificandæ domus &c. ait igitur similiter se habere de ijs, quorum causę sunt ipsæ causæ, hoc est de effectis, vt huius statuæ, statuæ, & imaginis, indicando effecta priora & posteriora, siue proximiora & remotiora: similiter æris huius, & æris, & metalli; nam quamuis æs sit materia statuæ, tamen eo vtitur pro re effecta, quia in contex. 24. dictum est artes materiam efficere; & hæc exempla attinent ad primam distinctionem: addit & in accidentibus similiter, indicando attinentia ad secundam distinctionem in secundum se, & ex accidenti, in quibus etiam locum habet prius & posterius, vt apparuit.

Cont. 36. *AMPLIVS autem connexa & hæ & illæ dicuntur, vt non Polycletus, neque statuarius, sed Polycletus statuarius; Attamen omnes hæ sunt multitudine quidem sex, dictæ autem dupliciter; aut enim vt singulare, aut vt genus, aut vt quod ex accidenti, aut accidentis genus, aut vt connexa hæ, aut vt simpliciter dictæ, aut autem omnes actu existentes, aut potestate;*

Cont. 37. *differunt autem, quia operantes & singulares, & ea, quorum sunt causæ simul, sunt & non sunt, vt hic medens cum hoc qui sanatur, & hic ædificator cum hoc quod ædificatur; Quæ autem sunt potestate non semper, perit enim non simul domus & ædificator.*

Institutum. REDIT Philosophus ad causas tradens earum quartam distinctionem, quæ est per complexas, & incomplexas, & tria facit; primo hanc distin-

Diuisio. ctionem tradit; secundo distinctiones quatuor in ordinem redigit manifestans ex eis duodecim consurgere membra; Tertio differentiã constituit inter causas actu, & causas potestate. Vt pertinet ad primum,

Expositio. causæ vel sunt, siue proferuntur cum connexione, vel simplices; cum connexione, vt dicendo Polycletus statuarius construxit statuã, nectitur enim causa secundum se cũ ea ex accidenti; Simplices vero indicantur, vt dum vna sola profertur: hæc connexio locum habet cum in causis, tum in modo loquendi, & necti possunt multipliciter, vt cõspicuum est; necti enim possunt & causæ vnius generis cum causis alterius, & causæ vnius generis cum alijs eiusdem generis; & hoc modis varijs, quos inutile esset referre. Attamen omnes hæ sunt multitudine quidem sex, &c. in hac secunda parte considerat Philosophus modos, qui ex traditis distinctionibus prodeunt, inquiens primo ex tribus distinctionibus prodire membra sex, quæ mox diuisa per actum & po-

tentiam vertuntur in duodecim, quæ cùm locum habeant in omni genere causæ, & causæ sint quatuor, prodibunt modi quadraginta & octo, hic est numerus consurgentium secundum considerationem Aristotelis, at si exactius cupimus illum patefacere, inueniemus in omni genere causæ nõ duodecim, sed sexdecim inueniri modos; quod patet diuidendo membra primæ diuisionis per secundam, secundę per tertiam, & tertiæ per quartam; nam per primam distinctionem duo constituuntur membra, quæ per secundam redduntur quatuor; & ea quatuor per tertiam redduntur octo; quę diuisa per quartam redduntur sexdecim; & multiplicata per quatuor genera causarum, redduntur sexaginta quatuor: at Aristoteli fuit satis fundamenta principalia multiplicationis patefacere. Differunt autem, quia operantes & singulares, &c.] in hac tertia parte assignatur discrimen inter causas actu, & causas potestate, & est quod causę actu sunt simul cum effectu actu, potestate autem non sunt semper simul; quia non simul perit domus, & ædificator. Iure causa actu & effectus actu sunt simul, quia idem est actus agentis, & patientis, vt patet ex 3. Physicorum, solum ratione distinctus; & propterea dum adest actus agentis, necessario aderit etiam actus patientis: dum autem accipiuntur potestate, secus se habet; potest enim perire vnum, superstite altero. At oritur dubitatio quia Aristoteles domum prius constructam sumpsit pro ædificio potestate, cùm tamen prædita sit forma, & sit actu: Soluitur, quia domus ad duo referri potest, primo ad actum ædificandi, qui abest, & ob id dicitur potestate, non quidem proprie, quia talis est ante quam ædificetur, sed per negationem, quia non adest actus ille; Secundo referri potest ad actum rei ædificatæ, qui forma est, ac ita dicitur actu. Insuper considero quod relata dupliciter considerari possunt, vel pro esse absoluto, vel pro esse relato; pro esse relato recte & proprie sumpto semper sunt simul, at non pro esse absoluto; de quo vera est sententia Aristotelis, quod non simul perit domus, & ædificator; Demum cum Aristoteles dixerit Polycletum statuarium esse causam complexam; dubitatur num hoc complexum ex causa per se, & causa ex accidenti debeat iudicari causa per se, vel potius ex accidenti: Respondendum est distincta consideratione tria recte dici posse; primum est quod absolute id sit connexum ex causa secundum se, & ex accidenti; Secundum quod ratione connexionis sit causa secundum accidens, ea enim quæ ex accidenti, vel inuicem, vel cum effectu nectuntur, iudicari debent causæ secundum accidens, Polycletus & statuarius ex accidenti nectuntur, cum valeant non necti; Tertium si statuarius profertur ita, vt explicet modum, quo Polycletus efficiat statuam, dicetur causa per se, quasi dicamus, Polycletus, vt statuarius, statuam efficit. Dubitatur cur Aristoteles non diuisit causas in externas, & internas, insuper in causas & concausas: Soluitur, quia considerabat distinctiones, quæ locum habent in singulis generibus causarum: de his autem secus se habet, vt conspicuum est.

*Dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

*OPORTET autem semper causam vniuscuiusque summum quærere, & vt de cæteris sic homo ædificat, quia ædificator est, ædificator autem est per Artem ædificandi: hæc igitur causa prior est, & sic in omnibus. Amplius alia quidem genera sunt generum & singulares singularium, Vt statuarius causa est statuæ, hic autem huiusce; Et quæ sunt potestate causa sunt eorum, quæ sunt potestate; quæ vero actu, eorum, quæ sunt actu. Quot igitur causæ & quomodo causæ sunt, sint definita satis.* Cont. 38.

*Institutum.* Quoniam considerantur causæ gratia sciendi, & in eis multiplex varietas apparuit, ideo manifestati debuit, quæ sit ea causa, per quam proprie scimus, & pro scientia quærimus; quod declarat Aristoteles in præsenti contextu, in quo manifestat & quæ, & qualis causa quæratur. *Diuisio.* Diuiditur contextus in tres partes; in prima inquit, quotiescunque distincte aliquid scire cupimus, necessario teneri quęrere causam summam, quod declarat exemplo ædificationis; in secunda asserit effectuum vniuersalium causam vniuersalem, singularium singularem tradendam esse; in tertia effectuum actu, tradendam esse causam actu, effectuum vero potestate, causam potestate, adeo vt causa rei effectæ respondeat, & iure; nam sunt ad aliquid, & vni relato, alterum quod proprie ad id referatur tribuendum est: similiter in secundo Posteriorum addit Aristoteles futurorum futuram, præsentium præsentem, præteritorum præteritam assignandam esse causam; similiter rei effectæ secundum accidens causa secundum accidens tribuenda est, vt patet de fortuitis. Verba sunt conspicua, propterea duo sola considerabo; primum est, quid denotet Aristoteles per causam summam: pro notitia animaduertendum, quod frequenter Philosophus hanc sententiam protulit, nimirum quærendam esse causam summam, siue primam, vt in præcedentibus contex. vigesimoseptimo, sub initio octaui Metaphysicæ, in libro de Generatione animalium, nec non in primo Posteriorum, inquiens demonstrationem constare ex primis indemonstrabilibus. *Quæ sit causa summa.* Causa pōt esse summa & prima dupliciter, vel secundum prædicationē & abstractionem, quod non facit ad rem, vel secundum ordinem productionis; Et hęc potest esse summa dupliciter, aut absolute, quæ est causa remota, non proprie pariens scientiam; aut in genere rei effectæ, adeo vt simul sit summa, prima, & propria; & hæc ea est, quæ denotatur ab Aristotele, quæ est medium demonstrationis, reciprocatur cum re effecta vniuerse sumpta, & variorum est varia; quod manifestat Philosophus exemplo inquiens, homo ædificat quia est ædificator, ædificator autem est per Artem ædificandi, hæc igitur causa prior est; sic Ars ædificādi statuitur causa summa, quæ non secus est summa, nisi modo declarato. *Ratio.* Ratio huius sententiæ conspicua est, quia ea causa parit scientiam, propter quam res est, & proprie ad eam refertur, huiusmodi est ea, quæ declarata est, quæ dicitur causa prima secundum esse, vltima in quæstione, vt recte ait Auerroes. Alterum quod occurrit explicandum est, quia Aristoteles inquit singularium singulares causas assignandas esse, quod est dubium; quia singularium non est scientia, & solum sciuntur per notitiam vniuersalium: soluitur dicendo sententiam Philosophi non esse contrahendam ad demonstrationem, sed vniuerse intelligendam de omni inquisitione causæ siue pro scientia, & demonstratione, siue pro quauis interrogatione: nam interrogati de singulari effectu, non vniuersalem, sed singularem causam assignare debemus; & quamuis de singularibus non sit scientia, parant tamen viam ad eam. In explicandis postremis contextibus huius capitis, pertinentia ad annotationes, & dubia prætermisi, quia in digressione cuncta latius explicare decreui, ad quam propero.

## *Digreßio pro attinentibus ad causas vniuerse sumptas.*

*Constat, causam esse. Definitio causæ.* Causam esse conspicuum est, cum constet dari effecta; propterea eam omnes concessere. Definiri autem potest quod sit Principium, ex quo effecta per se pendent, pro esse, & distincta cognitione: dicitur principium, quia est latius, & notum; effecta dicuntur ex ea pendere pro esse, non quia omnis causa sit esse rei, hoc enim soli competit formæ, sed quia esse rei effectæ, distincto modo ex distincta causa pendet. Causæ ab Aristotele statuuntur quatuor, nam tot sunt, per quot respondemus interroganti, propter quid;

hoc

hoc autem facimus modis quatuor, & per quatuor genera causarum, vt experientia constat; nam quærens propter quid causam quærit. Insuper tot sunt causæ, per quot distinctè cognoscimus effecta, & constitui possunt ostensiones per priora, quod solum competit per genera quatuor causarum, quæ omnes valent esse medium ostensionis propter quid, vt ostenditur in secundo Posteriorum: præterea causæ vel sunt internæ, vel externæ, siue concausæ, vel causæ; internæ vel sunt subiectum, vel in subiecto, & sunt materia, & forma; externæ vel secundum esse proprium antecedunt, vel sequuntur rem effectam; si antecedunt est efficiens, si sequuntur est finis; de exemplari, & instrumento quid sit dicendum in progressu patebit. Demum id ipsum confirmatur, quia causa vel est essentia rei effectæ, & est forma; vel eam defert, & est materia; vel eam producit, & est efficiens; vel eam perficit & est finis. Veteres ex his causis primo nouere materiam, quam putarunt esse vniuersam rerum essentiam: Secundo loco per transmutationem excitati fuerunt in inuentionem efficientis; formas putarunt accidentia; de fine autem loquendo, partim negarunt naturam operari propter finem, partim negarunt finem esse causam, sed dixerunt esse rem effectam. Pythagoras, & Socrates nouerunt conditionem formæ, & putarunt eam esse essentiam rerum, & id quod sunt; similiter nouere finem & putarunt Naturam agere propter finem; quos sequutus est Plato, & Aristoteles: Veteres materiam dixerunt Principium rerum, non autem eam nuncuparunt causam. Plato similiter inficiatus est eam esse causam; Ideo in Philebo inquit causam non esse partem eius, quod ex ea generatur, & addit efficientis naturam, nomine dumtaxat ab efficiente differre; adeo vt causa & efficiens idem sint. Plato itaque causæ nomen censuit competere soli efficienti, Ideas dixit vere principia, materiam vero esse locum generationis & sedem imitationis idearum. Nonnulli tamen partim Platonem, partim Aristotelem sequuti causæ nomine late vtentes dixere causas diuidi in causas absolute, quales sunt externæ, quæ dominantur & permutant, & concausas, quæ sunt internæ & famulantur, ac permutantur; causas dixere finem efficientem, & exemplar; concausas vero materiam, formam, & instrumentum. Aristoteles vero prætermisso instrumento & exemplari singula quatuor genera nomine causæ nuncupauit. At oritur dubitatio, quia tertio Metaphysicæ contex. 11. inquit Aristoteles Principium & causam oportere esse præter res, quarum sunt principia, & posse ab eis separata esse, quare nec materia, nec forma sunt principia, vel causæ. Pro solutione dico primo Aristotelem eo loci dubitare, eisque vocibus in ea significatione vti, in qua vtebatur Plato: Addo secundo causam & principium dupliciter vsurpari, vel late, ac ita dicuntur quatuor genera causarum, & cunctæ sunt principia; vel pressius, vt principium & causa contradistinguuntur ab eo, quod est essentia rei; ac ita externæ dicuntur causæ & principia; internæ essentia & elementum; in qua significatione Aristoteles in tertio de Anima 19. vtitur principij nomine pro efficiente. Nonnunquam etiam apud Aristotelem causa vsurpatur late pro omni genere causę, & diuiditur in principium sumptum pro causis externis, & elementum sumptum pro internis, vt in 12. Metaphysicæ contex. 23. Ex his patet solutio difficultatis. Statuto numero causarum loquens de diuisione, Aristoteles in pręcedentibus quatuor tradidit causarum diuisiones, vnicuique generi causarum competentes; & addendo alias, non singulis, sed vniuerso generi competentes, dicere valemus, causarum quasdam esse internas, alias externas; quasdam esse causas, quasdam concausas; insuper diuiduntur in causas primas & secundas; nam absolute Deus solus, modo autem aliquo, vniuersum genus separatorum, ac etiam Cœlum motores includens, potest dici causa prima; sequentia sunt causę secundę. Pręterea causarum quędam dicuntur ęquari effectui, & reciprocantur cum eo, alię non. Demum alię dicuntur causę principales, alię organicę, hę tamen non proprie sunt causę. Cęteris decursis, quę ad causarum notitiam pertinent, de ordine earum est agendum; Varius in causis considerari potest ordo; nam primo eis competit ordo nostrę inuentionis;

*Causæ cur quadrupliciter.*

*Veteres.*

*Pythagoras, Socrates.*

*Causa & concausa.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Diuisio causarum.*

*Ordo inter causas.*

*Ordo inuentionis.*

nis; dum enim rerum causas indagamus, primo nobis occurrunt composita, constantia ex materia & forma; & quia materia est prior, & per eam res cadunt sub sensum, ideo ea primo inuenta fuit, secundo forma, tertio, cognito composito, excitamur ad indagandum componens; & quia componens est efficiens, operans propter finem, ideo quarto in notitiam finis ducimur. Hunc ordinem seruauit Aristoteles in explicandis causis. Secundo in causis consideratur ordo dignitatis, secundum quem fini tribuimus primam sedem, secundam efficienti, tertiam formæ, postremam materiæ; nã efficiens vel est absolute præstantius, vel si est æquale effectui, præstat tamen, quia forma genita ex generante pendet. Tertio consideratur ordo modi, quo causæ conspirant ad efficiendum opus; de quo dicendum est, quod finis excitat causam efficientem, ad permutandam materiam, pro educenda forma, adeo vt finis sit primus, succedat efficiens, sequatur materia, vltima sit forma, quæ etiam dicitur finis generationis. Quarto consideratur ordo explicationis rei effectæ, de quo dicimus causas internas explicare quid, externas propter quid, eas esse principium, has conclusionem demonstrationis. Et quia id quod est principium, & parit notitiam propter quid, absolute est præstantius, ideo hac quoque consideratione causæ externæ præstant internis. Demum in causis considerari potest ordo originis, secundum quem prima est materia, secundum efficiens, tertia forma, postremus est finis, qui vt est origine postremus, ita instituto est primus. Animaduertendum quod causis duplex tribuitur ordo; vnus dicitur secundum essentiam, alter ex accidenti; Ordo secundum essentiam est dispositio causarum eiusdem generis, distinctarum specie, subordinatarum pro rei effectæ productione, simulque ad eam producendam conspirantium; Ita Deus, intelligentiæ, cœlum, & proxima efficientia dicuntur necessario, & secundum essentiam ordinata pro rebus mortalibus producendis; qui ordo in omni genere causæ locum habet, præsertim tamen in efficiente: Ordo causarum ex accidenti est dispositio præsertim indiuiduorum eiusdem speciei; quorum vnum ex altero proxime antecedente pendet, & non est necesse vt antecedentia omnia simul conspirent pro sequentium constitutione; ita in humanis indiuiduis locum habet ordo ex accidenti. Differunt hi ordines, nam pro ordine essentiali necessarium est primum, quia id magis operatur, & cætera operari non valent, eo non cooperante, quod non requiritur in ordinatis ex accidenti: Insuper ordinata secundum essentiam simul conspirant ad efficiendũ opus, non autem ordinata ex accidenti; ex his pendet quod in ordinatis secundum essentiam non potest dari progressus in infinitum, quia non daretur primum, daretur infinitum actu; nec valent actu infinita & simul requiri pro vnius ortu, quia nil fieri posset; in ordinatis autem ex accidenti nil repugnat dari progressum in infinitum, ob oppositas causas, vt patet. Sed pulchra se offert diluenda dubitatio, & componenda controuersia; nam ex vna parte dicitur in ordinatis ex accidente dari progressum in infinitum, ex altera in 8. Physic. 15. inquit Aristoteles aduersus Anaxagoram, in infinito ordinem non seruari, & iure; nam ordo exposcit relationem ad vnum primum, quod in infinito non reperitur. Forte dicemus in infinito non habere locum ordinem secundum se, at ordinem ordinatorum secundum accidens posse in eo reperiri: quę solutio non satisfacit, quoniam dum aliquid pugnat cum natura & conditione alterius, nec se cũdum se, neq; ex accidenti potest in eo reperiri: propterea dicamus in infinito, vt infinitum est, non seruari conditionem ordinis, seruari tamen per relationem ad nos, & quatenus modo aliquo, saltem secundum partem, in eo principium consideramus; veluti considerando particulares homines, ex sententia Aristotelis falsa quidem, carent principio, & sunt infiniti, vnus non est prior altero, nec auus nepote, vel pronepote, nullus enim est propinquior primo, quam alter, cum primus desit; at per relationẽ ad nos, considerando pro principio, in parte, vel auum, vel proauum, vel alium, & considerando remotionem a præsentibus hominibus, seruatur ordo aliquis, vt etiam reperitur modo aliquo primum.

*Ordo dignitatis.* *Ordo productionis.* *Ordo explicationis.* *Ordo originis.* *Ordo secundum essentiam & ex accidenti.* *Differentia.* *Dubitatio.* *Solutio.*

## *De forma Physica.*

PRAETERMISSA materia, de qua seorsum latissime disserui, forma formosissima occurrit, quæ a vetustioribus penè euertebatur, cum eam putarent affectionem & accidens; Plato eam nimium extulit, cum putarit solas Ideas vere esse formas, cæteras autem vmbras & imitationes; Aristoteles se medium constituit, & aduersus veteres, principales formas iudicauit substantias, aduersus autem Platonem, inficiatus est Ideas, & has, quæ in materia inueniuntur, sedemque habent, veras formas iudicauit. Denotatur forma varijs *Formæ nomina.* nominibus, dicitur enim forma, idea, exẽplar, species, actus, terminus, ratio, totum, habitus, quid erat esse, essentia. Et diuiditur varijs diuisionibus: datur forma, quæ est *Diuisio.* accidens, & forma, quæ est substantia; & hæc vel est abiuncta a materia, vel ex ea pendet; similiter vel assistit, vel format, vel extenditur vnà cum corpore, vel indiuidua penitus est, vel est æterna vel mortalis; Insuper forma, quæ est accidens, vel est Physica, vel artificiosa; si Physica, vel exposcit definitam materiam & subiectum, vel non; ea omnino dicitur Physica, hæc autem etiam Mathematica: Præterea diuidi potest forma substantiæ, in simplicem, vt ea Elementorum, & compositam, quæ etiam est duplex, vel enim est forma mixtionis, vt formæ metallorum, vel formæ mixtionis superueniens, vt formæ viuentium: Insuper diuiditur in formam partis, & formam to- *Gradus formarum substantiæ septem.* tius. Gradus formarum substantiæ sunt septem, primæ sunt formæ Elementorum, sequuntur formæ mixtorum consimilium primo imperfectorum, vt Meteororum, mox perfectorum vt metallorum; tertiæ sunt formæ plantarum, quartæ stirpanimalium, quintæ animalium absolutiorum; sexta est forma hominis, cui septimo loco præsunt formæ cœlorum; per formas Elementorum, & mixtorum composita recipiunt esse, per eam plantarum, quæ est anima nutriens viuunt; per sensum sine motu constituuntur stirpanimalia, per sensum cum absolutiore motu animalia, per animam rationis compotem constituitur homo, per Mentem supra rationem constituuntur motores cœlorum, quorum caput ex nullo pendens, & ex quo pendent cetera omnia, Deus est. Gradus formarum accidentium similiter septem statui possunt; Primum sibi optat quantitas, Secundum quatuor qualitates ad tactum pertinentes vnà cum connexis; succedunt tertio qualitates secundę, Quarto figurę. Quintus gradus est actionum perpessionum, & fluxuum; sextus relationum, quæ ex alijs prodeunt; septimus formarum spiritalium, quarum Princeps est Lux facultate cæteras continens; omnes tamen formę, vt subscientiã cadunt, in tria capita rediguntur; vel enim sunt abiunctæ, vel omnino cum materia iunctæ, nec aptæ secus definiri, vel mediæ, & inde prodeunt tres inspectricis Philosophiæ partes, quarum Physica dicitur esse de iunctis cum materia, Mathematica ex abstractione, diuina demum de abstractis: multi formam inter causas nõ numerarunt, sed putarunt eam esse rem effectam, Aristoteles tamen dicens rem effectam esse compositum, eam iudicauit causam cõpositi, & originem actus cæterorum. Definitur forma, quod sit ἐντελέχεια, siue perfectio prima sub initio secundi de Ani- *Definitio.* ma: Insuper dicitur id bonum, quod a materia expetitur in primo Physic. 81. Similiter dicitur terminus indefinitæ conditionis materiæ. Præterea dicitur causa, quæ cum fuerit, erit id cuius est forma, ex secundo Posteriorum, dicitur etiam fundamentum vniuersitatis, quia ex ea eliciuntur communes notiones. Demum dicitur ratio ipsius, quod quid erat esse, Græcę λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, vt definitur in secundo Physicorum. Omnis causa dicitur ratio, quatenus affertur pro ratione eorum, quæ ex ea prodeunt, sola tamen forma est ratio ipsius, quid erat esse; nam forma ad duo potest referri, primo ad essentiam compositi, secundo ad affectiones per formam composito competentes. Forma est ratio, & definitio explicans quid compositi, & propter quid affectionum; Aristoteles formam referens ad compositum recte inquit, quod sit ratio ipsius

quid erat esse: dicitur ratio, tum quia est definitio, quatenus per definitionem explicatur, tum quia est ratio, ob quam formatum est id quod est ex septimo Metaphysi. 58. vt hominis anima est ratio, quod homo sit homo, quasi dicat Aristoteles forma est id totum, quod res est, & ratio quod id sit; ait autem erat, inquit Alexander, quia apud Græcos frequenter vsurpatur præteriti pro præsenti, erat, pro est; & si volumus etiam huius modi loquendi rationem aliquam afferre, dicere valemus, Aristotelem ita fuisse loquutum, vt indicaret consimilitudinem, & æternitatem, quia essentiæ rerum æternę sunt; nam vt dicebat Philosophus in quarto Metaphysicæ aduersus Heraclitum, res variantur secundum quantum, seruantur secundum quale, hoc est secundum essentiam, & speciem, quasi dicat Philosophus, forma est ratio eius esse, quod erat, & dicendo quod sit id quod erat, conseruationem, & æternitatem indicat. Ex his patet, quæ sit propria ratio formæ, per quam est causa contradistincta ab alijs causis, nam est hæc, vt per eam compositum sit id quod est, ex qua propria ratione elicitur, vt ea sit definitio, natura, essentia, & id quod vere, & primo est, per quod deinde sint alia; hæc ratio competit omni formæ distincto tamen modo, cõsiderando semper compositum cum reduplicatione, quatenus eam includit; ita album per albedinem, domus per suam formam est id, quod est; similiter hoc verum est de forma assistente, quatenus aliquid tradit; nam Cœlum quatenus animatum, tale est per suam Mentem, præsertim tamen verum est de forma formante, quam præsertim considerauit Aristoteles, cum formam definiuerit vt causam. Et pro exactiore notitia, animaduertendum formam tribus modis posse considerari; primo secundum se, secundo cum relatione ad materiam, tertio cum relatione ad compositum. Dum consideratur secundum se, non dicitur proprie causa, quia causa includit relationem ad aliud, sed dicitur essentia simplex: motores tamen cœlorum dici possunt formæ, tum quia assistunt, tum insuper quia sunt actus, & principia agendi, cõtradistincta a materia, & principio patiẽdi; tum tertio quia sunt essentia & ratio, ob quã sunt id, quod sunt, non distincta ab eo, cuius est, vt in materiatis: Hinc omnis essentia ab Aristotele nonnunquam dicitur ratio, & forma, veluti etiam ea materiæ, & priuationis, vt patet ex primo Physicorum sexagesimo, & sexagesimoquinto: proprie tamen hoc dicitur de formis separatis, minus proprie de formis materiatis, minime demum de materia, & priuatione, sic tertio de Anima ait Aristoteles tex. 9. in nonnullis idem esse quid est, & id cuius est. Secunda autem consideratione, vt refertur ad materiam dicitur modo aliquo causa eius, quatenus ei tribuit, vt actu sit, & subsistat; qua ratione etiam dicitur prior, quam materia, cum tamen origine absolute è contrario se habeat: ideo Auerroes in primo Physic. septuagesimo, ait formam esse causam materiæ, quia est complementum eius, & non potest materia nudari ea, & sine ea subsistere. At dum tertio refertur ad compositum, proprie est eius causa, eoque prior origine: Insuper eadem formæ definitio vera est ne dum de forma partis, verum etiam de forma totius; nam considerando formam totius, vnà cum materia ei respondente, dicimus formam totius esse id totum, quod compositum est; & quoniam in forma totius includitur materia partis, ideo hac consideratione materia partis modo aliquo est pars essentiæ, & eius, quod compositum est. Quomodo autem materia sit pars essentiæ in libro de materia patefeci.

*Forma tripliciter consideratur.*

*Forma considerata secundum se.*

*Cũsiderata cum relatione ad materiam.*

*Forma relata ad compositum.*

De

## De Efficiente.

EFFICIENS tam proprie dicitur causa, vt a Platone id solum nomine causæ, dignum fuerit iudicatum. Diuiditur multiplici diuisione; Nam primo vel est efficiens proprie, vel per metaphoram; Finis dicitur mouere, & efficere (vt dicitur in primo de Ortu, & Interitu) at per metaphoram, immo causa omnis per metaphoram dicitur efficere, quatenus effectum in suo genere constituit. Efficiens proprie adhuc est duplex, vel conseruans, vel producens; conseruans est duplex, vel sine vlla varietate, veluti ex sententia Aristotelis Deus est causa efficiens conseruans intelligentiarum, quatenus si Deus per imaginationem non esset, illę non essent, vel cum varietate partium, vt Cœlum dicitur efficiens, conseruans vniuersitates Elementorum, veluti dicitur ab Auer. primo Cœli 105. Efficiens denuo, & vere producens est triplex, vel supra naturam sine transmutatione, vt creans, vel per naturam cum trāsmutatione, & quiete naturali, vt agens Physicum, vel infra naturam, & cum transmutatione violenta, vt Artifex: Insuper diuiditur, quia efficiens vel solum dirigit, vt consultor, vel attingit rem effectam sine sui interitu, vt medicus curat, vel id facit cum sui interitu, vt semen: hoc indicauit Aristoteles contex. 30. Præterea diuiditur in externum, vt mouens violentia, & internum vt natura: prætereá in naturale, & liberum, in agens per essentiam, & agens per potentiā; Insuper vel est prius tempore re effecta, vel solum origine. Demum vel ex eo pendet opus pro sola productione, vel etiam pro conseruatione, vt eclypsis pendet ex terræ interpositione. Gradus efficientium subordinati, sex statui possunt, primum est agens per naturam infra animam positam; Alterum per animam sine cognitione operante, vt plantæ; Tertium per animam operantem cum cognitione sine ratione, vt operantur iumenta; Quartum per animam operantem cū ratione sine Arte, vt homo habitu artis non prædictus; Quintum per animam operantem cum ratione & habitu Artis; Sextum supra naturam est positum, & ad separatas Mentes pertinet; Aristoteles in primo Rhetoricorum distincta ratione, septem numerat modos, quibus efficientia operantur inquiens ea quæ fiunt, vel fieri Fortuna, vel violentia, vel natura, vel consuetudine, vel ratione, vel ira, vel cupiditate; qui septem modi in 12. Metaphysicæ in quatuor rediguntur, in Artem, Naturam, Fortunam, & Casum, quorum principales, & & secundum se operantes, duo sunt, Ars & Natura. Definiri potest efficiens non secus ac potentia efficiendi varijs modis; nam dicitur principium transmutandi alterum, vt alterum est: Insuper principium redigendi ad actum ea, quæ sunt potestate. Definitur tamen ab Aristotele in secundo Physic. 29. quod sit principium mutationis primum, vel status. Nonnunquam prætermittit Philosophus id primum, vt latiorem reddat definitionem; nonnunquam vero addit, vt denotet efficiens principale, & primum non absolute, sed in eo genere. Efficiens potest ad tria referri, ad materiā, formam, & compositum; dum refertur ad materiam dicitur efficiens, quatenus eam permutat, ita dicitur principium permutandi aliud; dum refertur ad formam, dicitur principium educendi illam ex potestate ad actum; dum demum ad compositum, dicitur principium nectendi materiam cum forma, eius facultate ex illa educta. Dum quæritur in quo sit posita ratio efficientis, vt est causa contradistincta ab alijs, dicēdum cum Aristotele efficientem primo producere motum, vel quietem, & per ea efficere mox opera varia; nam solus Deus sine medio attingit, & creat essentias rerum. Hinc Aristoteles definiens efficiens dixit esse principium vnde motus, vel status; quæ sententia est vera de efficiente Physico; at Diuinum, eleuatum supra transmutationem, secus se habet; hoc enim proxime, & non per motum attingit essentiam rerum: hinc non debet dici principium primum vnde motus, sed vnde opus, qualis est creatio: nec debet addi primum, quia in creatione non habet locum ordo efficientium, sed sine vllo medio creauit Deus Cœlum & Terram.

*Diuisio efficientis.*

*Gradus sex efficientiū.*

*Definitio.*

*Efficiens ad tria referri potest.*

*Ratio efficientis.*

De

## De Fine.

Divisio.

PAuci veterum Philosophorum finem numerarunt inter causas; Aristoteles autem illum nedum causam, verum insuper causarum causam iudicauit; & ordiendo ab eius diuisionibus, Diuiditur primo finis; vel enim est finis late & per Metaphoram, vel proprie; finis per metaphoram dicitur omne vltimum, ex opposito respondens principio, de quo dicimus, cui competit principium, competere etiam finem, sic anno, lineæ, viæ, principium & finis competunt; in qua significatione etiam Mors finis dicitur, cuius finis vnica est conditio, vt sit quid vltimum. Finis autem proprie ille est, cuius gratia sunt ea omnia, quæ inter efficiens & illum mediant, cuius conditiones duæ sunt; prima vt sit quid vltimum, altera vt sit optimum, vt dicitur ab Arist. in secundo Physic. 23. & in quinto Metaphysicæ 31. Finis dictus per metaphoram non est causa, sed solum finis proprie sumptus, de quo agemus. Finis qui proprie finis est, & est causa, diuiditur, nam vel est finis generationis, vel rei genitæ; finis generationis est duplex, vel generationis absolutè, & huiusmodi est forma, vt dicitur in secundo Physic. vel generationis perfectæ, & est adeptio per accretionem eius molis, per quam genitum valeat simile procreare; tunc enim perfectum est, vt dicitur in quarto Meteororum. Finis rei genitæ etiam est duplex, vel enim est finis cuius gratia, vel cui; finis cuius gratia, qui etiam scopus dicitur, est id bonum, in quod genitum dirigitur, vt summum hominis bonum, & habitatio domus; finis cui duplex est, vel proximus & proprius, vel postremus & communis; proximus & proprius est id, cui finis, qui dicebatur gratia cuius, debet cōpetere, vt homo est finis cui summi boni, & incolæ Vrbis sunt finis cui parata est Vrbs; finis autem cui postremus & communis, est Deus, cui omnia seruiunt. Insuper diuiditur finis in bonum absolute & bonum alicui; natura enim vnicuique tribuit id, quod ei bonum est, vt dicitur in progressu libri. Præterea diuiditur, quia vel vere est bonus, vel solum apparet, vt diuiditur in secundo Physic. 31. at ille qui vere est bonus absolute finis est, alter vero eius solum est finis, cui ob deceptionem videtur bonus. Demum diuiditur finis ab Aristotele in proœmio Nicomachiorum in operationem, & opus peractum; actionis finis est operatio, siue muneris functio, effectionis vero, opus effectum.

Definitio.

Progrediendo modo ad definitiones, Finis late sumptus, est id vltimum, quod principio cuiuslibet rei respondet, vt principio temporis respondet finis temporis, Principio molis finis molis; Finis proprie sumptus, est causa causarum. Est causa excitans agens ad operandum, idque dirigens pro sui adeptione; Est id vltimum cuius gratia agens operatur, & cum sit optimum, eius gratia sunt Principia & media. Insuper est id, quod secundum institutum est primum absolutione, siue opera postremum; Præterea est id, quo præsente absoluta dicitur actio siue effectio; & demum est res in instituto agentis, pro eo esse, quod extrinsecus habere valet. Hæ definitiones conf[illegible]e cōpetunt fini; distingui autē possunt assignando finibus varijs ex distinctione resulgentibus, definitiones varias, eisque proprias, vt fini generationis, fini rei genitæ, & contentis sub eis, quod cum ex se sit conspicuum missum facio.

Ratio.

Quæritur primo in quo sit posita propria ratio, per quam finis est causa distincta ab alijs; & dicendum, quod ea est, vt sit vltimum, cuius gratia operatur agens & parantur ea, quæ mediant inter efficiens & illud; de hac causa inquit Aristoteles in primo de Partibus animalium cap. 1. Principatum sane inter causas ea obtinere videtur, quam hoc verbo cuius causa significamus; hæc enim ratio est, ratio autem principium est, nam ex fine sumitur ratio, cur ita fiant.

Ratio quadrupliciter.

Et considera quod ratio quadrupliciter vsurpatur, primo vniuerse pro causa rei; secundo vt distinguitur a causis explicantibus quid res sit; tertio pro essentia & forma rei, vt dicitur octauo Metaphysicæ cont. x. vltimo. Demum pro fine, qui est ratio cuius gratia sunt, & operantur alia.

Qūo finis sit causa.

Insuper est dubitatio quomodo

finis

finis valeat iudicari causa; nam causa antecedit, finis est postremus; causa aliquid producit, finis autem est huius conditionis, vt eo præsente, nil vltra producatur; causa debet esse aliquid primum non pendens ex alijs, finis ex cæteris causis pendet. Hinc Stoici & alij plurimi nequaquam putarunt finem esse causam. Respondens dico pro completa constitutione finis duo debere conspirare; primo vt sit, vel possit esse extrinsecus; Secundo vt sit in instituto agentis: per primum explet appetitum agentis, per alterum antecedit, dirigit, & mouet; per primum est quid optimum, & eo præsente absoluta est permutatio, per alterum ex nullo pendet, sed cætera ex eo; adeo vt de fine sine pugna nonnulla vera sint; quæ maxime inuicem pugnare videntur, nimirum vt sit primus & vltimus, ex nullo pendeat, & maxime ex reliquis causis pendeat. Finis pro esse absoluto est quid præstantius, at pro esse in instituto agentis magis includit rationem causæ. Finis vt est in facultate noscente dicitur modo aliquo efficere, at quatenus est in appetitu, proprie seruat conditionem finis, vt alibi latius patefeci. Sic itaq; res in instituto agentis non pro eo esse quod habet in instituto, sed pro eo quod habere valet extra, dicitur Finis; sic dum dicitur finem esse aliquid vltimum, & optimum, insuper dum asseritur quod causæ sunt sibi inuicem causæ, vt exercitium sanitatis, & quod id cuius est opus, est gratia operis, hæc, & similia vera sunt de fine per esse extrinsecus, at non est causa sine relatione ad institutum; id esse extrinsecus est tanquam fundamentum, & materia, relatio ad institutum est tanquam formalitas eius; ob quæ duo videntur fini varia competere inuicem pugnantia, cum tamen non pugnent, quia referantur ad varia. Arduæ non leues emergunt difficultates, prima est, cum finis seruet relationem ad institutum agentis, agentia sine cognitione non poterunt operari propter finem, cum videantur instituto carere; Altera est, si finis exposcit relationem ad institutum agentis, tunc nil poterit esse præditum fine, cui non competat agens, cum tamen Intelligentiæ ex sententia plurimorum Peripateticorum pendeant ex Deo, vt ex fine, non autem vt ex efficiente, quia ab Aristotele iudicantur ingenitæ. Soluitur prima dubitatio, quia institutum competit agenti, vel per eius cognitionem, vel per instinctum, & propensionem naturæ, quemadmodum etiam appetitus, agentia cognitionis expertia instinctu naturæ ducuntur, & diriguntur ad bonum, cum ex bono pendeant. De secunda difficultate dico ea, quæ non sunt genita, sunt destituta fine generationis, at non fine rei genitæ, vel in rerum serie constitutæ; sic Motores cœlorum inseruiunt Deo, vt postremo fini, & propter finem operantur, qui finis habet sedem non in generante eos motores, sed in motoribus finem optantibus, & pro eo mouentibus. Demum cum detur finis generationis, & rei genitæ, quæritur quis eorum præstet, & magis sit finis. Similiter dubitatur de fine cuius gratia & cui; & dicendum semper finem posteriorem esse præstantiorem, quia eius gratia cæteri sunt, quod vt conspicue sit verum, debet considerari non pro esse absoluto, & seorsum ab antecedentibus, sed vt eis iunctus, & perfectionem adhibens, adeo vt vere, & absolute finis sit homo fœlix; de hoc alibi latius. Demum dubitatur, quia cum natura non erret, semper diriget ad finem vere bonum, & propterea errabunt illi, qui ei aduersantur, vt qui casti esse volunt; & Abraã contra instinctum naturæ præeligens interficere filium. Soluitur dicendo, quod aliud est repugnare naturæ, & operari contra eam, aliud eleuari supra naturam; primum est malum, hoc autem bonum est; nam potest homo, & secundum naturam, & contra naturam, & supra naturam operari.

*Solutio.* *Duæ difficultates.* *Solutio primæ.* *Solutio secundæ.* *Dubitatio.* *Solatio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

*De*

## *De Instrumento, quotuplex, & quid sit. & ad quod genus causa redigatur.*

*Nomen instrumenti sex modis vsurpatur.*

*Differentia instrumenti & causa secundæ.*

PVTARVNT nonnulli inter genera causarum id quoque numerandum esse, quod instrumentarium appellant. Propterea considerandum est quotuplex; & quid sit instrumentum, & ad quod genus causæ redigatur. Considero sex modis instrumenti nomen vsurpari; primo enim nonnunquam vsurpatur pro causa secunda, quæ tamen non proprie instrumentum est, nam causa secunda est omnis causa, quæ sub Deo collocatur, adeo vt cœli quoque sint causæ secundæ; Verum hæc est differentia inter instrumentum, & secundam causam, quia instrumento repugnat vt primum sit, instrumentum enim superioris dirigentis est instrumentum, causa vero secunda, quamuis absolute sit sub prima, tamen valet in suo genere, & pro constituendo proprio effectu iudicari prima; & quamuis homo absolute sit causa secunda, vel potius tertia, tamen in gignendo homine, vt homo est, causa prima dicitur. Secundo vsurpatur instrumentum pro membro, & parte viuentis, in quo genere Manus præsertim est instrumentum, & recte dicitur instrumentum instrumentorum, cum efficiat ea, & vtatur varijs instrumentis, & Menti principali artifici inseruiat. Tertio vsurpatur pro qualitate, vel quantitate inseruiente principali agenti, & cum eo iuncta, vt lumen, & motus sunt instrumenta cœli, & quatuor primę qualitates dicuntur instrumenta formarum Elementorum pro gignenda simili substantia, & constituendo mixto; quæ tamen vt similem qualitatem generant, instrumenta non sunt, sed agentia principalia; ignis enim calefacit vt calidus, vt dicitur in libro de sensu, & sensili. Quarto pro affectionibus & dispositionibus materiæ, & subiecti, inseruientibus efficienti pro educenda forma. Quinto pro instrumento externo inseruiente artifici, vt malleus, calamus, gladius, & similia, quæ non mouent, nisi ab Artifice moueantur. Demum pro disciplina cæteris instrumenta parante, Veluti Logica, & Grammatica disciplinæ organicæ nuncupantur. Agitur modo de instrumento contradistincto ne dum a prima, verum etiam a secundis causis: Et cum varium & multiforme sit, non facile vna definitione circumscribitur; dicere tamen possumus. Instrumentum est concausa directa ab efficiente, eique inseruiens pro suo fungendo munere; Vel est concausa inseruiens efficienti pro assequendo fine: Insuper est id, quo vtitur agens Principale pro educenda forma, munereque suo obeundo. Quæritur quot, & quæ sint conditiones instrumenti; Auerroes in Paraphrasi secundi de Gener. anim. tres constituit instrumenti conditiones; prima est, vt non sit pars rei, quæ eo efficitur; Altera vt completo opere, seiungatur ab eo; tertia vt tangat omnem partem rei, quæ permutatur intus & extra. Primæ duæ sunt communes Physicis & Artificiosis, præter quam instrumentis in quarta significatione, quæ tamen minus proprie dicuntur instrumenta. Tertia est propria Physicorum. At prætermittitur conditio principalissima, constituens naturā instrumenti, & est vt subijciatur operanti, & dirigatur ab eo. Instrumenta Artis, per quæ Artifex in externam materiam proxime operatur, magna ex parte non sunt partes artificis; nonnunquam tamen etiā sunt eius partes, vt dum panes, & alia similia fiunt. At instrumenta propria agentis per naturam magna ex parte sunt partes eius; natura enim non tribuit agenti facultatem sine instrumentis. At quæritur cur instrumentum inter causas non numeretur, & præsertim quia nonnunquam interroganti propter quid, respondemus per instrumentum, vt propter quid tam formosæ formatæ sunt litterę? dicimus quia optimo calamo, qui scripsit vsus est; insuper Aristoteles in secundo Physic. semen numerat inter efficientia, cum tamen in secundo de Generat. animalium, semen statuatur instrumentum Parentis pro generatione: Similiter lumen & motus cœli, quæ sunt instrumenta

*Manus cur instrumentum instrumentorum.*

*Definitio.*

*Conditiones instrumēti. Auer.*

*Cur instrumentum nō sit causa.*

menta cœli frequenter variorum communes causæ nuncupantur. Respondeo instrumenta iure optimo non constituere genus distinctum causæ; nam conditio causæ est, vt sit quid primum, conditio autem instrumenti, vt non sit primum; quare vt famulo repugnat, vt sit dominus, ita instrumento vt sit causa; dici tamen potest concausa, quatenus causæ inseruit, & facultate causæ dirigentis operatur. Instantiæ diluuntur; nam si interroganti propter quid respondemus nonnunquam per instrumentum, id facimus manifestando non causam, sed concausam, & modum quo efficiens principale rem efficit: semen ab Aristotele nuncupatur efficiens, quia est instrumentum includēs facultatem ab agente ei tributam, per quam efficere dicitur. De lumine & motu cœli dico non esse absurdum, idem vna ratione dici causam, altera vero instrumentum, vt calor ignis pro efficiendo calore est causa principalis, pro gignendo igne est instrumentum formæ substantialis ignis. At cum instrumentū absolute non sit causa, quæritur cui generi causæ proprie inseruiat, ad quod modo aliquo redigi dicatur. nonnulli aiunt redigi ad materiam, quia est concausa, & mouetur ab alio, ac insuper frequenter est dispositio materiæ. Alij partim ad materiam ob rationes dictas, partim ad efficientem, quia efficienti inseruit. Ego absolute dicendum puto redigi ad causam efficientem, & ad eam redigi non vt causam, sed vt famulum, & instrumentum eius; ratio est, quia instrumentum nil aliud est, nisi id quo operans vtitur, pro efficiendo opere; id autem ad efficiens pertinet, dispositiones autem materiæ solum funguntur officio instrumenti, quatenus agenti conducunt pro educenda forma; nam vt materiam parant, non instrumenta, sed dispositiones materiæ nuncupantur. Hinc recte Alexander instrumenta dixit redigi ad causam efficientem, quod conspicue approbauit Aristoteles in primo de Ortu & Interitu 53. inquiens medicum vino vt instrumento producere sanitatem, & clarius in octauo Phy. 33. & 35. id ipsum affirmauit diuidens motorem in principalem, & quo vt instrumento mouet. Ex his elicio primo minus recte Philoponum in 2. Phys. 27. dicere instrumentum in Physicis redigi ad materiam, quia redditur pars rei, quæ gignitur, vt calor; nam calor, vt redditur pars, non est instrumētum, sed solum vt famulatur efficienti, & ob eandem rationem alij decipiuntur affirmantes instrumentum in Artificiosis posse redigi ad efficientem, in Physicis tamen redigi ad materiam, cum reddatur pars eorum. Quod etiam ad materiam redigatur ostendit Zimara Theoremate 85. exemplo perspicui, quod est instrumentum pro effundendo lumine; non tamen est efficiens, & id ipsum patet de arterijs, venis, & similibus instrumentis deferentibus, quæ potius materiæ, quam efficientis funguntur munere: & confirmatur, quia instrumentum dicitur concausa, efficiens non est concausa, sed id potius competit materiæ. Hæc & similia recte considerata opinioni meæ non aduersantur; ea enim considerari possunt dupliciter, vel vt famulantur agenti pro fungendo suo munere, ac ita sunt id, quo efficiens operatur, & ad id rediguntur, vt ei famulantia, qua sola consideratione dicuntur instrumenta; vel considerantur vt dispositiones & partes subiecti, vel operis, ac ita minime sunt instrumenta, sed alterius affectiones. Dicitur autem instrumentum concausa, quatenus non est causa principalis, sed famula, non autem quia sit materia, & pars rei, quæ gignitur. Colligo itaque instrumentum non esse causam; sed famulum causæ, & redigi ad efficientem, quia eius conditio est, vt sit id, quo efficiens vtitur pro fungendo suo munere.

*Solutio.* *Redigi ad efficientē.* *Philoponus*

## *De Exemplari.*

PLVRIMI Academicorum inter causas apud eos late sumptas, Exemplar quoque numerarunt, idque dixerunt mediare inter efficientem & finē; & iure profecto: frequenter enim interroganti propter quid, per exemplar respondemus; vt interroganti cur statua Socratis prædita sit naso simo, respōdemus quia exemplar eius, nempe Socrates talis erat; Propterea considerandum occurrit quid nomine exemplaris denotetur, num concedenda sint

da sint exemplaria, & num constituant distinctum causæ genus. Vt pertinet ad nomen, duo sunt affinia nomina, Exemplar, Græce παράδειγμα, & Idea, quæ quamuis frequenter pro eodem vsurpentur, re vera tamen distincta sunt, & exemplar est latius, quam proprie sumpta Idea: Ideo ego de exemplari loquens cuius in cont. 28. mentionem fecit Aristoteles, simul etiã de Idea verba faciam. Exemplar triplex est, Diuinum, Naturale, & humanum. Exemplar Diuinum sunt Ideæ, Diuinæ Menti competentes, de quo Boethus 3. de Consol. metro 9.

*Exemplar Idea.*

*Exemplar triplex.*

*Exemplar Diuinum.*

*Tu cuncta superno*

*Ducis ab exemplo, Pulchrum Pulcherrimus ipse*

*Mundum Mente gerens, similiq; ab imagine formans. &c.*

*Physicum.* *Humanum.* Physicum exemplar sunt ipsemet formæ rerum Natura constantium, quatenus similes sunt aptæ producere; Exemplar humanum est id, quod vsui hominum & præsertim Artificum inseruit. Ordiendo ab exemplari Diuino id dupliciter vsurpatur; nonnunquam populariter denotando Ideas tanquam formas, seorsum subsistentes, & veluti Angelos quosdam, quam opinionem nonnulli perperam tribuerunt Platoni, ex relatione Simplicij, & Philoponi, & variæ rationes Aristotelis aduersus huiusmodi fatuã immaginationem vim habent, vt eas consideranti redditur notum. Propterea secundo rectius vsurpatur Diuinum exemplar pro Ideis in Dei mente insitis, inter sapientes summopere celebratis; non enim Plato primus fuit, qui eas excogitauit, vt ipsemet in Sophista ingenue fatetur, sed lõge prius alij, ideo Orpheus cecinit, Iuppiter idea omnium, & Pythagoras per originales, & essentiales numeros, huiusmodi ideas denotauit, quas nostri Theologi libentissime approbarunt, & præsertim Magnus Dionysius in libro de Diuinis nominibus, & Diuus Augustinus, qui in septimo de Ciuitate Dei, cap. 28. ex sententia Marci Varronis ait a Poetis Ideam Mineruæ nomine fuisse celebratam, dum inquiunt ex capite Iouis ortam esse indicantes Ideam esse Dei Sapientiam, & in 7. lib. Cõfessionum inquit Formasti mihi Domine quosdam Platonicorum libros, in quibus per varia verba id legi, quod enunciatur in Euangelio, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Ideas namque vult verbum esse Dei, &c. Nec desunt viri Sapientia celebres, ex quorũ numero est Philon Iudæus, in lib. de Mundi opificio, qui in Genesi a Moyse Ideas patefieri existimãt, & præsertim vbi legitur, faciamus hominem iuxta imaginem, & similitudinem nostrã, indicando primo reperiri Deum, secundo imaginem Dei, quæ sit Idea hominis, tertio hominem formatum iuxta imaginem Dei. Plato in Physicis sequens Heraclitum dicentem cuncta fluere, putauit pro rerum scientia necessarias esse Ideas, & præsertim quia in attinentibus ad mores sequutus est Socratem, qui pro facultate definitiones ad Ideas eleuantes indagabat, & in Diuinis maxime imitatus est Pythagoram, qui per numeros diuina exemplaria denotauit; ideo Ideas summopere necessarias existimauit, ex cuius sententia de Ideis loquens præaccipio tria esse Idearum principalia officia: primum est vt superæ mentis eminentissimam perfectionem patefaciant; alterum est, vt conducant pro distincta cunctorum cognitione; tertium vt sint eminentissima ratio recte operandi: quæ tria perinde se habent, ac principium, medium, & finis eminentissimæ perfectionis superæ mentis; nam primo consideratur rerum opifex principio, & fine carens, ex quo tamen cætera omnia principium, & finem recipiunt; secundo consideramus illum cuncta intelligentem; tertio vt ab eo cuncta prodire valent; in primo signo apparent radices Idearum, in secundo, & tertio refulgent distinctæ, & multiformes Ideæ: insuper hæ diuinæ Ideæ excogitantur iunctæ tribus eminentissimis ligamentis, tanquam neruis ex Deo, vt ex capite prodeuntibus, & sunt bonum, vnum pulchrum, quæ perinde se habent, ac communes spiritus, & formæ, ob quarum participationes Ideæ omnes dicuntur vniformes, boniformes, & pulchriformes; & nonnunquam illæ quoque Ideæ nomine honestantur, vt dum dicitur Idea boni, Idea Pulchri, Idea vnius, quamuis longe secus id eis competat, quã sequentibus; Diuiditur ab Academicis,

*Exemplar Diuinum duplex.*

*Plato non fuit primus qui Ideas excogitauit.*

*Magnus Dionysius.*

*D. August.*

*Philon Iudæus.*

*Tria Idearum officia.*

*Tres cõmunes spiritus Idearum.*

demicis,& præsertim a Plutarcho,Lydo,& Simplicio Mens in non participatam,quæ est tanquam Sol,& Origo mentium,& mentem participatam,quales sunt cæteræ mẽtes,quarum animæ redduntur participes,& ad eas se habent perinde ac lumẽ ad perspicuum:similiter ab eis diuiduntur Ideæ in non participatas, & participatas; qua distinctione non vtuntur Theologi,quia Ideas soli diuinæ menti tribuunt, non alijs:insuper altera ex parte diuiduntur a nostris Theologis Ideæ in prædefinitas,& non prædefinitas; prædefinitas eas appellant, quas Deus æterno, & eminentissimo consilio prædefiniuit,hoc est decreuit earum imitationes fore in lucem edendas, cæteras autẽ respondentes illis,quę valuisset producere,non tamen decreuit producenda,non prędefinitas appellant. Academici hanc distinctionem non approbant, putat enim Plato in Timæo omni Ideæ superæ mentis debere aliquid in Mundo corporeo respondere; alioquin inquit Plato Mundus non esset perfectus;sed ratio Platonis non cogit; nam dicimus Mundum ea perfectione esse prædıtum, qua Deus ab æterno decreuit debere esse præditum. Definitur hæc diuina Idea a varijs modo vario; Alcinous sequens Xenocratem dixit eam esse exemplar æternum eorum, quæ secũdum naturam fiunt:insuper ab eodem Alcinoo definitur quod sit intellectio Dei æterna; a Diuo autem Augustino in lib.83.q.definitur quod sit exemplar rerum producibilium in mente diuina,cuius participatione,& ad cuius similitudinem, quæ ex Deo pendent,produ cuntur. Philon Iudæus in lib.de Monarchia hanc attulit circumscriptionem inquiens Ideas esse Dei potestates,quæ suam cuique reddant proprietatem, inordinatã redigãt in certum ordinem,ac infinita,indeterminata,& informia terminent,definiant,& forment,& in vniuerso deteriora in melius redigant; Scotus in primo Sent.dist.tertia inquit quod sit ratio ęterna in mente diuina, secundũ quam aliquid est aptum formare extra se,secundum propriã rationẽ eius.Ego ita definiendam esse existimarẽm dicendo,Idea est essentia superæ mentis,quatenus est ratio suprema,æternumq; exemplar, quo mens diuina noscit,extrinsecusque ea formare valet,quæ Ideis sunt apta participare,vel est exemplar æternum,eminenter includens,distincteque repræsentans quęcunque extrinsecus per Dei Mentem procreari sunt apta. Varia Ideis tribui possunt, veluti quod sint formarum origo,intelligibilia suprema, scientia, sapientia, & intelligentia Dei. Insuper quod sint potestas,fœcunditas,prouidentia,& verbum Dei. Explicata conditione diuinarum Idearum,considerandum superest,quarum rerum dentur Ideæ,& sequens præsertim Platonem,Dico primo non dari Ideam Dei,sed Deum esse caput Idearum, Mentemque Dei esse Ideam omnium, vt cecinit Orpheus. Dico secundo,quod descendendo ad Mentes participatas,earum quoque non datur Idea, tum quia ipsæ sunt participatio totius superæ mentis, tum insuper quia illæ quoque præditæ sunt ideis participatis. Theologi tamen non secernentes animam rationalem a mente participata etiam Mentis aiunt dari Ideam; Magnus Syrianus in 12.Metaph. refert Numenium Chronium, & Amelium putasse etiam Intelligibilium dari Ideas, Porphyrium vero,solum sensibilium; Intelligibilia vero ea esse, quæ participantur. Sententia Porphyrij magis est consentanea principijs Academicorum, altera vero Theologorum. Et descendendo ad sensilia,ea vel fiunt Arte,vel Natura; eorum quę Arte constant non dantur Ideæ,nam prodeunt ex humana ratione; Attinentia autem ad Naturam,vel sunt substantiæ,vel accidentia:Substantia diuiditur in materiam, for mam,& compositum; Materiæ non datur Idea,quoniam Idea est forma,actus,& perfectio,materia autem dicitur Locus participationis Idearum, & exemplar diuinitatis expers:compositi similiter non datur Idea,sed solum formæ, quæ ob id dicitur deinde vniuersa essentia compositi in prima significatione; compositum autem dicitur proles. Insuper forma vel est vna genere, vel specie, vel numero; generum non dantur Ideæ,quia non sunt aliquid absolutum & perfectum,neque indiuiduorum, quia inter se non absoluta essentia distinguuntur,sed solum per accidentia,& conditiones indiuiduantes,quæ continenter variantur. Quare Ideæ solum sunt postremarum specierũ;

*Ideę nõ participatæ & participatę.*

*Ideæ prædefinitæ, et nõ prædefinitę.*

*Definitiones Ideæ Diuinæ.*

*Alcinous.*

*D. August.*

*Philon Iudæus.*

*Scotus.*

*Propria definitio.*

*Quorũ sint Ideæ.*

*Syrianus.*

*Materiæ nõ datur Ideæ.*

*Ideæ non sunt generum.*

nec quidem omnium, vt non eorum, quę fiunt ex putri, neque ex concubitu animalium distinctę speciei; quia non primo per naturam expetuntur, & fiunt, sed genitorum ex semine, adeo vt Idea principalissima Animę sit; & quia vere anima est ea, quę rationis est particeps, reliquę sunt vmbrę, Idola, vestigia, & imagines, Ideo eius solum datur Idea, quę vna est, cuius prima participatio est anima Mundi, mox illę cœlorum, Dęmonum & hominis. Et hęc animę Idea adeo est fœcunda, vt includat modo aliquo Ideas cęterorum omnium. Quatenus anima ex communibus principijs constat, cunctorum rationes includit, & per semina est apta cuncta parere, quę per naturam fiunt. Et quamuis in Timęo quatuor statuantur Animalium Ideę, & in Appen-

*Plato.* diee Legum quinq;, eas tamen Plato non censet vere distinctas, nisi per purius & impurius, vt in eodem Timęo se declarat inquiens. Hęc fatus in eodem rursus cratere, hoc est Idea, in quo Mundi animam permiscens temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem, non tamen perfectas similiter; sed & secundo, & tertio gradu a primis deficientes, &c. Nam eorum, quæ sunt ab vno & ad vnum non vniuersi generis est Idea, sed prima, quod natura vna, & prima est, &

*Dubitatio.* & sequentiũ est origo. Sed iure dubitabit aliquis, si vniuersæ animæ vnica erit Idea, vniuersa anima, vel est genus vnũ, & ita Idea erit generis; vel si fuerit specie vna, animalia omnia erunt eiusdem speciei, quod maxime est absurdum; ita enim & mundus

*Solutio.* & dæmon, & homo, & iumenta eiusdem erunt speciei. Respondeo ea, quæ sunt ab vno non proprie esse genus vnum, quia non sunt natura vna, sed sunt tãquam species subordinatæ, quarum sequentes ex prima pendent, vt Peripatetici aiunt se habere de

*Idea anima vna.* orbibus cœli, & hoc indicauit Plato inquiens distingui per purius & impurius. Sic itaque in Mente fulget Idea vna Animæ, in qua modo aliquo includuntur ideæ omnes, adeo vt sit vna, & multiplex, & propterea in anima includuntur rationes omnes Ideis Mentis respondentes, & effundendo naturam, quæ est vis seminaria infusa materiæ, parit per naturam substantias infra animam constitutas, quæ deinde per animã,

*Accidẽtia.* vt anima per participatam mentem, cum prima Mente nectuntur. Altera ex parte loquendo de accidentibus ea sunt varia. Nã si consideramus accidentia per se, eorum non datur Idea, sed rediguntur ad Ideam formæ, quam sequuntur, vt risibilitas ad Ideam animæ hominis. Similiter accidentium, quę ad temperamentum pertinent, vel ex eo prodeunt, Academici Ideas non statuunt, vt primarum qualitatum, saporum, odorum & colorum; nam pro eorum productione satis sunt rationes & semina, ex quibus pendent, & per quæ cognoscuntur. Dantur tamen Ideæ eorum, quæ Naturali perfectioni conducunt & rationes ac semina non sequuntur, vt recte etiam Magnus Syrianus in 12. Metaph. patefecit, veluti datur Idea sapientiæ virtutis, & similiũ,

*Idea late sumpta.* vt etiam dantur Ideæ Mathematicorum. Considerandum tamen quod dum perfectionum assignantur Ideæ, frequenter sunt Ideæ late sumptæ, quatenus apud nos aliquid eis simile reperitur; ita dicimus Dei Sapientiam esse Ideam Sapientiæ humanę, Prouidentiam Prudentiæ, Aeternitatem Temporis, Mundum Originalem Idealem; & Intelligibilem esse Ideam huius Mundi sensibilis, ac ita de similibus; adeo vt ex cun-

*Septem gradus ex sententia Academicorũ.* ctis septem prodeant gradus; in quorum supremo est Deus supra intelligibilia & entia positus; sequitur Mens non participata, quæ dicitur eminentissima entis & intelligibilium vnitas, cui iunctæ sunt tanquam eius radij, Mentes participatæ: succedunt tertio communes spiritus Idearum vnum, bonum, & pulchrum, quarto cõsideratur Idea late sumpta pro quouis ibi reperto, cui apud nos aliquid proportione respõdeat; quinto adest proprie sumpta Idea animæ tanquam fons animarũ omnium; sexto considerantur inclusa in Idea animæ, veluti sunt Mathematica eam constituentia, & rationes rerum sequentium, ex quibus prodit vis seminaria, quæ est Natura; septimo inueniuntur ea, quæ naturam sequuntur, vt quatuor primę qualitates, temperamenta, & quæ ea sequuntur. Consentiunt de Ideis summopere Theologi cum Academicis,

*Decem controuersia.* non ita tamen vt decem inter eos non refulgeant varietates; Prima attinet ad Mentem

tem non participatam,& superam, quam Theologi non distinguunt a Deo, vt eam distinguunt potiores Academici; Secunda versatur in Ideis participatis, quas Academici inquiunt insitas in participatis Mentibus; non autem Theologi, qui etiam animam rationalem a Mente participata non distinguunt; Tertia differentia est, quia Theologi Ideas diuidunt in prædefinitas & non prædefinitas, Plato autẽ omni Ideæ aliquid extrinsecus ait respondere; Quarta, quia Theologi etiam Artificialium Deo tribuunt Ideas, & eorum aiunt Deum esse causam principalem; Quinta, Theologi etiam genitorum ex putri, & ex distinctis speciebus aiunt Deo competere Ideas, vt cuncta distincte noscat; Sexta, Theologi singularum animarum humanæ speciei Deo tribuunt Ideas; Septima, animarum distinctorum animaliũ distinctas statuunt Ideas; Octauo, Theologi non ita Mathematicorum & attinentium ad Naturã ideas siue rationes in ideam animæ redigunt, nec putant naturã ex anima prodire; Nono, Theologi compositorum ex materia,& forma constituunt Ideas & nonnulli etiam materię, vt Scotus. Demum Theologi etiam accidentium omnium Deo tribuunt Ideas, cum distincte noscat cuncta,& sine medio valeat cuncta producere.

## *De Exemplari Physico & Humano.*

DE CVRSIS attinentibus ad Diuinum exemplar, superest vt de Physico, & humano loquamur; & ordiens a Physico dico id esse duplex; nam primo forma quæuis, quæ Natura est, quatenus est principium generandi alteram similem dicitur exemplar formæ, quæ gignitur; in qua significatione censuit Alexander, Aristotelem in secundo Physic. 28. vsum fuisse nomine exemplaris, dum referens causam in genere formæ dixit, forma & & exemplar. Secundo frequenter corpora Physica sunt exemplaria artificibus,& pręsertim Pictoribus & statuarijs, vt conspicuum est. Loquendo autem de exemplari humano, id valet esse multiplex, multa enim homo est aptus imitari, Nam cum homo dirigatur vel ad effectionem, vel ad actionem, vel ad contemplationem, in omni eius cõstitutione vtitur exemplaribus; & ordiendo ab effectione attinente ad Artes, inseruiunt Artifici trium genera exemplarium; nã primo Physica frequenter ei inseruiunt loco exemplarium, vt dixi de pictore, & statuario: Secundo opus vnius Artificis frequenter est exemplar alteri, vt statuæ Dædali, vel Polycleti inseruiebant imperitioribus Artificibus vice exemplaris; Tertio ipsemet habitus Artis dicitur exemplar, Ars enim medendi est tanquam exemplar sanitatis in animo Medici; propterea Aristoteles in 12. Metaph. 18. inquit etiam Artificiosa fieri a simili. Si loquimur de attinentibus ad humanas actiones, vtitur similiter homo ciuilis & in actione constitutus, triplici genere exemplarium sumpto vel ex operibus modoq; operandi Naturæ, in quibus refulgent formæ virtutum, vel ex actionibus aliorum hominum, Historijs & fama notis; vel demum ipsamet Prudentia, est forma originalis, & exemplar actionum ex ea pendentium; Insuper omne quod nos ad agendum excitat,& dirigit nuncupabatur a Platone nomine Ideæ & exemplaris; in qua significatione enũciauit in Phædro duas in vnoquoque nostrum Ideas esse dominantes atque ducentes, quas sequimur quocunque ducunt; altera quidem est insita nobis voluptatum cupiditas, altera vero acquisita opinio, optimi affectatrix. Hæ autem in nobis quandoque consentiunt, quãdoquę in seditione,& discordia sunt,& modo hæc, modo altera vincit, &c. Demum loquendo de exemplari contemplationum, non animi nostri notiones debent dici exemplaria rerum, sed vice versa; exemplar enim & Idea non imagines sunt, sed formæ originales, & principales; sic itaque obiecta facultatum cognoscentium dici possunt exemplaria notionum animi, ad quorum imaginem & similitudinem formatur animus,& ob id Aristoteles in tertio de Anima cont. 8. dicebat Mentem fieri omnia, nam fit omnia per imitationem,& repræsentationem; in hoc tamen tertio vitæ gradu

*Exemplar humanum.*

*Pro effectione triplex exemplar.*

*Pro actione tripl. x exẽplar.*

*Plato.*

*Pro contẽplatione.*

minus seruatur conditio exemplaris, cùm præsertim exemplar ad operandum dirigat. De his, quæ hactenus retuli, quinque constituo Theses; Prima est, dari exemplaria; Altera, concedi ab Aristotele exemplaria Physica, & humana; Tertia reijci exemplaria Diuina; Quarta, Exemplar non constituere distinctum genus causæ; Quinta, Exemplar partim redigi ad formam, partim ad causam efficientem; Prima, & secunda Theses conspicuæ sunt; Tertia quod Diuina exemplaria ab Aristotele reijciantur, patet ex primo Posteriorum, & latius ex prima Philosophia, quibus in locis nedum reijcit Ideas tanquam superuacaneas, & redundantes, verum insuper rationes omnes euertit, quibus eas Plato approbare nixus est. Putabat Plato eas esse necessarias pro rerum definitione, & scientia, pro distincta rerum productione & exitu ex primo parente, pro similis ortu, pro supera prouidentia, pro exacta essentia rerum, quarū cætera sunt vmbræ, & imitationes, ac pro alijs similibus, pro quorū nullo nititur Aristoteles ostendere eas conducere. Propterea dum cupimus Ideas Diuinas cum Aristotele seruare, ita dicendum puto, dari Diuinas Ideas dupliciter posse intelligi, vel secūdum propriā formam, in supera Mente, vel secundum eminentiam in Deo, quatenus cum sit ipsum bonum, & ordo eminens, cuncta ex eo pendentia ad eius imaginem sunt bona & ordine prædita, vt etiam dicebatur formas Physicas esse exemplaria. Approbantur Ideę ab Academicis in prima significatiōne, vt etiam a Theologis; ab Aristotele vero in secunda significatione, in qua etiam & cognitionem tribuit Deo, & concedit prouidentiam vniuersi. Dicebatur quarto exemplar non constituere distinctum genus causę; hoc ostenditur, quia exemplar & Idea vsurpatur dupliciter, vel pro suo esse absoluto, ac ita est actus & forma, vt ait Aristoteles in secundo Physic. 28. Vel consideratur pro modo, quo ad rerum productionem cōspirat: & quoniam nil aliud est nisi recta ratio, qua agens operatur, vt Ars Medendi est recta ratio, qua operatur Medicus, ideo redigitur ad causam efficientem, & ob id Academici illam rectam rationem ab efficiente secernentes inquiunt exemplar mediare inter causam efficientem, & finem, quatenus est recta ratio, per quam efficiens attingit finem; ex quo patet etiam veritas quintæ conclusionis. His omnibus addo magis per principia Academicorum instrumenta, & exemplaria numerari debere inter causas, quā per principia Peripateticorum; ratio varietatis est, quia ex sententia Platonis dātur Ideæ Diuinæ secundum propriam formam, quarum cætera sunt imitationes, vel participationes, non autem ex sententia Aristotelis: Insuper ex sententia Academicorum causæ secundę solum sunt instrumēta primæ, & generant simile, solum virtute primæ causæ, non autem sunt causæ primæ & summæ productionis similis, vt putat Aristoteles, & ob id dixit quærendā semper esse vniuscuiusque rei causam summam, quæ sit propria eius, vt patuit in cont. 38. huius secundi libri. Et de causis hactenus. Sequitur consideratio casus, & fortunæ, de quibus cumulate disserui in Philosophia Ciuili. Quod natura operetur propter finem, patet ex consideratione Prouidentiæ Mundi; Quare tenemur modo de Motu & communibus affectionibus corporis Physici verba facere.

*Quinque Theses.*

*Quō ex sententia Arist. concedi possint Ideæ.*

FINIS.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De Communibus affectionibus corporis Physici LIBER VNVS.

### *Proponitur de infinito agendum, eiusq; significationes & distinctiones manifestantur.* Cap. I.

COMMVNES corporis Physici affectiones, quia per vniuersum effunduntur, cunctaque Physica corpora suis conditionibus afficiunt, cum gratia sui, tum pro cęterorum notitia summopere sunt cognitu necessariæ; & propterea animi Sapientiæ studiosi in earum consideratione accurate, & libenter versari tenentur; in quorum gratiam ex Peripateticorum sententia ego de illis mihi differendum proposui. *Vtilitas considerationis* Philosophus in Procemio tertij Physicorum, sex numerat communes corporis Physici affectiones, quæ ei vel competunt, vel competere videntur, nimirum motum, cum quo nectitur quies, infinitum, continuum, Locum, Inane, & Tempus; *Numerus affectionum cõmunium.* nonnulli addendam putant figuram, & magnitudinem, alij sensile, at falluntur. Nam Figura non est affectio communis, sed solum competit viuentibus, vt patet ex secundo libro de Coelo, cætera ab alio figuram recipiunt, nec definitam sibi figuram exposcunt. *Sententia quorundam reycitur.* Magnitudo denotatur per continuum; sensibile, quamuis competat omni corpori Physico, nõ tamen ei competit pro esse absoluto, sed per relationem ad sensus, ideo in gradu sensuum collocatur. Sex itaque sunt affectiones communes, *Cur sint sex* & iure profecto: nam corpus Physicum ea ratione qua Physicum, iunctum habet motum, per quem etiam definitur: Ideo motus dicitur affectio prima corporis Physici, qua Physicum est; motus autem intrinsecus includit continuum, & infinitum potestate, extrinsecus ex parte mobilis exposcit Locum, & ex quorundam opinione inane; ex parte autem sui, pro mensura exposcit Tempus. Harum affectionum Motus principalissima est, & plura cæteris pro sui explicatione exposcit, propterea seorsum de eo differui; *De quatuor cõmunibus affectionib. agendũ proponitur.* continuum vero partim vt notius, partim quia eius exacta explicatio minus est Physico necessaria, partim quia ex infiniti potestate declaratione modo aliquo redditur notum, a me dimittetur, & de quatuor reliquis verba faciam, sumpto principio ab eo, cui nec principium, nec finis competit, nimirum ab infinito. *De Infinito.* De quo loquuturus clarioris cognitionis gratia, a significationibus nominis infiniti, ab eiusque distinctionibus ordiar, mox an detur, quid sit, & quale nitar explicare. *Aristot. Quinq; infiniti significationes.* Aristoteles in tertio Physic. quinque refert nominis infiniti significationes; prima est de non apto pertransiri, quod dicitur infinitum per negationem, vt vox dicitur inuisibilis; sic extra Coelum concedi potest infinitum per negationem ex sententia Aristotelis, Secundo per priuationem finis, cui e[illegible] competere transitus, sed sine fine, vt ex sentẽtia

 Stoi-

Stoicorum extra cœlum reperitur interuallum inane infinitum: Tertio pro apto cum
difficultate pertransiri, sic dicimus Stellas cœli infinitas: Quarto pro ordinato in fine;
quem sit aptum habere, eo tamen careat, vt semiconstructa Ciuitas, infinita, siue non
prædita fine dicitur; ad quem modũ etiam redigitur infinitum pro indefinito sum-
ptum, vt moles & dimensio materiæ: Quinto pro infinito potestate. Verum vt atti-
nentia ad infinitum clarius pateant, accipiendum primo est infinitum proprie ad quã-
titatem pertinere, vt nos docuit Aristoteles in primo Physic. contex. 15. Finitum enim
& infinitum sunt affectiones magnitudinis & numeri: At si latius vsurpetur, vt magni-
tudo per metaphoram ad plura extenditur; ita etiam finitum & infinitum pluribus
tribuitur; nam sex sunt, quibus finiti vel infiniti denominationem tribuere valemus;

*Sex tribui potest infinitum.*

eam primo tribuimus virtuti, veluti dum dicimus Deum esse infiniti roboris; secun-
do actioni eius, vt creationem dicimus actionem virtutis immensæ, & nullum assi-
gnari tempus in quo vis infinita moueat; tertio diuisioni, vt dicentes continuum diui-
di in infinitum; quarto extensioni, vt Anaximander dicebat Terræ competere radi-
ces in infinitum descendentes, quibus niteretur, ne rueret; quinto numero, vt De-
mocritus atomos dicebat numero infinitas; sexto conseruationi & motui, vt Aristo-
teles Cœli motum iudicat infinitum. Infinitum omne in duo capita redigitur, vel

*Infinitũ duplex.*

enim est infinitum actu, vel potestate: Infinitum actu quatuor tribui potest; primo In-

*Infinitum actu quadruplex.*

tensioni formæ, vt Deus immensi roboris; secundo actioni, vt creatio, & non dari tẽ-
pus in quo vis infinita moueat; tertio extensioni molis; quarto numero. Infinitum

*Infinitũ potestate quincuplex.*

potestate solum residet in iunctis cum materia, & est quincuplex; vel mora continua-
ta, vt motus cœli, vel successione non continuata, vt motus mortalium, vel diuisione
continui, vel accretione opposita diuisioni, per quam imaginamur partes medietatis
diuisæ in infinitum addi alteri parti; quinto numero, vt dicẽtes numerum esse aptum
crescere in infinitum. Insuper alia quoque consideratione infinitum in duo capita

*Infinitũ duplex.*

redigitur; Vel enim est infinitum supra terminos, exuperans terminos omnes, vt Dei
virtus; vel infra terminos, & est id quod indefinitum dicitur, vt prima Materia, & se-
miconstructa domus. Cum igitur infinitum sit multiplex & varijs tribuatur; dum ta-
men proprie accipitur, prædictum est vna aliqua communi Natura, & conditione, nisi
vniuoca, saltem ab vno, ob quam enunciauit Aristoteles in primo de Cœlo cont. 130.

*Infinitũ est definitum.*

infinitum modo aliquo definitum, & terminatum esse, quatenus est natura vna, apta
definitione circumscribi, vt dicendo esse id, quo non datur maius, vel vt dicebant alij,
esse id, extra quod nihil est, vel vt rectius inquit Aristoteles, esse id, in quo semper est
aliquid vltra accipere; nam primæ circumscriptiones etiam competunt Mundo, qui
tamen infinitus non est: postrema vero cum infinito reciprocatur; secundum quam si-
gnificationem mihi de infinito ex sententia Aristotelis differendum propono.

## *An infinitum sit.* Cap. II.

DICEBATVR ex sententia Aristotelis infiniti nomen quinq; modis vsur-
pari, de quorum quatuor dubium non est an detur; omnes enim Men-
tis compotes fatentur dari infinitum, pro non nato transiri, pro apto
cum difficultate transiri, pro indefinito, & pro infinito potestate: solum
est dubitatio de quinta & principali significatione, an scilicet detur ma-

*De quo infinito sit dubitatio an detur.*

gnitudo, vel numerus infinitus actu, in quo semper sit aliquid vltra accipere. Aristote-
les in tertio Physic. nec non in primo de Cœlo, infinitum potestate concessit, infini-

*Nõ dari infinitũ actu.*

tum vero actu renuit: Ratio est, quia potentia pertinet ad materiam, quæ cum ex se sit
indefinita, origo est infiniti; actus vero ex forma pendet, quæ forma vt est actus, ita
est terminus & aliquid sui conditione definitum: hinc Aristoteles in octauo Phys. 48.
loquens de seiunctis a materia, inquit Naturam infinitum renuere. Confirmatur quo-
niam

niam omne productum,& in esse constitutum,vt tale est,etiam dicitur prędictum fine, & termino suæ constitutionis,& propterea controuersiam includeret,si diceremus esse constitutum in esse,& esse infinitum; ita enim infinitum pertransiretur, nec esset in eo semper aliquid vltra accipere, deuentum enim esset ad postremum, & infinitū non esset infinitum. Præterea id, cuius conditio est,vt sit terminatum, non valet esse infinitum, conditio corporis actu existentis, est vt termino sit præditum; quod ostendo, nam conditio corporis est terminari superficie; insuper conditio corporis vt in vniuerso actu existentis,est terminis Mundi coarctari, veluti etiam conditio numeri est, vt sit aptus numerari,sit par vel impar,quæ infinito competere nequeunt; non itaque datur infinitum actu. Ex aduerso tamen non defuere qui actu infinitum inane reperiri affirmarunt,vt Stoici; Et qui infinitum numerum atomorum approbarūt,vt Democritus & Epicurus,necnon qui putarunt dari corpus in infinitum extensum,vt Anaximander,quorū sententiam his rationibus comprobare valemus; Primo,quia Deus supra terminos est positus,eorumque est expers; Secundo cum detur infinitum potestate, & cuilibet potentiæ actus respondeat, est necesse vt etiam detur infinitum actu, ne potentia sit frustra; Tertio si datur vnum oppositorum, debet dari & alterum; opposita enim in vniuerso æquari dicuntur, vt docet Aristoteles in secundo de Cęlo 18. quare cum detur finitum, est necesse vt etiam detur infinitum, & cum detur infinitum infra terminos,etiam dari debet infinitum exuperans terminos; Quarto si datur subiectum affectionis, est necesse vt etiam detur affectio; Finitum & infinitum per Aristotelem in primo Physic. 15. sunt affectiones quanti,& datur quantum omne,cum continuum, tum discretum, quare est necesse vt detur infinitum eius affectio. Præterea Finitum omne, per aliud finiri & terminari debet, quare non licet ad vltimum deuenire, quod termino sit præditum, quia esse vltimum & termino præditum controuersiam includit: Demum id cui nil potest addi, extra quod nihil est, quo non datur maius,& caret principio & fine,est infinitum, Huiusmodi per Aristotelem est Mundus, quare infinitus,& iure,cum sit imago Dei,qui infinitus est. Pro resolutione difficultatis tres profero conclusiones. Prima est,datur infinitum actu,supra corpus positū, quod cunctorum est Principium; Altera est infinitum actu ad quantitatem pertinens non datur; Tertia est,datur infinitum potestate. Prima conclusio a Theologis recte explicatur,quorum decreta ego vbique,vt absolute vera,supponere consueui. Aristoteles tamen supero lumine destitutus erga hanc immensam Lucem, se impotem patefecit; Nam Deus cum ex alio non pendeat, nulloque coerceatur termino, iure supra terminos,& infiniti roboris statuitur. Altera conclusio iam ostensa est in præcedentibus; res enim ex alio pendentes,vt actu productæ & absolutæ sunt, suo termino sunt circumscriptæ, & conditionem infiniti actu includere non sunt aptæ, vt latius patefeci,dum de Mundi vnitate disserui. Tertia conclusio, quod detur infinitum potestate a Peripateticis omnibus,vna cum duce Aristotele in tertio Phy.& in primo de Cœlo conceditur; Huiusmodi infinitum competit quantitati continuæ, quod explicamus dicentes,continuum esse aptum diuidi in infinitum; competit numero, de quo dicimus esse aptum in infinitum crescere,& quouis excogitato,posse excogitari maiorem; competit motui Cœli,qui ab Aristotele dicitur vnus,æternus, & continuus; & demū competit motibus mortalium, & rerum ortui successione æterno, vt etiam mortalia successione æterna dicuntur,& numero infinita. Hoc infinitum potestate, cum competat continuo & discreto, eis dicitur competere modo quodam opposito; Nam de continuo dicimus esse aptum diuidi in infinitum; de numero vero,esse aptum in infinitum crescere; Ratio est, quia continuum non conflatur ex minimis indiuisibilibus, vt numerus conflatur ex vnitatibus; & propterea continuum non valet in indiuisibilia resolui, sed pars omnis eius est apta diuidi; ex cuius diuisione in infinitum consurgit numerus partium,natus in infinitum crescere. Et animaduertendum est, quod non recte dicimus continuum esse aptum diuidi in infinita, nam ita dicentes indicaremus

*Sententia aduersa.* *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Resolutio.* *Conclusio prima.* *Conclusio secunda.* *Conclusio tertia.* *Infinitū potentia vario modo cōpetit continuo & discreto.* *Ratio.*

*Recta loquutio.* remus posse actu in infinita resolui, & posse diuisioni imponi finem, quod falsum est: sed dicere debemus esse aptũ diuidi in infinitũ, quod verum est, quatenus ad indiuisibile peruenire non licet, cum ex eo non constet, & secus loquentes loquimur minus proprie, & solum est verum in hac significatione. Ex his autem, quæ dicta sunt, elicitur solutio aduersarum rationum. Ostendebatur primo dari infinitum actu, quia Deus actu est infiniti roboris: Respondeo sermonem modo esse de infinito quantitatis, & addo infinitum actu repugnare magnitudini, & rei productæ, non autem perfectioni primi principij ex nullo pendentis. Instabatur insuper, si datur vis agens immensa, debet dari immensum patiens, & si datur vis mouens infinita, etiam debet dari mobile infinitum ei respondens. Soluitur quia vis ea agens infinita est nota Theologis, ex quorum sententia dicimus quod Deus generans non eget patiente, nã creat fine ope materiæ; mobile autem infinitum dari nequit, quia infinitum totum moueri non valet, nec expedit vt detur. Dicebatur secundo, cum detur infinitum potestate debere etiam dari infinitum actu; respondeo, actus diuisionis in infinitum hic est, vt diuisioni nec imponatur, nec liceat imponi finis, vt nos docet Aristoteles 9. Metaphysicæ contex. 11. & propterea actus proprius eius semper dicitur iunctus cum potentia, vt asseritur in tertio Physic. contex. 57. Addebatur tertio, dum datur vnum oppositorum, dari & alterum; Respondens dico primo id esse verum de formis oppositis perfectionem denotantibus, non de oppositis per formam & priuationem, vt patet de pleno & inani; Addo secundo dari infinitum modis varijs, vt est aptum dari; Dicebatur quarto cum detur subiectum affectionis debere dari etiam affectionem: Respondeo debere dari, vt apta est ei subiecto competere. Insuper addo, dum affectio in oppositione est posita, vt reperiatur subiectum, sat est vt pars vna oppositionis inueniatur. Dicebatur quinto omne finitum per aliud finiri: Respondeo hoc esse verum de terminatis, nõ de terminis, veluti linea terminatur punctis, superficies lineis, corpora superficiebus, ita corpora dantur, quę proprijs superficiebus clauduntur, vt se habet de Mũdo corporeo; & in terminis non datur progressus in infinitum, sed ad primos & simplicissimos est deuenire, veluti ad puncta. Postrema instantia nullius est roboris; quia vt iam dixi, illæ circumscriptiones non reciprocantur cum infinito, sed hæc sola, vt in eo semper liceat aliquid vlterius accipere.

*Solutio aduersarũ rationum.* *Solutio prima.* *Solutio secunda.* *Solutio tertia.* *Sol. quarta.* *Sol. quinta.* *Sol. sexta.*

## *Quale sit infinitum.* Cap. III.

*Quõ infinitum sit ignotum.* IAm apparuit quotuplex sit infinitum, quomodo detur, quid sit, & quibus competat: Explicandum modo superest quale sit, & dubia varia ad id pertinentia sunt diluenda. Sententia est Aristotelis in tertio Phy. 66. infinitum vt infinitum esse ignotum; & iure profecto, nam ratio prima est, quia cognoscentis ad cognoscibile debet esse congruens ratio, finiti ad infinitum nulla est ratio. Insuper Mens nostra cognoscens dicitur fieri id quod cognoscit, vt dicitur in tertio de Anima contex. 8. & 37. finitum autem non potest fieri infinitum; Præterea cognitio est apprehensio, siue comprehensio quædam obiecti, infinito autem, vt est infinitum repugnat comprehendi, nam comprehensio est rei præditæ suis terminis, adeo vt non excedat terminos comprehendentis, infinitum autem, vt infinitum est, exuperat omnes terminos. Præterea duo sunt, quæ constituunt rationem rei aptæ intelligi, nimirum ens, & actus. Infinitum actu non datur, & cũ non sit, nulla earum rationum ei competit, & propterea non est aptum intelligi. Infinitum autem potestate cum prodeat ex materia secundum se ignota, iure etiam, vt tale, ignotum erit. Verum obijciet aliquis, si infinitum non est aptum nosci, frustra laborat Physicus, quærens de eo assequi scientiam; Præterea, quod est ex se tale, ad quodcunque referatur, semper est tale, at infinitum relatum ad Deum, non videtur ignotum, alio-

*Dubitatio.*

alioquin Deus suimet esset ignarus. Pro solutione duo scitu digna sunt prænoscenda, primum est quod infinitum dupliciter considerari potest, primo, vt essentia, & natura vna, apta per definitionem explicari, ob quam Aristot. in primo de cœlo cont. 30. enunciauit infinitum modo aliquo esse definitum; nam ita definite est id, vt nõ aliud, qua consideratione infinitum potest cognosci, comprehendi, definiri, & sub scientiam cadere. Secundo considerari potest cum reduplicatione, vt infinitum, vt non aptum transiri, non aptum comprehendi, ac ita est ignotum, non cadit sub scientiam, & nemo mentis compos quærit apprehendere, numerare, vel mensurare illud; id enim cõtradictionem includit; esset enim quærere numerum eorum, quorum non est numerus, & terminum eorum, quorum non est terminus; Adeo quod cum continuum dicatur diuisibile in infinitum, Deus per infinitam potentiam non cognoscit numerum partiũ eius, quia non datur; & dicere quod noscat, esset ei tribuere mendaciũ. Ex his elicio recte dici posse, nos cognoscentes infinitum id noscere, quod nosci nequeat. Alterum prænoscendum est, quod cum duplex sit infinitum, vnum actu supra terminos competens Deo, alterum potestate infra terminos, ex materia prodiens, eorum opposita est conditio; nam infinitum potestate, vt infinitum, dicebatur ignotum; infinitum autem actu, & supra terminos, est sui natura maxime intelligibile, primum intelligibile, & id per quod cætera dicuntur intelligibilia; & iure, nam actus est ratio intelligendi, id autem est actus primus, & actus purissimus, & simplicissimus, de quo tamen verificatur, quod vt infinitus a mente aliqua creata, comprehendi non potest; ideo recte dicitur, quod solus Deus noscit Deum, nimirum adæquate. At tunc remanet dubitatio, quia si infinitum est ignotum, vt infinitum: igitur Deus non se noscet, vt infinitum. Respondeo cognitionem Dei esse distincti generis a cognitione nostra; in Deo cognoscens & cognoscibile non sunt distincta, sed cognitio, cognoscens, & cognoscibile sunt essentia vna, & ea est ipsemet Deus. Hinc Plotinus hoc sub nube considerans enũciauit, Deum nec esse intelligentem, quia hoc dirigitur ad aliud, nec intelligibile, quia hoc competit Ideis; sed esse claritatem & conspicuitatem, quia simplicissime in eo illa tria in idem veniunt, adeo vt non se intelligat, vt comprehendens infinitum, sed tanquam existens illud. Infinitum autem est ignotum, vt infinitum, cognitione ab eo distincta, & illud comprehendente; & ex his patet solutio difficultatum.

*Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

## *Vt clarius appareat quale, & cur tale sit infinitum, dubia varia ad id pertinentia proponuntur. Cap. IIII.*

VT infinitum fine caret, ita indefinita ea sunt, quæ de infinito se offerunt consideranda, ex quorum explicatione conditio, & Natura infiniti aliqua ex parte refulget; quorum ego potiora breuibus proponam, & diluam. Quæritur primo an infinitum sit totum, vel pars, & num sit præditum partibus vel non; præterea num contineat, vel contineatur, num sit perfectione præditum, vel ea destitutum, num sit particeps rationis, & ordinis, vel potius vtriusque expers, an valeat crescere, vel minui, an alteri infinito sit æquale vel inæquale, & demum an infinita valeant esse plura. Vt veritas appareat clarior, cum duplex constitutum sit infinitum, de vtroque seorsum agendum est. Quærebatur primo an infinitum sit totum, vel pars: loquendo de infinito ad materiam pertinente, id vere totum dici non meretur; tum quia totum ad formã pertinet ex 5. Metaph. & 2. Phys. tum insuper, quia totum perfectionem includit ex fine prodeuntem, infinitum autem fine caret; tum demum quia totum refertur ad partes, infinitum vero caret partibus proprie sumptis; Dicitur infinitum carere proprie sumptis partibus, quia partes illæ sunt, quę aliquoties sumptæ constituunt totum, & inter eas ad inuicẽ, & ad totum est ratio aliqua; ab infinito autem, vt infinitum est, abest ratio, & quæuis portio

*An infinitũ sit totum.* *Qũo infinitũ caret partibus.*

tio

tio eius excogitetur, finita est, quæ aliquoties sumpta non valet constituere infinitum, infinities autem sumi non potest. Quare dicamus infinitum concessum ab Aristotele nec vere totum esse; nec proprie partibus præditum, sed potius partis conditionem

*Infinitũ nõ continet.*

seruare, qualis est materia, quæ terminum recipit a forma. Similiter id infinitum non proprie continet, quia non est infinitum actu, nec supra terminos, sed potius continetur, quia terminos aliunde recipit. Dicere tamen aliqua ratione valemus infinitum potestate, & in successione positũ ex duabus partibus infinitis constare, vt tempus ex præterito & futuro, qua consideratione etiam vera est ea sententia, partes infiniti esse

*Infinitũ nõ est perfectũ*

infinitas; similiter hoc infinitum minime indicat conditionem perfecti, sed potius imperfecti, cum perfectio ex fine prodeat, ideo iure Arist. primo cœli cont. 12. & 3. Phy. 63. & 65. enunciauit infinitum non mereri dici perfectum. Quærebatur insuper num infinitum sit particeps rationis & ordinis; sententia est Arist. in 8. Phy. 16. infinitum

*Nõ est particeps rationis nec ordinis.*

carere ordine, idque ostendit, quia ordo est congruens ratio partium adinuicem, & ad vnum primum; infiniti autem nec ad infinitum, nec ad finitum aliquod est ratio vlla; Nam definitur ratio ab Euclide, in 5. suorum elementorum definitione tertia, quod sit duarum magnitudinum eiusdem generis, certa vnius ad alteram habitudo; quæ certitudo cum sit definitum quoddam, cum infinito conspicue pugnat. Sed ori-

*Dubitatio.*

tur non leuis dubitatio, quia etiam infinito, cum ordo, tum insuper ratio conuenire videntur; quod patet primo considerando tempus, in quo & anni, & dies, & reliquæ partes, cum præteritæ, tum futuræ exactissimo ordine, certaque ratione, dum inuicem comparantur, inueniuntur præditæ, quamuis tempus ab Arist. iudicetur infinitum; Secundo id ipsum constat perpendendo attinentia ad cœlorum motus; nam ordinatissimi omnium consensione inspiciuntur, & orbiculationes præteritæ definito ordine antecedunt præsentibus, & præsentes futuris, quamuis successione sint infinitæ. Similiter tertio id patet comparando reuolutiones varias distinctorum orbium adinuicem; nam cum Saturnus triginta annis absoluat suam reuolutionem, Luna vero tempore vnius Mensis reuolutionem Solis, erunt trigecuplo plures eis Saturni; & reuolutiones Lunæ duodecuplo plures reuolutionibus Solis, adeo vt reuolutiones orbium cœli miro quodam ordine, exactissimisque rationibus inuicem inueniantur colligatæ. Quarto dubitationem pariunt singularia sub specie constituta, successione infinita ex accidenti ordinata, de quibus dicitur in ordinatis ex accidenti dari progressum in infinitum; quare ordo & infinitum non pugnant, sed simul seruari valent.

*Solutio.*

Hæ, ac similes aliæ difficultates facile diluuntur, hoc præassumpto, quod regulæ intelligi debent per se, & cum reduplicatione; nam ex accidenti facile redduntur falsæ; Sic itaque tempus, motus, reuolutiones cœli, & indiuidua vltimarum specierum considerari possunt dupliciter; primo vt modo aliquo sunt finita, vel per relationem ad nos, vel ad aliud quoddam definitum, quod modo aliquo sit vltimum, siue primum; qua cõsideratione cum nõ sint infinita, valent esse prædita ratione, & ordine, vt apparuit; Secundo considerati possunt, vt infinita sunt; qua consideratione, vt carent primo & vltimo, ita carent conditione prioris, posterioris, antiquioris, & recentioris, adeo vt auus non sit prior Nepote, dies præteritus die futuro, Nec plures præcesserint horæ, quam anni, nec plures fuerint reuolutiones Lunæ reuolutionibus Saturni, vt recte

*An infinita sint æqualia.*

etiam explicauit. Auer. in prima disp. contra Algaz. in sol. 5. difficultatis. At remanet adhuc dubitatio, quia saltem infiniti ad infinitum videtur esse ratio æqualitatis; cũ enim per quantitatem res dicantur æquales, vel inæquales, & vnum infinitum non sit maius altero, necessario erit ei æquale, ac ita inter ea seruabitur ratio æqualitatis. Auer. in 3. Phy. 49. inficiatur infinita debere dici æqualia vel inæqualia; in secundo

*Solutio.*

autem de cœlo 38. inquit ea esse æqualia. Soluitur dubitatio, quia æquale vsurpatur dupliciter, vel per negationem, quia vnum non superat alterum; vel per affirmationẽ, & veram adæquationem, quæ secundum formam est, per quam sola terminis circumscripta per eorum terminos æquari dicuntur; in prima significatione infinita possunt

dici

dici æqualia, non in secunda; nam ea sunt vere æqualia, quorum principium & finis vnius, respondent principio, & fini alterius. Dubitari etiam potest de infinito, an valeat crescere vel minui; nam antecedentes horæ & dies dicũtur infinitæ, quibus tamẽ nouæ continenter adduntur: similiter se habet de Cœli reuolutionibus, nec non de singularibus sub specie positis. Quæ dubitatio etiam per iam dicta soluitur; nam si infinitum consideratur vt aliqua ex parte finitum & terminatum est, potest ei aliquid addi; at dum consideratur vt infinitum, ita nec crescere, nec minui potest. Et de hoc quod potestate infinitum dicitur, id enunciare valemus, quod totum non sit maius sua parte, quatenus non magis est aptum diuidi in infinitum corpus quoduis totum, quam singulæ partes eius. *An infinitũ crescat.*

## *De infinito actu secus se habere ac de infinito potestate, & num omne infinitum potestate prodeat ex materia.* Cap. V.

IAm satis apparuit quale sit infinitum potestate; at si ad infinitum actu conuertimur, qualis est solus Deus, lucide intuebimur longe varia ei competere; Vt enim infinitum potestate dicebatur secundum se ignotum, ita hoc infinitum actu sui natura & conditione notissimum, & maxime aptum intelligi apparuit. Insuper infinitum potestate non dicebatur totum, sed potius pars; nec dicebatur continere, sed potius contineri; hoc autẽ infinitum actu, vere est totum, vere vniuersum, vere omnia continet, cum sit prima & eminentissima forma; immo de eo solo hoc vere dicitur, quod totum, & vniuersum sit. Similiter de infinito potestate dicebatur, quod ordine & ratione sit destitutum, cum de hoc recte dicamus quod sit ratio omnium eminentissima, & vera ratio, per quam omne quod bonum est, bonum sit, ac insuper sit ordo originalis, ex quo pendet ordo cæterorum, vt elicitur ex 12. Metaphysicæ 51. Demum vt de infinito potestate dicimus, quod conditione principij & finis omnino sit destitutum, ita de hoc infinito supra terminos collocato enunciamus, quod sit initium & finis cunctorum. Verum dubitare quis posset quomodo id verum sit, quod infinitum omne potestate, concessum ab Aristotele ex materia prodeat; nam motus Cœli, cum sit æternus, æternitatem recipit non a materia, sed a separato motore, a quo etiam æterno motore seruatur æterna generatio mortalium; Insuper Mathematicus cõsiderat infinitum, & ait numerum in infinitum crescere, & continuum diuidi in infinitum, cum tamen abstrahat a materia prima. Soluens difficultatem dico infinitum actu adeo distare ab infinito potestate, vt quemadmodum infinitum actu sequitur secretionem a materia, & immunitatem ab ea, Deus enim est infinitus, quia est actus primus & purissimus, Ita infinitum potestate, sequatur materiam, vel conditionem aliquam eius; sequitur autem materiã per intermediam quantitatem, cuius finitum & infinitum dicuntur affectiones, vt patet ex primo Physi. contex. 15. Instantia de æternitate motus & ortus, soluitur dicendo motum ex eo præsertim esse æternum, quia ex separato motore pendet, at quod sit infinitus potestate, & successione, non habet sine aliqua materia & subiecto quanto, a quo etiam habet vt sit extensus & continuus; nam id quod motor includit indiuidue, & simul, recipitur in mobili, cum extensione, & infinita successione. Et quamuis Mathematicus abstrahat a materia sensibili, non tamen abstrahit ab intelligibili, quæ est continuum & partes, quæ est proxima ratio, per quam aliquid est finitum vel infinitũ. Quæri solet de infinito an valeat pertransiri, & iure profecto; nam ex vna parte nõ videtur id fieri posse, quia pugnat cum eius definitione, quæ est vt in eo semper sit aliquid vltra accipere: ex aduerso dicimus tempus præteritum esse infinitum, similiter & motum Cœli, quæ tamen pertransierũt, & absoluta sunt; ex quo colligit Philoponus in prima disput. contra Proclum, etiam infinitum pertransiri, veluti etiam interuallum conti-

*Infinitum actu quam longe differat ab infinito potestate.*

*Dubitatio an infinitũ omne potestate, pdeat ex materia.*

*Solutio.*

*Solutio.*

*An infinitũ valeat pertransiri.*

*Solutio.*

continuũ,& ob id diuiſibile in infinitum,mobili continuo pertranſitur. Pro ſolutione duplici vtendum eſt diſtinctione; prima eſt infinitum dupliciter conſiderari,primo vt infinitum,ac ita pertranſiri non poteſt,nam continuum vt diuiſibile in infinitum,non pertranſitur; ſecundo conſideratur vt terminis circumſcriptum, qua conſideratione vnum continuum pertranſitur ab alio. Altera diſtinctio eſt,quod pertranſiri vſurpatur dupliciter vel proprie,& hoc eis competit ſolum,quæ terminis ſunt prædita, tranſitus enim conſideratur ex vno termino in alterum; Secundo vſurpatur late pro eo quod ſemper fuerit; in qua ſignificatione,tempus dicitur præteritum, & pertranſiſſe; non quod proprie pertranſierit,vel ab alio numerante pertranſiri valeat, ſed quia ſemper fuerit. De tempore igitur & motu recte loquendo dicere debemus quod ſemper fuerint,ſemperq; futura ſint. Sed aliud adhuc de infinito occurrit conſideratione dignum,& eſt an diuidi poſſit in duo æqua dimidia; videtur id poſſe contingere,nam tẽpus diuiditur in præteritum & futurum,quorum vnum non eſt maius altero; ſimiliter continuum in duas ęquales partes diuidi poteſt; ex aduerſo Auer. in 3. Phy. 53. negat id fieri poſſe,& iure,cum infinitũ non ſit vere totum,vt apparuit,neq; ei competat vlla æqualitas & menſura.

*An infinitũ diuidi poſſit in duo ęqua lia.*

*Solutio.*

Solutio elicitur ex prius dictis,nam infinitum conſideratum vt modo aliquo finitum eſt,diuidi poteſt in partes æquas, vt patet de continuo; dum vero conſideratur, vt infinitum eſt,dicitur poſſe diuidi in partes æquas per negationem, quia vna non eſt maior altera,at non per affirmationem, & æqualitatem ſecundũ formam.

*An infinitũ ex vna parte ſit infinitum ex altera.*

Sed noua adhuc emergit dubitatio,& eſt num vera ſit ſententia Ariſt. in primo de Cœlo,omne infinitum ex vna parte,etiam infinitũ eſſe ex altera: quæ ſententia rationi eſt conſentanea; cum enim infinito repugnent termini, non magis ex vna parte videntur ei repugnare,quam ex altera. Miſſas facio rationes, quæ ex Ariſt. eliciuntur in primo de Cœlo formatas,& indicatas: Ex aduerſo tamen varia occurrunt,quę eam reddunt dubiam; Nam creata a Deo prædita ſunt principio,cum tamen mox ſeruentur æterna; Inſuper numerus eſt præditus principio,nimirũ vnitate, & caret fine: Demum potentię primę materię ad ſingulas formas,& priuationes earum coęuę fuerunt materiæ,& tamen aduenientibus formis deſinunt eſſe. Pro ſolutione dico eam ſententiam,ęternum ex vna parte,etiam eſſe ęternũ ex altera,enunciari a Philoſopho,& pręſertim veram eſſe de attinentibus ad ortum,interitum,& eorum oppoſita,adeo vt omne quod oritur,intereat,& vice verſa; & id quod ortui non eſt obnoxium, etiam non eſt obnoxium interitui; ratio elicitur ex conditione materię, per quam res vt poſſunt eſſe,ita non eſſe,quemadmodum nos docet Ariſt. 9. Metaph. 17. & 1. de Cęlo 136. & 140. & propterea creata illi regulę non ſubijcientur,cum ex materia nõ pendeant. Inſtantia ſumpta ex ſingularibus priuationibus & potentijs inanis eſt, vt alibi patefeci; nam dum conſiderantur vniuerſe, & indefinite, coęuę ſunt materię primę, & carent principio & fine; dum autem contrahuntur ad diſtincta ſingularia,per diſtinctas pręcurrentes diſpoſitiones,ita vt deſinunt,etiam incipiunt. Numerus & diuiſio continui prędita ſunt principio,& deſtituta ſunt fine; at regula non de his formatur,ſed de pręteritis & futuris,adeo vt ęternum ex vna parte ſit ęternum ex altera, & cui competit initium per ortum etiam competat finis per occaſum.

## *Diluuntur tria dubia ad infiniti notitiam attinentia. Cap. VI.*

*An infinito cõpetat motus.*

QVONIAM Phyſici officium eſt cuncta, quę conſiderat modo aliquo referre ad motum vel quietem,ideo de infinito,hoc iure conſiderandum eſt,an ſit aptum moueri,vel quieſcere; quę dubitatio locum habet ſuppoſito quod detur corpus aliquod mole infinitum. Ariſt. in 1. Phy. 24. id concedit,inquiens & cur ens eſt immobile,ſi vnum eſt? vt enim pars vna,cum ſit hęc aqua,mouetur in ſeipſa,quare non & totum? hęc profert Philoſophus diſputans contra Meliſſum putantem id quod eſt eſſe vnum, infinitum, & immobile.

In

In tertio autem Phy. nec non in primo de Cœlo negat infinitum moueri, & demum in 8.Phy.17.id in dubium vertit inquiens si contingit moueri infinitum totũ,& quiescere.

*Solutio.*

Soluens difficultatem dico infinitum potestate, quale est continuũ, proculdubio posse moueri; omne enim quod mouetur, continuum est. Infinitum vero actu, dupliciter cõsiderari potest, primo vt vniuersum quoddam, secundo vt partes modo aliquo includit, quamuis non proprie; si consideratur secundum partes, ei non repugnat motus, vt dicitur in 1.Phy.24.quia pars valet alteri parti locum cedere, at ita etiam valet moueri totum ex accidenti, secundũ partes singulas eius indefinite sumptas, vt eo loci argumentatur Philosophus; At si cõsideratur secundum totũ & per se, vel loquimur de motu secundum locum, vel de alijs; secundum locum moueri non potest, quia vel moueretur motu recto, vel in orbem; non recto, quia infinitum nõ habet aliud supra, vel infra, nec deserit locum extra se; non in orbem, quia tunc esset Sphæricum & terminatum. Si loquimur de motibus alijs, crescere & minui non potest, vt patuit in præcedentibus. Alteratio ei vt infinito non repugnat, quia non exposcit mutationem loci; propterea Aristoteles aduersus Melissum dicentem id quod est, esse vnum, infinitum, & immobile, in eo contex. 24. inquit. Præterea alteratio cur non erit? quasi dicat eam infinito, vt infinitum est, non repugnare.

*An secretis a materia valeat competere numerus infinitus actu.*

Verum dubitatur adhuc, cum infinitum actu nõ valeat competere complicatis cum corpore & materia, num saltem rebus a materia solutis valeat competere numerus infinitus actu; non enim his repugnare videtur, cum locum & interuallum non occupent. D.Thomas in secundo contra Gent.loquens de animorum immortalitate cap. 81. inquit separatis a materia numerum actu infinitum non repugnare, & Aristotelem in tertio Physi.& primo de Cœlo reiecisse infinitum actu a rebus materiatis, non autem a secretis a materia. In secundo autem sent.dist.prima alterius est sententiæ, nam inquit Mundum nõ potuisse fuisse semper, quia daretur numerus animorum actu infinitus, quod renuitur ab Arist. in tertio Physic.ita de re dubia, & obscura, non sibi constat.

*Solutio.*

At veriorem puto hanc sententiam numerum actu infinitum etiam repugnare secretis a materia, vt repugnare dixi omnino ex alio pendenti & in vniuersó constituto. Hoc lucide elicitur ex octauo Physic. 48. quo loci loquens Philosophus de motoribus Cœli a materia secretis ait, eos non esse numero infinitos, quia Natura infinitum renuit: hinc Auerroes in quarta disput.contra Alg. in sol. 4. dubij; inficiatur infinitum actu secretis a materia competere posse.

*An cõditio infiniti denotet perfectionem.*

Sed alia pulchra & non leuis se offert diluenda & elucidanda ambiguitas, & est an cõditio infiniti denotet perfectionem vel potius imperfectionem; quod perfectionem denotet, elicitur ex Aristotele, qui in octauo Phy. contex.75.inquit incorruptibile præstare mortalibus Natura, ratione & tempore, incorruptibile autem, æternum & infinitum est, & huiusmodi infinitum tribuitur Deo, motoribus cœli, cœlo, motuique eius; quod non fieret, nisi præstantiam aliquam denotaret: & cõfirmatur, quia infinitum excludit limitem, & interitum, quæ mala sunt. Ex aduerso Aristoteles in primo de cœlo, contex: 12.inquit infinitum indicare priuationem perfectionis, cum indicet priuationem finis, & in tertio Physic.ait ortum ducere ex materia; ea autem quæ materiam sequuntur imperfectionem denotãt, vt imbecillitas, senium, interitus & alia huiusmodi. Præterea in primo Nicomachiorum cap.6.inquit Philosophus albedinẽ vnius anni, non esse candidiorem ea vnius diei, Nec Ideam boni ob æternitatem præstare participationibus, siue imitationibus eius mortalibus.

*Solutio.*

Pro solutione difficultatis accipiendum primo est infiniti nomen denotare absentiam finis, vel per negationem, quia illum nec habeat, nec aptum sit habere, vt sui natura æternum, dicitur infinitum; vel per priuationem, quia illum non habeat, aptum tamẽ sit habere, vt id quod dicitur infinitum infra terminos, veluti materia considerata cum indefinita mole. Insuper considerandum nomen finis vsurpari dupliciter, vt dicitur in 5.Metaph.21. vel proprie pro vltimo & optimo, vel per metaphoram, pro vltimo nõ optimo; vt Mors, dicitur finis vitæ, & creaturæ dicuntur termino circumscriptæ. His præassumptis di-

co,si finis vsurpatur proprie,infinitum denotat imperfectionem, vt inchoata domus, & indefinita moles,qua consideratione vera est sententia Aristotelis in primo de Cælo cont. 12. Si vero finis vsurpetur late pro termino,& vltimo,tunc vel sermo est de bonis,vel de malis; si de bonis infinitum denotat extensionem boni & præstantiam, de malis vero accretionem mali & deprauationem; vt dum pœnæ apud inferos dicuntur infinitæ. Similem sententiam protulit Aristoteles in nono Metaphysicæ de actu & potentia inquiens, in malis finem & actum esse deteriorem potentia. Animaduertendum tamen, dum dicimus æternitatem & remotionem vltimi, denotare præstantiam, quod Aeternitas non est causa eius præstantiæ, sed signum; non enim quia res est æterna,ideo præstat,sed vice versa,præstantiam naturæ & conditionis rei sequitur æternitas; hoc denotauit Aristoteles in primo Nicomachiorum inquiens, Ideam boni non ob æternitatem præstare bonis mortalibus.

## *Quomodo a Mathematico & Physico,de infinito sine pugna varia proferantur,quæ inuicem pugnare videntur. Cap. VII.*

MATHEMATICVS de infinito loquens inquit,continuum esse aptum diuidi in infinitum,continuo posse aliquid addi in infinitum,siue appositione contradistincta a diuisione, siue absolute, & demum numerum esse aptum crescere in infinitum; neque ob id Mathematicus vtitur infinito aliquo actu,sed solum quanto,ad libitum magno, vt nos docet Philosophus in tertio Physi. 75. Hæc sunt quæ enunciantur a Mathematico. Ex aduerso inquit Physicus continuum posse diuidi in infinitum, numerũ partium eius posse crescere in infinitum,Insuper continuum posse crescere in infinitum, accretione opposita diuisioni eius,quæ tamen non superet molem definitam rei,quæ diuiditur,vt patet ex 3.Physi.59. de his Mathematicus & Physicus conspicue consentiunt; Dissentiunt tamẽ primo quia Physicus inquit in diuisione deueniri ad minimum secundum formã, & secundum sensum,quod dicitur minimum naturale, quod non dicitur a Mathematico; Insuper Physicus inquit,deueniri ad corpus maximum,quo maius dari nõ potest, quale est corpus Mundi,& dari lineam maximã, quæ est diameter Mundi, De quibus tria se offerunt consideranda; Primum est vnde pendeat ea varietas. Alterum quia etiam Aristoteles,vt Physicus in secundo de Anima 41. inquit ignem crescere in infinitum, si adesset combustibile; Tertium quia Aristoteles in primo de Cælo cont. 12. inquit cuilibet finito posse aliquid addi, & ita vt Physicus concedit accretionem molis in infinitum, & in 4.Phy.71. imaginatur medium,per quod grauia descendunt, rarefieri in infinitum, quod tamen repugnat formæ Physicæ. De prima difficultate dico varietatem illam sententiarum prodire ex vario abstractionis gradu, varioq; modo considerandi. At dicet aliquis,cum diuisio continui in infinitum, non minus aduersetur formæ Physicæ, quam accretio, cur Physicus concedit primum & non alterum? Auer.quẽ sequitur Zimara ait,id contingere, quia crescere denotat progressum ad formã & perfectionẽ,cui aduersatur infinitũ;Diuidi vero denotat progressum in diminutionẽ & imperfectionem pertinentem ad materiã, cui nõ repugnat diuisio in infinitum.Hæc solutio nõ videtur approbanda,tum quia accretio, quæ est progressus ad formam & perfectionem,& proprie est accretio,est ea,quæ viuentibus competit, non autem illa,qua imaginamur maius quouis dato & excogitato; tum insuper,quia vt accretio,ita diuisio in infinitum aduersatur formæ. Propterea dicamus Mathematicum nunquam dicere dari magnitudinem cõtinuam minimam,vel maximam, quia formã non cognoscit,quæ natura est,ex qua pendẽt termini magnitudinum; Physicum vero dicere & dari,& non dari vtrunq; Ratio est, quia Physicus considerans materiã formam,& cõditionem continui,etiam cognoscit quid corpori Physico cõpetat, vel aduersetur,aut ratione vnius,aut ratione alterius;& dum sequitur considerationem Physicam

*Enunciata a Mathematico.* *Enũciata a Physico.* *Tria consideranda.* *Solutio primæ.* *Auer.* *Euersio.* *Propria solutio.*

cam absolutam & perfectam, conuersus ad formam dicit dari maximū & minimum; dum vero perpendit conditionē propriā continui, ait non constare ex indiuisibilibus, & esse aptum diuidi in infinitum, vt patet ex 6. Phy. hā cognoscens totum, etiā cognoscit ea, quæ competunt, vel aduersantur vni, vel alteri parti, quod non valet facere Mathematicus, quia solam magnitudinem considerat, non autem corpora Physica cōposita. Hinc etiam Arist. considerans lineam rectam ex parte sui inquit in 1. de Cælo cōt. 12. ei semper posse aliquid addi; Similiter in 2. de Anima 41. inquit ignem crescere in infinitum, considerando, quod ignis & quoduis Elementū est tanquam congregatum ex varijs indiuiduis suæ speciei, quorum numerus definitus non est, & terminum recipit partim ex ordine vniuersi, partim ex necessitate materiæ; Et Physicus potius dicit corpus posse diuidi in infinitum, quām posse crescere, quia id solum repugnat formæ, hoc autem repugnat & formæ & materiæ, cuius per naturam definiti sunt termini extensionis; & solum non repugnat dimensioni consideratę seorsum a forma Physica, & a materia prima, hoc est ratione propriæ conditionis. Similiter Arist. in 4. Phy. dum considerat rarefactionem in infinitum, considerat rarum & densum pro esse suo absoluto, nō cum relatione ad definitū subiectum. Inquiunt nonnulli quod dum Physicus ea profert, quæ enunciātur a Mathematico; id facit vtens abstractione Mathematica, quia scientiæ sibi mutuo opem ferunt; At quod scientiæ sibi mutuo ferant opem, verissimum est; Quod autem Physicus ea proferat auxilio Mathematico non puto dicēdum, quoniam Physicus vt dixi, considerans totum, etiam sua facultate noscere valet quid vni parti repugnet, vel non repugnet, & quid alteri; hinc Physicus est, qui ostendit continuum non confici ex indiuiduis, vt patet ex 6. Phy. insuper si id esset, tunc similiter Mathematicus posset ea enunciare, quæ dicuntur a Physico, quod tamen non facit; Sed obijciet aliquis, quia consideratio seorsum a materia, & forma quæ natura est, non est Physica, quare ea vt Physicus enunciare non valet. Respondeo eā non esse perfectam considerationem Physicam, sed includi in ea vt imperfectum in suo perfecto, nam considerans varia, quid vni, vel alteri, repugnet vel non repugnet, & vnde infinitum ortum ducat, vndeque terminos recipiat, noscere valet; Verum vt infinitum Naturæ aduersum explodamus, considerationi eius imponamus finem.

*Dubitatio.* *Solutio.*

## *De Loco.* *Cap. VIII.*

CVncta quæ in vniuerso reperiuntur, eam cum loco habent connexionem, vt modo aliquo eis consentaneo, loco tanquam sede dicantur prędita, & quæ nullibi sunt, dicantur non esse, vt legitur sub initio 4. Physi. Propterea Deum distincta consideratione & in cęlo, & extra, & vbiq; esse enunciamus; Similiter Locus cum motu adeo est coniunctus, vt in primo de Anima 38. enūciauerit Philosophus, omne quod mouetur, esse in loco; Ideo iure locus a Physico accurate est considerandus. Locus vsurpatur dupliciter, vel proprie, vel per Metaphoram. Vt aūt appareant modi oēs, quibus res dici possunt esse in loco, hac distinctione vtendum puto. Locus vel est corporū, vel rei incorporeæ; Si fuerit corporum, vel est eorū ex accidenti, vel secundū se; si ex accidenti, vel est partiū corporis per se existentis in loco, vel est cęli nō egentis loco secundū se; Si fuerit secundū se, vel est Locus cōmunis, vt cęlum dicitur locus mortaliū, vel proprius, de quo præsertim est sermo. Ex aduerso si locus fuerit expertiū corporis, vel est locus specierū spiritaliū, vt sensus dr̄ locus specierū sensibiliū, Mēs vero specierū intelligibiliū, vel est locus eorū, quæ vere & principaliter sunt; & hæc vel sunt iuncta cū corpore, vel seiuncta; si iuncta, vel est materia, vel forma, & hæc vel substātia, vel accidēs; forma ad substantiā pertinens per se quidē vt forma est in materia, ex accidēti aūt est in loco totius cōpositi: similiter forma, q̄ est accidens, est in loco per subiectū in quo est; Si vero forma fuerit a materia soluta, vt cęli motores, de illis est dubitatio an sint in loco p̄ essentiā, vt cēsuit Scotus, vel p̄ opinionē trāseuntē, vt existimauit D. Th. qua de re mō nō est sermo.

*Locus et cū his quę sūt, & cum motu est maxime iunctus.*

*Distinctio locatorum.*

*Locum esse patet.* Quæritur itaque locus proprie sumptus qui corporum est, de quo non quæritur an sit, quia ex se constat, & ab omnibus conceditur, Quæritur autem quid sit, quod apprime latet, & sententiæ sunt variæ. Et quoniam per ea, quæ communi consensione desinibili competunt, illustratur via ad noscendum quid sit, ideo ab eis ordiar. Sctentia est Aristotelis in 4. Physic. 31. sex præsertim ea esse, quæ loco competere conceduntur, *Sex loco cõpetentia.* Primum vt contineat locatum, Alterum vt nil sit rei locatæ, Tertium vt ei æquetur, Quartum vt non sciungatur a corpore indefinite sumpto, sciungi tamen valeat a quouis signato corpore, ita legitur in nonnullis codicibus, rectius tamen legitur in alijs, vt locus deseri possit a corpore contento, nam dicere locum semper includere corpus, est supponere non dari inane, quod ostendi debet, Quintum, vt sit præditus differentijs positionis, & præsertim sursum & deorsum, Sextum, vt in illum ea corpora per naturã moueantur, in eoque quiescant, quorum conditioni fuerit consentaneus; His Theophrastus, & Eudemus septimum addunt, nimirum vt sit immobilis, id tamen ab Aristotele iure dimittitur, quia colligi debet ex alijs notioribus, & accipiendum est in definitione, & propterea non recte sumeretur pro principio.

## *Quid sit Locus opiniones variæ.* Cap. VIII.

*Proclus.* QVONIAM locus corpora seruat, in eumque tanquam in suam formam, & perfectionem per naturam feruntur, ideo Proclus uir sapiens, ingenioque sublimi præditus existimauit Locum esse præclarum aliquid, insignique facultate præditũ, & huiusmodi censuit esse spiritum, ab anima Mundi spiratum, qui in cœlo est sine alijs corporibus, & est ipsum cœlum, alia autem non sunt sine eo; hunc spiritum dixit esse corpus immobile, indiuisibile, expers materiæ, purissimum: & quia huiusmodi est Lumen, ideo Locum nil aliud esse existimauit nisi Lumen, ex anima Mundi prodiens, in orbem unà cum uniuerso effusum. *Euersio.* Quæ sententia plurima includit, quæ difficultatem pariunt, veluti quod Lumen sit corpus, quod corpus recipiatur in corpore, Quod cœlum solum sit Locus, cum tamen moueatur motu secundum Locum, & alia huius generis. *Syrianus.* Desumpsit suam sententiam Proclus ex Syriano suo præceptore, qui præter id quod asseruit Locum esse interuallum, etiam addidit id esse præditum forma, & facultatẽ excellentiore ea corporum, in loco contentorum, cum ea seruet & trahat. *Damascius,* Damascius pręceptor Simplicij existimauit, vt datur mensura longitudinis, numeratorum, & motus, ita dari mensuram naturalis positionis corporum existentium in uniuerso, quam mensuram dixit esse Locum, adeo ut Locus sit mensura congruentis positionis partium vniuersi; non distincta nisi ratione ab ea cõgruente positione, ut tempus ratione distinguitur a motu; *Euersio.* quæ sententia etiam dubia est, quoniam adhuc non patet quid sit huiusmodi mensura, & præsertim quia locus etiam mensura eget, cum dicatur mensurari per distantiã a Cælo: *Democritus.* Ideo opinio fuit Democriti, Leucippi, Epicuri, & Stoicorum locum esse interuallum nullo termino circumscriptum; imaginantur enim primo interuallum immensum, in quo mox corpora recipiantur: *Philoponus* Philoponus, & plurimi Academicorum de hoc consenserunt, quod Locus sit interuallum, ex se corporis expers, id tamen non putarunt immensum, sed dixerunt æquari Mundo & nunquam sine corpore aliquo reperiri: quæ sententia profecto cæteris relatis præferenda est, & apprime est probabilis. *Arist.* Aristoteles tamen eam reprobat, & uariis rationibus euertere nititur; non enim dari existimat interuallum, & dimensionem distinctam ab ea corporum natura constantiũ; nam si datur interuallum distinctum, uel est ens, vel nihil; si nihil negligatur; si ens uel est substantia vel accidens, non accidens, quia non est in subiecto, non substãtia, quia nec materia, nec forma, nec compositum est, ut patet. Insuper huiusmodi interuallũ cum sit consimile, & qualitatum expers, nec virtute aliqua conseruandi, nec distinctione differentiarum valet esse præditum, quæ tamen loco debent competere. Insuper

huius-

huiusmodi interuallum uel pendet ex primo principio,uel non;si non,tunc Deus non omniũ esset Princeps;si pẽdet,quomodo pẽdere valeat non apparet; nã Deus in principio creauit Cœlum & Terram,non autem primo interuallum; id enim quod est origine primum,est materia,non interuallum. Præterea si daretur huiusmodi interuallum,uel esset infinitum,vel termino præditum; si infinitum, titubaret in eo Mundus, nec ratio ulla esset,cur potius in hac quam in alia eius parte esset positus. Insuper frustra esset huiusmodi interuallum immensum, cum nullum reperiatur immensum corpus,quod in eo recipi debeat;si uero esset termino prẹditum, ut existimauit Philoponus a quo recipiat terminos,& in quid desinat non apparet; nam si clauditur superficie, corpus esset; si definit in nihil,nec ex se nec ab alio terminatum esset, quod apprime videtur absurdum.

## *Quid sit Locus, opinio Aristotelis.* Cap. IX.

CVm relatæ sententiæ satis apparuerint dubię,propterea Aristoteles seruans ea, quę loco competere videntur, asseruit Locum esse intimum terminum immobilem corporis proxime ambientis; & iure, nam affectio sequi debet id,cuius est affectio, non anteire, Locus autem dicitur affectio corporis Physici, & propterea corpus aliquod Physicum necessario præsupponit. Insuper Locus debet esse præditus facultate seruandi,quæ inani interuallo competere non potest, optime autem competit intimæ superficiei munere corporis, cuius est terminus. Præterea Locus debet esse præditus differentiis positionis, quæ vt inani interuallo competere nequeunt, ita intimę superficiei ambientis cumulate competunt per definitam distantiam a cælo, quod dicitur Faber Locorum & locus communis. Insuper Locus debet esse non pura priuatio: quale est interuallum,sed potius perfectio & forma quædam, & præsertim quia priuatio, & potentia egent fundamento aliquo;interuallum uerò denotat priuationem,& potentiam sine vllo fundamento. Præterea conditio loci est, vt contineat, terminumque eis tribuat, quę ex se termino carent,interuallo hæc non competunt,cum ex se terminorum sit expers,nec vere contineat, vt intima superficies ambientis, sed potius extendatur vnà cum corpore: similiter Locus debet esse terminus ad quem lationis, in quem desinat latio,vt in formam rei ad illum tendentis, huiusmodi est solum superficies ambientis:Demum Locus includit ordinem,vt per illum seruetur ordo locatorũ, qui ordo abest ab inani interuallo, competit autem intimæ superficiei corporis ambientis,per naturam,& conditionem supremi corporis,quod Cœlum est.Ex his colligo primo Locum non esse interuallum,sed intimam superficiem ambientis;colligo secundo Locum proprie competere corporibus mortalibus, & præsertim simplicibus. Primo quia hæc egent seruante, cum ex se sint mortalia,secũdo quia egent terminante & continente,cum ex se sint expertia figuræ, & terminorum, Tertio quia mouentur motu recto ex se destituto terminis,& locum quærente, Quarto quia ex alio pendent,prima non sunt,ideo eorum conditio exposcit,vt contineantur in alio. Colligo tertio Cœlo non debere locum proprie competere, ob quatuor rationes oppositas illis quatuor iam relatis,sed esse Fabrum,opificem & mensuram locorum,& locum cõmunem cunctorum mortalium: hinc ex accessu, & recessu ab eo prodeunt primæ & communes loci differentiæ,quæ dicuntur sursum & deorsum. Possemus conciliando dicere interuallum esse locum per modum materiæ,intimam superficiem per modum formæ,congregatum vero esse locum per modum vtriusque;Probabilius tamen est dimisso concilio cum Aristotele dicere, huiusmodi interuallum distinctum ab eo corporum minime dari; Sed opinio Aristotelis etiam dubitatione non caret, & varia se nobis offerunt,quæ ei aduersari videntur;nam primo si Locus non esset interuallum, sed

*Sententia Aristotel.*

*Colligitur primo.*

*Secundo.*

*Cur sola mortalia proprie in loco.*

*Tertium.*

*Concilium.*

*Dubia aduersus sententiã Aristot.*

intima superficies, non totum corpus esset in loco, sed sola extima eius superficies; secundo locatum non æquaretur loco, non enim corpus trina dimensione præditum æquari dicitur superficiei; Tertio quia superficies intima mouetur per motum eius, cũ ius est terminus, locus autem dicitur immobilis. Quarto tunc nec cælum, nec Mundus essent in loco, quia a nullo continentur, cum tamen omnia quæ sunt, & præsertim corpora alicubi esse dicantur, immo Aristoteles in quarto Physicorum 32. inquit Cœlum maxime in loco esse putamus, quia semper mouetur, & cũ per se moueatur motũ secundum locum, etiam per se debet esse in loco; vt enim mobile se habet ad terminũ motus, ita dicitur se habere ad motum; Quinto si imaginamur Mundum in nihilum redigi, etiam est necesse vt imaginemur superesse interuallum inane, adeo, ut id renuere non valeamus, vt etiam inter duos parietes interuallum imaginamur, non considerato corpore incluso: sexto Arist. nonnunquam id interuallũ concedit, vt in secundo de Cœlo 27. quo loci ostendens cælum esse sphæricum inquit, si alia figura esset præditum, vel daretur corpus sine loco, uel locus sine corpore; quod vt absurdum derelinquit, id autem supponit corpus omne debere esse in loco, & præter corpus dari interuallum, quod sit locus: Demum dubitatio est de corpore Mathematico an sit in loco vel non. Hæc sunt dubia non leuia, quæ sententiam Aristot. dubiam reddunt.

## *Diluuntur difficultates relata aduersus opinionem Aristotelis de Loco.* Cap. X.

*Solutio prima difficultatis.* INSTABATVR primo aduersus Aristotelem si locus esset intima superficies ambientis, non totum corpus esset in loco; soluitur cum totum corpus intra locum contineatur, totum corpus dicitur esse in loco, & in loco seruari, proxime tamen per extimam eius superficiem, nam esse in loco nil aliud est, nisi intra locum contineri: Dicebatur secundo quod locus non æquaretur locato; at id non sequitur, quoniam locus est superficies, & locatum proxime per superficiem est in loco, ideo sat est, vt per superficies æquentur. Insuper locus æquatur locato per facultatem continendi illud; Addebatur Tertio locum esse immobilem, superficiem vero mobilem. Respondeo locum dupliciter cõsiderari, vel secundum materiam, vel secundum formam; dicitur considerari secundum materiam, dum consideratur definita superficies ambientis, & ita est mobilis, saltem ex accidenti; consideratur autem secundum formam, dum consideratur pro definita distantia a cœlo, vel centro, includente definitam positionem erga cælum, qua consideratione est immobilis; insuper dicitur immobilis, quia non mouetur per motum rei locatæ.

*Solutio secunda.*

*Solutio tertia.*

*Sol. quartę.* Instabatur quarto, quia Mundus, & cælum non essent in loco; Solutio patet ex dictis, nam asserui locum illis competere, quæ contineri, seruari, & terminari debent, Mundus, & Cœlum non debent contineri, sed continere, seruare & terminare, nam repugnat vniuerso esse in loco, quia esse in loco est esse in alio, quod vniuerso, & cœlo competere non potest; sed instabatur, quia omne quod est, alicubi est, & quod secundum se mouetur, secundum se debet esse in loco, & maxime Cælum cũ maxime moueatur, vt inquit Aristoteles. Pro solutione dicendum primo eam sententiam prolatam ab Aristotele sub initio quarti Physic. quod omne quod est, alicubi est, præsertim est vera ex opinione veterum, nil excogitantium supra corpus, & putantium locum esse interuallum; Ex sententia autem Aristotelis vera est, vt vnumquodq; aptũ est esse alicubi; Ideo considerandum secundo quomodo Mundus & Cœlum sint in loco; Nam Aristoteles in contex. 32. inquit cælum maxime in loco putamus esse, quia semper mouetur; in contex. 46. ait Terram esse in aqua, hanc in aere, aerem in æthere, ætherem in cœlo, cœlum autem non amplius in alio esse, ac ita non esse in loco. In cõtex. autem 45. inquit Animam & cœlum esse in loco ex accidenti, adeo vt parum sibi constare

*Quo Mundus & cœlũ in Loco.*

constare videatur,& ambiguitatem potius inuoluat, quam euoluat. Pro resolutione loquendo de toto Mundo dico ei repugnare esse in alio,& esse per se in loco, esse tamen in se & in loco ex accidenti, nempe per partes, quatenus pars vna alteram continet; & hoc asseritur ab Aristotele in contex.45. nam partium Mundi vna continet alteram, alterique adhæret. Si loquimur de orbibus cœli infra primum collocatis, illi videntur esse in loco per se, cum vere ab alio contineãtur; asserendum tamen quod vt orbes ex se æterni, sua figura præditi, mobiles in orbem locum non exposcunt, nec vt tales in loco sunt, vt tamen eis accidit non esse primos orbes, & ex primo pendere, ita locum exposcunt, adeo vt quatuor Elementa proprie & absolute sint in loco, orbes planetarum medio quodam modo se habeant; loquendo autem de orbe supremo, & primo mobili, id nec vt æternum, nec vt ex se terminatum, nec vt mobile in orbem locum exposcit: vt autem est primum & supremum ex se habet vt in loco nõ sit, alio non egeat, & ab alio non contineatur, adeo vt ex accidenti penitus dicatur esse in loco, de quo id præsertim intelligi debet, quod ab Aristotele enunciatur in quarto Physic.45. dicente cęlum, & animam ex accidenti esse in loco; & iure assimilatur animæ, nam magis anima continet corpus, quàm corpus animam, vt dicitur in primo de Anima 90. egrediente enim anima, corpus dissoluitur, & vt anima continens corpus, ex accidenti, ratione contenti dicitur esse in loco, ita supremum cœlum cætera continens ex accidenti, ratione corporum contentorum dicitur in loco esse; veluti ex accidenti tempus per motum, & mensura per mensuratum mensuratur. Est itaque supremus orbis primus faber, & prima origo locorum, & mensura eorundem, & solum dicitur esse in loco ex accidenti, vt iunctus cum locatis, terminatus ad locata & seruans relationem ad ea, circa quæ mouetur. Ita in parte vera est sententia Auerrois dicentis cœlum esse in loco per centrum, hoc est per relationem quandam ad illud, circa quod etiam reuoluitur: hinc Aristoteles patefecit aliquid esse in se per partes, vt amphora vini est in amphora vini, quod etiam verum est de mundo, nam cætera continentur a primo corpore, & id desinit in ea, ad eaque terminatur. At instabatur quia dicebat Philosophus cœlum maxime putamus esse in loco, quia semper mouetur, & mouetur per se; respondeo per duo fundamenta: primum est, quia cœlum, vt recte dicebat Alexander, non mouetur motu secundum locum, vt Elementa, quæ ex vno in alium locum transferuntur, & proprie sunt in loco, sed potius mouetur motu circa locum; Addo secundo motum maxime, & per se competentem cœlo hoc indicare, quod vel per se sit in loco, vel sit faber & origo locorum, vt eius motus est origo cæterorum motuum, & hoc cœlo competit. At instabatur adhuc, quia si imaginamur Mundum in nihilum redigi, necessario remanebit interuallum, in quo reperitur. Respondeo si in nihilum redigeretur Mundus, nil superesset; at dices igitur Mundus est in nihilo: Respondeo Mundum esse in nihilo per negationem, quia nihilo eget, & repugnat ei egere aliquo, alioquin non esset vniuersum. Addebatur Aristotelem in secundo de Cœlo 27. concedere locum pro interuallo: Respondeo frequenter Aristotelem in loco alieno vti sententijs communibus, quod seruauit de loco in secundo de Cœlo 27. Quærebatur postremo an corpora Mathematica sint in loco; Aristoteles in quarto Phy.contex.5. inquit Mathematica non esse in loco, mox tex.76. ait, vt enim in aqua si ponat aliquis cubum, cedet tanta aqua, quãtus est cubus, sic & in aere; sed sensu manifestum non est, &c. In primo de Ortu & Interitu, loquens de tactu ait, Mathematicis similiter competere locum & tactum; res itaque est dubia. Respondeo Mathematica non esse in loco, nec vt corpora, alioquin omne corpus deberet esse in loco, nec vt Mathematica, quia Mathematicus abstrahit a loco & a dispositionibus locum sibi exposcentibus; sed esse in loco secundum imaginationem, quatenus imaginari valemus ea vel in aqua, vel in aere esse, & ibi erunt, non secundum, nec contra naturam, quia non includunt conditiones cum loco pugnantes, vel ei consentaneas, sed erunt non secundum naturam, & non occupabunt interuallum; non enim datur, sed solum distare facient

*Alexãder.*

*Mos Arist.*

*An Mathematica sint in loco.*

*Solutio.*

cient partes aeris,quia non datur penetratio dimensionū: At instatur, quia Aristoteles in eo contex. inquit cubum a graui & leui seiunctum, occupabit æquale interuallum: respondeo Aristotelem tunc argumentari aduersus veteres id interuallum concedentes ducendo eos ad absurdum. Est itaq; proprie sumptus locus intima superficies corporis ambientis immobilis.

## *De Inani.* *Cap. XI.*

*Inane quincuplex.*

CONSIDERATIO inanis cum consideratione loci summopere iuncta est, cum inane dicatur Locus quidam; de quo vidēdum quid nomine eius denotetur, mox an sit. Nomine Inanis sex denotari possunt; primo corpus parum sub sensum cadens, ita aerem dicimus inane quoddam; Secundo id,in quo non reperitur illud corpus, pro quo paratum est, vt crumena sine pecunia,& domus non habitata; Tertio vsurpatur inane pro nihilo,ita extra cœlum potest concedi inane; Quarto pro materia prima, quatenus in ea nō est forma aliqua substantialis,siue substantia corporea,vt dicitur quarto Physi. 59. quo loci ait Philosophus alio modo dicimus inane,in quo non est aliquid,neque substantia aliqua corporea:quocirca nonnulli inquiunt inane esse corporum materiam, & id ipsum dicentes esse locum,non recte tamen; & in contex. 15.inquit quatenus videtur locus esse distantia, videtur esse materia magnitudinis, hæc namque diuersa est a magnitudine, quæ dimensio est id, quod continetur sub specie, & definitur, vt sub plano & termino; est autem tale materia & indefinitum, &c. indicat Philosophus naturam sua conditione esse effusionem quandam inanem & indefinitam,quam sequitur dimēsio, & tertio adueniuut termini; Quinto per Metaphoram dicitur de fatuis & falsis opinionibus,quas imaginationes inanes nuncupamus; Sexto vsurpatur pro interuallo, apto recipere corpus, eoque priuato. De inani secundum quinq; primas significationes non est dubitatio & conceditur ab omnibus; solum de eo est dubitatio in sexta significatione. Vacuum itaque, de quo est sermo, est interuallum, in quo cum nullum reperiatur corpus, valet tamen reperiri. Dicebat Zenarchus, referente Simplicio in primo de Cœlo,non esse dicendum, inane esse præditum facultate recipiendi; ita enim sine corpore esset frustra:insuper cum sit nō ens, non valet esse præditum facultate; sed esse dicendum,quod sit susceptiuum,quatenus ei non repugnat suscipere corpus. De hoc inani quatuor sunt opiniones; Nonnulli putant id dari, & esse immensum,& reperiri seorsum a corpore cum intra hunc mundum,tum extra,vt Democritus,Leucippus,Epicurus,Lucretius,& similes, Stoici putarunt dari, & esse immensum,at intra Mundum non reperiri seorsum a corpore, sed solum extra. Philoponus existimauit dari illud interuallum non tamen immensum,sed æquale Mundo, nec seiunctum a corpore aliquo, sed semper cum corpore iunctum: Demum Aristoteles id omnino inficiatus est,adeo vt nec seorsum, nec iunctum corpori inueniri existimauerit; asseruit tamen contex. 81. quarti Physic.minus esse absurdum id concedere iunctum cum aliquo corpore,vt mox existimauit Philoponus,quam seiunctum.Hęc sunt capita opinionum. Quod detur inane, ostenditur præsertim ratione sumpta ex condensatione; dum enim corpus condensatur,& in minorē locum contrahitur, vel pars vna meat per alias, vel prius inter eas inueniebatur portio aliqua interualli sine corpore; primum dici non potest, quare concedendum est alterum; similiter, dum corpus redditur rarum,id fieri posse non videtur,nisi per portiones interualli corpore destitutas, & præsertim quia rarum & densum per Aristotelem in prædicamento qualitatis denotant positionem partium. Præterea Lucretius ex sententia Epicuri,& cum eo Stoici ita ostendunt extra cœlum reperiri inane; nam si quis in cœli dorso constitutus vellet aut manum proferre,aut sagittam,vel lapidem proijcere,vel id posset efficere,vel non; si posset inuenitur itaque ibi interuallum,in quo reciperetur; si nō pos-

*De quo inani sit dubitatio.*

*Lucretius.*

set,

ſet, inuenietur aliquid impediens, quod nil niſi corpus eſſe poteſt; id enim ſolum impedit tranſitum corporis; & eadem ratione oſtendebant id inane eſſe infinitum, quia quouis termino excogitato, id ipſum dooo, quod de dorſo cœli interrogabant; rationem hanc refert Alexander tertio Nat: cap. 12. Id ipſum Cleomedes in Lib. de Mundo comprobare nitebatur, quia ſi cum Heraclito imaginamur Mundum in ignem verti, maius interuallum occupabit; & ſi imaginamur ex eo, in quo eſt, in alium locum transferri, cogimur imaginari interuallum, in quod transferatur, & quod deſeratur; alioquin non teneremur aſſignare rationem cur Mundus non titubet, ſed ſeruetur immobilis; quam tamen aſſignat Ariſtoteles in octauo Phyſi. 52. inquiens, cum primum ſit immobile (nempe Deus) neceſſe eſt vniuerſum quoque, quod continuatur cum eo, immobile eſſe. Præterea id nihil, quod extra cœlum conceſſit Ariſtoteles, profecto nil aliud niſi inane interuallum eſſe poteſt; & cum Theologi inquiant in principio creatum fuiſſe Cœlum & Terram, ſupponere videntur primo dari interuallum, in quo recipiantur, veluti etiam qui primo dari chaos exiſtimarunt, vt Heſiodus, de quo inquit Ariſtoteles in quarto Phyſic. contex. 6. Videtur autem vtique & Heſiodus recte dicere faciens primo chaos; inquit enim omnium quidem primum chaos factum eſt, poſteà Terra lata, quaſi oporteat primum fuiſſe receptaculum his quæ ſunt; &c. nam chaos receptaculum quoddam denotat, & quamuis in 12. Metaphyſicæ cont. 9. Ariſtoteles aſſerat denotare materiam, id parum refert, quia materia quoque eſt quędam effuſio, & diſtantia inanis; ideo inquit Ariſt. in quarto Phy. 59. quidam inquiunt inane eſſe corporum materiam.

*Cleomedes.* *Heſiodus.*

*Reſolutio difficultatis an detur inane, & ſolutio aduerſarum rationum.* Cap. XII.

CVm attinentia ad inane ſatis apparuerint dubia, profectò ſententia Ariſtotelis, & experientiæ & rationi ſummopere uidetur conſentanea, & ob id præferenda ceteris; ſecundum quam dicimus minime dari interuallum diſtinctum ab eo corporum, nec cum corpore iunctũ, nec ſeorſum, nec intra, nec extra Mundum, ut latius loquens de loco patefeci; nam proculdubio ſi daretur intra, non uideo cur etiam non deberet dari extra Mundum, idque eſſe immẽſum, vt putarunt multi veterũ, cum id interuallum non ſit pars Mundi, nec aliquid ex prima cauſa pendens, ſed abſolute tanquã priuatio quędã præcurrens; & ſi extra Mundum ſeruari poteſt ſine corpore, non uideo cur etiam intra inueniri non valeat, cum abſolute minime repugnet dari ſeiũctum; inſuper ſi intra Mũdum pro replendo huiuſmodi interuallo recedente uno corpore maximo impetu, & neceſſitate ſequitur aliud ne (vt aiunt) detur tale interuallum ſeiunctum, non video cur immenſum interuallum extra Mundum derelictum, non rapiat & diuellat Mundum vniuerſum & eius partes, trahendo ad ſe illas: demum quia Natura ſuperuacaneis non abundat, & cuncta ſine eo diſtincto interuallo ſeruari valent, nos eius legem ſequentes, interuallum id reiiciamus & tanquam inane penitus iudicemus. Hinc dum corpus vnum ex aliquo loco recedit, & aliud ei ſuccedit, non eſt putandum, quod ſuccedat pro replendo eo interuallo, ne detur inane, ſed aſſerendum eſt, quod neceſſario aliud ſequitur per attractionem, & connexioné, quia corpora vniuerſi neceſſario iuncta ſunt, cum interuallum nõ detur ab eo corporum diſtinctũ, ſic extra cęlum nihil eſt, quia Mundus eſt omnia ea, quæ ſunt, & non eget alio a quo contineatur, ſed ſibi met ſatis eſt. Rationes aduerſæ facile diluuntur. Ratio ſumpta ex condenſatione ſoluitur ab Ariſtotele in quarto Phyſic. 84. nam materia prima vel proxime, vel per intermedia, capax eſt omnium diſpoſitionum, & formarum, e quarum numero ſunt raritas, & denſitas, & ideo quamuis non detur interuallum ab eo corporis diſtinctum, tamẽ valet na-

*Sententia verior.*

*Diluuntur rationes aduerſæ.*

let na-

let naturale corpus modo rarius, modo densius reddi, vehuti, dum aqua in aerem vertitur, redditur rarior; non per mixtionem cum interuallo inani, ita sine ea permixtione aer per vim aliquando condensatur vel rarescit, mox per suam naturam redit in sibi propriam constitutionem. Insuper considerandum est apud Aristotelem duplex esse rarum & densum; vnum attinens ad qualitates tertiæ speciei, sensui tactus respondentes, de quo modo est sermo, & competit corporibus vel simplicibus, vel mixtis, dummodo fuerint consimilia; alterum denotans situm partium competens mixtis dissimilibus, vt spongiæ, punnici, Lunæ, de quo Aristoteles mentionem fecit in prædicamento qualitatis, excludens id a genere Qualitatum. Afferebatur deinde ratio sumpta ex Epicuro & Stoicis de extensione manus, & impulsione sagittæ extra Mundum, de qua a varijs varia dicuntur; Inquit Alexander manum ob id proferri non posse, quia extra cælum nihil est, ac insuper addit id includere controuersiam, tum quia in nihilo esset aliquid, tum insuper quia vniuersum, non esset vniuersum, non enim cuncta in vnum essent versa; sed hæc solutio mihi videtur apprime dubia, primo quia apparuit corpus non egere loco, vt corpus est, cum totum vniuersum in loco non sit; secundo quia nil repugnat imaginari dispositionem aliquam præter naturam, vt videamus quid inde sequatur, ac ita imaginari valemus aliquid in dorso cœli & extra; sed dicemus eam esse constitutionem præter naturam, aduersam mundo & partibus eius; Mundo quia non esset vniuersum, parti quia esset seorsum a toto; quare dicerem nil repugnare, vt manus extendatur, considerando solum id, quod est in ratione corporis, quia potest sine alio ambiente reperiri, & ibi esset non secundum naturam, nec præter, modo contrario, sed per negationem; sagitta autem & lapis impelli non possent, quia id non fit sine medio deferente: ita licet imaginari cum Heraclito Mundum in ignem verti, & reddi maiorem, non autem occupare maius interuallum à corpore distinctum: Minime tamen imaginari valemus Mundum ex hoc interuallo in aliud transferri posse, cum non detur, & ob id Mundus non titubat, nec in aliam interualli portionem labi potest; dicitur tamen egere Deo detinente, non quia in oppositum sit procliuis, alioquin præter naturam detineretur, sed quia nil est in eo, quod ex Deo non pendeat, & si oportet (vt dicitur in primo Meteororum) mortalem orbem superis lationibus esse continuum, vt omnis inde virtus regatur; Longe magis est necesse Mundum totum cum Deo esse continuum, vt ab eo regatur, nec pro Mundi creatione ex sententia Theologorum est necesse, vt præcurrat interuallum, sed cum creatur Mundus, creatur quoque interuallum, cum non detur interuallum ab eo corporum distinctum. Non me tamen latet sententiam Aristotelis modo aliquo conciliari posse cum ea veterum, quod cum patefecerim in lib. de Mundo cap. 13. nunc non repeto.

*Duplex rarum & densum.*

*Alexander*

*Dubitatio.*

## *De tempore diuisiones & opiniones.* Cap. XIII.

TEMPUS esse affirmant homines omnes, idque persentiunt, & præsertim senes; quid autem sit summa difficultate percipiunt. Vsurpatur nomen temporis nonnunquam pro aeris constitutione, vt dicentes tempus esse serenum, vel humidum, vel caliginosum & inde ortum ducit distinctio anni in quatuor Tempora; nonnunquam pro constitutione nostræ vitæ, vt dum dicimus diuites habere bonum tempus, hoc est ducere vitam lætam; Tertio vsurpatur tempus pro communi quadam affectione sequente motum, cui dicimus cuncta subiici, quæ ortui & interitui sunt obnoxia, in qua significatione mihi de tempore disserendum propono. Academici considerantes duplicem motum, etiam considerarunt duplex tempus; motum primum, & originalem tribuerunt animæ, de quo dixerunt animam esse numerum se mouentem;

*Tempus tripliciter vsurpatur.*

*Academici*

Motum

Motum alterum ex originali prodeuntem tribuerunt corporibus,& quoniam tempus sequitur motum,ideo duplex tempus excogitarunt,vnum originale, & animasticum, sequens motum originalem,Alterum ex eo prodiens,ad corpora pertinens. Tempus originale,dixere terminũ & finem æternitatis,principiũ vero tẽporis sequẽtis.Peripatetici,vt negarunt animam ex se moueri,ita cum motũ,tum tempus originale neglexerunt,& solum de motu & tempore,ex principiis immobilibus prodeunte, & ad corporea pertinente loquuti sunt;de quo quid sit,varij varia enunciarunt. Archiras Tarentinus,ex relatione Simplicij in primo Physic.93. Dixit esse dimensionem,siue extensionem naturæ vniuersi,est enim extensio conseruationis eius,verum quid sit huiusmodi dimensio non patefecit. Pythagoras ex relatione Plutarchi in primo de Placitis Philosophorum,dixit tempus esse sphæram vniuersi,quam opinionem refert etiã Aristoteles quarto Physic. 93. ex aduerso tamen idem Plutarchus in 7. q. Academica inquit,Interrogatus Pythagoras quid nam esset tempus, vniuersi esse animam respondit:possemus conciliãdo dicere Pythagoram indicasse id duplex tempus, quod mox explicauit Plato,tempus nempe originale ad animam vniuersi pertinens per animam denotatum, & tempus attinens ad motum corporum denotatum per sphæram vniuersi. Alij asseruere Tempus esse motum,qui tamen inter se dissenserunt.Epicurus dixit esse motum diuturnum, Eratosthenes motus omnes cœlorum vnà conspirantes tempus constituere affirmauit,& ob id viam Mundi Tempus nuncupauit;Stoici id retulere ad Motum solis;Anaximenes, & Anaximander vniuerse motum omnẽ dixere esse tempus;Pindarus enunciauit Tempus omnes exuperare beatos, indicans tempus esse aliquid diuinum, & eum commendat Plutarchus in 7. q. Platonica; ex propria autem sententia inquit esse originem & causam eius proportionis & ordinis, qui cuncta,quæ oriuntur continet, & Aristotelem damnat,qui tempus definiuit, esse mensuram & numerum motus;& inclinare videtur in opinionem Platonis, explicantis tempus originale ad animam pertinens,ex quo pendet ordo vniuersi. Speusippus in lib.de Platonis definitionibus dixit Tempus esse motum solis,& progressionis mẽsurã; hinc Plutarchus in 7.q. Academica inquit Speusippũ putasse tempus esse quantitatem in motu,vel vt Stoicorum nonnulli dixere,interuallum motus. Plato in Timæo definiens tempus primum, quod principale indicauit,dixit esse imaginem æternam numero fluentem, æternitatis in vnitate manentis; adeo vt æternitas sit exemplar,Tempus imago eius; æternitas manet, tempus fluit; æternitas est tanquam nũc manens, Tempus tanquam nunc fluens; æternitas in vnitate impartibili posita est, tempus vero in numero. Iamblichus Platonem sequens dixit Tempus esse motionem primam anomasticam,omnium causam secundum primam notionem rationum productam; cuius sententia similis est sententiæ Plutarchi. Plotinus similiter sequens Platonem En. 3. lib. 7. inquit Tempus esse actum animæ, procedentem perpetuo, quodam transitorio motu ex vna vita in aliam; ac ita esse imaginem mobilem immobilis æui, adeo vt antecedat æternitas ad Mentem pertinens,mediet tempus, terminus, & imago æternitatis sequatur tempus, vt vmbra ad corporea pertinens. Hæc sunt principaliora eorum, quæ ab aliis de tempore enunciata fuere, quæ cum sint satis dubia & obscura, vt distinctius pateat quid tempus sit, & num aliquid veri in eis includatur, opinio Aristotelis est explicanda.

*Peripatetici.* *Architas.* *Pythagoras.* *Epicurus.* *Eratosthenes.* *Stoici.* *Anaximenes.* *Anaximander.* *Pindarus.* *Plutarchus* *Speusippus* *Plato.* *Iamblichus* *Plotinus.*

De tem-

## *De Tempore opinio Aristotelis.* *Cap. XIIII.*

CVNCTA, quæ in vniuerso reperiuntur, præter Deum, quia definita, & modo aliquo terminata sunt, mensura aliqua mensurari dicuntur, quæ est aliquid primum eius generis; ita numerabilia vnitate & numero mensurantur, continua permanentia, vt corporum longitudines mensurantur digito, vel grano, vel alio simili considerato tanquam minimo; præstantiæ rerum, & formæ graduum latitudine præditæ per gradum præstantiæ; *Variorum mẽsura varia.* locata mensurantur per locum consideratum secundum propriam formam constitutam in definita distantia a cœlo; ea quæ secundum substantiam non variantur, dicuntur mensurari vniuerso æuo, vt asseritur primo Cœli 100. Et ea demum quæ varietati & motui subijciuntur, dicuntur subijci tempori, & tempore mensurari. Hinc instinctu quodam naturę, inspicientes diem & noctem, tanquam partes quasdam temporis, *Plato.* mensuramus cursus & moras rerum: hoc enunciauit etiam Plato, qui in Timæo dixit vsum numerandi ortum duxisse ex circuitu cœli diurno; & in Epinomide asseruit, ex noctis & diei varietate prodijsse vsum numeri: ita excogitauimus horas, tanquam exiguas portiones temporis, quibus transmutationum moras mensuramus. Et quoniam mensura debet esse aliquid primum, & minimum illius generis; ideo iure tempus debet iudicari aliquid, ad primum motum pertinens, qualis est motus diurnus, qui cum sit primus, etiam est velocissimus, & ob id minimus; insuper est motus totius, primo tamen competens orbi supremo, & est regula cæterorum motuum. Cum itaque tempus ad hunc primum motum pertinere debeat, & tanquam mensura motus, modo ali- *Sent. Arist. de tempore.* quo debeat a motu distingui, ideo recta ratione Aristoteles existimauit tempus esse motum primum, vt aptum a nobis mensurari per prius & posterius in eo constitutum, adeo vt sola ratione secernatur a primo motu, nam vt est actus mobilis, dicitur motus, vt vero per priora & posteriora nunc in eo considerata est aptus a nobis numerari, dicitur tempus, quæ ratio temporis, est posterior ratione motus, & sequitur illam: hinc tempus dicitur esse idem cum primo motu, quia est idem, dum consideratur pro fundamento; dicitur autem affectio eius, & posterius, dum consideratur secundum propriam rationem; absolutum enim est prius ea relatione cuius est fundamentum; ita *An sit numerus numerans.* motus primus, vt motus, prior est quam vt numerabilis. At quæritur, cum tempus dicatur numerus & mensura motus, num debeat dici numerus numerans motum, vel potius numerus numerabilis a nobis: Aristoteles in contex. 104. quarti Physic. inquit esse numerum numeratum siue numerabilem; Auer. eo loci de re hac dubitans, ex propria sententia ait tempus ex se esse numerum numerantem, quia eo numeratur motus; ex accidenti autem esse numeratum per motum; sed conspicue videtur aduersari Aristoteli, qui numerum sumptum in definitione temporis ait esse numerum numeratũ; *Tempus ad tria relatũ.* in definitione autem ea sunt accipienda, quæ sunt per se. Pro solutione dicendum tempus ad tria posse referri, primo ad nos, secundo ad motum primum, tertio ad sequentes motus; Dum consideratur pro sua absoluta essentia, & ad nos refertur, vt cõsideratur eo loci ab Aristotele, recte dicitur numerus numerabilis a nobis; dum secundo refertur ad motum primum, a quo sola ratione distinguitur, ita dicitur numerans illum, quatenus est id, per quod primus motus a nobis numeratur. At dum tertio refertur ad alios motus, vere dicitur numerus eos numerans tanquam cunctorum regu- *An sine ratione seruetur tempus.* la & mensura: Ex quo elicitur solutio alterius difficultatis; quam quæri solet, an homine non existente, qui solus inter mortalia dicitur aptus numerare, seruaretur tempus vel non; similiter quæritur an iumenta & expertia rationis tempus cognoscant, cum numerare non valeant. Dicendum est cum Arist. 4. Physic. contex. 131. non existente apto numerare non seruari tempus pro ea ratione formali, per quam dicitur aptum numerari; seruari tamen pro suo esse absoluto, & etiam vt mensura mensurans & numerans

merans

merans cæteros motus: Expertia rationis cũ non sint apta numerare, non cognoscunt tempus pro suo esse formali & numerabili; cognoscunt solum confuse pro suo esse absoluto, vt est idem cum motu, & noscunt potius varietates, & qualitates temporum commutantes illud, quam proprie tempus; vt dum regiones mutant aduehiente hyeme, & id faciunt potius instinctu quodam naturæ, quàm cognitione distincta temporis, vel motus; Demum elicimus explicationem definitionis temporis ex sententia Aristotelis; nam cum Aristoteles dicat tempus esse numerum motus secundum prius & posterius, nos eam explicantes dicemus, tempus esse motum diurnum mensurantem reliquos motus, vt aptus est per eius successionem numerari a nobis secundum prius & posterius. *Explicatio definitionis temporis.*

## *Dubia ex approbata definitione temporis emergentia.*
## *Cap. XV.*

MIRVM non est si ex re obscura obscuræ prodeunt difficultates; nam primo dubium est quomodo motus & tempus, quæ continua sunt, recte valeãt per numerum explicari, qui est quãtitas discreta, & præsertim quia mensura debet esse eiusdem generis, adeo vt continuorum sit cõtinua, discretorum discreta. *Dubitatio prima.* Præterea Straton Lampsacenus sententiam approbatam reijciebat, quia tempus in fluxu est positus, numerus vero nequaquàm. *Secunda.* Insuper motus primus est vnus, continuus, & æternus, quare non est numerabilis; infinitum enim numerabile non est: *Tertia.* Præterea Mensura debet esse aliquid primum, Tempus dicitur sequi motum, quare non est eius mensura: *Quarta.* Insuper dubitatur, an si plures essent Mundi, vt existimarunt Democritus, & Epicurus, plura quoque essent tempora: *Quinta.* Præterea quæritur quid sit esse in tempore, & mẽsurari a tempore, & quænam ea sint, quæ tempori subijciuntur: *Sexta.* Demum quæritur, num tempus debeat dici causa interitus, & deprauationis rerum, vel potius perfectionis & generationis? *Septima.* Pro nonnullarum difficultatum solutione accipiendum primo est, numerum esse quantitatem priorem continuo, & ob id continua in numeros modo quodam redigi, & sine numero non mensurari: hinc dicimus lineam esse duorum vel plurium cubitorum; & hoc nos docet etiam Aristoteles in 5. Metaphysicæ cont. 12. *Numerus est prior cõtinuo.* Accipiendum secundo motum mensurari statuendo in eo terminos, qui sunt ipsa mutata, & nunc, per quos motus in partes diuiditur, quæ a nobis numerantur, vt patet experientia; vtimur enim numero horarum, dierum, & mensium, numerando partes definitas primi motus. *Solutio primæ diff.* Demum addendum recte tempus definiri per numerum, quia sine ratione non apprehenditur; ratio autem dum mensurat non continuo, sed numero numerante præsertim vtitur, tanquam ei magis congruente; & quamuis motus absolute sit continuus, tamẽ partes eius, quia plures & variæ sunt, numero sunt præditæ. Ex his patet solutio primæ difficultatis. Instabatur secundo, quia tempus in fluxu est positus, non autem numerus; Respondeo Tempus & motum non recte dici fluere, & esse posita in fluxu, sed rectius dici esse fluxũ, per quem mobilia, & subiecta tempori fluunt; & quamuis numerus sit aliquid in anima numerante permanens, tamen numerabilia possunt esse & permanẽtia, & fluentia, quia animo concipimus numerum partiũ, quæ fluxerunt, vt patet dum numero horarum mensuramus motum diurnum. *Solutio secunda.* Obijciebatur tertio, quia infinitum non est numerabile: Respondeo non esse numerabile secũdum totum, simul sumptum, esse tamen numerabile secundum partes quaslibet, seorsum consideratas. *Solutio tertia.* Dubitabatur quarto, quia mensura debet esse aliquid prius. Respondeo, dum Tempus consideratur vt mensurans, vel refertur ad motum diurnum, vel ad sequentes; si ad sequẽtes, vere dicitur eos mensurare, & requiri pro illis, ac ita etiam est aliquid eis prius; dum vero refertur ad motum primum, non proprie illum mẽsurat, sed est id, per quod *Sol. quartæ.*

ille a nobis est aptus mensurari; at id quod reddit aliquid mensurabile, non semper est aliquid prius, vt quamuis longitudo reddat hominem mensurabilem, non propterea est prior homine. Quærebatur quinto, si plures essent Mundi, an etiam plura essent tempora: Respondeo per principia Aristotelis, quot essent Mundi, tot essent tempora; hinc in quarto Physi. cont. 93. inquit Si plures essent cœli, similiter esset tempus cuiuslibet ipsorum motus, quare multa tempora simul essent, &c. Aristoteles hoc profert disputando aduersus eos, qui tempus dixerunt esse motum vniuersi, nõ secernentes ratione tempus a primo motu, & præsertim quia ipsi putarunt Mundos esse plures; Aristoteles autem ratione secernit tempus a primo motu, & iudicat Mundos non posse esse plures, & ob id non posse multiplicari tempora: & confirmatur, quia ex sententia Aristotelis in duodecimo Metaphysicæ 49. si Mundi essent plures, etiam motores primi plures essent; at quemadmodum ex eius immobilitate fluit motus, ita ex eius æternitate tempus; quare si plures essent mundi, plura essent prima æterna, & plura tempora: de quo primo principio cecinit Boethus,

*Qui tempus ab æuo,*

*Ire Iubes, stabilisq́ manens das cuncta moueri.*

*Quæ tempore mensurātur.* Sexta dubitatio erat de his, quæ tempore mensurantur, eique subijciuntur; quam soluens accipio, Cum tempus sit quidam fluxus, ac ita ab æternitate distinctum, quæ est constans & permanens, non valet mensurare, & sibi subijcere nisi ea, quæ fluunt: hinc quæcunque in vniuerso reperiuntur, vno trium modorum ad tempus se habent; vel enim sunt supra tempus, vel sunt vnà cum tempore, vel subijciuntur tempori: supra tempus sunt æterna, & immobilia penitus, & præsertim Deus, qui est ipsa æternitas: vnà cum tempore sunt mobilia æterna, vt cœli, quorum essentia non variatur, ideo non subijciuntur tempori, quia tamen mouentur, dicuntur esse vnà cum tempore; ad quod tempus vario modo se habet primum mobile, cuius motus sola ratione distinguitur a tempore & cæteri orbes, qui primo subijciuntur, & quorum motus per primum mensuratur: Tertio subijciuntur tempori, & ab eo proprie mensurantur mortalia, quorum ne dum operatio, verum etiam essentia vnà cum tempore fluit: Quæ mortalia tripliciter considerari possunt, vel secundum essentiam absolute, & hæc tempori non subijcitur, cum sit æterna; vel secundum essentiam cum existentia & fluxu iunctam; vel secundum solum fluxum. Tempus primo & per se mensurat fluxum, ideo dicitur mensura motus, consequenter autem mensurando fluxum mensurat essentiam fluentem, in particularibus existentem. Hinc Aristoteles in quarto Metaphysicæ aduersus Heraclitum dixit mortalia fluere secundum quantum, at non secundum quale, hoc est non secundum absolutam essentiam, quæ æterna est; hinc recte Auerroes in quarto Physicorum 98. dixit quod motus, qui cum sentitur primo & per se percipitur tempus, est motus quo sentimus nos subijci transmutationi; id tamen non percipimus, nisi nouerimus motum primum; & Aristoteles in contex. 114. asseruit motum esse in tempore, nil aliud esse nisi mensurari tempore & ipsum esse eius. Simul enim motum & esse eius mensurat, & hoc est motui in tempore esse, mensurari ipsius esse, &c, adeo vt Tempus primo & per se mensuret moram & fluxum motus, qui est eius essentia existens in mobili, & deinceps mensuret mortalia transmutationi obnoxia cum motu iuncta.

*Mortalia tripliciter considerantur.*

An

## *An Tempus iudicari debeat potius causa interitus quàm ortus. Cap. XVI.*

QVAERITVR de Tempore cuius nam præsertim iudicari debeat causa, num ortus & perfectionis, vel potius deprauationis & interitus. Sententia fuit Simonidis Tempus esse sapientissimum,& latentem veritatem suo cursu detegere, & Aristoteles in primo Nicomachiorum dixit Tempore disciplinas & Artes perfici: & confirmatur ratione, quia Tempus eius præsertim iudicari debet causa, quod optatur ab agente, & est per se terminus motus; huiusmodi autem est perfectio & esse, non opposita quæ mala sunt & non optantur; Præterea cum omnia pendeant ex bono, omnia etiam sui conditione bonum quærunt, & pro bono sunt constituta; quare absurdum videtur putare Tempus per se & præsertim malum efficere, & pro malo conducere, & præsertim cum sit idem cùm motu primo,qui in bonum dirigitur,& sit imago æternitatis.Ex aduerso tamen Aristoteles in quarto Physicorum 128. inquit Tempus interitus potius esse per se causam quam generationis; remouet enim per se mutatio id,quod adest, ortus autem potius ex accidenti est causa; signum ex se satis est, quia fit quidem nihil nisi moueatur quodam modo ipsum, & agat: interit autem etiam cum nihil mouet, & hunc præsertim dicere consueuimus interitum a tempore factum, & cæt. hinc legitur. *Simonides.*

*Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas:*
*Omnia consumitis;* & alibi
*Cuncta trahit secum, voluitque volubile tempus.*

Hinc inspicimus res solo tempore, nulla apparēte externa causa,ad interitum progredi, & propterea fingitur tempus vorare filios suos. Pro solutione accipiendum primo tempus esse fluxum quendam,& non esse principalem causam ortus vel interitus rerum,sed aliquid requisitum pro ortu & interitu, & id in quo, vel per quod res fiunt vel intereunt: cum enim sit quidam motus, & omnis motus sit quædam generatio & interitus, vt generatio & interitus non generant, nec interimunt, ita tempus nec generat, nec interimit, sed in eo vel per illud res fiunt & intereunt. Cum itaque tempus pro ortu & interitu requiratur, videndum est quid præsertim sequatur tempus,num ortus vel interitus: & pro solutione vtendum puto triplici distinctione;Prima est Tempus ad duo referri posse,vel ad præsentia, vel ad futura: si refertur ad futura, conducit pro ortu eorum; si ad præsentia pro interitu: hinc dicitur nascentes morimur, quia rerum definitum est æuum, & quo magis res a principio recedunt, quamuis primo perficiantur, tamen sensim magis accedunt ad finem: & quia in tempore proprie sunt, & tempore mensurantur non futura, sed præsentia, ideo recte Aristoteles inquit Tempus potius destruere, quam construere. Altera distinctio est Tempus & motum dupliciter posse considerari, primo secundum propriam naturam, & conditionem; secundo cum relatione ad institutum agentis principalis. Prima consideratione tempus præsertim interimit; cum enim sit quidam motus,& fluxus,per fluxum res recedunt a termino a quo,& amittunt dispositionem præsentem:hinc tempus sua conditione præsertim dicitur consumere: At dum refertur ad institutum agentis secus se habet; agens enim formam & bonum optat.Tertio Tēpus dupliciter considerari potest, vel secundum solam sibi propriam facultatem, vel secundum facultatem agentis ei iunctam; per propriam facultatem, & conditionem euertit; per facultatem agentis præsertim generat.His addo Tempus dupliciter posse considerari;primo consideratione Academicorum,secundo consideratione Peripatetica. Academici tempus considerauit cum relatione ad æternitatem, cuius aiunt esse *Solutio.* *Prima distinctio.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

imaginem: hinc Plotinus En. 3. lib. 7. ait tempus non esse mensuram corporei motus, nec aliquid motum sequens, sed esse perseuerantiam quandam in mutationibus animæ Mundi, æmulam æternitatis, & esse actum animæ, motu quodam transitorio ex alia vita in aliam perpetuo procedentem, ac ita esse imaginem mobilem immobilis æui, secundum quam considerationem, vt æmulum æternitatis, dicitur causa conseruationis rerum, vt tamen ab æternitate secernitur, dicitur iunctum cum varietate. At dum consideratur consideratione Peripatetica, secus se habet, vt prius patefeci. Simplicius tamen in quarto Physic. exponens cont. 107. nititur suo more Aristotelem cũ Platone conciliare, quem missum facio. Ex his eliciuntur solutiones aduersarum rationum: Dicebatur primo Tempus detegere veritatem, & eo multa perfici: respondeo hæc fieri virtute & cura agentium, non tamen sine tempore; at neglecta cura & remota facultate agentium per propriam Temporis conditionem scientiæ obliuioni traduntur, & res ad interitum tendunt. Addebatur tempus præsertim eius esse causam, quod optatur ab agente, & est per se terminus motus. Respondeo hoc esse verum per relationem eius ad institutum agentis, at non per propriam conditionẽ motus & temporis, quæ est remouere quod adest. Instabatur insuper, quia Tempus manat ex æternitate & pendet ex bono, quare per se in bonum ducit. Hinc Plutarchus Pindarum commendauit existimantem tempus esse aliquid diuinum. Respondeo hęc esse vera de tempore per relationem ad institutũ agentis, & quatenus est imago quædam ęternitatis; At quia per suam propriam conditionem ab æternitate degenerat, & varietatem ac fluxum addit, vt ab ea recedit, secum defert interitum, & obliuionem; & recte de eo dicitur,

*Obliuiosum cuncta sed tempus vorat.*

## *De Anno.* *Cap. XVII.*

Declarato Tempore, superest agendum de partibus eius; Sententia est Platonis in Timæo Dies, noctes, Menses, & annos esse partes Temporis, erat vero, & erit esse eius species; Nam diuiditur Tempus in præteritum & futurum, quæ sunt varietates eius, sua conditione distinctæ, & ob id dicuntur species; non tamen sunt proprie species, sed modi quidam varij eius & subordinati: dimittitur præsens, quia non est tempus, sed instans nectens præteritum cum futuro; & cum Tempus sit fluxus quidam, vt sit, non exposcit præsentiam partium, sed solam connexionem per instans, & præsens. Annus, mensis, & similia dicuntur partes, quia magis consimilitudinem includunt, & solum addunt mensuram quandam, quæ ad partes pertinet; nec etiam sunt proprie partes Temporis, vt infinitum est, quia pars debet esse apta aliquoties sumpta constituere totum, & id modo aliquo mensurare, quod infinito competere non potest: dicuntur tamen partes per relationẽ ad nos, qui terminata & distincta tempora consideramus, eisque varia tribuimus principia. Partes huiusmodi variæ sunt, quarum præcipua dicitur Annus, de qua primo agendum. Annus est duplex, vnus vniuersi, qui dicitur annus magnus, Mundanus, & vertens; Alter particularis & proprius. Annus magnus est reuolutio orbium Cæli & reditus in eandem dispositionem, in qua primo fuerunt: De hoc anno magno loquens Cicero in lib. de somnio scipionis inquit Homines populariter annum tantummodo solis, idest vnius astri reditu metiuntur; re autẽ ipsa, cum ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cæli descriptionem longis interuallis retulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest. De eodem loquens Plato in Timæo ait, Est tamen intellectu facile, quod perfectus numerus Temporis, perfectum tunc demum compleat annũ, cum octo ambitus confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem, similiterque procedens metitur, ad

*Species temporis.*

*Partes temporis.*

*Annus duplex.*

*Annus magnus.*

tur,ad idem se caput retulerint. Insuper de eodem mentionem facit in lib. de Regno inquiens vniuersum hoc aliàs Deus ipse regit, agitat, atque rotat, alias vero dimittit,cum Mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleuerunt. In Phædro etiam subindicans annum magnum hæc verba profert, in idem vnde profecta est, cuiusque anima annis decem milibus non reuertitur. Ex sententia Empedoclis annus magnus est æuum, & definita periodus singulorum Mundorum, vel litis, vel amicitiæ, quos sibi mutuo succedere, ac inuicem definitis temporum mensuris reciprocari existimauit. Ex opinione autem Heracliti, & Stoicorum annus magnus est mora & conseruatio Mundi ab eius ex igne ortu,ad eiusdem in ignem conuersionem; quam mutuam Mundi & ignis reciprocationem definitis temporum mensuris fieri existimauit. De longitudine, & mensura anni magni opiniones sunt variæ; Ex opinione Empedoclis, & Heracliti nil certi hac de re dicere valemus; Ex opinione autem eorum Astronomorum, qui putarunt octauam sphæram reuolui tempore quadraginta & nouem millium annorum solis, annus magnus est illa periodus quadragintanouē milliū annorū: Qui vero putarunt octauam sphæram singulis centū annis decurrere gradum vnum, inquiunt annum magnum esse triginta sex milliū annorū. Macrobius in lib. de somnio Scip. inquit Annus magnus qui Mundanus vocatur,seu vertens, ex Physicorum sententia est quindecim milium annorum. Franciscus Cataneus Diacetius vnam scribit Epistolam, in qua nititur ostendere annum magnum ex sententia Platonis esse duodecim milliū annorū. Marsilius Ficinus in sua Platonica Theologia lib.4. cap. 2. ait, Zoroaster iisdem aliquando causis omninò redeuntibus, eosdem similiter effectus reuerti putat;qua ratione tam ipse,quam alii multi successores eius,humanorum corporum resurrectionem confirmarunt. Circuitus autem vniuersi interuallū annis solaribus sex & triginta millibus expleri voluere Platonici,quē magnum & mundanum appellant annum; huius finem Mercurius anni senium appellat: Plato vero in lib. de Regno Mundi restitutionem. Idem Ficinus in 10. de Rep. Platonis, distinguit annum magnum Mundi, ab anno magno animarum inquiens annum magnum animarum ex sententia Platonis esse duodecim milium annorum solis, ex tribus autem eiusmodi annis confici annum magnum Mundi, quo Mundi anima motu firmamenti suum absoluit ambitum. De anno magno animarum in sexto Aeneidos ex sententia Platonis hæc protulit Vergilius.

*Empedocles* · *Heraclitus* · *Astronomi.* · *Macrobius.* · *Diacetius.* · *Marsilius Ficinus.* · *Vergilius.*

*Donec longa dies perfecto temporis orbe*
*Concretam exemit labem, purumq; reliquit*
*Aethereum sensum, atque aurai simplicis ignem.*
*Has omnes vbi mille rotam voluere per annos*
*Lethaeum ad fluuium Deus euocat agmine magno,*
*Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant*
*Rursus & incipiant in corpora velle reuerti,&c.*

Et quemadmodum secantur anni solares in hiemem & æstatem, ita aiunt Stoici, & multi cum eis annum magnum diuidi in orbis Terrarum inundationē tanquam hiemem,& conflagrationem tanquam æstatem. Ex sententia nostrorum Theologorum vniuersa Mundi conseruatio potest dici annus magnus, cui ætates tribuunt; Ex sententia Albumasaris, & quorundam Astronomorum hic annus magnus eius est facultatis, vt in eius recursu cum cæli & stellarum constitutiones redeant eædem,consimiliter effecta eadem redibunt, adeo vt hæc ex Cœlo pendentia & sub cælo posita eadem numero reuertantur. Hæc sunt potiora eorum, quæ a viris doctis de anno magno dicuntur.

## *De Anno magno sententia propria.* Cap. XVIII.

*Prima conclusio.* DE re apprime ardua varia probabiliter protulerunt viri sapientes; qua de re vt breuibus & distinctè dicam quod sentio, decem profero tanquam Theses. Dico primo si pro constitutione anni magni consideramus cum Empedocle, Heraclito, & Stoicis reciprocationes, & subordinatas regenerationes Mundorum; annus magnus est inane commentum, vt inanis est ea vel mundorum Empedoclis, vel Mundi & ignis reciprocatio Stoicorum: *Secunda.* Dico secundo si pro constitutione eiusdem consideramus descensum, & ascensum animarum certo numero definitarum, per sphæras Mundi, & transitum earum per varia distinctorum animalium corpora gratia purgationis, quæ considerauit Plato in Phædro & alibi, ea erit opinio Academica ex Pythagora defluxa, absolute autem cū vero pugnans, & varia includens mendacia, vt definitum numerum animarum, transitum per corpora distinctorum animalium, moram per mille annos in singulis sphæris, & alia huiusmodi: *Tertia.* Addo tertio, quod si etiam Platonem sequeremur, non cogimur dicere annum magnum animarum esse duodecim millium annorum, quia in singulis duodecim sphærarum, octo Cœli, quatuor Elementorum morentur per mille annos, quoniam sphæræ cœli repertæ sunt plures quàm octo; insuper pro reditu in octauam sphæram non est numerandum tempus, quo mox animæ morantur in ea, nec tempus quo ante recessum manserunt in Terris. Hinc Plato in Phædro, cuius verba retuli, solum mentionem facit de decem millibus annis; & iure nam Plato Pythagoram sequitur, ex cuius sententia numerus denarius est completus, & maximus. Cæteri autem numeri sunt multiplicationes eius: *Quarta.* Dico quarto sententiam doctissimi Ficini de anno magno animarū, quod ex opinione Platonis sit duodecim milliū annorū & annus magnus Mundi sit trigintasex millium annorum, quia eo tempore octaua sphæra absoluat reuolutionem suam, conspicuè pugnare cum sententia Platonis; quoniam Plato, vt etiam Aristoteles putauit octauam sphæram esse primum mobile, & solum moueri motu diurno, non autem tempore trigintasex millium annorum, vt mox nonnulli astronomi existimarunt; hinc Plato in Timæo pro anno magno non cōsiderauit solam firmamenti reuolutionem, sed vniuersum cursum octo sphærarum; adeo vt in eandem constitutionem & mutuum aspectum reuerterentur; immo dixit octauam *Quinta.* sphæram motu suo nempe diurno mensurare motus aliarum sphærarum: Addo quinto hunc annum magnum, constitutum per motum proprium octauæ sphæræ, distinctum a motu diurno, similiter pugnare cum opinione Aristotelis, qui octauam sphæram vnà cum Eudoxo, & Calippo solum motu diurno moueri putauit: *Sexta.* Dico sexto si per annum magnum, intelligimus reditum octo sphærarum Cœli in eandem, a qua primo recesserunt, constitutionem, & aspectum, vt asserit Plato in Timæo, illa consimilis constitutio, & in eam reditus est quid inane, vt conspicuis rationibus ostenditur ab Haly in expositione primi libri apotelesmatum, per fundamenta Ptolemęi, & a Nicolao Orem viro docto in tractatu de proportionibus proportionum: *Septima.* Addo septimo concesso eo definito tempore dari reditum in consimilem pœnitus cœlorum constitutionem, non ob id eadem numero effecta sub cœlo reuersura; quia per naturam, quod est corruptum non valet idem numero refici: mitto rationes alias, & præsertim quia pro eiusdem numero regeneratione, non sat est eadem numero communis causa, *Octaua.* sed etiam requiritur vt principia propria, & tempus eadem numero sint. Assero octauo eam distinctionem anni magni animarum, ab anno magno Mundi necessitate carere, & rationi non esse consentaneā; cum enim animæ sint principales formæ, Mundi ordinem seruantes, eique respōdentes, rationi consonum videtur quod vt se habet de vno, ita se habeat de altero; Hinc Aristoteles in calce secundi de Ortu & Interitu recursum & reditum asserit solum fieri posse ad eadem specie, non autem numero.

Nono

Nono dico annum magnum magna ex parte etsi cōmentum quoddam & nullo constanti niti fundamento, solum autē concedi posse sentiendo cum recentioribus Astronomis octauam sphæram non esse primum mobile,& moueri, motu proprio, non diurno,sed tardissimo,& ita asserendo annum magnum esse tempus, quo suam reuolutionem absoluit,quod a varijs varium dicitur. Demum addo ea, quæ præsertim Physicos nonnullos & Astronomos excitarunt ad anni magni cogitationem, præsertim sex fuisse, Primo consideratio temporis proprij cursus octauæ sphæræ, ignoti vetustioribus Astronomis; Secundo consolatio mortalium optantium in hoc mundo seruari, vel saltem in eum redire; Tertio vt in infinito Mundi cursu ordo aliquis refulgeret; Quarto inanis imaginatio quorundam Academicorum statuentium definitum numerum animarum; & earum ascensum & descensum pro æterna Mundi conseruatione; Quinto opinio quod Cœli post varias reuolutiones in eandem constitutionem & mutuum aspectum redeant; Sexto, quia veritas resurrectionis nostræ in die iudicij diuinitus nobis reuelata,latēter animos excitauit ad simile aliquid excogitandum,& cum verum exacte non valuerint inspicere,vmbram quandam tenuem inspexere. *Nona.* *Decima.*

## *De Anno communi siue Solis.* *Cap.* XIX.

DECLARATO Anno magno,declarandus superest annus communis, qui relatus ad illum paruus nuncupatur:pro cuius notitia considerandum, quod annus particularis late sumptus dici potest quælibet reuolutio cuiuslibet Planetæ, vt distinguitur a die constituto per cursum primi mobilis; ita datur annus Iouis, annus Saturni, & sic de cæteris planetis. Hinc Lactantius in secundo suarum institutionum inquit Chaldæos, & Arabes pro annis mēses numerasse,qui dici possunt anni Lunares: Similiter Virgilius in 3. Aeneidos annum Solis relatum ad eum Lunæ nuncupauit magnum inquiens *Lactantius.*

*Interea magnum Sol circumuoluitur annum.*

Magis proprie tamen annus dicitur ille,qui proprio Solis motu constituitur, redeundo ab eodem ad idem, & nuncupatur annus Ciuilis, cuius principium esse potest recessus a quouis gradu cœli, finis vero reditus ad eundem; proprie tamen principium secundum naturam distinctum sumitur a punctis vel Solstitiorū vel æquinoctiorum; ideo ea a Ptolemæo nuncupantur puncta restitutionis, quæ cum sint quatuor, inde ortum duxere opiniones quatuor de Principio anni; nā ex sententia Ptolemæi, principium anni est indefinitum,& peti potest a quouis quatuor punctorū principalium. Ex sententia autem Aegyptiorum nec non Atheniensium sumitur initium a Solstitio æstiuo,quos sequitur Plato in lib.de Legibus. Ex sententia Romanorum,vt etiam ex sententia nostrorum Theologorum ex Solstitio hiberno, in quo ortus est Christus dominus noster. Ex sententia Astronomorum Poetarum, & populari ex æquinoctio Veris,de quo Vergilius. *De principio anni.* *Ptolemæus.* *Aegyptij.* *Plato.* *Romani.*

*Non alios prima crescentis origine Mundi*
*Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem*
*Crediderim, Ver illud erat, Ver magnus agebat*
*Orbis, &c.*

Plurimi quoque Hebræorum ex eo puncto sumunt principium anni, & creationis Mundi; quod etiam ex vera sententia fuit principium redemptionis humani generis: Ex opinione tamen aliorum Hebræorum. Mundi creatio fuit tempore Autumni, & æquinoctij autumnalis; nam legitur in Genesi Germinet Terra herbam virentem, & facientem semen,& lignum pomiferum faciens fructum; id autem est tēpore Autumni,cuncta enim a Deo creata fuerunt perfecta,perfectum est viuens, dum valet generare simile: Hinc in Exodo de mense Martio legitur; Hic mensis sit vobis primus in *Hebræi.*

anno,

anno, indicando prius ob tempus creationis Mundi, Martium non fuisse primū. Apud nonnullos ob conspicuam quatuor temporum anni varietatem; vnumquodq; eorum temporum dicebatur annus; nam de longitudine solaris anni variæ fuere sententiæ. Apud vetustiores Romanos erat decem mensium Lunarium, de quo Ouidius.

*Annus erat decimum quum Luna receperat Orbem,*
*Hic numerus magno tunc in honore fuit;*
*Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,*
*Seu quia bis quino fœmina mense parit;*
*Seu quod ad vsque decem numero crescente, venitque*
*Principium spatijs sumitur inde nouis, &c.*

Insuper de eodem anno loquens ait

*Tempora digereret cum conditor Vrbis in anno*
*Constituit menses quinque bis esse suo;*
*Scilicet arma magis, quàm Sydera Romule noras,*
*Curaque finitimos vincere maior erat:*
*Est tamen & ratio Cæsar qua mouerit illum,*
*Erroremque suum quo tueatur habet.*
*Quod satis est vtero matris dum prodeat infans,*
*Hoc anno statuit temporis esse satis. &c.*

*Numa Pōpilius.* Auctus mox a nonnullis aliquantulum fuit annus, & redditus fuit tercentum & quatuor dierum; Quibus successit Numa Pompilius, qui addidit dies quinquaginta, adeo vt ex diebus 354. annus constaret; & diebus his quinquaginta ab eo additus alios sex adiecit ablatos a sex mensibus, qui ex triginta diebus constabant, quos quinquaginta & sex dies in menses duos pari sectione diuisit, & alterum, quem primum esse voluit, Ianuarium nuncupauit, Alterum Februo Deo dicauit, quem præesse lustrationibus ferunt; Mox exacte inspecta imperfectione anni, quia dictis 354. diebus reuolutio Solis non absoluitur, auctus fuit vsque ad 365. dies, Sol enim tempore 365. dierum & sex horarum fere reuolutionem complet; quas ferè sex horas, neglexerunt: & cursu temporis conspicuus cœpit apparere error, quem I. Cæsar cupiens emendare, Sosigene ad hoc adhibito vt refert Plinius lib. 18. cap. 25. Sanciuit vt quarto quoque anno dies vnus per vniuersum intercalaretur, quem bisextum, quasi bis sextum nuncuparunt, quia singulis annis quaternis, bis circa Februarij finē sexto Kal. Martias scribere consueuerunt, de quo Ouidius 3. Fastorum. *I. Cæsar.*

*Ille moras Solis, quibus in sua signa rediret*
*Traditur exactis disposuisse notis;*
*Is decies senos tercentum & quinque diebus*
*Iunxit, & è pleno tempora quarta die.*

Hoc olim facere consueuere solemniter & publice conuocato Populo. Et cum post I. Cæsarem hic intercalandi mos obliterari cœpisset, Cæsar Augustus denuo iussit obseruari: Verum in eo quadrantis additamento inuentus est error, quia plus additur, quam addi debeat: Ideo Alfonsus Rex Hispaniæ pro quarta illa die, quinque dumtaxat horas cum 49. ferè minutis parum ab Alphagrano dissentiens credidit singulis annis esse addendas, adeo vt singulis quatuor annis minuta 44. redundantia intercalarentur, quæ cursu. 130. annorum ferè errorem vnius diei constituunt, adeo vt progressu temporis error conspicuus refulgeat, qui varietatē parit pro inuenienda Luna Martij, & celebrando festo Paschali decimaquarta die primi mensis, vt præcipitur in Exodo; A Dionysio Abbate constitutum fuit æquinoctium 21. Martij, & id mox seruatū est vsque ad nostra tempora, sed quoniam cursu temporis ob errorem intercalationis æquinoctium Veris præcessit, hinc ordine Gregorij XIII. Pont. Max. pro remouendo magna ex parte errore decurso dempti sunt dies decem. Hebræi non vtuntur eo intercalationis ordine, sed pro anni constitutione numerantes cursus Lunæ, vtuntur

tur

tur intercalatione vnius Lunationis. Demum considerandum ex sententia recentiorum Astronomorum Zodiacum & lineam Eclypticam in eius medio collocatam, per cuius intersectionem cum æquatore, ea quatuor principalia puncta constituuntur, esse duplicem; nam consideratur Eclyptica in octaua sphæra, quæ aliquantulum est mobilis per proprium motum eius sphæræ, distinctum a diurno; insuper consideratur in sphæra nona, & primo mobili, quæ inuariabilis est penitus, cum id mobile solum motu diurno moueatur. Hinc oritur annus duplex, vnus verus, & est reditus ad punctum intersectionis, vel solstitij in nona sphæra; alter apparens; & est reditus ad idem punctum apparens in sphæra octaua. *Annus verus & apparens.*

## De Mense. Cap. XX.

MEnsis est principalis quædam portio anni, qui duplex est, vnus Naturalis, alter Ciuilis. Mensis Ciuilis est definitus numerus dierum, quem homines gratia vsus, & distinctionis partium anni obseruare consueuere; ita mensium alij ex viginti octo, alij ex triginta, alij ex vno supra triginta diebus constant; & Martius apud Albanos ex triginta sex diebus constabat. Mensis naturalis adhuc est duplex vnus Solis, alter Lunæ; Mensis Solis est duodecima anni pars, quia Sol suo motu duodecimam Zodiaci partem decurrit, qui menses æquales sunt. Mensis Lunæ est triplex, vnus peragrationis, alter coniunctionis, tertius conspicuæ visionis. Mensis peragrationis Lunæ est id tempus, quo Luna suo motu decurrit vnum signorum Zodiaci; qui etiam annus Lunaris dicitur; & id efficit tempore viginti septem dierum cum tertia alterius parte ferè. Mensis coniunctionis in veteri testamento seruatus, qui etiam Lunatio dicitur, est id tempus, quod inter vnam Lunæ cum Sole coniunctionem, & sequentem intercipitur, & est tempus 29. dierum & duodecim horarum fere; & variari potest aliquantulum ob ecentricitatem orbis Lunæ, vt aiunt Astronomi; Mensis conspicuæ visionis, est id tempus, quo Luna conspici potest medians inter duas cum Sole coniunctiones; qui mensis minor est mense coniunctionis, ob tempus quo Luna Soli proxima inspici non potest, & est trium fere dierum & aliquando minus: Ex quo constat mensem conspicuæ visionis, minorem esse mense peragrationis, & mensem peragrationis minorem esse mense coniunctionis, & mensem coniunctionis sæpe minorem esse mense Ciuili; dico sæpe ob Februarium. Nomina Latina Mensium hæc sunt; Ianuarius a Iano bifronte, quia est principium & finis anni; Februarius Neptuno sacer; Februa dicuntur quæcunque purgamenti causa; sacrificijs adhibebantur; Martius a Marte genitore Romuli: Aprilis ab aperiendo,

*Mensis Ciuilis.* *Mensis naturalis duplex.* *Mensis Lunæ triplex.* *Nomina Mensium.*

*Candidus auratis aperit dum cornibus annum,*
*Taurus, &c.*

Vel quasi aphrilis a spuma, quam Græci ἀφρὸν vocant, ex qua fertur ortam Venerem matrem Aeneæ; Maius vel a Maia, vel a maioribus dictus, quorum consilio Respublica administrabatur; Iunius vel a Iunone, vel a iunioribus, qui rem armis gerebant, vel (vt alij putant) a Iuuenta Dea vxore Herculis, Hebe a Græcis dicta; Iulius ante Quintilis, quia quintus esset, postea ita nuncupatus in honorem Iulij Cæsaris; Augustus, primo Sextilis in honorem Augusti, ex Senatus consulto ita denominatus: Septēber, October, Nouember, December ob sequentium principum Tyrannidem prisca nomina seruarunt.

De

## De die. Cap. XXI.

Dies nomen vsurpatur dupliciter; nonnunquam late pro quouis proprio cursu alicuius orbis; ita Mensis dici potest dies Lunæ, vt etiam annus magnus a Vergilio, dictus fuit dies.

*Donec longa dies perfecto temporis orbe, &c.*

At magis proprie dies est integra primi mobilis reuolutio, quæ vigintiquatuor horis absoluitur; & quoniam huiusmodi cursus in Sole est magis conspicuus, ideo populariter pro constituendo die Solem inspicimus. *Diuisio diei* Diuiditur dies in Ciuilem, quem artificialem appellant, & Physicum: Dies ciuilis est mora solis supra Horizontem, cui nox opponitur: huius diei principium est, dum cẽtrum Solis fuerit in oriente; finis dum fuerit in occasu. Dies Physicus est integra reuolutio primi mobilis, & cõsideratus in Sole apud eos, quibus quotidie Sol oritur & occidit, est conflatus ex die & nocte; ita legitur in Genesi, & factus est vespere & mane dies vnus; dixi quibus quotidie Sol oritur, & occidit, quoniã degentibus sub Polis, Sol per continuatos sex menses reuoluitur supra Horizõtem, & per sequentes sex sub horizonte; adeo vt dies Physici, vel sint omnino tenebricosi, vel omni ex parte lucidi; & annus totus quamuis constet ex multis diebus Physicis, tamen dici modo aliquo potest dies vnus Physicus. *Astronomi.* Apud Astronomos trium dierum naturaliũ sermo est, veri, medii, & æquati. Dies verus constituitur per verum motum solis; Dies medius attenditur penes lineam & motum medium eius; dies æquatus, redditus est omnino æqualis; Nam dies vel consideratur vt constituitur per primum mobile, & ita semper est æqualis; vel consideratur vt constituitur per Solem, motum motu diurno; & inde oritur ea distinctio trium dierum veri, medij, & æquati; nam & dies artificiales, & dies naturales cõstituti per solem, inæquales sunt. *Dies artificiosi inæquales.* Dies artificiosus & ciuilis, qui est mora Solis supra horizontem conspicue est inæqualis, & eo est inæqualior, quo constituitur in partibus Terræ ab æquatore distantioribus; eius inæqualitas oritur ex obliquitate horizontis secantis resolutiones diurnas solis in partes inæquales, præter quam dum sol reperitur in punctis æquinoctiorum. *Dies naturales inæquales.* Dies naturales quamuis sensu iudicentur æquales, tamẽ alicuius inæqualitatis sunt participes ob tres causas; prima & præcipua est obliquitas Zodiaci, ob quam modo directe & tarde, modo oblique & cito portio Eclypticæ eleuatur, vel descendit, quam sol suo proprio motu in oppositum pertransiuit; quam solam inæqualitatis causam affert Plinius lib. 2. Altera causa, quæ affertur a Ptolemæo lib. 3. Almag. est eccentricitas Solis; cum enim sol ob Eccentricum suum orbem aliquando sit in Auge, aliquando in opposito, & aliquando in Lõgitudinibus mediis, ideo proprio eius motui aliquando maior, aliquando minor Eclypticæ portio respondet; maior dum est in opposito, & inde oritur dies aliquanto longior; minor dum fuerit in auge, vt tempore æstiuo, & inde oritur dies Naturalis aliquanto breuior. Tertia causa est obliquitas horizontis, ob quam Zodiaci portiones decursæ a Sole motu proprio modo citius, modo tardius eleuantur & occumbunt: hæc tamen non est causa principalis, quia ex se sola non id efficeret, sed iuncta causæ primæ modo auget, modo minuit inæqualitatem. Insuper non est causa firma, & certa, sed apud varios varia; præterea ea causa vitatur, si sumitur initium diei vel a meridie, vel a linea mediæ noctis; hinc Ptolemæus eam prætermisit. *Dies verus* Dies verus constitutus per verum diurnum motum solis, ob singulas tres causas est inæqualis. Dies medius constitutus per lineam & motum medium solum est inæqualis ob Zodiaci obliquitatem; dies æquatus omnino redditus est æqualis: at hæc ad Theoricas Planetarum pertinẽt. *Principium dierum naturalium.* Demum considerandum quod principium dierum naturalium apud varios varium constituitur; nam Babylonij, referente Varrone, initium sumebant ab ortu solis, quod etiã seruat Romana Ecclesia; Hebræi ab occasu sequentes Genesim, in qua nox

diei

diei præfertur,& factus legitur vespere,& mane dies vnus; ordine enim originis & generationis priuatio antecedit, quam nox denotat, & seruatur in Genesi; at pro humani generis recuperatione,ortus solis,nempe Christi domini nostri antecedit; Romani initium sumunt a linea mediæ noctis,quod etiam seruant Iuris prudentes; Vmbri,Arabes & Astronomi a meridie, ac ita vitant inæqualitatem dierum ex obliquitate horizontis prodeuntem. Ex numero septem dierum consurgit Hebdomas; pro cuius notitia considerandum quod Hebdomas vsurpatur vel proprie, vel late; proprie sumpta est numerus septem dierum numero septem Planetarum respondens, ex numero dierum creationis Mundi depromptus; nam ortum duxit obseruatio Hebdomadis primo ex Mundi creatione, nam die septimo quieuit Deus; secundo a numero Planetarum, quorum singuli singulis primis horis septem dierum præesse dicuntur; Tertio ex conditionibus & affectionibus numeri septenarij, qui dicitur numerus Criticus.Denominantur dies Hebdomadis a Christicolis per ferias dicendo prima,secunda,tertia feria vsque ad septimam; ab Hebræis per sabbatha addẽdo numerum prima sabbathi,secũda sabbathi,&c. a Gentilibus nomine alicuius semptem Planetarum,vt populariter seruatur. Hebdomas late sumpta extenditur & ad annos vt Hebdomades annorum & anni Hebdomatici & κλιμακτηρικοὶ illi dicuntur, qui septenario mensurantur, & præsertim annus sexagesimus tertius; insuper extenditur ad ægritudines,hinc dies septimus febrium Hebdomaticus & iudiciarius dicitur. *Hebdomas.*

## *De Hora.* *Cap. XXII.*

QVEMADMODVM annus in menses, mensis in Hebdomadas, Hebdomas in dies, ita dies in horas,& Hora in minuta resoluitur. Horæ nomen multipliciter vsurpatur apud Romanos.Hora Dea fuit vxor Quirini,de qua Ennius. *Ennius.*

*Teq́, Quirine pater, veneror, Horamq́, Quirini, &c.*

Apud nonnullos Horæ dicuntur eædem cum Gratiis,& per Horas intelligunt quatuor anni tempora,Hiemen,Ver,Æstatem,& Autumnum,quæ dici possunt gratiæ,& Apollinis asseclæ,quatenus Sol quatuor anni temporibus munera sua in mundũ mortalem effundit; in qua significatione,non tres,sed quatuor sunt gratiæ,coronatæ floribus vt Ver, spicis Aestas,vuis Autumnus, oliuis Hyems; Hinc apud veteres pingebatur Apollo gestans dextera has Horas;& Homerus inquit eas præesse portis Cœli,curamque habere vt Cęlum modo serenum, modo madidum sit; & Horatius de Ioue loquens ait. *Quatuor Gratiæ.*

*Variisque Mundum,*
*Temperat Horis.*

Et Ouidius primo Fastorum

*Præsidio foribus cæli, cum mitibus Horis,&c.*

Quatuor principalia Cæli puncta per metaphoram dicuntur portæ, quatenus per ea ex sententia Astronomorum designantur principia quatuor temporũ anni; In hac significatione sumpsit Plato in Cratilo nomen Horæ, inquiens ὧραι, idest veris Tempora,Prisca,& attica voce dicenda sunt,si vis quod conueniens est cognoscere;Horæ namque vocantur quia ὁρίζουσι, idest terminant Hyemem, atque Aestatem,ventosq; & fructus ex Terra nascentes &c. Referente tamen Macrobio, Hora dicta est ab Horo,quo nomine Aegyptij Apollinem vocabant; alij aiunt dictam esse ab ὠρεύειν quod est custodire. Insuper vsurpatur Horæ nomen pro ministris custodientibus equos Apollinis,& dicuntur decem,quarum nomina prætereo,de quibus Ouidius.

*Iungere equos Titam, velocibus imperat Horis.*

At Hora in ciusmodi significationibus ad rem non facit; ideo vsurpatur Hora pro parte quadam diei; & quemadmodum dies dictus est duplex,vnus Physicus, alter ciuilis,ita

*Duplices horæ.* lis, ita duplices sunt Horæ, quædam æquatoris, & hæ sunt æquales, quibus diem Physicum in vigintiquatuor Horas secamus, & est tempus eleuationis quindecim graduũ æquatoris supra Horizontem, vel tempus quò punctum quoduis æquatoris per quindecim gradus à linea verticis cuiuslibet regionis recedit; Aliæ sunt Horæ Zodiaci, & sunt eleuatio quindecim graduũ Zodiaci; & quia hoc nõ accidit in omni regione, ideo rectius describuntur dicendo, quod sunt tempus, quo punctum quoduis Zodiaci, per quindecim gradus à linea verticis motu primi mobilis recedit; & quoniam Zodiacus ob suam obliquitatem non eodem modo semper secat vel horizontem, vel lineam meridiei, inde oritur inæqualitas huiusmodi Horarum; Et quoniam singulis diebus ciuilibus ascendunt supra horizontem sex signa, vt etiam singulis noctibus, inde oritur vt singuli dies, & noctes in duodecim horas distribuantur, & dicitur, non ne duodecim horæ sunt diei? de his sermo est in Euangelio, dum operarij vocati ad vineam horã vndecima, & per vnicam horam laborarunt, æqualem illis recepere mercedem, qui laborarunt tota die. Fertur etiam veteres ob duodecim signa Zodiaci secasse diem Physicum in duodecim tantum horas. *Dubitatio.* Dubium tamen est an horæ Zodiaci vnius diei Artificialis sint inuicem æquales, nam si sunt eleuatio quindecim graduum Zodiaci, quia ea non est æqualis, æquales non erunt: ex aduerso alij aiunt esse æquales, & esse duodecimas æquales partes vnius diei Artificialis. *Solutio.* Dicendum puto huiusmodi horas ex natura & propria conditione earum non esse æquales, at secundum vsum popularem & obseruationem earum statuuntur æquales; non enim sensu constat, dum portiones Zodiaci quindecim graduum incipiunt, & desinunt eleuari.

## *De Olympiade. Cap. XXIII.*

CONSENTIVNT omnes ex Ludis Olympicis Olympiadis nomen fuisse deductum; Ludi Olympici vetustissimi sunt, nam etiam ante dirutam Troiam erant in vsu, & erant sacri Ioui Olympico, qui in Elide, magno vniuersæ græciæ cõcursu singulis quinq; annis celebrabãtur; aiunt ab Atreo huiusmodi Ludos fuisse institutos, cum Pelopi Patri funebres Ludos efficeret, in quibus aiunt Herculem omni genere certaminis fuisse victorem; celebrabantur huiusmodi Ludi circa Solstitiũ æstiuũ, & inde initium summunt Olympiades; nam apud Athenienses id erat initium anni, vt dixi in præcedentibus; & quãuis institutio eorum Ludorum Troiam captam antecesserit, vsus tamen numerandi tẽpus per Olympiades, initium sumpsit post Troiam captam quadringentis quinq; annis ferè, inter Troiam captã & Romam conditam aiunt mediasse annos quadringentos triginta duos ferè; Romam enim conditam aiunt anno primo septimæ Olympiadis. *Prima Olympias.* Cœpit numerari prima Olympias Iphito Elio certamen Olympicum iam pridem intermissum renouante, in cuius initio aiunt obijsse Hesiodum. Hi ludi celebrabantur singulis quinque annis, adeo vt inter eos quatuor anni mediarent; hinc nuncupatur spatium quinquennale, non quia sit quinque annorum, sed quia progrediatur ex quinto in quintum, vt tertiana ex tertio in tertium, quartana ex quarto in quartum. *Lustrum.* Olympias a Latinis dicitur Lustrum a Luendo, hoc est soluendo, quod quinto quoque anno vectigalia & tributa soluebantur, & Vrbs purgabatur, quæ purgatio etiam dicebatur Lustrum. Quaternarij intermediorum annorum numeri rationem nonnulli purãt sumptam fuisse ex tempore intercalationis annorum; nam inter duas intercalationes, quatuor mediant anni; at intercalatio non adeo est antiqua, vt eorum Ludorum institutio; ideo alij aiunt fuisse depromptam ex numero quatuor fratrum Herculis, quibus Hercules natu maior huiusmodi certamen proposuit. Est itaq; Olympias tempus quatuor annorum Solis, ab æstiuo Solstitio initium sumens ab Olympicis Ludis nomen & terminos recipiens pro temporum supputatione conducens.

*De terminis Temporis.* *Cap. XXIIII.*

VARIAE sunt voces denotantes terminos temporis, vel ad tempus modo aliquo pertinẽtes, vt nunc, momentum, pręsens, instans, aliquando, iam, nuper, repente, olim & similes, de quibus Arist. in 4. Phy. loquẽs de tempore verba facit; de quibus ego quoque breuibus & lucide aliquid dicam: primo reperitur nunc, græcè νῦν, quod etiam dicitur præsens, *Nunc.* græcè παρὸν, quæ vox vsurpatur dupliciter, vel proprie, & denotat terminum indiuisibilem, finem præteriti temporis, & principium futuri; vel late, & denotat tempus exiguum quod per sensum vix diuidi potest, includens terminum indiuisibilem pręsentẽ, vt docet Arist. in 4. Physi. 122. Ex quo constat solutio eius difficultatis, quæ est an detur tempus præsens; nam si vsurpatur nunc & præsens in prima significatione, non est *An detur tempus præsens.* tempus, sed solum terminus; in secunda vero, est tempus. Instans dum proprie vsurpatur, idem denotat, quod præsens & nunc, ideo Cicero quarto Tusculanarum dixit, *Instans.* quæ venientia metuuntur, eadem efficiunt ægritudinem instantia; vsurpatur tamen aliquando late, pro quouis indiuisibili termino temporis, etiam si non fuerit præsens; vt dũ dicimus, grauia in inani descenderent in instanti, & Lumen in instãti effunditur. Momentum denotat quemlibet indiuisibilem terminum temporis, siue præsentem, si- *Momentũ.* ue præteritum, siue futurum, vt momento radij Solis effunduntur per Hemisphærium; momentum tamen maxime dicitur de termino motus, quasi mutatum; sed quia motus & tempus iuncta sunt, ideo dicitur de vtrisque; Et animaduertendum quod momentum, siue instans, diuiditur in instans temporis, & Naturę, vt elicitur ex 8. Phy. 65. *Duplex instans.* nam frequenter instans relatum ad tempus continuum vnum est, relatum vero ad distinctas rerum naturas, quæ in eo instanti desinunt, & incipiunt, ob earum varietatem dicunt duo; est enim vnum absolute, duo vero ratione & relatione, vt se habet de pũcto axis meantis per intimam cœli superficiem, & extimam ignis; id enim punctum consideratum in linea continua est vnum, consideratum vero vt iunctum distinctis superficiebus, ob variam earum naturam, dicuntur duo, hoc est vnum numero & fundamento, duo ratione. Aliquando, græcè ποτὲ denotat terminum aliquem, siue par- *Aliquãdo.* tem temporis distantem a præsenti, siue fuerit præterita, siue futura; ita dicimus aliquando fuisse, vel fore aliquid. Iam græce ἤδη denotat terminum temporis vel præ- *Iam.* teriti, vel futuri, parum distantem a præsenti. Nuper græce ἄρτι, solum denotat ter- *Nuper.* minum vel partem temporis præteriti, parum a præsenti distantem, non autem futuri. Olim græce πάλαι, denotat terminum, siue partem temporis præteriti, valde distan- *Olim.* tem, a præsenti, non autem dicitur de futuro, & per hoc distinguitur ab eo quod est aliquando. Repente, siue subito græce ἐξαίφνης denotare potest, tum præteritum, tum *Repente.* præsens, tum futurum, & significat mutationem factã, vel momento, vel tempore exiguo, & secundum sensum indiuisibili; ita dicimus repente nonnulla vel facta, vel fieri, vel fore; & pręsertim vtimur hac voce, dum aliquid ex improuiso fit, & cum aliquo terrore vel admiratione; ita dicimus repente factum de cœlo sonum, repente ad nos descendere fulgura, & ita de similibus.

*De Aeternitate æuo & ætate.* *Cap. XXV.*

CVM tempus ab æternitate fluat, pro exacta temporis notitia, etiam de æternitate, tanquam de eius fonte loquẽdum est: inueniuntur hę voces inuicem affinitate quadam coniunctę, ęternitas, ęuum, ętas, pro quarũ notitia, animaduertendum est, voces has apud Aristotelem, Academicos, & Theologos in varia significatione vsurpari; propterea ego primo sententiam Aristotelis, secundo Academicorum, tertio eam Theologorum distin-

*Aeternitas*
*Aeuum.*
*Aetas.*
&c& breuibus explicare conabor. Vt pertinet ad opinionem Aristotelis animaduertendum primo, eas tres voces idem denotare, denotant enim esse semper; hęc sola est differentia, quia ęternitas, & ętas denotant abstractum, ęuum vero concretum, nam denotat semper ens, cuius abstractum est ęternitas, similiter ętas; ab ęuo enim deducitur ęuitas, quę per syncopem dicitur ætas; & cum voces idem denotent, ideo apud Platonem, Aristotelem & Gręcos interpretes non constituitur inter eas differentia;

*D.Tho.*
quod etiam non latuit D.Tho.& propterea quol.5.Art.7. dixit inscitiam linguę gręcę fuisse causam, vt apud nonnullos æuum ab æternitate distingueretur: cum itaq; idem denotent, & sint mensura quędā, vt clarius refulgeant, consideranda sunt ea, quę mensurantur. Dicebat Damascius pręceptor Simplicij (referente Simplicio in 4.Phy.cap. de tempore) tria esse quę mensurantur, discreta, quę mensurantur numero; positiones corporum & distantias magnitudinum, quæ mensurantur loco; & moram siue conser-

*Simplicius.*
uationem rerum, quæ mensuratur tempore, & æternitate; His Simplicius addit quartum quod mensuratur, & est quantum continuum, quod mensura magnitudinis mensuratur. Aeternitas itaque & tempus moram mensurant; nam rebus tria ordine quo-

*Quinq; mensurabilia.*
dam competunt essentia, existentia, mora, siue conseruatio; hoc tertium tempore & æternitate mensuratur, & quatuor mensurabilibus relatis posset addi quintum, & est latitudo perfectionis, & formæ, quæ per gradus mensurari valet. His præassumptis cum æternitas, æuum, & ætas denotent esse semper, rem esse semper contingit dupliciter, vel absolute, vt Deus, Intelligentiæ, & cœli ex sententia Aristotelis fuere semper; vel in partem pro periodo & cursu vitæ & moræ, sibi per naturam præscripto, vt dicimus Alexandrum semper, hoc est vniuerso suæ vitæ cursu fuisse Fortunatum, &

*Aeuum in parte.*
Socratem semper fuisse temperatum. Ex hac distinctione oritur prima distinctio æternitatis & æui, in æuum vniuersale, & æuum in parte, tradita ab Aristotele in 1.de Cęlo cont. 100. æuum in parte est periodus ac circumscriptio per maximū denotata, includens tempus, quo vnumquodque mortale per naturam est aptum existere & seruari;

*Aeuum vniuersale.*
æternitas siue ęuum vniuersale, & absolute, est absolute semper esse, & hoc contingit quatuor modis, primo ex se, adeo vt sit ipsa æternitas ex nullo pendens, quod competit soli Deo, vt dicitur duodecimo Metaphysicæ 39. Secundo vt sit semper & supra

*Esse semper modi quatuor.*
motum, non tamen ex se, adeo vt ex alio non pendeat, & ita competit Intelligentijs mouentibus cœlum; tertio vt sit semper idem numero, sed cum motu, vt se habet de Cœlo, & de Mundo; quarto vt sit semper, non tamen idem numero, sed per successionem indiuiduorum, vt species rerum mortalium: inquit Aristoteles in primo de

*Aeuum Cęli.*
Cœlo 100. Aeuum Cœli esse terminum & finem, omne tempus & infinitatem continentem, ab eo quod sit semper sumpta denominatione, immortale & diuinum, &c. pro notitia considerandum est omne absolute ęternum continere vniuersum tempus,

*Continendi vniuersum tempus modi varij.*
sed modo vario; Deus continet vniuersum tempus absolute vt causa, nam producit motum primum, qui est idem cum tempore; ideo recte de eo dicitur,

*Qui tempus ab æuo*
*Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.*

Intelligentiarum æuum continet vniuersum tempus, quatenus vt imitentur Deum, mouent suum orbem motu diurno, & etiam quatenus motus proprius eorum coextenditur cum motu primo: cœlum continet vniuersum tempus includendo motum, qui vel est idem cum tempore, vel coextenditur cum eo, & demum quatenus relatorum trium essentia est supra tempus & nullo clauditur temporis termino. Hæc de æternitate & æuo est sententia Aristotelis. Plato, & Academici de hoc idem sentiunt cum Aristotele, quatenus æternum ab æuo, & æternitatem ab ætate non distinguunt,

*Academici.*
dissentiunt tamen de ordine, & modo loquendi; Academici enim primum statuunt Deum, quem aiunt esse supra mensuram, & supra æternitatem, ei subijciunt Mentem primam, cui æuum siue æternitatem tribuunt non participatam; Hanc sequi aiunt cęteras mentes, quæ vt dicuntur Mentes participatæ, ita aiunt eis competere æuum, si-

ue æter-

ue æternitatem participatam; Menti subijciunt animam, quæ ratione suæ inuariabilis essentiæ particeps est æternitatis, at quia est numerus seipsum mouens, ratione motus eius, qui primus dicitur, includit tempus animasticum & primum, sic anima mediat inter æternitatem, & tempus; in ea enim finem recipit æternitas, tempus vero principium, cui in parte simile est cœlum; adest tamen varietas, quia cœlum non motu primo, vt anima mouetur, nec ex se; hinc eis competit mensura modo quodam varia, & media, quæ tamen proprio nomine caret; posset autem ea animæ dici vita, ea cœli dici vniuersitas; ac ita mora, & conseruatio rerum æternitate, siue æuo, vita vniuersitate, & tempore mensuratur; quæ tamen quatuor in æternitatem & tempus redigunt; æternitas dicitur exemplar, tempus vero imago eius. De his Plato in Timæo hæc verba profert. Tempus vnà cum cœlo factum est, vt vnà orta, vnà etiam dissoluantur, si qua vnquam dissolutio his contigerit, & ad exemplar æternæ naturæ factum est tempus, vt Mundus hic illi prestantiori, vt valet, simillimus sit; ille enim Mundus huius exemplar omne per æuum est, hic vero perpetuo per omne tempus fuit, sitque solus, & erit; Hac ratione, consilioque Dei Tempus creare volentes, Sol, & Luna, & aliæ quinque Stellæ, quæ vocantur errantes factæ sunt, quo temporis numerus distinguatur, atque obseruetur, &c. Et considerandum quod tempus ab æternitate distinguitur, ne dum quia æternitas exposcit essentiam rei permanentem, tempus vero labentem, verum insuper quia tempus non est quid definitum, conseruatione, & mora, sed & longius & breuius esse potest; æternitas vero, siue æuum est quid definitum, quia æuum vniuersale continet vniuersum tempus, particulare partem eius aliquam definitam; denotat enim periodum, & ætatem definitam rei, cui competit, & est tanquam mensura temporis; mensura autem definita & determinata esse debet, vt legitur in quinto Physic. contex. 24. & in primo de Cœlo contex. 130. inquit Philosophus tempus infinitum esse aliquid terminatum, & definitum, quatenus definitur quod sit id, quo non est maius. Hinc cum tempus sit vnum, æua quæ sunt, quædam mensuræ definitæ temporum, possunt esse plura. Sententia fuit Magni Alberti in lib. de causis, Aliquid esse æternum in æternitate adeo vt sit ipsa æternitas, vt Deus; Alia esse æterna in æternitate, non tamen ita vt sint ipsa æternitas, vt formę abiunctę sub Deo positę; Alia esse ęterna non in ęternitate, nec ita vt sint ipsa ęternitas, vt motus, Tempus, & Mundus; Boethus in quinto de Consol. dixit, Si congruentia rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes Deum quidem ęternum, Mundum vero dicemus esse perpetuum; at in harum sententiarum explicatione morari nolo. Demum ex sententia Scholasticorum Theologorum, tria subordinata inueniũtur, æternitas, ęuum, & tempus; ęternitatem tribuunt Deo, immutabili pœnitus & secundum essentiam, & secundum actionem; ęuum tribuunt Angelis, & rebus immutabilibus secundum essentiam, mutabilibus secundum actionem; Tempus autem rebus etiam secundum essentiam siue existentiam variabilibus. Dissentiunt autem inuicem in assignanda propria ratione æui, per quam distinguitur ab ęternitate & tempore; nam D. Bonauentura secundo sentent. distinct. 2. q. 3. inquit ęuum esse moram rei; includentem prius & posterius sine varietate essentię rei, & competere Angelis quatenus egent, vt seruentur a Deo. D. Thom. prima parte, q. 10. Artic. 5. inquit ęternitatem esse mensuram rei pœnitus immutabilis, tempus rerum omnino mutabilium, ęuum rerum immutabilium secundum esse, mutabilium secundum operationes & affectiones; hinc definitur a Gaetano eum sequente, quod ęuum sit vnitas immutabilis vitę, mutabilitati coniuncta: insuper dicitur participatio æternitatis a re non variabili secundum essentiam, variabili secundum actionem. Scotus in secundo sentent. distinct. 2. inquit rationem ęui in eo esse positam, vt sit mensura morę rei permanentis, & quę sit tota simul, & septem, ex eius sententia, mensurantur æuo; Visio beatorum diuinæ essentiæ, operationes naturales immanentes Intelligentiarum, vt intelligere & velle, Existentia Angeli, esse cœli, esse animæ nostræ, esse materiæ primæ, & demum esse substantiæ morta-

*Plato.*

*Tēpus quō distinguitur ab æternitate.*

*Albertus Magnus.*

*Boethus.*

*Sententia Scholasticorum Theologorum.*

*D. Tho.*

*Scotus.*

lis, cuius existere mensuratur Tempore. Hæ sunt lites nullius ponderis, non de rebus, sed de nominibus, nam omnes de hoc consentiunt, dari duo extrema & medium; duo extrema aiunt mensurari vnum æternitate, alterum Tempore, medium autẽ æuo; quod medium sumunt vel latius, vel pressius, & ideo lis solum est de vocum significatione; & cum medium sit præditum varijs conditionibus, per quas ab extremis distinguitur, varij varias considerant: sat est itaque rerum naturas & conditiones perpendere, deinde vel vna, vel altera voce denotentur, parum refert. Opinio D. Bonauenturæ consimilior est opinioni Philosophorum; ipse enim id æternum, quod pendet ex alio nomine æui ait denotari, & est idem cum æternitate participata Platonis, & pendente Aristotelis, nam ex sententia Aristotelis non valemus dicere intelligentias mensurari æuo, quia non variantur secundum essentiam, sed secundum operationem; ex sententia enim Aristotelis, vt secundum essentiam, ita secundum actionem non variantur, & ob id omnes æternitate mẽsurarentur. Boethus æternitatem ab æuo contradistinctam definiens in 5. de Consol. ait quod sit interminabilis tota vitæ simul & perfecta possessio. Similiter lis inter eos est quotuplex, & quid sit æuum; nam D. Th. prima parte q. 10. Art. 6. & quol. 5. Art. 7. putat vnicum esse æuum, idque esse mensuram omnium æuiternorũ; quod æuum primo Angelo tribuit; Henricus quol. 5. q. 13. & Aegidius, in tractatu de mensura Angelorum totidem aiunt esse æua, quot æuiterna; Scotus in secundo sent. dist. 2. q. 3. inquit quodlibet superius æuiternum, esse mensuram æuiterni proximi inferioris: Ocham, & Durandus in 2. sent. dist. 2. aiunt non dari æuum distinctum ab æternitate & tempore, & hi maxime sentiunt cum Philosophis; nam cum solum hæc duo ponant, tradunt deinde distinctionem æternitatis; ita Aristoteles inter æternitatem late sumptam, & tempus, medium non constituit, vt neque etiam Plato, qui dixit tempus esse imaginem æternitatis. Ex si quis quærat ex sententia Aristotelis quomodo æternitas, quæ dicitur mensura, se habeat ad rem æternam, dicendum puto quod quemadmodum tempus fundamento est idem cum primo motu, sola ratione distinctum, ita æternitas nil sit aliud, nisi res ipsa æterna, vt eius mora est apta mente per semper esse indicari, quæ mensura a nobis subiectis tempori fit per relationem ad tempus, & dicimus esse sempiterno tempore; quod indicauit Aristoteles in primo de Cœlo 100. inquiens æuum cœli esse terminum & finem, omne tempus & infinitatem continentem, ab eo quod sit semper sumpta denominatione: hinc iure optimo Damascius præceptor Simplicij, referente Simplicio indig. de tempore non censuit dari aliam mensuram moræ, distinctam a tempore; sic itaque ex sententia Aristotelis æternitas non est mensura distincta a re æterna, & tot sunt æternitates, quot res æternæ; vt tot sunt æua particularia, quot res, quarum sunt æua; singulis enim per naturam competit proprium æuum, quatenus competit interna conditio, per quã seruari valeat; & si æternorum mensuram assignare volumus, adeo vt vnum æternum sit mensura cæterorum, id erit solus Deus, quia in omni genere, quod est primum, est mensura cæterorum, quæ mensurantur per quandam relationem ad illud; cui supremæ mensuræ per omnia secula sit honor & Gloria.

*Boethus.*

*Quotuplex sit æuum.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## DE MOTV LIBER VNVS.

### *Proponitur de motu agendum, & manifestatur ordo seruandus.* Cap. I.

MOTVS adeo cum Natura est complicatus, vt per ipsum natura faciat cuncta quæ facit, per eundem se nobis manifestet, & circumscribatur, & denique vniuersa scientia de Natura, scientia de motu esse dicatur; per motum Cœlestia corpora famulantur Deo, perficiunt mortalia, & seruant ordinem vniuersi; nil est in Mundo, quod non sit vel principium motus, vel subiectum eius, vel saltem ex motu non pendeat: iure itaque dignus est, vt accurate consideretur ab omnibus & præsertim a Naturali Philosopho: hinc Aristoteles in octauo Phys. 22. dixit Scientias omnes, & opiniones vti motu & multi Philosophorum cuncta in motu esse posita existimarunt; propterea ob eximiam vtilitatem & necessitatem cognitionis motus, de motu ex sententia Aristotelis mihi differendum proposui; in cuius consideratione, vt ordine aliquo progrediar, considerabo primo an sit, Mox quid sit, & absolutis attinentibus ad quæstiones simplices, ad compositas me transferens perpendam qualis sit, & præsertim an continuus, & æternus, & quæ sint causæ affectionum eius. Placeat Deo vt quemadmodum ex eo immobili motus fluit, ita ego per motum in illum immobilem valeam eleuari.

*Motus cum Natura iūctus.*

*Declarāda de motu.*

### *An Motus sit.* Cap. II.

HVMANA conditio adeo perplexa & cum inscitiæ tenebris est complicata, vt quamuis motus omni sensu percipiatur, tamen etiam de eo an sit ambigere cogamur; nec defuere Parmenides, Melissus, & alij, qui motum excludentes cuncta esse immobilia asseruerunt; quorum sententia his præsertim rationibus comprobari posse videtur, & primo; Id cuius partes non sunt, esse non valet, cum totum sit suæ partes, At partes motus non sunt, nam partes sunt præteritum & futurum, præteritum præterijt, futurum adhuc nō est, quare motus inter ea, quæ non sunt, reijci debet: Præterea inquit Aristoteles in lib. de interpretatione id quod fit non esse, motus cum sit quidam fluxus continenter fit, quare non est. Præterea quæcunque in vniuerso sunt, ex Deo, vt ex fonte, fluunt, Motus non fluit ex Deo, quare non est; nam Deus adeo est immobilis, vt in ratione eius sit immobilitas, ex immobilitate non fluit motus, cum ex vno opposito alterum fluere non valeat. Demum adsunt rationes Zenonis ab Aristotele relatæ, vt interim eas Parmenidis

*Negantes motum.*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Rationes Zenonis.* menidis, & Melissi tanquam leuiores missas faciam; quæ Zenonis rationes ex spacio, quod a mobili debet percurri, ortum ducunt; id enim cum sit continuum habet partes infinitas, nullum autem infinitum tangi & pertransiri potest tempore finito, & præsertim quia cum continuum sit diuisibile in infinitum, & prius debeat pertransiri medietas quam totum, & medietates partium diuidendarum, sint infinitæ, nunquam a mobili percurri poterunt. Mitto alias minoris momenti, nam vt legitur in sexto Physic. contex. 77. quatuor Zeno vtebatur rationibus, quas silentio prætereo. Ex aduerso tamen, qui motum renuit, & asserit cuncta quiescere, aduersatur rationi, sensui, sibi met, & pugnantia profert; Rationi aduersatur, quia varietates terminorum motus non valent mobili sine motu competere, at mobilia modo in vno, modo in alio loco reperiuntur; insuper si in vniuerso inuenitur vnum oppositorum inuenitur & alterum, quare si datur quies dabitur etiam motus. Quod aduersetur sensui patet, quia motus est sensibile commune & omni sensu percipitur; hinc Diogenes auditis rationibus Zenonis euertentibus motum loco solutionis surrexit, & ambulauit, indicans in attinētibus ad sensum credendum esse sensui; Tertio aduersatur sibimet, quia putare non dari motum, est opinio id asserentium, cuius opposita ex eorum sententia falsa est; at opinio & præsertim falsa motum supponunt: opinio enim non est sine Phantasia, quæ est motus factus a sensu, & opinio falsa quæ est recessus a vero, solum illis competit, quibus competit motus, opiniones enim mutationi sunt obnoxiæ & præsertim falsæ, quæ innumeræ sunt; Demum pugnantia proferunt, quoniam quies eis solum competit, quę sunt apta moueri, quare dicere nil moueri, & cuncta quiescere est pugnantia proferre; ita nos docet Aristoteles euertere sententias negantium ex se nota, redigendo eos in manifeste absurda.

*Aduersus negantes dari motum.*

*Soluuntur aduersæ rationes.* Nec difficile est rationibus eorum satisfacere: Et pro solutione accipiendum ea, quæ in vniuerso reperiuntur vel manere, vel fluere, vel esse ipsum met fluxum, siue ipsammet mansionem; Manent quæ non mouentur, fluunt quæ mouentur, motus & tempus non fluunt, sed sunt ipsi met fluxus, vt etiam quies non quiescit, sed est ipsamet quies; conditio fluxus est, vt non constet ex partibus permanentibus, sed partim fuerit, partim sit futurus, & tunc esse dicitur, dum adest præsens nectens præteritum cum futuro; immo dicere partes fluxus esse permanentes, esset pugnantia proferre, & ita patet solutio primæ rationis.

*Solutio secundæ rationis.* Altera erat, quia quod fit non est, motus fit, &c. Minor propositio falsa est, nam motus vt dixi non fit, sed est ipsamet generatio, generationis autem non est generatio. Hinc Aristoteles in octauo Physic. 24. dixit, fere autem & ipsum moueri, fieri quippiam, & corrumpi videtur omnibus: Et dum pro maiori propositione dicitur quod fit non est, si volumus minus proprie loquendo concedere motum fieri, dum adest, asserendum erit eam enunciationem solum esse veram de his, quæ proprie gignuntur, non de fluxu; Motus autem solum dicitur modo aliquo fieri, dum absolute transit ex non esse ad esse, & habet initium per negationem de præsenti dicendo nunc non est, & statim post erit; in qua significatione Aristoteles in octauo Physic. contex. 1. inquirendum proponit, an motus sit genitus, ita vt prius non fuerit.

*Solutio tertia.* Dicebatur tertio ex Deo immobili non posse fluere motum; Respondeo Deum non esse immobilem immobilitate aduersa motui, sed immobilitate supra motum & quietem collocata, ex qua cum motus, tum quies prodire valeat; propterea recte de eo cecinit Boethus,

*Boethus.* *Stabilisq́; manens das cuncta moueri.*

*Ratio Zenonis.* Ratio Zenonis soluitur ab Arist. cum in sexto, tum in octauo Physic. Soluitur in sexto Physi. 19. nam ratio erat infinitum non posse finito tempore tangi, & transiri; Solutio est vt spacium est infinitum diuisione, terminatum vero extensione, ita tempus, adeo vt interuallum infinitum diuisione, valeat in tempore similiter infinito pertransiri; At quia adhuc non videtur omni ex parte dubitatio soluta, dubium est enim quomodo infinitum numerari, & percurri valeat, & quomodo tempus vnius horæ valeat pertransire, cum præditum sit infinitis medietatibus partium diuisibilium; ideo Aristoteles in

les in octauo Phyſic. 58. abſoluens ſolutionem addit, infinitum pertranſire, ſiue pertranſiri dupliciter poſse intelligi vel actu, & per ſe, vel poteſtate & ex accidenti; infinitum actu, & per ſe tranſiri non poteſt, altero modo poteſt; dicitur infinitum tranſiri actu & vt infinitum, dum indiuiſibile nectens partes continui diſtincte ſumitur, & vt finis præcedentis partis, & vt initium ſequentis, quo pacto infinitum pertranſiri nō poteſt; vt dum percurritur vt terminatum & non fit diuiſio actu, dicitur percurri per ſe vt terminatum, & ſolum vt infinitum potentia, non autem actu & per ſe; An autem veri aliquid includat opinio negantium motum in libro de placitis veterum Philoſophorum pateſeci. Alexander referente Simplicio in tertio Phyſic. pro euerſione motus hac vtebatur ratione; *Alexandri ratio.* genus non prædicatur de ſua differentia, ens eſt genus, quod diuiditur per mota & quieſcentia, quare nec motus nec quies entia ſunt; at ſoluitur, tum quia ens non vere eſt genus, ſed commune ab vno, tum inſuper quia motus & quies non proprie ſunt differentiæ entis.

## *Quid ſit motus.* *Cap. III.*

QVEMADMODVM conſpicue patet motum eſſe, ita quid ſit ob tenuem eius conditionem ſummopere latet: Pythagoras duas conſtituebat oppoſitorum ſeries, *Pythagoras.* quarum vna bonum, formam, actum, & id quod eſt denotaret, altera malum, priuationem, potentiam, & id quod non eſt: in ſerie bonorum conſtituebat ſtatum, in ſerie oppoſitorum, motum, indicando motum eſſe quandam priuationem & receſſum ab eo quod eſt; & iure, cum ſtatus & immobilitas primo & per propriam conditionem competat Deo; at ex hoc non patet quid proprie motus ſit. Plato Pythagoram libenter ſequens quinque *Plato.* conſtituebat prima genera rerum, nempe eſſentiam, motum, ſtatum, identitatem, & alteritatem, eaque in cunctis ſub Deo poſitis modo tamen vario reperiri exiſtimabat; de quibus varia leguntur apud Platonem in ſophiſta, & plura apud Plotinum in libro de generibus entis Enn. 6. Ariſtoteles in tertio Phyſi. Pythagoræ & Platoni obiiciens *Ariſtot.* inficiatur motum eſſe genus, inſuper eſſe alteritatem, inæqualitatem, & non ens: lis tamen tota præſertim in vocibus eſt poſita, quia Plato ſumpſit Genus pro quouis cōmuni omnibus, vel vniuoco, vel ab vno; Ariſtoteles conſiderauit Genus vniuocum; ſimiliter Plato latius quam Ariſtoteles vſurpauit nomen motus, Ariſtoteles autem ſolum conſiderauit proprie ſumptum motum competentem corporibus, de quo modo ſermo eſt: propterea Ariſtotelem ſequens dico cum motus inter ea, quæ ſunt numeretur, & ea vel ſint ſubſtantiæ, vel accidentia, conſpicuum eſt motum non eſſe ſubſtantiam, cum non per ſe ſubſiſtat ſub ſenſum cadat & adſit ac abſit præter ſubiecti corruptionem, propterea accidens eſt; Inſuper cum omne ens redigatur vel ad actum vel ad potentiam, motus non eſt potentia; id enim quod actu eſt deſtitutum, & penitus eſt poteſtate, non mouetur, quare motus eſt actus quidam; Actus autem duplex eſt vel perfectus, vel imperfectus; motus non eſt actus perfectus, nam perfectus actus vel eſt totus ſimul, vt illuſtratio & iudicium ſimplicis obiecti, vel includit poſtremam formæ perfectionem, quorum neuter eſt cum motu, ſed termini dicuntur alicuius motus, quibus præſentibus motus deſinit eſſe; quare motus eſt actus imperfectus; Actus autem tunc dicitur imperfectus, dum adnexam habet potentiam ad vlteriorem perfectionem, & quod mouetur vel tendit ad actum quem habet, vel ad vlteriorem gradū, & perfectionem, ad quam eſt in potentia; non ad gradum, quem habet, nil enim quęrit quod habet, vel tendit ad id quod poſſidet, quare motus eſt actus complicatus cū potentia, & mobile mouetur, & motor mouet tendendo ad id, ad quod mobile eſt in potentia. Hinc recte Ariſtoteles ait motum eſſe actum eius, quod eſt poteſtate, quatenus poteſtate eſt; *Definitiones motus.* vel motus eſt actus mobilis vt mobile eſt; vel demum motus eſt actus motoris & mobilis, vt eſt poteſtate: prima definitio eſt per terminos communio

res & metaphysicos, Secunda est per terminos magis proprios & Physicos, Tertia vltra mobile explicatum per primas includit etiam motorem, ideo ab Aristotele in tertio Physi.23.dicitur notior. Inquit Auerroes primam definitionem esse formalem, secundam materialē; quod absolute verum non est, ambæ enim constant ex eisdem causis, forma scilicet & materia; solum defendi potest Auerroes dicendo per definitionem formalem denotasse definitionem per voces communiores traditam, vt etiam in procemio de anima Aristoteles definitionem per communia formalem & dialecticā appellat; Tertia autem definitio hoc præter cæteras includit, quod actum motoris, & mobilis denotat esse eundem; cum enim motus vnius mobilis sit vnus, & sit actus motoris & mobilis, est necesse vt vtriusque idem sit actus; id enim quod tribuit agens, recipitur in patiente; at cum actus ille pro suo esse absoluto & pro fundamento sit vnus, est tamen ob distinctam relationem, & distincta principia, ratione & formalitate duplex, & inde duo prodeunt prædicamenta, vnum actionis, alterum passionis, forma ratione, & ipso esse distincta. Definitio tradita, communissima est & competit omni motui; nam competit motui nouo, & æterno, cum enim Cœlum mouetur in orbem, semper mouetur quatenus partes sunt in potentia ad vlteriorem locum, magis tamen competit motui mortalium, quia mobile magis est potestate, cum sit potestate secundum totum, non autem secundum partes solum, & formam, vt Cœlum. Insuper competit motui Physico & violento; varia tamen est potentia, nam mobile secundum naturam includit potestatem Physicam, alterum violentam, vt lapis potestate sursum violenta est; præsertim tamen competit motui Physico, cuius mobile rectius dicitur in potestate ad terminum motus; cum sit secundum naturam; similiter competit motui Physico & Artificioso, nam motus Artificiosus ad violentum redigitur. Præterea competit motui corporum & animæ, vt ei aptus est competere; nam Aristoteles in septimo Physic. asseruit motum attingere sensum, non autem mentem, & in tertio Physic.context.7. τῆς μαθήσεως, hoc est disciplinæ exemplum dedit, quamuis latinus interpres id prætermiserit; nam disciplina non fit sine permutatione aliqua spirituum & organorū inseruientium sensibus; demum competit ea definitio omni speciei motus, nempe lationi, accretioni, diminutioni, alterationi, ortui, & interitui; ideo Aristoteles definitionem traditam comprobauit inducendo per omnes species motus.

*Auerroes.*

*Definitio motus communissima.*

## *Proponuntur & diluuntur dubia nonnulla ad definitionem motus attinentia. Cap. IIII.*

VT tradita motus definitio reddatur magis conspicua, dubia nonnulla ex ea emergentia proponā & diluam; pro genere motus sumebatur actus, qui grçce ab Aristotele modo ἐντελέχεια, modo ἐνέργεια dicitur, nam frequenter illæ voces pro eodem vsurpantur, magis proprie tamē ἐνέργεια dicitur agētis, ἐντελέχεια vero recipiētis: vtitur Philosophus τῆς ἐντελεχείας nomine pro denotando quouis actu, siue primo, siue secundo, siue substantiali, siue accidentali, siue materiato, siue secreto a materia, vt patet ex primo, secundo, & tertio Physicorum, nec non ex locis aliis innumeris; sic in 12.Met.contex.49 Deum nūcupauit ἐντελέχειαν primam; Ex quo elicio primo perperam Simonem Portium in lib. de Humana Mente dixisse Endelechiam apud Aristotelem denotare solas formas materiatas; Elicio secundo Ciceronem perperam interpretatum fuisse nomē Endelechiæ, cum dixerit denotare perennem motum, nam ita pro genere motus sumeretur perennis motus, quo nihil est absurdius; insuper cum dixerit Endelechiæ nomen formatum fuisse ab Aristotele pro patefacienda natura animæ, cum tamen Aristoteles eo nomine tanquam communissimo vtatur; at de hoc alibi; Dixit Porphyrius referente Simplicio in tertio Physic.contex.6. Motum esse energiam perfectam, Endele-

*Error Portij.*

*Porphyrius.*

Endelechiam vero imperfectam; & carpitur a Simplicio, quia Aristoteles siue vtatur voce energiæ, siue endelechiæ semper addit eius quod est potestate, quod imperfectio nē denotat: defendi tñ potest Porphyrius, quia perfectio in hoc trino est posita, in essentia, potētia, & actione, ideo agens dū agit, perfectionē includit, alioquin cū Deus moueat, imperfectionis esset particeps; iure itaque dixit Porphyrius motum esse energiam perfectam, quia eam retulit ad agens; endelechiam vero imperfectam, referendo eam ad mobile: & quamuis motor dicatur mouere per potentiam, ea tamen est potentia actiua denotans perfectionem; & imperfectio est in mobili non in motore; Cum pro genere & forma motus sit sumptus actus, pro materia & differentia contrahente additur id quod est potestate, quod mox in mobile transfertur; at quæritur cum subiectum & materia proxima motus sit corpus, cur Aristoteles prætermissa materia proxima sumpsit id quod est, quæ est materia cōmunissima & remota; & cur id quod est mox transtulit in mobile? De prima difficultate dico Aristotelem non sumpsisse corpus, sed id quod est multiplici de causa, primo quia non adhuc ostenderat omne mobile esse corpus, quod facit in sexto libro; Plato autem motum, quem commune genus statuebat, cunctis tribuebat sub Deo positis, & præsertim animæ: quod autem motus competat ei quod est, omnes approbarunt; Insuper id fecit vt definitio esset latior, & ad ea quoque extenderetur, quæ ex accidenti mouentur, veluti sunt materiatæ formæ, quamuis proprie & præsertim definiatur motus eorum, quæ per se mouentur; Tertio vt definitio magis competeret ortui & interitui; nam quamuis ortus & interitus, dum considerantur vt affectiones, competant corpori naturali composito, vt patet ex primo Physic. & etiam corpori competant, dum considerantur vt fiūt, tamen dum considerantur in facto esse subiectum formæ, quæ est terminus ad quem est materia; neque ob id motus debet iudicari affectio entis, sed corporis, quia tanquam affectio soli corpori competit. De altera difficultate cur Aristoteles transferat ens potestate in ens mobile, Simplicius vna cum Alexandro dixit id esse factum quia actus entis in potentia est communior, quam actus mobilis; potentia enim latior est, motu & competit omni prædicamento; Secundo addebat Alexander id esse factum, vt pateret ex definitione motum esse in mobili; at neutra harum rationum cogere videtur; non prima, quia prima definitio & secunda inuicem reciprocantur, nec prima ad plura extenditur; alioquin non recte fuisset tradita; hinc minus recte Simplicius inquit primam definitionem competere motui animæ, non secundam; nam omnis actus eius quod est potentia, vt est in potentia, est actus mobilis, & quamuis potentia competat omni prædicamento, non tamen ei competit cum conditionibus requisitis pro motu, adeo vt sit actus perfecta per se tendens ad perfectionem, vt suo loco patebit; similiter secunda non cogit, quia similiter dicentes motum esse actū eius quod est potestate, colligemus motum esse in eo quod est potestate; ideo dicamus Aristotelem id fecisse, vt circumscriptionem verteret in circumscriptum, & voces magis Metaphysicas, verteret in magis Physicas, & proprias. Quæritur insuper an definitio motus competat illuminationi, & motui sensuum ab obiecto; videtur competere illuminationi, quia est actus perspicui illuminabilis, vt est illuminabile; hinc Simplicius alterationem etiam tribuit Cœlo: similiter videtur competere motioni sensuum, cū sit actus sensuum existentium in potentia vt moueantur ab obiecto, quatenus sunt in potentia. De illuminatione dico ei definitionem non competere; hinc Aristoteles in secundo de Anima negat lumen moueri, nam illustratio est actus perfectus, totus simul, hinc dicitur præsentia Lucidi, & est terminus motus lucidi, quo præsente perspicuum dicitur illustratum, non illustrari, nec ita est actus illuminabilis, vt motus actus mobilis; nam motus ita dicitur actus mobilis, vt est mobile, quatenus est actus imperfectus tendens ad perfectionem; & mobile partim est in termino a quo, partim in eo ad quem, vt in sexto Physicorum docet Philosophus; illustratio autem est actus perspicui, vt forma subiecti & materiæ. Dubitationem alteram de sensibus mouit Eudemus;

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Solutio alterius difficultatis.*

*Simplicius. Alexander Euersio.*

*Solutio propria.*

*An definitio motus competat illuminationi.*

*De sensibus*

Eudemus, & dimissis quæ de ea a Simplicio dicuntur in tertio Physic. breuibus dico in sensibus vel consideramus motionem factam ab obiecto cum aliqua permutatione spirituum, vel solum iudicium; si iudicium consideramus, non est motus, nec ei competit definitio; si consideramus motionem ab obiecto cum permutatione spirituum in tempore factam, ei competit definitio motus, & conditiones pro eo requisitæ; hinc Aristoteles in septimo Physi. motum tribuit sensibus, & in secundo de Anima phantasiam dicit esse motum. Demum considerandum est quod cum motus sit affectio pendens ex efficiente, pro suo esse & conseruatione, ex eorum genere est, quæ exacte definiuntur per causas externas & internas, & per definitionem explicantem quid & propter quid; ideo mirum est cur Aristoteles id non seruauerit. Respondens dico Aristotelem solum prætermisisse finem, tum quia motus late sumpti finis est valde indefinitus, tum insuper quia refulget per ea, quæ dixit; cum enim motus sit actus imperfectus, finis nil aliud est, nisi perfectio illius actus, quæ est consecutio termini ad quem: dicere autem possumus, Motum esse actum mobilis, vt mobile est, prodeuntem ex motore pro assequendo termino ad quem, siue, quod idem est, pro assequenda sui perfectione; & ex hac definitione elicitur demonstratio hunc in modum; omnis actus motoris pro assequendo termino ad quem est actus mobilis, vt mobile est; motus est actus motoris pro attingendo termino ad quem; quare est actus mobilis, vt mobile est.

*Demonstratio.*

## *Distinctiones nonnullæ Motus.* *Cap. V.*

*Motus secũdum & præter naturã.*

Variæ circumferuntur distinctiones motus; Nam diuiditur primo in motum secundum naturam, & præter naturam; Motus secundum Naturam, vel est secundum naturam totius, vt dum Elementa mouentur in orbem, vel secundum Naturam propriam, vt grauia tendunt sursum; motus qui est secundum naturam totius est eminentior, & est supra naturam propriam; Motus violentus vel est violentus violentia contraria naturali, vt grauia motu sursum, vel violentia & raptu diuino, vt inferiores Cœli orbes mouentur motu primi mobilis, & ille motus dici etiam potest secundum naturam totius, & raptus diuinus; re vera enim violentus non est, cum mobile tanquam pars vniuersi vim aliquam conferat & propensionem. Ex sententia Platonis & Ptolemæi secus tradenda esset hæc diuisio; nam ex eorum opinione motus Elementorum in suum locum nõ est naturalis, sed reditus in naturam, reuolutio vero est secundum Naturam; ideo inquiunt motum vel esse secundum naturam, vel supra naturam, vel reditum in naturã, vel recessum ab ea: Similiter diuiditur motus in naturalem & Artificiosum, motus tamen Artificiosus ad violentum redigitur; Qui motus Violentus vel est tractio, vel pulsio, vel vectio, vel vertigo; & motus secundum naturam, vel prodit ex natura infra animam posita, vel ad animam extensa, vt motus animalium mortalium: Præterea diuiditur motus in primo de Cœlo ab Aristotele in simplicem & mixtum; simplex vel est rectus, vel circularis; mixtus vel constat ex recto & recto, vt dum grauia cum impedimento descendunt; similiter dum descendunt mixta, quorum descensus per Elementa leuia inclusa remittitur; vel ex Circulari & circulari, vt dum formica ambulat supra sphæram in oppositum reuolutam; vel ex recto & circulari, vt dum corpora ascendunt, vel descendunt per figuram Helicis: Insuper diuiditur in per se, per accidens, & per partem, vt diuiditur sub initio quinti Physicorum: & quia motus per partem competit toti ex accidenti, ideo ea trimembris distinctio in octauo Physic. ad bimẽbrem redigitur, & omne quod mouetur vel per se, vel ex accidenti moueri dicitur, vt etiam motor vel per se vel ex accidenti mouet. Præterea diuiditur in vnum, & plures; vnus vel numero, vel specie, vel genere, vel analogia; similiter dicuntur plures, vel numero, vel specie, vel genere, vel analogia. Vt motus sit vnus requiritur quod mobile, forma,

*Platonis sẽtentia.*

*Motus violentus quadruplex.*

*Diuisio in simplicẽ & mixtum.*

*In secũdum se & ex accidenti.*

*In vnum et plures.*

quæ

quæ acquiritur, motor, & tempus vnum sint, aliquo eorum modorũ respondente vnitati motus. Præterea motus vel est regularis, vel irregularis, vel consimilis, vel dissimilis; motus cœli maxime est regularis, solum seruat dissimilitudinem velocitatis facta comparatione inter motus variorum circulorum, magis vel minus ab æquatore distantium; motus elementorum etiam sunt regulares, præditi sunt tamen dissimilitudine aliqua, quatenus elementa quo diutius mouentur, eo feruntur velocius. Insuper diuiditur motus in æternum, qualis est motus cœli, & nouum, qualis est, motus mortalium. Diuiditur quoque motus, quia vel consideratur secundum materiam, vel secundum formam, vt distinguitur ab Auer. in tertio Physi. com. 4. & in 5. com. 9. Dum consideratur secundum formam, tunc consideratur fluxus, vt fluxus est, qui relatus ad motorem dicitur actio, relatus ad mobile dicitur passio, in se autem vt continuus & diuisibilis ad quantitatem redigitur, vt patet &c. 5. Physi. 18. quod si in prædicamento quantitatis de eo non fecit mentionem, illum denotauit per tẽpus, cum quo & præsertim ob continuationem nectitur. Dum mox consideratur motus secundum materiam, tunc consideratur pro re, quæ per motum acquiritur, & ita dicitur esse in quatuor prædicamentis substantia, quantitate, qualitate, & vbi; & quoniam his quatuor prædicamentis nil est commune vniuocum, ideo hac consideratione motus non est natura vna distincta a contentis sub eis prædicamentis, vt recte docet Philosophus in tertio Physic. cont. 4. Sed pulchra se offert dubitatio, cum motus consideretur & secundum materiam, & secundum formam, dum definitur ab Aristotele definitione in præcedentibus relata, qua consideratione definitur? breuibus dicendum puto definiri secundum materiam iunctam formę, adeo vt vtraque consideratio includatur, præsertim tamen secundum materiam; hinc Aristoteles pro colligenda definitione, primo diuisit prædicamenta per actum & potentiam, & manifestauit motũ non reperiri præter res, quæ per motum acquirũtur, & actus imperfectus ad perfectionem tendens est motus consideratus secundum materiam; denotatur tamen adnexa forma cum subindicetur continuatio, & quod mobile mouetur, vt est potestate. At instabit quispiam, quia per definitionem præsertim explicanda est forma non materia. Respondeo id esse verum dum proprie est forma, quæ sit principalis essentia rei; at de motu secus se habet; essentia enim & conditio præcipua motus nõ est fluxus, sed actus ille imperfectus ad perfectionem properans, quem præsertim considerauit Aristoteles.

*In regularis irregul.*

*In æternum & nouum.*

*Motus consideratus secundum materiam, & secundũ formam.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

## *Quotuplex sit Motus.* *Cap. VI.*

Decursis varijs distinctionibus motus, exactius considerandum occurrit, quotuplex sit motus, quot gradus eius, & quibus prædicamentis competat: Sẽtentia fuit Platonis quatuor esse gradus motuum, vt quatuor sunt gradus rerum sub Deo collocatarum; nam ex Academicorum sententia Mens dicitur moueri ex esse ad agere; Anima per rationem moueri essentiali quodam & non transeunte motu, quatenus est numerus se mouens; corpora moueri motu transeunte aliunde recepto; Materia demum Mundi, moueri dicitur inordinato motu, quatenus includit primam quandam excitationem, & facilitatem ad formam & generationem; Insuper motum magis proprie sumptum diuidunt Academici in motum primum & secundum; Motum primum Plato in decimo de Legibus ait esse motum animæ, quo ea essentialiter se mouet; motus secundos nuncupat motus corporum ex motu animæ prodeuntes, adeo vt nisi anima ex se moueretur, cætera moueri non possent; quos omnes motus cum primos, tum secundos in decem distribuit, in circuitum cœli, in lationem ex vno in alium locum, in condensationem, rarefactionem, accretionem, diminutionem, ortum, interitum, alterationem ab alio in alio factam, & mutationem in se, tum in se tum in alio factam, qualis est ea animæ;

*Quatuor gradus motuum.*

*Alia Academica diuisio.*

*Distributio in decẽ gradus.*

animæ; & hanc decimam ſtatuit primam omnium. Hæc fuit ſententia Platonis in cuius latiore explicatione morari nolo; Ariſtotelem enim mihi ducē elegi, ex cuius opinione motus ad quatuor prædicamenta pertinet, ad ſubſtantiam & dicitur ortus, & interitus; ad quantitatem, & dicitur accretio & diminutio; Ad qualitatem, quæ communi nomine dicitur alteratio; Ad vbi; & dicitur latio; Sed de numero ſpecierum motus nō leuis eſt dubitatio; primo quia motus omnis videtur eſſe generatio & interitus; omnis enim motus eſt amiſſio termini a quo, & adeptio termini ad quem: Inſuper Plato in Parmenide, & cum eo Galenus ſecundo Methodi motum omnem redigit ad lationem & alterationem: Præterea motus videntur eſſe plures, quoniam in omni prædicamento reperiuntur actus & potentia, per quæ conſtituitur motus, quare in omni prædicamento ſecundum materiam reperitur motus; & confirmatur, quia in prædicamentis nō æterna, ſed ſola mortalia collocantur; mortalia autem per motum fiunt & intereunt: hinc Ariſtoteles in primo Phyſi. 62. dixit nouem prædicamenta accidentium gigni ſubiecto aliquo, & in tertio Phyſic. quinto dixit tot eſſe ſpecies motus & mutationis, quot entis, & 14. Metaphyſicæ, cap. primo inquit ſolum eius quod eſt ad aliquid, nec motum nec generationē eſſe; propterea Simplicius in 3. Phy. cōm. 5. & in 5. Phy. cōm. 20. aſſerit motū in omni prædicamento locum habere, idq; confirmat authoritate Eudemi, Alexandri, & Theophraſti. Ex aduerſo tamen Ariſtoteles cum in tertio, tum in quinto Phyſic. aſſerit & oſtendit motum ſolum attinere ad quatuor prædicamenta, nempe ad ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, non ad cætera, quia ea vel ſunt motiones quædam, vt actio & paſſio; vel ſunt ad aliquid; ad motum autem non eſt motus, & relatio mutari poteſt ſine mutatione fundamenti, & ſolum per motū alterius. Simplicius pro vitanda authoritate Ariſtotelis vtitur diſtinctione inquiens motum attinere ad prædicamenta dupliciter contingere, vel ſecundū affectionem ſubiecti, adeo vt ſubiectum mobile noua forma afficiatur, aut ſecundum ſolam habitudinem ad aliud; primo modo competit quatuor prædicamentis, & illum ſolum Ariſtoteles nuncupauit motum; altero modo cæteris; & hoc comprobat per Ariſtotelem primo Cœli 112. quo loci inter ſignificationes geniti hanc enumerat, vt aliquid primo non ſit, mox ſit ſine vera generatione. Sententia Simplicij eſt dubia, quia etiam latio eſt ſecundum habitudinem, & non ſecundum affectionem ſiue diſpoſitionem ſubiecti; inſuper relatio ſine ſucceſſione ſæpe variatur, at ſine tēpore non eſt motus, cum ſit actus imperfectus tendens ad perfectionem; ideo dicamus motum competere prædicamento contingere dupliciter, vel primo & principaliter, vel ſecundario & per conſecutionem; inſuper vel per ſe vel ex accidenti. Motus primo principaliter & per ſe, ad ſola quatuor prędicamenta pertinet, ſecundario vero, & ex accidenti, ad omnia; at conſiderando motum & eius terminos, eos qui ſunt per ſe conſiderare tenemur: hinc Ariſtoteles in quinto Phyſic. conceſſit in relatione eſſe motum ex accidenti, & ea quę per conſecutionem fiunt, illa ſunt quæ dicuntur eſſe, & non eſſe ſine eorum vero ortu & interitu: ex hoc patet ſolutio aduerſarum rationum. Simplicius laborauit, vt oſtenderet motum eſſe in omni prædicamento, pro ſeruanda ſententia Platonis ſtatuentis motum commune genus competens cunctis infra Deum poſitis; at Plato latius vſurpauit nomen motus, quam Ariſtoteles: Ad id quod primo obijciebatur, quia motus omnes rediguntur ad ortum & interitum, vel ad lationem & alterationem reſpondeo re vera motum omnem eſſe quandam generationem; at non eſſe generationem ſimpliciter, & abſolute, niſi eam ſubſtantiæ: inſuper quamuis motus omnis modo aliquo ſit generatio, tamen motus a generatione diſtinguitur ratione & terminis, vt infra patebit, & propterea pro diſtinctis ſpeciebus iure numerantur. De reductione motuum ad lationem & alterationem dico motus vel eſse primos & ſimplices, vel pendere ex ſimplicibus: motus priores & ſimplices ſunt latio, quæ alium motum non ſupponit; ſimiliter alteratio in ſubiecto, cui competit non neceſsario ſupponit alium motum; Accretio autem & generatio ſequuntur motus alios, & præſertim altera-

*Motus pertinet ad quatuor prædicamenta.*

*Dubitatio de numero ſpecierum motus.*

*Simplicius.*

*Sententia Simplicij in dubiū vertitur.*

*Sententia propria.*

*Plato.*

alterationem; nec obest quod ab Aristotele in postprædicamentis dicitur de quadrato, quod crescit circumscripto gnomone, & non alteratur, nam ea non est vera accretio, sed sola appositio.

## *De distinctione Motus a mutatione. Cap. VII.*

HActenus vnà cũ Aristotele in 3. Phy. sine distinctione loquuti sumus de motu & mutatione; nunc vero cum eodem Philosopho in 5. Phy. tenemur motum a mutatione secernere, de qua distinctione nõ idem sentiunt Academici & Peripatetici; ex sententia enim Academicorum, motus, græce κίνησις latior est quam mutatio, quæ græce dicitur μεταβολὴ, vt etiam inquit Simplicius in 5. Phy. cont. 9. & ostendit Plotinus En. 6. lib. 3. de Generibus entis cap. 21. inquiens probabilius pro genere motũ ponimus, quàm trãsmutationem; trãsmutatio enim naturam rei mutans, aliud pro alio in medium affert, motus autem & hoc quidem significat, & præter hoc significat etiam progressionem quamlibet, priore interim natura seruata, &c. adeo quod latio motus erit, non transmutatio; Ex aduerso Aristoteles mutationem statuit latiorem motu; & quia lis in voce est posita, ideo dimissis Academicis Aristotelem sequar: & pro notitia sententiæ eius accipiendum est mutationem vsurpari dupliciter, primo late, Secundo vt contra distinguitur a motu: dum late vsurpatur, comprehendit intra terminos motus omnes, ac insuper ortum & interitum; dum vero sumitur pressius, tunc ortus & interitus dicuntur mutationes, cæteri vero motus. At hoc perpendere tenemur in quo sit posita differentia mutationis ita sumptæ a motu. Inquiunt multi differentiam hãc esse, quia motus eget tempore, mutatio fit momento, & sine successione; quam sententiam approbandam non puto, primo quia etiam generatio dum consideratur in fieri, eget tempore; Insuper nulla fit generatio sine aliqua permutatione Elemẽtorum, vt dicitur in secundo de ortu & interitu cont. 3. formæ Elementorum, immo etiam illæ mixtorum consimilium recipiunt magis & minus, quare earum adeptio fit per gradus, & tempus exposcit; confirmatur, quia Arist. in 3. Phy. definiuit motum comprehẽdentem etiam ortum & interitum, quam definitionem sequitur cõtinuitas, & ideo etiam generatio, & interitus continuum includunt; immo in 6. Phy. ostendens motum exposcere tempus, & esse continuum, vtitur rationibus, quæ consimiliter de ortu & interitu vim habent: hinc illuminatio, cum fiat momento, non dicitur mutatio, sed mutatum esse, & si adipiscitur forma non recipiens magis & minus, dum adest, non dicitur gigni, sed genita; similiter creatio, cum momento fiat, mutatio non dicitur, nec creatum recte dicitur transmutatum, sed absolute constitutum in esse. Propterea cum Aristotele in 5. Phy. dicamus differentiam motus a mutatione petendam esse ex terminis, & iure; motus enim conditionem suam ex terminis suscipiunt, & præsertim ex termino ad quem; termini motuum sunt duo contraria, vt calefactio inter frigus & calorem versatur, dealbatio inter nigredinem & albedinem; vel saltẽ versatur inter media, vt seruant conditionem aliquam contrariorum; nam mutatio omnis vel versatur inter extrema, vel inter varia media, vel inter media & extrema. Termini autem generationis & interitus sunt forma & priuatio, qui denotantur per voces contradictorias; ita generatio dicitur transmutatio ex non esse ad esse: Ex qua prima differentia oritur secunda, quæ sumitur ex subiecto; cum enim materia prima ea sit, quæ dicitur potestate ad esse & non esse, & ad contradictoria, ideo subiectum generationis dicitur esse materia, quæ sit potestate ad esse simpliciter; subiectum vero motus est id, quod absolute est actu, & solum est potestate aliquid, non autem absolute: hanc differentiam, vt etiam primam, tradidit Aristoteles in 5. Phys. inquiens id quod generatur, hoc est subiectum generationis non est, nec est in loco, quod autem mouetur est, & est in loco: prima tamen differentia est principalior, quod ex eo patet, quia omnis motus, quamuis habeat subie-

*Sententia Academicorum.*

*Mutatio dupliciter vsurpatur.*

*De differentia mutationis a motu.*

*Sententia verior.*

*Prima differentia.*

*Secũda differentia.*

ctum actu, tamen mutatis terminis contrarijs in contradictorios dicitur esse generatio, non quidem simpliciter, sed in parte; si enim dico album fieri ex nigro, denoto alterationem & motum; si dico fieri ex non albo, denoto generationem quandam, similiter de cæteris; & quoniam omnis contrarietas resolui potest in contradictionem, nō autem vice versa, vt patet de contradictione substantiæ, ideo omnis motus potest dici generatio, vt asseritur in 5. Phy. nec non in 8. cont. 23. non autem generatio simpliciter potest dici motus, ex quo pendet quod oppositio inter motus dicitur contraria, cū versetur inter contrarios terminos; oppositio autem generationis & interitus dicitur contradictio, vt patet ex 5. Physi. quia primo & per se inter contradictorios terminos versatur; & qualis est oppositio terminorū, talis dicitur oppositio mutationis: Et dum dicimus terminos generationis esse contradictorios, non debemus intelligere contradictionem secundum vniuersam suam latitudinem, nam ita generatio & interitus non mediarent inter suos terminos, vt mediare debet omnis transmutatio, cum inter contradictoria non detur medium; sed intelligere debemus contradictionem in parte; & hoc patefecit nobis Aristoteles in primo Phy. 43. inquiens album fieri ex non albo, at non ex omni; sed ex nigro vel medio; similiter musicum ex non musico, non tamen ex omni; nam per negationem, quæ est terminus a quo generationis, intelligere debemus priuationem in subiecto nato recipere formam: & inter huiusmodi cōtradictoria in parte, mediare potest generatio sumpta pro fluxu, quæ neutrum eorū oppositorum est: dixi pro fluxu, quia si sumeretur pro termino, qui per fluxum acquiritur, generatio esset ipsum esse, interitus non esse, non autem medium. Sed pulchra emergit dubitatio quæ sit ratio, cur motus versari debeat inter cōtraria, generatio vero & interitus inter contradictoria: Respondeo rationē esse triplicem; prima sumitur ex termino ad quē, nam per generationē res acquirunt esse, ipsi autē esse opponitur non esse, quæ contradictoria sunt; per motū res non absolute acquirunt esse, sed esse tale, vel tantū, vel vbi, quorum opposita contraria sunt; secunda ratio sumitur ex conditione permutationis, nā maxima permutatio inter maxime opposita verti debet, ortus & interitus est maxima mutatio, ideo debet verti inter maxime opposita, huiusmodi aūt sunt contradictoria. Tertia ratio sumitur ex subiecto, nam subiectū generationis est materia, per quam res possunt esse & nō esse; subiectum motus est actu, quod est substantia contrariorū.

*Qūo termini generationis sint contradictorij.*

## *De oppositionibus Motus.* *Cap. VIII.*

*Mutatio ortū ducit ex oppositione.*

QVEMADMODVM mutatio omnis ex oppositione ortum ducit, quę versatur tum inter agens & patiens, tum inter actum & potentiam, tum inter terminos; ita mutationum genus varijs oppositionibus est prędítū; ei namque competunt primo oppositiones ad eius conditionē attinentes, mox oppositiones affectionum; oppositiones ad eius conditionem attinentes sunt tres; prima versatur inter motū & immobilitatem; secunda inter motum & quietem; Tertia inter motum & motum. Oppositiones attinentes ad eius affectiones similiter præsertim sunt tres; nam motus opponuntur vel per vnum & multiplicem, vel per secundum naturam & præter eam, vel per consimilem & dissimilem, ad quam redigitur oppositio per regularem & irregularem; adsunt etiā oppositiones per velocem & tardum, per nouum & æternum; sed primo numeratæ sunt principaliores, ideo in eis versabor. Pro prima oppositione quę versatur inter motum & statum, siue immobilitatē, considero quatuor principalia subordinata immobilia; primū est Deus, alterum sunt Poli Mundi; Tertium est centrum, ex quibus tribus oritur quartum, nēpe immobilitas vniuersi Mundi: hinc Arist. in 8. Phy. 52. dixit, manēte primo, nēpe Deo necesse est manere vniuersum, quod cōtinuatur cū eo. Quæritur quæ sit oppositio inter motum & statū, siue immobilitatem; Simplicius in 8. Phy. exponēs cōt. 19. inquit eam esse oppositionem contrariam; quod dubium est; tum quia Deo nil est contrariū

*Oppositiones attinentes ad conditionem oppositionum. Attinentes ad affectiones.*

*Quatuor immobilia.*

*Quæ sit oppositio inter motū & statum.*

ex 12. Metaphysicę tum insuper, quia contraria apta sunt fieri in eodem, motus & im mobilitas secus se habent: dicamus ea non proprie esse contraria, sed sui conditione maxime diuersa, & cum ambo denotent habitum, & formam quandam, ideo fusa voce, non autem proprie dici possunt contraria, vt etiam oppositio differentiarum ad cōtrarietatem redigitur; & status maiorem denotat perfectionem, quam mobilitas, hinc tribuitur Deo, qui stabilis manens dat cuncta moueri. Pro secunda oppositione, quę versatur inter motum & quietem considero primo ea sola quiescere, quæ apta sunt moueri, dum non mouentur, hinc quies dicitur absentia motus a subiecto apto moueri; considero insuper quietem posse considerari dupliciter, primo cum relatione ad illum actum, qui est motus, secundo cum relatione ad terminum ad quem, & ad formam, quam possidet: in prima consideratione quies est priuatio, & præsertim quies in termino a quo; in secunda consideratione quies est habitus, motus vero priuatio: & præsertim quies secundum naturam, quod patet, quia mobilia mortalia mouentur, vt quiescant, finis autem est habitus & forma, non priuatio: hinc Arist. in quarto de Cœlo ait tendere ad locum esse tendere ad formam; & Pythagoras motū sumebat pro cōtrario deteriore, priuationem pręferente, quietē vero pro potiore denotante actum. Insuper quies in termino ad quem & secundum naturam præsertim est forma & habitus, quies vero in termino a quo & præter naturam, præsertim est priuatio, cum sit remotio a perfectione, & dispositio pręter naturam; sic quamuis motui vniuersè sumpto opponatur quies, proprie tamen motui secundū naturam, opponitur quies præter naturam, & mutuo se destruunt; motui vero præter naturam quies secundum naturam. At motus & quies secundū naturam rectius subordinari dicuntur, quam opponi; hinc natura per se vtriusque est principium, vario tamen modo se habens, nam in suo loco est principium quietis, extra vero motus; Motus & quies inuicem comparata ita se habent, vt motus non dicatur fieri, sed sit ipsamet generatio, quies vero, quoniam est adeptio & possessio formæ, fieri dicitur, & tunc fit dum mobile mouetur; hinc dicitur esse partim in termino a quo, partim in termino ad quem, & quoniam quo magis, & velocius mouetur mobile, eo magis & citius formam acquirit, & portionem eius possidet, hinc Paradoxum hoc verissimum enunciare valęmus, mobile quo magis & velocius mouetur, eo magis quiescere, vt quod calefit, quo vehementius calefit, eo magis dicitur calidum; Loquendo de tertia oppositione, quæ versatur inter motum & motum, siue inter quietem & quietem, illi motus sunt oppositi, qui ex oppositis terminis in oppositos tendunt; vt motui ex calido in frigidum motus ex frigido in calidum, & ascensui descensus; ita motus secundum naturam opponitur motui secundum naturā, & violentus violento, vt descensui Terræ ascensus ignis, & descensui ignis, descensus Terræ; proprie tamen & præsertim opponuntur, dum præter oppositionem terminorum, etiam includunt oppositionem dispositionum, & considerantur in eodem, vt motui Terræ deorsum, qui est secundum naturam, opponitur motus Terræ sursum, qui est præter naturam; Ita etiam generationi, ne dum opponitur interitus, verū insuper generationi secundum naturam opponitur generatio præter naturam, & interitui secundum naturam interitus præter naturam, præsertim tamen generationi vnius secūdum naturam, opponitur interitus eiusdem præter naturam. Quod dixi de motu, etiā intelligi debet de quiete; nam quies in vno termino opponitur quieti in opposito termino, & quieti naturali quies violenta; proprie tamen & maxime quieti naturali in vno termino, opponitur quies violenta in termino opposito, vt quieti Terrę deorsum, quies Terræ sursum. Et si quis quærat quæ maior sit oppositio, num ea, qua motus opponitur quieti, vel potentia ea, qua motus opponitur motui, & quies quieti, Dicendum est motum & quietem magis esse diuersa, cum distinguantur genere; motum tamen motui magis opponi, quia magis inuicem pugnant, vnum non dirigitur ad alterum, vt motus ad quietem, & oppositio contraria includit priuationem & habitum, vt dicitur in primo Physicorum, non autem vice versa.

*Status mobilitati præfertur.*

*Oppositio motus & quietis.*

*Pythagoras.*

*Motus non fit.*

*Paradoxū.*

*Oppositio inter motus.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

## *An Motus late sumptus includens etiam ortum, & interitum sui conditione sit continuus; opinio id negantium. Cap. IX.*

ASSERVI ex communi motus definitione elici, vt sui natura & conditione debeat esse continuus; quod an sit verum summopere latet, propterea
*Ordo seruandus.* exquisite proponitur cõsiderandum: qua de re verba faciens, explicatis vocibus, referam primo fundamenta aduersæ sententiæ, mox veriorem comprobabo, & dubia soluam. In Problemate duæ inueniuntur voces, motus & continuum; nomine motus intelligo motum late sumptum, non distinctum a mutatione, vt definitur in 3. Phys. Nomine continui non intelligo æternum, vt id nomen vsurpatur ab Aristotele in 8. Phy. 54. neque intelligo continuum se
*Sensus dubitationis.* cundum totum ab initio ortus rei mobilis ad finem, sed intelligo cõtinuum definitum in prædicamento quantitatis, nec non in 3. & 6. Phys. cuius partes communi termino nectuntur, & aptum est diuidi in infinitum. Quæritur itaq; num motus vniuerse sum-
*Opinio quorundam.* ptus, pro eo tẽpore, quo est, necessario sit continuus; De qua difficultate inquiunt nõnulli viri docti nequaquam conditionem motus esse, vt sit continuus; quod præsertim his rationibus ostenditur; & primo formatur ostensio de omni motu, pro qua accipio primo omnium formarum materiatarum, siue sint substantiæ, siue accidentium, dari secundum extensionem maximum & minimũ, cum quo gigni possunt, vt elicitur ex primo Phy. contra Anaxagoram, & ex 2. de Anima 41. Accipio secundo motum omnem esse generationem vel simpliciter, vel in parte, vt in præcedentibus apparuit; Addo tertio non posse gigni minus minimo, includit enim contradictionem, vt patet; Accipio quarto minima acquiri momento, alioquin acquireretur pars post partem, & diuideretur indiuisibile, & daretur minus minimo; His demum addo momenta & indiuisibilia non posse necti, & continuũ constituere, vt ostenditur in 6. Phy. quibus præassum-
*Ratio prima.* ptis hæc formatur ostensio. Quæcunq; acquiruntur per minima, non acquiruntur cõtinẽter, per duo postrema assumpta; omnis forma acquiritur per minima, per tria priora assumpta; nulla itaque forma acquiritur continenter; Et si quis soluens dicat hac
*Solutio.* ostensione solum ostendi adeptionem primæ partis fieri momento, nil tamen prohibere subsequentes partes gigni continenter, quia quãuis non detur minus minimo Phy-
*Euersio.* sico seorsum, datur tamen iunctum alteri; Ea solutio non videtur satisfacere, quoniam ostenditur a Philosopho in 6. Phy. continuo non competere partem primã, & cui primum competit non esse continuum; & confirmatur, quia momentanea adeptio semper est finis alicuius motus, vt ostenditur ab Auer. in 6. Phys. 32. Hæc ratio elicitur ex
*Secunda ratio.* Auer. in 8. Phy. 23. confirmatur insuper ratione sumpta ex generatione substãtiæ, quæ
*Tertia.* non potest esse continua, cum forma substantiæ non recipiat magis & minus; insuper generatio & interitus versantur inter contradictoria, inter quæ nõ est medium, & pro-
*Quarta.* pterea mutatio inter ea fit momento: Præterea idipsum ostenditur per accretionem hunc in modum; Id quod cõsurgit ex mutationibus momentaneis non est continuũ; accretio consurgit ex mutationibus partium substantiæ; igitur non valet esse cõtinua; hinc Auer. in primo de Ortu & Interitu 38. ait accretionem fieri per minima substantiæ, quæ acquiruntur sine tempore; hac ratione vtitur etiam Auer. in 8. Phy. 23. Id ipsum ostenditur de diminutione; quæ frequenter fit simul, veluti fossio lapidis non fit a
*De Alteratione.* guttis cadentibus continenter, sed simul tota, vt ait Arist. in 8. Phy. 23. De alteratione etiam id ipsum patet, inquit enim Philosophus in eodem cont. coagulationem lactis,
*Aristot.* & congelationem aquæ simul fieri. Demũ id cõprobatur authoritatibus, primo Arist. cũ in primo, tum in 8. Phy. 23. asserentis dari mutationes, quę simul fiant, & in 2. Phy.
*Auer.* manifestat definitionem motus ab eo traditam ortui interitui, & disciplinæ competere; quæ tamen cum continuatione nõ fiunt. Auer. in 8. Phy. 23. aduersus Alpharabiũ

ait

ait definitionem motus non sequi continuationem in 5.Phy.21.inquit de generatione non esse verum genus motus,cum generatio non fit continua. Porphyrius,referente Simplicio in 1.Phy.23.asseruit dari mutationes momentaneas, vt patet de illuminatione; hinc Arist. in secundo de Anima 70. ait, Et non recte Empedocles,& si quis alius dixit ferri Lumen & extendi inter terram & continens,nos autem latere,&c.sic a speculo fine tempore radij repercutiuntur,& visibilia fine tẽpore feriunt oculos: Non itaque ex definitione motus elicitur,vt sit continuus,id enim quod ex definitione elicitur ad essentiam pertinet & competit omni. *Porphyrius.*

## *Ostenditur Motum sui conditione esse continuum.* Cap. X.

SATIS firmis rationibus ostendebatur motum non necessario esse continuum; oppositum tamen verius iudico,& firmioribus rationibus puto me id ostensurum; Primo id elicio ex communi definitione motus; nam omnis actus imperfectus,in fluxu positus,ad perfectionem properans,non indiuiduè,sed cum diuisione successione & continuitate fit,& præsertim cum fiat quatenus mobile est potestate,adeo vt sit partim in termino a quo, partim in termino ad quem,at omnis motus per eius definitionem talis est, ideo Iure Alexander,Theophrastus,& Simplicius consentiunt ex definitione motus elici continuitatem; Id ipsum patefecit Philosophus in quarto Physic.dum omnem motum tẽpore mensurari asseruit;quod in cont.132.verum esse affirmat de ortu,interitu,alteratione, & accretione; & sub initio quinti Physic. inter necessario requisita pro motu late sumpto numerauit tempus, quod cumulatius ex principali instituto patefecit in sexto libro, quo loci de continuitate motus verba faciens, latissime ostendit motum esse continuum, & ex indiuiduis non constitui, non mensurari momentis, non habere primum,& omne genitum prius gigni,& in contex.58. colligit, siue motus inter contraria,siue inter contradictoria versetur, semper ei competere quæ dicta sunt, & motum omnem late sumptum esse continuum,& omne quod mouetur,partim esse in termino a quo,partim ad quem; non refero rationes Aristotelis, quia vnusquisque valet eas in eo legere. Præterea id ipsum confirmatur in septimo Physic. nam in cont. 36. inquit si eadem facultas idem, certo tempore, per definitum interuallum mouet, per dimidium interuallum dimidio tempore id mouebit; & sub initio tertij Phys. ait differendum esse de continuo, quia motus continuorum est, & in quinto Metaphy. 18. redigit motum ad quantitatem continuam, & ait esse continuum per mobile, quod latius explicat in secundo de Ortu & Interitu 62. Adeo vt de sentẽtia Aristotelis ambigere non debeamus. Simplicius omnem mutationem esse continuam, & egere tẽpore frequenter affirmauit,& in primo Physic.23.id confirmat authoritate Theophrasti,& in octauo Physic.23.id ipsum comprobat authoritate Alexandri, & Auerroes in sexto Physic. 32. Alexandrum id putasse affirmat; quod confirmatur a Simplicio nedum quia motus est actus imperfectus ad perfectionem properans, verũ insuper sumpta ratione ex nomine mutationis, quæ græce dicitur μεταβολὴ, hoc est post aliud aliud,& hoc quidem prius,hoc vero posterius,vt Aristoteles quoq; sub initio 5.Phys. considerauit; non itaque datur mutatio,quæ sit tota simul; alioquin mutatio non esset mutatio, hoc est non esset post aliud aliud. Præterea id ipsum ostenditur rationibus; prima ratio peti potest ex termino ad quem,a quo motus & nomen,& conditionem recipit; qualis itaque est terminus ad quem, talis est motus; termini mutationũ sunt quantitas,qualitas, & vbi, quibus continuum & magis ac minus, vel saltem plus & minus competit,& propterea non simul recipiuntur; de substantia loquendo etiam formæ substantiales infra animum positæ recipiunt magis & minus, sine quarum permutatione nulla absoluitur generatio, quare ratione terminorum, ad quos est motus, mutatio omnis continua est; Insuper motus & vltimus eius terminus distinguuntur; *Continuum includi in motu.* *Ratio prima.* *Arist.* *Simplicius.* *Prima ratio.* *Secunda.*

motus enim omnis prædi‍tus eſt ſuis terminis, dum eſt finitus, qui a motu ſunt diſtincti; termini motus ſunt mutatum eſſe, ſiue momenta, quæ indiuidua ſunt, quare motus neceſſario eſt continuus; omne enim indiuiduo termino terminatum continuum eſſe debet, quoniam indiuiduum & non continuum, non eſt præditum termino. Inſuper id oſtenditur ratione ſumpta ex ſubiecto motus, nam accidentia maxime ex ſubiecto pendent; motus eſt accidens, quare conformari debet cum ſuo ſubiecto, quod eſt corpus & continuum; Hinc Ariſtoteles in ſecundo de Ortu & Interitu 62. manifeſtat motum ex ſubiecto continuationem recipere. Præterea vbi adeſt contrarietas, reſiſtentia, & continua actio prodiens ex agente, & recepta in patiente neceſſario reperitur continuatio, & tempus, at ea in omni mutatione locum habent; hinc Ariſtoteles in primo Phyſic. & in primo de Cœlo ea ſola gigni & interire dixit, quæ prædita ſunt contrario, colligamus itaque nullum momentum, ſiue mutatum eſſe, debere iudicari motum; at in mutationibus id quod eſt indiuiſibile, & non continuum, dicitur mutatum eſſe, igitur quod eſt indiuiſibile, & totum ſimul, non eſt motus, & per conuerſionem cum contrapoſitione omnis motus eſt diuiſibilis & continuus. Huius opinionis etiam fuit Scotus in ſecundo ſent. diſt. 2. q. 9. & cum eo Antonius Andr. 11. Metaphyſicæ q. vnica, a quibus de hac præcipua concluſione non diſſentio, quamuis diſſentiam de nonnullis adnexis, quorum conſideratio modo ad rem non facit.

*Tertia.* *Quarta.* *Concluſio.* *Scotus.*

## *Opinio Zimaræ & Balduini de continuatione motus, eius euerſio, & reſolutio difficultatis.* *Cap. XI.*

*Zimara & Bald.*

MARCVS Antonius Zimara accuratus obſeruator dictorum Auerrois in nona contradict. quinto Phyſic. Nec non Balduinus in 8. Phyſic. 23. inquiunt motum poſſe dupliciter conſiderari, primo conſideratione Mathematica & quatenus eſt quantum continuum, ſeiunctum per intellectum, & ita aiunt eſſe aptum diuidi in infinitum; Secundo conſideratione Phyſica, vt eſt ſenſibilis extra intellectum & in ſubiecto, & ita non eſt aptus diuidi in infinitum, ſed præditus eſt primo & vltimo, maximo & minimo; hinc ait Zimara motui, vt motus eſt, non repugnare continuum, veluti Talpæ, quatenus eſt animal, non repugnat videre, ſed ei repugnare, vt eſt in materia ſenſibili determinata; & hac diſtinctione nituntur ſoluere controuerſias in Ariſtotele & Auerroe, hac de re apparentes. Horum ſententia id veri includit quod datur minimum Phyſicum, & ſecundum formam, vt in primo Phyſic. & in ſecundo de Anima aſſerit Philoſophus, abſolute tamen vera non eſt; primo, quia definitio motus tradita ab Ariſtotele Phyſica eſt, & ex definitione illa elicitur continuatio, quare motui etiam conſideratione Phyſica continuatio competit; Præterea Mathematicus non eſt mendax, vt dicitur in ſecundo Phyſic. & in primo Poſter. at ſi Mathematicus motum, qui in rerum natura nō eſt continuus, diceret eſſe continuum, conſpicue mendax eſſet, non enim notio Mentis æquaretur conditioni rei, nam ex eo quod res eſt, vel non eſt, notio & enunciatio dicitur vera vel falſa; & quamuis Mathematicus dicat corpus eſſe diuiſibile in infinitū, & actu ob minimum naturale diuidi non poſſit; non ob id eſt mendax, quia vere corpus continuum eſt, & quatenus tale, ei diuiſio non repugnat: at ex ſententia Zimaræ, & Balduini motus, qui in mobili Phyſico reperitur, continuus non eſt; & confirmatur, quoniam inquit Ariſtoteles in ſecundo Phyſic. Mathematicum ordiri a re exiſtente in materia, & deſinere in eam a materia ſecretam; hoc non ſeruaretur, ſi motus in materia non eſſet continuus, & in imaginatione Mathematici continuus eſſet: exemplum de Talpa ad rem non facit, quia videre nec eſt in ratione Talpæ, nec Animalis; at continuatio eſt conditio motus, vt elicitur ex definitione propria eius. Inſuper Ariſtoteles in ſexto Phyſic. abſolute oſtendit motum neceſſario eſſe continuum, non autem ei

*Euerſio.*

non

non aduersari ratione generis; nam motus sua propria natura & conditione est actus imperfectus, properans ad perfectionem: Præterea si ea distinctione soluenda esset cōtrouersia in Auerroe, non debuisset Auerroes de aliquo motu concedere, de alio negare continuationem; at ipse inquit solum motum secundum locum vere esse continuum, quod etiam de veloci alteratione concedit in 8. Phy. 23. negat de alijs. Resoluentes itaque difficultatem dicamus primo conditionem motus vniuersè sumpti esse vt sit continuus, quod in præcedentibus patefeci. Addamus secundo hoc esse verum ex natura & conditione motus, non autem sola cōsideratione Mathematica, vt nuper patefeci; Addo demum quod quamuis Arist. in 8. Physi. cont. 23. oppositum videatur asserere, tamen institutum eius non fuit euertere continuationem motus, alioquin sententiam propriam late ostensam in 6. Phy. euerteret, sed solum reijcere sententiam destruentium quietem, & asserentium cuncta continenter moueri, & euertere fundamēta eorum. Vt autem veritas lucidior appareat, accipiendum est id, quod cum Platone & Galeno in præcedentibus approbaui, nempe, cum plures sint motus, duos tamen solos esse primos & simplices, quibus mobile moueri potest absque motu cæterorum, lationem scilicet & alterationem, cæteros necessario hos sequi, & præsupponere: Addo insuper vnicuique mutationi continuationem competere, dum fiunt, nō in facto esse, quod dicitur mutatum esse; nam eo modo sunt actus imperfecti, & eis competit definitio. Ex his colligo, si alteratio, & latio sunt motus continui, cæteri omnes cōsiderati, vt fiunt, necessario continui erunt, cum esse nequeant sine illis, vel sine altero eorum.

*Solutio ex propria sententia.*

*Duo soli motus simplices.*

## *Vnde oriatur continuatio Motus.* *Cap. XII.*

QVONIAM tunc solum dicimur scire, dum causam noscimus, & officium est Philosophi, causas rerum indagare, ideo vt de continuatione motus scientiam habeamus, eius principia & causas non ignorare tenemur. Causæ continuationis motus vel sunt propriæ eius & internæ, vel ei cō petunt munere connexorum; propriæ & proximæ sunt tres, mobile, forma, quæ per motum acquiritur, ad quam redigitur interuallum & locus, & demū resistentia: causæ conspirantes per connexa apparent præsertim in generatione viuentium, & interitu, quæ sine alteratione & permutatione elementorum non fiunt; & hæ sunt singulatim perpendendæ. Vt pertinet ad mobile, inquit Philosophus in secundo de ortu & interitu contex. 62. continuationem motus ortum ducere ex mobili; affectio enim & accidens a suo subiecto recipit conditionem; Idipsum affirmat in quarto Physic. 99. inquiens. Quoniam autem quod mouetur, tendit ex quodam in quiddam, & omnis magnitudo continua est, sequitur autem magnitudinem motus, & quia magnitudo continua est, motus est continuus, & quia motus, & tempus; quantus enim motus, tantum & tempus videtur fuisse, prius autem & posterius in loco primum sunt, hic quidem positione, quoniam autem in magnitudine est prius & posterius, necesse est & in motu esse prius & posterius &c. His verbis asserit Philosophus motum esse continuum per mobile, indicando continuationem, per quam motus est effusus per mobile; includere autem prius & posterius per locum, hoc est per gradus formæ, quæ acquiritur; nam re vera motus non necessario per mobile continuationem secūdum successionem temporis includit, quoniam Mathematici imaginantur ex fluxu puncti consurgere lineam, & Theologi asserunt Angelos incorporeos moueri, quorum motus, qualiscunque sit, valet esse continuus ex parte productionis & temporis, quamuis non sit continuus ex parte extensionis in mobili. Insuper ratio sumpta ex continuatione mobilis, non est necessaria, quia corpus continuum æque per omnes eius partes distans a motore, vt a calefaciente, potest æque primo per omnes partes incipere moueri, vt etiam elicitur ex octauo Physic. 23. Altera continuationis ratio sumitur ex forma, quæ per motum acquiritur; cum enim ea recipiat magis & minus, acquiritur per gradus

*Causæ continuationis motus.*

*Ex mobili.*

*Ex termino ad quem.*

gradus existentię cum continuatione, vt etiam se habet de loco, in motu secundum locum; hæc est causa sine qua motus non est continuus, non tamen est satis; quoniam si ea forma careret contrario resistente, momento acquireretur, vt patet de Lumine: similiter Aristoteles in octauo Physic. 23. inquit congelationem coagulationem, & scissionem lapidis nonnunquam fieri simul, dum subiectum primo paratum fuerit; Ideo adest tertia ratio ex resistentia pendens, quæ est vel externa, vel interna; externa oritur ex medio, quod vel magis vel minus mobili resistit; Interna pendet vel ex contrario pugnante, vel ex conditione corporis, cui repugnat, vt partes eius simul sint in distantibus partibus loci; de qua postrema resistentia non leuis est dubitatio. Auerroes in 4. Phys. 71. Inquit successionem motus oriri vel ex resistentia, qua mobile resistit motori, vel qua medium resistit mobili, vel qua medium resistit motori; & resistentia ea est, quæ necessario motum subijcit tempori. Et siquis quærat, cum motus sit continuus, num præditus sit primo mutato, adeo vt primum in eo assignare valeamus? Respondeo primum in motu esse duplex vel sensu, vel ratione; datur primum secundum sensum, quod sensu percipiatur, non secundum rationem; Insuper datur primum actu non primum potestate; primum actu dicitur id, quod potest esse terminus ad quē motus, & valet seruari in mobili sine præsentia motoris; ita in primo de ortu & interitu conceditur punctum, hoc est minimum secundum sensum, & in lib. de Sensu & sensili cap. 6. Conceditur sapor minimus; & ita ea mutata & facta, si considerantur ratione & potestate, sunt infinita; at si considerantur sensu & actu finita sunt. Colligamus itaque motum necessario continuum esse, & aptum diuidi in infinitum, dum consideratur, vt est actus imperfectus continenter ex motore pendens, permixtus cum potentia mobilis; insuper dum consideratur potestate, & ratione, non sensu, & est continuus pro eo tempore in quo reperitur, & nisi semper sit continuus ratione proprij termini, saltem est continuus ratione connexorum cū eo, vt de hominis generatione dixit Auerroes in primo Physic. 62. At obiiciunt nonnulli afferentes mutationem non debere dici continuam ob connexa, quoniam ita etiam ad relationem, & ad motum esset motus, cum saltem ex accidenti ad ea sit motus & per connexa includant continuationē; nos autem ea tenemur considerare, quæ sunt per se, & ex eis petere denominationē; soluitur instantia, quoniam de generatione loquendo ea continuationem includit in fieri ob præordinata ad illam; alteratio enim ad ortum substantiæ, per naturæ principale institutum dirigitur; non sic se habet de relationibus, & de motu, quæ sunt, & nō sunt sine ortu & interitu, vt asseritur in primo de Cœlo. At iure quæret aliquis, cum motus sit continuus, continuatio quomodo se habeat ad motum, num sit differentia illum constituens, vel genus vel affectio? Zimara in Tabula ait esse affectionem, nam actum imperfectum sequitur continuatio tanquam affectio; ex aduerso videtur esse genus, siue differentia constituens genus eius; nam inquit Aristoteles sub initio tertij Physicorum motum esse continuorum, indicans motum esse ex genere continuorum, vt etiam in 5. Met. motum redegit ad quantitatem continuam, similiter continuū non dicitur affectio temporis, sed natura, & conditio, vt mensura est; puto dicendum motū posse dupliciter considerari, primo, vt quantus est, & ita continuum est differentia diuidens quantitatem & constituens proximum genus motus siue temporis, vt patet ex principio prædicamenti quantitatis; secundo considerari potest motus, vt actus imperfectus motoris & mobilis attinens ad prędicamenta actionis & passionis, vel ad ea, ad quæ vt ad terminos est motus, & hac consideratione non est differentia, cum diuersorum generum & non subalternatim positorum distinctę sint differentiæ, sed est affectio sequens actum imperfectum tendentem ad perfectionem, vt includit aliquid cōmune, nimirum gradus, per quos acquiritur, & perficitur.

*Ex resistentia.* *Resistentia externa.* *Interna.* *Auerroes.* *Num in motu detur primum.* *Solutio.* *Colligitur conclusio dictorum.* *Auerroes.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Zimara.*

## *Dilutio aduersarum rationum.* Cap. XIII.

EXPLICATA continuatione motus, superest modo vt aduersas rationes diluamus. Dicebatur primo quæ acquiruntur per minima, non acquiruntur cum continuatione, at omnis forma acquiritur per minima, cum detur minimum Physicum secundum formam, & non possit acquiri minus minimo. Responsio patet ex dictis; nam datur in motu primum secundum sensum & actu, non ratione, & potestate; insuper quamuis non detur secundum formam minus minimo per se & sua facultate existēs, datur tamē per præsentiam agentis, conseruatum ab eo, & in fieri; & nisi adsit aliquid principalis termini motus, adest saltem aliquid disponens pro eo, quia omne mutatum est terminus alicuius motus.

*Solutio prima rationis*

Afferebatur mox instantia de productione formæ substantiæ, quæ non recipit magis & minus, nec datur medium inter contradictoria. Cui respondens dico primo formas Elementorum & mixtorum recipere magis & minus, sine quorum permutatione nulla fit generatio; addo insuper generationem viuentium includere continuationem non per animam, sed per præcedentes & comitātes permutationes, adeo vt continuatio ei competat quatenus fit, vt etiam ei competit definitio motus. Et ex hoc elicitur solutio difficultatis propositæ a Simplicio in 6. Physic. exponente cont. 4. Et in octauo Physi. 69.

*Solutio secunda.*

Nam quæritur quando obiit Socrates, vel quando excessit e vita, vel ante, non primum, quia tunc mortuus dicitur, nō ante, quia tūc viuebat, & fuit ratio Platonis ostendentis mortem nec ad viuentes, nec ad defunctos pertinere, & ob id esse negligendam. Ipse cum Alexandro soluens inquit in indiuisibili nectente non esse cum esse obiisse; & animaduertendum est quod vel quærimus quando moriatur, vel quando primo mortuus dicatur; si quærimus quando moriatur, dicimus illum mori dum præcurrunt dispositiones pro obitu, adeo vt post statum animalia dicantur mori, quia tendunt ad non esse; nec approbanda est sententia dicentium nascentes morimur; quia vsque ad statum dicimur gigni, & perfectionē acquirere. At si quæratur quando mortuus est Socrates, sic recte Simplicius cum Alexandro inquit primo mortuum esse in eo indiuisibili, quod nectit non esse cum esse, nam tunc mutatus dicitur, quod mutatum præcessit mutatio, cui competit definitio motus, & est terminus eius mutationis & tunc dicimus nunc non est, & prius erat.

*Quando moritur homo.*

*Falso dicitur nascentes morimur.*

Insuper si consideratur adgeneratio & connexio cum primo minimo genito, ea potest esse continua, tum quia datur minus minimo in infinitum, iunctū alteri, quamuis non detur secundum, tum insuper ob continuationem subiecti quanti, quod permutatur, vt inspicimus id seruari in combustione paleæ & ligni aridi, similiter in productione flammæ, quæ cum continuatione reficitur.

*Adgeneratio.*

Instantia sumpta ex eo, quia inter contradictoria non datur medium, soluta est in præcedentibus, quia termini non sunt contradictorij secundum totam vniuersitatem, sed secundum partem; nam quamuis inter ignem & non ignem vniuerse non detur medium, inter hunc ignem tamen & ignē perfectum, & inter ignem & illum non ignem, qui est natus fieri ignis datur medium, & est vel ignis imperfectus, vel ille non ignis, qui non est aptus fieri ignis. Afferebatur deinde instantia de accretione & diminutione, qua de re non leuis est altercatio inter Ludouicum Boccaferrum, Pomponatium, Zimaram, & alios viros præclaros, & præsertim de termino proprio accretionis, & de modo, quo accretio & diminutio continuationem includant: qua de re verba feci in lib. de accretione: vt autem ad hunc locum pertinet, sat est quod accretioni continuatio non repugnat, nec ratione termini proprii, qui est continua quantitas siue perfecta magnitudo, nec ratione adeptionis maioris loci, nec ratione connexæ alterationis, per quam fit, nec ratione adgenerationis, quæ vt patuit valet esse continua; nulla itaque ex parte accretioni repugnat continuitas; & cum semper, dum fit, continuationem includat; non propterea necessario

*De accretione.*

est con-

eſt continua ratione proprij termini;quoniam,vt ait Ariſtoteles in octauo Phyſic.2 3. poteſt aliqua latitudo extenſionis ſimul acquiri, ſimulque deperdi. Ac ita diluitur controuerſia apparens in Ariſtotele,nam cum in tertio Phyſic.aſſerat omnem motum eſſe actum imperfectum,& in ſexto oſtendat omnem motum eſſe continuum, non videtur ſibi conſtare,quia in octauo Phyſi,2 3.de accretione & aliis manifeſtat aliquando continuatione carere; ſoluitur quoniam in octauo Phyſi. ſolum oſtendit corpora non continuo ſine quiete moueri,vt putauit Heraclitus,nec ſemper motus eſſe continuos ratione proprij termini,& demum dari in motu primum non potentia ſed actu, non ratione ſed ſenſu;Alibi autem conſiderauit motiones,quatenus fiunt,& conſiderauit primum ratione,& potentia. Afferebatur deinde inſtantia de alteratione, nam lactis coagulatio,illuminatio actiones viſibilium, & ſimiles mutationes carent continuatione,& fiunt momento temporis. Eſt lis inter principales intepretes an dentur mutationes momentaneę;Ariſtoteles videtur eas concedere, in primo Phyſic.2 3. in octauo Phyſi.2 3.in ſecundo de Anima 70.Porphyrius referente Simplicio in primo Phyſi.2 3.eas approbauit,ſimiliter eas concedit Auerroes in primo Phyſi.2 3.in ſexto 32.in octauo 2 3.Ex aduerſo Simplicius eas tenuit,& mutationem omnem egere tempore aſſerit,vt patet ex octauo Phyſic.dum exponit contex.2 3.& in primo Phyſi.2 3. inquit Theophraſtū eiuſdem fuiſſe ſententiæ,& id ipſum refert de Alexandro in ſexto Phyſic.32. nec non in octauo, vigeſimotertio;Auerroes quoque in ſexto Phyſic.2 3. inquit Alexandrum eius opinionis fuiſſe; Quod confirmatur a Simplicio per nomen mutationis,quod denotat poſt aliud aliud,vt aſſeritur ab Ariſtotele in 5.Phyſic. context.7.verba autem Ariſtotelis dicentis fieri mutationes ſimul, interpretantur, quod fiant ſimul non momento,ſed ratione partium mobilis,quæ ſimul,& nō vna poſt aliā mutantur; Profecto ſi rem accurate perpendimus,lis tota in verbis eſt collocata, nam in varia ſignificatione vtuntur nomine mutationis: illi, qui aſſerunt dari mutationes momentaneas, nomen mutationis extendunt etiam ad mutata eſſe, quæ ſunt termini motus,& minus proprie loquuntur; qui vero mutationes momentaneas inficiantur, preſſius accipiunt nomen mutationis,non compræhendentes ſub eo mutata eſſe, quæ ſunt termini motus;& confirmatur hoc concilium,quia Simplicius in 5.Phyſ.contex. 9.Generationem ſumptam pro vltima eductione formæ momentaneam affirmat; ſimiliter in ſexto Phyſico.45.& in octauo Phyſico.69. ne itaque Simplicius ſecum pugnet, dicendum eſt, illum ſecreuiſſe mutationem a mutato eſſe, vt recte loquendo ſeiungi debet.

*Soluitur cō trouerſia* — *Apparēs in Ariſtotele.* — *De alteratione.* — *Ariſtoteles* — *Porphyrius.* — *Auerroes.* — *Simplicius.* — *Theophraſtus.* — *Alexander* — *Concilium.*

## *De quo Motu loquatur Ariſtoteles in octauo Phyſico. dum in proœmio conſiderandum proponit an motus ſit æternus.* Cap. XIIII.

ACCVRRATA Methodo,& congruente ordine differens Philoſophus in libris Phyſicorum de motu abſoluit primo quæſtiones ſimplices, declarando quid ſit motus; nam illum eſſe ex ſe conſtat;cum eius explicatione iunxit declarationem infinite,loci,vacui,& Temporis, quoniam vel requiruntur, vel requiri videntur pro eius conſtitutione; mox in quinto libro diuiſit motum in ſpecies,& illum a mutatione ſecreuit; quæ omnia pertinent ad quæſtiones ſimplices; hinc in context.2 1. Quinti libri colligit ſe declaraſſe quid ſit Motus,quot ſint mutationes, & quales earum motus ſint; accingitur deinde ad explicandas quęſtiones compoſitas,nempe qualis ſit motus, & propter quid ſit talis; quærens qualis ſit motus primo conſiderat quis motus ſit vnus,quis multiplex,cū qua conſideratione nectitur conſideratio oppoſitionum motus; oppoſitio enim eſt quædam multitudo, & quoniam motus vnus eſt continuus, quam continuationem

motus

motus recipit a mobili, ideo in sexto libro sermo est de continuo, & de mobili, & ostẽditur continuum non componi ex indiuisibilibus, & omne mobile esse continuum, & esse corpus. Et quoniam motus per continuum particeps est infiniti, est enim diuisibilis in infinitum, & in motu triplex considerari potest infinitum, primum in diuisione, quod ei competit per cõtinuum, alterũ ex parte terminorum, ad eo vt nullo termino limitetur, veluti dicebat Democritus, & Epicurus atomos in immenso vacuo descendere in infinitum, quod infinitum a motu abest, nil enim in infinitũ mouetur, sed motus omnis præditus est suis terminis, vt ostenditur in eodem sexto Physic, ideo dubitatio solum est de tertio infinito secundum moram & conseruationem, vel vnius & eiusdem numero motus, per reiterationem, vel motuum in communi, per successionem variorum mobilium: & quia vere motus æternus ille est, qui est vnus numero ideo hunc in calce sexti supponit dari, ad cuius comprobationem nos dirigit & parat in septimo libro, mox in octauo exquisitissime eam perficit; ideo in Procemio libri explicans consilium suum inquit, vtrum autem factus est aliquando motus, cum non esset prius, & corrumpetur rursus, adeo vt moueatur nihil, vel neque factus est, neque interit, sed semper erat, & semper erit, & hoc immortale, & sine quiete inest ijs, quæ sunt &c. Cum Philosophus de æternitate motus differendum proponat, dubium est an proponat differendum de æternitate primi motus, qualiscumque sit, vel potius de æternitate motus in communi. Existimauit Auerroes Aristotelem dubitare de motu primo indefinite sumpto, qualiscumque sit, & vel sit vnus, vel plures, per quem, vel per quos reliqui motus seruentur æterni, & ita putat ostendi motum primum esse ęternum, & esse vnum nimirum orbicularem, per quem reliqui redduntur modo aliquo æternitatis participes: hęc opinio satis firmis rationibus comprobari posse videtur, & primo ratione sumpta ex æternitate, nam ea affectio inquirenda & ostendenda est, quæ vere & proprie talis est, at vera & propria æternitas motus, ea est, quæ vni motui cum continuatione competit, qualis ea sola est, quæ competit primo motui. Altera ratio elici potest ex motu, nam de eo motu ostendi debet æternitas, cui primo competit, & qui est causa æternitatis reliquorum, huiusmodi solus est motus primus; & nisi Philosophus de hoc dubitasset, & ostensiones formasset, non seruasset regulas & præcepta sua; asserit enim sub initio quarti Metaphysicę eorum quæ sunt ab vno adeo, vt primũ sit causa cęterorum, id primum proprie esse subiectum, & præsertim esse considerandum, & in primo Post. docet affectionem de suo primo subiecto esse ostendendam, Tertio id elicitur ex ipsomet Aristotele; nam de æternitate eius motus loquitur, de qua in calce sexti libri supposuit posse dari, ad quam in septimo libro parat, quam in procemio octaui proponit considerandam, de qua format ostensiones, & soluit instantias, & quam demum se ostendisse colligit: At hæc facit de primo motu, non de motu in communi; quod ostendo, nam in calce sexti supponit posse dari motum vnum æternum & continuum, qui profecto solus est motus primus; ad hunc parat in septimo, ostendendo omne moueri ab aliquo, & non dari progressum in infinitum, vt nos ducat ad primum: hunc proposuit in procemio dubitans de eo motu qui est sine quiete, & tanquam vita rerum natura constantium, & de quo eadem est ratio, ac de æternitate & ortu mundi, & conducit Methodo de primo principio; vere enim tanquam vita est motus Cœli, & de eo eadem est ratio ac de Mundo; nam Plato etiam ante mundi ortum reperiri asseruit motum aliquem, & eo primo motu vtimur pro ostensione separatorum. Insuper de hoc format ostensionem inquiens in contex. 10. Motum esse æternum, quia tempus quod est vel idem cũ motu, vel eius affectio æternum est, hoc autem de solo primo motu verum est: de hoc soluit instantias, vt patet ex context. 18. de hoc in contex. 49. colligit se egisse inquiens, patet ex hoc necessario debere reperiri vnum aliquid æternum, & primum mouens, ostensum est enim quod necesse est semper motum esse; si semper necesse est & continuum esse, nam quod semper est, continuum est; at vero si est cõtinuus, etiam est vnus, si est vnus, est ab vno motore, & vnius mobi-

*Triplex in motu infinitum.*

*De quo motu Philosophus dubitet.*

*Auerroes.*

*Prima ratio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Cõfirmatio.* mobilis,&c.conspicue Philosophus colligit se de primo motu ostensiones formasse; & confirmatur, quoniam vt æternitas se habet ad mobilia, ita ad motum; at Aristoteles in primo de Cœlo, æternitatem primo ostendit de Cœlo, tanquam de causa, mox de mundo vniuerso, quare similiter loquens de æternitate motus eam primo ostendere debet de motu primo, & ex eo tanquam ex causa colligere æternitatem motus in communi. Proponit itaque Philosophus agendum de æternitate primi motus, quicunque sit; mox ostendit primum motum esse motum orbicularem & ei soli non repugnare vt sit vnus, æternus, & continuus, quod prius supposuerat.

## *Opinio asserentium Aristotelem proponere differendum de motu in communi an sit æternus. Cap. XV.*

SENTENTIA Auerrois satis firmis videbatur niti fundamentis; Ex aduerso tamen Græci interpretes & præsertim Simplicius, insuper Alpharabius, Auempaces, Auicenna, D. Thom. & alij plurimi asserunt difficultatem ab Aristotele proponi de motu vniuerse sumpto; quam sententiam veriorem puto; quod vt pateat, considerandum primo est quid recta ratione facere debuerit Aristoteles, mox quid faciat. Debuit profecto primo agere de motu vniuerse sumpto, quod ostendo primo per regulam ab eo sæpe prolatã communiora primo esse declaranda; quod etiam de anima seruauit, quamuis ea sit ab vno, & de aliis: secundo quia liber Physicorum est de communibus, in quo propria & partes considerantur solum vt complicata cum communibus & pro communium notitia: Tertio quia idipsum seruauit de cæteris in his libris consideratis, veluti de Principijs, & affectionibus: Quarto quia affectio ostendi debet de primo æquato subiecto, & debet referri ad subiectum libri; subiectum æquatum æternitatis, relatum ad subiectum adæquatum libri est motus communis, quare nisi Aristoteles de motu communi Physico dubitasset, non seruasset regulas & præcepta sua. At perpendamus quid seruauerit; profecto si accurate eius verba & rationes perpendimus, inueniemus id lucide præstitisse; nam in procemio difficultatem proponens ait, an factus sit aliquando motus; ait motus absolute, non contrahendo per primum, & addit cum non esset prius; & rursus interit; adeo vt moueatur nihil; ait absolute vt moueatur nihil, non ait vt non moueatur primum mobile: Insuper inquit motum illum, de quo dubitat, tanquam vitam inesse omnibus natura subsistentibus; huiusmodi est non motus primus tantum, sed motus omnis naturalis, qui perinde se habet ad Naturam, ac vita ad animam; ideo ab Academicis vita postrema dicebatur. Insuper de eo motu dubitat, de quo statim supponit quod sit; at hoc facit in primo cont. nõ de motu primo, sed de motu vniuerse sumpto inquiens, esse quidem motum omnes affirmant, & quia mundum genitum dicunt, & quia de ortu & interitu rerum verba faciunt: immo de motu primo quod detur, & non sit progressus in infinitum in motoribus & mobilibus ostenditur in progressu. Præterea id ipsum patet ex relatione opinionis veterum Philosophorum; nam Democrito, & Leucippo tribuit quod putarint motum æternum, cum tamen ipsi non motum vnum primum, sed motum vniuerse sumptum putarint æternum: Similiter elicitur eadem sententia ex reiectione opinionum Anaxagoræ, & Empedoclis, quos damnat, non quia motum primum, sed quia motum vniuerse sumptum negarunt æternum: Insuper soluens Philosophus instantias aduersas, & præsertim secundam & tertiam, eas soluit pro motu vniuerse sumpto inquiens, quod quamuis expertia animæ, & animalia videantur incipere moueri, cum primo non mouerentur, tamen eorum motui motus alius antecedit; Præterea Aristoteles ostensurus æternitatem motus formans primam rationem pro principio accipit definitionem non primi motus, sed motus in communi; per definitionem autem ostenditur affectio eius,

*Aris. loqui de motu vniuerse.*

*Quid facere debuerit Aristot.*

*Quid seruauerit.*

cuius,

cuius est definitio, non alterius; Insuper conspicue hoc elicitur ex prima ostensione æternitatis; nam ostendit Philosophus non posse motum incipere, cũ non esset prius, quia quocunque excogitato principio motus, datur motus prior, quæ ostensio formatur, vt patet, non de motu primo, sed de motu vniuerse sumpto; Insuper Aristoteles distincto sermone in progressu libri verba facit de primo motu; nam post cont. 34. ostēdit esse necesse ad primum aliquod mobile deuenire, & post contex. 63. ostendit solum motum in orbem esse primum, æternum, & continuum: Et in contex. 61. inquit simul autem & quod nunc, & quod prius suppositum est, quod contingit quendam motum continuum esse, & perpetuum conspicuum erit eadem Methodo, &c. quibus verbis ait de primo motu suppositum id fuisse, non ostensum; prius vero in contex. 36. de motu absolute ait fuisse ostensum esse æternum; quare asserentes in principio libri fuisse ostensam æternitatem primi motus, conspicue aduersantur verbis Philosophi. Demum hoc lucidissime elicitur ex Epilogo, quo vtitur in contex. 77. inquiens, quod igitur motus semper & erat, & erit omni tempore, & quod nam sit principium æterni motus, insuper quis motus primus sit, & quem motum perpetuum contingit solum esse, & quod primus motor æternus sit, dictum est &c. his verbis Philosophus ne dum declarata colligit, verum insuper quo ordine sint declarata manifestat, asserens primo declaratam fuisse æternitatem motus vniuerse, mox æternitatem primi motus. His accedit quod Auer. secum pugnat; nam in 2. com. inquit Aristotelem non fecisse mentionem opinionis Platonis, quoniam ex Platonis sententia quamuis Mundus non sit æternus, est tamen æternus motus, quia materia ante mundi ortum sine ordine mouebatur; at motus ille non erat motus primus, causa æternitatis cæterorum, quare vel Auer. secum pugnat, vel cogitur fateri Aristotelem loqui de motu vniuerse sumpto. Colligamus itaque motum in communi esse subiectum adęquatum æternitatis vniuerse sumptæ, motum primum esse subiectum adæquatum proprie, & pincipalis ęternitatis; insuper addamus institutum adæquatum Aristotelis fuisse ostendere æternitatem motus vniuerse sumpti, institutum principale, æternitatem primi motus. Præterea aduersus Auerroem dicamus Aristotelem in primo cap. ostendisse æternitatem motus vniuerse sumpti, non autem primi motus, & ob id Auerroem, cum alijs per traditam distinctionem conciliari non posse.

*Ex Epilogo.*

*Auer. secũ pugnat.*

*Conclusio.*

## *Diluuntur rationes aduersæ.* Cap. XVI.

PATEFACTA & approbata veriore sententia, facile modo est aduersas rationes diluere; prima sumebatur ex affectione, quia vera æternitas motus ea est, quæ vni motui, numero æterno competit; altera sumebatur ex motu, quia de illo motu æternitas est ostendenda, cui primo competit; quæ duæ ostensiones nil aliud ostendunt nisi æternitatem ex principali instituto de primo motu esse ostendendam; at non primo ordine, nec adæquate de eo ostendendam esse; quoniam sententia est Aristotelis in quarto Metaphysicæ etiam id quod est ab vno posse definiri, & subijci scientijs, & id quod est commune, primo est considerandum, vt seruauit Aristoteles agens de Anima, quę ab vno est; sic in primo Posteriorum docet affectionem communem de subiecto adæqua to ostendendam esse. Addebatur tertio ex Aristotele elici quod loquatur de primo motu; respondeo ex eo recte considerato id solum elici quod approbaui; nam in calce sexti supponit dari motum primum, æternum, vt principale institutum, & ad illum, vt ad principalem, nos dirigit & parat in septimo, mox in octauo ordıtur ab æternitate motus vniuerse sumpti, vt per hunc nos eleuet, & ducat ad primum tanquam ad principalem & causam æternitatis aliorum. Addebatur Aristotelem in proœmio octaui ęternitatem primi motus proponere considerandam; at ego ex aduerso iam patefeci

*Diluitur prima ratio & secunda.*

*Tertia ratio.*

Ff opposi-

oppositum, id tamen comprobatur, quia Aristoteles id proponit considerandum de motu, qui est sine quiete, & tanquam vita rerum natura constantium, de quo eadem est ratio ac de æternitate & ortu Mundi, & conducit Methodo de primo principio. Respondeo motum vniuersè sumptum esse sine quiete communi, non particulari; nõ enim ita cœpit, vt prius nihil moueretur; insuper omnis motus naturalis est tanquam vita; vt enim vita se habet ad viuentia, ita motus secundum naturam se habet ad naturam; nam ambo prodeunt a principio interno, & perficiunt id, cui competunt; & de motu in communi est eadem ratio, ac de Mundo, quia consideratur motus ad Mundũ & eius partes pertinens; & æternitas motus vniuersè sumpti cõducit Methodo de primo principio, quatenus per illum eleuamur ad motum primum, pendentem ex primo principio. Addebatur rationem ex tempore sumptam solum habere vim pro ostendenda æternitate primi motus; respondeo tempus esse huius conditionis, vt necessario motum præsupponat, siue ille motus sit primus, vel non sit primus parum refert; sat est quod hæc consecutio necessitatem includit, Tempus est, igitur motus est, & ideo vim habet etiam pro ostensione æternitatis motus vniuersè sumpti, quia ex specie infertur genus, & ex collocato sub communi infertur commune. Dicebatur insuper Aristotelem soluere instantias pro primo motu; respondeo Aristotelem trium propositarum instantiarum duas soluere de motu vniuersè sumpto; quæ solutiones essent inanes, si de motu primo loqueretur; instantiam tamen sumptam ex terminis motus soluit de primo motu, tanquam de causa, & vt patefaciat, eam oppositionem non euertere æternitatem, quia saltem datur motus, qui non adeo inter opposita versatur, vt non valeat nectere principium cum fine, & hoc supponit vt in progressu ostendendum. Eliciebatur satis conspicua comprobatio ex epilogo, quæ tamen nullius est roboris, quoniam in cont. 49. colligens æternitatem primi motus non eam colligit vt primo propositam & ostensam, sed virtute declaratorum post cont. 34. post quem patefecit deueniendum esse ad primum aliquem motum, de quo colligit eum vere esse æternum, at non ob id inficiatur motum vniuersè sumptum modo aliquo esse æternum; Addebatur demum, Aristotelem in primo de cœlo æternitatem primo ostendisse de Cœlo & ex eo collegisse æternitatem Mundi; Respondeo de cœlo & Mundo distinctam esse rationem, ac de motu primo & motu vniuersè sumpto; nam hæc duo se habent vt vniuersale & species eius, vniuersale autem prius est considerandum; non ita se habet de Cœlo & Mundo; insuper æternitas vt competens cœlo magis est conspicua, quia eius motui contrarium non competit; & iam in octauo Physic. erat ostẽsum motum orbicularem solum posse esse vnum, æternum, & continuum, ideo ab ea orsus est pro ostensione alterius.

## *Ad quem pertineat considerare an motus sit æternus. Cap. XVII.*

*Ostendere motum æternũ videtur officiũ Physici.*

CVM Philosophus asserat, & ostendere nitatur motum esse æternũ, quæritur ad quam Philosophiæ inspectricis partem pertineat id ostendere; Primo id videtur pertinere ad Physicum, quia mobile & motus Physicæ considerationis esse dicuntur; & Arist. in 8. Phys. rationibus Physicis id ostẽdit; similiter in primo de ortu & interitu causam assignat æternæ generationis deprompram ex materia, in secundo autem libro causam explicat efficientem, & in 12. Metaph. cont. 43. æternitatem motus, ait esse in Physicis ostẽsam.

*Videtur officiũ Astronomi.*

*Videtur Metaphysici.*

Ex aduerso videtur id pertinere ad Astronomum, cuius officium est considerare cœlestia corpora, & eorum motus; Insuper id videtur attinere ad Metaphysicum, quoniã sententia Aristotelis in primo Post. est medium & extrema demonstrationis esse eiusdem generis, hoc est pertinere ad eandem scientiam; at motus æternus est medium

pro

pro ostensione abstractorum, quæ ad Metaphysicum pertinent, igitur & motus: præterea id, cuius causa est Metaphysica, ad Metaphysicum pertinet, causa æterni motus est forma separata, vt asseritur in octauo Physic. quæ est Metaphysica, igitur ad Metaphysicum pertinet. Hoc videtur etiam asserere Auer. in primo de Anima com. 5 1. inquiens, Quare melius sit cœlum moueri, quam quiescere, & cur potius in orbem, quã motu recto moueatur, Metaphysicæ est considerationis; confirmatur quia Arist. in 12. Metaphysicæ ratione sumpta ex æternitate temporis ostendit motum esse æternum; res itaque est satis dubia, pro cuius resolutione accipio id, quod a Philosopho asseritur in primo Poster. nam inquit interrogationem posse esse Geometricam vel ex parte principiorum, vel ex parte conclusionis, vel ex parte vtriusque: Similiter, dum quæritur ad quem pertineat ostendere motum æternum, dico hoc posse considerari vel ex parte motus & mobilis, vel ex parte principiorum; si consideratur ex parte motus & mobilis, absolute hoc dicitur ad Physicum pertinere; nam quæcunque sunt cum motu, dicuntur esse Physica, vt patet ex principio sexti Metaphysicæ, nec non ex duodecimo, quod confirmo, quia Aristoteles in 12. Metaphysicæ 43. cum per æternitatem motus ostendisset dari substantias abstractas, inquit æternitatem Motus in Physicis fuisse ostensam; nam quamuis id quoque efficiat in 12. Metaphysicæ, tum quia locus proprius est octauus Physicorum, & in 12. Metaphysicæ solum id facit per repetitionem & memoriam, ideo in Physicis ait fuisse ostensam. Altera ex parte dum consideratur ratione principiorum, ea consideratio partim Physica, partim Metaphysica est; primo est Physica, dum refertur ad materiam, nempe ad mobile; insuper est Physica, dum refertur ad motorem consideratum tanquam principium motus; at dum consideratur pro suo esse absoluto cum moueat & non moueatur, ad Physicum non pertinet, vt asseritur in 2. Physi. 71. & 73. nam Physicus valet resoluere vsque in primum motorem; at interrogatus deinde quid sit motor ille, interrogantem reijcit ad primum Philosophum; sic scientiæ & præsertim Physica & Metaphysica sibi mutuo opem ferunt; Physica tanquam ancilla inseruit Metaphysico varia conspicua effecta ei subministrando; vice versa Metaphysica tanquam domina perficit, & absoluit declarationem multorũ in alijs Philosophiæ partibus consideratorum, vt patet ex primo Posteriorum & cum pateat ex dictis quid de materia & efficiente sit dicendum, superest, vt loquamur de fine, de quo dico finem æterni motus esse duplicem, vnum postremum & principalem, alterum secundarium & per consecutionem; finis postremus est motor separatus, & præsertim Deus, nam Mentes cœlorum mouent vt efficientes, & vt fines quemadmodum in 12. Metaphysicæ 36. asseruit Auer. & de hoc fine vera est sententia Auer. prius relata, & prolata in primo de Anima 5 1. At si loquimur de fine secundario, veluti est æterna generatio & conseruatio mortalium secundum speciem, & æterna mundi conseruatio, & alia huius generis, hi fines a Physico considerantur; ex quo patet distincta consideratione æternitatem motus cum ad Physicum, tum ad Metaphysicum pertinere; Ad Astronomum minime pertinet, quia nullam eius causam cõsiderat, sed absolute motum esse æternum ex alio recipit; solum considerat numerum, & velocitates motuum cœli, non autem principia motuum, & æternitatem: Rationes aduersæ facile diluuntur; dicebatur æternitatem motus attinere ad Metaphysicum, quia medium & extrema debent esse eiusdem generis; solutio elicitur ex Aristotele in primo Poster. limitante eam regulam, quod sint eiusdem generis vel absolute, vel in parte; Metaphysica & Physica sunt eiusdem generis in parte, cum Physica collocetur sub Metaphysica, Ex eo autem quod motor non sit Physicæ considerationis, quia non mouetur, dicimus ex parte eius ad Metaphysicum pertinere, vt iam dixi.

*Resolutio.*

*Scientiæ sibi mutuo opem ferunt.*

*Finis æterni motus duplex.*

## *Lationem ordine originis præferri cæteris motibus.* Cap. XVIII.

*Quatuor de motu consideranda.*

CVm varia hactenus declarata sint ad motuum notitiam pertinentia, superest modo vt de motuum mutua cõparatione verba faciamus; qua de re quatuor se nobis offerunt explicanda; primo ostendendum est lationem præferri cæteris motibus; Secundo facta comparatione inter lationes ostendendum est motũ in orbem præstare recto; Tertio ostendendum inter motus rectos oppositos mediare quietem, & ob id motum rectum non posse esse vnum, æternum, & continuum; Demum est patefaciendum non repugnare motui in orbem, vt sit vnus, æternus, & continuus. A primo ordiendo, cum motus late sumptus, vt etiam mutationem intra suos terminos includit, distribuatur in lationẽ, alterationem, accretionem, diminutionem, ortum, & interitum, quarum mutationum

*Duæ solæ mutationes simplices.*

duæ solæ sunt simplices, latio nimirum & alteratio, vt alibi patefeci, quæritur quæ nam earum debeat iudicari prima; Et quoniam primum vsurpatur multipliciter, vt sæpe Philosophus docet cum in postprædicamentis, tum in quinto Metaphysicæ & alibi; præsertim modo considerandum est duplex primum, vnum originis, alterum dignitatis, & de his proponitur dubitatio; ordiẽdo autem a priore origine, quæritur qui nam

*Qui motuũ sit primus origine.*

motuum sit origine primus: Pro solutione vtendum primo est distinctione, qua vtitur Philosophus nono Metaphysicæ de actu & potestate loquẽdo; nam ordo originis vel consideratur in eodem mobili, vel absolute; Si in eodem mobili, tunc cum Aristotele

*Generatio in eodem est prima.*

in octauo Physic. 57. dicendum est, generationem esse primam, ei succedere alterationem, mox sequi accretionem, lationem, diminutionem, & demum interitum; ratio est conspicua, nam pro latione animantium requiritur iudicium, & robur organorũ; Ab-

*Absolute, prima est latio.*

solute autem secus se haber; nam latio prima est quam sequitur alteratio, mox generatio, & accretio: Ratio est, quia nil generatur nisi præcurrat alteratio alterans; vt alteret, debet accedere ad alteranda, quod non fit sine latione: Hoc seruari inspicimus in ordine vniuersi; primo enim cœlum circumfertur, eius lationem sequitur illustratio, calefactio, & alteratio mortalis orbis; quam alterationem sequitur ortus & interitus partium eius; hinc cæteri motus sine latione, quæ prima est, esse non possunt; latio autem esse potest sine illis, vt in octauo Phy. 56. docet Philosophus. Præterea huius ordinis ea quoque afferri potest ratio, quæ ex dictis elicitur, quoniam motuum illi iudicari debent origine primi, qui sunt simpliciores, huiusmodi autem sunt latio & alteratio, quare antecedunt cæteris, & comparatis adinuicem, latio est prior, quia alterationem non exposcit, alteratio autem præcurrentem exposcit lationem, qua alterans ad alterabile accedat. Insuper vt se habet de subiecto, ita putandum est se habere de affectione, at subiectum lationis, nempe cœlum, origine primum est; similiter vt se habet de motore, ita putandum est se habere de motu, motor absolute primus solum mouet motu secundum locum, quare huiusmodi motus est absolute primus; hinc dum dicimus primum ex se moueri, solum est verum de motu secundum locum, vt a Philosopho in octauo Physic. manifestatur; Demum id ipsum testimonio veterum cõfirmatur; Ana-

*Anaxagoras.*

xagoras motum primum asseruit esse deductionem in ordinem & secretionem rerum a chao; Empedocles secretionem ex Mundo sphæro, vel transitum retũ ex vno Mundo in alium; Democritus motum Atomorum; Plato motum animæ, vel fluxũ, & inordinatum motum antecedentis materiæ; hi autem omnes sunt motus secundum locũ; similiter cæteri, qui cuncta fieri putarunt concretione & secretione, lationem statuere

*Dubitatio. Solutio.*

primam, cum secretio non fiat sine latione. At dubitatur quomodo latio in eodem dicatur origine postrema, cum diminutio, & interitus sint motus posteriores. Respondeo lationem esse posteriorem cæteris, quatenus est posterior altero oppositorum de-

notante

notante perfectionem, est enim posterior ortu & parte aliqua accretionis: Sed pulchrior, & sublimior emergit dubitatio, qui motus in cœlo iudicari debeat origine prior, num latio, vel alteratio, nam cum cœlum sit apprime simplex, tantum duobus primis simplicibus motibus mouetur latione, & alteratione. Latio cœli proprie motus est, alteratio autem nequaquam, sed solum secundum similitudinē; alteratio enim cœlo competens est receptio varia luminis, & permutatio apparentium colorum a recepto lumine non seiunctorum; quæ receptiones fiunt sine tempore, & sunt actus perfecti, vt in præcedentibus de luminis effusione dictum est: quæritur itaque num cœli latio, vel potius ea apparens alteratio sit origine prior: quod antecedat alteratio ostenditur, quoniam lux, & lumen intimiora sunt cœlo, & sunt affectiones corporis mobilis secundum locum; primo autem requiritur mobile constitutum in esse, & perfectū, mox ei competit latio, quæ perfectorum esse dicitur; cui difficultati respondens dico lationem esse priorem origine; quod ostendo, primo quia illuminatio non est motus, sed mutatum esse, cum sit actus perfectus; mutatum esse sequitur motum aliquem, & non valet in cœlo sequi alium motum præter lationem: hinc illuminatio dicitur præsentia lucidi, lucidum redditur præsens per lationem: præterea latio cœli sequitur proxime Deum a quo mouetur, illuminatio sequitur lucem cœli & syderum, quæ sunt origine posteriora Deo. Insuper latio competit cœlo, vt quantum, & corpus est, illuminatio ei competit vt est quale; quantum est origine prius quali, cum omnis qualitas in quanto recipiatur. Hinc Aristoteles quamuis cœlum lumine & motu calefaciat mortalia, id tamen tribuit motui, quia in permutatione antecedit origine. Ratio aduersa, quia latio perfectorum est, &c. Soluitur, quia latio est perfectorum secundum quantitatem, at non præsupponit qualitatem, sequitur enim latio cœli essentiam eius, & molem, non autem qualitatem.

*Altera dubitatio num in cœlo latio sit prior.*

*Pro alteratione.*

*Solutio.*

## *De ordine perfectionis Motuum.* *Cap. XIX.*

PATEFACTO ordine originis motuum, de ordine dignitatis & præstantiæ est agendum, hi enim sunt duo principaliores ordines, ex quibus duplex natura primum elicitur, vnum originis, alterum intentionis; illud est principium operis, hoc appetitionis: quæritur itaque qui motus sit dignitate primus. Nonnulli Viri docti, ortui rerum principatum tribuerunt, quorum sententiæ adhærent Iauellus, & Io. Gandauensis, idque satis firmis rationibus videtur posse ostēdi; & primo vtor ratione sumpta ex Auer. in octauo Phy. 57. Vt prædicamentum, quod est terminus motus, se habet ad prædicamentum, ita motus se habet ad motum; at substantia quæ est terminus ad quem generationis præstat cæteris prædicamentis, igitur generatio præstat cæteris motibus, qui sunt ad alia prædicamenta; nam motus a termino ad quem recipit suam conditionem, immo non dicitur ab eo differre nisi per magis & minus. Præterea id, ad quod per naturam viuentia maxime sunt procliuia, debet præferri cæteris mutationibus, generare simile est huiusmodi, vt asseritur in secundo de Anima 34. quare &c. Insuper mutatio prodiens ex sola re perfecta est præstantior cæteris competentibus etiam rei imperfectæ, generare simile tantum rei perfectæ competit, nam in quarto Meteororum tunc vnūquodque dicitur perfectum, dum valet simile generare, quare, &c. Preterea asseritur ab Aristotele in octauo Physic. 58. & in secundo de Partibus animalium cap. 1. & alibi postremum generatione esse dignitate primum, at viuentia primo nutriuntur, mox crescunt, mouentur secundum locum, postremo valent generare; Apparet itaque ortui principatum competere, ob cuius præstantiam omnis motus dicitur generatio quædam; generatio autem simpliciter sola dicitur ea substantiæ; at generatio simpliciter præstat generationi in parte, & cum cæteri motus solum sint generatio in parte, absolute

*Qui motus sit dignitate prior.*

*Quid ortus.*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quod latio præstet.* lute colligi posse videtur, ortum cæteris motibus dignitate antecellere. Hanc sententiam & cum ea Aristotelis, & cum ratione pugnare existimo; nam latio ea est, cui re *Ratio prima,* vera competit primus dignitatis locus, quod ostẽdo primo ratione deprompta ex motore, qua etiam vtitur Arist. in octauo Phys. 60. Nam ille motus dignitate præstat, qui prodit ex motore præstantissimo, latio est huiusmodi, quod ostendo, quia motor primus & præstantissimus est duplex, vel absolute & huiusmodi est Deus, qui cœlum mouet motu secundum locum, vel est primus & præstantissimus inter corpora, & huiusmodi est corpus viuens, quod sola latione dicitur ex se moueri, vt asseritur in octauo *Secunda ratio.* Physic. Secundo id ipsum ostenditur ratione sumpta ex mobili, qua etiam vtitur Aristoteles in octauo Physic. 58. Nam motus ille dignitate præstat, qui competit mobili præstantiori, huius modi est latio, quæ competit cœlo præstantissimo corporum, & viuentibus perfectioribus, nam animalia tunc incipiunt loco moueri, dum perfectionis *Tertia.* aliquid, & roboris fuerint adepta. Tertia ratio elicitur ex attinentibus ad ordinem originis, qua etiam in eodem contex. vtitur Philosophus, nam in mortalibus quod origine est posterius, perfectione est prius, latio in viuentibus est postrema origine, vt ap*Quarta.* paruit in præcedente cap. quare perfectione prima est. Quarta ratio elicitur ex conditionibus lationis, qua vtitur Aristoteles in contex. 59. Nam ille motus dignitate cæteris præstat, per quem nil internum & proprium mobilis deperditur, huiusmodi est sola latio, per cęteros autem motus vel variatur essentia, vel quantum, vel quale, per lationem solum variatur externus locus, hinc sola latio valet æternis competere, & est motus perficiens, & seruans, solum conducens pro bene esse, & est talis, vt ex eo pen*Quinta.* deant cæteri omnes motus. Insuper latio est illa, quæ præsertim ex natura pendet, rei essentiam nobis patefacit, sola valet esse æterna & continua; hinc Aristoteles numerum simplicium corporum, Naturam Cęli, conditionem æternorum motorum per *Sexta.* hunc solum motum indagauit, & patefecit. Præterea ille motus principatum obtinet, per quem mobilia absolute dicuntur moueri, hoc soli lationi competit, hinc cœlum absolute dicitur moueri; Plantæ vero non moueri, sed crescere, alterari, & gigni dicuntur, vt optime considerauit Aristoteles in octauo Physic. contex. 77. Latio itaque pr*Authoritas.* ęstantissima est mutationum, quod etiam veteres Philosophi approbarunt; ideo (referente Simplicio) Democritus solam lationem nuncupabat motum, & Stoici cũ cæteris omnibus motibus vel conspicue, vel latenter iunctam esse lationem asserebant. Si*Anaxagoras. Plato,* militer Anaxagoras motum primum dixit esse secretionem a chao & ordinem eius, ex Diuina Mente prodeuntem; Plato etiam vna cum Pythagora lucidissime id affirmauit, & lationem adeo cæteris mutationibus præstare asseruit, vt esset origo, fons, & commune principium earum, ens non secus eminentia, & facultate includens, ac cęlum includat cætera corpora. Ex his patet eos cõspicue decipi, qui ortui, & interitui principatum tribuunt; conspicue enim Arist. in cont. 58. mutationem origine primam asserit esse dignitate postremã, & referens ordinẽ originis mutationum ait, generationẽ esse origine primam, secundam alterationem, tertiam accretionem, quartã lationẽ, *Generatio nõ potest dici prima mutatio.* vt patet ex contex. 57. Hinc generatio nequaquam dici potest mutatio prima; quod manifeste asseritur ab Aristot. in secundo de ortu & interitu 55. dicente, manifestum est priora esse bene dicta, primam transmutationem lationem esse, non generationem; longe enim rationabilius est ens non entis generationis esse causam, quam nõ ens entis; quod autẽ fertur est, quod generatur non est, quare latio est prior generatione, &c. Demum id confirmatur: quia quamuis in re quæ gignitur primum origine, sit dignitate postremum, absolute tamen in vniuerso contra se habet; nam Deus, Cœlum, Cœlique motus, vt origine, ita dignitate præstant. Vt autem diluantur aduersæ rationes *Creatio vere præstat mutationibus,* accipiendum primo est quod concessa creatione, vt absolute concedi debet, ea cũ non sit motus, sed modus eminens generationis, præstat ne dum generationi, verum etiã motibus omnibus, nam ea absolute est prima, non pendet ex motu aliquo, est actus perfectus, sine vllius interitu, ex sola immensa virtute prodiens. Accipiendum secundo est

do est terminos motus dupliciter posse considerari, vel tantum ex parte propriæ formalitatis,& rationis eius motus,vel vna cum his,quæ præsupponunt; & hoc secundo modo præsertim considerari debent, dum comparantur inuicem motus pro ordine perfectionis: hinc dicimus quod melius est esse quantum perfectum, quam esse solū; similiter esse quale,quam solum esse,vt etiam bene esse præfertur ipsi esse: Ex his modo conspicuæ refulgent solutiones aduersarum rationum,quarum prima erat,vt prædicamentum se habet ad prædicamentum,&c. Prætermisso Auerroe, cuius dicta eo in loco hac de re approbanda non puto, ex secundo præassumpto elicio solutionem; nam melius est bene esse,quam esse solum,& esse perfectum secundum quale & quantum,quam tantum esse; & melius est conseruare esse, & aliud ei superaddere, quam permutare esse; generatio enim quamuis ducat ad esse,tamen est cum interitu præcedentis esse: addebatur secundo viuentia maxime ad generandum esse procliuia, Respondeo ea ratione ostendi facta comparatione inter tria opera animæ nutrientis,quę sunt alere,augere,& generare,hoc tertium maxime per naturam expeti, cum conducat pro assequenda æternitate, & ducat ad esse æternum; tamen quia iunctam habet corruptionem,& mutationem totius, cęterę autem mutationes sine interitu subiecti aliquid ei addunt, sic ex parte rei,quæ generatur,est origine prima,dignitate postrema,vt dicebatur a Philosopho:& altera instātia soluitur, per quam dicebatur sola perfecta generare; insuper additur quod generare proxime solis mortalibus competit,loco autem mouere etiam æternis & abiunctis formis: Addebatur demum viuentia postremo generare, quare dignitate generatio erit prima; respondeo ordinem originis, & perfectionis debere considerari in re mobili, vt eum considerauit Aristoteles non in motore;at considerando mobile,id primo generatur,mox aliis motibus mouetur. Addebatur ob pręstantiam generationis omnem motum dici generationem quandam. Respondeo id non prodire ex perfectione,sed ex communi quadam conditione mutationum,quatenus omnes ducunt ex non esse ad esse aliquid. Et ita possent pugnantes sententiæ in parte conciliari,quia generatio præstat per id,quod est commune cunctis,cedit tamen per propria,quia,vt ait Simplicius,seruantia Naturam & essentiam rei præferenda sunt illis,quæ eam euertunt,& interimunt.

*Terminimotus dupliciter considerantur.*

*Solutio primæ rationis*

*Solutio secundæ.*

*Solutio tertiæ.*

*Solutio postremæ rationis.*

## *De præstantia motus in orbem. Cap. XX.*

COMPARATIS inuicem motibus,& mutationibus,apparuit lationem cęteris dignitate,& origine absoluta præstare: comparandæ modo se offerunt lationes inter se,quarum vna est in orbem, altera recta; & perpendendum quæ earum alteri pręstet; pro cuius ambiguitatis clariore elucidatione patefaciam primo vna cum Aristotele præstantiam lationis in orbem,mox instantias nonnullas,& dubia diluam. Refulget præstantia motus in orbem primo ex attinentibus ad motorem,qui omnium est præstantissimus, prodit enim ex Deo,& ex motore a materia secreto;& ratio quod ex eo prodeat est,quia motus externus sequitur & æmulatur actionem internam;separatę Mentes actione interna se intelligunt,& spiritali quodam circulo in se conuertuntur; hinc extrinsecus mouent in orbem; Deus se solum intelligit,& in se tantum, veluti absolutissimum principium & finem conuertitur;& propterea vnico motu,& primo in orbem mouet ab ortu in occasum:Motores sub Deo positi,vt pendent ex eo,illum intelligunt, eique pro facultate optant reddi similes; similiter conspirant ad motum illum, qui est ab ortu ad occasum,qui dicitur motus totius:vt autem intelligunt se,& cognoscunt se a primo distinctos,mouent motu distincto; quia tamen ipsi quoque vertuntur in se, efficiunt motum in orbem;insuper quia sunt efficiens & finis motus, vt causæ efficientes repellunt mobile a se,vt fines id trahunt ad se,ac ita expulsu quodam eminenti & tractione

*Præstantia motus in orbem ex motore.*

*Cur formę a materia secretæ moueantur in orbem.*

consurgit

*Dubitatio.* consurgit motus in orbem ab occasu ad ortum. At dicet aliquis, cum Mens hominis etiam sit a materia secreta, & se intelligat, cur non mouet hominem in orbem? Missam facio sententiam Academicorum, & magni Alberti a me reiectam in lib. de motu Animalium, *Solutio.* & dico multiplicem adesse rationem varietatis; nam primo Mens hominis nõ se per essentiam intelligit, vt superæ Mentes, sed in aliud inspicit, & solum actu reflexo intelligit se cum fuerit singula facta, vt dicitur in tertio de Anima contex. 8. Sic itaque Anima mouens in aliud inspicit, non in se: Insuper Mens non proxime mouet, sed per Phantasiam & appetitum, quæ tendunt in finem ab appetente distinctum; Tertio quia mobile per humanam Mentem non ab ea pendet, nec ita eam sequitur, eique subijcitur, vt orbes Cœlorum pendẽt ex superis Mentibus, eisque subijciuntur; quarto quia hominis Mens ita mouere debet, vt expedit homini, ei autẽ expedit motus varius, vt etiã appetitus, appetibile, & indigẽtiæ varia sunt. His accedit quod motus animalium seruat in parte figuram circuli, quatenus fit supra, & circa Terrã, quæ orbicularis est.

*Præstantia ex mobili.* Secundo elicitur præstantia motus in orbem, ex præstantia mobilis; nam vt asseritur in primo de Cœlo, ita motus in orbem præstat rectis, vt Cœlum Elementis, æternum mortalibus, purum impuris, & demum immune a contrarietate contrario præditis; Cœlum enim illud est, quod solum sui natura in orbem mouetur: *Præstantia ex conditionibus.* Tertio exactius refulget præstantia huius motus, dum perpenduntur insignes eius conditiones; primo enim figura orbicularis est prestantissima figurarum, cui ob perfectionem nil addi potest; est simplicissima, cum vnica claudatur linea; est omni ex parte consimilis, est ab eodem ad idem, vt indicetur non tendere ad aliud, non egere alio, vndique includere perfectionem, cum vbique adsit principium, & finis eius. Insuper ille motus non est in gratiam alterius, & pro indigentia, vt motus mortalium; mortalia enim mouentur motu recto, vt quiescant, & pro indigentia sui Loci; Cœlum vero mouetur vt moueatur, nec vt nouum locum acquirat, antecedentem derelinquit, sed semper secundum totum est in eodem loco, adeo vt ex parte totius motus ille non sit interitus vnius, & ortus alterius, sed exacta conseruatio vniuersæ suę constitutionis. Præterea motus in orbem ob sui principatum dicitur mensura cæterorum motuum, regula eorum, idem fundamento cum tempore, sola ratione distinctus; hinc per Metaphoram dici potest Pater temporis, vt reliqui motus pariuntur in tempore, & dici possunt nati eius. Insuper huic soli motui competit vt omnino sit immunis a violentia; nam motus recti multiplicem violentiam iunctam habent, vt distinctione a suo toto, recessum a suo loco, scissionem medij, & similes. Præterea motus orbicularis talis est, vt solus valeat esse vnus, continuus, & æternus: Demum eius præstantia ex fine conspicue refulget; Nam per motum in orbem conspicua nobis redditur vis, & conditio superorum motorum, refulget prouidentia Dei, effunditur gloria eius, apparet superas Mentes a materia esse solutas, Elementa recipiunt ordinem, constituuntur in vniuerso differentiæ *In motu Cœli summa velocitas, summa tarditas locũ habent.* positionis, Plantæ & Animalia gignuntur, &, cum Cœlum moueatur in orbem, per omnes eius partes acquirit cunctas loci totius partes & per singulas partes singulis mortalis orbis partibus munera liberalissime impartitur, Adeo vt iure optimo latio in orbem cæteris origine, dignitate & tempore preferatur; in qua ob varios circulos magis vel minus a solis distantes, & summa velocitas, & summa tarditas, & mediocris eminentissime includitur.

Dubia

## *Dubia nonnulla proponuntur attinentia ad præstantiam motus orbicularis. Cap. XXI.*

Vt præstantia orbicularis lationis splendidior fulgeat, dubia principaliora tanquam nubes, sunt diluenda, & repellenda: dubitatio prima est quia ille motus, per quem nil noui acquiritur, inanis iudicatur, per motum in orbem nil noui acquiritur, cum sit ab eodem ad idem; insuper videtur inanis, quia nunquam finem consequitur, nunquam fine fruitur, sed in infinitum tendit, cum tamen Aristoteles in primo de Cœlo 87. dicat in infinitum nihil moueri; & demum iure videtur inanis, cum nunquam desinat in quietē, quæ est potior motu, cum sit finis motus, & possessio formæ, quæ per motum acquiritur. Hinc Pythagoras, & cum eo Plato, motum sumebant pro priuatione, & imperfecto, quietem vero & statum, pro forma & perfectione; & Auerroes in quarto de Cœlo disputans aduersus Themistium inquit naturam exactius per quietem, quam per motum patefieri, cum ea sit finis motus. Huic difficultati respondens dico per ea, quæ relata sunt, ne dum motum in orbem e prima dignitatis sede non reijci, verum potius in ea cumulatius, & constantius confirmari; nam si Cœlum ex eodem redit in idem, & sine media quiete mouetur, id totum ex perfectione prodit; redeundo in idē æmulatur suum motorem, qui in se conuertitur, indicat non moueri ob indigentiam, sed ob conseruationem suæ perfectionis; patefacit a contrario esse immune; similiter si mouetur sine intermedia quiete, æmulatur suum Motorem, qui est actus purus, liberalissime suas facultates in alios effundens, nunquam ocio torpescens; & cum ita moueatur, simul eminenter perfectionem immobilitatis includit, quatenus immobiliter, & consimiliter mouetur, & locum suum totum non deserit; nam immobilitas est ea, quæ perfectionem indicat potius, quam quies; hinc de Deo dicitur stabilisque manens das cuncta moueri: Cœlo namque triplici ratione immobilitas competit; primo quia secundum totum non mutat locum; secundo quia motus eius est consimilis; tertio quia est æternus; his quarto additur quod ex velocissimo æquatoris motu, desinit in polos omnino immobiles. Insuper in mortalibus quies est præstantior motu, primo quia solum, dum quiescunt, possident locum suum; secundo quia, dum mouentur, multiplicem violentiam iunctam habent; de Cœlo contra se habet; nā procul ab omni violentia fruens suo loco continenter reuoluitur, nec ob id dicitur moueri in infinitum, quia definitis terminis clauditur, quatenus consideratum secundum partes, & diametrum ex ortu in occasum, & ex meridie in lineam mediæ noctis tendit, redeundo ad idem, cuius motus finis internus est vnusquisque terminus eius; finis cui inseruit est motor; finis cuius gratia Cœlum mouetur, est ordo vniuersi, & cōseruatio mortalium. Sed alia occurrit dubitatio, & est cum Cœlum secundum totum non deserat locum suum, an debeamus dicere, quod moueatur secundum partes, & immobile sit totum, vel quod etiam totum moueatur? Aristoteles in primo de ortu & interitu contex. 25. Id primum approbare videtur inquiens, Quod crescit se habet vt id, quod deducitur; toto enim manente particulæ transmutantur secundum locum, non vt partes sphæræ, illæ enim in æquali loco toto manente permutantur &c. conspicue Aristoteles asserit sphæram totam manere, dum reuoluuntur partes, quod etiam affirmat in octauo Physic. 76. Inquiens sphæram simul moueri & quiescere. Auerroes tamen in octauo Physi. 76. obiciens inquit non posse moueri partes omnes, quin moueatur & totum, & ideo ait partes sphæræ mutari & secundum subiectum siue materiam, & secundum formam, hoc est aspectum & dispositionem, totum vero mutari secundum formam tantum, quatenus vario aspectu respicit centrum, vt se declarat in eodē octauo lib. contex. 45. at instantia Auerrois leuis est, quia Cœlos mutare locum secundū formam, nil aliud est nisi per varias partes vario modo referri ad centrum, & mutuo se respi-

*Prima dubitatio.*

*Motus in orbem videtur inanis.*

*Pythagoras.*

*Solutio.*

*Triplex cœli immobilitas.*

*Cur mortalium quies præstet motui, non autem Cœlorū.*

*Finis motus Cœli.*

*An cęlū moueatur totū.*

*Auerroes.*

*Instantia.* se respicere, & ideo ea mutatio tribuenda est partibus, non toti, vt recte fecit Aristoteles, sed dices cum totum sit suæ partes, quod competit partibus omnibus, necessario competet toti, sed partes omnes mutant locum secundum subiectum, quia mutant in-
*Solutio.* teruallum, in quo recipiuntur, & etiam secundum formã, igitur & totum; Respondeo vtrumque competere toti ratione partium, ac ita secundario & ex accidenti, non autem ratione totius, nos autem cũ Aristotele id considerare debemus, quod est per se; nam quamuis partes diuisim consideratæ mutent locum secundum subiectum, tamen quia pars vna ingreditur & succedit in locum alterius, ideo totum seruatur in eodem
*Alia dubitatio.* interuallo, & manente Deo manet centrum, manente centro manent Poli, manente centro & polis manet vniuersum; sed altera occurrit dubitatio, nam latio in orbẽ minus recte videtur dici mensura lationum, cũ mensura sui ratione dicatur minima eius generis, latio autem in orbẽ maxima sit: Respondeo eam distincta ratione & maxi-
*Solutio.* mam & minimam esse; est maxima, quia competit corpori maximo reuoluto per interuallum maximum, & est æterna; est minima quia est simplicissima, simillima, & velocissima & per regularem velocitatem est mensura cæterarum lationum, & mutationũ.
*Dubitatio.* At dubitatur adhuc quia motus in orbem non consimilis est, sed potius dissimillimus omnium motuum; in eo enim simul & summa velocitas, & summa tarditas & mediocris reperitur; velocissimus est æquator, minus veloces sunt tropici, & sensim circuli
*Solutio.* proximiores polis vertuntur tardius, adeo vt demum poli sint immobiles: Respõdeo Cœlum quod in orbem mouetur tribus modis posse considerari; primo secundum totum; secundo per singulos circulos eius seorsum; Tertio comparando circulos varios adinuicem; prima, & secunda consideratione est simillimum & consimiliter motum, tertia consideratione est dissimillimum, & cum ea dissimilitudine seruat exactissimam rationis consimilitudinem, quatenus singuli circuli simul incipiunt, & absoluunt suam reuolutionem, & ex hoc consurgit harmonia motus partium Cœli, & redditur Cœlum particeps cuiuslibet gradus velocitatis, & euadit origo motuum omnium, adeo vt hoc eximiam eius præstãtiam nobis patefaciat; nam cum magna dissimilitudine magna seruatur similitudo, cum multitudine vnitio, cum simplicitate compositio, cum varietate harmonia, cum velocitate tarditas, & demum cum motu status: hinc iure optimo circulus suo motu redditur origo omnium motuum admirabilium, vt con-
*Circulus origo motuũ admirabilium.* siderauit Plato in 10. de Legibus & Aristoteles sub initio quæstionum mechanicarũ. Demum dubitatur quia dictum est motum Cœli consimilem semper esse; oppositum tamen enunciauit Aristoteles in quarto Physic. 129. in quinto 43. & in sexto 15. quibus in locis asseruit motum quemlibet posse esse velociorem & tardiorem: Alexander
*Dubitatio* *Alexander* referente Auer. in sexto Physi. 15. nec non Simplicio, duas dedit solutiones; prima est quod Cœlum quatenus mouetur a motore per voluntatem potest velocius & tardius moueri: hanc reijcit Simplicius, quia ea voluntas non indefinita est, sed ad vnum definita & contracta, & præsertim dubia est, quia ex sententia Aristotelis motores Cœli mouent cum quadam necessitate naturæ. Altera solutio est, quæ etiam fuit Eudemi, quod ea potestas, vt motus sit velocior, non sequitur mobile, sed conditionem motus, quatenus imaginari valemus in eodem interuallo aliud corpus moueri velocius; quæ solutio etiam dubia est, quia si aliud mobile in eo moueri imaginabimur, non erit motus ille velocior, sed alius, nec seruabitur sententia Aristotelis dicentis motum quem-
*Simplicius.* libet posse esse velociorem & tardiorem. Propterea Simplicius veriorem innuens solutionem dixit posse etiam de eadem magnitudine dici quod moueatur velocius. Dicamus itaque motum Cœli dupliciter posse considerari; primo ex parte generis, vt motus est, & quia ita est continuus & in tempore, nec datur tempus minimum, ideo motui illi, vt motus, non repugnat, vt sit tardior & velocior ei tamen repugnat, vt prodit ex motore consimiliter se habente immobili, æterno, eundem finem semper optante & recipitur in mobili sui natura & essentia inuariabili: His addo motum cœli participem reddi maioris & minoris velocitatis per varios eius circulos.

Quamo-

## *Quomodo id verum sit posterius generatione est perfectione prius.* *Cap. XXII.*

SPARTIS vulgata & celebris ea sententia est, primum origine & generatione est perfectione posterius, & primum perfectione, est posterius generatione, quæ profertur ab Aristotele in octauo Physic. 58. dicente, posterius generatione, esse natura prius, & in 2. de Partibus animalium, cap. 1. asserente, sed cum contra, in generatione, ac in essentia se habeat, quæ enim posteriora sunt generatione, ea sunt natura priora, & quod primum est natura, id vltimum est generatione; similiter in 5. Metaph. 15. legitur, quæ generatione sunt posteriora, forma & substantia sunt priora, vt vir puero, & homo femine; Hinc oritur duplex Natura, primum, vnum origine, alterum appetitione; absolute tamen ab Aristotele id dicitur Natura primū, quod est præstantius, & primo appetitur, quod appellatur prius essentia, Forma, Natura, & appetitione; Ratio huius regulę est, quia cuncta quę fiunt, progrediuntur ex potestate ad actum, & quo magis accedunt ad actum, eo sunt perfectiora; Insuper omnis generatio est quędam transmutatio, omnis transmutatio ex imperfecto ad perfectū ducit, dum per se optatur & non sequitur imbecillitatem materię; pręterea posteriora generatione sunt finis pręcedentium, finis autem est pręstantior ordinatis in illum, hinc primo appetitur. Insuper ea quę sunt pręstantiora difficilius producuntur, & pluribus egent præcurrentibus dispositionibus, & propterea posteriora sunt generatione. Demum in rerum ortu primo parantur necessaria, & quæ pertinent ad esse, mox attinentia ad bene esse. Hinc Aristoteles in procemio Metaphysicę dixit Artes tanquam necessarias pro esse primo fuisse inuentas, mox vero formatam fuisse Philosophiam attinentē ad bene esse, quod præstantius est quā esse. At varia occurrunt, quę veritatem hanc dubiam reddunt, & varię se offerunt instantię; veluti substantia est prior generatione quàm accidens, ex 7. Metaph. cont. 4. & tamē est eo dignior; similiter actus primus, qui est forma, est prior generatione actu secundo, qui est operatio, & etiam est prior perfectione. Insuper in ortu animalis cor ex sententia Aristotelis in 2. de Gen. anim. cap. 4. est generatione primum, cum tamen ex eiusdem Philosophi sententia sit primum dignitate. Similiter Deus, Intelligentię, cœlum antecedunt origine mortalibus, & etiam dignitate; insuper pili multi hominū gignuntur posterius, & sunt imperfectissimi; Senium quoque & interitus, quę animalibus postremo competunt, imperfectissima sunt: Forma quoque est prior origine cōposito, & a multis iudicatur prior dignitate. Inquiunt nonnulli eam sententiam solū debere intelligi & veram esse de eadem re tendente ex imperfecto ad sui perfectionem, non autem comparando res varias; Quæ explicatio est dubia, quoniam Arist. in 8. Phy. vtitur ea regula comparando inuicem motus varios; & in 2. de Partibus animal. cap. 1. eadem regula profertur comparando materiam cum forma; insuper ea est vera de externis sensibus & singulis animę facultatibus inuicem cōparatis. Hinc sensus visus, qui est origine postremus, dicitur dignitate primus in 2. de ortu & inter. cōt. 7.

*Duplex primum natura.* *Ratio regulæ.* *Dubia.* *Sententia quorundā.* *Euersio.*

## *Resolutio difficultatis.* *Cap. XXIII.*

PRo resolutione difficultatis quatuor pręaccipio; primum est quod ordo originis & generationis in mortalibus proprie locum habet, non in ęternis; mortalia enim sunt, quę ex potentia ad actum & ex imperfecto ad perfectum progrediuntur; hinc Aristoteles de his regulam vbique protulit. Accipio secundo quod cum in mortalibus Natura primum sit duplex generatione, & appetitione, inter hęc duo versatur, & fieri debet compara-

*Quatuor præaccipiū tur.* *Primum.* *Secundum.*

tio

*Tertium.* tio dum dicimus primum generatione esse posterius perfectione. Accipio tertio proprie natura primum esse id, quod est primum præstantia & appetitione, vt sæpe Aristoteles patefecit; id enim est prius sua absoluta essentia & conditione; hinc Arist. in 8. Phy. 75. dixit prius autem & natura, & tempore, & ratione perfectum est imperfecto, corruptibili incorruptibile; & in primo de cœlo 12. Legitur circularem lationem esse primam, quia perfectum prius natura est imperfecto, circulus autem perfectorum est, & ob id etiam in secundo de ortu & interitu contex. 7. dixit sensum visus esse natura

*Quartum.* primum. Accipio quarto, quod dum comparatur posterius cum suo priore, id posterius considerandum est non seiunctum, sed suo priori iunctum, idque perficiens; ita enim ex fine euius, & cui constituitur finis absolutus omni ex parte perfectus; veluti dicimus hominem sapientem præstare insipienti, & formam cum actione eius, præstare formæ non operanti. His præassumptis dico in hoc mortalium orbe, ea quæ sunt generatione posteriora, in quę priora ordinantur & per naturam primo optantur, esse perfectione priora; quæ regula ita explicata vera est tum de gradibus materiæ, tum de gradibus formarum, tum tertio de gradibus compositorum; in materia considerātur hi gradus materia prima, quatuor Elementa, mixta consimilium partium, & membra; In forma similiter considerantur quatuor gradus formæ Elementorum, formæ mixtorum consimilium, formæ plantarum, & formæ animalium, qui gradus tertio in compositis locum habent, & in singulis regula refulget vera: similiter vera est de eodem indiuiduo ad sui perfectionem progrediente, vt puer est præstantior semine, & Vir puero. Loquendo autem de ordine absoluto vniuersi, in his, quæ æterna sunt, secus se habet; nam Deus Intelligentijs, Intelligentiæ cœlo, & Cœlum mortalibus cum origine, tum perfectione priora sunt; nam priora eminentia & facultate includunt sequentia, & supra ortum & interitum sunt posita, & cæteris perfectionem impartiuntur. Ex resolutione difficultatis, facile modo est elicere solutiones instantiatum: dicebatur primo substantiam esse priorem generatione, & perfectione accidentibus: soluitur per duo fundamenta; primum est quod substantia non per se dirigitur in productionem accidentium, sed è contrario alteratio dirigitur in generationem substantiæ, quæ primo optatur per naturam; Alterum est, quia congregatum ex substantia & accidente præfertur soli substantiæ, & ita soluitur instantia de actu primo & secundo: Tertia instantia sumebatur ex corde, quod vt generatione inter membra, ita perfectione est primū. Respondeo sequentia membra non esse fines, in quos dirigitur cor, sed potius parantur vt cordi inseruiant, & ita non sunt appetitione naturæ prima. Instantia sumpta ex Deo, Intelligentijs & Cœlo nobis non aduersatur, vt patuit. Similiter inanes sunt instantiæ sumptæ ex pilis, senio, diminutione, & interitu; quoniam non ex se optantur, sed sequuntur conditionem & imbecillitatem materię. Demum afferebatur instantia de forma & composito, quæ soluitur, quia non distincta generatione gignitur forma, & compositum, sed generatio formę est terminus generationis compositi; insuper qui dicunt formam esse præstantiorem composito, etiam tenentur dicere eam proprie esse finem, & esse id; quod primo per naturam optatur.

FRAN-

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## DE MOTV LIBER SECVNDVS, & est de æternitate Motus ex Peripateticorum sententia.

*Institutum authoris & Ordo seruandus.* Cap. I.

INTER varia quæ de Motu studiosis animis se offerunt consideranda, hoc principale est an sit omni ex parte æternus; quia de re Aristoteles in octauo Physicorum exquisite verba fecit; propterea vt appareat quo nos ducat humana ratio, & inde fructus diuinæ reuelationis refulgeat, vberior, de æternitate motus mihi differendum propono: quod vt ordine aliquo efficiã, *Ordo seruãdus.* vniuersam considerationem in quinque principales partes distribuam; Ostendam primo cum Aristotele & alijs Philosophis humana ratione progredientibus motum videri esse æternũ; perpendam secundo qui motus valeat esse vnus, continuus, & æternus; Perpendam tertio modum, quo ei competit æternitas, num scilicet sit æternus ex se, vel ab alio; Quarto diluam dubia & rationes aduersas; Demum neglectis adumbratæ sapientiæ imaginibus, veritatem desuper patefactã vnà cum Prophetis, & sacris Theologis amplectar & approbabo. Consideratio æternitatis motus summopere est complicata cũ ea de æternitate Mundi, de qua in primo de Cœlo Aristoteles disseruit; quia tamen in parte distinguuntur, ideo imitatus Aristotelem seorsum de vtrisque verba faciã. Dum *Quid nomine motus.* quæro an motus sit æternus, nomine motus vniuersum motuũ & mutationum genus denoto; præsertim tamen motum in Loco, & ex Lationibus in orbem; nam vniuersum genus mutationum est subiectum adæquatum æternitatis; latio autem in orbem est subiectum principale, & est subiectum verioris æternitatis motus, quæ est causa æternitatis cæterorum motuum; similiter nomine æterni denoto quouis modo æter- *Quid nomine æterni.* num, præsertim tamen ita æternum, vt sit vnus & continuus. Quæritur itaque an motus vniuerse sumptus sit modo aliquo æternus, & præsertim an detur, & quæ sit ea latio, quæ valeat esse vna, continua, & æterna.

*Capita variarum opinionum de æternitate motus.* Cap. II.

DE motus æternitate variæ veterum Philosophorum fuere opiniones: nonnulli enim illum putarunt æternum, alij negarunt; Quicunq; illum iudicarunt æternum, vel existimarunt eundem numero motum seruari æternum, vel non eundem numero, sed sola variorũ successione; Illum *Chaldæi.* numero seruari æternum existimarunt, qui Mundum putarunt vnum, *Pythagoras.* omnique ex parte æternum, vt Chaldæi, Pythagoras, & Aristoteles. Pythagoram id

existimasse scriptum reliquit Ocellus Lucanus discipulus eius, qui id varijs rationibus *Democritus.* comprobauit; Aeternum vero sola successione asseruere Democritus, Leucippus, & Epicurus, qui putarunt Mundos non secus ac homines numero esse plures, eosque gi- *Plato.* gni, crescere, decrescere, & interire, ac ita vnà cum motu seruari æternos. Plato quoque (vt ei tribuit Aristoteles) sola successione motum iudicauit æternum, quatenus asserebat ante Mundi constitutionem materiem eius, nempe sensibilia corpora, sine ordine agitari. Ex aduerso alij negarunt motum æternum, qui in varias classes sunt distributi; Nonnulli enim supera reuelatione nouerunt motui absolute principium & finem competere, vt nostri Theologi, & Hebræi Moysem sequentes, & cum eis Mauri. Alij se medios constituerunt, asserentes motum non penitus, sed in parte æternum, qui in tres classes sunt distributi; vel enim putarunt motui competere principium, nõ autem finem, vt existimauit Anaxagoras inquiens primo Mentem & chaos infinito tempore quieuisse, mox cœpisse mouere & moueri, & ita fore semper; Vel vt putarunt Sacerdotes Legis Auerrois, qui (eo referente primo Cœli 102.) dixere motum carere principio, debere tamen assequi finem; Vel demum, vt existimarunt Empedocles, Heraclitus, & Stoici, qui mutua quadam vicissitudine, vel Mundum amicitiæ, & mundum Litis, vt Empedocles, vel Mundum & ignem, vt Stoici, definitis temporum *Simplicius.* mensuris inuicem reciprocari asseruerunt, cum aliqua intermedia quiete: ex quo patet recte Simplicium in octauo Physicorum asseruisse, neminem veterum Philosophorum putasse Mundum ita fore interiturũ, vt eius interitui alius Mundus non succederet; Præsertim tamen principaliores Philosophi in hanc venere sententiã, quod Mundus & Motus omni ex parte æterna sint, & qui secus sensisse visi sunt, potius indicare voluerunt Mundum ex supera Mente pendere, quam vere esse genitum, & absolute præditum principio temporis & motus.

## *Ratio prima Aristotelis pro æternitate motus. Cap. III.*

ARISTOTELES in octauo Physic. summopere laborauit pro ostendenda æternitate motus, & nulla via excogitari potest, per quam ipse mira arte auditores non deduxerit, vt eis suam hanc sententiam suaderet; id enim primo fecit ostensione ducente ad absurdum; Secundo ostensione directa; Tertio euertendo aduersariorum sententias; Quarto patefaciendo per suam opinionem facile dilui rationes aduersas; Quinto nos eleuando ad primum ex se mobile, quod cum sit primum, est ingenitum, alioquin prius exposceret, per quod generaretur; & cum sit ingenitum & æternum, etiam iudicari debet præditum affectione æterna, nempe æterno motu; Sexto id elicit ex conditione materię; Septimo manifestando motui in orbem æternitatem congruere, & non aduersari; Octauo eliciendo causam æternitatis ex motore a corpore seiuncto, & immobili. *Prima ostensio.* Vt pertinet ad primam ostensionem præaccipitur definitio motus, quæ est quod sit actus motoris & mobilis, vt est potestate; ex qua definitione elicitur motum omnem præsupponere motorem, & mobile, omnis enim actus præsupponit id, cuius est actus, motus est actus motoris & mobilis, quare præsupponit vtrunque; quo præassumpto, ita *Ratio.* formatur ratio. Si motui absolute sumpto competeret principium, adeo vt prius non fuerit, vel competeret finis, tunc motu primo daretur motus prior, & motu postremo posterior; consequens est absurdum, quia primum non esset primum, & postremum non esset postremum; consequutio deducitur, Nam si motui competit principium, quæro de motore & mobili eius, vel sunt æterna, vel ortui obnoxia; si hoc secundum eligis, antecedet generatio motoris & mobilis, quæ non est sine motu, quare motu primo dabitur prior; si asseris esse æterna, vt dicebat Anaxagoras, absurdum id videtur, tum quia affectio respondet principijs suis, & propterea æterni motoris &

mobilis,

mobilis, motus debet esse æternus, tum insuper quia omnis motor, & omne mobile, dum fuerint in potentia proxima, necessario mouentur, & mouent; ideò si non adest motus nõ sunt in potentia proxima, & vt adsit, necesse est vt ad proximam potentiam redigantur, quod non fit sine motu; & ita primo motu dabitur motus prior. Similiter deducitur consequutio de fine motus; nam si motui competit finis, quæro de motore & mobili, vel sunt æterna vel mortalia; si mortalia, peribunt, quod non fit sine motu; si æterna, primo absurdum est subiecti & principij æterni affectionem esse mortalem, secundo si primo mouent & mouentur mox desinunt producere motum, se habebunt secus, quod non fit sine motu, & ita postremus excogitatus motus non erit postremus. At aliquis respondens fortasse dicet, motum primum siue postremum esse generationem mobilis, siue interitum, vel deductionem ex potentia remota ad proximam; verum qui hoc diceret, primo indicaret se redargutum, quia vi rationis coactus sententiam mutaret, & nõ amplius assereret motum illum esse primum, quem prius primum asseruerat; præterea pro ea responsione euertenda vtar consimili ratione, quia motus ille dictus primus, vel postremus exposcit motorem, & mobile; de quibus similiter quæram, sint æterna nec ne. At dicet fortasse aliquis ea esse producta, verum non per motum, sed per creationẽ, vel saltem sine ortu & interitu; inquit enim Aristoteles in primo de Cœlo contex. 11 t. multa esse & non esse sine ortu & interitu, vt contactus, relationes, illuminationes, & similia. Hæc quoque solutio a Philosopho reijceretur, primo quia creatio est supra naturam, & ex absoluta Dei potentia pendet, ad quam non eleuatur Philosophus; Secundo quia similiter diceret, si prius non creauit, mox creauit, igitur primo non erat in potentia proxima, & oportebit vt ad potentiam proximam ducatur, quod non fit sine motu, non enim fit noua relatio, nisi antecedat motus aliquis, vel alterius relatorum, vel alicuius externi; quamuis enim ad relationem non fit per se motus, relatio tamen sequitur motum alicuius relatorum; Tertio quia quamuis dentur varia, quæ sine ortu & interitu sunt, & non sunt, non propterea hoc eis competit sine præcurrente motu. Verũ adhuc dicet fortasse aliquis ostensionem formatam vim habere de agente, & mouente per naturam, non de motore libero, & præsertim de primo, qui voluntate æterna pro tempore prædefinito sine vlla præcurrente mutatione incipit mouere. Hæc solutio verissima profectò est; Philosophus ramen eam nititur euertere, asserẽs de omni agente siue per naturam, siue per voluntatem hoc verum esse, quod non agit, nisi fuerit certo modo affectum, hoc est in potentia proxima, & dum ita se habuerit necessario operatur, & si non operatur, non ita se habet, & propterea est necesse vt permutetur, & redigatur in potentiam proximam, vt ex non mouere transeat ad mouere; agens autem per voluntatem si vult & potest, necessario operatur, ideo si non operatur, vel non vult, vel non potest, & vt operetur, ex nolle ad velle vel ex non posse mutari debet ad posse, quod non fit sine aliqua mutatione, vel eorum, vel externorum; ab eodem enim eodem modo se habente, semper prouenit idem; & loquendo de primo motore vel mutari potest, vel non; si non, cum consimiliter se habeat, vel consimiliter semper mouebit vel nunquam; si potest mutari, & cum non moueat incipit mouere, necessario antecedet mutatio aliqua vel eius, vel alterius, & ita in infinitum; dicere autem quod voluntate æterna prædefinito initio incipiat mouere, superat humanum captum, nec potest humana ratione cognosci; sed superæ reuelationi referẽdæ sunt gratiæ, quia inter id principium motus, & antecedens tempus, vel adest varietas vel non; si non adest, non potest assignari ratio, cur tunc incipiat mouere & non prius; si adest, quia varietas non est sine permutatione, antecedet mutatio aliqua, & motu primo excogitato dabitur motus prior.

*Solutio.* *Euersio.* *Alia solutio.* *Euersio.* *Alia solutio.* *Euersio.*

*Ratio secunda pro æternitate Motus.* *Cap. IIII.*

*Ratio ex tẽpore.* SECVNDA via, qua nos deducere nititur Philosophus in æternitatem motus, sumitur ex rempore, & formatur ostensio directa hunc in modum: Tempus est æternum, igitur & motus; hac ratione vtitur Aristoteles in 12. Metaphysicę 32. & in octauo Physicorum contex. 10. & 11. consequutio deducitur, quia patuit ex temporis declaratione, quod vel est idem cum motu, vel est aliquid eius; nam rempus sumptum pro suo fundamento, & pro absoluto est idem cum primo motu; sumptum vero pro sua propria ratione a fundamento distincta, est mensura motus & tãquam affectio eius; quare si tempus est æternum, necessario æternus est motus. Assumptum, nempe æternitas motus, tribus rationibus ab Aristotele ostendirur, primo ratione sumpta ex partibus, vel differentijs eius, & ita formatur; prius & posterius, quæ distincta consideratione & partes, & differentiæ temporis dici possunt, æterna sunt, quare & tempus; quod sint æterna patet, quoniam qui dicunt motum cœpisse, inquiunt quod prius non fuerit, adeo vt quouis excogitato principio detur prius, & quouis excogitato fine detur posterius, & ita prius & posterius indicantia tempus æterna sunt; Secundo idipsum ostenditur consensione veterum Philosophorum, qui vnanimes asseruere Tempus æternum; hinc *Democritus.* Democritus enunciauit non omnia posse dici genita, quia saltem tempus gigni non potuit; hinc *Auicenna.* Auicenna asseruit tempus tam constans & firmum esse, vt nitentes id destruere, simul illud construant; dum enim dicimus tempus aliquando non fuisse, vel non fore, dicimus tunc rempus fuisse, quia aliquando denotat tempus; Solus Plato di*Plato.*xit tempus esse genitum; nam in Timæo asseruit illud vnà cum Mũdo genitum fuisse: Tertio idipsum ostenditur ex conditione ipsius nunc, quod ita se habet ad Tẽpus, vt sit medium eius, denoter præsens, & futurum nectat cum præterito: at si tempus inciperet vel desineret, in aliquo nunc id ei competeret, quod nunc non esset nunc, quia non esset medium, sed vel tantum principium, vel tantum finis. Hæc est secunda ratio Aristotelis de qua variæ occurrunt difficultates, quas singulatim referam & diluam.

*Dubitatio* Primo minus recte Philosophus ex attinentibus ad tempus nititur nos deducere in noritiam attinentium ad motum; cum ex sententia eiusdem in quarto Physic. 104. tempus sit posterius & ignotius motu, ostensio autem debeat confici ex notioribus.

*Solutio.* Respondeo Tempus dupliciter considerari posse, vel pro suo esse absoluto, vel pro esse semper; pro suo esse absoluto est ignotius, nam motus est sensibile cõmune, Tempus nequaquam; at pro esse semper, tempus est notius, quia Tempus respondet æternitati, vt eius imago, prædituni est differentijs, & copula æterni tatem patefacientibus, de motu secus se habet; hinc Philosophi magis consensere de æternitate Temporis, quàm motus; Insuper consequutio hæc dubia est, Tempus est æternum, igitur & mo*Alia dubitatio.*tus; nam Anaxagoras, quamuis putarit Tempus æternum, negauit tamen æternum motum, cum dixerit prius in chao cuncta æterno tempore quieuisse; similiter Empedocles Tempus iudicauit æternum, non autem motum. Respondeo ex hoc elici illos sibimet pugnantia protulisse, cum ex quarto Physicorum apparuerit tempus non esse sine motu; hinc minus recte Anaxagoras dixit Tempus sequi chaos, insuper id erat successio quædam, imaginatione concepta æternitati respondens, non autem verum tempus; demum erat tempus quieti respondens ramquã mensurans, non autem mo*Tertia instantia.*tum sequens. Tertio instatur aduersus primam ostensionem æternitatis Temporis sumptam ex differentijs eius, quæ sunt prius & posterius; nam frequenter huiusmodi voces vsurpantur pro negatione, non pro differentia; vt dum in primo de Cœlo dicitur extra Cœlum nihil esse, cum tamen extra & intra dicantur differentiæ loci; similiter dum dicimus prius Deo nihil est, ante Tempus non erat tempus, id prius, & ante intelligi debet per negationem; Nam nos collocati in Tempore etiam quæ sunt su-

pra

pra Tempus cum Tempore imaginamur; his accedit quod prius & posterius ne dum denotant ordinem temporis, verum insuper ordinem originis, ordinem dignitatis, & alia. His obiectionibus pro Aristotele respondens dico primo, dum de his, quæ fiunt & intereunt dicimus prius non fuisse, & posterius non fore, id prius & posterius solum denotare posse ordinem temporis, quia generatio definitur quod fit transmutatio ex non esse ad esse, & id non esse pro ortu antecedit tempore, vt sequitur in interitu, & præsertim quia ortus & interitus non fiunt fine motu, qui tempus exposcit; ex quo patet id non posse intelligi per purã negationem, vt necessario intelligitur, dum dicimus prius Deo nil est; nam absolute non habet prius, & absolute tempori non antecedit tempus, adeo vt nec id prius, nec id extra tanquam differentiæ reperiantur, vt necessario ortui antecedit non esse, & interitui succedit, nec id accidit ordine aliquo distinčto ab eo temporis. At quarto loco se offerunt instantiæ aduersus rationem secundã, ex authoritate deprompram: dicebatur Philosophos omnes, excepto Platone, vnanimes asseruisse tempus æternum; Ratio ex authoritate est dialectica, & si esset alicuius momenti, damnandus esset Aristoteles, qui repugnantibus omnibus Philosophis, qui Mundum dixere genitum, vt patet ex primo de Cœlo 102. affirmauit illum ingenitum, & cœlum asseruit distinctæ naturæ ab ea quatuor Elementorum: Præterea Plato est Philosophus summę authoritatis, & ante Platonem Moyses & alij dixere tempori competere Principium. Diluitur pro Aristotele hæc instantia asserendo consensionẽ Philosophorum plurimi faciendam esse, dum ea est consentanea rationi; at dum pugnat cum ratione, est negligenda, quia Philosophus rationem sibi ducem constituit; ideo iure Aristoteles prius ratione, mox consensione est vsus, ex quorum cõspiratione certitudo consurgit. Plato quãuis sit summæ authoritatis, tamen vel secũ pugnat, vel existimat tempus æternum, vt existimasse putarũt Plotinus, Proclus, Numenius, Simplicius & alij plurimi; alioquin secum pugnaret, cum in Timęo dicat tempus esse imaginem æternitatis, adeo vt eius ortus nil aliud sit nisi æterna effluxio ex primo Principio. De sententia Moysis inquit Simplicius eam fuisse depromptã ex Fabulis Aegyptiorum, & præsertim quia pugnãtia protulit; nam dixit die quarto fuisse productum Solem, at quomodo præcesserunt dies, cum Sol sit author eorum? In his Simplicij verbis quatuor præcipua refulgent errata; primum est, quia Hebræi sequentes Moysem non ex Aegyptijs humanam sapientiam desumpserunt, sed contra, Aegyptij ex Hebræis; sapientia enim ex Assyrijs & Chaldæis delata fuit ad Hebræos, ex Hebræis per Iosephum primo, mox per Iacobum qui Genesis cap. 46. in Aegyptum cum vniuersa familia commigrauit, in Aegyptios translata est, & ex Aegyptijs ad Græcos, & demũ ad Latinos. Insuper Aegyptij non putarunt Mundum a Deo creatum, vt Moyses patefacit, sed inspicientes fœcunditatem ex inundatione a Nilo facta prodeuntem, vnà cum Thalete Milesio dixere cuncta ex aqua fieri. Tertio non intellexit Dies Genesis; illi enim non sunt dies Solis, sed operum Dei, dies originis, & ordinis rerum, & demũ dies diuinæ prouidentiæ. Demum falso asserit dies a Sole constitui; Dies enim qui naturales dicuntur constituuntur per motum primi mobilis, qui diurnus dicitur, Sol autem solum dicitur præesse diei, qui dicitur Artificiosus. Dicamus itaque Moysem suam veram sententiam desumpsisse ex Deo, qui in Monte omnem veritatem attinentem ad nostram salutem, & institutionem ei patefacere dignatus est. Demum quinto se offerunt instantiæ aduersus tertiam ostensionem sumptam ex ipso nunc; Nam ea ratio videtur petere in principio; asserere enim omne nunc esse medium, est idem ac dicere tempus esse æternum; nam quicunque tempori principium traderent, id falsum dicerent; veluti quamuis puncta nectant partes Lineę, datur tamen in linea recta punctum primum, & postremum; insuper quamuis in circulo constituto omne punctum sit principium & finis, in constitutione tamen circuli consideratur punctum primum, per cuius fluxum, vt aiunt Geometræ, circulus constituitur. Respondeo non esse petitionem, quoniam dum id accipitur, quod est rei ratio, non dicitur petitio; quod

*Solutio.* — *Quarta instantia.* — *Solutio.* — *Plato.* — *Moyses.* — *Aduersus Simplicium.* — *Quinta instantia.* — *Solutio.*

nunc mediet, est ratio eius, nunc enim denotat præsens, conditio præsentis est, vt mediet inter præteritum & futurum: de puncto secus se habet; insuper puncti & ipsius nunc distincta est ratio, quia punctum est principium rei permanentis, nunc vero rei fluentis, siue ipsius fluxus, & vt ostenditur in sexto Physic. post cont. 40. fluxus nõn incipit nisi cum negatione præsentis, dicendo nunc non est, & immediate erit; at id nũc debet esse finis alicuius præcedentis; sic itaque de ipso nunc alia est ratio, tum quia denotat præsens & medium, tum quia consignificat ordinem, tum demum quia est copula fluxus, non autem rei permanentis.

## *Ratio tertia pro motus æternitate.* *Cap. V.*

TErtia via, per quam nos deducere nititur Aristoteles in æternitatem motus, sumitur ex euersione opinionum aduersarum, & ita formatur ratio; Ea opinio cuius aduersæ sunt falsæ, putanda est vera; sed opiniones aduersæ opinioni, quod motus sit æternus, sunt falsę; igitur opinio quod motus æternus sit vera est. Maior ex se conspicua est; ostendenda est minor, quæ ita ostenditur; si motus non est æternus, sed præditus principio, vel præditus est principio absolute, vel in parte; si absolute, emergit opinio Anaxagorę dicentis Mentem & chaos primo infinito tempore quieuisse, mox cępisse mouere Mentem, & chaos moueri; si in parte, emergit opinio Empedoclis asserentis duos Mundos, per æquale tempus imperij Litis & amicitiæ, inuicem reciprocari, & temporibus mediis dari quietem; quæ sententiæ cum ratione & experientia satis conspicue pugnare videntur; non enim apparet ratio quod ex eisdem principiis tam conspicuę varietates proficiscantur; & præsertim quia apparuit ex prima ostensione, quod siue mobilia & mouentia sint æterna, siue ortui & interitui obnoxia, motus primus dari non potest. At ipsi respondentes tria proferunt; primo inquiunt id fieri secundum naturam, quia Mens & chaos, siue Lis, amicitia, & Elementa, ita sunt apta mouere, & moueri; secundo inquiunt rationem eorum hanc esse; dum autem id profertur quod est ratio, & essentia rei, non est assignanda alia causa, vt quod homo sit animal rationale, quemadmodum Aristoteles fatetur in 7. Metaphysicę 59. Tertio vnà cum Democrito adduxit eius quod est semper, non esse tradendam causam; æternum enim est infinitum, carens principio, & fine, & consequenter carens causa. Euertit Aristoteles hæc tria eorum fundamenta; Nam primum Anaxagoræ opem ferre non valet, quoniam quod est secundum naturam, præditum est ordine, infiniti ad infinitum non est ordo, quia non est ratio, & omnis ordo includit rationem ordinatorum adinuicem, & ad vnum principium, quare non valet Anaxagoras dicere chaos & Mentem primo infinito tempore secundum naturam quieuisse, mox cæpisse mouere, & moueri. Vt pertinet ad maiorem propositionem considerandum, quod cum Natura pendeat ex Dei prouidentia, quæ ordo est, iure insertum habet ordinem, vt in octauo Physic. 14. in tertio de Cœlo 24. & in secundo Physic. 84. contex. enunciat Philosophus, & sine controuersia dicitur ordinata, ordo, & causa ordinis; nam relata ad Dei prouidentiam, dicitur ordinata; considerata in se est ordo, non secus ac ars, & prudentia dicuntur ordines agendorum, & efficiendorum; relata autem ad sua opera dicitur causa ordinis; nam ordo diuinæ Prouidentiæ est solum ordinans, Ordo Naturæ est ordinatus & ordinans, Ordo operum Naturæ est solum ordinatus. Quod autem infiniti ad infinitum vel ad finitum non sit ratio, conspicuum est ex eius dehnitione, definitur enim ab Euclide in 5. Elementorum definitione tertia, quod sit duarum magnitudinũ eiusdem generis secundum quantitatem mutua & certa proportio; id autem certum, & definitum, solis finitis competit; duo infinita dicuntur ęqualia per negationem, quatenus vnum nõ excedit alterum, at non per propriam æqualitatem, quę exposcit adæquatio-

*Ratio.*

*Euersio.*

*Solutio.*

*Euersio solutionum.*

quationem principiorum & finium: At dicet aliquis simili ratione poterit reijci sententia nostrorum Theologorum tradentium, vt Anaxagoras, absolute principiũ motui; Respondeo de sententia nostrorum Theologorum longe secus se habere; primo quia ipsi non asserunt mobile primo quieuisse, sed cum motu fuisse creatum; secundo quia non inquiunt id esse secundum Naturam, sed supra Naturam, & secundum ordinem ab ęterno prædefinitum, & secundum eminentem voluntatem Dei, quæ est Lex legum; Tertio quia Theologi Mundo creato tribuunt finem, tanquam perfectionem eius, quod non facit Anaxagoras. Insuper secundo illud met fundamentum euertere nititur Aristoteles, quoniam natura vel consimiliter operatur, vel si adest operum eius dissimilitudo, etiam adest ratio eius dissimilitudinis, vt datur causa varietatis Tempo rum anni; at Empedocles, & Anaxagoras statuebant motus & quietis varietatem, cu ius nullam afferebant rationem. Vt pertinet ad secundum fundamentum, quod id sit esse & conditio eorum principiorum mouentium, & mobilium, quod pręsertim Empedocli prodesse videtur, Animaduertendum primo est, quod vel consideramus esse rerum absolute, vel consideramus earum subsistentiam siue inhærentiam; ipsius esse absolute, vt quod homo sit animal rationale, non datur causa, quia quærere cur homo sit animal rationale, est idem ac quærere cur homo sit homo; at si consideratur ipsum subsistere siue inexistere, eius datur causa, a qua producitur, & cuius gratia: Insuper animaduertendum, quod de lite & amicitia loquendo dicere possumus conditionem vnius esse congregare, alterius seiungere; sed quod id efficiant definitis temporibus, & quod vno tempore vna, altero æquali tempore altera dominetur, hoc non amplius attinet ad esse earum, & ideo eius reciprocationis Mundorum ab Empedocle aliqua esset assignanda causa: similiter ad Anaxagoram conuersi dicimus, concesso quod esse Mentis sit mouere, & chai moueri, tamen quod primo, æterno tempore quiescant mox incipiant mouere & moueri, hoc non est esse eorum, & eius assignanda esset causa. Demum vt pertinet ad tertium solutionis fundamentum, nempe quod æterni non sit assignanda causa, quia ęternum caret principio, & est necessarium, & ob id causa ca ret, profecto hoc de nonnullis concedi potest, at non de omnibus; ęternum enim & necessarium est duplex; vnum ex se, alterum ab alio; vnum præditum causa, & ab alio pendens, alterum causa carens, vt inquit Aristoteles in 5. Metaphysicę contex. 6. & in octauo Physic. 15. nam dum sermo est de affectione competente subiecto, ea habet causam, per quam ostenditur; congregare autem & secernere, affectiones sunt, quarũ causæ sunt assignandæ; veluti risibilitas semper homini competit, quæ tamen prædita est causa, non priore tempore, sed origine. Minus recte itaque Philosophi & per inania fundamenta nituntur instantias soluere; recte autem nostri Theologi eleuati diuina ope ad supremum principium, ex notitia conditionis, & modi operandi eius eliciunt veras & lucidas solutiones, quas solas approbo.

*Instantia.*

*Solutio.*

*Alia euersio.*

## *Quinta & sexta ratio pro æternitate motus. Cap. VI.*

QVARTA ratio, qua vtitur Philosophus pro comprobanda æternitate motus ex eo elicitur, quia rationes aduersæ facile diluuntur, quam ego in postremum locum reijciens, quintam refero. Dum ordinem mouentium, & mobilium animo reuoluimus, primo inspicimus omne, quod mouetur, moueri ab aliquo; Insuper in mouentibus & mobilibus non posse dari progressum in infinitum, sed esse necesse ad primum deuenire, sine cuius conspiratione cætera moueri nequeunt; id primum inter mobilia id solum esse potest, quod ex se mouetur, ita vt constet ex parte mobili, & motore immobili; hoc primum non potest esse obnoxium ortui & interitui, quoniam omne, quod oritur, exposcit aliquid superius & prius, per quod alteretur & gignatur; & ideo id quod est primum, etiam ab ortu & interitu est immune; hoc primum corpus, quod est primum alterans,

*Omne quod mouetur mouetur ab aliquo.*

*Primum ab solute nec fit nec interit.* terans, primum commune generans, & mouens, cum sit æternum, debet æterno motu moueri, quoniam subiecti æterni affectio est æterna; sed primum mobile quod est corpus naturale est subiectum æternum, igitur motus, qui est affectio eius, debet esse æternus; hinc recte Auerroes in octauo Physic. dixit quod asserentes Mundum genitum id solum possunt dicere de parte, non de toto; quoniam quod generatur exposcit corpus superius, & prius per quod generetur; & confirmatur, quia vt recte considerauit Ocellus quod mouetur vt moueatur, debet semper moueri; corpus supremum mouetur, non vt locum acquirat, in quo requiescat, non enim locum mutat, sed vt moueatur, quare debet semper moueri. Insuper cuius natura consimiliter se habet, debet semper consimiliter moueri; natura supremi æterni corporis, vt patuit, consimiliter se habet, cum sit ęterna, igitur debet semper consimiliter moueri. Hæc ratio quamuis non ita conspicue formetur ab Aristotele, tamen elicitur ex fundamentis & principiis

*Ratio sexta* eius. Cum hac quinta ratione iungitur sexta, quę elicitur ex conditione materiæ, qua vtitur Aristoteles in primo de ortu & interitu; nam conditio materiæ hæc est, vt nec generetur, nec intereat, quemadmodum ostenditur in primo Physic. 82. Insuper cum sui natura nullam habeat propriam formam, tamen sine forma existere non valet, & ob id exuēs vnam formam recipit aliam, adeo vt interitus vnius sit generatio alterius, & vice versa vnius generatio sit alterius interitus ob pugnam variarum formarum nō se compatientium; ex quibus principijs pendet generationem esse æternam, & consequenter motum, cum generatio non fiat sine motu. Formatur itaque ratio hunc in

*Ratio.* modum, Si generatio est æterna, æternus est motus; at generatio æterna est; igitur, & motus. Assumptum ostenditur, quia nisi generatio esset æterna, daretur prima generatio, quæ nullius esset interitus, & postremus interitus, qui nullius esset generatio, quod pręassumptis aduersatur: insuper vel materia gigneretur, vel subsisteret sine forma, quod a Philosophis renuitur.

## *Ratio septima, & octaua pro Aeternitate motus. Cap. VII.*

ARISTOTELES in octauo Physic. comparans inuicem motus manifestat Lationem principatum obtinere, & inter Lationes, motum in orbem; insuper manifestat motui in orbem non repugnare, vt sit vnus, continuus, & æternus, repugnare autem cæteris motibus, quia inter motus oppositos necessario mediat quies; qua de re verba facit a con-

*Ratio.* text. 53. ad 75. Ratio autem hunc in modū formatur; Motus in orbem valet esse vnus,

*Lex Naturæ.* ęternus, & continuus, igitur est; deducitur consequutio per Leges Naturæ, quarum vna est, vt in æternis non differat esse a posse; & legitur in tertio Physic. 32. Altera est, quæ legitur in octauo Physi. 56. Quod melius est, semper arbitrari debemus in rerum ordine reperiri, si reperiri valeat: His Tertio additur vniuersum re vera esse vniuersum, & omni ex parte perfectum, vt asseritur in procemio libri de Cęlo; non itaque hac perfectione attinente ad motum vnum continuum & æternum debet iudicari destitutum, cum apta sit ei competere; Hinc Aristoteles in primo de Cœlo, contex. 100. inquit & perenni vtique motu, iure mouetur; omnia enim quæ mouentur, cum venerint in proprium locum, quiescunt; eius autem corporis quod in orbem fertur, idem est locus, vnde incipit, & in quem desinit. Id ipsum confirmatur, quia motui in orbem contrarium non competit, est ab eodem ad idem, & semper in principio, sem-

*Sententia Alcmęonis.* per in fine est; approbatur ab Aristotele in lib. Problematum sententia Alcmæonis, quæ erat, Hominem non seruari ęternum, quia finem vitæ cum principio non nectit; de motu in orbem secus se habet; & cum cœlum per motum suum semper in principio & fine esse dicatur, ille tamen non est finis actu, in quo requiescat, nec principium

actu,

actu,sed solum ita denominatur,quia principium a fine distinctum non habeat; Principium autem,finis,& medium magis distinctum & actu dicitur centrum, circa quod reuoluitur; quod patefecit Aristoteles in octauo Physic. context. 76. inquiens, Ille motus, qui non est ad oppositas dimensiones,nec finem in se actu habet, nec principium,nec medium,neque etiam habet vbi desinat,huiusmodi est motus in orbem,nā finem,qui actu sit extra se habet,nempe centrum &c. Octaua ratio elicitur ex conditione motorum Cœli,per quam potius ostenditur propter quid, quam motum illum esse æternum;ideo Aristoteles hac vtitur in regressu,cum motores esse a materia secretos ostendatur per motum æternum; Ratio ita formatur; Motores cœli sunt secreti a corpore,immunes a quouis motu,adeo vt nec ex se,nec ex accidenti moueantur;sunt æterni, & sui essentia actio,vt legitur in 12. Metaphysicæ, ideo semper mouent,nam ab agente consimiliter se habente eadem & consimilis prodit actio; & confirmatur, quia ex sententia Aristotelis motores Cœli mouent cum quadam naturæ necessitate, hoc est quando,quantum, & quomodo possunt; cum Itaque valeant mouere semper etiam mouent semper; confirmatur considerando rationem per quam mouent;nam motor primus Cœlum mouet,quia bonus,quia fœcundissimus,quia liberalis,& nulla detinetur inuidia; & cum semper fuerit & futurus sit talis, semper mouebit; vt enim se habet de adæquata ratione,per quam fit aliquid, ita se habet de re effecta: demum id elicitur ex absolutissima primi motoris perfectione; cum enim perfectio in ternario sit posita in essentia,facultate,& actione,quia primum principium semper absolutissima perfectione est præditum,nunquam aliquo eorum trium debet esse destitutum; & quemadmodum intus est absolutissimum, ita extrinsecus quoque debet esse tale;motus autem qui eius est externa actio,externam iunctam habet perfectionem,& præsertim quia actus primus iunctus cum secundo,præstantior & perfectior est quam seiunctus; quod confirmatur, quia vt legitur in secundo de Cœlo. 17. id cuius est opus,est gratia operis,ideo vna cum opere saltem extrinsecus est perfectius. Cum hac octaua ratione ea nectitur,quæ ex sententia Platonis elicitur ex idea Mundi, siue ex Mundo originali,& intelligibili,ex sententia autem Aristotelis ex Mundo eminenti,& ita formatur; Cum Deus sit fœcundissimus & ex eius fœcunditate prodeat Mundus,tanquā imago eius sub sensum cadens,cunctis,quę in eo sunt,aliquid extra respondere debet; interna Deo est ęternitas,cui in Mundo corporeo respondet tempus; ideo vt æternitas est ipsum semper,simul,& sine successione,ita tempus ipsius semper debet esse particeps,vt suę conditioni congruit, nimirum cum successione, & diuisione; nam quia tempus nectitur cum motu,& corpore,quæ diuisibilia sunt, non valet secus esse æternitatis particeps; Tempus itaque,& cum eo motus semper fuit, & futurum est.

*Ratio octaua.*

*Ratio Platonis.*

## *An motus debeat ex se iudicari æternus vel ab alio, opinio Auerrois, & instantia.* Cap. VIII.

APPARVIT Motum esse æternum; superest agendum de modo, quo ei æternitas competat. Sententia fuit Auerrois 12. Metaphysicæ 41. Motum Cœli ex se esse mortalem, seruari autem æternum a motore; Nam inquit in Cœlesti corpore non inesse potentiam ad interitum, cum careat contrario, sed ex se esse æternum, motum vero non ex se esse æternum,çum præditus sit contraria quiete; ideo in Cœlo ait non reperiri potentiam,nisi vt quiescat;non potest tamen quiescere munere motoris. Confirmat suam sententiam authoritate Aristotelis 9. Metaphysicæ 17. dicentis non esse timendum de quiete cœli, & non dixit non esse timendum ne pereat, quoniam interitus non in eo esse potest, vt quies, quasi asseruerit Aristoteles quamuis Cœli motus præditus sit contrario,& ex se valeat interire,non ob id timendum est,ne quiescat, vt nōnulli ve-

*Sententia Auerrois.*

terum

terum timuerunt; qui vt dicitur in secundo de cœlo, contex. 3. putarunt cœlum egere violenta necessitate, detinente ipsum ne rueret. Hinc addit Auerroes regulam illam, possibile ex se reddi ab alio necessarium, tantum esse veram de motu Cœli, quia esse habet ab alio, substantia vero est ens per se, & id quod habet ex se habet. Aduersus hanc sententiam latissime inuehitur Balduinus in quæstione de æternitate motus: ego ex varijs instantijs potiores eligam, & quam breuissime referam. Argumentatur primo, Quotiescunque agens & subiectum ex se sunt æterna, affectio quoque ex eis prodiens sui natura & conditione iudicatur æterna; Cœlum & eius motor ex se a Peripateticis statuuntur æterna; quare motus quoque iudicandus est talis. Insuper Natura nil efficit frustra, primo Cœli 32. secundo Cœli 59. & quæ voluit esse æterna primo genuit æterna, non autem ea fecit mortalia, mox seruauit æterna; alioquin ea fuisset Prudentia sequens, quæ imperitorum est, non antecedens. Præterea Aristoteles in primo de Cœlo & in octauo Physic. ex eo quod motus cœli est simplex, carens contrario, & æternus, colligit mobile & motorem æterna esse, quod efficere non valuisset, si motus ille ex se mortalis esset. Præterea affectio dicitur apta interire vel per contrarium, vel per interitum subiecti; neutrum horum competit motui Cœli. Insuper nisi per se esset æternus, esset talis ex accidenti; quæ sunt ex accidenti non ostenduntur, æternitas autem motus ostenditur. Præterea si ex se esset mortalis, perinde aduersus eam sententiam possemus instare, ac inuehatur Aristoteles in Platonem dicentem Cœlum ex se mortale ab alio seruari æternum, & vt inquit Aristoteles in calce decimi Metaphysicæ nil ex accidenti interit, sed mortale omne necessario perit. His accedit quod Auerroes secum pugnare videtur; nam in cap. de substantia orbis inquit competere Cœlo causam agentem & conseruantem motum & cœlum, qua dempta nec motus, nec cœlum esset; in 12. autem Metaphysicæ 41. inquit Cœlum ex se esse æternum, non motum: Insuper fundamentum Auerrois in eum reflectitur; nam si Aristoteles inquit non esse timendum, ne cœlum quiescat, indicat non posse quiescere, quia de eo est timor quod esse potest; Missa facio cætera. Ex propria autem sententia duas profert cõclusiones; prima est motum cœli, vt motus est, posse desinere esse in cœlo, vt corpus est; Altera est motum cœli, vt talis motus, talisque corporis, non posse desinere esse in Cœlo, vt tale corpus est, nempe cœleste & æternum. Ostenditur prima, quia cœlum, vt quatenus corpus potest diuidi, ita etiam quiescere, & moueri; insuper omne præditum contrario potest interire, motus cœli, vt motus, habet quietem contrariam, vt talis motus caret contrario. Ostenditur secunda, quia dum consideratur quatenus est motus talis, & huiusmodi corporis, caret contrario, & subiecto, quod potestate sit ad opposita: confirmat suam sententiã authoritate Aristotelis in secũdo de Ortu & Interitu 62. dicentis, motum recipere æternitatem a subiecto, quod æternum sit.

*Balduinus aduersus Auerroem.*

*Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.*

*Opinio Balduini.*

## *Euersio relatæ Opinionis.* Cap. IX.

NONNULLI in Dialectica versati, ad Philosophiam progredientes, frequenter Dialectica abutẽtes, Philosophiam turbant, & in Philologiam conuertunt; cuius rei non desunt exempla, quibus silentio decursis, vt ad institutũ pertinet, in relata opinione plurima refulgent errata; Nam primo diminute referunt causas interitus accidentiũ; Accidentia enim in fluxu posita, pendentia ex agente pro esse & conseruatione præsertim seruantur & intereunt per motorem; ideo Aristoteles in octauo Physic. ex æternitate motus, primo intulit æternitatem motoris, tanquam principalem causam eius, 29. Metaphy. 17. dixit non esse timendum de quiete cœli, quia motor eius non mouet cum labore. Secundo minus recte comprobant sententiam suam per Aristotelem in secũdo de Ortu & Interitu 62. quoniam eo loci non loquitur Aristoteles de æternitate, & cõseruatione motus,

*Primus error.* *Secundus.*

ne motus, sed de eius continuatione, & de causa, per quam est continuus, vt accuratus lector iudicare potest; nec ob id inficior mobile esse causam æternitatis motus; est enim id quoque causa, sed minus principalis, & sine qua non. Tertio errant non distinguentes naturas & conditiones rerum; cum enim Aristoteles in 1. de Cælo 100. dicat rebus competere Periodum vitæ, & æuum siue circumscriptum tempus suæ cõseruationis, profecto pro eius sententiæ explicatione vtendum est distinctione; non enim rebus distinctæ conditionis, eodem modo ea competunt, sed cum primo diuidantur in substantiã & accidens, Substantia quia est permanens & per se subsistit, ex se & per sua interna principia suo æuo predita est; Ex aduerso accidẽs est duplex vnũ permanens, alterum fluens, vel potius fluxus; Primũ habet æuum a suo subiecto, non ab agente, cum eo non egeat pro sui conseruatione; De accidente fluente secus se habet; id enim cum pendeat ex suo efficiente pro esse & conseruatione, etiam ab efficiente præsertim habet conseruationem & æuum, non tamen sine subiecto. Hinc recte dixit Auerroes motum propterea ab alio habere, vt sit æternus, quia ab alio recipit esse. Id ipsum distincte nouit Scotus, ideo in primo sent. dist. 8. dixit, Motus ex se possibilis, potest seruari æternus, ne dum quia est ab alio, verum insuper quia semper habet esse nouum; propterea non est forma necessario existens, sed necessario semper reperitur, quia mobile necessario consimiliter se habet ad eum motorem, qui necessario consimiliter mouet; quæ consimilitudo motoris & mobilis est causa, vt motus necessario semper fiat, quamuis nunquam habeat esse formaliter necessarium, &c. Quarto delinquunt non distinguentes inter esse potestate absolute, & non repugnare; nam id absolute dicitur potestate, quod per propria & interna eius principia tale est, vt Leo dicitur mortalis; Potestas autem non absoluta, quæ non repugnantia dicitur, non est talis per omnia interna principia, sed sat est vt alicui principio interno eius non repugnet; quæ potestas potest ad actum nunquam redigi; veluti Talpæ, vt est animal, non repugnat videre, & cœlo, vt quanto, nõ repugnat diuisio; huiusmodi est potestas, quæ æterno motui competit, cui vt motui non repugnat non esse, & æuum proprium per interna principia non habet, sed habet id a motore, non tamen sine mobili: Ex quo patet non recte eos proferre sententiam suam; nam dicere debuissent motui Cœli per Naturam communem motus nõ repugnare interitum, ei tamen repugnare, vt est immobili æterno, & fit ab æterno motore: at ipsi dimittẽtes motorem neglexere causam principaliorem, quam si attulissent, id ipsum quod Auerroes asseruissent. Ex dictis tria colligo, primum est æuum secus competere accidentibus & presertim in fluxu positis, quam substantijs compositis; Alterum est motum cœli posse aliqua ratione dici ex se æternum, & alia non; dici potest ex se æternus, vt distinguitur a motibus mortaliũ, qui per motum primum seruantur æterni; motus autem primus non per motum aliũ, sed per sua propria principia; ex aduerso non est ex se æternus eo modo, quo substantiæ compositæ per interna principia & propriam naturam possunt esse æternæ, vt cœlum: ex quo etiam elici potest concilium opinionum. Demum colligo sententiam Auerrois recte sumptam & explicatam esse veram, & inaniter eos laborare, qui multitudine apparentium rationum eam obruere & obumbrare nituntur. Solutio aduersarum rationum ex dictis conspicua est. Instabatur primo, si æternum est subiectum & agens, affectio ex se dicitur æterna. Respondeo ex se facta comparatione inter accidentia in fluxu posita, vt nata sunt ex se æterna esse, nempe per principia, a quibus fiunt & seruantur, non autem ita ex se intrinsecus, vt substantia & accidentia permanentia; Addebatur secundo, Naturam nil frustra efficere; respondeo naturam iustissimam vnicuique ea tribuere, quæ eius conditioni congruunt, ita motum seruat & constituit æternum, vt sui conditio exposcit; potestas autem, quæ dicitur non repugnantia ex parte alicuius, non semper ad actum redigitur ob adnexa, quibus repugnat. Dicebatur tertio, Aristotelem ex æternitate motus colligere æternitatem cœli; respondeo id fecisse, quia conditio causæ refulget in re effecta, vt ei est apta competere, & sumitur

*Tertius.*

*Scotus.*

*Quartus error.*

*Tria ex dictis colliguntur.*

*Sententia Auerrois defendi potest.*

*Diluuntur rationes aduersæ.*

mitur motus æternus pro antecedente, quia eius æternitas iam fuerat ostensa, non tamen fuerat ostensum motum ita ex se esse æternum, vt substantiæ & accidentia permanentia; Addebatur quarto, accidens interire vel per contrarium, vel subiectum, & ideo solum ob aliquod horum duorum posse dici corruptibile; Respondeo eos dimittere principale, quod est efficiens; insuper dico motui circulari non repugnare interitum ex parte generis, cui opponitur quies. Instabatur, quia si ex accidenti esset æternus, non posset demonstrari; dico ita est per se æternus, vt aptus est esse, quemadmodum patefeci. Addebatur quod rationes formatæ ab Aristotele contra Platonẽ, vim haberent aduersus hanc sententiam Auerrois: Respondeo plurimum differre esse corruptibile absolute ex se, a non repugnantia ex parte alicuius; insuper plurimum differre accidentia in fluxu posita, quibus ex se æuum proprium non competit, a substantia composita, cui per interna principia competit æuum proprium; & demum plurimum differre apta esse æterna vno modo, ab his quæ non eo, sed alio modo sunt apta esse æterna. Dicebatur Auerroem in cap. de substantia orbis ea proferre, quæ pugnant cum dictis eius in 12. Metaphysicæ: soluitur Auerroem non secum pugnare; nam cœlum & eius motus hoc habet commune, vt ambo sint æterna, ambo pendeant ex motore cœli; ideo Aristoteles nono Metaphysicæ 17. inquit si intelligentię non essent, nihil esset; Differunt tamen, quia motus vere habet principium continenter, illum producens, ac ita seruans; cęlum non per continuatam productionem seruatur, prędictum est proprio æuo & contrario caret. Auer. in cap. de substantia orbis patefecit id, quod est commune vtrisque; at in 12. Metaphysicæ 41. explicauit id, per quod differunt: quomodo sententia Aristotelis deprompta ex nono Metaphysicæ conducat approbatæ opinioni ex eius relatione conspicuum est.

## *Instantia nonnulla aduersus æternitatem Motus.* Cap. X.

Aduersus æternitatem motus Algazel, Philoponus contra Proclum, & alij viri celebres varias attulere instantias, quarum ego potiores quã breuissime referam & diluam. Instant primo ducendo ad varia absurda; nam si motus, & tempus æterna essent, primo daretur infinitũ actu annorum, & reuolutionum cœli præteritarum; Secundo infiniti ad infinitum esset ratio, nam inter reuolutiones variorum cœlorum definita est ratio; Tertio vnum infinitum esset maius alio; nam reuolutiones Lunæ sunt plures reuolutionibus Solis; Quarto infinitum posset consumi & transiri; iam enim consumptũ est tempus præteritum, & præterierε reuolutiones præcedentes cœlorum. Quinto tot essent pręteriti anni, quot menses, & tot menses, quot dies & horę, cum vnum infinitum non sit maius alio, & ita partes non essent plures totis, quorum sunt partes: Sexto id esset factum, quod nequit fieri; nam infinitum transire non potest & tamen transiuisset; & quoniam futurum non est maius pręterito, & pręteritum transiuit, transibit etiam futurum, & consequenter infinitum habebit finem; quę omnia conspicue videntur absurda. Secundo cum motus sit prǽditus causa efficiente, necesse est dari primam aliquam reuolutionem, primumque diem notum motori; nam inficiari dari primum est inficiari quod producatur; si habet primum habebit & vltimum, & non erit infinitus; confirmatur, quia cui competit vltimum, competit primum; motui, & tempori competit vltimum, vt hora pręsens, quare & primum. Pręterea in ęternis esse & posse non distinguuntur, per Aristotelem tertio Physic. 32. sed motus potest desinere, cũ sit prędictus quiete opposita, igitur desinet esse, & presertim quia Deus & Natura nil faciunt frustra, ex primo de Cœlo 32. & omne corruptibile necesario perit, & nil ex accidenti perit, sed necessario, vt legitur in decimo Metaphysicæ 26. Demum vtor duabus communibus

*Prima instantia ducẽdo ad absurda.*

*Secunda.*

communibus rationibus, quarum vna est, Quod est præteritum non est; omne tẽpus futurum aliquando erit præteritum, igitur omne tempus futurum aliquando non erit; Altera est, Quod est futurũ non est; omne tempus præteritum aliquando fuit futurũ, igitur omne tempus præteritũ aliquando non fuit; quare neutra ex parte est infinitũ. *Tertia.* *Quarta.*

## *Declarantur nonnulla conducentia pro vitandis absurdis, ad quæ deducebatur per primam instantiam aduersus æternitatem motus. Cap. XI.*

Vt vitentur absurda, in quæ labi videntur asserentes motum æternum, nonnulla ad infinitum pertinentia breuibus sunt præaccipienda, Diuisio significationum infiniti; quomodo infinitum per negationem, non autem per veram adæquationem alteri infinito possit dici æquale, insuper quod infinito non proprie competant partes, nisi infinitæ, vt præteritum & futurum dicuntur partes temporis; ex his petenda sunt, quæ suo loco de infinito declaraui. *Primum quod accipitur.* Insuper accipiendum sæpe vnum & idem considerari posse & vt finitum, & vt infinitum; veluti Linea vnius pedis est finita actu, & terminata; est tamẽ infinita potestate, quia diuisibilis est in infinitum; quatenus est finita & vnius pedis, etiam est prædita primo & vltimo, terminis, quæ sunt duo extrema puncta; vt autem infinita potestate nec primam, nec postremam partem habet, cum in infinitum sit diuisibilis; & hac consideratione nil ei potest addi per quod reddatur maior, sed solum vt actu finita est; nam infiniti ratio est priuatio finis, vt in tertio Physic. 33. inquit Auerroes, *Secundum.* sed pulchra est dubitatio an infinitum repugnet numero; adeo vt dicere valeamus præteritas reuolutiones cœli esse numero infinitas. *Dubitatio.* Quod non repugnet ostenditur primo, quia nulla differentia pugnat cum suo genere; finitum & infinitum dicũtur differentiæ, vel saltem affectiones quantitatis, quare non repugnant ei; confirmatur, quia de numero dicimus esse aptum crescere in infinitum; insuper ea multitudo reuolutionum est quantitas non continua, igitur discreta, quæ numerus est. Ex aduerso videtur ei repugnare, quia omnis numerus est par vel impar, & est numerabilis, vel numerans, quæ infinito non competunt: Dicendum puto repugnare dari numerum infinitum actu, quia esset numerus & non numerus, cum ei non competant conditiones numeri; & hoc elicitur ex Aristotele in tertio Physic. non autem repugnare dari infinitum potestate, positum in successione, de quo debemus dicere non quidem esse infinitum, sed posse in infinitum crescere, & ita in infinitum est numerabilis sine vllo termino, & in infinitum variatur per par & impar; & hoc nos docet Aristoteles in 3. Physic. 68. *Solutio.* & errat Philoponus in prima disput. contra Proclum inquiens, nullam apparere rationem, ob quam infinitum actu simul esse nequeat, successione autem valeat, nam magna est differentia, quia absolui & terminari repugnat infinito; infinitum igitur actu repugnat numero, non autem infinitum potestate. *Contra Philoponum.* Sed alia se offert dubitatio, an numerus præteritarum cœli reuolutionum debeat dici infinitus, supposita cum Aristotele æternitate Mundi. *Alia dubitatio.* Simplicius in octauo Physic. digress. 3. inficiatur esse infinitum, sed ait esse terminatum per nunc præsens, & per hoc soluit instantiam, quia nil gigni posse dicitur, cuius generationi debeant infinita antecedere, negando annos & præteritas reuolutiones esse infinitas: *Simplicius.* quam sententiam non puto veram, quia præteritæ reuolutiones carent principio, nequeunt numerari, non sunt pares vel impares, quæ indicant eas esse absolute infinitas, & solum esse terminatas ex parte nostri, per nunc præsens; & ea regula, quod nil possit gigni, cuius generationi debeãt infinita antecedere; vera solum est de ordinatis secundum essentiam, & vna conspirantibus ad generationem, non autem de ordinatis ex accidenti, vt particulares reuolutiones: insuper est vera de infinito quod debeat incipere pertransiri, non de eo quod fuit semper. *Euertitur.* Sed alia emergit dubitatio, cum præteritæ cœli reuolutiones sint *Alia dubitatio.*

infinitæ, si per singulas aliquid permanens & æternum efficeretur, num ea effecta essent infinita? veluti supposito numero & immortalitate animorum, num modo essent infiniti? Nonnulli id negant, quia infinito nil potest addi, numero autem animorum continenter aliquid adderetur. Profectò dicendum esset, quod ea effecta numero essent infinita; hinc rectè D.Tho. in secundo sent. distinct. prima ait, mundum nō posse fuisse semper, quia daretur infinitum actu, nimirum numerus animorum; & iure, nam ei competeret definitio infiniti, quæ est, in quo semper aliquid est vltra accipere, & essent animi illi innumerabiles, nec pares, nec impares, & propterea infiniti: & dum dicitur infinito nil posse addi, id debet per se intelligi, nimirum vt termino caret, at nō quatenus ex parte nostri ei competit terminus aliquis; insuper id ita intelligi debet, vt per additum reddatur maius, veluti si reuolutionibus Solis addamus reuolutiones Lunæ, nōn consurgit aliquid maius, neque etiam minuitur, si mille reuolutiones demamus, cum infinitum non dicatur maius vel minus; & ratio huius est, quia vt dixi infinitum non proprie habet partes nisi infinitas; & animaduersione dignum est, non ita se habere de re permanente, vt de reuolutionibus; nam reuolutiones dicuntur infinitæ ex parte antecedente, terminatæ per præsens nunc, at in re permanente non consideratur præteritum & præsens, sed ea tota est simul & non redditur numero maior, etiam si innumeræ aliæ superaddantur; & si quid superadditur, id solum fit quatenus aliqua ex parte terminum habet.

*Solutio.*

## *Soluitur ratio ducens ad varia relata absurda.* Cap. XII.

*Solutio.*

EX dictis de infinito, facile vitantur absurda, ad quæ per primam rationem deducebatur. Asserebatur primo quod daretur infinitū actu præteritarum reuolutionum. Soluitur, quia hoc non est infinitum actu, cum non simul existat, sed potestate & successione, & est non proprie infinitum, sed in infinitum ordinatorum ex accidenti eiusdem speciei. Dicebatur secundo quod infiniti ad infinitum esset ratio, quia vt pars ad partem, ita totum ad totum; Soluitur negando consecutionem, nam ea regula solum est vera de illis, quibus proprie competunt partes mensurantes totum, & quę vere sunt totum aliquid; at finitum non dicitur pars infiniti, cum per eius ablationem infinitum non minuatur, nec infinitum est vere totum: hinc Aristoteles in tertio Physi. 65. & 66. inquit infinitum potius obtinere locum partis, cum prodeat ex materia, & sit potestate, quā totius, quod formam & perfectionem denotat. At pulchra emergit dubitatio, quia Aristoteles in primo Physic. 24. consimili ratione est vsus; nam Melissum redarguens asserentem omne quod est esse vnum, infinitum, & immobile, inquit & cur est immobile si est vnum? vt enim pars vna, cum sit hæc aqua, mouetur in seipsa, cur non & vniuersa aqua? Argumentatur Philosophus, vt patet, loquendo de infinito a parte ad totum, id ipsum etiam facit in octauo Physic. contex. 17. Respondeo aliud est dicere, vt pars ad partem ita totum ad totum loquendo de proportione, quæ infinito repugnat, vt infinito, non autem partibus late sumptis, & dicere vt se habet de parte relata ad aliquam affectionem, ita de toto saltem considerato secundum eius partes, quod dicitur ab Aristotele; hinc in octauo Physic. 17. addit si contingat infinitum moueri totum & quiescere: sic itaque ea ratio est fallax, quia fit transitus a parte, cui valet competere ratio, ad totum infinitum, cui vt infinito repugnat. Instabatur tertio, quia vnum infinitum esset maius altero; at id non sequitur, quoniam dum reuolutiones variæ considerantur vt infinitæ omnes sunt innumeræ, & principio carent; veluti etiam dum comparatur linea vnius pedis, cum altera decem pedum, & considerantur vt continuæ aptæ diuidi in infinitum, vna non est maior altera, & non magis vna quàm altera est apta diuidi in infinitum, adeo vt dicere valeamus præteritas horas non esse plures diebus, nec dies mensibus, nec menses annis, nec partes toto; quia nec pars, nec totum de eis proprie dicitur. Addebatur quarto infinitum pertransiri & consumi; respondeo

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Solutio tertia.*

*Præteritæ horæ nō sūt plures Mensibus.*

*Sol. quartę.*

deo id non ſequi,quoniam id proprie dicitur pertranſiri, & decurri, quod prǽditum eſt principio & fine,inter quæ conſideratur tranſitus & decurſus; de infinito præterito rectè dicimus ſemper fuiſſe, & de futuro ſemper fore. Dicebatur quinto quod tot eſſent præteriti anni, quot menſes, qua de re nuper verba feci. Addebatur ſexto, id eſſe factum quod nequit fieri,& cum futurum non ſit maius præterito, & præteritum tranſiuerit,etiam tranſibit futurum; Solutio patet, quoniam futurum hac conſideratione tranſiuit,quia fuit ſemper, & ita futurum erit ſemper. *Sol.quint.*

## *Diluuntur reliquæ inſtantiæ aduerſus æternitatem Motus. Cap. XIII.*

INSTABATVR ſecundo loco aduerſus æternitatem motus,quia cum motui competat cauſa efficiens, eſt neceſſe dari primam reuolutionem: Pro ſolutione conſiderandum eſt eſſe dubium an creaturæ competere valeat fuiſſe ſemper, & carere primo. Henricus de Gand. quol. primo q.7.putat cuilibet creaturæ hoc repugnare, adeo vt creatio æterna pugnantia includat; Ratio eſt, quia niſi detur primum, & principium, per quod res fit tranſlata ex non eſſe ad eſſe, non vere dicitur res effecta, vel creata: hinc Alexander inficiatus eſt æternis competere cauſam efficientem: Et D.Auguſtinus aduerſus Felicianum Arrianum dixit; creatura eſt, eo quod non dum eſt, vel aliquando non fuit; id ipſum aſſerit Damaſcenus libro primo de Fide Orthodoxa cap. 8. Ex aduerſo Simplicius D.Tho.Ocham, Auicenna & Algazel ex ſententia Philoſophorum concedunt æternam a Deo emanationem: Durandus medians putat id ſolum repugnare creaturæ mortali,non autem numero æternæ; Scotus in ſecundo ſent. diſtinct. prima q.7. putat probabiliter vtranque partem defendi poſſe. Hæ ſunt virorum Sapientum ſententiæ, quorum rationes referre longum eſſet. Putarem ego diſtinguendo creationem non eſſe difficile eas conciliare; nam creatio dupliciter vſurpatur, vel proprie, per quam res abſolute ex nihilo,cum prius non fuerit,conſtituitur in eſſe, pro qua requiritur primum, & requiritur definitum nunc creationis, ac inſuper quod non eſſe eius tempore præceſſerit,in qua ſignificatione vera eſt ſententia D.Auguſtini,nec non Alexandri: Vel ſecundo vſurpatur creatio, effectio, & emanatio late, per quam id factum dicimus,cuius nil eſt quod ex ſuo principio non pendeat,vt ſe habet de affectione ex interno principio prodeunte; in qua ſignificatione Simplicius,Auicēna,Algaz: & alij multi dicunt Mundum a ſuo principio manaſſe & cauſa efficiēte eſſe prǽditum: ſimiliter cum Scoto dicere valemus vtranque partem defendi poſſe, quatenus diſtincta ſignificatione vtraque veri aliquid includit. Sic itaque æterno, vt æternum eſt, cauſa efficiens proprie non competit, ſed ſolum late; nec vere eſt efficiens, ſed conſeruans; pro qua conſeruatione non requiritur vt detur primum. Ariſtoteles tamen proprie loquens negat æterna eſſe facta; Et dum additur, ſi datur vltimum, datur & primum; reſpondeo non dari vltimum abſolute, ſed ſolum per relationem ad nos. Inſuper,vt rectè inquit Auerroes in prima diſp. in ſol. 5. dub. ea regula ſolum eſt vera de ordinatis ſecundum eſsentiam, non ex accidenti. Inſtabatur inſuper in æternis nō differre eſse a poſse,& motum ob oppoſitam quietem poſſe deſinere eſse,& pręſertim quia Deus & natura nil faciunt fruſtra,& omne mortale neceſsario perit. Reſpondeo hæc eſſe vera de illis,quibus competit proprium æuum, & per interna principia ſunt mortalia,non autem de non repugnantia ex parte generis; & præſertim quia ratio reflectitur,nā ſi nil repugnat vt motus ſit æternus,& melius eſt vt ſit æternus, igitur ęternus erit:ita etiam quamuis talpæ,vt animal,non repugnet videre, nō propterea vidit. Afferebātur poſtremo rationes duæ, quarum prima erat, quod eſt præteritum nō eſt; omne tempus futurum aliquando erit præteritum; igitur aliquando non erit, &c. Diluuntur, quia tempus pręteritum ſimiliter & futurum dupliciter vſurpatur, vel in parte,in qua ſignificatione veræ ſunt propoſitiones, at ex eis nil infertur,quod æternitati

*Solutio.* *Henricus.* *Simplicius.* *Durandus.* *Scotus.* *Opinio propria.* *Solutio poſtremæ difficult.*

motus vel temporis aduersatur, vel vniuersè & secundum totum, & ita sunt falsæ; non enim vniuersum tempus futurum aliquando erit præteritum, sed semper erit; similiter neque vniuersum tempus præteritum aliquando fuit futurum, sed semper fuit: immo dicendo aliquando, denotamus tempus, & destruendo illud, vnà id ipsum construimus, vt dicebat Auicenna.

## *Motum Circularem posse esse vnum æternum & continuum. Cap. XIIII.*

*Motus in orbē vere vnus æternus & continuus.*

MOTVI in orbem omnium motuum præstantissimo nil repugnare vt sit æternus, modo aliquo in præcedentibus apparuit; pro cuius comprobatione addimus iure illum posse esse æternum, vnum, & cōtinuum, cum ei contrarium non competat, nectat principium cū fine, & in se habeat principium & finem solum potestate, & per relationem, non autē actu; finem autem actu extra se habeat, quem nunquam attingit, quale est centrum, vt asseritur in 8. Phy. cont. 76. ex quibus hæc constituitur ostensio; Motus ille, qui non versatur inter opposita definita, & vbique habet principium & finem potestate, & per solam relationem, finem autem actu extra se habet, quem nunquam attingit, valet esse vnus, continuus, & infinitus; Motus in orbem est huiusmodi, quare &c. hac ostensione non ostenditur motum in orbem absolute esse æternum, sed solum id ei non repugnare; & ea quæ pro medio sumitur, est tanquā causa sine qua non; ex ea tamen per consecutionem elicitur æternitas, vt in præcedentibus patefeci. Sed duæ nobis se offerūt difficultates; prima est an motui in orbem competat cōtrarium; altera quomodo ex pluribus reuolutionibus numero distinctis consurgere valeat motus in orbē vnus numero; A prima ordiens Arist. in 1. de Cęlo ostēdit motui in orbem nec motum rectū, nec motum in orbem esse contrarium; non rectū, quia motus rectus recto est contrarius; non orbicularem, quia motus contrarij ducunt ad terminos contrarios, maxime distantes; distantia autem mensuratur per lineā rectam, quia vna, definita, & breuissima est. Verum consideratione dignum est, quod cum motui in orbem proprie contrarium non competat, tamen adeo admirabilis est conditionis, vt sine vlla pugna, & eximia cōsensione plurimas oppositiones includat, vt sub initio suarum Mechanicarum docet Arist. & vndecim præsertim in eo oppositiones considerare valemus; Primo ex parte generis communioris, nempe mutationis; ei opponitur immobilitas; Secundo ex parte generis proximi, nempe motus, ei opponitur quies; Tertio ratione cōditionis propriȩ, vt scilicet est orbicularis, ei opponitur rectus, circulo enim rectum opponitur, cū circulus careat angulis, figura vero rectilinea eis sit prȩdita, vt dicitur in 1. Phy. 41. Quarto motui in vnam partem, opponitur motus in oppositū, vt motui ab ortu in occasum, opponitur modo aliquo motus ab occasu in ortum; Quinto inter varios circulos magis & minus ab æquatore distantes consideratur oppositio per velox & tardū; Sexto in circulo reuoluto consideratur oppositio, quatenus si vna pars ascendit, opposita descendit, si vna ad aliquam positionis differentiā progreditur, opposita ab ea recedit; Septimo ratione totius & partium; nam dicitur moueri secundum partes, cum tamen totum non mutet locum; Octauo ex parte constitutionis circuli dicitur confici ex motu, & quiescente, quia quiescente circini pede vno in centro, alter circa id reuoluitur; Nono ratione circuli constituti, nam simul includit intimū & extimum; Decimo, motui in orbem vt æterno opponitur mortalis, vt consimili siue regulari dissimilis & irregularis. Et iure in motu Cęli cum similitudine dissimilitudo, & cum eximia consensione numerosa oppositio inclusa est, vt inde saluberrima prodeat harmonia, & semen esse valeat varietatis & oppositionis rerum, mortalem orbem constituentium. Demum vndecimo in cęlestibus orbibus tanquam viuentibus & ex se motis, considerantur omnes oppositiones & differentiæ positionis, vt patet ex 2. de Cęlo. Ita ex ipso vno tanquam ex fonte, per medias eminentes & consentientes oppositiones, varia & dissen-

*Ratio.*

*Prima dubitatio. Secunda.*

*Motui in orbem nō competere contrarium.*

*Motus in orbem multiplicem oppositionem includit.*

dissentientia prodeunt. Altera dubitatio erat quomodo ex reuolutionibus innumeris numero inuicem distinctis, consurgat vna numero reuolutio, non enim ex multis hominibus valet vnus numero homo consurgere, sed solum specie. Pro solutione duo dicenda sunt, primum est loquendo de consimilibus posse ex multis vnum numero constitui, vt patet de Elementis, ex multis enim aquæ portionibus seiunctis & numero distinctis per coniunctionem consurgit aqua vna numero: Addo secundo ex innumeris reuolutionibus non consurgere vnam numero reuolutionem, sed vnum numero orbicularem motum per continuatam successionem variarum, numeroq; distinctarum orbiculationum vnius mobilis ab vno motore continuato tempore productarum. *Solutio.*

## *Lationem rectam non posse esse vnam, continuam, & æternam. Cap. XV.*

Apparvit motum in orbem posse esse vnum, continuum, & æternum; superest modo considerandum an id lationi rectę competere valeat; qua de re verba faciens ostendam primo id motui recto repugnare; Secundo patefaciam inter oppositos motus mediare quietem; Tertio aduersus id dubia referam, quę demum nitar diluere. Vt ad primum pertinet lationem rectam non posse esse vnam & æternam ex eo conspicue elicitur, quia interuallum rectum, quod a grauibus & leuibus per naturam decurritur, vel est infinitum, vel finitum; Infinitum dici non potest, tum quia non datur, tum quia in infinitum nil mouetur, primo Cœli 87. tum demum quia nil fit, quod non potest esse factum; id ipsum dicendum est de cæteris motibus, qui inter contraria constituuntur; omnia enim contraria sunt definita, & terminata, & infinitum actu a natura renuitur, eique aduersatur. At dicet aliquis lationes rectas, & motus inter opposita posse esse continuos, & æternos per recursum, & successionem; quæ euasio inanis est, primo quia si fiat recursus, motus ille non erit vnus, & ob id non erit continuus; motus enim continuus debet esse vnus, ex quinto Physic. 23. & 41. insuper non erit vnus, quia non erit ab vno motore secundum naturam mouente; nam grauia per naturam solum feruntur deorsum, leuia vero sursum; neque etiam erit ad terminum vnum, sed ad oppositos; neque vnius mobilis, quia mobilia motibus contrarijs mortalia sunt, non autem numero æterna. Insuper motus vnus, æternus, & continuus solum produci potest a motore separato, consimiliter se habente, motus recti ab huiusmodi motoribus non producuntur; Demum motus vnus, ęternus, & continuus debet carere quiete intermedia, inter motus autem oppositos necessario mediat quies. Et cum motus recti simplices non valeant esse continui, & æterni, longe minus mixti valent esse tales, cum ex mortalibus non valeat consurgere ęternum. Sed cum de vnitate motus facta sit mentio, considerandum occurrit, quod Aristoteles in octauo Physic. 64. ait tria requiri pro vnitate motus, vnitatem mobilis, temporis, & termini ad quem: id ipsum prius asseruit in quinto Physic. At in octauo Physi. 49. addit quartum, nempe vnitatem motoris. Zimara in quinto Physic. diluens hanc apparentem controuersiam inquit Aristotelem in quinto non addere vnitatem motoris, quia adhuc non ostenderat omne, quod mouetur, moueri ab aliquo; quę solutio ex eo apparet inanis, quia etiã in octauo Physic. 64. tria sola enumerat, quamuis iam ostendisset omne, quod mouetur; moueri ab aliquo: Propterea dicamus requisita pro vnitate motus esse tria, & quatuor; tria interna, quartum est externum; dum Aristoteles tria numerat, considerat interna; dum quatuor, externum addit; & præsertim id facit, quia dum adsunt illa tria, motus saltem secundum sensum, & aliqua ex parte seruatur vnus, quamuis non absolute, & pœnitus.

*Ordo seruãdus.* *Lationẽ rectam nõ posse esse vnã & æternã.* *Solutio.* *Euersio.* *Requisita vt motus sit vnus.* *Zimara.* *Euersio.* *Solutio propria.*

## *Inter motus oppositos mediare quietem.* Cap. XVI.

*Num inter motus oppositos mediet quies.*

DIXIMVS vna cum Aristotele inter motus oppositos mediare quietem; quod profecto dubitatione non caret: propterea id primo nitar ostendere, mox dubia diluam: Id autem ostendi potest cum experientia, tum ratione; experientia id medici iudicant, dum in arteriarum pulsu, inter eleuationem & depressionem, mediam quietem percipiunt; similiter si incensus carbo in manum hominis proijciatur, ab eaque in oppositum repellatur, ea manus calorem percipit; quod non fit sine tempore & alteratione: Insuper si interuallum æquale a duobus mobilibus æque velocibus decurri debeat, & ab vno decurratur sine recursu, ab altero vero cum recursu in medio facto, id mobile quod sine recursu mouetur, citius attingit finem, quam alterum per recursum redeat ad principium; quod accidit ob mediam quietem; Præterea dum exercitij gratia per aulam ambulamus, dum per lineam rectam reuertimur, conspicue indicamus quietem mediam; propterea vt exercitium sit magis continuum, & sine intermedia quiete reuertimur per lineam curuam, & cum aliqua orbiculatione. Sed cum Philosophi officiũ sit causas noscere, ideo rationibus vtendum est, vt per eas noscamus vnde id ortum ducat.

*Ratio.*

Aristoteles in octauo Physic. hac ratione vtitur; Nullum mobile vtitur eodem puncto tanquam principio, & fine actu, adeo vt ad id accedat, ab eoque recedat, nisi in eo requiescat; At mobile, quod reuerti debet, vtetur termino recursus tanquam fine & principio actu, ad illum accedens ab eoque recedens, igitur in eo requiescit; pro notitia considero, quod dum mobile per interuallum aliquod continui mouetur, dicitur vti punctis medijs, non tanquam principijs & finibus actu, sed tantum potestate, quatenus in singulis requiescere posset, nec ad ea dicitur accedere vel recedere, sed solum momento per transitum in eis esse; at in recursu vtitur postremo termino vt fine, & principio actu, cum in eo primum motum absoluerit, & opposito principium dederit; & propterea est necesse, vt in eo requiescat; nam dum vtimur signo aliquo, tanquã principio & fine actu, non vtimur interuallo vt continuo, sed vt diuiso, & ob id non valemus seruare motum continuum.

*De indiuisibilibus terminis.*

Et quoniam incidi in sermonem de indiuisibilibus, quæ sunt termini transmutationum, ideo lucide & breuibus quid de illis ex sententia Aristotelis sit dicendum explicabo. In ortu & interitu rerum permanentium, dum materia deserit formam vnam, & alteram recipit, in instanti intermedio res non antecedentis, sed sequentis conditionis esse dicitur; vt dum corpus ex albo fit nigrũ, in signo intermedio temporis dicitur factum non album, & esse nigrum; similiter dum ex sanguine menstruo gignitur fætus, in tempore antecedente dicitur gigni, & non esse, in signo temporis intermedio dicitur genitus, & esse: similiter si moritur Socrates in tempore antecedente dicitur mori, in signo temporis dicitur obijsse, non esse, & esse aliud, adeo vt rerum permanentium non detur vltimum ipsius esse, sed primum ipsius non esse rei antecedentis, quod est primum ipsius esse rei sequentis; In motu autem & fluxu secus se habet; nam datur vltimum mutatum, non autem primum eius, adeo, vt dicere debeamus, motus nunc non est, & immediate post erit, vel nunc non est, & immediate prius erat, adeo vt incipiat, & desinat per negationem præsentis:

*Ratio varietatis.*

ratio varietatis est, quia vltimum mutatum, quod est finis transmutationis, est initium rei, quæ per transmutationem constituitur.

*Eliciuntur tria.*

Ex his tria elicio, primum est solutio rationis Zenonis negantis motum, quia infinitum non potest pertransiri, & continuum est infinitum; Alterum est solutio rationis, qua vtitur Plato in Axiocho, & refertur a Simplicio in septimo Physic. ad ostendendum mortem nec ad viuos, nec ad defunctos pertinere, de quibus in lib. præcedente verba feci; Tertium est in tempore non esse assignanda distincta nunc, quorum vnum sit finis rei antecedentis, alterum sit principium rei sequentis; nam si id fieret, quia inter duo nunc, siue momenta mediat tempus, daretur id tempus intermedium, in quo materia omni forma careret: Solum dicere valemus, idem nunc relatum ad tempus continuum, esse vnum fundamento, & absolute,

relatum

relatum vero ad formas varias vnam recedentem, alteram aduenientem, esse distinctũ ratione, adeo vt instans vnum temporis sint duo instantia naturæ. Veluti dum imaginamur lineam secantem intimam superficiem Lunæ, & extimam ignis, dicimus id fieri vnico puncto eius lineæ, quod tamen sint duo in eis distinctis superficiebus; & ordine originis dicimus præire instans naturæ pertinens ad formam recedentem, quia forma dicitur recipi in subiecto potestate prædito, & priuato; absolute tamen instans est vnum, & interitus vnius est ortus alterius, & primum esse rei sequẽtis est primum ipsius non esse rei antecedentis. Ex quo demum elicimus, tempus in quo aliquid fiebat, & factum est, non esse maius eo, in quo solum fiebat, quia in termino dicitur factũ esse; terminus autem indiuisibilis non reddit aliquid maius. *Quartum quod elicitur.* At rediens vnde recessi, cum ostenderim ostensione Physica inter motus oppositos mediare quietem, id ipsum rationibus communibus & dialecticis comprobari potest. Et primo, nisi in recursu mediaret quies, idem simul moueretur motibus oppositis; simul enim sine media quiete, eodem continuato motu, tenderet in terminum oppositum, & in primum rediret. *Rationes aliæ.* Insuper transmutaretur ex termino illo, ad quem adhuc non peruenisset, immo esset eo in loco, ad quem non peruenisset; nam tendendo sursum, quia sine media quiete debet reuerti; dicetur simul tendere deorsum, & recedere a loco sursum, cum omne deorsum tendens recedat a loco sursum. Addebat Alexander motus eos non posse esse continuos, quoniam motus secundum naturam, cum motu præter naturam continuari non valet. *Alexander* Præterea nisi in recursu mediaret quies, accideret, vt in eodem nunc tria pugnantia reperirentur, nempe interitus nigri, ortus albi, & mutatio ex albo in nigrum: prima duo esse possunt in eodem nunc, at tertium nequaquam; alioquin simul corruptum esset nigrum, & fieret nigrum. Demum addit Philosophus in context. 72. etiam si quies non mediaret, motus illi oppositi non essent continui, quia forma vna cum sibi contraria non valet continuari, cum vltima earum non valeant reddi vnum: ex quo colligas nonnulla imaginatione Mathematica abstrahente a contrarietate, esse continua, quæ imaginatione Physica includente contrarietatem continua esse nequeunt.

## *Instantia aduersus id, quod inter motus oppositos mediet quies.* *Cap. XVII.*

DICTVM est in recursu oppositorum motuum necessario reperiri quietem; id autem cum sensui, tum rationi aduersari videtur; nam si magnus lapis violentia sursum impellitur, non videtur in reditu nec natura, nec violentia sursum posse quiescere; non natura, quoniam quies eius secundum naturam est in centro; non violentia, quia a nullo detinetur. *Instantia. prima.* Insuper imaginor in descendentem molem proijci sursum lapillum, adeo, vt illam attingat, sonumque efficiat; Lapillus ille in eo contactu profectò non quiescit, alioquin simul quiesceret moles ingens descendens, quod minime dicendum est: *Secunda.* similiter ludentes ludo paruæ pilæ, manu continenter in oppositum mota occurrentem pilam repercutiunt, & cum manus in ea repercussione non quiescat, etiam pila in aduersum repulsa non valet requiescere. *Tertia.* Insuper ambulet formica super circulum, & ea ambulante incipiat circulus in oppositum ferri velocius deferendo ambulantem formicam, proculdubio in eo formicę in oppositum motu nulla quies locum habet. *Quarta.* Similiter est dubium motus varios continuari non posse; nam si ex mira sublimi ruat Turcarum princeps, & in medio interualli moriatur, superest cadauer, quod adhuc continuato motu mouetur, cum tamen ob varietatem mobilis non seruetur idem numero motus. *Motus varios posse continuari.* Demum inter ortum, & occasum, quæ sunt mutationes oppositæ, nulla quies mediat. Pro solutione accipio primo non inter omnes motus varios necessario mediare quietem, sed inter oppositos; nam motus vnus ex accidenti desinere potest in motum varium sine quiete media, vt ignis ascendens statim quod in locum superum *Pro solutione nonnulla præaccipiũtur.*

venerit,

venerit,reuolui incipit in orbem fine quiete media. Insuper accipio cum Aristotele in octauo Physico.72. quod quamuis motus varij possint esse continui ex parte temporis, non tamen iudicandi sunt continui absolute; motus enim vere continuus, est consimilis,ab eodem motore,& in eundem terminum tendens. Vera itaque est sententia de motibus contrarijs,qui vel considerantur in distinctis mobilibus, vel in eodem;si in distinctis,vera non est,nam contingere potest ut simul tempore graue incipiat descendere, & leue ascendere; & insuper contingere potest vt eodem momento temporis mobile vnum desinat ascendere sursum, & alterum incipiat descendere; adeo vt dicere valeamus nunc motus vnus non est, & immediate post erit; & eodem nunc motus alter non est,& immediate antea erat.Sic itaq; assertio intelligi debet, inter motus contrarios,eiusdem mobilis necessario mediat quies;De qua assertione inquiunt nonnulli semper mediare quietem, sed momentaneam; quæ solutio non satisfacit,quia si per quietem momentaneam intelligunt quietem momento factã, errant; vt enim motus omnis,ita omnis quies mensuratur tẽpore; ex 4.Phy.si denotant quietem factam momento,hoc est tempore exiguo sensum fugiente,etiam errant; quia instantiæ absolute ostendebant aliquando non mediare quietem.Ideo inquiunt alij semper & necessario mediare quietem; & soluentes instantias,de ea sumpta ex graui mole occurrente ascendenti lapillo inquiunt per molem illam repelli aerem deorsum, qui occurrens lapidi ascendenti,primo est causa,vt non moueatur mox vt moueatur deorsum; Quæ solutio inanis est,quoniam dum ascendens lapillus molem attingit, sonum sæpe efficit,quem sine percussione efficere nõ valet: Insuper id fieri per repulsum aerẽ omnino est ex accidenti; nam si aer non repelleretur, adhuc a grauiore mole lapillus deferretur in oppositum,& sine quiete media; & media illa quies non ex oppositione motuum prodiret,sed ex aere illo ex accidenti. Præterea ea vi sursum posset pelli, vt pila a tormento bellico,vel sagitta ab arcu expulsa,& infixa descendenti moli,vt ab illo aere detineri non valeat,ne moueatur.

*De quo vera sit sententia.* — *Quo intelligi debeat cõclusio.* — *Opinio quorundam.* — *Opinio altera.* — *Euersio.*

## *Resolutio Difficultatis,& aduersarum Rationum. Cap. XVIII.*

CVM relatæ sententiæ dubiæ apparuerint, pro solutione difficultatis dicendum puto,non semper inter motus oppositos mediare quietẽ:quod vt elucidetur,& simul seruetur sententia Arist.duo præaccipio;Primum est regulas semper debere intelligi per se,vt appareant veræ; nam ex accidenti ferè omnes possunt reddi falsæ;Alterũ est motus contrarios posse dupliciter considerari,vel ex parte eorum,& secundum propriã eorum conditionẽ; vel ex parte alicuius tertij,euertentis intermediam quietem; prima cõsideratione semper mediat quies,non secunda.Hęc resolutio ex ipsomet Arist.elicitur,qui in cont.72. 8.Phy.dixit non si tempus continuũ est, motus in eo factus est continuus, indicando quod si eueniat,vt motus oppositi fiant sine quiete media,nõ ob id absolute erunt cõtinui,ob varietatem formæ motus; nam tunc vnum instans temporis redditur duplex naturæ.Ex his elicitur solutio aduersarum rationum;nam de Arist.oppositum asserente dicendum est eum more suo considerasse id, quod est per se, quod faciendum est, dum traduntur regulæ; Instantiæ de carbone ante recursum calefaciente, de duobus mobilibus æquale interuallum decurrentibus, cum recursu & sine, hæc & huiusmodi experimenta non pugnant cum tradita resolutione; quia concedo vt plurimum,& per se mediare quietem,nam mediat semper,nisi adsit tertium aliquod eam euertens. Addebatur nullum mobile vti eodem pũcto,vt fine & principio actu, nec ad id accedere, ab eoq; recedere,nisi mediet quies,alioquin simul accedet,erit in eo,ab eoq; recedet; Respondeo ex accidenti contingere posse,vt eodem momento temporis distincto naturæ ob varietatem formę motus,mobile non quidem accedat & recedat,sed sit in eodem puncto,ratione distincto, ob quam distinctionem sit principium, & finis motus, non per se,sed ex accidenti,ratione alterius mobilis,euertentis mediam quietẽ. Insuper

*Sententia propria.* — *Soluuntur rationes aduersæ.*

per instabatur, quia eodem momento tria nec terentur interitus non albi, generatio albi, & mutatio ex albo in non album. Dico Aristotelem numerasse hăc inter rationes Logicas, quę non semper cogunt; Addo tunc ex accidenti ob motum alterius mobilis euenire, vt in recursu id mobile primo sit, & statim non sit in postremo puncto, adeo vt punctum illud absolute vnum sit, ratione distinctum, ob distinctionem formæ motus. Dicebatur insuper quod simul moueretur motibus contrarijs; Respondeo id nō accidere, quoniam si non mediat quies, est ex accidenti, nec ob id motus illi sunt vere continui, quoniam eorum distincta est forma. Demum instabatur, quia inter ortum & interitum nulla quies mediat, sed vnius ortus dicitur alterius interitus; Soluitur, quia vt dixi motus oppositi debent considerari non in distincto, sed in eodem mobili; nam interitus vnius, & ortus alterius non proprie opponuntur, sed solum ortus vnius, & interitus eiusdem, inter quos semper mediat quies.

## *Quomodo ea, quæ sunt in vniuerso ad motum, & eius oppositum se habent.* *Cap. XIX.*

QVINQVE inueniuntur ad motum & eius opposita pertinentia, nempe motus, non moueri, stare, esse immobile, & quiescere; non moueri, cum sit negatio, est latius cæteris; stare dicitur de immobilibus & quiescentibus. Immobile contradistinguitur a quiescente, quia immobile excludit potestatem ad motum, quam includit quiescens. Quæritur ea, quæ in Mundi ordine reperiuntur, quomodo ad hæc se habeant. Quidam veterum Philosophorum dixerunt cuncta moueri; hi namque nil supra corpus excogitātes corpora omnia continenter moueri existimarunt; Alij dixere nihil moueri, quoniam naturam & essentiam rerum putarunt esse materiam, quam dixere immobilem, quia secundum essentiā non variatur: Arist. in 8. Phy. post cont. 21. latissime ostendit, cōstituentia vniuersum in tres gradus esse distributa; nonnulla enim nunquam mouentur, & immobilia sunt, vt motores cęlorum; nonnulla mouentur semper, vt cęlestia corpora, quorum motum ex sententia Arist. patefeci ęternum. Nonnulla demum aliquando mouentur, & aliquando quiescunt, & huiusmodi sunt corpora sub cęlo posita, quibus solis competit quies, cum ea sola sint apta moueri, nec moueātur semper. Verum de his vnum occurrit consideratione dignum, & est num mortalia corpora ita se habeant, vt nunquā sine aliquo motu inueniantur. Et iure profectò; nam Academici inquiunt hæc in continuo motu esse posita; & vtuntur satis pulchra ratione dicētes, si aliquod mortale sine vlla permutatione seruaretur per aliquod, quamuis exiguum tempus, id posset seruari æternum; consequens est conspicue falsum, quare non valet per id tempus immune a permutatione seruari: connexum ostenditur, quia si per horam, gratia exempli, seruatur sine motu, igitur ita se habebit in fine, vt se habebat in principio horæ; in principio poterat sine permutatione per horā seruari, quare & in fine, & ita progrediar in infinitum. Idipsum ostenditur alia ostensione ex Arist. in 1. de Cęlo 100. deprompta; inquit enim vnicuique competere proprium æuum, quod est tempus definitum suæ vitæ, vltra quod non valet secundum naturam seruari; Ex quo elicio hanc rationem, Quæcunque continue magis accedunt ad finem sui æui, continue permutantur, nisi enim permutarentur non magis accederent; at id competit cunctis mortalibus, igitur cuncta continenter mouentur. Tertio id ostenditur de cunctis viuentibus; nā vita est quidam motus, & facultas nutriens semper operatur; eousq; enim nutrimur, quousq; viuimus, quare viuētia nunquā sunt sine motu; immo Arist. in 8. Phy. manifestat quod animalia dū dormiunt, & maxime videtur requiescere, quia somnus est requies eorū, intus tamen maxime mouentur, coquitur alimentū, dissoluuntur vapores, & alijs permutationibus permutantur. De elemētis etiam id est conspicuum, nam cœlum mouetur motu perenni, & secum ducit ignem & aerem; aqua fluit & a terra & aere continenter alteratur; Terra similiter alteratur a contrarijs eam ambientibus: Et cōfirmatur,

*Quinq; erga motū & opposita cōstitutiones.*

*Opinio quorundam.*

*Ratio Academicorū.*

*Ex Aristotele.*

*Ratio 3.*

tur,quoniam quæ superis lationibus gubernantur,continenter mouentur; huiusmodi sunt mortalia corpora,de quibus legitur in 1.Meteor.esse necesse mortalem orbem superis lationibus esse continuum, vt omnis virtus inde gubernetur, & quemadmodum motu,ita lumine cęli continenter mortalia modo aliquo permutantur: Et cōfirmatur, quia quæcunque habent esse per motum,etiam per motū seruantur; mortalia per motū recipiunt esse. *Authoritates.* Quod patefeci rationibus,cōfirmatur authoritatibus,& primo,Arist. in 5.Phy.37.dubitat an in eodem vespere & mane,eadem sit sanitas ob viuentiū permutationem,& in lib.de longitudine, & breuitate vitæ inquit, Ideo omnia semper in motu sunt,& fiunt,aut intereunt, continens autem aut vna operatur, aut cōtra operatur; Auer.in 4.Physi.98.inquit Motus qui,cū sentitur,percipitur primo & per essentiā tempus,est motus quo sentimus nō esse in esse transmutabili,indicando quod cum tēpus sit quidam motus,cuncta quæ tempore subijciuntur,continentur permutantur,& ad finem properant. Plotinus En.6.lib.7.c.27.dixit nil pęnitus manet, & quod manere videtur,tardiore motu mouetur. Hinc non iniuria variæ Philosophorum sectę cuncta in motu esse posita affirmarunt; præsertim tamen Heraclitus,quē sequutus est Cratylus,qui ob id nil affirmare audebat,sed digitū mouebat,indicans in motu esse, & asserenti non posse bis eundem fluuium transiri,addebat immo nec semel; Plato Dialogum construxit Cratyli nomine insignitum, in quo nititur ostendere nomina rerū ex nominibus mutationum fuisse deducta,vt indicaret eorum nominum authores existimasse cuncta in motu esse posita; Hinc mox noui Academici Pyrrhonij, Dialectici, Ephectici,Inhibitores,Megarici,Erethrici,Sceptici,Zethici,& similes vnanimes affirmarunt cuncta in motu esse posita: *Homerus.* ait Plato in Cratylo Homerum eiusdem fuisse sententiæ,& ob id asseruisse Oceanum & Thetim,denotantia fluxum, esse principia rerū: Hesiodum quoque & Orpheum aiunt id ipsum existimasse; Qui omnes cum de conclusione consenserint, dissenserunt tamen de modo; *Quatuor varietates.* & quatuor inuenio modos, per quos inuicem dissentiunt; Nam Academici id euenire asserunt, quia ideas putant vere esse,formas vero in materia apparentes aiunt esse vmbras,& imitationes,quæ continenter fierent & nunquam essent: Alij non eleuati ad Ideas,sed solam considerantes conditionem mortalium dixerunt rebus non competere conditionem aliquam absolute,sed esse tales,quales nobis videntur,quia ex earum actione, & passione sensuum, consurgit forma, quæ iudicatur,& ob id Napellus sturnis est alimentum,nobis venenum,genista dulcis & grata est capræ,nobis vero amara,& ingrata. Tertio alij concedentes rebus propriam competere conditionem dixerunt eam nos latere & veritatem in puteo esse reconditam: Aristoteles demum quamuis in parte concedat cuncta moueri, inquit tamen in quarto Metaphysicæ ea mutari secundum quantum, hoc est per conditiones indiuiduas,ad materiam pertinentes, seruari tamē secundum quale, idest secundum essentiam, & ob id de rebus esse scientiam, quæ abstrahit a particulari subsistentia, & essentiam considerat.

## *Quietem non esse explodendam & resolutio difficultatis. Cap. XX.*

*Aduersus perennē rerum motū.* APPARVIT sententiam illam, quod corpora semper habeāt sibi iunctum motum,sensui,rationi,& authoritati apprime esse cōsentaneam; ex aduerso tamen Arist.in 8.Phy.cont.23. & in 4. Metaph. varijs rationibus eam nititur euertere,& iure profecto; nam dicentes cuncta continenter moueri euertunt Naturam,quę vt motus,ita quietis dicitur principium; Euertunt finem motus mortalium; mortalia enim mouentur vt quiescant; Euertunt trimembrem distinctionem approbatam ab Arist.in 8.Phy.quod eorū,quæ in vniuerso reperiuntur,quædam nunquam mouentur,quædam semper,quædam aliquādo mouentur,& aliquando quiescunt, veluti mortalia; euertunt quietem inter oppositos mo

tus,cuius euerſionem ſequitur,vt idem ſimul moueatur motibus contrarijs,vt dicebat Ariſt.Deſtruunt ſententiam approbatam in 2.de Cęlo,quæ eſt cęlum moueri circa firmum & immobile:deſtruunt diſtinctionem rerũ in permanentes & fluentes; ita enim cuncta fluerent; euertunt ſcientiam,quæ eſt rerum permanentium; & demum aduerſantur ſenſibus.Simplicius in 8.Phy.74.inquit dicentes cuncta fluere cõcedunt quie- *Simplicius.*
tem inter oppoſitos motus; ſed quoniam ea eſt exigua & ſenſu non percipitur, eam negligunt; At id non eſt ſatis, quoniam corpora etiam diuturna quiete aliquando videntur requieſcere; hinc regula traditur in 1.de Cęlo,Quo corpora per naturam tendunt,ibi per naturam quieſcunt.Res itaq; eſt apprime obſcura; pro cuius reſolutione *Reſolutio*
tria dicenda puto; primum eſt corpora omnia Phyſica continenter ſecundum tempus *difficultatis*
mouentur motu aliquo, & præſertim alterationis; vel diſponuntur ad eum; hoc patefaciunt rationes primo relatæ: & dico moueri continenter ſecundum tempus,quoniã formæ motuum variantur: Aſſero ſecundo nõ ob id reijci quietem; dum enim corpora vno mouentur motu,quieſcunt quiete alterius motus, vt oſtẽditur per rationes nuper relatas: Tertio addo corpora non ita moueri,vt vel continenter fiant, vt inquiunt Academici, vel varietur eſſentia, vt inquiunt alij; ſed ſolum mutantur accidentia diſpoſitiones,& ſeruatur eſſentia,& ob id de illis ſcientia eſſe poteſt, vt in 4.Metaph.docet Ariſt.Ex quo patet iure optimo Ariſtotelem eos damnaſſe,qui cuncta continenter moueri aſſeruerunt.Sed vnum occurrit cõſideratione dignum,& eſt,cum omnia mo- *Dubitatio.*
do aliquo continenter moueri dicantur, num ob id approbanda ſit eorum ſententia, qui dixerunt, Naſcentes morimur: Reſpondeo eam abſolute & per ſe non eſſe veram; *Solutio.*
in parte tamen, & ex accidenti veram eſſe, Eſt vera ex opinione aſſerentium eſſentias rerum continenter ſine media quiete variari, non autem ex ſentẽtia Ariſtotelis: Nam ex ſententia Ariſtotelis finis generationis eſt duplex, vnus eſt eſſe, alter eſt bene eſſe, & eſſe perfectum: & ſimiliter duplex eſt generatio, & vtraque prædita eſt ſuo fine; poſt cuius adeptionem non tendit genitum in oppoſitum ſine media quiete, & propterea naſcentes non per ſe moriuntur, ſed tendunt ad eſſe, in quo mox aliquantulũ requieſcunt; ita conceditur ætas cõſiſtentiæ; at ſi quies nulla mediaret, abſolute dicere poſſemus naſcentes morimur: Ex accidenti autem & modo aliquo id verum eſt, quatenus vita noſtra conſideratur vt ſuo æuo & periodo definita, ad cuius finem continenter magis accedimus.Ex dictis elicitur quomodo intelligi & ſolui debeãt rationes pro vtraque parte relatæ, ideo ſolum addo quod Ariſt.in 8.Phyſi.23.ait aſſerentes cuncta in fluxu & motu eſſe poſita, vſos fuiſſe ratione ſumpta ex analogia inter partem & totum, quia vt totum ſe habet ad totum, ita pars ad partem; pro cuius notitia conſidero,tres formari rationes,quæ ſæpe decipiunt; vna eſt a toto ad partes affirmatiue,vt ſi *Ratio relata ab Ariſt.*
dixero, mille guttæ efficiunt foſſionem lapidis vnius cubiti, igitur vna gutta efficiet *in 8. Phy.*
milleſimam partem eius; quod frequenter non eſt verum, quia antecedentes ſolum, *23.*
diſponunt, & nonnunquam non effodiunt; & huiuſmodi ratione vtebantur aſſerentes cuncta fluere,quia ſi Plato vixit per quinquaginta annos, per dimidium temporis mutatus eſt per dimidium,per quartam temporis partem,per partem quartam,& ita ſemper eſt permutatus, vſque ad interitum; ſecundo formari poteſt a parte ad totũ negatiue dicendo, vt pars ad partem ita totum ad totum; ſed vna gutta lapidem non effodit, igitur nec mille guttatim cadentes: Huic ſimilis eſt ratio tertia,quæ a Græcis dicitur Sorites,a Cicerone ſyllogiſmus aceruarius; Sorites tamen non vtitur analogia, *Sorites.*
ſed ratione a partibus ſeorſum ſumptis ad eas ſimul; vt ſi dixero euellere pilum vnum ex formoſa barba nil refert, nec eam reddit deformem, quo euulſo eadem ratione euelli poterit ſecundus pilus, tertius, & ita in infinitum, adeo vt barba tota euellatur; quæ ratio eſt fallax, quoniam ex multis modicis fit vnum ſatis, vt vulgo dicitur: ipſi tamen vtebantur ratione a toto ad partes affirmatiue, vt dixi, quæ ſæpe eſt fallax & non includit in motu & motore neceſſitatem, niſi cum diuiſione motoris diuidatur etiam reſiſtentia, vt elicitur ex calce 7.Phyſicorum.

Quid

*Quid de Motus æternitate absolute sit sentiendum.* Cap XXI.

APPARVIT quo nos ducat humana ratio, & quomodo Aristoteles solū cōsiderans opera Dei, quæ per mediam naturam fiunt, colligat motum æternum; nam profectò si sola naturæ opera inspicimus creationem Mundi & principium motus noscere non valemus; At vnà cum Theologis altius eleuati; ex ore Dei & Prophetarum absolutam veritatē eliciamus & cum his constanter enunciemus per absolutam Dei potentiam, quæ immensa est, per modum operandi liberum, per actionem eius sine medio Naturę, nil præsupponentem, per voluntatem æternam procul ab omni eius mutatione, in principio tēporis prædefinito, ne dum motum, sed cuncta fuisse ex non esse in esse constituta. Ex his eliciamus primo Theologum altius eleuari quam Philosophum; eleuatur enim ad absolutam & immensam Dei facultatem, & ad opera supra naturam ex Deo prodeuntia, ad quæ Philosophus per sensibilia naturæ opera eleuari non valet. Elicio secundo Philosophum cum Theologo disputare non posse, quia Principia ex varijs accipiunt, & de illis non consentiunt; dissentientes autem de principijs inter se differere non valent. Tertio elicio sententias Philosophorum nonnunquam esse veras in parte & ex suppositione tantum; eas vero Theologorum absolute, veluti apud Philosophum non dari creationem, Mundum & motum nō potuisse habere principium, vera sunt in parte, quia per naturam, cuius opera cōsiderat Philosophus hæc fieri nequeunt: At Theologus supra naturam eleuatus, & ex ore Dei, nimirum ex ipso vero verum eliciens, distinctè noscit vtrumque. Elicio quarto, dum virium naturæ fines non egredimur, rationes Aristotelis de æternitate motus & Mundi obscure dilui posse, quæ tamen dum cum Theologo supra Naturæ opera eleuamur, facile diluuntur. Exerceamus itaq; ingenium in Physicis, vt percipiamus Naturæ vires, cōstanter tamen eis credamus, quę prodeunt ex ore Dei, vt supra Naturam eleuati, & cum Deo iuncti, ipso bono, vero, & pulchro perennia secula fruamur. Patauij 1592. Die 7. Ianuarij.

FINIS.

# FRANCISCI
# PICCOLOMINEI
# SENENSIS
## IN ACADEMIA PATAVINA
## PHILOSOPHI
### PRIMI,

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium

## PARS SECVNDA:

*In qua agitur de attinentibus ad Cælum.*

Ad Sereniſſimum MARINVM Grimanum, Ampliſſimæ Reipublicæ Venetæ, Principem optimum.

*CVM PRIVILEGIIS.*

VENETIIS, Apud hæredes Franciſci de Franciſcis M D C.

# SERENISSIMO
## ET SPLENDIDISSIMO
AMPLISSIMAE REIP. VENETAE
PRINCIPI,
## MARINO GRIMANO
DOMINO COLENDISSIMO;

*Franciscus Piccolomineus perennem tranquillitatem D.*

INTER viuentium gradus, qui mortalem hunc Orbem suo ordine, suaque varietate formosum reddunt, Homo solus nomine Peregrini honestari meretur, quod non ex vili aliqua eius conditione, sed ex præstantissima prodire putandum est; Iumẽta enim & feræ quamuis ad libitum per syluas, & regiones varias continenter vagẽtur, quia tamen nil diuini, nilq; Cęlestis includunt, semper dicuntur in propria reperiri patria, in suaque sede versari; at Homo, quia Cęlesti Animo, sublimique Mente a Deo in Cęlis creata, & infusa, est formatus, cuius propria Patria Cœlum est, ideò solus, dum est in Terris, dicitur Peregrinus, vt recordetur, se Animo esse Cęlestem, & moneatur non ad infera, sed ad supera ei petendum esse iter, vt in Patriam fęlicissimè reuertatur. Peregrini vt sibi propositum iter tuto absoluant, & incolumes in Patriam redire valeant, securis egent ducibus ne vel in scopulos incidãt, vel in labyrintho fortuitorum euẽtuum miserè perdantur. Hoo (Serenissime Princeps) te accuratè seruasse compertum est, cum enim sis Marinus, hoc est per maria natans, procellis agitata, & sis insignis Peregrinus, cordi, & animo tuo, duces duos tanquam duo sydera proposuisti, nimirum Religionem & salutem patriæ, quibus splendidiores, & tutiores alios, excogita-

re non valemus. hi enim cum resideant in Cœlo, splendidissimè fulgent in Terris, & per iter tutissimum, Peregrinos in Patriam Cœlestem dirigunt, & ducunt. Hæc duo sydera felicissimè iuncta sunt, & vnum eorum tanquam Sol, alterum tanquam Lunam splendide illustrat; non enim rectè est formata Respub. nisi ordines eius, & instituta, Religioni, diuinis que legibus sint consentanea, optimè autem (omnium consensione) formata est Amplissima Resp. Veneta, adeò vt in ea Vir bonus, Princeps bonus, & Ciuis bonus minimè inuicem pugnent, sed simul fœlicissimè seruentur. Hos duces recipisti quidem (magnanime Princeps) à maioribus tuis, & præsertim à Parente optimo, Hieronymo Grimano, fama super æthera noto, quem splendore eorum syderum illustratum, in Cœlestem Patriam fœlicissimè euolasse putandum est. Tu tamen aliquid eis etiam addidisti, nam his syderibus ducibus, per omnes magistratum, & dignitatum gradus progressus, in sublime solium ascendisti, & inde fœlix reuerteris in Cœlum. In Regio autem Solio, miro populorum applausu residens, ad eadem sydera conuersus, Pietatem seruas erga Deum, Iustitiam erga populos, Charitatem erga pauperes, Clementiam erga impotentes, Magnanimitatem erga te honorantes, & Magnificentiā demùm erga omnes, adeò vt iure optimo, cum semper talem te indicaueris, mirum in modum optarint Populi te videre, & salutare Principem, quod cum sint assecuti, redditi voti compotes, modo summopere iubilant, lętantur, & gratias referunt omnipotenti Deo. Ego quoque cum iam per triginta & sex annos in Academia Patauina amplissimæ Reipublicæ Venetæ honorificè inseruierim, & vniuerso hoc tempore splendidissimam Familiam tuam, ordiendo à fœlici memoria tui Parētis, summoperè coluerim toto animo, totoque corde, tua fœlici Sublimitate lætor, meq; summoperè debere fateor Hieronymo Capello, Vicentij filio, Senatori optimo, & integerrimo, tibique cognationis & dilectionis nodo apprimè iuncto, cum munere eius mihi oblata fuerit occasio te, Parentemque tuum colendi, & honorandi; Propterea summoperè optaui semper, vt mihi oportunitas congruens se offerret, aliquā ex parte cultum, & obseruantiam erga te meam tibi patefaciendi: At ecce, quod fœlici forte mihi modo se obtulit. Nam Partem Secundam Librorum attinentium ad Scientiam de Natura in lucem editurus, in qua de Mundo, de Cœlo, de Cœlorum motoribus, & de

crea-

creatione agitur, tua Sublimitas statim mihi refulsit, cui horum sublimium consideratio aptissimè congrueret. In ea enim tum Patria, ad quam properas, tum sublimes incolæ eius, tum principalia eorum munera, cumulatè considerantur, propterea saltem ob rem de qua agitur, Partem hanc inspectricis Philosophiæ tuæ conditioni summoperè congruentem, tibi gratam fore constanter spero; & quamuis ego, nec ingenij sublimitate, nec orationis candore fulgeā, qualiscunque tamen sim, totus sum tui iuris, & cogitationes meas, tanquam ex re tua prodeuntes, non valebis, non libenter, eximia tua benignitate inspicere, quod cum feceris, eas quamuis humiles, & obscuras, extolles tecum ad sublimia, & illustrabis. Vale diu, & fœlix, vt Serenissima Respublica Domina mea colendissima, & Populi tibi crediti, à Duce rectè ducto ducti, diu ab iniuria temporum seruentur incolumes, & tranquillitate fruantur. Patauij M D X C. V I. Kal. Iunij.

An Cœlum moueatur secundum totum, & motus eis sit regu-
laris. Cap. 31. ibid. b
An motui in orbem competat contrarium. Cap. 32. 66. b
Opiniones variæ, & resolutio difficultatis. Cap. 33. 67. a
An motus cœli sit secundum naturam, & resistentia præditus. Cap. 34. 68. a
Cur cœlum duplici præsertim motu moueatur. Cap. 35. 69. a
De motu stellarum opiniones variæ, & reijcitur sentẽtia Plat. Cap. 36. 70. a
An ex cœli motu prodeat sonus, & harmonia. Cap. 37. ibid. b
Instrumenta per quæ cœlũ operatur, & num dentur influxus. Cap. 38. 71. b
Reijciuntur influxus à lumine, & motu seiuncti. Cap. 39. 72. b
Distinctio influxuum, & resolutio difficultatis. Cap. 40. 73. a
Explicantur varia attinentia ad notitiam influxuum. Cap. 41. 74. a
Proponuntur, & diluuntur dubia nonnulla ex dictis emergen-
tia. Cap. 42. 75. b
Si cœlum desineret moueri, quid inde eueniret. Cap. 43. 75. b

## *De Cælorum Motoribus.*

An de diuinorum cognitione teneamur esse soliciti. Cap. 1. 77. a
Resolutio & sententia propria. Cap. 2. ibid. b
De quo sit facilius verba facere, num de rebus sublimibus, vel
de vilibus. Cap. 3. 78. a
Quid nomine primi motoris in 8. Phys. denotauerit Arist. Cap. 4. ibid. b
Ad quem pertineat consideratio, quid sint cœlorum motores
sententia Auerr. Cap. 5. 79. a
Separatas formas ad solum diuinum pertinere. Cap. 6. ibid. b
Quæ nos eleuent in notitiam separatorũ motorũ opin. aliorũ. Cap. 7. 80. a
De re eadem opinio propria. Cap. 8. 81. a
Ad quem pertineat ostendere motores cœli à materia esse so-
lutos, opinio aliorum. Cap. 9. 82. a
De re eadem opinio propria. Cap. 10. 83. a
Proponuntur, & diluuntur instantiæ variæ. Cap. 11. ibid. b
Cui officium sit ostendere primum motorem esse vnum, æter-
num, & infinitum. Cap. 12. 84. b
Ad quem pertineat loqui de numero separatorum motorum. Cap. 13. 85. a
An ex sentẽtia Arist. Deus moueat, vt efficiẽs, vel solũ vt finis. Cap. 14. 86. a
Ostenditur Deum ex sententia Aristo. mouere vt causam effi-
cientem. Cap. 15. 87. a
De modo, quo primus motor mouet. Cap. 16. 88. a
De re eadem opinio propria explicatur. Cap. 17. ibid. b
Diluuntur rationes aduersæ. Cap. 18. 89. b
A quo mouentur orbes Planetarum ab ortu in occasum. Cap. 19. 90. a
Resolutio difficultatis, & opinio propria. Cap. 20. ibid. b
De modo, quo Deus extrinsecùs operatur ex sententia Arist. Cap. 21. 91. b
Rationes, quod Deus extrinsecùs contingenter, & liberè ope-
retur. Cap. 22. 92. a
Aristot. putasse Deus extrinsecùs necessariò operari. Cap. 23. 93. a
De modo, quo Deus extrinsecùs operetur, & quæ sit ratio ne-
cessitatis. Cap. 24. 94. a
Ex declaratis nonnulla vtilia cognitu eliciuntur. Cap. 25. ibid. b

Di-

Diluuntur rationes aduersæ. Cap. 26. 95. a
Quid ex præcedente disputatione sit eliciendum. Cap. 27. 96. b
De sede, & loco cœlestium motorum. Cap. 28. ibid. b
De modo, quo separatæ formæ sint in loco, opiniones variæ. Cap. 29. 97. a
De re eadem opinio propria. Cap. 30. ibid. b
Num in secretis à materia reperiantur plura indiuidua, sub eadem specie. Cap. 31. 98. a
Pro immensa virtute Dei nonnulla præaccipiuntur. Cap. 32. 99. a
Rationes putantium ex opinione Arist. Deum esse infiniti roboris. Cap. 33. ibid. b
Rationes pro parte aduersa. Cap. 34. 100. a
Diluuntur rationes primæ opinionis. Cap. 35. 102. a

## *Libri Primi de Creatione.*

Procemium. 103. b
Quid sit creatio. Cap. 1. ibid. b
Quomodo creatio à generatione secernitur. Cap. 2. 104. a
Num creatio sit mutatio. Cap. 3. ibid. b
Rationes quod Aristot. nouerit creationem. Cap. 4. 105. b
Opiniones variæ de creatione. Cap. 5. 106. b
Ostenditur Aristot. creationem nouam non cognouisse. Cap. 6. 107. a
Explicantur nonnulla pro diluendis aduersis rationibus. Cap. 7. 108. a
Resoluitur dubitatio, & diluuntur rationes aduersæ. Cap. 8. 109. b

## *Libri Secundi de Creatione.*

Procemium. 110. a
Opinio putantium dari creationem æternam. Cap. 1. ibid. a
Rationes pro creatione æterna. Cap. 2. ibid. b
Rationes euertentes creationem æternam. Cap. 3. 111. a
An æternis competere valeat causa efficiens. Cap. 4. 112. a
Resolutio propositæ difficultatis. Cap. 5. 113. b
Confirmatio eius resolutionis. Cap. 6. 114. b
Latius sententia de causa efficiente explicatur digrediendo per omnes Mundi partes. Cap. 7. 115. a
An Cœlum ex se sit contingens, & ab alio necessarium. Cap. 8. ibid. a
An separatis mentibus competat causa efficiens. Cap. 9. ibid. b
An Plato æternam creationem concesserit. Cap. 10. 116. a
Diluuntur rationes relatæ pro æterna emanatione. Cap. 11. 117. a
Diluuntur rationes ostendentes æternis competere causam efficientem. Cap. 12. ibid. a

*FINIS.*

IN-

# INDEX SINGVLARVM RERVM ET SENTENTIARVM, QVAE IN HOC SECVNDO VOLVMINE EXPLICANTVR.

## A


ACademici triplicem mundum constituunt lib.de mund.cap.1.l.17. f.2. pag. 1
Mundus primus ad mentem pertinet. ibid.
Mundus secundus ad animã. ibid.
Mundus tertius consideratur in natura. ibid.
Accidentia duplicia.de creat.cap.7.f.2.l.29. 108
Et vnde oriantur. ibid.
Actiones motus & lucis per multa variari.de cælo.cap.41.l.15. 74
Actio Dei duplex, de cęl.mot.cap.21.f.2.l.9. 91
Aeterna an sint prędicta causa efficiente. de creat. lib.2.cap.4.l.2.cum seq. 112
Et resoluit cap.5.per totum. 113
Aeterna conspirantia ad vniuersi constitutionem, triplicia.de creat.lib.2.cap.7.l.17. 115
Aeterna sub prædicamentis non poni.de cęl.mot. cap.31.f.2.l.39. 98
Aeternitas materię infert ęternitatem mundi.lib. de mund. cap.18.f.2.l.9. 15
Aeternis causam efficientem vere non competere, vbi diluuntur aduersæ rationes.de creat.lib.2. cap.12.l.2. 117
Aeternum quotuplex. de creat. lib.2. cap.5. f.2. l.2. 113
Aeternum dupliciter considerari, de creat. lib.2. cap.12. l.2. 118
Affectiones quomodo prodeãt.de creat.lib.2. cap. 12.l.6. 118
Anima mundi non est Deus lib.de mund.capit.28. l.26. 23
Anima mũdi est anima octauæ sphęræ distincta ratione lib.de mund.cap.29.f.2.l.5. 26
Anima mundi quomodo concedatur lib. de mund. cap.30.l.43. 27
Anima mũdi optime semper se habet lib.de mũd. cap.29.l.5. 26
Anima mundi in medio posita lib.de mũd.cap.29. l.11. 26
Anima mundi ex sententia Orphei spiritus communis principium, de Cælo.cap.25.l.2. 61
Anima qua consideratione potest dici creata, & qua ex Mente potius esse.de creat.lib.2.cap.10. f.2.l.34. 116
Animam an mundus habeat lib.de mund.cap.28. per totum f.2. 24
Animarum beatitudo secũdum Platonem in reditu ad propriam Stellam consistit.de Cælo,c.36. f.2.l.21. 70
Animata cur sola sint figurata.lib.de mund.c.31. l.6. 28
Animi quò puriores eò magis corpori dominantes. de cæl.mot.cap.17.l.20. 89
Anni quattuor tempora quare eodem tempore respectu loci varietur. de cælo.c.30.f.2.l.37. 65
Ara in qua Deus veneratur est mũdus li.de mũd. in proœm.c.13. 1
Arena ad dimicandum est mundus lib.de mund.in proœm.l.14. 1
Arist.opinio de prouidentia lib. de mund.cap.44. per totum. 40
Aristot.opinio de mundi anima.lib.de mund.c.30. per totum.f.2.l.1. 26
Aristot. institutum in prædicamentis.lib.de cęl.c. 14.l.36.f.2. 51
Arist.problema de ęternitate mũdi vtrum sit dialecticum.lib.de mund.cap.24.per totum. 22
Arist. quomodo explicandus.de creat. lib.2.c.12. l.14. 118
Authoris opinio quæ fuerit sententia Platonis de mundi æternitate.lib.de mund.c.21.per totum f.2. 18
Arist.3 de Ani.com.61.quomodo intelligatur.de cęlo.cap.24.l.3. 61


## B


BOnum quo communius eò melius quomodo intelligendum.lib.de mundo.cap.11.f.2.l.14.


## C


CAlor an motui tribuatur, an vero lumini, de cęlo,cap.42.f.2.l.4.& seq. 74
Calor ex luce proueniens est.de cęlo. cap.38. f.2. l.4. 65
Caput mundi quod lib.de mund.cap.40.l.1. 37
Casus quomodo detur lib.de mund.cap.45.l.12. 41
Causa efficiens an competat æterno.de creat.lib.2. cap.4.l.17. 112
Et resoluit cap.5.per totum. 113
Causa efficiens competit etiam mundi partibus. de creat.lib.2.cap.7.l.1.cum seq. 115
Causa efficiẽs propriè mortalibus cõpetit.de creat. lib.2.cap.7.l.10. 115
Causa efficiens quomodo denotetur per finem. de creat.lib.2.cap.12.l.17. 118
Causæ quæ ad Physicum, & quæ ad Metaphysicũ pertinent

*pertinent. de cęlor. motor. cap. 5. l. 6.* 79
*Causis proximis minus virtutis tribuit Plato, quã Arist. de creat. lib. 2. cap. 10. f. 2. l. 46.* 116
*Chaos triplex vt mundus. lib. de mund. cap. 1. l. 26. f. 2.* 1
*Ciceronis mundi definitio. lib. de mund. cap. 2. lib. 7. f. 2.* 2
*Cives mundi animi ingenui. lib. de mũd. in proœm. l. 15.* 1
*Cleomedis definitio mundi. lib. de mund. cap. 2. l. 31. f. 2.* 2
*Cælum cur moueatur in orbem. de cœlo. capit. 30. l. 4.* 65
*Cælum cur duplici motu moueatur. de cęlo. cap. 35. f. 2. l. 3.* 69
*Cælum æterna creatione non manasse à Deo, sed solum ex eo pendere, vt ex motore, forma, fine, & causa conseruante. de creat. lib. 2. capit. 7. linea 34.* 115
*Cælum in orbem quomodo continenter moueatur, & qualis sit eius motus. de cœlo. cap. 34. l. 2.* 68
*Cælum est faber locorum. lib. de mundi. cap. 38. f. 2. l. 55.* 35
*Cælum dicitur mundus. lib. de mund. cap. 1. lin. 3. fac. 2.* 1
*Cælum si per imaginationem desineret moueri, quid eueniret, & quomodo se haberent sub cœlo posita? de cœlo, cap. 43. f. 2. l. 11. cum seq.* 75
*Cælum quid denotet. lib. de cœl. in proœm. l. 5.* 42
*Cælum cur dicatur* [illegible]*, olympus, & ęter. lib. de cœlo. cap. 1. l. 1.* 42
*Cælum an constet ex elementis. lib. de cœlo. cap. 2. per totum. f. 2.* 42
*Cælum quomodo moueatur secundum totum, de cœlo. cap. 31. l. 10.* 66
*Cælum an ex se sit contingens, necessarium ab alio. de creat. lib. 2. cap. 8. l. 3.* 115
*Cęlum dupliciter considerari. de creat. lib. 2. cap. 7. l. 26.* 115
*Cælum quomodo rarum, vel densum, de cœlo. cap. 27. l. 2.* 63
*Cælum cur figuratum. lib. de mund. cap. 31. l. 29.* 28
*Cælum vniuersum perspicuum. de cœlo. capit. 27. l. 25.* 63
*Cælum ab Orpheo lyram Dei nuncupatum. de cœlo. cap. 37. f. 2. l. 9.* 70
*Cælum consideratum cum actu vitæ num sentiat. lib. de cœl. cap. 24. f. 2. per totum.* 60
*Cælum, an præter lumen, & motum etiam per influxus operetur. de cœlo, cap. 38. f. 2. l. 5. per totum.* 71
*Contrarium tenetur. cap. 39. per totum.*
*Resoluitur difficultas. cap. 40. per totum.*
*Cælum cur sphæricum. lib. de mund. cap. 32. fac. 2. l. 19.* 28
*Cælum num sit vilius verme seclusa intelligentia. lib. de cœlo. cap. 23. f. 2. per totum.* 59
*Cælum non intelligere per phantasmata. de cœlo. cap. 24. l. 20.* 61
*Cœlum distinctum à quatuor elementis, ex Arist. lib. de cœlo. cap. 4. f. 2. per totum.* 43
*Cęlum ex Arist. est quinta essentia. lib. de cœlo. per totum. cap. 5. f. 2.* 44
*Cælum an sit organicum. lib. de cœlo. c. 13. l. 18.* 52
*Cælum orbiculariter moueri secundum etiam omnes modos motus. de cœlo. cap. 30. per totum.* 55
*Cælum quomodo viuat. lib. de cœlo. capit. 17. fac. 2. lin. 3.* 55
*Cælum non esse formatũ ab intelligentia. lib. de cęlo. cap. 20. f. 2. l. 5.* 57
*Cælum recipit ab intelligentia viuere sumptum pro actu secundo. lib. de cęlo. cap. 20. f. 2. l. 5.* 57
*Cælum eget intelligentia vt viuat. lib. de cœlo. cap. 20. f. 2. l. 38.* 57
*Cælum quomodo dicatur viuens. lib. de cęlo. cap. 21. lin. 14.* 58
*Cælum & intelligentia, an magis faciant vnum, quàm materia mortalium cum sua forma. lib. de cęlo. cap. 22. per totum.* 59
*Cælum inter corpora est maxime formale, absolutè tamen est potius materiale. lib. de cœlo. cap. 22. l. 27.* 59
*Cæli materia ex Auerr. consideratur dupliciter. lib. de cęlo. cap. 22. l. 44.* 59
*Cæli principale instrumentum quale. de cœlo. c. 41. f. 2. l. 7.* 74
*Cæli magnitudo distincta est speciei a magnitudine mortalium. de cœlo. cap. 27. f. 2. l. 5.* 62
*Cæli natura cur dicatur quinta essentia. lib. de cęlo. cap. 5. l. 19.* 45
*Cæli materia an sit eadem cum materia mortalium: lib. de cœl. capit. 7. per totum.* 46
*Cęli materia quomodo media. lib. de cœlo. capit. 12. l. 41.* 51
*Cæli essentia à contrario immunis. de cęlo, cap. 32. f. 2. l. 2.* 66
*Cæli materia quomodo vna, & varia. lib. de cęlo. cap. 13. l. 15. f. 2.* 51
*Cæli motores dupliciter considerari. de cęlo. mot. cap. 20. l. 1.* 91
*Cæli materia est eadem cum ea mortalium analogice. lib. de cœlo. cap. 8. f. 2. l. 44.* 47
*Cæli materia est eadem cum ea mortalium vnitate ab vno. lib. de cęlo. cap. 8. f. 2. l. 44.* 47
*Cæli materia quid. lib. de cœlo. cap. 10. l. 3.* 49
*Cæli materiæ descriptio. lib. de cęlo. cap. 10. l. 38.* 49
*Cælo an detur esse ab intelligentia. lib. de cęlo. capit. 15. per totum. f. 2.* 55
*Cælo quæ compositio competat. lib. de cęlo. c. 17. per totum. f. 2.* 54
*Cælo an primæ & secundæ competant qualitates. de cœlo, cap. 29. f. 2. l. 51.* 64
*Cælo & mortalibus nil esse commune vniuoce. lib. de cœlo. cap. 14. f. 2. l. 15.* 51
*Cælo an competat potentia. lib. de cœl. c. 11. f. 2. per totum.* 49
*Cælo quænam competant qualitates. de cœlo, cap. 27. f. 2. l. 8.* 62

Cælo

Cælo quiescente, remanere posse mortalia; at ea inuicem non permutari, ex propria auctoris sententia. de cælo. cap. 43. l. 52. 76
Cælo an competat materia. lib. de cælo. capitu. 10. lin. 41. 49
Cælorum materia num eadem. lib. de cælo. cap. 13. per totum. f. 2. 51
Cælorum motus in harmonia consistere. de cælo. ca. 37. f. 2. l. 6. & 14. 70
Cognitio separatorum quot modis fiat. de cæl. mot. cap. 8. f. 2. l. 2. cum seq. 81
Cognitio separatorum quibus vijs acquiratur. de cælor. motor. c. 7. l. 2. cum seq. 80. et ponitur opinio propria. cap. 8. 81
Colores ex luce prouenire, vel perfectionem recipere. de cælo: cap. 28. f. 2. l. 2. 63
olores quomodo cælo competant. de cælo: cap. 29. f. 2. l. 21. 64
Colores quot modis vsurpentur. de cælo. cap. 29. f. 2. l. 17. 64
Compositio triplex. lib. de cælo. cap. 22. l. 36. 39
Compositio quæ cælo competat. lib. de cælo. cap. 17. per totum. f. 2. 54
Compositum omne aut est substantia, aut accidens. de creat. cap. 7. l. 4. 108
Conditio mundi. lib. de mund. cap. 27. l. 11. 24
Conditio naturæ. lib. de mund. cap. 31. l. 8. 28
Conditio mundi quæ. lib. de mund. ca. 9. l. 22. f. 2. 8.
Conditio materiæ primæ. lib. de cæl. cap. 8. l. 22. 47.
Conditio materiæ mortalium. lib. de cælo. capit. 8. f. 2. l. 7. 47
Conditiones decem motus orbicularis primo modo considerati. de cælo. cap. 30. l. 10. 65
Constare ex omni materia contingit quinque modis. lib. de mund. cap. 9. l. 34. f. 2. 8
Mundo non repugnat multitudo ratione materiæ. lib. de mund. cap. 9. l. 20. f. 2. 8
Considerantes mundum vnà cum eo parentem eius considerant. lib. de mund. in proœm. l. 4. 1
Contingentia quomodo detur. lib. de mund. capit. 45. l. 12. 141
Continens ad contentum relatum obtinere rationem formæ. de cælo. cap. 26. f. 2. l. 15. 62
Contrarietate, dupliciter vsurpari, de cælo. cap. 29. l. 15. 64
Contrarietas in omni genere quomodo reperiatur. de cælo. cap. 33. f. 2. l. 49. 67
Corpus imaginatum extra cælum quomodo erit. lib. de mund. cap. 14. l. 20. 13
Corpus lucidum vt lucidum non esse luminis capax, sed illud includit eminentiore gradu, quàm perspicuum. de cælo. cap. 27. l. 28. 63
Corpora quare magis reuoluuntur in orbem, quo magis à centro recedant, de cælo. cap. 30. fac. 2. l. 30. 65
Corpora inanima vnicã habent formam. lib. de mundo cap. 31. l. 18. 28
Corpora vniuersi quænam sint lucida, & perspicua, & quæ opaca. de cælo. cap. 27. l. 42. 63
Creatio an detur æterna, vbi hincinde variæ ponuntur rationes, & opiniones, & propria deniquè sententia. de creat. lib. 2. capit. 1. vsque ad cap. 6. per totum 110. vsque ad 114.
Creatio æterna, siue emanatio non datur ex opinione Arist. de creat. lib. 2. cap. 11. l. 2. 117
Creatio quare à Philosophis fuit reiecta. de creat. lib. 2. cap. 10. l. 6. 116
Creatio an sit mutatio, vbi opinio propria. de creat. cap. 3. f. 2. l. 2. cum seq. 104
Creatio noua datur etiam ex principijs Peripateticorum, de creat. cap. 4. f. 2. l. 2. cum seq. 105
Creatio quid, de creat. cap. 8. f. 2. l. 1. 109
Creatio ab Aristot. incognita, de creat. capit. 6. l. 2. 107.
Creatio duplex, de creat. in proœm. l. 3. f. 2. 103
Creatio quid, ex aliorum sententia, & quid ex propria, de creat. cap. 1. per totum. 103
Creatio quomodo differat à generatione, de creat. cap. 2. l. 4. 104
Creationis epilogatio per Auctorẽ facta, de creat. lib. 2. cap. 12. in fine. 118
Creationis modi quales. de creat. cap. 5. f. 2. lin. 3. cum seq. 106

D

Definitio mundi Plotini. lib. de mund. cap. 2. lin. 9. f. 2. 2
Definitio Orphei mundi, lib. de mund. cap. 2. lin. 11. f. 2. 2
Definitio mundi Platonis. lib. de mund. cap. 2. l. 12. f. 2. 2
Definitio mundi Mercurij ter maximi, lib. de mund. cap. 2. f. 2. l. 19. 2
Definitio mundi Epicuri, lib. de mund. cap. 2. fac. 2. l. 21. 2
Definitio mundi Cleomedis, lib. de mund. cap. 2. f. 2. l. 31. 2
Definitio mundi authoris librorum de mundo ad Alexandrum. lib. de mund. cap. 2. f. 2. l. 33. 2
Definitio mundi propria. lib. de mund. cap. 2. l. 49. f. 2. 2
Definitio perfecti. lib. de mund. cap. 40. l. 9. f. 2. 36
Definitio Ciceronis mundi. lib. de mund. cap. 2. l. 7. f. 2. 2
Demonstratio quomodo partim physica, partim metaphysica, de cæl. moto. cap. 8. l. 22. 83
Descriptio materiæ cæli. lib. de cæl. cap. 10. l. 38. 49
Deus quomodo moueat primum mobile, secundum aliorum opinionem. de cæl. mot. cap. 16. l. 3. 88
Et quid secundum opinionem propriam. ibid. cap. 17. per totum.
Deus à prima Mente non separatur secundũ Arist. de cæl. mot. cap. 17. f. 2. l. 7. 88
Deus quomodo possit dici anima mundi. libr. de mundo. cap. 30. l. 11. f. 2. 26
Deus mouet sine medio. de cæl. mot. cap. 17. l. 6. 89
Deus quomodo moueat primum mobile. de cæl. mot.

cap.

capit.17.linea 16. 89
Deus vt per sensilem imaginem hominum sensibus se offert.li.de mund.c.1.f.2.l.1. 1
Deus cuius gratia mundo prouideat.lib. de mund. cap.44.l.6. 41
Deus an prouideat intelligentijs.li. de mund.c.45. lin.2. 41
Deus est Dux & regula cęterorum modorum operandi. de cælo. motor. capitul. 26. linea 6. 95
Deus non est anima mundi.lib.de mundi.capit.28. lin.26. 25
Deus agit per naturam, voluntatem, ac neutro modo.de cælor.motor.cap.25.fac.2. linea 13. 94
Deus in modo operandi includit omnem perfectionem cæterorum modorum.de cęlo.moto.ca.25. l.13. 95
Deus causa est efficiens motus. de creatione. libro secundo.capitulo sexto. faciat.secunda. lin.11. 114
Deus quomodo dici possit anima mundi.de cęl.moto.c.20.f.2.l.15. 90
Deus in quo cęlo resideat.de cęl.mot.cap.15.in fine. 88
Deus nisi esset nihil esset,de creat.li.2. cap.2.f.2. lin.23. 110
Deus contingenter,et liberè extrinsecus operatur secundum aliquos.cælo.motu. capitul. 27.linea sexta. 92
Deus immensi roboris.de cęl.mot.c.33.in fi.100. & cap.35.in fi. 103
Et quid secundum Aristot. ibidem. capitulo 34. per totum.
Deus nullo circumscribitur loco.de cælor. moto.c. 28.l.6. 97
Deus extrinsecus necessario operatur.de cęl. mot. c.23.l.4. 93
Et quomodo.ibid.cap.24.
Deus cur moueat.de cęlor.motor. cap. 18.lin.12. 90.
Deus, quo genere causæ moueat primum mobile motu diurno: & quomodo. de cæl.mot.ca.14.l. 2.cum seq. 86
Et quid de eo ab omnibus concedatur. ibidem linea 6.
Et quod non moueat, vt efficiens, pluribus comprobatur rationibus. ibidem, linea decima septima.
Contrarium tamen ex propria sententia tenetur. capitul.15.per totum.87.& capit. 18.per totum. 89
Deus est principium primum eorum, quæ sunt. de cælo.mot.c.15.l.51. 87
Deus quomodo omnia possit.de cæl.mot.capit.35. ad fi.l 10. 103
Deus,intelligentia,anima, & natura,quomodo ex Auicēna sint inter se ordinata. de creat. li.2.c. 4.l.23.cum seq. 113
Deus quare mundum augere nō potest, vel plures prouidere mūdos.de cęl.mo.c.35.ad fi.l.13.103
Deus est vbique per essentiam,potentiam, & operationem.de cæl mot.c.30.l.18. 98
Deus solus re vera est in seipso,de cęl. mot. ca.30. l.26. 98
Dei potestas nō potest plures mundos creare ex D. Thom.li.de mundo.c.9.f.2.l.4. 9
Dei conditiones quæ.de cælor.mot.cap.15.f.2.lin. 15.& seq. 87
Dei virtus immensa per quæ cognoscatur. de cæl. mot.c.34.l.35. 101
Dei immensam virtutem Philosophi non cognouerunt.de cęl.mot.c.34.in fi. 102
Deum esse immensæ virtutis,an Philosophi senserint.de cæl.mot.c.32.l.2. 99
Et quid secundum Theologos.ibid. c.33. per tot.
Deum tenemur nisi cognoscere.de cæl.mot. cap.1. f.2.l.7. 77
Dextrum, an distinguatur a sinistro in animalib. li.de mund.c.33.f.2.l.9. 31
Dextrum, & sinistrum an distinguatur figura.lib. de mund.c.34.l.47. 32
Differentiæ positionis quibus cōpetant.li.de mund. c.34.per tot.f.2. 31
Differentiæ positionis quibus corporibus cōpetant. li.de mund.c.34.f.2.l.5. 31
Differentiæ positionis per metaphoram.li.de mūd. c.39.per tot. 36
Differentiæ positionis cōpetunt mundo triplici consideratione.li.de mund.c.34.f.2.l.7. 32
Differētiæ positionis.li.de mū.c.33.f.2.per tot.29
Differentiæ positionis mundi mortalis.li. de mund. c.38.per tot. 35
Differentiarum, quæ sit prima locorum an corporum,li.de mund.c.33.l.42 f.2. 29
Dignitas duplex.de cæl c.26.f.2.l.24. 62
Distinctio differentiarum cæli.lib.de mund.ca.37. per totum. 34
Dimensio eadem dicitur longitudo, latitudo,et profunditas.li. de mund.c.34.l.10. 32
Diuina cognoscere,an teneamur esse soliciti. de cęlor.motor.c.1.l 4. 77
Et quomodo.cap.seq.
Diuina ad quid indaganda.de cælor.motor.cap.2. lin.7. 78
Diuisio considerationis de mundi æternitate.lib.de mund.cap.15.lin.14. 13

E

Efficiens duplex.de creat.libro 2.cap.5.fac.2. lin.7. 113
Efficiens,quod competat mundo. lib. de mund. cap. 6.f.2.l.4. 6
Elementorum ordo,& dignitas.de cælo, cap. 26. l.25. 62
Elementa quo motu moueantur.li. de mund.c.38. f.2.lin.17. 35

*Epicurei definitio mundi.lib.de mnud.cap. 2.f. 2. lin.21.* 2
*Epicycli,qninam dieantur.de cælo, cap.25.fac.2. l.32.* 61
*Esse in loco triplex. de cæl.mot.cap.28.fac.2.liu. 51.* 96
*Esse in loco quot modis contingat.de eœl. mot.ca. 29.l.12.* 97
*Esse rerum qnotupliciter eonsideretur.de cęl.moc. c.11.l.44 & seq.& f.2.l.8.* 84
*Esse de abstractis an sit essentia,vel existentia. de eœl.mot.cap.11.f.2.l.13.* 84
*Esse in prædicamento eontingit sex modis. lib. de cæl.cap.14.l.3.* 53
*Esse prius dignicate contingit dupliciter. lib. de mund.cap.33.l.10.* 31
*Essentia mundi quæ.li.de mnnd.cap.3.l. 30.* 4
*Essentia separata non pertiuent ad Physicum.de cæl.moc.cap.6.f.2.l.5.* 79
*Exemplar hominis mundus.lib.de mnud.in proœ. l.2.* 1
*Extra tripliciter sumitur.lib.de mnud.capit.14. l.25.* 13

F

*FAber locorum est cęlnm,li. de mnud. cap.38. f.1.l 55.* 35
*Figura cnr in cælo sit.li.de mund.e.31.l. 29.* 28
*Fignra mundi quæ.lib.de mund.cap.32.f.2. per totum.* 28
*Figura mundi duplex.li.de mund.cap.31.f. 2.lin. 15.* 28
*Figura,soliditas,densum,& rarum in cælo prima sunt qualitates.de cęlo.cap.29.li.6.* 65
*Figuræ hominum varia cur.lib.de mnud.eap.31. f.2.l.10.* 28
*Fignra viuentium eur varia.lib.de mund.ea.31. l.39.* 28
*Figurarum viuentium varietas vnde prodeat.li. de mnnd.cap.31.l.39.* 28
*Figuras futurorum in cælo quasi literas inspici secundum Porphyrium & alios.de cęlo,c.38.f. 2.l.2.* 71
*Finis competit mnndo.li.de mund.eap.6.l.27.* 6
*Finis qnomodo denocet causam efficientē.de creat. lib.2.c.12.l.17.* 118
*Forma mnudi accidentalis.li.de mund. cap. 4.f.2. l.26.* 4
*Forma mundi substantialis.lib.de mund.ca. 4.f.2. lin.28.* 4
*Forma mundi maxime formalis.lib.de mund.eap. 4.l 4.* 5
*Forma mundi dupliciter sumitur.li.de mnud.c.9. l.27.f.2.* 8
*Forma mundi est ordo.li. de mund.c. 3.l. 30.* 4
*Forma mnudi quæ li.de mnud.e.3.l.4.* 3
*Forma assistens duplex.li.de cæl. cap.20.fac. 2.li. 41.* 57
*Forma mundi duplex.li. de mnud.capit.9. lin.27. f.2.* 8
*Formæ omnes aut substancia sunt, aut accidens. de creat.cap.7.l.5.* 108
*Formæ quomodo fiant ex nihilo.de creat.c.7.f. 2. l.10.* 108
*Formæ variæ quibus de mundo agitur.li.de mūd. in proę.l.19.* 1
*Formæ mundi sex.li. de mund.c.3.l.10.* 3
*Formæ separata qnomodo sint in loco, opiniones variæ.de cæl.mot.c.29.l.4.cum seq.* 97
*Vbi ponitnr opinio propria.c.30.* 97
*Formæ cur minnautnr. de cæl. mot. c. 32.f. 2.lin. 8.* 99
*Formæ qnomodo educantur in lucem ex sententia Phylosophorum, & etiam Theologorum, de creat.c.5.f.2.l.3.cum seq.* 106
*Formarum datur duplex genus & materierum debet dari.li.de cæl.cap.20.f.2.l.14.* 57
*Fortuna quomodo detur.li.de mund.c.45.l.12.* 41

G

*GEneratio quomodo differat à creatione, de creat.c.2.l.4.* 104
*Genitum & mortale reciprocatnr.li.de mnud.ca. 22.f.2.l.1.* 19
*Genus formarum duplex datur & materierum duplex est dandum.lib. de cæl.cap.20.fac.2.linea 14.* 57
*Genus formarum & materierum duplex datur.li. de cæl.e.20.f.2.l.14.* 57
*Gradus octo ad lumen corporum attinentes. de cælo.c.28.f.2.l.11.* 63
*Gradus vniuersi varij.lib.de cæl.ca.20.fac.2.liu. 24.* 57
*Gradus materiæ quinque.lib.de cæl.capit.7. linea 6.* 46

H

*HAbitus animi qui.de ereat.e.7.l.36.* 109
*Habitus animi ad qualitatem pertinent.de creat.c.7.l.36.* 109
*Harmonia cęlornm in motu.de cæl.e.37.f.2. l. 6. & 14.* 70
*Harmonia cęlorum qnot enumerentnr. de cęlo.e. 37.l.50.* 71
*Homo præcipuè mundus paruus.lib.de mund.c.1. l.25.* 2
*Homo est imago mundi,lib.de mund.ca. 40.lin.6. fac.2.* 36
*Homo per animam triplici vita præditus.libro de mnud.c.29.l. 34.* 26
*Hominis exemplar mundus. li.de mund. in proęm. l.12.* 1
*Homines qui habent leuam potentiorem dextra an sint præditi dextra, virtute distincta à sinistra. lib.de mnud.c.34.l.49.* 32

# INDEX


*Homines cur varij in figura. lib.de mund. cap.31. f.2.l.10.* 28

*I*

*IDearum duplex genus.lib.de cælo.mot.cap.21. f.2.l.37.* 91
*Inanimata cur caret figura.lib.de mundo.cap. 31. lin.6.* 28
*Indiuiduum quid.de cælor.mot.capitul.31.f.2.lin. 4.* 98
*Indiuiduorum multitudo solo numero distincta, an in separatis valeat reperiri.de cæl.mot.cap.31. lin.2.* 98
*Ingenitum, & immortale reciprocatur. li.de műd. cap.22.l.19.f.2.* 19
*Infinitum quotuplex.de cælor.mot.cap.32.lin.16.* 99
*Infinitum actione, extensione, & mora in idem venire.de cæl.mot.cap.35 l.8.* 102
*Influxus etiam dari præter lumen, & motum, quibus rationibus probetur secundum aliquos. de cælo. cap.38 f.2.l.5 per totum.* 71
*Contrarium tamen disputatur.cap.39.per tot.*
*Resoluitur difficultas.cap.40.per tot.*
*Influxus secundum Academicos in Deo esse, vt in fonte, in Ideis mentis per modum causæ, in animis, & per eas in Stellis per rationem, & formam, in alijs per semina, & participationes. de cælo. cap.38.f.2.l.10.* 72
*Influxus, quomodo distinguatur à lumine. de cælo. cap.40.l.13.* 73
*Influxus definitio.de cælo.capitul 40.faciat.2.l.4.* 73
*De quo quatuor referuntur opiniones.ibid.*
*Influxum diuisio.de cæl.c.40.l.9.* 73
*In nihilo recipi posse intelligi dupliciter.li.de mund. cap. 14.l.10.* 13
*Institutum Arist.in prædicamentis.lib.de cęl.c.14. l.3.f.2.* 51
*Instrumentum principale cæli quod nam sit, de cæl. cap.41.f.2.l.7.* 74
*Intellectus verus. Arist 3.de Anim.cont.61. traditur.de cæl.cap.24.l.3.* 61
*Intellectus agentis operatio. de creat.lib.2. cap.4. l.31.* 113
*Intelligentia cum orbe secundum esse formale non magis facere vnum, quàm materia, & forma mortalium.lib.de cæl.cap.22.fac.2.l.5.* 56
*Intelligentia cum orbe, non facere magis vnũ secundum esse viuentis, quàm corpus mortale, & anima.lib.de cæl.cap.22.f.2.l.7.* 59
*Intelligentia, & cęlum magis facere vnum, quatenus magis pendet cęlum, & intelligentia. lib.de cęl.cap.22.f.2.l.11.* 59
*Intelligentia non formare cælum.lib.de cęl.ca.20. f.2.l.5.* 57
*Intelligentia dat viuere cælo pro actu secundo, lib. de cęl.cap.20.f.2.l.5.* 57
*Intelligentia orbis ab eius anima nõ secernitur. de cæl. mot.cap.17.f.2.l.7.* 88
*Intelligentia an det esse cælo, lib.de cęl.cap.18 per totum.f.2.* 55
*Intelligentia, & cælum, an magis faciant vnum, quàm materia mortalium cum sua forma.lib.de cęl.c.22 per totum.* 59
*Intelligentia secundum eius varias operationes dicitur Mens, anima, motor, mobilis, & natura. de cęl.cap.34.l.28.* 68
*Intelligentia ob varia munera variè denominatur. lib.de cęl.cap.17.l.7.f.2.* 54
*Intelligentiæ, cælum, & motus sunt æterna conspirantia ad vniuersi constitutionem de creat.lib.2. cap.7.l.17.* 115
*Intelligentia in cęlo solum inueniri, & orbem. de cęlo.cap.34.l.26.* 63
*Intelligentijs an competat causa efficiens. de creat. lib.2.c.9.f.2.l.3.* 115
*Et propria sententia traditur.ibid.l.10.*
*Intelligibile, quomodo sit causa intelligentis. de creation.lib.secundo. capitul. 12. facias. 2 lin. 26.* 117
*Imago mundi est homo.lib. de mund.cap.40.lin.6. fac.2.* 36
*Imago Dei est mundus. lib.de mund.cap.40.lin.6. fac.2.* 36
*Imperium mundi.lib.de mund.c.40.l.50.* 37
*Immortale, & ingenitum reciprocatur, li.de mund. cap.22.l.19.f.2.* 19
*Ioannis verba, Mundus eum non cognouit, de quo mundo intelligatur.lib.de mund,c.1.l.35.* 2

*L*

*LEx principalissima naturæ quæ. cap.39. f.2.l. 5.* 72
*Liber magnus sapientia Dei est mundus. libr. de mund.in proœm.l.10.* 1
*Librorum de cęlo subiectum.lib.de mund. in proœm.l.32.* 1
*Locationis separatorum duplex ratio. de cæl. mot. cap.30 f.2.l.12.* 97
*Locus quattuor tribuitur rebus.de cęlo.mot.c.30. f.2.lin.3.* 97
*Locus locato debet respondere. de cęlo. c. 26. f.2. lin.8.* 62
*Locum mutare secundum locum, & secundum partes, quomodo intelligatur.de cælo.cap.31.l. 10.* 66
*Loco rebus existentibus quatuor competere. de cęl. moto.ca.30.l.6.f.2.* 97
*Lucem competere vniuerso cęlo, ex propria sententia.de cæl.c.28.f.2.l.44.* 63
*Lumen an sit principale cæli instrumentum.de cęl. c.41.f.2.l.7.& c.42.f.2.per totum.* 74
*Luminis sex gradus, de cęl.c.28.f.2.l.6.* 63
*Luna sola, & lucida, & perspicua esse dicitur.de cęlo, cap.27.l.33.* 63

*Lux omnium qualitatum regina. de cęlo, c.28. f.2. lin.1.* 63

*Lux quid secundum Academicos, & quid secundũ Peripatet. de cæl. c.28 f.2. l.19. & l.36.* 63

*Lux in mortalibus est qualitas secunda, in cęlo prima. de cælo. c.29. l.5.* 65

*M*

*MAgia, Physica, & Astronomia, quo genere influxum sint neglegenda. de cæl. cap.40. f.2. l.47.* 73

*Mala vnde. lib. de mund. ca.45. l.25.* 41

*Manus potest extendi supra cęlum, non tamen expelli sagitta. libr. de mundo. cap.14. lin.13.* 13

*Mathematica, Metaphysica, & Physica cõsiderãt mundum, quauis ratione scientiam includẽtem. lib. de mund. in proœm. l.21.* 1

*Materia cęli, quomodo vna, & varia. lib. de cælo. c.12. l.41* 51

*Materia aliquo modo media. l. de cæl. c.12. l.41.* 51

*Materia absolutè prima a solo Metaphisico consideratur, & primum efficiens. de cæl. mot. cap.2. fac.2. l.9.* 79

*Materia cæli, an sit eadem cum materia mortaliũ lib. de cæl. c.7. per tot.* 46

*Materiæ quinque gradus. lib. de cæl. c.7. l.6.* 46

*Materia cæli non est eadẽ mortalium. lib. de cęlo, cap.8. l.5* 47

*Materia cælorum num sit eadem. lib. de cæl. c.13. per totum. f.2.* 52

*Materia mundi corporata duplex. li. de mund. c.5. lin.22.* 5

*Materia an competat cęlo. li. de cæl. c.10. l.41.* 49

*Materia cęli est eadem analogicè cum ea mortaliũ. lib. de cęl. ca.8. f.2. l.44.* 47

*Materia cęli est eadem cum ea mortalium vnitate ab vno. lib. de cæl. c.8. f.2. l.44.* 47

*Materia cæli quid sit. li. de cęl. c.10. l.3.* 49

*Materia cæli ex Auerr. consideratur dupliciter. li. de cęl. ca.22. l.44.* 56

*Materia mundi præstãtissimus gradus. li. de mũd. ca.5. l.29.* 5

*Materia primæ conditio. li. de cæl. c.8. l.22.* 47

*Materia mortalium conditio. li. de cęl. ca.8. fac.2. lin.7.* 47

*Materia mundi variæ. li. de mund. c.5. l.8.* 5

*Materia cęli descriptio. li. de cæl. c.10. l.38.* 49

*Materiæ æternitas infert æternitatem mundi. lib. de mund. c.18. f.2. l.9.* 15

*Materiarum ordo. li. de mund. c.5. f.2. l.32.* 5

*Medium cognoscendi separata quando indicandum Physicum, & quando Metaphysicũ. de cæl. motor. c.10. per totum.* 83

*Medium sumptum ex æternitate motus esse physicum, sed ostensionem formare ad Metaphysicũ pertinere. de cælor. motor. capitul. 10. fac.2. lin.27.* 83

*Medium quando Physicum, & quando Metaphysicum indicandum; idem de conclusione. de cęl. motor. cap.11. fac.1. per totum.* 83

*Media, per quæ eleuamur in cognitionem separatorum a materia quæ sint. de cælor. motor. c.7. l.2. cum seq. 80. & ponitur opinio propria. ibid. ca.8.* 81

*Melius quodnam dicatur, de dælo, capit.26. fac.2. lin.4.* 62

*Mens humana cum sit æterna, cur non intime nectatur cum corpore, vt intelligẽtia cum orbe li. de cæl. ca.22. f.2. l.28.* 59

*Mens quid. de. cæl. ca. 30. f.2. l.16.* 65

*Mens cæli mouens cęlum sine phantasia cognoscit. de cęl. ca.24. l.22.* 61

*Mentes orbibus respondere. de cęlo, ca.26. fac.2. lin.7.* 62

*Mercurij ter maximi definitio mundi. lib. de mund. c.2. f.2. l.19.* 2

*Metaphysica, Physica, & Mathematica cõsiderãt mundum quouis modo scientiam includentẽ. li. de mund. in proœm. l.21.* 1

*Metaphysica cur dicatur de abstractis. de cęl. mot. ca.6 l.14.* 80

*Metaphysicus in quouis genere causæ eleuatur ad primum. de cælor. motor. capitut. 5. lin. 17.* 79

*Methodus Theologorum, & Philosophorum diuersa. de cælor. motor. capitul. 27. faciata 2. lin.2.* 96

*Modus operandi Dei est exemplar modi operandi naturæ, & hominis. de cęlor. mot. capitul. 25. lin.22.* 95

*Modus philosophandi Platonis. li. de mund. c.21. l.12. f.2.* 18

*Modi varij, quibus de mundo agere possimus. li. de mund. in proœm. l.19.* 1

*Mortale, & genitum reciprocatur. lib. de mund. c. 22. f.2. l.1.* 19

*Mortalia non dari, non est melius. lib. de mund. cap. 27. f.2. l.11.* 24

*Mortalia solum habent sensum. lib. de cęl. cap.24. l.31. f.2.* 60

*Mortalia non proximè, & immediatè prodire ex Deo, ex sententia Aristot. de creat. lib. 2. ca.7. l.7.* 115

*Mortalia vniuersè sumpta, ac vt sunt æterna, carere causa efficiente. de creat. lib.2. c.7. l.12.* 115

*Motor primus sine vllo medio mouet primum mobile motu diurno. de cęlor. motor. capit.20. l.4.* 91

*Item per eius motores proprios mouet cæteros orbes motu diurno. ibid. l.5.*

*Motor quid. de cælo, capitul.30. faciat.2. lin. 12.* 65

*Motor totius dicitur esse in primo mobili, tanquàm in arce. de cælor. motor. cap. 18. lin.23.* 90

*Motoris primi nomine, quid denotetur, vbi multo-*

vbi multorum recensentur opiniones, de cæl.motor.cap.4.f.2.l.4. 28

Motorem primum esse vnum, ęternum, & infinitū ostendere, cuius sit officium. de cæl.motor.capi.12.faciat.2.l.2.cum sequen.84.vbi opinio propria.ibid.l.22. 85

Motores an sint species subiecti, de cælor. motor. ca.13.l.11. 86

Motores cæli ad Physicum, & Metaphysicum pertinere, distincta tamen ratione, de cęl.motor. cap.5.l.16. 79

Motores cęli dupliciter considerantur. de cæl.mot. c.20.l.1. 91

Motores proprij singulorum orbium, vt sunt participationes primi, quomodo moueant. de cęl.mot. c.20.l.6. 91

Montes per qua moueant. de molor.motor.cap.17. l.25. 89

Motores planetarum dupliciter cōsiderari. de cæl. mot.c.20.f.2.l.23. 90

Motorum cælestium numerum ad quem pertineat ostendere, de cælor.motor.capitul. 13. l.4.cum sequent. 85

Motoribus cælorū an locus competat. de cæl.mot. c.28.f.2.l.5. 96

Motus cæli vnde consurgat, ex propria opinione. de cæl.c.34.l.24. 68

Motus cæli qualis. de cælo.capitu.34.fac.2.lin.2. 68.

Motus est genus commune ab vno. de cælo.c.33. l.10. 67

Motus principia in homine, quæ sint. de cæl.moto. l.10. 88

Motus dupliciter considerari. de creat.libr.2.c.7. l.19. 115

Motus in orbem dupliciter considerari. de cælo. c. 33.fac.2.l.3. 67

Motus an sit principale cæli instrumentum, an verò lumen. de cælo.c.41.fac.2.l.7. 74

Motus proprius planetarum qualis. de cælo, c.35. l.8. 69

Motus planetarum appetitui sensitiuo, & primi mobilis rationali, respondet. de cæl.c.35.fac.2. l.1. 69

Motus in cælo duplex. de cælo, c.34.fac.2.lin.13. 68.

Motus duos cælo competere. de cælo.c. 43.fac.2. lin.6. 75

Motus cæli orbicularis quattuor consideratur modis. de calo, c.30.l.6. 65

Motus cæli an consimilis, de cælo, cap.31.lin.33. 66

Motus primus ex quibus conditionibus cognoscatur. de cælor. motorib. capilulo 15.. linea 50. 87

Motui in orbem, quomodo contrarium non competat. de cælo, capitu.32.per totum.66.& c. 33. per totum. 67

Motui in orbem an contrarium competat, variæ reuisuntur opiniones. de cælo, c.33. per totum. 67

Et quomodo. ibidem f.2.l.12.

Moueri secundum accidens a se, & ab altero, non idem. de cælo, capitu.35. faciat. secunda. lin.51. 69

Multitudo non repugnat mundo ratione materię. lib.de mund.c.9.l.40.f.2. 8

Mundus pro origine est Deus. libr. de mund.cap.1. fac.2.l.34. 1

Mundus per metaphoram dictus qualis. li.de mūd. c.1.l.3. 2

Mundus est Ara, in qua Deus veneratur. li.de mūdo in proœm.l.13. 1

Mundus est arena ad dimicandum. lib.de mund.in proœm.l.14. 1

Mundus paruus præcipuè homo, lib.de mund. ca. 1.l.25. 2

Mundus solus vnus posse esse ex Aristotel. lib. de mundo capitulo nono. linea. 13. faciat. secunda. 8

Mundus de quo auctor agit in hoc libro, quid. li.de mund.c.1.l.46. 2

Mundus est vnus ex Gand. analogicè. de mund. ca.11.l.9. 11

Mundus est vnus numero ex auctore. lib.de mun. c.11.l.22. 11

Mundus an potuerit ab æterno esse creatus. lib.de mund.c.23.l.41.fac.2. 21

Mundus per quod sit vnus. libr. de mund. cap.10. fac.2.l.1. 9

Mundus exemplar hominis. libr. de mund. in proœm.lin.2. 1

Mundus vndique perfectus. lib.de cæl.cap.10.f.2. lin.8. 57

Mundus est magnus liber sapientiæ Dei. li.de mun. in proœm.l.10. 1

Mundus trinus, & vnus. lib.de mund.c.40.fac.2. lin.11. 37

Mundus an valeat animam. lib.de mund.c.28.per totum.f.2. 24

Mundus, & hic mundus differunt. lib.de mund. c. 5.fac.2.l.22. 5

Mundus non eget loco. libr.de mund.cap.14.lin.7 13

Mundus dicitur vniuersum. lib.de mund.c. 1.l.3. fac.2. 1

Mundus paruus præcipuè homo. lib.de mund.c. 1. l.25. 2

Mundus multiplex. lib.de mund.c.1.l. 14.f. 2. 1

Mundus triplex ex Academicis. lib.de mund.c.1. l.17.fac.2. 1

Mundus fulget omni gradu lucis. lib.de mun.c.40. l.26. 37

Mundus est imago Dei. lib.de mund.cap.40.lin.6. fac.2. 36

Mundus prouidentia regitur. lib.de mund cap 42 per totum.f.1. 38

Mūdus si nō est ęternus, Deus ex Philosoph. vellet


 bo-

*bonum non absolute, sed in parte.libr.de mund. cap.17.fac.2.lin.2.* 15
*Mundus non potest liberari a malo. lib. de mund. cap.27.l.5.* 24
*Mundi figura qua.lib.de mund. cap.32.f.2.per totum.* 28
*Mundi veritas secundum fidem.lib. de mundi. cap. 25.per totum.* 23
*Mundi anima optime semper se habet.lib.de mund. cap.29.l.5.* 26
*Mundi anima in medio posita.lib. de mũd.cap.29. lin.11.* 26
*Mundi anima est anima octaua sphæræ distincta ratione.lib.de mund.cap.29.f.2.lin. 5.* 26
*Mundi partes cur non sint æterna.lib.de mund. ca. 26.per totum.f.2.* 23
*Mundi forma dupliciter sumitur.lib.de mund.cap. 9.l.27.f.2.* 8
*Mundi variæ materię.lib.de mund.cap.5.l.8.* 5
*Mundi imperium.lib.de mund.cap.40 l.50.* 37
*Mundi essentia qua.lib.de mund cap. 3.l.30.* 4
*Mundi forma qua.lib.de mund.cap.3.l.4.* 3
*Mundi ciues animi ingenui.li.de mund.in proœmi. l.15.* 1
*Mundi conditio.lib.de mund.cap. 27.l. 11.* 24
*Mundi forma duplex.lib.de mund.cap.9.line. 27. fac.2.* 8
*Mũdi ęternitas infertur ex æternitate materiæ.li. de mund.cap.18.f.2.l.9.* 15
*Mundi nomen quid significet. lib. de mund.cap.1.l. 11.f.2.* 1
*Mundi caput quod.lib.de mund.cap. 40.l.41.* 37
*Mundi conditio.lib.de mund.cap 9.l.22.f.2.* 8
*Mundi valent esse plures. lib.de mund. cap.9.l.4. f.2.* 8
*Mundi duplex figura.lib.de mund.cap.3.f.2. linea 15.* 28
*Mundum esse vnum, ex quibus colligatur.de Cęl. mot.cap.15.f.2.l.9.* 87.
*Mundum considerantes vnà cum eo parente eius considerant.lib.de mund.lin.4.in proœmi.* 1
*Mundum esse in nihilo duobus modis intelligitur. lib.de mund.cap.13.l.23.* 12
*Mundum constituentia qua sint.lib.de mund. cap. 9.l.18.* 8
*Mundos plures simul existimauit Democritus.lib. de mund.cap.7.f.2.l.3.* 6
*Mundos plures successione Empedocles dixit. li.de mund.cap.7.f.2.l.6.* 6
*Mundorum ordo.lib.de mund.cap. 1.lin.6.* 2
*Musæ nouem enumerantur, & ex quibus consurgant.de Cælo, cap.37.l.40.* 71
*Et in quibus vna quaque versetur.ibid.l.42.*
*Mutari totum dupliciter. de cęlo, cap.31.l.30.* 66

N

N*Atura cęli cur dicatur essentia quinta.lib.de Cælo.cap.5.l. 19.* 45
*Natura cęli qualis ex propria opinione, de cęlo, cap.34.l.27.* 68
*Natura quod modis dicatur. de cęlo, cap.34.f.2. l.1.* 68
*Natura in cęlo ab anima distinguitur.de cęl.mot. cap.17.f.2.l.10.* 88
*Natura conditio.lib.de mund.cap.31.l.8.* 28
*Necessarium quotuplex. de cæl. mot.cap.24.l.5. 94.& cap.26.f.2.l.8.* 95
*Necessitas duplex.de Cęlo.mot. cap. 22.f.2. linea 34.* 92
*Necessitas an antecedat voluntatem,an vice versa, vbi traditur opinio propria. de Cęlo. mot. cap.24.l.14.* 94
*Necessitas qua Deus operatur, qualis. de Cælo. mot.cap.24.l.4.* 94
*Necessitas in Deo seruat cognitionem, voluntatem, & libertatem. de Cæl.mot.cap.25.fa.2. l. 3.* 94
*Necessitatis causa qua. de Cæl. mot. cap. 24. fa. 2.l.22.* 94
*Nomē mundi quid significet.lib.de mund. cap.1.l. 11.f.2.* 1
*Numerus an virtutem habeat lib. de mund. cap. 41.f.2. per totum.* 37
*Numerus separatorum an ea quomodo cognoscatur. de cęl. mot.cap.13.l.18.* 86
*Numerum motorum cœlestium ad quem pertineat ostendere. de cæl. mot.cap. 13.lin. 4. cum seq. 85.*
*Numerum separatorum cur Arist. in 8.phys.non patefecit.de cęl. mot. cap.13.l.1.* 86
*Numeri quinque dantur.lib.de mund.cap.41.l. 1. 38.*
*Numeri quomodo principia rerum. lib. de mund. cap.41.l.8.* 38

O

O*Biectum Diuinæ mentis duplex, de cælorum motorib. cap.21.f.2.lin. 35.* 91
*Opera elenantia in notitiam separatorum quæ sint de cælor. moto.cap.7.f.2.lin.10.* 80
*Opinio auctoris de præstantia orbis, seclusa intelligentia. lib.de cæl.cap.23.lin.17.* 60
*Opinio asserentiũ Platonem cum Aristoteles idem sentire de mundi æternitate. lib. de mund. cap. 19.f.2.l.1.* 17
*Opinio asserentium Platonem putasse vere mundum genitum lib.de mundo.cap. 20.per totum. 18.*
*Opinio auctoris quæ fuerit sententia Platonis de mundi æternitate. lib. de mund. cap.21.per totum.f.2.* 18
*Opinio auctoris an cælum per se appetat & intelligat.lib.de cæl.cap.2.l.13.* 58
*Opinio Arist.de prouidentia.lib.de mund.cap.44. per totum.* 40
*Opinio Arist.de anima mundi.lib.de mund.cap.30 per*

per totum.f.2.l.1. 26
Opinio Platonis de anima mundi.lib.de mund.cap.29.f.2.l.25. 25
Opiniones de quinta essentia.lib. de cœl.cap.5.f.2.l.3. 44
Oppositiones tres differentiarum positionis.lib. de mund.cap.33.f.2.l.6. 29
Oppositiones quomodo se habeant ad locum,& corpus.lib de mund.cap.35.l.17. 31
Oppositionum locorum quæ sit prima.lib.de mund.cap.33.f.2.l.42. 30
Orbis cum intelligentia nō facere magis vnum secū dum esse uiuentis quàm corpus mortale cum anima.lib.de cœl.cap.22.f.2.l.7. 59
Orbis & intelligentia magis facere vnum quatenus magis pendet orbis ex intelligentia.libro de cœl.cap.22.l.11.f.2. 59
Orbis cum intelligentia secundum esse formale non magis facere vnū quàm materia,& forma mortalium.lib.de cœl.capit.22.f.2.l.5. 59
Orbiculationes in cælo variæ.de cœl.mot.cap.17.l.37. 89
Orbes cęlorum quomodo sint lucis expertes.de cęl.cap.28.l.22. 64
Orbes planetarum à quo moueantur motu diurno ab ortu in occasū opiniones variæ.de cęlo.mot.cap.19.l.7. 90
Orbes quomodo pendeāt ex intelligētijs lib. de cęl.cap.13.l.7. 52
Orbium cęlestium multitudo ex aliquorum opinione.de cœlo.cap.25.per totam. 61
Orbibus mentes respondet,de cœlo.cap. 26. fac.2.l.7. 62
Ordo mundorum.cap.1.l 6. 2
Ordo competentium cœlo.lib. de mund. cap. 32.l.39. 29
Ordo est forma mundi. libro de mund. capitulo 3.l.30. 4
Ordo qui ex sententia auctoris est forma mundi.li. de mund.cap.4.f.2 l.10. 4
Ordo oppositionum. lib. de mund. capit.33.fac.2.l.2. 30
Ordo dignitatis sphærarum ordini positionis respondet.de cœlo.cap.26.f.2.l.14. 62
Ordo productionis rerū ex sententia Platonis quālis,vbi sententia propria.de creat.lib.2.ca. 10.f.2.l.9.cum seq. 116
Ordo Arist.in indagatione naturæ.de cęl.cap.25.f.2.l.4. 61
Ordo planetarum.de cœlo.cap.26.l.6. 62
Dignitasq; eorum.ibi.l.22.
Organicum est duplex. libro de cœl. capitulo 13.l.28. 52
Oriētalia cur potiora.libro de mund.capitulo 37.l.28. 35
Omne ligatū est solubile quomodo intelligendū.lib. de mund.cap.23.l.38. 21
Orphei sententia de anima mundi. libro de cœlo. capitulo 25.lin.2. 61
Orphei definitio mundi. lib.de mund.cap.2. l.11.fac.2. 2
Ostensio formata à Physico in quibus differat ab ea qua formatur à Metaphysico.de cęl.mot.ca.11.l.9. 84
Ostensionem formare quod dentur abstracta,pertinet ad Metaphysicum. de cœl.mot.cap.10.f.2.l.5.83.& cap.11.l.2. 84

P

Pars sursum non semper nobilior.lib.de mund.cap.36.l.17. 34
Partes mundi cur non sint numero æternæ. lib.de mund.cap.26.per totum.f.2. 23
Perfectio & optima rerū dispositio in essentia,potentia,& actione est posita.de cęl.mot. cap.15.f.2.l.24. 87
Perspicuum & opacum cum raro & denso iungun tur.de cœlo.cap.27.l.13. 63
Perspicuitas vnde proueniat.de cœlo. capitul.27.l.23. 63
Phantasia quid.de cœlo.cap.24.l.18. 61
Phantasia in cœlo pro mente non requiritur.de cœlo.cap.24.l.19. 61
Phantasia ex aliquo externo sensu prouenit de cęlo.cap.24.l.20. 61
Philosophi omnes concordant mundum pendere ex Deo at de modo variæ sunt opiniones.li.de mūd.cap.6.l.2. 6
Physica,Mathematica,et Metaphysica cōsiderāt mundum includentem scientiam quauis ratione lib.de mund.in proœm.l.21. 1
Physicus separata non considerat.de cœl.mot.cap.6.f.2.l.5. 79
Physicus potest resoluendo peruenire vsque ad primum motorem ;sed quæstio quid sit ad Metaphysicum pertinet,ex propria sentētia.de cęlor.mot.cap.5.f.2.l.37. 79
Physicus in nullo genere causæ eleuatur ad primū de cœlor.mot.cap.5.l.18. 79
Plato extra mundū nihil posuit.lib.de mund. cap.12.l.1. 11
Platonis definitio mundi.lib.de mund. cap.2.linea 12.f.2. 2
Platonis philosophandi modus. de mund. cap. 21.l.11.f.2. 18
Plotini definitio mundi.lib.de mund.cap.2.line.9.fa.2. 2
Planetis an competat motus qui raptus dicitur.de cœlo.cap.35.f.4.l.40. 69
Planetæ motu sui orbis moueatur, ex propria sententia. de cœlo.cap.36.li.31. 70
Planetæ non sunt parui mundi.lib.de mund.cap.1.l.39. 2
Planetæ à quo moueantur. de cœlo. cap. 35.linea 2. 70
Planetarum ordo quis.de cœlo, cap.26.l.6. 62
Eorumque dignitas .ibid.l.22.

Potentia

Potentia quomodo sit latior motu. de creatione. libro secundo, capitulo 12. faci. secunda, linea 46. 117
Potentia duplex. lib. de cęl. cap. 11. fac. secunda. l. 24. 49
Potentia an competat cęlo. lib. de cœl. cap. 11 f. 2. per totum. 49
Potestas Dei non potest plures mundos creare ex Diui Thom. libro de mundo. capitulo 9 fac. 2. l. 4. 9
Principia Theologorum quæ, de cœlo. motoribus. capitulo 27. faciata secunda. linea secunda, 96
Principia Philosophorum quæ. libro de cœlo. motor. capitulo 27. facciata secunda, linea tertia. 96
Principia secundum Auerr. posse per posteriora ostēdi in ea scientia. de cœl. mot. capit. 11. l. 34. 84
Principij primi conditio quę. de creat. lib. 2. cap. 2. l. 1. 111
Problema Aristotel. de æternitate mundi num sit dialecticum. libro de mund. cap. 24. per totum. 22
Prouidentia ad tria refertur. lib. de mund. cap. 44. f. 2. l. 24. 40
Prouidentia triplex. libro de mund. capitul. 44. li. 11. 40
Prouidentia Dei non euertitur per eius modum operandi. libro de cœlo. motoribus. capitulo 25. lin. 17. 95
Prouidentia regitur mundus. lib. de mund. cap. 42. per totum. f. 2. 38
Prouidentia Dei ex quibus cognoscatur. libro de cœlo motoribus. capitulo 22. fac. secunda, linea 11. 92
Prouidentia quid. libro de mund. capitulo 43. l. 1. fac. 2. 39
Prouidere tripliciter, lib. de mund. cap. 44. linea 14. 40
Prouidere alicui dupliciter. lib. de mund. cap. 44. l. 9. 40

## Q

QVæstio si est, & quid est an sint eiusdem rationis. libro de cœlo. mot. capi. 11. linea 42. 84
Qualitates cęlo competentes quæ sint. de cęlo, cap. 27. f. 2. l 8. 62
Qualitates secundæ quæ, & vnde oriantur: libro de creat. capitulo 7. fac. secunda, linea 46. 108
Qualitates spirituales quæ. de creat. capit. 7. linea 22. 109
Qualitates virtuales non dari distinctas à qualitatibus materiatis, de cœlo, capitulo 41. lineā 3. 74
Qualitates mortalium primæ quæ. de cœlo. capitulo 41. linea 6. 74
Qualitates tangibiles an cœlo competant. libro de cœlo, capitulo 29. facciata secunda, linea 41. 64
Et an primæ & secundæ qualitates. ibidem. linea 51.
Qualitates primæ, & secundę quæ sint. de cœlo, capitulo 29. facciata secunda, linea, 51. & 64. & l. 2. 65

## R

REnum quot modis capiatur. libro de cœlo. capitulo 27. facciata secūda, linea decima 62
Rationes ostendentes cœlum anima formari. libro de cœlo, capitulo 19. linea 1. 56
Rationes quædam quæ mundi prouidentiā dubiam reddunt. libro de mund. capitulo 42. linea 35. 39
Rationes variæ quod mundus sit genitus. libro de mund. capitulo 16. facciata secunda, linea prima. 13
Rationes variæ quod mundus sit æternus. libro de mund. cap. 17. l. 1. 15
Regula illa topica perfectissimum vnius generis præstans perfectissimo alterius absolutè est præferendum, quomodo intelligenda. lib. de cęl. cap. 23. l. 37. 60
Raptus quot modis dicatur. de cęlo, cap. 35. fac. 2. l. 44. 69
Resistentia an in cœli motu locum habeat. libro de cœlo, capitulo 34. facciata secunda, linea 25. 68
Et vnde prodeat. ibid. l. 49.
Resistentia duplex. cap. 34. linea 1. 69
Resolutiones circulorum quomodo similes. libro de cœlo, capitulo 31. facciata secunda, linea secunda. 66

## S

SAgita non potest expelli supra cœlum. libro de mundo. capitulo 14. linea decima tertia. 13
Sapienti an facilius sit de rebus vilibus, an potius de sublimibus verba facere. de cœlor. motor. ca. 3. l. 4. 78
Secreta Dei qualia non sint indaganda; libro de cœlorum motorum, capitulo secundo. lin. 14. 78
Idem in Principe. ibid.
Sensus propriè solis mortalibus competit. li. de cęl. cap. 24. l. 31. f. 2. 60
Sententia auctoris de mundo. lib. de mund. cap. 8. l. 7. 7
Sententia propria de materia cęli. lib. de cęl. cap. 8. f. 2. l. 40. 47
Separatorū cognitio quibus vijs acquiratur. lib. de

de cælorum motoribus.capit.7.linea 2.cum seq. 80
Et ponitur opinio propria.cap.8. 81
Signa quindecim quibus probantur elementa in cælo inueniri.libro de Cælo,per totum,capitulo 3. 43
Simplicius in cælo quinque subordinata posuit.lib. de cæl.cap.15.f.2.l.11. 53
Sinistrum an distinguatur à dextro in animalibus libro de mundo. capitulo 33.faci.secunda,linea 9. 31
Sol perspicuus non est,sed eminentioris conditionis. de cælo.cap.27.l.25. 25
Sol & homo quare generant hominem.de cælo.ca. 26.l.19. 62
Sol quomodo cæteris planetis præstantior.de cælo. cap.26.f.2.l.21. 62
Soliciti an teneamur esse de diuinorum cognitione. libro de cælorum motoribus, capitulo 1. linea 4. 77
Et quomodo.cap.seq.
Sonus cælorum ex motu prouenit secundum antiquos.libro de cælo,capitulo 37.faciata secunda. l.14. 70
Et cur à nobis non audiatur.ibid.l.15.
Secundum verò propriam opinionem quomodo intelligantur.ibid.l.29. 71
Sonus non gignitur, vbi non adest percussio, & aer. de cælo,cap.37 linea 15. 71
Sonum mortalium corporum ex motu cælestium orbium prodire.libro de cælo,capitulo 37.fac.2.l. 2. 70
Sphæra octaua præstantissima.libro de cælo.c.26. l.8. 62
Sphæra quomodo accipiatur.de cælo, capi.26.lin. 1. 62
Sphæra vniuersa voluitur circa cĕtrum vniuersi. de cælo,cap.36.l.21. 70
Sphæræ quo ordine inter se complicentur. de cælo, cap.25.l.19. 61
Sphæræ octo enumerantur. libro de cælo, capitulo 25.faciata secunda,linea 39.61.& linea secunda. 62
Spiritus communis vnde spiretur, secundum veterum sententiam. libro de cælo. capitulo 25. lin. 2.l.10. 61
Et quo nomine vocetur.ibid.l.9.
Et quibus auctoritatibus probetur. ibidem.linea 14.
Spiritalis vis ex primo motore prodiens duplex. libro de cælor.motor.capitulo 20.facia.2.linea 8. 90
Stellæ primi mobilis motu sui orbis mouentur. libro de cælo capitulo 36.linea 30.& fac.2.in fi. 70
Stellæ quomodo moueantur. de cælo,cap.36. linea 14. 70
Stellæ ex se lucidæ sunt: & quare non dicantur perspicuæ,de cælo,cap.27.l.30. 63
Stoici extra mundum posuerunt immensum vacuum.libro de mund.capitulo 12.facia.2. linea 13. 11
Subiectum adæquatum celerans lucis quale.de cælo,cap.28.l.14. 64
Et quale principale.ibid.l.15.
Subiectum in scientia non ostendi, sed supponi, & quomodo intelligendum.de cæl.mot.cap.11.lin. 23. 84
Subiectum librorum de cælo. lib.de mund. in proœ. lin.32. 1
Sublimia natura nota nobis autem ignota: vilia verò è contrario. libro de cælor. motor.cap.3.f.2. l.2. 78
Sublimis est res loqui de motoribus exactè. libro de cælor.motor.capitulo 3. faciata secunda,lin. 16. 78
Substantia duplex. libro de creat.capit.7.linea 5. 108
Superis competentia duorum esse generum. libro de cælorum motoribus. capitulo 3. linea 19. 78


T


Tactus in quo positus.libro de cæl.cap.24.l.42. f.2. 60
Terminus à quo generationis, & ad quem, quales sint.libro de creat. capit. 2.linea 9.cum sequen. 104
Theologorum sententia de cælo elementis, terra, & homine,& alijs. de cælo, capitulo 43.fac.2. l.12. 76
Tria tantum perfecta. lib. de mund.capi. 40. l.1.f. 2. 36


V


Vacuum quod detur extra cælum. libro de mundo. capitulo 14.faciata secunda,linea 1. 12
Vacuum variè vsurpatur. lib.de mund.cap.13.li. 2. 12
Varietas figuræ hominis.lib.de mund.cap.31.fac. 2.l.10. 28
Varietas figurarum viuentium vnde prodeat. lib. de mundo.capitulo 31.linea. 39. 28
Varietas de mundo secundum fidem.libro de mund. cap.25.per totum. 23
Veteres consenserunt materiam mundi æternam esse. libro de mundo.capit. 15. faciat.2.linea 6. 13.
Ventus esse motus præter naturam.de cælo, ca.33. l.27. 67
Via Lactea quando Aetherea, & quando Meteorologica dici possit. libro de cælo.cap.29.fac.2. l.31. 64


Via,

*Viæ, per quas peruenitur in cognitionem separatorum a materia, quæ sint. libro de cælorum motorib. capitulo septimo, linea secunda, cum seq.* 80

*Et ponitur opinio propria. cap. 8.* 81

*Virtus competit rebus tribus modis. libro de mun. cap 41. l. 26.* 21

*Viuentia habent saltem duas animas. lib. de mund. cap 31. l. 20.* 28

*Vniuersum spiritale duplex, de cæl. mot. capit. 21. l. 40.* 91

*Vniuersum dicitur mundus. libro de mundo. capitulo primo, linea tertia, faciata secunda.* 1.

*Vniuersi conditio quæ. de cæl. mot. capitu. 15. linea 4.* 88

F I N I S.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De Mundo Liber Vnus.

### PROOEMIVM,

*In quo vtilitas considerationis Mundi, & multiplex modus considerationis eius, manifestatur.*

MVNDVS vt Dei sui Parentis, suiq; Principis est præclara imago, ita est insigne hominis exemplar, cuius inspectio ad rectam vitæ nostræ institutionem, salutaremq; hominis cum Deo conformationem, mirum in modum conducit. Propterea qui Mundum considerat, vnà cum eo Parentē Mundi, suimet exemplar, suęq; institutionis leges speculatur, & quærit, quorũ cognitione quid homini iucundius? quid honestius? quidq; conducibilius excogitari potest? & pręsertim quia Mundus ad humanę Mentis aciem perinde se habet, ac magnus quidam, & conspicuus liber arcanorum, & sapientiæ Dei, quē soli Sapientes legere sunt apti; ac insuper est sensilis, externa, & in tempore exequutio, sublimium, æternarumq; contēplationum, & prædefinitionũ opificis supra tēpus eleuati. Præterea est tēplum, & Ara, in qua excolere, & venerari tenemur Auctorem eius; & demùm est arena ingenij nostri, in qua dimicare cogimur, vt coronā victoriæ consequamur. Non itaq; iniuria animi ingenui & peregrini, Mundi nobilissimi Ciues in Mundi, tanquā cõmunis Patriæ, inspectionē libentissimè, totoq; animo conuerti tenemur; in quorum vsum, meiq; vtilitatem, præcipua capita ad Mundi notitiam pertinentia, præsertim ex Peripateticorũ sententia, mihi perlustranda proposui. Variæ profectò sunt formæ, & modi, quibus de Mundo valemus verba facere; vel .n. illum quauis ratione scientiā includēte cognoscere cupimus, quod fit per tres inspectricis Philosophiæ partes, Physicam, Mathematicā, & Metaphysicā, in quibus pertinentia ad Mundum, vt homini licet, latissimè explicantur; vel pressiùs notitiā Mundi quærimus, illumq; physicè solùm consideramus, quatenus corpus est, natura cõstans, quod quatuor modis efficere valemus; vel .n. vniuersè, & per cõmunia tantùm consideramus Mundũ, vt corpus physicum est, quod fit ab Arist. in octo libris Physicorum; vel id facimus vniuersè, & singulatim descendendo ad eius partes, & gradus omnes, quod fit in vniuersa naturali scientia; vel tertio solùm per epilogum, & compendiũ, quod modo aliquo fit in lib. de Mundo ad Alexandrũ, cuiuscunq; sit liber ille; vel demùm consideratur Mundus secundum primā eius compositionē, ex qua Mundi forma consurgit, nimirùm quatenus est vniuersum corpus physicum, consurgens ex ordine grauiũ, leuium, & neutrorum corporum, quod ego vnà cum Alexan. fieri puto ab Aristo. in quatuor libris de Cælo. De Mundo aũt nunc loquuturus, modũ hunc postremum præsertim eligam, eaq; de Mundo explicare nitar, quæ ad totum pertinent, vniuersoq; competunt: pertinentia verò ad partes eius, in distinctas partium considerationes reijciam, ordinemque seruabo, qui

*Vtilitas cõsiderationis Mundi.*

*Mundus est perinde ac Magnus liber.*

*De Mundo valemus modo vario agere.*

*Subiectum Librorũ de Cælo.*

ordini quæstionum respondet: primò enim quid sit, mox qualis, & propter quid considerabo. Placeat autem auctori Mundi, vt quemadmodum Mundus ex eo manauit, ita nos per Mundum eleuemur, & conuertamur in illum.

## *Quotuplex sit Mundus, & in qua significatione de eo agatur. Caput Primum.*

MVNDVS per quem tanquam per se sensilem imaginem Deus se hominũ sensibus offert, à Platone in Timæo, & ab Aristotele in libris de Cœlo, frequenter cum nomine Vniuersi, tum nomine Cœli denotatus fuit. Dicitur Vniuersum: quia est omnia in vnum versa. Cum tamen simul sit omniformis, & vniformis, dicitur Cœlum: tum quia totum à parte nobiliore nomen recipit, tum quia in cœlesti corpore, virtute, & eminentia, mortalia cuncta includuntur: tum quia cœlum comparatum cum mortali orbe, est tanquam forma, à qua congruenter nomen recipitur: tum demum, quia potiora eorum, quę Mundo competunt, vt æternitas, figura, splendor, & similia, ei competunt munere cœli; & præsertim Mundus nomine Cœli honestari meretur, dum consideratur, vt consurgit ex ordine simplicium corporum, cuius ordinis caput, & causa conseruans, est Cœlum. Significat Mundi nomen totum quoddam absolutum, & perfectum, cuncta modo aliquo includens, principio præditum, quo se regere, & gubernare sit aptum: & quoniam huiusmodi totum est multiplex, hinc multa nomine Mundi honestantur. Ex sententia Empedoclis duplex numeratur Mundus, vnus Sphærus, & Amicitiæ: Alter elementaris, & Litis. Ex opinione Academicorum, triplex præsertim dicitur esse Mundus: cum enim Mundi nomen, quod apud Græcos est κόσμος, ornamentum significet, quia Deus est Simplicissimus, Mundi nomine non denotatur; sed Mundorum dicitur auctor. Mundus primus ad Mentem pertinet, cui cum competant Ideæ, dicitur Mundus Idealis, & intelligibilis, vel participatus, vel non participatus, quatenus Mens, vel non participata, vel participata fuerit, hoc est, vel prima, vel non prima, & similiter Ideæ. Mundus secundus pertinet ad Animam, & præsertim ad eam Mundi, quæ est omnia per rationes, Ideis respondentes; Hinc dicitur Mundus Animarius, & rationalis. Mundus tertius consideratur in Natura, quæ est omnia per semina rationibus animæ respondentia, & dicitur Mundus seminarius, & physicus; Et quoniam Mundus est formatum Chaos, vt Chaos est Mundus informis, ideò vnicuique Mundo Chaum respondere affirmant. Primum Chaos, est essentia Mentis, antequàm conuertatur in Deum, illustretur, expetat, & formetur Ideis. Secundum est essentia animæ, antequàm munere Mentis insignatur rationibus. Tertium Chaos est Materiæ conditio, antequam per animam reddatur fœcunda seminibus. Ex his tribus Mundis, quasi ex principio, medio, & fine, mirum in modum iunctis, quartus consurgit, ex eis tanquam ex insignibus gradibus conflatus; Quibus quintum valemus addere, & erit Mundus pro origine, & causa, qualis est Deus, qui quamuis ornamentum non includat secundum formam, includit tamen eminenter, & tanquam prima causa. Theologi consentiunt cum Platone, tribuendo superæ Menti Ideas, & statuendo Mentem Mundum Idealem: dissentiunt tamen, primò quia superam Mentem non secernunt a Deo, vt multi Academicorum. Secundo, quia Mundum idealem statuunt duplicem, vnum verè vniuersum, includentem absolutè Ideas omnes, & cuncta, quæ Dei essentia Diuinæ Menti repræsentat: Alterum prædefinitum, & prædestinatum, includentem Ideas tantùm earum rerum, quas ab æterno Deus creandas prædefiniuit. Academici verò, Mundum Idealem absolutum, à prædestinato, & prædefinito non secernunt: cuilibet enim Ideæ Mentis, aliquid in sensili Mundo respondere affirmant, nam cuiuslibet participabilis, & imitabilis, dari participationem, & imi-

*Vniuersum Cœlum.*

*Mundi nomen.*

*Mũdus multiplex.*

*Triplex Chaos.*

*Theologi.*

& imitationem existimant. Peripatetici nec Ideas concedunt Menti, nec rationes insertas animæ, & ideo de Mundo longè secus sentiunt, ac Theologi, & Academici: concedunt tamen ipsi quoque, & Mundum propriè sumptum, & Mundum per metaphoram dictum, qualis est Homo, & vnumquodque animal, quod Mundus paruus ab Aristotele octauo Physico. 17. nuncupatur. Vt autem omnes & propriè, & per metaphoram dicti Mundi in ordinem redigantur, ita dicendum puto. Mundus vel est eminens, vel ex eminente pendens; Mundus eminens est Deus, qui cæterorum origo, & principium est; Mundus ex eminente pendens, vel est incorporeus, vel corporeus, Incorporeus vel ad Mentem pertinet, vel ad animam; si ad Mentem, vel non participatam, vel participatam; si non participatam, consurgit Mundus Idealis non participatus, qui ex sententia plurimorum Academicorum est in Mente prima, sub Deo posita, ex Deoque pendente; ex sententia verò Theologorum, reperitur in Deo, & ad eminentem redigitur, & hic est duplex; vel Idealis absolutè, vel prædefinitus, ac prædestinatus. Si verò fuerit Mens participata, consurgit Mundus Idealis participatus; Si autem pertinet ad animam, consurgit ex Platone (vt dixi) Mundus animarius, & rationalis. Ex aduerso, si Mundus fuerit corporeus, vel est potestate, qualis ex Platone est materia seminibus prædita, Mundum seminarium constituens; Vel est actu, qui est vniuersus, vel absolutè, qualis est hic totus corporeus Mundus, qui sen su vsurpatur: vel est vniuersus in parte, & hic est duplex, vel æternus, & huiusmodi est Cœlum, quod nuncupatur Mundus Lucis, & æthereus: Vel mortalis, & hic quoque duplex est, vel vniuersus mortalis orbis, qui Mundus Tenebrarum, & Litis nuncupatur, vel pars, & hæc est duplex, vel rationis expers, sic omne animal, vt totum quoddam se regens, & mouens ab Aristotele in octauo Physic. 17. Mundus paruus dicitur, vel est compos rationis, qualis est homo, qui Mundi imago, Mundorumque omnium epilogus & hymeneus nuncupatur. Et maxime animalium omnium meretur Homo nomine parui mundi honestari, idque ob quatuor causas; Primò, quia est animal ratione, & liberè se mouens: Secundò, quia partem modo aliquo includit omnium, quæ in vniuerso reperiuntur, cum mortalium, tum æternorum, & ob id valet omnem vitam viuere: Tertio, quia solus secundum dispositionem Vniuersi est constitutus, nam caput ad sydera tollit: Quartò, quia aptus est per intellectum fieri omnia, munere cuius potest dicei omnia per imitationem, idque tribus modis ei competit, vel potestate tantùm, vt puer, vel tantùm habitu, vt Sapiens dormiens, vel habitu, & actu, vt Sapiens speculans, vt elicitur ex tertio de Anima 37. De hoc humano Mundo, sola humana ratione ducto, intelligi posse puto id, quod legitur in Euangelio Ioannis: & Mundus eum non cognouit. Ex sententia Platonis, singula Elementa (vt elicitur ex appendice Legum) Mundi nomine denotari merentur, quatenus singula sunt prædita anima, & modo quodam, cum per animæ rationes, tum per corpus cuncta includunt, non enim sunt pura, sed partem includunt cęterorum Elementorum: hoc tamen alienum est à sententia Peripateticorum. Plantæ non sunt dignæ honestari nomine parui Mundi, quia cognitione, tanquam postrema perfectione, carent; non spontè motu secundum locum, mouentur, & dispositione sunt prædita aduersa dispositioni Mundi: nam caput habent depressum, & conuersum ad centrum, nempè radices. Ex his hactenus enumeratis Mundis, quia ordine quodam sunt præditi, & ligati, vnus consurgit Mundus, qui absolutè, & singulis modis est Vniuersum; Patet itaque & Deum, & Mentem, & Animam, & Naturam, & Cœlum, & Mortalem orbem, & quoduis animal, & præsertim Hominem, Mundum esse, & demùm conflatum ex omnibus enumeratis Mundis, quod absolutè nomine Mundi, & nomine Vniuersi denotatur, de quo ego verba faciens, quatenus ex ordine grauium, leuium, & neutrorum consurgit, præsertim id considerabo.

*Peripatetici.*

*Mundorum ordo.*

*Cur Homo præcipuè sit Mūdus paruus.*

*Planta cur non parui Mundi nomen mereātur.*

## *Definitio Mundi.* Cap. II.

DEFINITIO est aptissimum principium scientiæ, explicat enim omne genus causæ, ex quo pendet scientia rerum; ideò rerum definitiones tenemur accuratè considerare. Variæ circumferuntur mundi circumscriptiones, quarum nonnullæ per metaphoras sunt traditæ, & ad Rhetorem magis, quàm ad Philosophum pertinent: aliæ per principia magis propria, & physica. Ego a leuioribus ordiar, vt faciliùs exactiorem inueniamus. Per

*Circumscriptiones per Metaphoram.*
*Cicero.*
*Plotinus.*
*Orpheus.*
*Plato.*

Metaphoram circumscribitur Mundus à Cicerone in secundo de Natura Deorum, quòd sit quasi communis Deorum, atque hominum Domus, aut Vrbs vtrorumque; Soli enim ratione vtentes, iure, ac lege viuunt. Describitur à Plotino Enneade quarta, quòd sit fœmina Promethei exornata: fœmina dicitur, quia materiam includit, ea tamen per Dei Prouidentiam ornata, & formata est. Insuper ex Orphei sententia describitur, quòd sit formatũ Chaos, vt Chaos è contrario dicitur Mundus informis. A' Platone in Timęo dicitur Animal magnum, Intelligens, re vera diuina Prouidentia constitutum. Et ex Academicis variæ eliciuntur consimiles circumscriptiones, veluti quod sit corporea, visibilisque imago, incorporei inuisibilisque Dei; quòd sit corporeus, ac sensilis, incorporei, insensilisque Dei filius, vt enim Deus dicitur Mundus incorporeus, ita Mundus, corporeus Deus. Insuper Mundus dicitur magnus, & visibilis liber, diuinam Sapientiam per Physicos caracteres nobis repræsentans, & patefaciens. Ex Pimandro

*Mercurius termaximus.*
*Epicurus.*

termaximi Mercurij sermone 12. hæc colligitur Mundi descriptio. Mundus est magnus Deus, imago maioris, iunctus illi, Patris ordinem, & voluntatem seruans, vitæ totius integra plenitudo. Epicurus ex relatione Diogenis Laertij, in eius vita, descriptione satis longa ita Mundum circumscripsit. Mundus est Cœli quædam continentia, Stellas, Terram, & quæ videntur omnia continens, abscissionemque ex infinito habens, in finemque desinens, siue rarum, siue densum, quo soluto, quæ in eo sunt omnia confusionem accipient, & desinens aut in eo, quod circum agitur, aut quod instantiam habet, vel rotundam, vel triangularem, vel quamcunque circumscriptionem, omnibus enim modis fieri potest. Hæc ille. At huiusmodi definitio, nec arte traditur, nec magna ex parte vera est, cum multa falsa supponat, consentanea solum atomis, immenso vacuo, & alijs principijs, ab eo, & Democrito perperàm approbatis. Potest etiam aliter Mundus describi, quod sit sensilium insensiliumque specierum plenitudo, & ordo.

*Cleomedes.*

Cleomedes sub initio sui libri de Mundo dixit. Mundus est ex Cœlo, Terraque, necnon naturis, quæ eis compræhenduntur, opificium. Auctor libri de Mundo, ad Alexandrum, quicunque sit, satis accommodatè Mundum ita descripsit, Mundus est compages, è cœlo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur. Insuper alteram descriptionem addidit, inquiens, dicitur, & aliter Mundus vniuersorum ordo, & digestio, a Deo, & per Deum seruata, & hæc satis de circumscriptionibus à vetustioribus traditis.

*Quõ ex sententia Aristotelis Mũdus definiẽdus sit.*

Accedamus ad Aristotelem, & perpendamus quomodo ex eius sententia debeat Mundus definiri. Nonnulli aiunt cum Aristotele ita esse definiendum, Mundus est Corpus compositum ex omnibus corporibus sensilibus, & physicis, sphęrica figura contentum. Qui ita definiunt, cum nitantur explicare materiam, & formam, in vtrisque aberrant; in forma primò, quia aiunt Mundi formam esse figuram, quod verum non est, non enim figura ea est, quæ dat esse Mundo; vt vero pertinet ad materiam, satis fuisset dicere, quòd constet ex omnibus corporibus physicis. Prætereà diminuta est definitio, cum careat efficiente, saltem conseruante, & fine. Aristoteles in primo de Cœlo 97. inquit, Mundum esse totum, ab extrema contentum circumlatione; & in contex. 107. ait, Mundum esse totius consistentiam: at tunc Aristoteli non est curæ

*Sententia propria.*

definitionem tradere numeris omnibus absolutam, sed quid nomine cœli denotet, breuibus patefacere. Dicamus itaque (ab Aristotele non recedentes) quod Mundus, cum

sit sub-

sit substantia cōposita, propriè, & præsertim per interna definiri debet; & quia ex alio pendet, non quidem vniuoco, id apparere debet, ex quo pendet; & quoniam ex alio non temerè, sed alicuius finis gratia pendet, finis quoque debet patefieri. Forma propria Mundi (vt suo in loco patebit) ordo est, materia proxima sunt corpora physica; id, ex quo ordo eius pendet, Deus est, ideò inquit Aristoteles in septimo de Repub. cap. 4. seruare ordinem, est munus diuinæ potentiæ, quæ hoc vniuersum continet. & nono Metaphysicæ 17. ait; nisi darentur substantiæ separatæ, non daretur ordo: Deus cum primi ordinis corporum sit principium, etiam eiusdem est finis, cum omnia quærant bonum, vnde prodierunt. Ex his hanc elicio definitionem. Mundus est ordinata series cunctorum natura constantium à Deo, & per Deum seruata. Dicitur ordinata series, vt pateat forma, quæ est ordo, non ordinans, qualis est in mente Ducis, sed ordinatus, vt in exercitu. Additur cunctorum natura constantium, est enim ordo vniuersorum Physicorum corporum, grauium, leuium, & neutrorum, & ita secundo loco explicatur Materia. Additur tertiò Efficiens, non quidem propriè ex sententia Aristotelis, sed conseruans, & demùm finis communis, qui est Deus. *Definitio.*

## *De multiplici Mundi forma, & præsertim ordine.* Cap. III.

SENTENTIA est Aristotelis in primo de Cœlo, quòd qui dicit Cœlum, dicit formam; qui verò hoc cœlum, dicit formam cum Materia, denotans nomine cœli Mundum, vt semetipsum declarat. At quę nam sit huiusmodi forma Mundi, non leuis est dubitatio. Nonnulli aiunt Mundo formam vnam non competere, cum sit conspiratio quædam cunctarum specierum, quæ actu sunt, & completæ; in rę autem, quę actu est, & completa, forma aliqua substantiæ recipi nequit. At hoc apprimè est dubium, quia Mundus substantia est, & actu vnus, vnum autem actu, per formam est vnum. Præterea cum dicendo cœlum denotetur forma, & cœlum inter substantias numeretur, necesse est, vt eius etiam forma ad substantiam pertineat: ideò quę sit huiusmodi forma, apprimè dubium est. Sex excogitare valemus, quæ videntur posse dici formæ Mundi: ea autem sunt figura eius, Deus, pars ætherea, Anima Mundi, essentia Mundi, quæ dicitur forma totius, & demum ordo. Putant recentiorum nonnulli formam Mundi esse figuram sphæricam, Mundum claudentem; & hanc aiunt denotasse Aristotelem in primo de Cœlo dicentem, qui dicit cœlum, dicit formam, quod subindicauit Auerroes contex. 92. inquiens, & dixit omne habens formam, & figuram, &c. Quam sententiam leuissimam puto, tum quia Mundus est substantia, figura est accidens, tum insuper, quia dicendo cœlum cum formam denotamus, quæ est eius essentia, & vniuersale constituit contradistinctum à singulari, & sensili, vt dicendo Carnem, denotamus vniuersale, & essentiam carnis, ad substantiam pertinentem; tum demum, quia omnes fatentur dari Mundum, non autem omnes putarunt esse sphæricum, vt patet ex secundo de Cœlo, adeò, vt sine ea figura, saltem imaginatione seruari posse pateat essentiam Mundi. Nec magis cœlum figuram propriā exposcit, quam Homo, & Equus: nemo tamen sanæ mentis diceret, quòd Homo, & Equus figuram propriam denotēt: est itaque sphærica figura, forma quædam Mundi, at forma, quæ est accidens, non largiens esse Mundo, quæ forma ne dum Mundo, verum etiam singulis cœli orbibus competit, adeò vt non Mundo competat, quia Mundus est, sed quia ab Aethereis orbibus clauditur, quorum omnium figura sphærica est. Propterea alij inquiunt, Mundi formam esse Deum, cum enim Deus sit prima forma, profectò non vllius alterius, sed primi formati forma censeri debet; & cum sit forma vniuersa, solùm vniuersi debet putari forma, ita Deus dicitur omne, quod vides, & quod non vides: hoc videtur denotasse Aristoteles 12. Metaphysicæ 49. inquiens, si plures essent Mundi, plures essent primi motores, adeò vt formam Mundo responden-

*Quæ sit forma Mundi.*

*Sex dici possunt formas Mundi.*

*Opinio quorundam.*

*Euersio.*

*Secūda opinio.*

*Euersio.* tem denotauerit esse Deum. Et Auerroes in primo de Cœlo comm. 95. inquit, si per cœlum denotamus partem æthercam, intelligentia est forma eius. At hæc non est ea forma, quæ modò quæritur, Deus dicitur quidem forma, quia actus est, at forma assistens Mundo; non forma, quæ sit essentia Mundi, & denotetur nomine Mundi: vt enim dicens, Nauis, non significat Nautam; ita dicens, Mundus, non significat Deum. Præterea Aristoteles in primo de Cœlo ait, formam Mundi esse mixtam cum vniuersa materia: at Deus abiunctus omninò est, & in primo orbe esse dicitur. *Academici* Academici Mundum aiunt anima præditum, & viuere, hinc Mundum inquiunt Animal magnum, & multa dicunt de anima mundi, varijsque rationibus eius necessitatem patefacere nituntur, quas *Euersio.* modò silentio prætereo. Hanc Peripatetici non concedunt, nec aliam mundo præter assistentem Deum putant communem animam competere, & iure profectò: dum enim partes seorsùm propria anima sunt præditæ, non est necessaria distincta anima, partes illas nectens, eisque distinctam vitam tribuens, & præsertim per concessa à Platone, ea necessaria non videtur, quoniam singulas elementorum sphæras, propria anima iudicat esse præditas: quare superuacanea est anima communis, ab ea distincta. Huc accedit, quod si anima superueniens est necessaria, ea deberet includere vlteriorem aliquem & eminentiorem vitæ gradum, semper enim forma, antecedenti adueniens, aliquid ei superaddit, & præstantior est: at ex sententia Platonis anima Mundi non est gradus eminentior, sed eas solas facultates includit, quibus animæ singulorum elemento- *Opinio quarta.* rum præditæ sunt, sed de hoc alibi. Ideò est quarta opinio Auerrois comm. 95. primi de Cœlo, dicentis, si nomine Cœli intelligimus Mundum, pars æthcrea est forma eius, pars elementaris materia: si verò intelligimus partem solam æthercam, sic intelligentia est forma, orbis verò materia. Prima conclusio facit quidem ad rem, nam Aristoteles nomine Cœli in primo de Cœlo, Mundum denotauit, falsa tamen est, quoniam Aristoteles accipit cœlum, vt contradistinctum ab hoc cœlo, huiusmodi non est pars æthcrea, non enim cœlum denotat solam partem æthercam, hoc cœlum eam iunctam cum parte elementari, neque ea est forma mixta cum materia mortalium, sed distincta, & secreta, neque ex se est vniuersale, & intelligibile, iuncta cum elementis singulare aliquid, & sensile, cum in parte vtraque & singulare, & vniuersale inueniatur. Præterea Aristoteles loquitur de ea forma, cuius materia sunt, non quatuor elementa, sed omnia sensilia corpora, inter quæ etiam cœlum numeratur. Demum Aristoteles ait, cœlum esse formam in materia, quia est sensile, & omne sensile est in materia: at pars æthcrea non cadit sub sensum, quia sit in quatuor elementis, sed seorsùm ab eis sensilis est. Altera conclusio, quòd loquendo de parte æthcrea; forma, per quam sit intelligibilis, sit intelligentia, nec ad rem facit, nec vera est: ad rem non facit, quia vt constat, Aristoteles nomine cœli denotabat Mundum, ita enim se declarat in primo de Cœlo 97. non est autem vera, quoniam Aristoteles loquitur de forma mixta cum materia, constituente cōpositum, cadens sub sensum; intelligentia autem non est huiusmodi. Propterea est *Opinio quinta.* opinio quinta, quòd forma cœli, Mundum denotantis, sit essentia Mundi, quæ forma totius dicitur, & vniuersale constituit: hoc significauit Auerroes comm. 92. inquiens, quòd forma cœli constituens vniuersale, est cœlitas, hoc est, propria essentia, & Natura cœli, contradistincta ab eis, quæ non attinent ad eius essentiam, & dicitur forma totius, quæ perperàm à nonnullis reijcitur. Hæc sententia profectò vera est: re vera enim Aristoteles per formam cœli contradistinctam ab ea cum materia iuncta, constituente singulare, denotauit essentiam, & formam totius, quæ vniuersale est, ad intellectum pertinens, excludens materiam totius, quæ includit accidentia indiuiduantia: & quamuis Auerroes rectè hanc formam totius, quæ essentia est, subindicauerit, vt dixi, errauit tamen intelligens nomine cœli partem æthercam, non autem Mundum, & minus rectè eam essentiam explicans: sed hoc considerandum superest, quæ nam sit hæc Mundi essentia, & præsertim quia in compositis essentia, & forma totius videtur ex forma partis præsertim consurgere: ideò an Mundo hæc forma competat, & quæ sit,

decla

declarare tenemur. Auerroes varia inspiciens, modò figuram, modò intelligentiam, modò æthereum corpus esse dixit, vt patuit: at nil eorum re vera est forma constituens propriam essentiam Mundi. Propterea est opinio sexta Alexandri in secundo Natu.q. cap. 19. asserentis, hanc Mundi formam esse ordinem essentialem corporum conspirantium ad eius constitutionem: quam sententiam rectè sumptam ego verissimam puto; nam hæc est ea forma, per quam Mundus est Mundus, à Chao contradistinctus; Mundus enim est ordo partium eius, Chaos verò est confusio earundem, hic vniuersalis ordo est ea forma, quæ est mixta cum materia, & cuius conditio est, vt includat vniuersam materiam. Quod varijs rationibus confirmari potest, & primò, vniuersa forma corporum naturalium, Natura quædam communis, & vniuersalis esse debet; Natura enim primò de forma dicitur, at ordo est natura rerum, vt dicitur tertio Cœli 24. ordo itaque est forma communis eorum, & dum secatur Natura in vniuersalem, & particularem, nomine vniuersalis Naturæ, hunc communem causarum ordinem intelligere debemus, qui etiam nomine vniuersalis fati, distincta tamen ratione designatur. Nam ea est forma Mundi, quæ inest in vniuersa materia, huiusmodi est solus ordo, qui in omni corpore physico, graui, leui, & neutro locum habet. Præterea, inquit Aristoteles contex. 107. primi de Cœlo, ex elementorum concursu, non quiuis, sed idem semper consurgit ordo, indicans ordinem esse formam, per quam Mundus est Mundus. Præterea id a quo res habet, vt actu sit vna, forma eius est: at ab ordine locorum, & corporũ manifestauit Aristoteles in primo de Cœlo, Mundum habere, vt vnus sit; Inquit enim, tria sola esse subordinata loca, triaque communia genera corporum, grauia, leuia, & neutra, ex quibus cum vnicus consurgat ordo, vnicus est Mundus. Insuper ea putanda est forma Mundi, quæ per Mundi definitionem explicatur; huiusmodi autem est ordo, nam in libro de Mundo ad Alexandrum, definitur Mundus, quòd sit rerum ordinata compages. Præterea inquit Aristoteles in octauo Metaphysicæ, context. 10. essentias rerum se habere perinde, ac numeros; conditio autem numeri est ordo, quare essentia rerum ad vniuersi constitutionem conspirantium, erit ordo; id autem, quod est essentia alicuius, ad formam pertinet; ordo itaque est vniuersi forma, & propterea Natura, quæ à Deo est ordinata, etiam causa ordinis esse dicitur, in octauo Physico. 16. & in 12. Metaphysicæ 52. collocata in Mundo subordinata dicuntur, & in Mundo, vt in exercitu ordinem reperiri asseritur; ordo autem est forma exercitus ex Duce pendens, ordo itaque est forma, & essentia Mundi.

*Opinio Alexandri.*

*Cōfirmatio.*

## *Dubia aduersus id, quod ordo sit forma Mundi. Cap. IIII.*

ADVERSVS approbatam sententiam, quòd ordo sit forma Mundi, variæ nec quidem leues emergunt difficultates: & primò, ordo est mutua ratio partium inter se, & ad vnum primum, ex quinto Metaphysicæ 18. hæc autem accidens est, quomodo igitur accidens statuitur forma Mundi? nam si id erit, formica erit præstantior Mundo, cum forma formicæ sit substantia, & anima. Præterea forma, quæ est essentia rei, consimilis est in toto formato: at ordo & in cœlo, & in elementis varius est, cum varia, & distincta sit ordinatorum ratio. Insuper ex coniunctis solo ordine, non verè consurgit vnum, nisi per congregationem, vt exercitus: at Mundus iam verè est vnus, vt conditio eius sit, vt sit vnus. Inquiunt nonnulli Mundum non esse vnum secundum se, sed solum secundum per accidens, & vnitate aggregationis, & ob id formam eius esse accidens, quia ex multis actu, verè vnum consurgere non potest. Hanc sententiam apprimè dubiam puto, nam si id esset, non alia esset vnitas Mundi, quàm exercitus, quod videtur absurdum: quia inter partes eorum, quæ per solam congregationem sunt vnum, non reperitur naturalis

*Prima dubitatio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Opinio quorundam, & euersio.*

lis consensio, & dissensio, qualis inter mundi partes conspicuè apparet. Insuper in eis vnum non dicitur forma alterius: at in Mundo pars superior semper dicitur forma inferioris, & ob id ait Aristoteles in quarto de Cœlo 22. ire ad locum, est ire ad formam suam. Præterea si Mundus per formam constitueretur, quæ esset accidens, profectò primò significaret accidens, nomen enim primò significat formam, hoc autem est absurdum: quia tunc Mundi nomen non denotaret primò perfectum & absolutum aliquid, sed accidens: quod confirmatur, quia Aristoteles in primo de Cœlo 96. referens primam significationem nominis Cœli, ait, denotare substantiam extremæ conuersionis, quare etiam alijs duabus significationibus substantiam significare debet, quarum significationum vna est pro Mundo vniuerso. Propterea dicendum puto, ordinem esse triplicem, vnum ordinantem tantùm, vt Ordo Prouidentiæ in Dei Mente: Alterum ordinatum tantùm, vt ordo operum Naturæ, de quo dixit Aristoteles in octauo Physic. 16. Naturam esse causam ordinis: Tertium ordinantem, & ordinatum, qualis est ordo Naturæ, & rerum natura constantium, qui relatus ad Deum, est ordinatus, de quo dixit Simplicius in secundo Physic. Deus cum vtatur Natura, cuncta pro iure, & æquitate dirigit, & ob id Arist. in primo de Cœlo 32. enunciauit Deum, & Naturam nil efficere frustra; Et Auer. 12. Metaphysicæ 18. Naturam asseruit dirigi ab Intelligentia non errante: at si Natura refertur ad opera sua, dicitur ordo ordinans, vt dixit Aristoteles in octauo Physic. 15. inquiens, Naturam esse causam ordinis. Cum itaque Natura sit per Dei Prouidentiam ordinatus ordo, huiusmodi ordo consideratur dupliciter, vel pro mutua ratione partium inter se, & ad vnum primum, quæ est accidens; vel pro essentia rerum ordinatarum, & fundamento mutuæ rationis, in cuius ratione ordo est. Mundus denotat formam, hoc est, ordinatum ordinem, non in prima significatione, in qua est accidens, sed in secunda, in qua est ordinata essentia rerum, non constituta per aliam superuenientem substantialem formam, sed ex ordinatis rebus consurgens. Hinc colligo, quòd Mundi forma, vel est accidens, vel substantia; si consideratur forma, quæ est accidens, huiusmodi est figura sphærica, & ordo pro mutua ratione sumptus; si autem consideratur forma, quæ sit substantia, vel est forma secundum similitudinem, vel propriè; secundum similitudinem aliquam, forma dicitur Deus, & pars æthereа; propriè verò, & proximè, forma est essentia Mundi; quæ etiam dicitur forma totius, & est ordinata series essentiæ rerum, quæ per Mundi definitionem explicatur, dum dicimus, Mundum esse ordinatam rerum compagem. Consimilem formã sumptam pro essentia denotauit Aristoteles in quarto Metaphysicæ, disputans contra Heraclitum, dicentem, cuncta fluere, dum asseruit res fluere secundum quantum, hoc est, secundum singularia, seruari secundum quale, hoc est, secundum formam, & essentiam. Eandem etiam denotauit in primo de ortu, & interitu, dum dixit seruari id, quod crescit, & augeri cunctas eius partes, dum considerantur secundum formam, hoc est, secundum essentiam absolutè, non autem dum considerantur secundum materiam, hoc est, signatas & definitas partes. Sed oritur dubitatio, quia res ordinatæ sunt materia Mundi, non forma: Respondeo naturæ rerum consideratæ pro esse absoluto, distincto ab inuicem, & iuncto cum varijs accidentibus, sub sensum cadentibus, sunt materia: consideratæ verò cum hac reduplicatione, vt ordinatæ secundum essentiam, sunt ea forma, quæ est conditio, Natura, & essentia Mundi. Verùm adhuc instatur, quia ex pluribus actu, non consurgit per se vnum. Respondeo, ex eis vt distinctis secundum propriam rationem non fit vnum, sed ex eis, vt aptis ordinari, vt participantibus conditionem vnius primi principij, cuius sunt participationes, & tanquam se perficientibus, & perfectibilibus, ita consurgit vnum ordinatum, cuius essentia est vna, per vnam definitionem nata explicari. Hic ordo reperitur in Deo, tanquam in origine, & duce, vt asseritur in 12. Metaphysicæ 52. Et in septimo de Repub. cap. 4. legitur, seruare ordinem, esse munus diuinæ potentiæ, quæ hoc vniuersum continet. Reperitur mox in secundis Mentibus, vt in causis proximioribus, & minus communibus, ideo dicitur

*Opinio propria.*

*Forma Mũdi accidentalis.*

*Forma quæ est substantia.*

*Dubitatio.*

in nono

in nono Metaphysicæ 17. nisi darentur substantiæ separatæ, non daretur ordo. Reperitur tertiò in corporibus natura constantibus: & demùm in operibus naturæ. A Deo in Intelligentias, & ab his in cœlestia corpora manat ordo firmus penitus, & constans: dum descenditur ad mortalia, seruatur ordo constans in rerum essentijs, variatur autem in particularibus. Hinc dicitur in quarto Metaphysicæ contra Heraclitum, mortalia variari secundum quantum, seruari secundum quale, hoc est, secundum essentiam rerum. Initium recipit ordo a Deo; descendit per Intelligentias, Cœlum, Elementa, Mixta, Animæ expertia, Plantas, Animalia, & Hominem, qui vt ex parte corporis est origine postremus, ita ex parte Mentis, nectitur cum principio, nempè cum Deo, & exactum circulum Vniuersi absoluit. At instabatur: quia forma est consimilis, & simplex essentia; subordinatio essentiarum non est talis. Respondeo, eam esse talem ex parte communis essentiæ, & naturæ eius, quatenus secundum omnes gradus est subordinatio, quæ vnica definitione explicatur: ob quam consimilitudinem Mundus cum sit omniformis, etiam est vniformis, & eius forma maximè omnium est formalis, cum includat gradus cunctarum formarum; ex quo etiam patet solutio tertiæ difficultatis. *Forma Mũdi maxime formalis.*

## *De materia Mundi, & quid denotent Mundus, hic Mundus, & esse Mundi.* Cap. V.

QVONIAM Mundus ex sententia Aristotelis in primo de Cœlo 91. est forma in materia, ideò, vt vario modo eius formæ assignantur, ita modo vario putandum est ei competere materias. Academici in omni Mundo, etiam in Intelligibili, & Ideali, Materiam considerarunt, cuius solum Deum putarunt esse omninò expertem, quem supra Intelligibilem Mundum esse eleuatum asseruerunt: At ipsi nimium latè Materiæ nomen vsurparunt. Ideò nunc sermo erit de veriore Materia, solis corporibus competente, relatisque Mundi formis respondente. Et primò, Si forma sumitur pro Deo; vniuersus corporeus Mundus obtinebit conditionem Materiæ, proximè tamen Deo (ex sententia Aristotelis) dicitur respondere primum mobile. Si nomine formæ intelligimus orbiculatam figuram; Materia eius similiter erit vniuersus corporeus Mundus, & præsertim pars ætherea, cum ei primò, & per se huiusmodi figura competat. Si autem per formam intelligimus partem æthercam, Mundus elementaris erit materia eius. Si vsurpatur forma pro ordine, qui sit ratio partium ad inuicem, & ad vnum primum, quæ ratio sit accidens; ita Materia eius erunt cuncta, quæ illi ordini subijciuntur. At si demùm nomine formæ denotatur subordinata series essentiarum rerum, quæ propriè significatur, dum dicitur Cœlum, siue vniuersum; tunc materia Mundi erunt corpora physica sub sensum cadentia, includentia accidentia propria, quæ sint præter essentiam rerum: huiusmodi materia denotatur ab Aristotele per grauia, leuia, & neutra: eandem expressit Plato in Timæo, inquiens, Deus, quicquid erat, quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit, non tranquillum, & quietum, sed temerè agitatum, & fluitans, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem, &c. Hæc mundi corporata materia dupliciter considerari potest, primò vniuersè, vt grauis, leuis, & neutra, ac ita in tria capita redigitur, & id fit: quia per grauitatem & leuitatem elementa in Vniuerso, proprium ordinis locum adipiscuntur & seruant. Secundò, consideratur materia Mundi, considerando corpora non vt per tria loca distributa, sed quatenus vniuersè gradus omnes essentiæ complent: & distribuuntur in Simplicia, Mixta, Animæ expertia, Viuentia, & Animalia, ex quibus, vt ex materia proxima Mundi absolutio consurgit: adeò vt in proxima Mundi constitutione, consideretur vnus supremus Materiæ gradus, eius præstantissimæ Formæ respondens, qui cæteris compositis non competit; & est gradus rerum in sua specie absolutarum, secundum propriam essentiam ordinabilium, vt primi

*Academici.*

*Materia Mundi prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.*

*Plato.*

*Præstantissimus gradus Materiæ Mundi.*

primi vnius, nempè Dei sunt participationes. Ex Materiæ Mundi, & Formæ explicatione, elicitur, quomodo id intelligi debeat, quod dicitur ab Aristotele in primo de Cœlo 91. Aliud esse Cœlum, & hoc Cœlum. Pro cuius notitia considero tria subordinata, hoc Cœlum, Cœlum, & esse Cœli. Similiter, hæc Caro, Caro, & esse Carnis, de quibus videtur Aristoteles pugnantia proferre: nam in primo de Cœlo, ait, quòd Caro denotat formam: hæc Caro, Formam cum Materia iunctam. In tertio de Anima, contex. 9. inquit, Carnem denotare compositum, & non esse sine Materia, vt Simum. Propterea dico, hæc Caro significat essentiam, ac Formam totius, cum accidentibus iunctam, quæ sunt præter essentiam, attinentia ad materiam totius; Caro significat formam totius, & essentiam, ex materia partis, & Forma consurgentem, Esse carnis denotat Formam partis. Aristoteles in primo de Cœlo comparat Carnem, cum hac Carne, & ait, denotare Formam, nempè totius: in tertio autem de Anima, comparat Carnem, includentem materiam partis, cum esse eius. Hæc tria in omni essentia conflata ex materia & Forma, distinguuntur, dummodò accipiatur natura speciei: nam sumendo indiuiduum, vt Socrates, idem est Socrates, & hic Socrates, non enim dicere possumus, quòd distinguatur natura speciei ab ea indiuidui, cum ambo indiuidua sint. Differt tamen Socrates, & esse Socratis, quia esse denotat solam Formam, illum constituentem; Hinc rectè Themistius in digr. 20. contex. 3. de Anima dixit: Aliud sum ego, & esse mei. In secretis autem penitùs à materia, ea tria in idem veniunt: nam idem est Deus, hic Deus, & esse Dei. In simplicibus Materiatis, idem est materia, & esse materiæ, Forma, & esse Formæ, vt in octauo Metaphysicæ contex. 8. asseruit Aristoteles de Anima. Forma tamen, & hæc Forma, similiter materia, & hæc materia, differunt: quia dum additur hæc, denotantur accidentia indiuiduantia, quæ sunt præter essentiam. De Mundo loquendo, Mundus, & hic Mundus, distinguuntur: Mundus enim solam essentiam denotat; hic Mundus, eam denotat iunctam cum accidentibus proprijs eius. At Mundus, & esse eius, non distinguuntur, quia non adest forma partis distincta, quæ sola per esse denotetur. Similiter de orbe Lunæ, & alijs dicendum est: nam orbis Lunæ, & hic orbis Lunæ, distinguuntur: quia orbis Lunæ est essentia speciei, hic orbis, est iuncta cum eius accidentibus: At esse orbis Lunæ, non distinguitur, quia est corpus simplex, solùm distinguitur considerando illum orbem vt viuentem. At dices: Si orbis Lunæ, & hic orbis, distinguuntur; igitur poterunt numero multiplicari. Respondeo, multiplicari non posse, quia constat ex tota suæ speciei materia, nam orbium distinctorum ordine quodam distincta est materia, vt in præcedentibus patefeci: qua consideratione dicimus, primò reperiri corpus simplex æternum, mox contenta sub eo: in contentis, Primò reperitur materia prima; Secundò, quatuor simplicia corporea elementa; Tertiò, mixta consimilium partium, siue imperfecta, siue perfecta, vt Meteorologica, Metalla, & Fossilia; Quartò, Mixta dissimilium partium, quæ sunt materia proixma viuentium, & sunt ea, quæ Membra nuncupantur, veluti Caput, Manus, & similia; Quintò, ex his rerum speciebus Mundus consurgit, adeò vt Plantæ quoque, & Animalia hac consideratione dici possint materia Mundi, qua etiam consideratione Mundus est magis compositus, quàm quoduis aliud corpus, Mundus enim solus includit quintum hûc materiei gradum, munere cuius dicitur Vniuersum, quem cætera non includunt.

*Controuersia in Arist.*

*Mundus & hic Mũdus.*

*Ordo materierum.*

## *De causa efficiente, & fine Mundi.* *Cap. VI.*

MVNDVM esse factum quodam primorum corporum fortuito concursu, per naturam, sine cognitione, sineque vllo primo dirigente, existimarunt Democritus, Leucippus, & Epicurus, qui ex Atomorum concursu in immenso vacuo gigni putarunt; necnon Empedocles, qui ex quatuor Elementorum necessaria, & cœca conspiratione, dominante Lite, vel Amicitia, asseruit constitui: vel ex actione Ignis, vt Heraclitus. Quorum opinio, con-

*Democritus.*

sensione

ſenſione Pythagoræ, Platonis, & Ariſtotelis reijcienda eſt: omnes enim rectè ſentientes de hoc conſentiunt, Mundum pendere ex Deo, tanquam ex primo Duce, primoq; Parente. *De Modo quo Mũdus ex Deo pendet.* At de Modo ſententiæ ſunt variæ: nos cum Theologis diuino lumine illuſtratis, conſtanter credimus, in principio temporis ab æterno, Dei Sapientia prædefinito, creaſſe Deum cęlum, & terram, hoc eſt, creaturas inſenſiles, & ſenſiles. Philoſophi tamen humana ratione ducti, in varias iuere ſententias. *Anaxagoras.* Anaxagoras dixit, Deum, & Chaos primò infinito tempore quieuiſſe: mox cœpiſſe Deum, ſiue ſupernam mentem mouere, & in ordinem redigere Chaos. *Plato.* Plato, vt ei tribuit Ariſtoteles, ſatis ſimilis fuit opinionis, dixit enim Diuinam mentem ex cunctis ſenſilibus corporibus inordinatè motis, quaſi ex Chaò genuiſſe Mundum, quem ambo putarunt mox ſeruandum æternum. *Ariſt.* Ariſtoteles Mundum cenſuit ingenitum, & omni ex parte æternum. Quem cum ingenitum poſuerit, quomodò putet ex Deo pendere? Duæ ſunt interpretum eius opiniones. *Opinio D. Tho.* Aiunt nonnulli, ex Ariſtotelis ſententia Mundum æterna quadam emanatione prodijſſe ex Deo; ac ita Mundum aiunt non verè genitum, ſed æterna emanatione in eſſe conſtitutum, & continenter ſeruatum, ac ob id Mundo aiunt competere cauſam efficientem. Ex horum numero eſt Auicenna, Algaz. D. Tho. Simplicius, & alij multi. *Opinio Alexandri.* Alij ex aduerſo, omninò negant Mundo competere cauſam efficientem, & æternam emanationem, ſed ſolùm cauſam conſeruantem, cuius opinionis præſertim fuit Alexander, quam ego in libro de Creatione approbaui, & ob id definiens Mundum; dixi, non factum à Deo, ſed conſeruatum: conſeruat itaque ex ſententia Ariſtotelis Deus Mundum, idque facit per motum, adeò vt niſi continenter Cœlum primo motu moueret, cuncta confunderentur. Hæc de cauſa efficiente. *De fine Mũdi.* At loquamur de Fine. Democritus, Leucippus, Epicurus, Lucretius, aſſerentes, Mundos fortè fortuna fieri, inficiantur Mundo verè finem competere: quorum ſententia, negligenda potiùs, quàm rationibus reijcienda eſt. Conſtanter itaque aſſeramus, Mundo Finem competere: qui Finis eſt duplex, vel conſtitutionis Mundi, vel Mundi conſtituti. Finis conſtitutionis eſt eius forma, hoc eſt, vniuerſus ordo. Finis Mundi conſtituti, adhuc eſt duplex, vel totius Mundi, vel partium eius inuicem relatarum. Finis totius Mundi conſtituti, vel eſt Finis cuius gratia, & eſt perfectio, & optimum eſſe Mundi; vel eſt Finis cui, qui etiam eſt duplex, nempè, vel Finis cui tribuenda eſt abſolutio, & perfectio, & huiuſmodi ſunt ſpecies rerum, ex quarum ordine conſurgit Mundus; vel eſt Finis, cui omnia ſeruiunt, & in cuius gloriam cuncta redundant, & huiuſmodi eſt Deus. Sic dicimus cuncta in vniuerſo reperiri, vt ſcopo, nempè ipſo bono pro facultate fruantur, & recinant gloriam Dei. At ſi Mundi partes inter ſe comparentur, dicimus imperfectiores eſſe gratia perfectiorum, & ſimplicia gratia compoſitorum, adeò vt non viuentia inter mortalia ſint gratia viuentium, & hæc gratia hominis, qui iure optimo mortalium omnium dicitur Finis. *Ariſtot.* Hinc rectè Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ 52. damnauit eos, qui in Vniuerſo inficiebantur vnum eſſe ob aliud; & inquit, omnia quidem coordinata ſunt modo aliquo, ſed non ſimiliter, & Natatilia, & Volatilia, & Plantæ, & non ita ſe habent, vt non ſit vnius ad alterum aliquid, eſt enim aliquid, &c. *Error quorundam.* Ex quo conſtat, decipi iuniorum Philoſophorum nonnullos, qui negant Hominem eſſe Finem mortalium. Et iure decipiuntur: vt enim famuli ſunt gratia dominorum, ita Inanima corpora gratia Animatorum. Plantæ gratia Animalium, & Iumenta gratia Hominis, Homo enim in hoc mortalium orbe, cum ſit rationis compos, aptus regere, & gubernare, ſe habet ad cætera, vt Princeps ad populos, & vt Deus ad ea, quæ ſunt in Mundo. Ego tamen definiens Mundum, pro Fine ſumpſi Deum, dicens, à Deo, & per Deum conſeruatus, quia aſſignaui Finem, cui omnia ſeruiunt, & in quem cuncta conſpirant. *Dubitatio.* At vna remanet diluenda dubitatio. Nam ſi Mundo non competit Efficiens, igitur nec Finis, ſententia enim eſt Auerrois in cap. de ſubſtantia Orbis, Finem neceſſariò denotare Efficientem, quare cui non competit Efficiens, neque etiam Finis competere poterit. *Cõfirmatio.* Confirmatur dubitatio per Ariſtotelem in tertio Metaphyſicæ, contex. 3. dicentem:

tem, Quo pacto in immobilibus reperiri potest principium motus, aut boni natura; cum omne ex se bonum Finis sit, & ita causa, vt eius gratia fiant; & sint cætera. Finis autem & cuius causa actus cuiusdam est finis, actus autem omnis est cum motu, quare in immobilibus non contingit hoc esse principium, &c. *Solutio.* Soluens difficultatem dico, Primò, competere Mundo Efficientem saltem conseruantem, & mouentem, ac ita dicimus seruari, & moueri propter Finem, vt dicebatur etiã in definitione Mundi, quòd sit à Deo, & per Deum seruatus. Addo secundò, Finem esse duplicem, vnum, qui per motum acquiritur, & est Finis cuius gratia mouens mouet: Alterum ordinis, ad quem ordinata referũtur, de quo dicimus Formam esse Finem Materiæ, ac insuper Formam ob Finem aliquem formare; Finis enim cuiuslibet causæ Finis est, quamuis magis propriè Efficientis. Sat est itaque pro latè sumpto fine, vt adsit ordo vnius in aliud, & perfectio ex alio pendens, veluti Deum dicimus Finem Intelligẽtiarum. Auerroes autem, & Aristoteles locis relatis, considerabant Finem magis conspicuum, qui ad Efficientem refertur, & per motum acquiritur.

## *An Mundus sit vnus; Opinio asserentium esse plures. Cap. VII.*

*Opinio Democriti.* MVNDVS vel vnicus est, vel plures: si fuerint plures; vel erũt plures simul; vel sucessione tantum. Plures simul reperiri existimarunt Democritus, Leucippus, Epicurus, Lucretius, & similes, qui in immenso vacuo innumeras putarunt reperiri Atomos, ex quarum fortuita conspiratione & concursu, innumeri conficerentur Mundi, qui crescerent, decrescerent, interirent, ac reficerentur, non secus ac de indiuiduis animalium euenire conspicimus; adeò, vt ex horum sententia Mundi & simul, & sucessione innumeri sint: nam concessa multitudine simul, nulla apparet ratio alicuius definiti numeri. *Opinio Empedolcis & Heracliti.* Successione autem tantùm existimarunt Mundos esse plures, Empedocles, qui censuit Mundum Litis, & Amicitiæ definitis temporum mensuris sibi mutuo succedere: Similiter Stoici putantes definitis temporum cursibus Mundum in ignem redigi, & mox ex igne refici, quorum sententiam in primo Metamorph. retulit Ouidius, inquiens.

*Esse quoque in Fatis, reminiscitur affore tempus.*
*Quo Mare, quo Tellus, correptaq; Regia Cæli,*
*Ardeant, & Mundi moles operosa laboret.*

Mundos esse, vel saltem posse esse plures, Primò ostenditur ratione, quam refert Aristoteles in primo de Cœlo, & huiusmodi est: *Ratio pro multitudine, prima.* Omnis Forma cum Materia mixta, vel numero est multiplex, vel multiplicari potest, Materia enim est origo multitudinis Indiuiduorum, & Materiata Forma per Materiam apta est multiplicari: Mundus est Forma in materia, nam cadit sub sensum, quod sine materia non accidit, quare potest esse multiplex, & si potest, etiam est: quia in ęternis, vel saltem in attinẽtibus ad Mundum, esse, & posse, non distinguuntur, ex tertio Physic. 32. *Secunda.* Prætereà nulli causæ Mundi repugnare videtur multitudo; non Deo, quia est omnipotens; non Naturæ, quia ea valens vnum indiuiduum producere, valet & plura; non Materię, quia agenti semper respondet patiens, & indefinita est Materia, apta in plures diuidi; non Formæ, quia est cum Materia mixta; non Fini, quia vnus multorum potest esse Finis. Similem rationem formabat Alexander, referente Simplicio in primo de Cœlo comm. 91. inquiẽs: vel Mundus à Conditore factus est, aut à Natura; si à Conditore, vt Artifex efficere valet varia artis opera, ita & longè magis Mundi opifex: similiter si à Natura. *Tertia.* Prætereà si vilia, & imperfecta sunt multa sub specie, longè magis perfecta debent esse plura; si enim bonum est, multa bona efficere, optimum erit, multa efficere optima, & præsertim, quia vt dicitur in primo Moralium Nicom. Bonum, quo est communius, eo est

melius,

melius, & eligibilius. Hinc Metrodorus (referente Plutarcho in lib. de placitis Philosophorum) asserebar, absurdum esse, in latifundijs vnicam spicam nasci, vnumq; in infinito Mundum. Lucretius ex sententia Epicuri, propè calcem secundi libri nonnullis satis leuibus rationibus ostendit Mundos esse plures; veluti omnia, quæ natura gignuntur sunt plura numero; Mundi natura gignuntur; sunt itaque numero plures. Insuper dum adest Materia pro conficiendo opere, opus construitur: at Materia adest, quæ ex eius sententia sunt Atomi innumeræ in immenso vacuo; plures itaque debent confici Mundi: Præterea ita argumentari posset aliquis: si Mundus est vnus, vel est vnus secundum se, vel ex accidenti; non secundum se, quia ex multis actu non consurgit per se vnum, & præsertim ex contrarijs, nec datur vna substantiæ Forma, quæ ea in vnum redigat; si ex accidenti, igitur possunt esse plures, quod enim est ex accidenti, potest non esse, & secus se habere. Demùm si Mundus est vnus, vel est vnus numero, vel specie, vel genere. Non numero, quia vnum numero est continuum; Mundus non est continuus, & vnum numero definitur in quinto Metaphysicæ, cuius materia est vna, at Mundi non vna est Materia. Non est vnus specie, alioquin haberet speciem aliam sibi oppositam. Nec genere, alioquin plures darentur eius species. Non itaque videtur esse vnus. His accedit, quod rationes Aristotelis, & Platonis pro ostendendo Mundo vno, satis videntur leues: ait Aristoteles viticum esse ordinem locorum, & Mundum ex vniuersa constare Materia: at hoc asserere, est petere in principio id, quod est demonstrandum, qui enim dicerent esse plures, etiam dicerent falsa esse, quæ assumuntur. Plato Mundum ostendit vnum, quia ad vnius exemplaris similitudinem est formatus; at hoc non cogit, quoniam Hominis quoque vnica est Idea; similiter Leonis, cum tamen particularia sint numero multa. His, & similibus rationibus, putare aliquis posset, Mundum posse esse multiplicem, non autem necessariò vnum esse.

*Metrodorus.* *Lucretius.* *Ratio alia.* *Postrema ratio.* *Ratio Aristotelis leuis.* *Similiter Ratio Platonis.*

## *Quòd Mundus sit Vnus.* *Cap. VIII.*

QVòd Mundus sit Vnus, satis firmis rationibus ostendi potest; & primò hæc veritas ex eo conspicuè elicitur, quia asserentes Mundos esse plures, in conspicua labuntur absurda, veluti Democritus statuens Atomos innumeras, asserens Mundos crescere, & minui, insuper fieri cœco quodam Atomorum concursu, & alia huius generis enuncians, quæ contentione Sapientum inania penitùs sunt. Similiter Empedocles asserens Mundos inuicem definitis temporum mensuris per Litem, & Amicitiam reciprocari, & Stoici idipsum affirmantes fieri per Ignem, ea profectò proferunt, quæ negligenda sunt potiùs, quàm rationibus reijcienda. Si igitur ea sententia, cuius oppositam conspicua sequuntur absurda, est approbanda; approbanda erit sententia asserentium Mundum Vnum, cuius oppositam varia, & conspicua absurda sequantur. Præterea id secundò ostenditur rationibus, & via sumpta ex primo mouente, & efficiente: nam primò elicitur ratio hæc ex octauo Phy. 49. motus primus est æternus, ergò vnus; si vnus, ergo continuus; si vnus, & continuus, ergò est ab vno motore, & vnius Mobilis, sine quo alij motus non sunt; at motor primus, vnus, motus primus vnus, & vnum primum mobile; vnum constituunt ordinem, & Mundum. Quod confirmatur: quia ex principio, quòd vnum, & absolutissimum est, & ita vnum, vt conditio eius sit, quòd sit vnum; debet proximè opus pendere quod & vnum, & absolutissimum sit: Mundus proximè ex Deo pendet, quare vnus esse debet, & absolutissimus, immò ita debet esse vnus, vt conditio eius etiam sit, quòd sit vnus. Maior ostenditur: quia opus effectum imitatur causam, & particeps est naturæ, & conditionis eius, vt capax est. Minor ex se patet: confirmatur, quia ab Vno, vt vnum est, non procedit multitudo nisi ordine aliquo; at ea, quæ ordine aliquo ex vno prodeunt, & pendent, conspirant deinde, vt partes ad constitutionem vnius

*Pro Vnitate Mũdi ratio prima.* *Democritus.* *Empedocles.* *Ratio prima.* *Secunda.* *Confirmatio.* *Alia confirmatio.*

tertij. Præterea idipsum ostenditur considerando modum, quo ex sententia Peripateticorum Deus operatur, & res pendent ex eo, nam (vt distincta consideratione patefeci) operatur Deus ex sententia Aristotelis, cum quadam naturæ necessitare. Agens per naturam proximè vnum produci, & quæcunque ex eo pendent, necessariò vno modo, semper, & consimiliter pendent; & propterea ab vno principio, non multi, & varij, sed vnicus ordo proficiscitur. Quod confirmatur: quoniam quicunque plures ponunt Mundos, non ex vno principio prodire asserunt, sed vel ex varijs, vt ex Lite, & Amicitia dixit Empedocles; vel fortuito quodam concursu eos fieri dixerunt, vt Democritus; & qui eum sequuntur, quod apprimè est absurdum, vt iam patefeci.

*Ratio tertia.* Tertiò, idipsum ostenditur rationibus sumptis ex Forma, & quia (vt patuit) Forma Mundi est multiplex, quamcunque consideremus, semper apparebit Mundum debere iudicari vnum, nam si pro Forma intelligimus Formam abiunctam, nempè Deum; ex ea conspicuè colligimus Mundum esse vnum, nam si Deus est vnus, vnus est ordo Intelligentiarum, ergo Mundus Cœlestis eis respondens est vnus; si Cœlestis, ergo & Elementaris, & consequenter Mundus totus erit vnus.

*Rō ex 12. Metaphysicæ.* Insuper inquit Aristoteles 12. Metaphysicæ 49. Illud verò perspicuum est, Cœlum esse vnum: nam si plures essent, vt homines, vniuscuiusque principium specie vnum erit, & numero multiplex: at quę numero multa sunt, Materiam habent; prima autẽ essentia, cum sit prima entelechia & purus actus, Materiam non habet, primum igitur illud mouens, quod immobile manet, cum ratione, tum numero vnum est, & ob id illud, quod semper, & continenter mouetur, vnum erit, &c.

*Vis rationis Arist.* Hæc Aristotelis ratio, eiusque vis ex his principijs deducitur: omnis Intelligentia alicui orbi respondet, & orbi primo respondet Intelligentia prima, quæ Deus est. Insuper in æternis sub specie non reperitur multitudo indiuiduorum, cum ea parata sit, vt quę numero non sunt æterna, seruentur ęterna successione. Tertium principium est, multitudo indiuiduorum sub specie, non est sine materia, vt elicitur ex quinto Metaphysicæ 12. & ex primo de Cœlo 92. Ex his deducitur ratio; quia si Mundi essent plures, primi cœli, & primi motores essent plures, & quia Mundi non sunt subordinati, sed vt indiuidua sub eadem specie, etiam primi motores, tales essent, quod sine materia non contingit, primus autem motor penitus est à materia immunis, hinc dire&c, & per priora progrediendo, dicere valemus. Primus motor est immunis à materia, ergò vnus, ergò primum mobile vnum, ergò ordo mobilium vnus, & Mũdus vnus; nam vnum caput, & vnus Princeps absolurus, ex quo cuncta pendeant, vnum constituit vniuersalem ordinem, qui Mundus est; à Deo namque pendet & Cœlum, & vniuersa Natura ex 12. Metaphysicæ 38.

*Dubitatio.* At obijciet fortè aliquis ex mundorum multitudine non necessariò colligi prima principia esse plura, & materiata, quia non pendent ex mundo, & vnum poterit esse commune principium multorum, non secus ac Auerroes perperàm imaginatus est vniuersæ humanæ speciei, vnicam assistere Mentem.

*Solutio.* Soluitur hæc instantia, quia alia est ratio de humana mente ex opinione Auerrois, & de Deo, & ratio varietatis est multiplex. Vna, quia ex Deo per quandam naturæ necessitatem ex sententia Aristotelis pendet Mundus, & conseruatur; non autem ex humana mente ea omnia pendent, quæ in homine reperiuntur; Secunda est, quia Mundus est æternus, & est opus totum, & completum primo principio respondens, non talis est homo ad Mentem relatus. Tertia est, quia singulis hominibus propria anima respondet, quæ ita se habet ad singulos homines, vt Deus ad Mundum; in Mundo autẽ præter Deũ, solus consideratur ordo ex Deo pendens, qui si esset multiplex, etiam principia, & capita ordinis multa esse deberent. His accedit, quod ea sententia de vnitate humanæ mentis, inane commentum iudicari debet; Insuper si nomine formæ, vnà cum Platone intelligimus animam Mundi, ea vnica statuitur. Si intelligimus ordinem, ordo, qui sit vniuersus, ex vno principe pendens, in vnum finem conspirans, vnicus est. Quod etiam patet ex naturali propensione corporum, ex qua proximè ordo consurgit, omnia enim grauia conspirant ad vnum centrum, neutra in extremo

per

per naturam sunt constituta, leuia autem ad intermedium tendunt: ex his vnus prodit ordo locorum, & corporum, ex vnico autem ordine vnicus consurgit Mundus; non multiplex. Confirmantur hæc omnia: quia si plures essent Mundi, vel essent inter se ordinati, vel ne: si ordinati essent, ea illorum vniuersa subordinatio re vera esset vniuersum, & Mundus: si subordinati non essent, tunc ab eo, quod eminenter est rerum ordo, inordinata prodirent, nec multitudo prima corporum iudicari debet destituta ordine, cum cætera omnia appareant suo ordine prædita, & præsertim quia destituta ordine præter naturam, & prouidentiam esse dicuntur. Insuper cum Mundi non sint sine Intelligentijs, orbium motoribus, quia omnes Intelligentiæ ex Deo pendentes sunt ordine præditæ, est necesse fateri collocata etiam sub intelligentijs ordinem includere. Similiter elicimus Mundum esse vnum, considerando alias formarum eius assumptiones, veluti pro cœlesti corpore relato ad mortalem orbem; pro figura eius sphærica, nil extra se derelinquente, & præsertim id patet considerando formam sumptam pro essentia Mundi, nam conditio Mundi est, vt sit vniuersum absolutè, & sit cunctorum ordinata series adeò vt in ratione eius vnitas includatur. *Cófirmatio.*

Quartò vti valemus rationibus ex Materia depromptis, nam conditio Mundi est, vt constet ex omni sensili corpore; includens autem sensile omne corpus, quia constat ex vniuersa Materia, non potest esse multiplex, Materia enim est causa sine qua non. Insuper de Mundo loquendo, ea, quæ proximè Mundum complent, & constituunt sunt species rerum; & cum Mundus sit specierum ordo, & plenitudo, quæ vnica est, vnicus esse potest. Præterea si plures dantur Mundi, vel materiæ eorum sunt variæ, vel vnica: si variæ, etiam formæ erunt variæ, sunt enim ad aliquid, & ita æquiuocè erunt Mundi: Insuper varia esse non possunt, quia si consideramus materiam primam ea vnica est; si consideramus simplicia corpora, ea non possunt esse plura tribus, grauibus scilicet, leuibus, & neutris, quæ omnia ad tria sola subordinata loca sunt procliuia, & ob id vnicum valent per naturam constituere Mundum. *Rationes ex materia depromptę.*

Quintò vti licet rationibus ex fine sumptis, nam si per finem intelligimus finem constitutionis, ille est ordo, qui vnicus apparuit; si intelligimus finem rei constitutæ, qui est Deus, vel Deo frui, Deoque hærere, Deus est vnus, & per Mundum vnum species rerum omnes Deo pro earum capacitate fruuntur. Si demùm finem consideramus, cuius gratia parata est multitudo indiuiduorum sub specie; ea profectò parata est tanquam medela interitus, vt ea, quæ numero nequeunt esse æterna, seruentur æterna successione multorum indiuiduorum, vt dicitur in secundo de Anima; & Mundus numero æternus est, ideò superuacanea esset eius multitudo. *Rões sumptæ ex fine.*

Sextò id ipsum elicitur ex varijs conditionibus Mundi, nam conditio Mundi est, vt sit sensilis imago Dei, vt sit vniuersum, vt sit omne, totum, & perfectum, vt sit communis sedes hominum, Deorumque, quorum nullum seruaretur, si Mundi essent plures, vt consideranti redditur notum, adeò vt quicunque nituntur plures astruere Mundos, nullum derelinquant Mundum, sed omnes euertant: nullus enim eorum esset vniuersum, cuncta includens. Quod demum confirmatur; quia si Mundi sunt plures, vel sunt similes, vel dissimiles: si similes, frustra essent plures; pręsertim cum vnus non generet alium; si dissimiles, igitur vnus, non ea includeret, quę alter; ac ita nullus esset verè vniuersum, & perfectum. Vnicus itaque Mundus est. *Ex conditionibus Mundi.* *Cófirmatio.*

## *An Mundi possint esse plures?* Cap. IX.

*Quod Mundi valeant esse plures.*

QVONIAM secus se habet de actu, quàm de potentia; & de falso possibili, quàm de impossibili; & multa actu non sunt, quæ tamen possunt esse, veluti, quamuis non rideam, & non curram, possem tamen ridere, & currere; ideò posset aliquis putare, ita se habere de Mundo, quamuis enim concederetur, quod sit actu vnus, posset quispiam suspicari esse plures potestate, & præsertim, quia est Forma in Materia, quæ est apta multiplicari. Insuper cum ex recta Theologorum sententia Deus ex nihilo hunc Mundum creauerit, vt hunc, ita alios procreare potuisset, cum sit immensè fœcundus, & immensæ virtutis, cuius virtus ad hoc exiguum opus non terminatur, quod ad Dei virtutem perinde se habeat, ac punctum ad lineam, & finitum ad infinitum. Oppositam tamen sententiam approbant Plato in Timæo, & Arist. in 1. de Cœlo, & quamuis multæ ex formatis ostensionibus vim habeant hoc ostendendi; vt tamẽ veritas clarior elucescat, distinctiùs hoc proponitur explicandum. Dicamus itaque, Mundum nec esse, nec posse esse multiplicem, quod præsertim ex tribus conspicuè elicitur. Primò ex modo, quo pendet ex Deo, ex sententia Aristotelis, nam ex Deo pendet cũ quadam necessitate naturæ, per quem modum ex vno non potest proximè, & adæquatè prodire nisi vnum, vt enim ex Sole vnum lumen, ex igne vno, vna calefactio prodit; ita ex vno primo principio, vnus ordo, & vnus corporeus Mundus. Altera ratio sumitur ex Materia, quæ est causa sine qua non; cum enim mundus ex tota materia constet, nec adsit materia ex qua alius constitui valeat, necesse est, vt vnicus sit: at materia non est causa principalis, sed necessaria, & sine qua non. Ideo adest ratio tertia principalis, quæ ex forma, natura, essentia, & conditione Mundi elicitur; conditio enim Mundi est, vt sit vniuersum absolutè, totum, & perfectum; si mundi essent plures, nullus esset absolutè vniuersum, nullus imago Dei, nullus itaque esset Mundus. Quare asserere Mundos esse plures, est pugnantia proferre. At obijciet aliquis, quia Aristoteles oppositum asseruisse visus est, dixit enim in primo de Cœlo, quòd cum Mundus sit Forma in Materia, ex parte Formæ posset multiplicari, at non multiplicatur ratione Materiæ. Respondeo, Formam Mundi dupliciter posse considerari. Primò ratione generis, quatenus est Forma in Materia, ac ita ei non repugnat multitudo. Secundò, vt talis Forma est, cuius conditio est, vt sit in vniuersa Materia, ac ita ei multitudo repugnat, & hoc indicauit Aristoteles; asserens Mundum esse omne totum, & omni ex parte perfectum. Immo apprimè leuis fuisset ratio Aristotelis ad ostendendum Mundum constare ex omni materia, nisi ex conditione, & propria Mundi forma eliceret; illum ex tota materia debere constare; ideò frequenter dixit esse vniuersum, esse totum, & omni ex parte perfectum: considero tamen, quod constare ex omni Materia, contingit quinque modis; primò, absolutè, vt Mundus; secundò, ex tota materia cœli, vt cœleste corpus; tertiò, ex tota materia mortalium, vt Mundus elementaris; quartò ex tota Materia speciei, & indiuidui, sic Lunæ orbis ex vniuersa eius materia constat, tum huius orbis Lunæ, tum orbis Lunæ; quintò, ex omni materia propria, & singulari, vt Socrates constat ex tota sua materia; & qua consideratione aliquid constat ex tota materia, eadem consideratione multiplicari non potest. Ex quo elicio decipi illos, qui aiunt, Mundo solùm repugnare multitudinem ratione materiæ. Demum repugnat multitudo Mundorum propriæ inclinationi simplicium corporum, & propterea Naturæ eius: omnia enim grauia in locum vnum sunt per naturam propensa, similiter & leuia, quæ nisi in vno loco inuenirentur, præter naturam essent disposita, at ex dispositione præter naturam, non valet consurgere Mundus, qui est quædam communis, & vniuersa Natura, Naturæq; ordo. At consideremus, quid hac de re & Academici, & Theologi sentiant. Plato profectò idipsum sentit, quod Aristoteles, ideò in Timæo asserẽs Mundum vnũ, quatuor attulit rationes,

*Sententia aduersa.* — *Ratio prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Dubitatio.* — *Solutio.* — *Constare ex omni materia modis quinque.* — *Sententia Platonis.*

quibus

quibus ita esse vnum patefecit, vt nequeant esse plures. Rationem primam sumpsit ex Mundo Ideali, inquiens; Mundus est vnus, siquidem ad vnius similitudinem est formatus, quod enim viuentia omnia quæcunque intelligunt, continet, socium alterum habere non potest; alioquin aliud animal, quod hæc duo contineat, esse oporteret, cuius duæ hæ partes sint, nec illorum, sed tertij huius, Mundus hic simulachrum rectiùs diceretur. Secundam rationem attulit ex materia sumptā, inquiens; Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram Mundus accepit, ex omni quippe igne, aere, aqua, terra, ipsius Faber ita ipsum composuit, vt nullam cuiusque istorum partem, aut vim extra relinqueret. Tertiam rationem addidit sumptam ex forma, inquiens; Idq; ea ratione fecit, vt totum hoc animal, quammaximè perfectum, ex perfectis partibus esset; deinde vt esset vnum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo alterum generetur; Indicans conditionem Mundi, vt est totum, perfectum, & vniuersum, hanc esse, vt sit vnus; & considerandum in verbis Platonis, quod asserit Mundum constare ex tota materia, vt esset vnus, indicans, quod ratio, ob quam Mundus sit vnus, non est, quia constet ex tota materia, sed vice versa, quia vnus esse debet, ideò ex tota materia constat, nam vt dicitur in secundo Physico. non forma est ob materiam, sed contra, materia est ob formam, & quæcunque prodeunt ex necessitate materiæ, imperfectionem indicant, vt mors, & senium; nec sunt propter finem, ex quo constat, quod qui asserunt Mundum esse vnum ob necessitatem materiæ, patefaciunt id esse malum quoddam, & non ordinatum in finem, vt monstra, & similia, quod de Mundo non est fas dicere. Propterea longè rectiùs sensit Alexander, qui referente Simplicio in expositione 98. contex. primi de Cœlo, dixit, quia conditio Mundi est, vt sit vnus, & quod ex tota materia constet, ideò extra Cœlum nihil est. Et longè est præferenda sententia Simplicij, & Diui Thomæ sequentis Simplicium, qui oppositum approbarūt, nimirum, quod quia nil sit extra Mundum, ideò Mundus sit vnus, non enim negatio est causa principalis affirmationis, & hoc eo loci suo loquendi modo indicauit Aristoteles, inquiens, extra Cœlum nil esse, quia Mundus ex tota materia constat. At dubitatur, de ratione Platonis sumpta ex Idea, quam dicebat Alexander necessitate carere, cum vnius Ideæ, variæ numero possint esse imitationes, & participationes. Simplicius in primum de Cœlo exponens cont. 92. nititur instantiæ Alexandri satisfacere, & inquit, semper vni Ideæ vnam speciem respondere; at ea in æternis, vt Sole, Luna, & Mundo seruatur numero æterna, ideò est vna numero: in mortalibus verò solum seruatur ęterna successione indiuiduorum. At hæc solutio nullius videtur roboris, quia non est dubitatio de specie Mundi, sed de numero, cuius vnitatis causa, non est vnitas Ideæ, sed solùm est causa vnitatis speciei, quare Plato nō causam pro causa attulisset; nam causa, quòd Mundus sit vnus, non esset vnitas Ideæ, sed æternitas, quare Simplicius cupiens seruare Platonem, euertit rationem eius. Propterea pro solutione duo consideremus fundamenta: primum est, quòd Mundo non competit Idea vna, distincta ab alijs, sed vnus Idearum ordo, sicue Mundus vnus Idealis. Alterum est, quòd conditio Mundi Idealis est, vt vnus sit, cunctas Ideas includens, quæ vnitas non est conditio distinctarum Idearum. Ex his elicitur solutio: cum enim Mundus Idealis sit vnus, & ita vnus, vt eius cōditio sit, quod sit vnus, & cuncta includat, ideo Mundus sensilis, qui est eius imago, debet esse vnus, cuncta includens, & ita vnus, vt eius conditio sit, quòd sit vnus: & hoc patefecit Plato, inquiens; Mundus est vnus, si quidem ad vnius similitudinem est formatus, quod enim viuentia omnia quæcunque intelliguntur continet, socium habere non potest, alioquin aliud animal, quod hæc duo contineat, esse oporteret, &c. Indicauit itaque Plato conditionem Mundi hanc esse, vt sit vnus, & pulchram formauit rationem, quam non formauit Aristoteles, quia Ideas non concessit, solùm approbauit Mundum, & ordinem eminentissimum, qui Deus est, & ob id in octauo Physico. 49. & 12. Metaphysicę, ex eius vnitate non secùs ac Plato ex vnitate Mundi Idealis, collegit Mundum esse vnum. Attulit etiam Plato rationem quartam, sumptam ex fine, qui est mundi perfectio, & æternitas,

*Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Alexander* *Dubitatio.* *Simplicius.* *Euersio.* *Quarta ratio Platonis.*

nitas,inquiens,Ne quis morbus,aut senectus eum attingeret,omnia Opifex intra ipsum clausit,& nihil extra dereliquit. Rectè itaque Plato nouit Mundum esse vnum,nec posse esse plures. At perpendamus quid hac de re dicant nostri Theologi: ipsi non omninò consentiunt. D. Tho. asserens in primo de Cœlo vnitatem esse conditionem Mundi, cogitur etiam asserere per nullam Dei potestatem fieri posse plures Mundos: non enim ea dicuntur apta effici, quæ pugnantia includunt, & mutuò se destruunt, veluti homo sine ratione fieri nulla potestate potest,hinc in primo Senten.dist.44.inquit à Deo Mundum hunc posse reddi maiorem, & meliorem; at non ait posse creari plures. Alij ex aduerso inquiunt,ne dum posse hunc reddi maiorem,verùm etiam posse alios creari, vel infinitos numero, vt existimauit Gregorius Ariminen. in primo Sentent. dist.44. in qua nititur ostendere,Deum posse infinitum actu producere,vel saltem finitos,vt censuit Scotus in secundo Sentent. dist.1.q.3. censuit enim Scotus infinitum vel numero, vel mole,ex parte sui non posse effici,& ob id non posse à Deo creari,nisi successione,at non simul; consentiunt itaque Scotus,& Gregorius,Deum plures Mundos creare posse, vt enim hunc creauit, ita alium ei similem creare potuisset. Existimarem ego opiniones has posse conciliari; Nam nomine Mundi, vel intelligimus propriè sumptum Mundum,qui absolutè,& sui conditione sit Mundus,totum, & vniuersum, ac ita non possunt esse plures simul,sed successione tantum. Vel intelligimus Mundum,qui sit totum in parte,& totum vt placuit Opifici,qui extrinsecùs,liberè, & contingenter operatur,ac ita vt Deus hunc creauit, valuisset alium similem creare, hic est perfectus, est totum,& vniuersum,dum non adest alius Mundus: at si alius crearetur, non amplius esset absolutè totum, & vniuersum. Hac consideratione rectè loquuntur Scotus,& Gregorius; & rectiùs sentit Scotus,asserens repugnare numero,magnitudini, & cuilibet ex alio pendenti, vt actu infinita sint; nam statim quòd aliquid redditum est actu, terminatum est,& finem suæ constitutionis habet; terminus,& finis non seruantur cum infinito; & si finem habet suæ productionis, & constitutionis, etiam finem includit suæ extensionis,conditionis, numeri,& existentiæ.

*Theologi.* *D. Thom.* *Opinio aliorum.* *Gregorius Ariminē.* *Concilium.* *Præfertur sententia Scoti.*

## *Per quid Mundus sit vnus?* *Cap. X.*

MIRARI profectò sublimia ingenia possunt, qua ratione, cuius munere, & qua virtute valeat Mundus esse vnus; cum in eo tot inueniantur partim pugnantia,vt contraria; partim distincta genere, vt attinentia ad varia Prædicamenta; partim etiam distincta plus quàm genere, vt æterna, & mortalia, & præsertim quia vnum numero est maximè vnum, ea autem valdè multa, & distincta,nec apparet quid ea detineat,ne secernantur: vt ratio admirationis est conspicua, ita apprimè latet, & obscura est causa, per quam proximè Mundus sit vnus. Propterea dixere nonnulli, Mundum non verè esse vnum, sed solùm esse vnum per congregationem, non secus ac exercitus vnus sit: quæ opinio in præcedentibus reiecta est, nam vnum per congregationem est vnum secundum accidens, quod secundum se est multiplex: at à Deo,qui est ipsum vnum, non potest proximè id pendere,quod ex se sit multiplex, & præsertim quia id, quod est conditio alicuius, non ei competit ex accidenti: vnitas est conditio Mundi, vt patuit. Insuper ea vnitas nimium est leuis, nimiùm solubilis, nimiùm cum eo pugnans, quod est imago, & imitatio ipsius vnius,qualis est Mundus. Præterea in eo, quod est vnum per solam aggregationem, vna pars non pendet ex altera, nec ad alteram se habet,vt forma; secùs itaque Mundus debet censeri vnus,quàm per solam aggregationem. Stoici imaginati sunt spiritum quendam communem,per omnia effusum, quo cuncta ligari, in vnumque redigi affirmarunt: hunc nonnulli aiunt esse quintam essentiam cunctis insertam, ex omnibusque per sublimationes natam elici, ex nonnullis magis, ex alijs minus, aduersus quem

*Dubitatio per quid Mūdus sit vnus* *Prima opinio.* *Opinio Stoicorum.*

quem communem spiritum disputat Alexander in cap. de mixtione, & iure profectò: cum enim afferant spiritum illum esse corpus, meabit corpus vnum per aliud, quod fieri nequit. Insuper, vel est simplex, vel mixtum; non simplex, quia non datur infra Cælum aliud simplex corpus præter quatuor elementa; & longe minus poterit esse corpus mixtum, quia mixta mouentur per elementum prædominans, & sunt posteriora simplicibus, quare non poterit esse ligamentum simplicium. Insuper vel est graue, vel leue; si graue, præter naturam erit in igne; si leue, præter naturam in loco deorsum: at nil præter naturam æternum. Demùm corpus omne aliquo sensu percipitur, hoc nullo: sed eos mittamus. Auer. in secundo de Cœlo, comm. 41. inquit, Mundus est, quasi vnum animal, non ligatum varijs ligamentis, sed ligatum prima potentia spiritali, diuisa in suo toto, à qua habet magnitudinē terminatam necessariò; quę potentia spiritalis non diuiditur in alijs orbibus, nisi quia diuiditur in primo orbe, vt potentia, mouēs animal, non diuiditur in alijs membris, nisi quia primò diuiditur in corde, &c. id ipsum repetit Auerroes sæpè alibi, & præsertim in tertia disp. in fol. 12. & 18. dubij nec non 12. Metaphysicæ 44. & præter cætera, quæ silentio prætereo, hæc profert Auer. in tertia disp. in fol. 18. dub. Sequitur itaque, quòd oportet, vt sit vna hæc virtus spiritalis, ex qua prodeunt omnes virtutes spiritales, & corporeæ, & est vnius generis, extensa in toto vniuerso, alioquin nullus ordo sequeretur in hoc Mundo, & non elicitur ex extēsione vnius virtutis in pluribus rebus, vt sit in ea virtute pluralitas, vt opinati sunt multi, videlicet quod ab vno primo principio influitur vnum, & ab eo pluralitas, &c. Quid Auerroes per hanc spiritalem virtutem intelligat, non constat: & varij varia dicunt, nā ea vel est substantia, vel accidens; si accidēs, vel motus est, qui proxime ex Deo pendet, vel à motu distinctum: si motus, id concedi debet, conducit enim motus totius, pro vniuersi ordine; si distinctum, contrà, Deus, & Cœlum non agunt nisi lumine, & motu ex sententia Aristotelis. Hinc approbanda non videtur eorum sententia, qui putarunt Auerroem denotasse qualitatem spiritalem, nullibi enim apud Aristotelem huiusmodi qualitates approbantur. Si est substantia, vel est corporea, vel incorporea; non corporea, quia non mearet per omnia, & reijceretur rationibus, quibus reijcitur spiritus Stoicorum; si incorporea, quę sit huiusmodi substantia non constat, omnis enim substantia, ex corpore non pendens, est Mens, ex sententia Aristotelis, & actus: at virtus illa spiritalis, ab Auerroe non dicitur Mens, cum dicatur diuidi in primo mobili, inde effundi in alia, quod de Mente non rectè diceretur. Existimàrunt alij Auerroem denotasse eam, quam frequenter animam cœlorum appellat, per quam asserit cœlum intelligere intelligentiam suam, & separata principia, adeò quòd vt ex sententia Academicorum ex mente, tanquam ex superiore gradu, prodit anima; ita ex sententia Auerrois ex prima intelligentia, prodeat vis spiritalis, hoc est, anima, per quā orbes viuunt, & intelligunt principia sua, vt elicitur ex tertio de Anima, comm. 14. ex 12. Metaphysicæ 41. & ex secundo de Cœlo, comm. tertio, ex cap. de substantia orbis, & locis alijs, quæ explicatio satis rectè aptatur, & congruit sententiæ, & verbis Auerrois: at approbanda non est, quoniam ex opinione Aristotelis non reperitur anima in Cœlo, distincta ab Intelligentia; nec aliam Aristotelis in eo patefecit reperiri compositionem, nisi ex intelligentia, & orbe, vt patet ex octauo Physic. Et ego latiùs in libro de Cœlo patefaciam. Propterea Alexander in cap. de mixtione, his verbis explicat rationem connexionis partium Mundi, inquiens. Verissima, propriaque causa vniuersi est, Diuini, in orbemque lati, æthereique corporis natura, quæ ambitu suo vniuersam materialem affectibus obnoxiam, & variabilem substantiam ambiens, per cōtinuum, & perpetuum motum, aliamque aliàs habitudinem erga ipsam, mutuas corporum, quæ gignuntur variationes, certo, firmoque ordine efficiens, continet, connectit, & conseruat vniuersum. & post pauca. Quocircà rationi magis cōsentit dicere, vnumquodque ipsorum, per propriam formam cohęrere sibi, & ad se ipsum vnitum esse, quatenus est cuiusque ipsorum essentia, & communes affectus ipsorum mutuò conseruari, tum

*Euersio.*

*Opinio Auer.*

*Euertitur sententia quorūdam.*

*Euertitur alia sententia.*

*Sententia Alexādri.*

ri, tum propter materiæ communionem, tum propter circumpositi ipsi diuini corporis naturam, &c. Hæc Alexander. Quibus verbis varia tetigit pro vnitione partium Mundi conducentia, veluti essentiam, per quam vnumquodque suo simili hæret, materiam communem, conditionem Cœli eminenter mortalia includentem, & formæ instar ad ea se habentem, & motum, quo rerum ordo seruatur, adeò vt alia ab his distincta virtus non requiratur, præcipua tamen ratio connexionis est, quia cuncta tanquam numeri per gradus ex vno pendent, vnius primi sunt participationes, à quo omnibus tributum est esse, his clarius, his obscurius, primo Cœli 100. superius enim est tanquam forma inferioris, & aliquid contento simile includit, veluti aqua est frigida, vt terra; aer humidus, vt aqua; ignis calidus, vt aer; Cœlum quamuis sit distincti generis, tamen facultate, & virtute simillimum est igni, propterea à veteribus igneum fuit iudicatum, ac ita cuncta ex vno prodeuntia seruant conditionem vnius, & in vnum communem finem cōspirant, adeò vt demùm per formam, qui est ordo ordinatus naturæ rerum, Mundus sit vnus. Causa itaque communis prima, & remota vnitionis est Deus; causa communis, & proxima est Cœlum; cōmunia instrumenta eius sunt, lumen, & motus; causa proximor connexionis mortalium est communis materia eorum cum communibus affectionibus; & demùm causa proxima, & propria est singulorum graduum propria natura, quatenùs superior est tanquam forma inferioris, & continens contenti. Insuper addo magis, & insolubiliùs necti partes Mundi inter se, sine corporeis ligamentis, quàm partes Animalium per ligamenta corporea: ligamenta enim semper includunt violentiam quandam, & ob id ligata nequeunt esse æterna; cum è contrario Mundi partes per naturam, & conditionem propriam nectantur, nec vlla ratione solui appetant; sed omnes per naturalem propensionem quærendo locum suum, in eâ connexionem, & cū ordinem conspirāt. Si itaque per spiritalem virtutē, ab Auerroe positam, aliquid horum intelligimus approbanda erit; si aliud aliquid, reprobāda.

*Colligitur tota causa, quam Mundus è vnus.*

## *Diluuntur aduersa Rationes, euertentes Mundum vnum. Cap. XI.*

*Soluitur ratio prima.*

EXPLICATA veritate, facilè modò est aduersas rationes diluere: ostendebatur multitudo Mundorū, primò ratione relata ab Aristotele in primo de Cœlo, quia Mundus est Forma in Materia: quæ ratio nedum soluitur, verùm insuper reflectitur in aduersarios, quoniam forma, quæ ita est in vniuersa materia, vt conditio eius sit esse in vniuersa materia, multiplicari non potest; forma Mundi est huiusmodi, vt apparuit. Instabatur secundò, quia Multitudo nulli causæ aduersatur, quæ ratio nedum est soluta, verùm insuper in aduersarios reflexa; apparuit enim omni causæ Mundi repugnare multitudinem. Instabatur tertiò, quia si vilia multa sunt, longè melius est, vt perfecta multiplicentur, quæ ratio similiter retorquetur, nam vilia sunt multa, quia vilia, quia nil eorum absolutè totum, & perfectum, quia nequeunt esse numero æterna. At dicebatur ex primo Moralium, Bonum quo communius, eo esse melius. Respondeo, Bonum Mundi esse communissimum, quia cunctis rerum gradibus competit, & cunctis ea vnitio, & ordo conducit. Insuper ea sententia, Bonum quo communius, eo melius, vera est de Mortalibus, numero multiplicatis, & bono eorum: at longe melius est seruati æternum numero, quàm multitudine indiuiduorum: sentētia Metrodori à Plutracho relata solùm est vera de mortalibus ortis ex fœcunditate Terræ, & similibus. Nec inane infinitum est ager fœcundus pro gignendis Mundis, cum solùm Mundus prodeat ex fœcunditate summi boni. Rationes Epicuri leues sunt, dicebat enim ea, quæ gignuntur, sunt numero plura: reflectitur, quia Mundus vel non gignitur, vt putat Aristoteles; vel creatur, vt aiunt Theologi. Insuper ea sententia est vera de illis, quorum vnum generat aliud, & quorum conditio non est, vt sint vnum. Addebat adesse materiam pro mundorum

*Solutio secunda.*

*Tertia.*

*Rationes Epicuri.*

dorum

dorum generatione; at oppositum fuit ostensum. Dicebatur, si Mundus est vnus, vel est vnus secundum se, vel ex accidenti. Respondeo, esse vnum secundum se, nam conditio eius est, vt sit vnus. At dicebatur, ex multis actu non per se consurgere vnũ. Respondeo, in hac ratione includi fallaciam, ex æquiuocatione ductam, nam aliud est considerare, an Mundus sit vnus, vel plures; aliud considerare cum sit vnus, quomodo ei vnitio competat: de primo dixi esse vnum secundum se, quia vniuersum absolutè: de altero quomodo partes Mundi nectantur, & vnum constituant, in præcedente cap. patefeci: nã Mundi gradus inuicem comparati, & actum, & potentiam includũt. Dicebatur deinde: si Mundus est vnus, vel numero, vel specie, vel genere, Gandau. in primum de Cœlo q. 24. inquit, Mundum non esse vnum numero, quia nõ continuus; non specie, quæ sub genere, alioquin daretur species ei opposita; non genere, alioquin variæ darentur Mundi species: sed esse vnum vnitate ab vno, quam analogicam appellant, idque ostendit auctoritate Aristotelis in quarto Metaphysicę, cont. 2. dicentis, ens esse ab vno: at Mundus est entia omnia. Hanc sententiam veram non censeo. Primò, quia quod constat ex vniuersa materia, est vnum numero, & multiplicari non potest, Mundus est huiusmodi, hoc patet ex Aristotele in primo de Cœlo, dicente, formas, in materia existentes, posse numero multiplicari, nisi ex vniuersa materia constent, indicans Mundum ob id esse vnum numero. Prætereà, qui dicit formam in materia, dicit particulare, & vnum numero. Insuper vnum Analogia, siue ab vno, est tale, vt prædicetur de contentis sub eo, vt ens de quolibet gradu entis; Mundus de suis gradibus minimè prædicatur: Hinc secus se habet de Mundo, qui de partibus non prædicatur, vt commune ab vno; secus de ente, quod de singulis dicitur. Dicamus itaque Mundum esse vnum numero, hoc est, vnum numero vniuersum, omnia continens, & vnum numero ordine ordinatum. At instabatur, quia non est continuus. Respondeo, non omne vnum numero debere esse continuum, sed solùm, quod sub propriè sumpta specie in Prædicamento cõtinetur; Mundus est vnus numero per similitudinem, vt etiam dicitur vnus specie per negationem, quia non multiplex, pariter vnus genere, hæc enim vera sunt de Mundo per similitudinem, & per negationem. Insuper etiam animal vnũ numero non propriè est continuum, sed est vnum per connexionem; Hinc Aristoteles in octauo Physic. 30. ait, nullum continuum mouere se, quatenus animal non propriè est corpus continuum, vt corpora similium partium, sed est colligatum, sic autem etiã Mundus ex parte vltimæ formæ, & virtutis effusæ à Deo per motũ, & essentias rerum, potest dici continuus, vt in primo Meteororum ait Philosophus, Oportere mortalem orbem superis lationibus esse continuum. & in secundo de Cœlo 36. Addebatur postremò, rationes Platonis, & Aristotelis pro Mundi vnitate leues esse; iam patefeci eas rectè intellectas, & explicatas, magni ponderis esse, nam conditio Mundi est, vt ex vniuersa materia constet.

Gandau.

Euersio.

Solutio propria.

## *An extra Mundum sit aliquid?* Cap. XII.

Ex eo quod dictum est Mundum ex vniuersa materia, & ex cunctis sensilibus corporibus constare, conspicuè elicitur, Mundum nil extra derelinquere, & cuncta suo ambitu includere, quod demonstrauit Plato in Timæo, quia vt exemplar eius, Mundus nempè intelligibilis, omnia intelligibilia includit; ita Mundus sensilis includere debet omnia sensilia, alioquin suo exemplari non responderet. Insuper si aliquid extra se derelinqueret; non esset opus omni ex parte perfectum, quia non omnia includeret, immo non esset Mundus, & vniuersum, quia non essent cuncta in vnum versa. Idipsum asserit, & ostendit Aristoteles in primo de Cœlo, inquiens, extra Cœlum nullum reperiri corpus, non secundum naturam, quia vnius corporis vnus est locus secundum naturam, at grauia, leuia,

Plato.

Arist.

leuia, & neutra, in Mundo locum habent, in quo secundum naturam posita sunt; non præter naturam, quia nil toto genere, & vniuerso tempore præter naturã est, & quod vni est præter naturam, alteri competit secundum naturam; & cum extra Cœlum nullum corpus inueniri valeat, non reperitur ibi locus, quia locus est, in quo natum est reperiri corpus; si non locus, nec inane, quia inane dicitur locus, in quo corpus non reperitur; insuper non motus, quia non est sine corpore; non tempus, quia motum sequitur, & non est sine motu. Vt itaque intra Cœlum sunt omnia, & Mundus est vniuersum, ita extra nihil est. Ex quo constat, non rectè Empedoclem existimasse, Mundum esse paruam quandam portionem eorum quæ sunt, vt retulit Plutarchus. Similiter patet, Democritum, Leucippum, Epicurum, & similes, euertisse conditionem vniuersi, cum putarint extra hunc Mundum, innumera corpora, & Mundos reperiri, hi enim optantes multos astruere Mundos, Mundum penitùs euerterunt. At dubium est, an vera sit sententia Stoicorum, qui extra Cœlum, immensum vacuum reperiri putarunt, quod etiam existimarunt Democritus, & Epicurus. Idque ostendunt, quoniam si quis in dorso Cœli reperiretur, vel posset manum extendere, siue sagittam arcu propellere, vel ne; si posset, reperiretur ibi locus, & Vacuum; si non posset, adesset ibi corpus, quod impediret propulsionem. Insuper argumentatur Cleomedes in suo libro de Mundo, quia imaginari possumus Mundum hunc in alteram immensi vacui partem transferri; Et Aristoteles in octauo Physic. 52. ait, manente primo, idest Deo, necesse est manere vniuersum continuatum cum illo, indicans quòd nisi contineretur, laberetur. Insuper vnà cum Heraclito imaginari possumus Mundum in ignem verti, & tunc maiorem locum, & interuallum occupare. Præterea Aristoteles ait, extra Cœlum nihil esse, vt extra, & intra sunt differentiæ loci, quare extra Cœlum reperitur locus, vel plenus, vel vacuus. Insuper sententia est Aristotelis, Mundum non egere loco, nec esse in loco, sed esse in seipso per partes: si Mundus non eget loco, cur etiam sine loco extra Cœlum alia corpora non reperiuntur, vel saltem reperiri non possunt? Præterea si extra Cœlum nihil est, quo pacto à Platone in Phedro locus supercœlestis tot laudibus effertur, & nunquam satis commendari posse asseritur? Similiter qua ratione Aristoteles in primo de Cœlo, contex. 100. air, ea quæ ibi sunt, non esse apta senescere, nec moueri, sed fœlicem ducere vitam toto æuo? Hæc indicant extra Cœlum plura, & diuinissima reperiri. Hæc confirmantur: quia quemadmodum ante Mundi creationem, quamuis præter Deum nihil esset, tamen creatus fuit Mundus, & valuisset creari maior; ita quamuis modo extra cœlum nihil sit, tamen nil repugnaret extra cœlum corpus aliquod reperiri. Ex aduerso autem Aristoteles & Plato constanter affirmant, extra cœlum nil reperiri, & in secundo de Cœlo, contex. 27. ostendit Aristoteles, Cœlum non esse præditum figura angulari, alioquin dum reuolueretur, ob eminentias angulorum, daretur & locus sine corpore, & corpus sine loco, quod tanquam manifestè absurdum derelinquit. Et confirmatur: quia si Vacuum daretur extra Cœlum, vt dixerunt Stoici, cur intra non daretur, vt non dari ipsi quoque consenserunt? Præterea cum intra Cœlum, ne detur vacuum, vehementissimè rapiuntur corpora, quo modo ab immenso externo vacuo non raperetur Mundus, & in partes distraheretur? Præterea daretur locus immensus, cui nullum corpus responderet, ac ita inane, re vera erit inane, & frustra. Insuper quomodo Mundus in eo immenso vacuo non fluctuaret, & laberetur, & disperderetur? Præterea si immensum est illud vacuum, qua ratione Mundus in vna eius, potius quàm in alia parte reperiretur? nulla enim appareret ratio varietatis, nisi dicamus, non ratione vlla, sed casu, & ex euentu hic reperiri, quod de Mundo non videtur esse dicendum. Missas facio rationes Aristotelis, quibus in quarto Physic. absolutè ostendit non dari Vacuum, patet itaque rem apprimè esse dubiam, & inde optimo pro quauis parte clarissimorum Philosophorum extare opiniones.

*Sententia Empedoclis*

*An extra Cælum sit inane.*

*Cleomedes.*

*Aristot.*

*Confirmatio.*

## *Resolutio difficultatis quomodo extra Cœlum sit, vel non sit vacuum. Cap. XIII.*

VT de proposita difficultate dicam, quod sentio; considerandum primò est, Vacui nomen modis varijs, & præsertim sex vsurpari. Primò enim dicitur de loco, in quo corpus parum sensile reperitur, vt vasa plena aëre, dicuntur inania. Secundò dicitur de loco, in quo illa corpora non reperiuntur, in quorum gratiam paratus est: veluti, Domus dicitur vacua, dum absunt habitatores, & crumena, dum abest pecunia; de quo inani, non est sermo. Tertiò, per metaphoram dicitur de commentis, & fatuis immaginationibus, naturæ, & conditioni rerum aduersis, quas dicimus inanes, tanquam leuissimas, fundamento non innixas, idque non includentes, quod in veris sententijs includitur, nempè consensionem, & adæquationem cum rebus. Vsurpatur quartò pro nihilo, & quod nihil est, inane dicitur; Hac significatione cum Aristotele dicere possumus extra Cœlum inane reperiri. Quintò, vsurpatur pro prima Materia, quæ cum sit locus dimensionis, & formarum, dum secundum se consideratur, est tanquam vacuum quoddam, cum sit effusio quædam sine termino, & sine eo, in cuius gratiam parata est, vt elicitur ex quarto Physicorum, contex. 15. & 59. Hac ratione Aristoteles in primo de Ortu, & interitu 31. & 32. dicebat: quod si Materia reperiretur seorsum à Forma, daretur separabile vacuum, & ita censeo debere legi, non commune, vt legitur in alijs, & ei respondent verba in tertio de Cœlo contex. 29. prolata. Sextò, vsurpatur Vacuum pro loco, ex sententia veterum, qui sit interuallum, & dimensio quædam, in qua corpus sit aptum recipi: quod Vacuum dupliciter considerari potest, vel separatum, hoc est seorsum à corpore locato, vel non separatum: Aristoteles vtrumque nititur renuere, præsertim tamen absurdum asserit, quod detur separatum, vt patet ex tertio Cœli 29. coniunctum autem cum corpore multi concedunt, vt Philoponus & alij. Secundò considerandum est, quod dum asserimus Mundum esse in nihilo; id duobus modis potest intelligi, vel cum affirmatione, adeò vt sit in nihilo, tanquam in loco, & fundamento: in qua significatione ea sententia falsa est; vt patet: vel potest intelligi per negationem, quod sit in nihilo, hoc est, non in alio, quia alio non eget, sed cum inter corpora sit sibi satis, in seipso per partes, & suam naturam esse dicitur. Accipiendum tertiò, inane, sumptum pro interuallo, dupliciter posse considerari, vel ita, vt interuallum illud verè sit dimensio aliqua, & aliquid in rerum natura ponat: vel quòd sit negatio, & sola non repugnantia, vt in eo corpus recipiatur. Aristoteles dum hoc reijcit, id vsurpare videtur in prima significatione; non in secunda: & pro eo euertendo vim habent rationes ab eo formatæ in quarto Physicorum. Nam Aristoteles hoc præsertim ostendit intra superficiem ambientis, quam locum dixit, aliam dimensionem non reperiri præter eam corporis inclusi; At si vsurpatur in secunda significatione, vt id vsurpasse puto veteres; tunc dicendum censo, inane veterum, nil aliud esse, nisi id nihil, de quo Aristoteles dixit extra Cœlum nihil esse: & hac consideratione, & distinctione, valemus Aristotelem cũ veteribus conciliare; & valemus asserere, dari vacuum extra Cœlum, & non dari: hoc etiam visi sunt concessisse Academici: hinc Plotinus in suo libro de Mundo, dubitat, si alij darentur Mundi, an collocatus in dorso vnius mundi, eos videre posset? indicans id inane, pro nihilo sumptum, extra Cœlum reperiri, & mediare inter Mundos, si plures darentur.

*Vacui nomen sex modis vsurpari*

*Esse in nihilo dupliciter intelligi potest.*

*Inane pro interuallo dupliciter consideratur.*

*Conciliatio Arist. cum veteribus.*

APPARVIT vacuum, ſumptum pro nihilo, non includens affirmationem vllam interualli & veræ dimenſionis, ſed ſolum indicans non repugnãtiam ex parte ſui, vt in eo ſint corpora, concedendum eſſe: negandum autem ſolùm dari vacuum, quod verè ſit locus, & propriè ſumptum, interuallum dimenſiones includens, ex quo conſtat, quomodo aduerſæ

*Rões Ariſtotelis.*

rationes ſolui debeant, & quid veri multæ earum includant, quidque falſi. Rationes Ariſtotelis oſtendunt extra Cœlum non reperiri vacuum, qui propriè ſit locus corporum, vel ſecundum, vel præter naturam; At dico ibi reperiri vacuum, quod nihil dicitur, quatenus non repugnat, vt in eo inſit corpus, in quo ſi imaginamur corpus reperiri, in eo erit non ſecundum naturam, nec præter naturam pro violento, ſed modo medio, excludente illas diſpoſitiones, ut dum imaginamur corpus Mathematicum eſſe in

*Inſtantiæ.*

loco. At vrget auctoritas ſecundo de Cœlo 27. ſupra relata, nobiſque conſpicuè aduerſari videtur, quia Ariſtoteles ait, Cœlum neceſſariò eſſe ſphæricum, ne detur corpus ſine loco, & locus ſine corpore. Reſpondeo, rationem illam eſſe probabilem, non neceſſariam, & eſſe formatam ſecundum communem veterum ſententiam, quòd omne corpus ſit in loco, cum tamen ipſe Mundum totum neget eſſe in loco. Addebatur, Si vacuum datur extra, cur non datur intra Cœlum? Reſpondeo, Mundum eſſe vniuerſitatem rerum, quæ vniuerſitas inane, pro nihilo ſumptum, ſuæ cõditioni aduerſum excludit, & renuit, & partes omnes, ut partes unius, pendentes ex vno, & in unũ conſpirantes, mutuam connexionem, & unitionem quærant, & ob id ne detur inane vehementiſſime mutuò ſe trahunt, & ad id cunctæ ſua natura, & conditione conſpirant. Addebatur, quòd tunc daretur locus immenſus, cui nullum corpus reſponderet, natum

*Zenarchus.*

in eo recipi. Zenarchus, referente Simplicio, ſatisfaciens huic difficultati decebat, inane non eſſe verè locum, natum ſuſcipere per naturam, vel violentia, ſed ſolum eſſe ſuſceptiuum, hoc eſt, ei non repugnare, vt corpus recipiat: ea autem poteſtas, quæ ſola eſt, non repugnantia, & nil aliud ponit, fruſtrari poteſt, ut dum dicimus, motui circulari, vt motus eſt, non repugnare interitum; & Formæ Mundi, ut in Materia; non repugnare

*Simplicius.*

multitudinem, quam ſolam non repugnantiam non conſiderans Simplicius minus rectè Zenarchum carpit, quaſi mutet ſolam vocem, non ſententiam. Addebatur, cur Mundus in eo immenſo vacuo non laberetur? at ſimiliter dubitare poſſumus, cur in nihilo non laberetur? Et dicimus primò ei aliam vllam propenſionem non competere; Addo cum Ariſtotele in octauo Phyſi. manenie primo, neceſſe eſſe manere omne, quod continuatur cum eo. Demùm dicebatur, cur potius in vna, quàm in altera immenſi inanis parte reperiretur Mundus? at ſimiliter cum Mundus ſit in nihilo, de eadem re ambigere valemus. Et ſoluens dico, in vacuo pro nihilo ſumpto, nec partes, nec differentias propriè reperiri: nam omne quod eſt, cum Mundo eſt, ſolùm dicimus non repugnare corpori, vt ab alio non ambiatur, non enim Mundus eget alio externo, in quo recipiatur, ſed ſibi ſatis eſt. Apparuit hactenus quomodo ea intelligi debeant, quæ aduerſus inane fuerunt allata. At perpendamus, quid veri includant ratio-

*Ratio pro inani diluitur.*

nes pro aſtruendo inani relatæ, quarum vna erat ea Epicuri, & Stoicorum quærentiũ, an Homo collocatus in finibus Mundi, ualeat manum extẽdere, vel arcu ſagittam expellere? Alexander in tertio Naturalium Quæſtionum, cap. 12. reſpondens, præſertim tria dicit, primò, quod ea eſt inanis quædam imaginatio; ſecundò, quod includit contradictionem, ſupponit enim nihil eſſe aliquid, ac ita quærit an in id poſſit manus extendi, & ſupponit extremum Mundi non eſſe extremum, & Mundum non omnia intra ſe includere; tertiò ait, manum extendi non poſſe, quia in nihilo non poteſt aliquid recipi, & impediri extenſionem, non quidem ab æterno aliquo corpore, ſed quia

*Simplicius.*

in nihilo nil recipi poteſt. Simplicius in primo de Cœlo, primum eorum, quæ relata

ſunt

sunt leue asserit, quia etiam impossibilia licet nonnunquam imaginari, vt perpendamus, quid inde sequatur: Reliqua approbat, & præsertim id primum est reijciendum, quia etiam Mathematici imaginantur diametrum Mundi extendi, & quouis corpore dato, imaginātur maius: & Theologi aiunt, Deum alios cōsimiles Mundos posse creare. Nam licet etiam imaginari corpus sine loco, vt in 4. Phys. cont. 5. ait Arist. corpus Mathematicum non esse in loco. Insuper alia quoq; solutio non satisfacit, quoniam (vt dixi) Mundus non eget loco, est in nihilo, & à nihilo amplectitur, cur itaque pugnantia includemus, si dicemus manum extendi? & dum asserit Alexander in nihilo non recipi aliquid; respondeo, in nihilo recipi intelligi posse dupliciter, vel cum affirmatione, vel cum negatione; recipi in nihilo cum affirmatione non contingit, id enim quod non est, recipere non potest; id tamen potest cōtingere cum negatione, asserendo corpus non alio egere, vt ab eo recipiatur, veluti de Mundo toto id asserimus, posset itaq; manus extendi, non tamen posset expelli sagitta, quia expulsio inanimorum non fit sine aere intermedio. Consimilibus fundamentis explicanda sunt cætera. Quare colligens dico, extra Cœlum nihil esse, & id nihil posse dici inane, non quia dimensionem aliquam propriam denotet, vel propriè locum, sed quatenus nil repugnat, extra Cœlum corpora reperiri, cum conditio corporis absolutè non sit, vt in propriè sumpto loco reperiatur, vt patet de vniuerso orbe, sed id solum sit conditio corporis grauis, & leuis, mobilis motu recto, & infra Lunam collocati. Et quamuis per naturā, vt ait Arist. in primo de Cœlo, vel præter naturam extra Cœlum non possit esse corpus, tamen & imaginatione Mathematica, & absoluta Dei potentia, non repugnat ibi corpus reperiri, & ibi erit per negationem, non secundum naturam. At addebatur, quia dicendo, Extra, denotamus differentiam loci. Respondeo, Extra, vsurpari tripliciter. Primò, pro vera differentia Loci, ac ita terra absolutè est intra, ignis extra, Elementa media, medio modo se habent, nam hæc propriè sunt in loco. Secundò, vsurpatur Extra, pro extremo corpore, maximè distante à medio, vel pro eius positione, in qua significatione Aristoteles in contex. 100. primi de Cœlo supremum mobile nuncupauit lationem extremam. Tertiò, vsurpatur Extra, per negationem, quia non intra, in qua significatione dicimus extra Cœlum nihil esse.

*Mundus nō eget loco. Recipi in nihilo dupliciter intelligi potest.*

*Corpus imaginatum extra cælum quō ibi erit.*

*Extra tripliciter considerari potest.*

## *Proponitur considerandum, an Mundus sit æternus? Opinionesq́, variæ referuntur.* Cap. XV.

Attinentia ad Mundi constitutionem, ad eiusque affectiones, ardua sunt, & superant humanum captum, & ea præsertim, quæ pertinent ad ortum, & interitum eius, de quibus nullo sensu valemus reddi certi, & iure optimo ad articulos Fidei, vt suprà humanam rationem posita attinere dicuntur. Propterea Plato hac de re in Timęo verba facturus, Deos, Deasq; omnes implorauit, & nunquam fuit ausus absolutè decernere, num Mūdus fuerit semper, nec ne. Arist. quoq; in primo Topicorum cap. 9. asseruit Problema de Mundi ęternitate, ob eius difficultatem Dialecticum esse. Cuius opinionis etiam fuit admirabilis Galenus in libris de Demonstratione, referente Auerr. in primo de Cœlo, comm. 22. necnon alij plures viri doctissimi, quare mirum non est, si de re hac variæ extant Philosophorum sententię. Ego cum lumine fidei constanter credam, Deum in principio creasse Cœlum, & Terram, vt tamen eminentiora, & vtiliora refulgeant munera superæ reuelationis, quid hac de re senserint Philosophi, & quo nos humana ratio ex Physicis desumpta deducat, mihi vnà cum Aristotele considerandum propono. Quam considerationem in quatuor partes distribuam: referam primò principalia capita opinionum, simulque afferam rationes nonnullas aduersus æternitatem Mundi. Referam secundò, & explicabo opinionem Aristotelis, eiusque potiores rationes. Per-

*Plato.*

*Aristot.*

*Diuisio considerationis de Mūdi æternitate.*

pendam tertiò, quid senserit Plato, & num re vera dissentiat ab Aristotele: Quartò, dubia soluam. His demum addam breuem eius opinionis relationem, cui toto animo adherendum est; De Mundi ortu, & interitu variæ veterum Philosophorum fuere sententię, quamuis enim de nonnullis consenserint, vt tamen ad id pertinet, de quo est sermo, in varias iuere opiniones. Consenserunt veteres, materiam Mundi æternam esse: Cum enim creationem noscere non valuerint, & omne quod sine creatione fit, Materiam exposcat, & sit necessarium in vnam primam materiam deuenire, cum ea sit prima, & ob id ex priore materia gigni non possit, ea absolutè sine ortu, & interitu æterna erit. Sic Empedocles Elementa quatuor dixit æterna; Diogenes Aerem, Heraclitus Ignem; Thales Milesius Aquam; Democritus, & Epicurus Athomos; Plato in Timęo, & Aristoteles in primo Physic. materiam primam asseruerunt æternam.

*De quo veteres cõsensere.*

At loquentes de Mundo summoperè fuere discordes, quorum sententiæ in quatuor prima capita rediguntur, vel enim putarunt Mundum ortum, & interiturum; vel nec ortum, nec interiturum; vel ortum, at non interiturum; vel vice versa non ortum, sed interiturum. Quicunque plures putarunt reperiri Mundos, vt Democritus, Epicurus, & similes, hi Mundos non secus, ac animalia gigni, crescere, decrescere, & interire existimarunt. Chaldæi, Ocellus Pythagoreus, & Aristoteles, & cum eo multi, vt Cleomedes, Plotinus, Proclus, & alij, Mundum dixere omni ex parte æternum. Plato, vt ei tribuit Aristoteles, nec non Anaxagoras, Mundo putarunt competere ortum, immunem autem esse ab interitu. Inquit Philo Iudæus, vir præclaro ingenio ornatus Platonem, opinionem suam deprompsisse ex Orpheò, & Hesiodo. Alij inquiunt ex Genesi. Differt tñ opinio his adscripta ab ea, quæ nostrorum est Theologorum. Primò ex parte Principij: nam Plato non ait Mundum creatum, sed ex materia primò inordinatè mota constitutum. Secundò ex parte Finis, quia Plato Dei voluntate in eadem dispositione ait seruandum æternum. Quarta est opinio eorum, de quorum lege erat Auerroes, qui Mundum dixere non ortum, sed interiturum, vt refert Auerroes in primo de Cœlo 102. Cum tot sint opinionum capita, Philosophi tamen, quorum sententiæ tempore Aristotelis florebant, & circumferebantur, de hoc consentiebant, quòd Mundus sit genitus, vt asseritur ab Aristotele in 1. de Cœlo 102. & in 8. Physic. cont. 2. quorum fundamenta primò nobis sese offerunt perpendenda.

*De quo fuere discordes. Opinio prima. Secunda. Tertia. Quarta.*

## *Rationes pro eorum parte, qui Mundum genitum existimarunt.* *Cap. XVI.*

MVNDVM non esse omni ex parte ęternum, varijs rationibus potest ostendi. Vtor primò ratione, quam maximi fecit Philoponus, Mundus est mole finitus, quare & virtute, igitur non est æternus, sed mortalis, omne autem mortale, etiam est genitum. Mundum esse mole finitum, satis constat, & approbatur ab Aristotele, ex quo infertur, virtutem eius esse finitam, quia Aristoteles in octauo Physi. 79. ostendit in magnitudine finita non posse inesse virtutem infinitę morę & conseruationis, & Auer. in 3. cap. de substantia Orbis, inquit. Dicamus, quòd si fuerit concessum omnem virtutem in materia esse finitam, nil refert, vt ad hoc pertinet, siue sit vis agens, siue patiens. Id ipsum affirmat etiã in 12. Metaphy. 41. Cæteræ consequentiæ ex se conspicuæ sunt: immo ad hoc astruendum vti valemus ratione Aristotelis in octauo Physic. 76. quia si corpus exiguum seruatur per aliquod tempus, maius seruabitur per maius tempus: at cum Mundus nõ sit mole infinitus, seruando proportionem, poterit seruari per tempus longum, & nõ infinitum, id enim ei competeret, si mole infinitus esset. Secundo omne, cui cõpetit contrarium, & materia, est mortale; Mundo vtrumque competit; est itaque mortalis, & ob id ipsum genitus: Maior est conspicua, nam ex contrario, & materia prodit ortus, & interitus,

*Pro Mũdo genito ratio prima. Secunda.*

interitus: Minor est Aristotelis in primo de Cœlo 92. dicentis, Mundum esse formam in materia. Confirmatur: quia forma Mundi est ordo, ordinatum, & inordinatum sunt contraria, quæ sunt satis pro ortu, & interitu, vt asseritur in 1. Phys. 46. ordinatū enim fit ex inordinato. Insuper idipsum ostenditur, quia Arist. in 5. Physic. cont. 8. inquit, in substantia non esse motum, quia in ea non est contrarium, quare cui competit motus, competit contrarium; Mundo competit motus, igitur contrarium. Tertio ita argomentor: *Tertia.* Omne compositum est nouum; Mundus est maximè compositus; igitur nouus, & propterea genitus, & interiturus: maior est Auerrois 12. Metaphy. 39. dicentis, omne compositum est nouum, nisi dicat aliqua componi ex se, & si qua essent, quæ ex se componerentur, tunc ex se prodirent ex potestate ad actum, & mouerentur ex se sine motore; Id ipsum asseritur in 3. disp. in sol. 19. dubij, quo loci ait Auerroes: at id, quod posuit Algazel, quod omne, pendens ex causa, est possibile esse, non est verum, nisi de compositis; non enim potest inueniri compositum æternum. Idipsum etiam approbatum fuit à Platone, qui in Timęo dixit, omne ligatum esse solubile; at cōposita omnia, dicuntur modo aliquo ligata; quare solubilia, & mortalia. Quarto loco vti possumus *Quarta.* ratione Plat. in Timęo, quæ talis est; omne habēs corpus, & quod sub sensum cadit, gignitur, & genitum est; Mundus est hmōi, vt ex se constat; Maior ostēditur, quia tale est opinabile contradistinctum ab intelligibili, quare vt proprium est rei intelligibilis verè esse, & non gigni; ita proprium rei opinabilis, esse vmbram verè entis ex eo pendere, & gigni, ac genitum esse. Theophrastus (ex relatione Philonis Iudæi in *Theophrastus quatuor vtebatur signis.* lib. de Mundo non Interituro) asserebat, quatuor principalia esse, quæ nos inducere valent in suspicionem de Mundo, quod ortui, & interitui sit obnoxius. Quorum primum est inæqualitas Terræ, nam si Mundus semper fuisset, iam diu mōtes cecidissent, *Primum.* & æquati fuissent vallibus. Alterum sumitur ex Maris, & Terræ continuata consumptione, *Secundum.* sensim enim Mare videtur minui, cum multæ insulæ, vt Rhodus, Delus, & aliæ, quæ prius maris vndis erant coopertæ, nunc aridæ, & discoopertæ inspiciuntur, quod indicat, aquam continenter consumi, si aqua, igitur & terra, & aer, quare continenter hæc contenta excalefacta ab igne in ignem trāseunt, adeò vt demùm cuncta in ignem videantur reuersura, vt asserebat Heraclitus. Tertium signum sumitur ex Mundi partibus, *Tertium.* nam id cuius partes sunt mortales, mortale est, partes Mundi sunt huiusmodi; Nulla enim est pars Terræ, quæ non dissoluatur, & pereat, aqua continenter in vapores transit, aer sæpè putrescit, ignis deficiente combustibili extingitur: ideo Vulcanus dicitur claudus, quia semper alteri, tanquam baculo hęret. Quartum signum sumitur *Quartum.* ex ortu rerum, quæ in terris reperiuntur, & præsertim hominum. Nam si Mundus esset æternus, semper præfuissent homines; si homines, etiam Artes, & Scientiæ, nec harum celebrarentur primi inuentores, at singularum Scientiarum, & Artium celebrantur inuentores, non itaque semper fuerunt homines, & consimiliter nec Mundus. His *Quintum.* addere valemus signum quintum, quod nonnulli plurimi faciunt, id autem sumitur ex facultatibus, & viribus rerum natura constantium, percipimus enim facultates animalium, & plantarum minui, & cuncta in deterius labi; vetustioribus temporibus gignebantur homines maiores, & diuturniores, hæc indicant cuncta senescere, senium autem est via ad interitum. Lucretius ex Epicuri sententia libro quinto varijs vtitur *Lucretius.* signis, & rationibus, vtitur enim signo tertio loco relato: vtitur insuper signo alio ab historijs sumpto, cum enim extent obseruationes plurium millium annorum, cur non extarit etiam præcedentium, ideò dicebat

*Præterea si nulla fuit genitalis origo,*
*Non alias alij quoque res cecinere Poetæ,*
*Quo tot facta virum toties cecidere, nec vsque*
*Aeternis famæ monumentis insita florent?*

Et si quis respondens dicat, id contigisse vel ob inundationes, vel ob combustiones, eualio nulla apparet: inundatio enim vel est vniuersalis, vel in parte, similiter confla-

gratio; ſi in parte, debuiſſent hiſtoriæ, & annales in alijs partibus ſeruari; ſi Vniuerſalis, tunc periſſent omnes homines, nec alij potuiſſent gigni. Præterea ſi accidere poſſunt tam magnæ permutationes, etiam concedi debet interitus Mundi; non enim res

*Ratio Ariſtotelis.* æterna, tam vehementibus permutationibus ſubijci apta eſt. Præterea Ariſtoteles in lib. de Motu animalium, pulchra pro Mundo interituro vtitur ratione, inquiens, Mundus eſt ordo rerum à Cœlo ſeruatus: quare ſi permutatur motus Cœli, interibit ordo, & Mundus: Antecedens eſt poſſibile, quare & conſequens: aſſumptum oſtenditur, quia Cœlum reuoluitur circa Terram immobilem; Terra eſt corpus exiguum, & exigua Mundi portio, quare ab alijs ſuperari poteſt, & à ſuo loco remoueri; ſi terra à medio remouetur, Cœlum, quod voluitur circa terram, permutabitur, & ob id variabitur ordo ſimplicium corporum, & diſſoluetur Mundus.

*Henricus.* Præterea Henricus vir doctiſſimus, quol. 1. q. 7. ita argumentatur, Si aliqua creatura ſemper fuiſſet, ea per æternam moram neceſſariò eſſet, nec vllo pacto poſſet non eſſe, etiam per abſolutam Dei poteſtatem; Nam ponatur quòd à Deo in nihilum redigatur, vel in nihilum redigi poteſt ab æterno, & tunc quia ponitur fuiſſe ſemper, & ab æterno in nihilum redigi; ſimul erit ab æterno, & non erit, vt argumentatur Ariſtoteles in primo de Cœlo, contra Platonem: ſi aſſeris non poſſe ab æterno in nihilum redigi, ſed citra æternitatem; iam fateris ab æterno fuiſſe, & per vniuerſam illam æternitatem non potuiſſe non eſſe, & quia omne æternum eſt neceſſarium, carens potentia ad eſſe, & non eſſe, vt patet ex 9. Metaphyſicæ 17. ab æterno quoque res illa neceſſariò fuiſſet, quod pugnat cum omnipotentia Dei, & cum conditione creaturarum, quæ eſt, vt pendeant ex Deo.

*Alia ratio.* Præterea omnes ſanæ mentis fatentur Mundum eſſe opus Dei, filium eius, ab eo factum: At in omni, quod factum eſt, reperiri debet primum; nam negare primum, eſt negare id eſſe factum; æternum enim vt æternum, non poteſt eſſe factum; ſi habet primum, igitur & vltimum.

*D. Tho.* Inſuper argumentatur D. Tho. ſecundo Senten. diſt. prima, Si mundus fuiſſet ſemper, daretur infinitus numerus actu animarum hominis, cum tamen Ariſtoteles in tertio Phyſic. oſtendat infinitum actu non dari.

*Alia ratio.* Præterea argumentantur alij; Si Mundus eſſet æternus, quæuis intelligentia eſſet immenſæ virtutis, quod eſt abſurdum, ita enim non differrent à Deo; deducunt conſequentiam, quia quæuis cognoſcit ſuas reuolutiones, nec obliuiſcitur, quare cognoſceret infinitas reuolutiones; infinitũ autem, vt infinitum, non poteſt cognoſci, niſi ab intelligentia infinita. Inſuper eadem conſequentia ſecus deducitur, quia Ariſtoteles ex eo, quòd motores Cœli mouent ſemper, colligit eſſe virtutis infinitæ: at ſi Mundus eſſet æternus, omnes intelligentiæ mouerent ſemper, & ita omnes eſſent infinitæ virtutis. Hinc Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ, cum ex æterno motu intuliſſet motores eſſe ſeparatos, quærens quot ſint, ait eſſe plures, & eos non poſſe eſſe in materia, ſed cunctos debere eſſe ſeparatos, ob eandem rationem, nempè, quia mouent ſemper, vt etiam elicitur ex octauo Phyſic. 79.

*Henricus.* Hinc Henricus de Gandauo, & Vicomercatus in 12. Metaphyſicæ, ob hanc rationem in hanc venere ſententiam, quòd ex opinione Ariſtotelis omnes Cœli motores eſſent

*Ratio alia.* immenſæ virtutis, quod apprimè eſt abſurdum. Præterea nil inordinatum eſt à natura, vel ſecundum naturam: ſi Mundus eſſet æternus, careret ordine, quare eius æterna conſtitutio, nec à natura, nec ſecundum naturam eſſe poterit. Maior eſt Ariſtotelis in octauo Phyſic. 15. Similiter Minor, quia in infinito non ſeruatur ratio, quare nec ordo; cum omnis ordo ſit quędam ratio, vt in eodem contextu affirmat Philoſophus.

*Rationes Philoponi.* Demùm afferri poſſent inſtantiæ Philoponi, & rationes variæ, ducentes ad abſurda, nam ſi Mundus eſſet æternus, tempus, & motus fuiſſent ſemper; quod ſi dicimus, in varia labimur abſurda, ita enim infiniti ad infinitum eſſet ratio; vnum infinitum eſſet maius altero; infinitum pertranſiuiſſet; infinito poſſet aliquid addi, & alia ſimilia, quę quoniam relata ſunt in quæſt. de æternitate motus, hoc in loco prætermittuntur.

## *Rationes pro æternitate Mundi. Cap. XVII.*

*Vetustiores Philosophi putarũt Mũdum æternum.*

*Ocellus.*

QVAMVIS Philosophorum plurimi asseruerint Mundum genitum; vetustiores tamen illum putarunt ęternum; & propterea sumpto nomine ab ęterno cursu, Cœlum nuncuparunt ęthera. Caldæorum sapientes similiter putarunt Mundum æternum. Ocellus, discipulus Pythagoræ, varijs rationibus eius æternitatem comprobauit; de quo loquens Philo Iudæus, in libro de Mundi æternitate, ait; Incidi fortè fortuna in commentarium Ocelli, hominis Lucani, cui de Vniuersi Natura titulus, in quo Mundum incorruptibilem nedum asserit, verùm etiam argumentis conatur ostendere. Proclus, Plotinus, & principaliores inter Academicos, varijs ostensionibus conati sunt patefacere Mundum omni ex parte æternum: Ego equidem, vt vnà cum Aristotele idipsum aliqua Arte efficiam; capita inspiciam principalia, & ex octo, quasi fontibus, rationes haurire conabor; Primò id facere valemus inspiciendo Mundi Opificem, primumque principium eius: Nam Mundi principium, & auctor; vel Deus est, vel Natura: si Natura; quoniam ea semper est eadem, & semper vno modo, pro facultate, & dum potest, operatur; ideò quæcunque ex ea prodeunt, semper, & consimiliter pendent; & prodeunt; quare si ex ea penderet Mundus, veluti penderet, si solum consurgeret ex propensione corporum grauium, & leuium, vt multi veterum existimarunt; vtique æternus, & consimilis semper esse deberet: Naturæ enim officium est consimiliter operari: & si adest varietas operis, vt etiam adsit causa varietatis, necesse est, quemadmodum asseritur in 8. Physico. 15. Si autem pendet ex Deo, vt re vera pendet, & consentiunt, qui rectè sentiunt, longè magis videtur iudicandus æternus; primò ob eius conditionem, nam opera mortalia ex mortalibus opificibus prodeunt; Deus est æternus, immo ipsa æternitas, ideò opus eius debet esse æternum, nam opus Dei est æternitas, vt asseritur in secundo de Cœlo 17. Ideò Plato in Timæo inquit, producta à Deo æterna esse. Secundò idipsum elicitur ex ratione, ob quam Mundus prodit ex Deo, nam vt Theologi asserunt, & affirmat Plato in Timæo; Deus Mundum produxit, quia bonus, & vt addit Aristoteles in proœmio Metaphysicæ, nulla detinetur inuidia: Quo præassumpto, ita argumentor, Deus est ipsum bonum, & ratione boni Mundus tanquam vmbra, & affectio sequitur Deum; Deus semper est bonus, quare Mundus semper illum sequitur, & vt actio proba, semper sequitur virtutem, & virum probum, ita Mundus supremam probitatem, nam vt se habet de ratione, per quam aliquid efficitur, ita de eo, quod efficitur putandum est se habere. Insuper cum sit ipsum bonum, & nulla detineatur inuidia, eum Mundus sequitur, vt potest optimus: at præstantior est Mundus æternus, quàm mortalis, quare illum sequitur Mundus æternus, & præsertim quia sic est eminentior participatio boni, & consimilior suo Genitori. Confirmatur: quia boni conditio est fœcunditas, Deus est optimus, igitur fœcundissimus: at ex summa fœcunditate, opus prodit absolutissimum, quale solum est opus æternum. Prætereà, idipsum elicitur ex eo, quod Deus est actus purissimus, nulli potestati permixtus, cumulatissima perfectione semper præditus; hinc ita argumentor, Opifex, vt Opifex, semper est præstantior, vt est actu, quàm vt est potestate, & præsertim, quia id cuius est opus, est gratia operis, vt dicitur in 2. de Cœlo 17. quare cum Deus semper sit Opifex, & actus perfectissimus, nunquam debet esse potestate; At si ab æterno ex eo non prodijsset Mundus, tunc potestate fuisset, quare vt semper sit actu, necesse est, vt vnà cum æternitate Mundus ex eo pendeat, & prodeat. Prætereà, quia Deus est ipsum bonum, necessariò id vult quod est bonum, & non vult quod est malum; Mundus est ordo, qui bonus est, inordinatio malum, vult itaque Mundum, & ita vult, vt est melius: at pro æterno melius est, bonum enim diuturnius est eligibilius, vult itaque Mundum non pro

*Primum caput rationũ pro Mundi æternitate.*

*Plato.*

definito, sed pro æterno tempore, nam dicere quod solùm velit pro definito tempore, est asserere, quod non velit bonum absolutè, sed in parte. Confirmatur; quia à principio æterno, consimiliter se habente, consimiliter, & semper idem prodit. Præterea, cum ex Deo pendeat Mundus, est necesse, vel quod Diuina mens sit Mundus Idealis, vt cum Theologis aiunt Academici; vel quòd sit Mundus eminens, vt fatetur Aristoteles, qui in 12. Metaphysi. 52. Deo tribuit ordinem eminentem, tanquam Duci: vtrouis modo se habeat, semper colligimus Mundum corporeum esse imaginem Mundi eminentis, participationem, & imitationem eius, vt fieri licet. Cum autem Mundus eminens degat supra tempus, in æternitate; Mundus sensilis æternitatem cum successione temporis includere debet, alioquin non æmularetur parentem suum, quod indicaret imperfectionem, & diminutionem sui Opificis; Ordo itaque sensilis, respondens ordini intelligibili, æternitatem temporis includere debet, respondentem æternitati absolutè, supra tempus positæ. Consimili ratione vtitur Plato in Timęo, patefaciens tempus esse imaginem æternitatis, eique congruenti ratione respondere. Demùm hoc elicitur ex modo operandi Dei extrinsecùs: Nam ex sententia Aristotelis (vt suo loco patefeci) Deus extrinsecùs operatur, & mouet cum quadam necessitate Naturæ, propterea quòd ex eo prodit, & pendet, semper, & pro facultate pendet, non autem pro definito tempore, & præsertim, quia huius varietatis nulla videtur posse assignari ratio, cum Deus mutationi non subijciatur, & opera cuncta naturalia consimilem semper ordinem seruare inspiciamus. Ex primo itaque fonte variæ, & efficacissimæ rationes hauriri posse videntur.

## *Rationes, ex alijs fontibus haustæ, pro eadem Mundi æternitate. Cap. XVIII.*

*Secundum caput rationum.*

QVONIAM Principio efficienti recta ratione Principium patiens respondet; propterea ex efficiente ad patiens progrediendo, ex eo quoque satis conspicuæ, & efficaces rationes eliciuntur: nam Mundus cum sit corporeus, materiam exposcit, materia vniuersa Mundi est æterna, quare Mundus quoque æternus est: de antecedente consentiunt omnes Philosophi, & iure consentiunt, non enim valent non consentire, ratio est: quia si materia inciperet esse, cum non valeat incipere per generationem, præsupponentem materiam, deberet creari, & ex nihilo fieri, quæ creatio est supra sensus, & supra humanam rationem, ac propterea ignota Philosophis. Ex æternitate Materiæ, infertur æternitas Mundi, primò, quia Materia non seruatur sine forma: Formarum primæ sunt illæ elementorum, quare elementa sunt æterna, elementa non seruantur sine ordine Vniuersi, ad quem per naturam sunt procliuia. Secundò, quia Materia, & Forma sunt ad aliquid, quorum si vnum est æternum, necesse est alterum modo aliquo æternum esse: Formæ autem sunt naturæ, cuius conditio est ordo, vt dicitur 3. Cœli 24. Ordo autem rerum Mundus est. Tertiò, quia si materia est æterna, etiam æterna est generatio, quæ comitatur materiam; non seruatur autem generatio sine ordine principiorum ad eam conspirantium: nam Sol, & Homo generant Hominem, 2. Physic. 26. Tertiò elici possunt rationes ex forma Mundi: nam si Anima Mundi est Deus, cum Forma sit æterna, etiam Mundus debet esse æternus: si autem dicatur, Deum non propriè esse Formam Mundi, saltem fateri cogimur, Mundum esse domicilium Dei, æterno autem solùm æternum congruit domicilium, vt asseritur in primo de Cœlo 22. Si Mundi Forma est Anima, à Deo distincta, vt aiunt Academici, ea est ingenita, & immortalis, vt à Platone in Phedro ostenditur; Si Mundi Forma est Ordo, vt in præcedentibus patuit, quemadmodum Ordo originalis, & eminens, est æternus, ita eius imago debet esse æterna, & præsertim, quia Ordo est natura rerum, vt dicitur 3. Cęli 24. Natura autem æterna est, cum sit ministra Dei. Præterea, Ordo est bonus, & pulcher,

*Æternitatem materiæ sequitur æternitas Mūdi.*

*Tertium caput rationum.*

cher; inordinatio verò mala, & turpis; Deus ea sola vult, quæ sunt bona, & pulchra. Demùm si Mundi Forma est eius essentia, conditio Mundi est, vt sit omne, totum, & perfe-ctum; non autem esset talis, nisi esset, omni, toto, & absolutissimo tempore; deesset enim ei aliquid si aliqua ex parte non esset. Quartò, elici possunt rationes ex Fine, qui Finis, vel est Deus, vel rerum perfectio, & participatio summi boni: si in Deum cōuertimur, cum sit æternus, etiam Vniuersum ordinatum in illum, debet iudicari æternum. Si Mundus enarrare debet gloriam Dei, quo fuerit diuturnior, & præstantior, eo latiùs, & diuturniùs eā enarrabit. Si Mundus ex Deo prodit, ne sterilis sit fœcundissima conditio boni, quia semper fœcundus fuit, semper debuit Mundus ab eo prodijsse. Si Finis est perfectio rerum, & participatio summi boni, quia esse est maximum naturæ bonum; non esse, maximum naturæ malum; & semper esse est melius, quàm non semper esse, debet Mundus esse semper. Demùm, si Mundus ex Deo pendet, vt sit hominum, & intelligentiarum domicilium, cur debet esse domicilium pro parte, & non pro vniuerso tempore? cur pro æterno noluit Deus hoc pulcherrimum domicilium suis creaturis concedere? Quintò elici potest Mundi æternitas ex eius conditionibus, & affectionibus, Mundus est corpus vniuersum, nil extra se derelinquens, ideo si debet gigni, vel interire, aut id habet ex se, aut à Deo; non ex se, quia nil se generat, aut per naturam destruit; non à Deo, cur enim Deus Mundum destrueret? vel enim id faceret, vt nullum alium construeret, vel vt similem, vel vt potiorem, aut deteriorem producc-ret; non primum, quia id malum est, esset enim absolutè interitus; non vt producat deteriorem, quia id similiter malum esset; non vt æquè perfectum, id enim esset frustra; non vt potiorem, quia hic formosissimus est, & optimè se habet, alioquin errasset in eo formando. Præterea, omne generans, vel corrumpens id facit per aliquod corpus alterans, quod sit extra rem generandam; at extra Mundum aliud corpus, quod Mundum alterare valeat, non reperitur: hanc rationem tetigit Plato in Timęo, inquiens, nullum corpus fuisse extrinsecus derelictum, ne ab aliquo lædi posset. Neque dicere valemus, Mundum per suas pugnantes partes, in se agere, seque destruere: ea enim per partes destructio, est innouatio earum partium Mundi, quæ sola successione valent seruari æterna: conditio Mundi est, cuncta seruare, ideò interitus quoque in eius conseruationem dirigitur; nil in Mundo absolutè interit, solùm res Formam mutant, solùm variantur in orbem, ex se in se, adeò, vt nullius Finis sit absque alterius principio, nam semper hac conditione variantur, vt vnius interitus, sit alterius generatio; nil enim est adeò malum, quin Dei prouidentia dirigatur in bonum; sic interitus in generationem dirigitur. Sexta via, sextumque rationum caput sumitur ex Natura, & conditione Cœli, ita enim argumentari licet; Cœlum est æternum, igitur & Mundus; consequentia est conspicua, quia Cœlum est pars maxima, & principalissima, cæteras intra se continens, & seruans, ad quas perinde, ac Forma se habet. Assumptum ostenditur ab Aristotele in primo de Cœlo, Primò, quia motui Cœli nil est contrarium, quare nec naturæ, & essentiæ eius. Secundò, quia nulla vnquam in Cœlo apparuit facta permutatio, quamuis accuratissimè seruata, literisque tradita sint omnia, quæ apparent in eo. Tertiò, quia Cœlum est corpus primum, igitur est æternum: deducitur consequutio: quia si esset genitum, non esset primum; omne enim, quod generatur, exposcit aliquid supra se, per quod generetur; ideò rectè Auerroes in primo de Cœlo, comm. 2 [?]. ait: Omne, quod generatur, semper gigni per aliquod corpus prius eo, alterans, & dirigens ad ortum alterius, & ob id, nullum corpus mortale potest esse primū. Similiter Aristoteles in primo de Cœlo 100. dixit, sæpè declaratum fuisse in ostensionibus Encyclijs, omne primum, & supremum carere transmutatione. Septimum rationum caput elici potest ex conditionibus rerum, quæ gignuntur, & intereunt. Primò, quia omnia quæ gignuntur, & pereunt, prædita sunt contrario; Mundo nil est contrarium, & nil extra se habet. Secundò, quę gignuntur, etiam crescunt, & minuuntur; Mundus non crescit, nec minuitur. Tertiò, quæ gignuntur, ab externo aliquo alterantur; Mundus totus à

*Quartū caput rationum.*

*Caput quintum.*

*Caput sextum.*

*Caput septimum.*

nullo

nullo externo alterari potest, cum non adsit. Quartò, quæ gignuntur, etiam multiplicantur numero; Mundus multiplicari non potest. Quintò, ea quæ gignuntur, & præsertim viuentia, è quorum numero est Mundus, ætatum varietate sunt prædita; Mundus non adolescit, vel senescit, sed consimilis semper seruatur. Sextò, Vniuerso repugnat interitus, nam Vniuersum est absolutè id, quod est: id quod absolutè, & vniuersè est, nec gigni, nec interire potest: nam si gigneretur, vel fieret ex ente, vel ex non ente, neutrum contingere potest, vt argumentabantur veteres Philosophi, quorum ratio hac consideratione vim habet, quia ens absolutè gigni non potest, sed ingenitum, & immortale est, vt asseritur ab Aristotele propè calcem 9. Metaphysicę; solùm gigni possunt partes entis: at ens vniuersè sumptum nequaquam: Mundus est ens totum, & vniuersum. Ad hoc rationum caput etiam redigitur ratio sumpta ex primi indiuidui generatione, quæ sic formatur: Non datur primus homo genitus, nec primus Leo, & ita de Multis; igitur Mundus absolutè principium non habuit. Consequentia est cōspicua, si enim Mundus fuisset genitus, darentur prima indiuidua specierum, producta, dum Mundus fuit genitus: at ea dari nequeunt, non enim primus homo dari potest, quia homo à solo homine, Leo à solo Leone gigni possunt, ideò Aristoteles in libro de Gen. Animalium, cumulatè ostendit, primum hominem genitum dari non posse, quod si dicimus Adam à Deo fuisse creatum, iam supra humanam rationem eleuamur, nos modò quærimus, quò nos deducat humana ratio, quæ ex solis sensilibus sua principia recipit, & per opera physica nos eleuat in notitiam principiorum; creatio ad fidem pertinet, quam Reginam statuo. Octauum, & postremum rationum caput elicitur ex æternitate motus, & temporis: Nam motus est æternus, & ita æternus, vt detur motus vnus numero, æternus, & continuus; igitur & Mundus est æternus. Consequentia est conspicua, non enim motus potest esse vnus, æternus, & continuus, nisi etiam mobile eo motu sit vnum, & æternum: assumptum latissimè à me ostensum fuit in libro de Motu, quas ostensiones nolo inaniter repetere: constat itaque, Mundum esse æternum, eius æternitatem nobis varia patefacere, & nil nobis in Physicis se offerre, quod oppositum manifestè, nos enim & maiores nostri semper consimilem inspeximus Mundum, quomodo itaque propria ratione suspicari possumus, vel illum fuisse genitum, vel aliquandò interiturum?

*Ratio ex cōditione primi indiuidui.*

*Caput octauum.*

## *Opinio asserentium Aristotelem cum Platone idem sentire de Mundi æternitate.* *Cap. XIX.*

OStenso cum Aristotele Mundum omni ex parte esse æternum, sequitur modo, vt consideremus, quid hac de re senserit Plato, & num cum Aristotele consentiat, nec ne. Putarunt Academicorum principaliores, quamuis Aristoteles asserat Mundum omni ex parte æternum, & Platoni tribuat, quòd existimauerit Mundum non fuisse semper, sed habuisse principium; tamen litem solùm esse positam in verbis, de re autem idem sentire, & Platonem solum explicare voluisse Mundum modo aliquo pendere ex Deo, nec verè esse, sed continēter fieri, non autem quod absolutè in aliquo temporis principio fuerit genitus. Huius opinionis fuere Proclus, Plotinus, Numenius, Iamblicus, Syrianus, Simplicius, & alij multi, quorum sententia, vt clarior pateat, referenda primò sunt Platonis verba, quibus Mundum genitū patefacit. Plato in Timęo, disputaturus de Mundi ortu, implorato prius Diuino auxilio, hæc verba protulit, Principio mihi ita distinguendum esse videtur, quid sit, quod semper est, carens generatione, quid vero, quod gignitur, neque est vnquam, illud intellectu, per rationis indaginem intelligi potest, cum semper sit idem, hoc opinione, per irrationalem sensum attingi, cum gignatur, & intereat, nec verè vnquam sit, quicquid autem gignitur, ex aliqua causa necessariò gignitur,

*Opinio Platonis.*

*Verba Platonis.*

gnitur, sine causa oriri quicquam non potest. Quando igitur opifex in operis constructione ad id, quod eodem modo se habet, semper aspicit, & huiusmodi quodam vsus exemplo, ideam, vimque in opus deducit, pulchrum fieri tunc opus omne necesse est; quando verò ad id, quod factum est respicit, minimè pulchrum. Vniuersum igitur hoc Cœlum, siue Mundum, siue quouis alio vocabulo cognominemus, cum explicandum proponatur, de eo primum consideremus, quod in quæstione de vniuerso, ante omnia inuestigari debet: Vtrum ne semper fuerit, sine vllo generationis principio; an genitum sit, ab aliquo principio sumens exordium? Id profectò cernitur, tangiturque, & corpus habet, omnia verò huiusmodi sensus mouent: quę sensus mouent, opinione per sensus percipiuntur, hæc verò talia esse constat, vt gignantur, & genita sint; quicquid autem gignitur, ab aliqua causa necessariò gigni asserimus, Opificem quidem, & Patrem Mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris, prædicare, & eloqui vulgo impossibile, &c. Et post pauca. Dicamus, quam ob causam ille rerum Auctor, generationem, & hoc vniuersum constituit, Bonus erat, Bonus autem nulla vnquam de re inuidia tangitur; igitur cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant simillima fieri voluit. Et paucis interiectis. Itaq; cum vellet Deus bona omnia fore, nihil verò quatenus natura pateretur, malum; quicquid erat, quod in cernēdi sensum cadere posset, assumpsit; non tranquillum, & quietum, sed temerè agitatum, & fluctuans, idque ex inordinata fluxione, redegit in ordinem, hoc enim iudicabat esse præstantius. His verbis Plato de ortu Mundi, suam sententiam protulit. De interitu autem dixit, Dij Deorum, quorum opifex ego, & pater sum, hæc attendite, quæ à me facta sunt, me ita volente, indissolubilia sunt: omne siquidem quod iunctum est, solui potest; sed malum est, quod pulchrè compositum est, seque habet bene, velle dissoluere. Quapropter quia geniti estis, immortales quidem, & indissolubiles omninò non estis, nec propterea vnquā dissoluemini, nec mortis fatum subibitis; nam voluntas mea maius, præstantiusque vobis est vinculum, ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis tunc cum gignebamini colligati, &c. Platonis verba Mundi generationem explicantia, à defendentibus ex eius sententia æternitatem, explicantur, vel quod Plato patefacere voluerit differentiam inter corporea, & abiuncta, vt prima verba subindicare videntur, nam corporea à Platone non dicebantur esse, sed fieri, & ideò ea sub sensum cadere asserebat, vt indicaret continenter fieri. Vel aiunt, Platonem nomine geniti denotasse dependens, vel constitutum, & compositum ex principijs suis; vel demùm Mundum esse genitum ex parte generis, quatenus Mundo, vt corpus est, non repugnat generatio, vt neq; Talpæ, quatenus animal, repugnat videre. Confirmant hanc sententiam, quia Plato ait, opificem construxisse Mundum, quia bonus; at ipse semper fuit bonus. Insuper inquit, nulla detineri inuidia, & Mundum, vt fieri licuit, sibi voluit esse simillimum; at non esset simillimus, nisi æternus. Præterea, declarans Plato quo pacto tempus vnà cum Mundo genitum respondeat æuo, siue æternitati Diuinæ Mentis, ait, Illius animalis, hoc est, Mundi intelligibilis, æterna natura est, quod genito operi congruere omnino non potest; Iccirco imaginem æui mobilem effingere decreuit, ac dum Cœlum exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis, æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Et post pauca, Tempus vnà cum Cœlo factum est, & ad exemplar æui, ideo factum est, vt Mundus hic, illi præstantiori, vt fieri potest simillimus sit, ille enim Mundus, huius exemplar, omne per æuum est, hic verò perpetuo per omne tempus fuit, fitque solus, & erit, &c. Si itaq; tempus est imago æui; & si Mundus perpetuò per omne tempus fuit; videtur dicendum, quod omni ex parte sit æternus. Insuper quòd Plato non sit loquutus de vero Mundi ortu, in aliquo temporis principio, adeò vt prius non fuerit, satis conspicuè ex eo elicitur: quia primò voces explicans, & declarans, quid nomine geniti denotet, id explicat, vt contradistinguitur ab intelligibili, & vero ente; & dixit illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cum semper sit idem; hoc opinione per irrationalem sensum attingi, cum gignatur, & intereat,

*De interitu Mundi.*

*Explicatio verborum Platonis.*

*Cōfirmatio.*

reat, neq; verè vnquam fit, &c. Apertè his verbis indicauit Plato, nomine geniti, denotatè non verè ens, sed continenter pendens, & fluens. Confirmat hanc sententiam Simplicius; quoniam quod fit in tempore, habet tempus præexistens; at ex Platonis sententia tempus non præcessit, sed vnà cum Mundo factum dicitur. Præterea, Plato in Phędro, Animam Mundi asserit æternam, inquiens, quod semper mouetur, immortale est; quod verò aliud mouet, ab alioq; mouetur, cùm terminum habeat motus, terminum habet & vitæ, solùm ergo quod seipsum mouet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat moueri. Insuper ait, Mundum esse immortale animal, habens animam, & corpus secundum naturam per omne tempus coniuncta. Similiter Materiam, & quatuor elementa posuit æterna: Si igitur æterna est Anima, æterna est Materia; & anima non est sine corpore, nec materia sine forma, & elementa sine ordine, conspicuè colligitur, illum putasse Mundum omni ex parte æternum esse. Et quamuis Plato in Timęo explicet animę generationem, in Phędro autem dicat ingenitam, non ob id secum pugnat: quia in Phędro, ab anima remouet generationem propriè sumptam in aliquo temporis principio; in Timęo explicat, quomodo pendeat ex Idea, & intrinsecùs sit constituta ex principijs suis: Nam anima, ex sententia Academicorum, vt particeps est Mentis, eleuatur supra generationem, & tempus; ex parte suæ propriæ conditionis est media; vt nectitur cum corpore, subijcitur tempori, & generationi. Præterea, in 10. de Repub. ait, vitam hominis, ad vniuersum tempus relatam, nihil esse; & in 3. de Legibus sub initio inquit, per infinitum tempus præfuisse homines, & annos ait innumerabiles. Hanc sententiam nouit Auer. & ob id in 1. de Cœlo 104. dixit: Defendentes Platonem inquiunt, quod similitudo generationis Mundi ex suis elementis, cum generatione figurarum ex lineis, & superficiebus à Platone, significat, quòd Mundus semper fuit apud eum, & quod non denotabat per hunc sermonem, nisi quòd partes eius sunt priores natura, toto; non quod ipse fuerit verè genitus; & si hoc denotabat, nil differt eius sententia, ab opinione Arist. attamen errauit inquiens, Mundum esse genitum, & non corruptibilem, hoc enim non intelligitur ex generatione, nisi cum difficultate, & præsertim, cum dixerit, ex non ordinato redactum fuisse in ordinem, &c. Quicunque sunt huius opinionis, aiunt Mundum ab æterno fluxisse, & continenter pendere ex Deo, per simplicem emanationem, & conseruationem, quæ latè dicitur generatio, per quam generans præcedit non tempore, sed origine, & natura, & in hac significatione intelligendum aiunt dictum Timęi Locri, quòd Deus animam Mundi creauit suo corpore priorem, tum potestate, tum tēpore, hoc est, origine. Similiter explicatur sententia Platonis in Timęo, dicentis, Ille verò tàm generatione, quàm virtute priorem, antiquioremq; animam corpore constituit, vtpotè quæ obedienti corpori esset imperatura, &c. Propterea inquiunt Porphyrius, Proclus, & Plotinus, tempus, & generationem, quibus anima corpus antecedit, non esse externum interuallum, sed tanquam successionem quandam in anima, quæ in ipsa formarum discursione antecedat origine Mundi motum: quod ex eo colligunt; quia Mundus semper fit; Anima verò minimè, sed est propriè. Confirmatur: quia ait Plato, tempus esse genitum vnà cum Mundo, quare non potest anima verè esse prior tempore Mundo, sed tantum ordine quodam originis, & rationis. Similiter cum Plato dicat, Mundum esse solubilem, & mortalem, seruari tamen æternum voluntate Dei, aiunt, aliquid esse solubile, dupliciter posse intelligi; vel quia id verè sit genitum, & includat interna principia interitus, & hoc non seruatur æternum, nec Mundus ita est solubilis; vel quia id, quod est, non habeat ex se, sed pendet ex alio, quo alio dempto, id non esset, & hac consideratione Mundus dicitur solubilis, ideò dixit Aristoteles 9. Metaphy. 17. si nō essent substantiæ abiunctæ, nihil esset, & Auerr. in 2. cap. de substantia orbis, ait. Et debes scire, quod corpus cœleste non eget virtute mouente in loco semper tantum, sed largiente virtutem sibi, & suæ substantiæ permanentiam æternam, quoniam etsi simplex sit, nec includat potestatem ad interitum; tamen est finitæ actionis necessariò, cum sit finitarum dimensionum.

Opinio,

## *Opinio, & fundamenta asserentium Platonem verè putasse Mundum genitum, secus ac putauerit Aristoteles.* *Cap. XX.*

QVAMVIS (vt apparuit) præclarissimi Academicorum satis firmis rationibus nixi asseruerint ex sententia Platonis, Mundum omni ex parte esse æternum: Ex aduerso tamen Aristoteles, & cum eo Alexander, Philoponus, Seuerus, Atticus, Plutarchus, & alij multi, ei tribuunt, quòd verè putauerit Mundum genitum, & verè esse principio præditum, adeo vt ante non semper fuerit, idque aiunt nonnulli Platonem desumpsisse ex Moyse, & propterea, vt Moyses in Genesi dixit, in Principio creasse Deum Cœlum, & Terram, ita Plato in Timęo ait, in principio creasse Deum ignem, & terram, nomine ignis denotando Cœlum, quod ex parte dominantis ignem aiunt esse Academici. Confirmatur horum opinio primò: quia Plato in Timęo ait, Materiam ante Mundi ortum fuisse non tranquillam, nec quiescentem, sed inconstanter agitatam, & fluctuantem, ac ex inordinatione ad ordinem fuisse redactam. Et si quis dicat id de Materia fuisse prolatum, non quia re vera tempore præcesserit, sed docendi gratia, vt pateat quomodo ex suis principijs Mundus pendeat, more Mathematicorum, qui frequenter lineas ducunt, figurasque construunt docendi gratia; Aduersus hanc euasionem insurgit Philosophus in primo de Cœlo 105. inquiens, Hoc autem non est idem, in designationibus enim positis omnibus esse simul, idem accidit; in horum autem demonstrationibus non idem, sed nequeunt esse simul; quæ enim accipiuntur priùs, & posteriùs, sub contraria sunt, ex eis enim quæ aliquando erant inordinata, aiunt facta fuisse ordinata, vt autem idem simul sit ordinatum, & inordinatum, fieri nequit; necesse enim est generationem inesse, separantem, ac etiam tempus. In Mathematicis autem designationibus, nihil tempore seiunctum est, &c. Cum itaque Plato Materiæ Mundi ante ortum, & post ortum Vniuersi ea tribuat, quæ inuicem pugnant, & distincta tempora exposcunt, cogimur fateri, ex Platonis sententia Mundum in aliquo temporis principio fuisse genitum. Insuper tertio Cœli, contex. 21. cumulatè ostendit Aristoteles non potuisse elementa ante Mundi constitutionem sine ordine moueri. Secundò, eadem sententia confirmatur: quia Plato Cœli, & mortalium eandem constituit materiam primam, & Mundum constare proximè dixit ex quatuor elementis, nam vt refert Porphyrius in lib. de abstinentia ab esu carnium, Architas, & Aristoteles fuere primi, qui Cœli materiam, ab ea mortalium secreuerunt. Cum itaque Mundus totus ex materia communi, & quatuor elementis constet, & composita ex his verè ortui, & interitui subijciantur; verè ex sententia Platonis Mundus debet iudicari genitus. Tertiò, quòd Plato sit loquutus de Mundi ortu in principio temporis, & non de æterna emanatione, vel continuata conseruatione, ex eo colligitur, quia dum proponit difficultatem, genitum opponit ei, quod semper fuit, inquiens, Vtrum ne semper fuerit, sine vllo generationis principio, an genitum sit, ab aliquo principio sumens exordium? &c. Cum itaque sumatur genitum, vt oppositum ei quod est semper, quia Mundus dicitur genitus, igitur ex sententia Platonis non semper fuit. Quartò, id ipsum confirmatur: quia Plato non quærit, an Mundus continenter fiat, sed an genitus sit, quod ad solum principium generationis referri potest. Quintò, idipsum elicitur ex Euthydemo, quo loci referens sophisma ad ostendendum nos semper, & omnia scire, ait, Cõstat itaque, quod puer sciebas, & quando genitus es, & quando natus, imò, & antequam nascereris, & ante Cœli, Terręq; ortum, sciuisti oĩa, si modo semper scis, &c. Apertè his verbis indicat Plato, Mundum non fuisse semper, cum dicat ante Cœli, Terræque ortum. Sextò, ait Plato in Timęo, Dies porrò, & noctes, & menses, & annos, qui ante Cœlum non erãt, tunc nascente Mundo nasci iussit. Inquiens, ante Cœlum non fuisse menses, &c.

*Platonẽ ex Moyse sum psisse suam sententiam.*

*Ratio prima.*

*Arist.*

*Secunda.*

*Porphyrius.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Sexta.*

*Ratio septima.* ses,&c.indicat apertè, Mundum non semper fuisse. Septimò, Plato de ea loquitur generatione, & Mundi principio, de quo alibi dubitauit; at alibi se ancipitem patefecit de principio temporis, & vero ortu, vt patet ex sexto de Legibus, necnon ex decimo, quo loci etiam ait, quòd anima ante omnia corpora nata est, & transmutationis, ornamentique corporum principium est, quod indicat corporeum Mundum non fuisse semper. Insuper in lib. de Regno, inquit, priscos homines ex Terra fuisse ortos, quare concedit homines primos. *Postrema ratio.* Demùm quòd Plato verè putauerit Mundum genitum, satis apertè elicitur, considerando, quod inanes videntur solutiones difficultatum, quibus vti eos dixi, qui sunt aduersæ sententiæ: Nam præsertim inquiunt, Mundum dici genitum, quia non verè est, sed continenter fit; *Alexāder.* At argumentatur Alexander, referente Simplicio, primo Cæli 100. Cum Plato vtatur tempore præterito, inquiens, ex inordinata agitatione, redigi in ordinem; non ait continenter redigi, sed absolutè fuisse redactum. Præterea, si Plato de eo loqueretur, vt Mundo tribuit ortum, ita tribueret interitu. Propterea, si Plato de eo loqueretur, vt Mundo tribuit ortum, ita tribueret interitum: at ipse solum ortum, non interitum illi tribuit. Similiter non valemus dicere, quod solùm denotare voluerit Mundum pendere vel manare ex primo principio, vel compositum esse, & ex suis principijs esse constitutum; Primò, quia inquit Mundum esse genitum, quia cernitur, tangitur, & corpus habet: at ex primo principio etiam varia pendent, expertia corporis, vt Anima, & Mens. Insuper Plato, ex eo, quòd Mundus est genitus, infert, quod sit mortalis: at quòd aliquid sit mortale, non colligitur ex eo, quòd continenter fiat, vel quia pendeat, vel constet ex principijs suis: nam Anima quoque ex Deo pendet, & ex suis principijs constat, vt dicitur in Timęo, quæ tamen non dicitur mortalis à Platone, sed in Phędro & ingenita, & immortalis ostenditur. *Cōfirmatio.* Cōfirmatur: quia dum aliquid dicitur genitum, & solubile, ita intelligi debet genitum, vt opponitur solubili: at Mundus à Platone ex se in tempore dicitur solubilis, nisi seruaretur à Deo, quare genitum ei oppositum pro principio temporis intelligi debet. Demùm, si Plato tam impropriè, vel pro dependente, vel pro eo, quod non verè sit, sed continenter fiat, vteretur nomine geniti; res ex se fuisset conspicua, & nulla adfuisset dubitatio, hoc enim vbique tanquam conspicuum supponitur à Platone, & ob id non adeò trepidare debuisset, nec pro diluenda difficultate Deos, Deasque inuocare, vt illum in Timęo fecisse compertum est. *Conclusio.* Iure itaque Aristoteles Platoni tribuisse videtur, illùm putasse Mundum verè genitum, vereque principio præditum.

## *Quæ de Mundi generatione fuerit sententia Platonis, opinio propria. Cap. XXI.*

*Opinio propria.* SATIS dubia apparuit de Mundi generatione opinio Platonis, adeò, vt iure optimo Viri sapientes, de ea non consentiant, qua de re, vt dicam, quod sentio, tres profero assertiones. Prima est. Plato de eo, quòd Mundus ex Deo pendeat, à Deoque seruetur, quòd ex principijs suis constet, nec verè sit, sed continenter fiat, se certum patefecit. Altera est. Plato de eo, quòd Mundus vel fuerit semper, vel certo quodam temporis principio à Dei Mente fuerit constructus, apertè fuit anceps; Tertia est. Dum Platonis fundamenta, & principia perpendimus, potiùs putandum est, quòd inclinauerit in eam partem, quòd fuerit semper, quàm in oppositam, quamuis ea fundamenta cogere non existimauerit. Vt hæc resolutio reddatur conspicua; considerandus primo est modus *Modus philosophandi Platonis.* philosophandi Platonis, quem si accuratè perpendimus, inueniemus, quòd ipse de attinentibus ad Gloriam Dei, ad hominis erga Deum pietatem, & rectam eius institutionem, semper se certissimum patefecit: vt de Prouidentia Dei, de eo, quòd sit omniū princeps, & cuncta ex eo pendeant, & de alijs huius generis. Econtrario verò, de in-

differen-

differentibus, de complicatis cum Materia, quæ ancipitis sunt conditionis, inueniemus, quod vnà cum suo Socrate frequenter asseruit, vnum scio, quod nihil scio, & se ancipitem patefecit: Huiusmodi est hoc, de quo agitur, nempe num ab æterno, vel definito quodam principio temporis, Mundus ex diuina Mente prodierit, ideò de hoc se frequentet ancipitem patefecit. Ex his constat veritas duarum primarum assertionum, quæ elicitur etiam ex verbis Platonis, & ex ratione, qua vtitur; nam quod ad verba pertinet, in sexto de Legibus inquit, Scire omnes oportet, hominum generationem, vel nullum vnquam prorsus habuisse principium, neque terminum habituram, sed fuisse omnino semper, & fore; aut si cœpit, inæstimabili ante nos temporis interuallo incepisse. Insuper in decimo de Legibus ait; Si quouis modo vniuersa simul steterint, vt plurimi talium audent dicere, quem motum potissimùm primum, in ipsis fieri asseremus? &c. apertè Plato se ancipitem patefacit, & nil audere hac de re decernere affirmat. Hinc oritur, quod ipse modò ea profert, quæ indicant Mundum definito temporis principio fuisse ortum; modò verò indicantia oppositum. Et inde etiam prodijt opinionum varietas. Confirmo hanc resolutionem auctoritate Galeni, qui Platonem maximè sequutus est, ipse in libro de Demonstratione, referente Auerroe primo Cœli 22. dixit, Problema de Mundi æternitate esse Dialecticum. Insuper Aristoteles in primo Topicorum, cap. 9. similiter dixit Problema hoc, ob eius difficultatem esse Dialecticum, idque ab Aristotele enunciatum puto, ex opinione Platonis; consueuit enim Aristoteles in afferendis exemplis, loqui populariter, & ex aliorum sententia. Puto itaque Aristotelem hanc veritatem nouisse, & ob id asseruisse Problema de Mundi æternitate esse Dialecticum. Quòd si in primo de Cœlo Platoni tribuit, quòd asseruerit Mundum genitum, non interiturum, putandum est id fecisse, quia verba in Timęo prolata, primo intuitu id denotare videntur: vt verò pertinet ad ostensionem, qua Plato vtitur ad ostendendum Mundum genitum, constat eam solùm habere vim pro ostendendo Mundum pendere ex opifice, constare ex principijs, nec verè esse, sed fieri; non autem quòd in aliquo temporis principio cœperit esse, nam sensile, attinete ad opinionem, opponi intelligibili, & verè enti, semper fieri & nunquam esse, & alia huiusmodi, quæ Plato de Mundo profert, nil aliud indicant, nisi id, quod dixi. Tertia assertio erat, quòd Plato potiùs ad æternitatem, quàm ad oppositum inclinare videtur, quod patet ex æternitate animæ, Materiæ, exemplaris, & rationis, ob quam Mundus ex Deo prodijt, nempè quia bonus. His tamen principijs non adeò firmam adhibuit fidem, vt putauerit cogere, & non posse secus se habere. Ex his colligo, longè à vero eos recedere, qui vt de cæteris, ita hac de re Aristotelem cum Platone conciliare nituntur. Modus philosophandi, principia, & instituta eorum sunt varia; ideò sententiæ quoque magna ex parte sunt variæ. Aristoteles constanter censuit Mundum omni ex parte æternum. Plato sequens suum philosophandi genus, se ancipitem patefecit. At diluenda remanet ea instantia, quam in primo de Cœlo, contex. 105. affert Aristoteles aduersus eos, qui cum Plat. tueri nituntur æternitatem Mundi, nam ait Aristoteles, Platonem materiæ Mundi opposita tribuere exposcentia distincta tempora, vt quòd primò sit ordinis, & constantiæ expers; mox ordinata, & constans. Respondeo Platonem patefacere voluisse, quæ competant Mundo ex conditione materiæ, & quæ munere Opificis, & ea inordinatio, & fluxio tributa materiæ intelligi debet per priuationem, & negationem, non modo contrario, & ita distinctionem temporum non exposcit.

Cōfirmatio.

Galenus.

Ostēsio Platonis.

Tertia conclusio.

## *Diluuntur rationes aduersæ, & primò prima.* *Cap. XXII.*

*Genitum et mortale reciprocātur.*

APPARVIT ex opinione Aristotelis, Mundum omni ex parte esse æternū; nam genitum, & mortale, ingenitum, & immortale inte se reciprocantur: & iure profectò; Si enim aliquid est genitum, necessariò antequam gigneretur potuit gigni, & potuit esse, potentia ad esse, nititur materia, vt fundamento, quæ eadem est principium oppositorum, vt patet ex 9. Metaphysicæ 17. quare omne genitum potest non esse, & quod potest non esse mortale est. Confirmatur: Quoniam omne genitum includit materiam, est præditum contrario, est alterabile, subijcitur tempori, & est præditum potestate ad esse, & non esse; omne autem tale est mortale, & necessariò interit, eum nil ex euentu intereat, sed omne mortale necessariò pereat, vt dicitur in calce 10. Metaphysicæ; omne itaque genitum est mortale, & omne mortale est genitum, quia ortus, & interitus in eodem versantur, & ex eisdem principijs prodeunt: Quod ostenditur ab Aristotele in primo de Cœlo, quia omnis potestas ad esse, vel non esse est terminata per maximum quod potest: at si aliquid posset esse infinito tempore, & etiam non esse, si ad actum redigeretur, quia id non potest fieri pro distincto tempore, simul tempore esset, & non esset, quod aduersatur primo principio, quod est, de nullo simul est vera affirmatio, & negatio. Et confirmatur, quia præditum potestate ad semper esse, & non esse, oportet vt semper sit; quod enim non est, non est præditum potestate, vt ait Simplicius, quare si ponamus quod non sit, simul erit, & non erit. Vt genitum, & mortale inuicem reciprocantur, ita ingenitum, & immortale. & ratio est: quia ambo carent contrario, materia potestate ad esse, & non esse: non subijciuntur tempori, nec alterationi, ex quo elicitur Mundum, vel omni ex parte esse æternum, vel ex neutra: quod comprobatur efficaci illa ratione, qua vtitur Aristoteles in calce primi de Cœlo, quia quando duæ distinctiones veræ sunt de omni, quod est, & membrum vnum vnius distinctionis reciprocatur cum membro vno alterius, etiam membrum reliquum necessariò reciprocatur cum reliquo; at genitum reciprocatur cum mortali, vt patuit, igitur ingenitum reciprocabitur cum incorruptibili. Sed quia cum Aristotele est ostensum, Mundum esse æternum; superest modò, vt diluamus aduersas rationes.

*Ingenitum, & immortale reciprocantur.*

*Regula.*

*Ratio prima.*

Quarum prima eliciebatur ex 79. cont. octaui Physic. & ita formabatur: Nullum corpus finitum est præditum virtute infinita; Mundus, siue Cœlum, est corpus finitum, igitur non infinita, sed finita virtute est præditum, omne autem præditum virtute finita mortale est, quare &c. Pro diluenda hac difficultate Simplicius, Auer. D. Thom & alij plurimi, non parùm laborarunt, & Auerroes non semel, sed sæpe conatus est eam soluere veluti in 8. Physic. in lib. de substantia Orbis, in 12. Metaphy. & in disputationibus contra Algaz. sed prætermissis aliorum solutionibus, eam solam afferam, quam approbandam puto; Dico igitur: institutum Aristotelis in calce octaui Physic. esse, patefacere motores Cœli non esse virtutes materiatas, extensas, & diuisibiles, sed à materia secretas; ideò ostendit, nullam virtutem materiatam posse mouere semper: at statim quòd motores Cœli statuuntur separati, valent mouere semper, quia mouendo, non mouentur, & ob id non laborant, nec debilitantur. Inspecto instituto Aristotelis, facilè est ex eo elicere solutionem propositæ difficultatis, dicebatur Mundus est corpus mole finitum, concedo; addebatur, nullum corpus finitum esse præditum virtute infinita. Respondeo loquendo de Mundo, qui consurgit ex ordine distinctarum partium, quarum vna seruat alteram, eius partes sunt inspiciendæ; si consideramus contenta sub orbe lunæ, ea sunt mole finita, prædita similiter virtute finita; ideò nequeunt numero seruari æterna, at seruantur successione indiuiduorum munere Cœli; si loquimur de Cœlo, id est corpus simplex, non conflatum ex materia, & forma, sed ex mo-

*Institutum Arist. ī calce 8. Phys.*

ex motore separato, & mobili, quod mobile est materia, non generationis, sed motus; & vt materia generationis est æterna, ita & longe magis materia æterna motus, erit æterna. Et dum instatur, quia est corpus finitum: concedo. Igitur est præditum virtute finita. Respondeo, in eo non reperiri virtutem illam, de qua in 8. Phys. loquebatur Aristoteles, quæ est forma materiata, ex qua pendeat motus; sed virtus mouens est separata, virtus autem ad formam pertinet; in Cęlo mobili nulla includitur forma, & ideo non valemus inferre in eo esse virtutem finitam; & confirmatur per id, quod dixi, quia si materia mortalium est æterna, vt ostenditur in primo Physic. 82. longè magis æterna erit Materia Cœli, quæ est materia motus, non subiecta ortui, & interitui; Sententia itaque illa, Virtus corporis finiti est finita, vera est de composito, cuius virtus ad formam pertinet, quæ nec semper seruari, nec semper operari, nec semper agentibus resistere valet; & in hac significatione vera est sententia Auerrois in cap. de substantia Orbis, quòd nulla virtus in materia, & finito corpore potest esse æterna, siue sit agens, siue sit patiens. At *Instantia.* instabit aliquis, quia dicimus Cœlo competere virtutem ad esse semper, quare videtur Cœlo virtus competere. Respondeo, virtutem vsurpari dupliciter, vel propriè, & hæc *Solutio.* pertinet ad formam, de qua loquitur Aristoteles in 8. Physic. 78. & 79. vel latè pro essentia rei, cui nec contrarium competit, nec principium corruptionis, in qua significatione dicere valemus, primæ materiæ, & Cœlo competere potentiam, vt semper sint, de hac potentia loquens Auerroes in calce cap. de substantia Orbis, dixit Cœlo sat esse priuationem causarum interitus, pro sui conseruatione. Quòd si asseruit Cœlum egere virtute conseruante, per id solum denotauit, quod pendet ex alio, & seruatur per motum; non quòd sit præditum interno principio interitus, sic itaque Cœlo competit, & non competit virtus, & potentia ad esse, & ob id rectè dixit Auerroes, Cœlo non competere potentiam ad esse, nec finitam, nec infinitam, nam considerauit virtutem pro forma, quę in materia fit, & ex materia pendeat, de qua loquebatur Aristoteles in 8. Physi. 78. & 79. Patet insuper, leuiter D. Tho. in primo de Cœlo in exp. 20. contex. aduersus Auerroem *D. Thomas.* hæc verba proferre; Manifestè Auerroes aduersatur Aristoteli, qui in æternis ponit virtutem, vt semper sint, deceptus autem fuit Auerroes: quia existimauit virtutem essendi pertinere solum ad potentiam patiendi, cum magis pertineat ad potentiam formæ, quia vnumquodque est per suam formam, & tam diu res est, quam diu forma habet vim, vt sit, ideò huiusmodi virtus etiam in substantijs separatis reperitur, hæc D. Tho. At errat: *Euersio.* quia Auerroes loquitur de potentia, per quam res potest esse, & non esse, hæc ducit ortum ex prima materia: D. Thomas accipit potestatem ad esse latius, de qua etiam dicimus, quòd omne quod est, potest esse, alioquin non esset. Insuper non censuit Auerroes virtutem essendi solùm pertinere ad potentiam patiendi, nam hanc quoque nouit competere formę, vt est apta resistere suo contrario, hinc forma extensior dicitur diuturnior; sed optimè Auerroes cum Aristotele nouit potentiam contradictionis ortum ducere ex materia, & solùm competere rebus ex materia pendentibus. At adhuc dubitatio non *Instantia.* videtur exactè soluta: quia dicentes Mundum esse æternum, ei tribuimus potestatem definitam ad esse semper, & indicamus virtutem, & potentiam quandam, in magnitudine autem finita non reperitur virtus ad semper esse, nam in exigua Mundi portione reperitur virtus, vt sit non pro Infinito, sed pro aliquo tempore, in maiori portione, vt sit pro longiori tempore, quare in magnitudine Mundi finita, solùm reperietur virtus, vt sit, & seruetur tempore finito. Responsio patet ex dictis: nam Mundus est æternus per Cœ- *Solutio.* lum; Cęlum non est compositum, sed simplex corpus, cui nil est contrarium; ideò non est aptum interire, nec gigni, & est expers potentiæ contradictionis, dicitur autem definitum ad esse, & habere potentiam, vt semper sit, sumendo potentiam pro conditione, & virtute eius, & negatione principiorum interitus; & ea regula vera est de composito mortali, cuius formæ contrarium competit: simplici autem materiæ & corpori, vt non contrarium ita non valet competere interitus.

## *Diluuntur aliæ Rationes.* Cap. XXIII.

*Secunda instantia diluitur.* Innuabatur secundo loco, dicendo, competere Mundo Materiam, & contrarium, & ob id competere ortum, & interitum. Quòd competat Materia, patet: quia dicitur constare ex vniuersa materia. Quòd etiam competat contrarium, patet: quia ordini inordinatio opponitur, & motus non est sine contrario. Respondens dico, Mundum seruari æternum per Cœlum, cui nec materia competit, quæ sit origo interitus, nec competit contrarium, quod sit satis pro interitu. At dicebatur, ei competere lationem, igitur & contrarium. Respondeo, competere Cœlo circumlationem, pro qua sat est oppositio partium per diametrum: at hæc oppositio ad locum pertinens, non est ea, quæ requiritur pro ortu, & interitu. Addebatur, ei competere ordinem, cui aduersatur, tanquam priuatio, inordinatum. Respondeo, ordinem esse naturam rerum, & dum aliquid est natura alicuius, non potest illud deserere, & oppositum recipere; quousque itaque seruabitur Cœlum, seruabitur ordo Cœlorum, & elementorum: quia rerum natura est; Ac insuper quia ordo Cœlorum non est in materia mortali, & variabili, & pendet ab

*Ratio tertia. Gandau.* ordine originali Diuinæ mentis, à quo seruatur. At tertia ratio magis vrgebat, dicebatur enim omne compositum esse nouum, & ob id genitum, & mortale, Gand. 14. Meth. q. 14. duas affert solutiones: Vnam, Omne compositum est nouum vel in substantia, vel in accidentibus: Cœlum est nouum ob accidentia, nempè ob motum, & lumen, & oppositiones varias: humana mens ex agente, & possibili conflata est noua per atti-

*Euersio.* nentia ad officium intelligendi. Hæc solutio vera non est: nam si compositum, quia compositum, dicitur nouum; vt est compositum, ita erit nouum; si itaque est compositum secundum substantiam, etiam secundum eandem erit nouum; Mundus autem secundum substantiam compositus est: hoc confirmatur per verba Auerrois 12. Metaphysicæ 39. dicentis, omne compositum est nouum, nisi dicatur quædam componi ex se. Confirmatur: quia sententia absolutè prolata debet intelligi per se, vt dicitur in primo Physic. 74. quare, cum compositum absolutè dicatur nouum, id debet intelligi per se, vt compositum. At fortè sumpsit Gand. eam solut. ex Auerr. disput. 3. solut. 18. dub. dicente, omnis compositio noua, quatenus accidens est, & omne accidens apud eos est nouum & c. verùm hoc ad rem non facit: quoniam Auerroes per hæc verba denotauit compositionem esse aliquid posterius, & accidere his, quæ componuntur, vt dicimus accidere igni esse elementum: Nam ignis absolutè est prior se ipso, vt elementum est. Soluit secundo loco Gandauensis, ex sententia aliorum inquiens; Nonnulli aiunt, omne compositum esse nouum, intelligendo id compositum, quod ex principijs transmutationis constat, & hoc consonum est causæ, eo in loco ab Auerroe traditæ; At hoc non est satis; tum quia Auerroes hoc profert in 12. Metaphysicæ, loquens de Diuina Trinitate, quam nemo ponit ex principijs transmutabilibus conflatam: tum insuper, quia adhuc remanet sententia in 3. disput. & solut. 19. dubij prolata, quo loci asseritur,

*Zimara.* compositum non esse æternum, ex quo constat decipi Zim. Theor. 41. in quo hanc sequitur, & approbat explicationem, inquit enim: dum dicimus omne compositum esse nouum; si nomine noui intelligimus non primum, sed pendens, nulla est dubitatio; Si intelligimus generabile, & corruptibile, vt dicitur disput. 3. tunc ea sententia limitanda, & contrahenda est ad compositionem ex potentia passiua, quæ contradictionis est.

*Opinio quorundam.* Nonnulli recentiorum elucidantium, reiecta hac Zim. limitatione, ex propria sententia aiunt, id debere intelligi de composito ex varijs substantijs, quod est per se vnum, vel ex forma dante esse, & subiecto recipiente: ob primam conditionem compositum spiritale ex perfectione, & perfectibili, hoc est, ex Intelligentia, & intelligibili, potest esse æternum: ob secundam conditionem, compositum ex Intelligentia, & orbe, po-

*Euersio.* test esse æternum, similiter Mundus. Hæc opinio varia includit errata, primò non recte sup-

tet supponit compositionem ex Intelligentia, & Intelligibili esse ex aliquo spiritali, contradistincto ab eo, quod reale dicitur; non autem ex substantijs: nam Intelligentia vel intelligit superiores per essentiam earum, vel per suam; si per essentiam earum, ea erit compositio ex duabus substantijs; si per sui essentiam, ea non est compositio, nisi secundum modum, & formam repræsentandi. Quòd autem Intelligentia intelligat per notiones spiritales, siue species impressas, ea est sententia Theologorum, non Peripateticorum. Insuper errant, qui hoc dicunt, quia reijcientes primò opinionem Zim. aiunt, Auerroem sua enunciatione remouere à prima forma omnem compositionem; at ipsi mox eam ita exponunt, vt per illam enunciationem ita expositam non remoueatur à prima forma omnis compositio, quia adhuc poterit esse composita illis compositionibus, quas suis limitationibus excludunt. Demùm ea opinio in idem venit cum ea Zimaræ, ab illis damnata. Nam quia compositum per se vnum, constitutum per formam dantem esse, est compositum ex potentia passiua transmutabili; ideò est nouum, immo est ea deterior, quoniam per eam Zimaræ assignamus causam primam, ob quam compositum est nouum, & mortale; id enim euenit, quoniam includit potentiam passiuam; non quia sit per se vnum per formam dantem esse, quod patet: quia si daretur per se vnum per formam formantem, & non constaret ex potentia passiua, non esset nouum, & mortale, vt patet exemplo opinionis, putantium Intelligentias formare Cœlum, nec non exemplo opinionis Simplicij, & Alexandri Aphrod. putantium Cœlum esse compositum ex Anima, & Orbe. Cæterorum itaque opinionibus prætermissis, puto minus rectè cæteros sentire, quia confundunt ea, quæ non sunt confundenda, & in idem redigunt sententias varias. Nam Auerroes 12. Metaphy. disputans aduersus diuinam Trinitatem, ab eo non rectè perceptam, ait, omne compositum est nouum, & eo loci denotauit non primum, sed ex causa pendens, quod primo principio aduersatur, & quod hoc denotauerit, patet, considerando rationem, quam eo loci affert, inquiens: nisi dicant quędam componi ex se; & Gandauensis aliquando verba illa ita exposuit, vt etiam Suessanus in 12. Metaphysicæ, quamuis in 3. disput. contra Algaz. in fol. 19. dubij aliter sentiat. Dum autem Auerroes in 3. disput. in fol. 19. dubij similem sententiam profert, non loquitur de Deo, sed de Intelligentijs, inquiens: omne ex causa pendens, est possibile, & addit hoc non esse verum vniuersè, sed de pendente ex causa, & de composito, quod ait non esse æternum, quia compositum vnum includit materiam, quæ est initium potentiæ, & interitus; loquitur itaque ibi Auerroes de composito includente materiam primam, ob quam est possibile. Soluens itaque rationem, dum dicitur omne compositum est nouum, dico, si proferatur in prima significatione, denotatur dependens, quod verum est de Mundo: si in secunda, dico, Mundum non esse compositum vnum ex materia, & forma, sed vnum subordinatum, cuius æternitas proximè pendet ex Cœlo, quod est corpus simplex, primam materiam non includens; ideò seruatur vnum numero æternum: cætera solum sunt æterna successione. At inquit Plato, omne ligatum est solubile; Dicamus id esse verum, nisi ligamentum fuerit insolubile, quale est Deus, nam Dei virtute, vt ait Auerroes, ligatur Mundus, non corporeis ligamentis. Insuper id verum est, nisi ligamentum fuerit propria natura rerum, quali ligamento corpora physica iuncta sunt. Ratio autem Auerrois aduersus diuinam Trinitatem non habet vim, tum quia cum ea Diuinitate seruatur vnitas, & simplicitas, tum quia ex se prodit, & est vnius essentiæ communicatio. Rationes, & signa à Theophrasto excogitata, facilè diluuntur. Dicebatur primò, iam Montes, & Valles æquatæ fuissent. Respondeo, id contigisset, nisi adessent causæ efficientes eam inæqualitatem, & conseruantes: At radij Solis in terram, & aquam agentes, sunt causæ conseruantes, præter alia nonnulla ad id conducentia. Dicebatur secundò, aquam, & terram sensim consumi. Id inficiari debemus, nam vt partes quædam pereunt, ita aliæ reficiuntur; & inde oritur, quòd modò vna, modò altera terræ pars mergitur, & inundatur aquis, vt in primo Meteotorum docet Aristoteles. Insuper si consumerentur, deberet

*Opinio propria.*

*Plato.*

*Auer. perperã disputat aduersus Trinitatem.*

*Signa a Theophrasto relata.*

seruata proportione consumi terra, & aqua, ac ob id non appareret Terra aridior. Addebatur tertiò, partes Mundi perire, dico id esse verum, nôn de Cœlo cuncta seruante, sed de elementis, quorum partes cum intereant sunt principium generationis aliarum; ideò pereunt secundum partes, seruatur totum successione partium. Quartò dicebatur, scientias, & artes prædictas esse principio, & primis inuentoribus: Hoc, quod assumitur, falsum iudicatur ab Aristotele, vt patet ex primo Meteororum, & primo de Cœlo; ideò non primi artium, & scientiarum referuntur inuentores, sed restauratores, infinities enim perierunt, & innouatæ sunt artes, & scientiæ. Addebatur quintum signum, quoniam cunctorum facultates minui, & in deterius labi videntur. Oppositum enunciatur ab Aristotele: Natura enim semper & vbique est eadem; Cœli virtus, cætera seruans, consimilis est, & nulla vnquam in Cœlo apparuit varietas; accidit tamen, quòd cum homines dum senescunt, quia ipsi debilitantur, & in deterius labuntur, putant cunctis id ipsum competere, solùm adest aliqua varietas, & mutatio in hominibus viuentibus secundum rationem, modò in deterius, modò in melius. Addebantur rationes Lucretij, quæ leuissimæ sunt, ac de principali earum, ex obseruationibus, inundationibus, & combustionibus desumpta, dico, ex sententia Aristotelis non dari inundationem vniuersalem, nec secundum naturam dari posse, nisi sola diuina facultate; dantur tamen inundationes particulares, vt dicitur in primo Meteororum; & nulla est terræ pars, quæ aliquando vel igne combusta, vel aquis inundata non fuerit; & propterea ea, quæ obseruatione diuturna seruata fuerant, periere; & noua ob negligentiam non fuere seruata: Bella quoque memorias euerterunt. Hinc Plato in Timæo Græcos vt negligentes damnans, inquir, eos semper esse pueros, nec memoriam seruare vetustissimarum rerum, vt Barbarorum nonnulli. Nec permutationes, quæ in partibus terræ apparent, tales sunt, vt indicent Mundum interiturum; cum partes illæ, immo tota terra, sit ferè insensilis Mundi portio. Ratio sumpta ex Aristot. in lib. de Motu Animalium, per principia eiusdem facilè diluitur: Nam Deus est principium immobile, ex eius immobilitate pendet immobilitas Centri, & polorum, per quos immobiles seruatur Mundus immobilis. Hinc Aristoteles in libro de Motu Animalium, auctoritate Homeri ostendit Deum immobilem, & in octauo Physic. 52. ait: manente principio, necessariò manere omne, quod continuatur cum eo; nam ex immobili principio pendet Cœlum, & vniuersa natura; & nil datur in Vniuerso, quod quærat destructionem quietis Terræ, sed omnia conspirant vna cum natura Terræ ad eius conseruationem. Ratio ab Henrico excogitata, quemadmodum nixa fundamentis Theologorum, magni est roboris; ita per principia Aristotelis, nullam affert difficultatem, & ratio est: quia & creatio, & in nihilum deductio, & potestas Dei immensa, & potentia absoluta, distincta ab ea, quæ per mediam naturam operatur, à principijs Peripateticorum longè distant, vt etiam modus operandi extrinsecùs contingenter. Addebatur ratio: quia Mundus dicitur à Deo factus; igitur haber primum, & principium. Aristoteles assumptum minimè iudicat verum: Mundo enim competit causa efficiens conseruans; non autem ex non esse deducens ad esse. Plato concedit assumptum, de consequentia; & consequente est dubius. Nec desunt, qui, concesso assumpto, negent consecutionem, vt Zimara, & alij, qui cum Aristotele concedunt Mundo causam efficientem, qua de re seorsum disserui. nam dissident inter se viri grauissimi an Mundus valuerit ab æterno esse creatus. Henricus de Gandauo quol. 1. q. 7. putat nullam creaturam potuisse ab æterno creari, quia creatum esse necessariò primum includit, quod infinito aduersatur; & huius sententiæ videtur fuisse Philoponus in disput. contra Proclum. Ex aduerso, D. Tho. in prima parte, q. 46. Art. 2. putat, creationem æternam nec naturæ æternæ, nec mortali repugnare, cuius sententiæ etiam est Gregorius Arim. 2. Sent. distinct. 1. necnon Auic. Algazel, Proclus, Plotinus, & Simplicius, excipit tamen D. Tho. in calce eius secundi Art. hominem, ne prodeat infinitus numerus animarum. Inter hos mediat Durandus, secundo Sent. dist. prima, putans æternitatem non repugnare

*Cur iudicamus cuncta minui & labi in deterius.*

*Rationes Lucretij.*

*Diluitur ratio Arist.*

*Ratio Henrici.*

*An Mũdus valuerit ab æterno esse creatus.*

gnare substantijs æternis, vt Cęlo, & Intelligentijs, sed solis mortalibus, quæ nequeunt eadem numero seruari. Mediat quartò etiam Scotus in secundo Sent. dist. 1. q. 3. quatenus ait vtramque partem posse probabiliter defendi: de quarum opinionum concilio, alibi latiùs verba feci. Ratio D. Thom. sumpta ex numero animarum non cogit; quia ex sententia Philosophorum putantium humanam Mentem æternam, vel ea est numero vna, vt Themistius, & Auerroes existimarunt, & multi Academicorum; vel est numero definita, vt putarunt alij Academicorum. Addebatur alia ratio: quia si Mundus esset æternus, quæuis intelligentia esset immensæ virtutis; consequentia dupliciter deducebatur: at nulla deductio cogit, non prima sumpta ex cognitione infiniti, quia Infinitum vt infinitum, est ignotum, solum cognosci potest vt vnum aliquid, & consimile; at vt Infinitum cognoscendo numerum eius, & comprehendendo illud, nulla potentia potest cognosci, quia pugnantia includit, innumerabile enim esset numerabile, & interminatum terminatum, ac compræhensum. His accedit, quòd ex sententia Aristotelis Intelligentiæ solùm cognoscant inferiora eminenter, non vt formaliter distincta: similiter altera deductio leuis est, nam ex eo, quod intelligentia mouet semper, non elicitur quod sit robore immensa; sed quod sit seiuncta à corpore, ex eo enim solo, quod à corpore non pendet, elicitur vt non laboret, & ob id valeat semper mouere. Dicebatur insuper, nil inordinatum esse secundum naturam, & infiniti ad infinitum non esse ordinem. Respondeo, rationem hanc potiùs aduersari oppositæ sententiæ, nempè quòd definito tempore Mundus ex Deo prodierit, quàm propositæ; ita enim primo infinito tempore non mouisset, mox mouisset, vt Aristoteles obijciebat Anaxagoræ; at dicendo quod semper consimiliter se habuerit, hoc verè est Naturæ immobilis principio consentaneum. Inter Mundum autem, & Deum, vt inter infinitum mora, & infinitum, non est ordo, sed vt inter principium, & pendens ex eo, siue vt inter causam, & pendens ex causa. Instantiæ, quæ afferuntur aduersus æternitatem motus, in consideratione ęterni motus solutæ sunt.

*Rō D. Tho.*

*Solutio alterius diffic.*

## *An ex sententia Aristotelis Problema de Mundi æternitate debeat iudicari Dialecticum & pro omni parte probabile? Cap. XXIIII.*

Resolutis instantijs aduersus æternitatem Mundi, hoc superest considerandum, num Problema de æternitate Mundi debeat ex opinione Aristotelis iudicari Problema Dialecticũ? Galenus (referente Auer. in primo de Cœlo 22.) existimauit Problema id esse Dialecticum, & pro omni parte probabile, idque asseruit in libris de Demonstratione, qui ad manus nostras non peruenerunt. Eiusdem sententiæ fuit Rabbi Mosseus Aegyptius lib. 2. cap. 16. & 17. Id ipsum putauit D. Tho. in prima dist. secundi Sent. quo loci refert rationes Rabbi Mosei, latiusque id affirmat in prima parte Summæ q. 46. Art. 1. & præter cætera hæc profert, Rationes Aristotelis pro Mundi æternitate, non absolutè eam ostendunt, sed solùm in parte, nempè aduersus veteres putantes Mundum gigni modis quibusdam re vera absurdis; & id confirmat tribus rationibus; primò, quia Aristoteles, semper Primò, refert opiniones veterum, vt Empedoclis, Platon. Anaxagoræ, indicans se aduersus eos differere. Secundò, quia affert testimonia veterum quod non est officium demonstrantis, sed suadentis. Tertiò, quia Aristoteles conspicuè id affirmat in primo Topic. cap. 9. inquiens: sunt autem Problemata, de quibus rationes non habemus, cum sint sublimia, de quibus difficile arbitramur esse, tradere, propter quid: vt An Mundus sit æternus, vel ne. Insuper id confirmatur: quia dum aliquid per principia necessaria ostendimus, nullam adhibemus excusationem: ostensioni enim

*Galenus.*

*Rabbi Mosseus.*

*Rationes D. Tho.*

ni enim cogimur adhibere fidem; At Aristoteles in libris de Cœlo verba facturus de attinentibus ad illud, se excusar, ne temerè id efficere videatur, & in primo de Cœlo 16. inquit: ex omnibus vtique his aliquis syllogizans credit quod est aliquid præter corpora quæ hic &c. inquit, credit, fides autem est sine ostensione necessaria: putandum itaque est, Aristotelem non certum; sed ancipitem fuisse, & probabiliter in eam partem inclinasse, & præsertim, quia vt ipsemet affirmat, in secundo de Cœlo 34. & 60. de sublimibus non est expetenda certitudo. Similiter Plato cum constanter putauerit Mundum ex Deo pendere; de tempore, quo ex eo manauerit, sæpè se patefecit ancipitem. Ex aduerso tamen alij constanter asserunt, ostensumque affirmant, Mundum æternum, vt Plotinus, Proclus, Simplicius, Auerroes, & alij; & proculdubio ex sententia Aristotelis secus dicendum non est: quod ostendo; Nam si Problema de Mundi & motus æternitate esset pro omni parte probabile, & non ostensum pro vna parte; Metaphysica non esset scientia, & pars inspectricis Philosophiæ, quod est absurdum. Consequutio deducitur per Aristotelem in sexto Metaphysicæ, contex. 3. dicentem, nisi darentur substantiæ separatæ, Naturalis esset prima Philosophia, quia non daretur Metaphysica; substantiæ autem separatæ ostenduntur per æternitatem motus, ex quo eliciturhæc ratio: talis iudicanda est disciplina, quale est medium, ex quo pendet; at Metaphysica pendet ex æternitate motus, præsupponente Mundum æternum; igitur si id esset Dialecticum, & non pro vna parte ostensum, Metaphysica necessitate careret, & non esset scientia. Confirmatur: quia Aristoteles in 12. Metaphysicæ 43. æternitatem motus absolutè ait ostensam in Physicis, non autem Dialecticè approbatam. Præterea quòd dentur motores Cœli à corpore soluti, non iudicatur Problema Dialecticum, sed necessarium & ostensum; quare æternitas quoque motus, qua ducimur in eorum inuentionem, talis est iudicanda; conclusio enim non valet esse certior principijs, ex quibus colligitur, vt asseritur in primo Poster. Insuper principia, quibus Aristoteles vtitur pro æternitate Mundi & motus patefacienda, apud Peripateticos necessaria iudicantur, non probabilia tantùm; quare & æternitas ex eis collecta: assumptum patet, quia principia sunt. Definitio motus, ex nihilo nil fieri, Deum esse actum purum; sui essentia actionem; ab æterno immobili nil noui produci posse; in æternis, esse, & posse, non distingui; & similia, quę apud Aristotelem firma & necessaria iudicantur. Confirmantur hæc omnia: quia Mundus non valuir habuisse principium nisi per creationem, quam Aristoteles non concessit; generatio enim Mundum, motum & corpora generantia præsupponit. Hinc ait Aristoteles 9. Metaphysicæ 17. non esse timendum, Cœlum quiescere, de quo timendum profectò esset, si æternitas Mundi & motus esset dubia. Colligo itaque Aristotelem putasse absolutè se ostendisse Mundum & motum æternum, & non modum reiecisse solum, quo veteres dixere genitum, sed absolutè ortum eius. Aduersæ rationes facilè diluuntur. Dicebatur primò, Aristotelem primò referre sententias veterum. Dico illum fuisse morem eius, dum exactè de re aliqua erat verba facturus, & ob id ea ratio reflectitur in aduersarios. Addebatur secundò, Aristotelem vti testimonio veterum, & rationibus Dialecticis. Respondeo vti rationibus & Dialecticis & necessarijs, vt comprobaret id quod dixit in primo de Cœlo 22. nempè rationem respondentem his, quæ apparent, & hęc consentanea esse rationi, ex qua consensione consurgit exacta certitudo: vtitur rationibus Dialecticis ad excitandum; ostensiuis verò pro scientia parienda; insuper vt patefaciat veritati omnia esse consona; & demùm quia vt legitur in secundo Metaphysicæ multi magis credunt rationibus Dialecticis, quàm necessarijs. Afferebatur tertiò, auctoritas ex primo Topic. de qua cum varia dicantur ab alijs, ego cuncta silentio prætereriens, dico, auctoritatem illam nullius esse roboris; Primò, quia non in loco proprio prolata est, in loco enim proprio, vt in octauo Physic. & in primo de Cœlo, ait id esse necessarium; Secundò, quia id est exemplum, mos autem fuit Aristotelis in afferendis exemplis, loqui ex sententia aliorum, ita id protulit ex sententia Academicorum. Tertiò Problema illud

*Plato.* *Sententia verior.* *Ratio.* *Cōfirmatio.* *Conclusio.* *Diluuntur rationes ad uersæ.* *Sentētia ex 1. Topic.*

ma illud ob difficultatem erat Dialecticum apud veteres, qui difficultatem superare non valuerunt, & ob id varia dixerunt; non autem apud Aristotelem, qui profitetur se superasse difficultatem, & ostensiones ex principijs necessarijs formasse. Addebatur, Aristotelem se excusare, sæpè de attinentibus ad Cœlum se dubium patefacere; & vti nomine Fidei. Hæc leuissima sunt; Primò, quia Aristoteles non se excusat, dum vel de Mundi, vel de motus æternitate loquitur, sed dum de nonnullis ad Cœlum & Stellas attinentibus. Secundò, id facit modestiæ gratia. Tertiò, quia de æternitate Mundi, motus, & temporis, nunquàm se dubium patefecit, sed professus est ostensiones formasse, ex quibus necessariò ea colligeretur; & quamuis vtatur nomine fidei, id parùm refert, Fides enim latè sumpta apud Philosophum etiam pro scientia vsurpatur, vt patet ex calce secundi de Anima.

## *Veritas supero lumine reuelata.* Cap. XXV.

QVONIAM Principium originis Mundi longè abest à nobis, & eius creatio superat naturæ vires, per cuius opera eleuantur Philosophi ad inuentionem causarum; ideò mirum non est, si Philosophi humana ducti ratione facilè in hanc sententiam labuntur, quod Mundus omni ex parte sit æternus, re vera enim per naturam nec principio, nec fine valet esse præditus. At Dei lumine illustratus, constanter assero, Per immensam Dei potentiam, per voluntatem æternam, & per liberum Dei extrinsecùs operandi modum, in principio Deum creasse Cœlum, & Terram, Mundum esse factum in gratiam hominis. Homines daturos pœnas suorum scelerum, & præmia bonorum operum recepturos, cumque boni à paruis debeant secerni; hoc optimè fiet per Mundi interitum, qui tamen rectiùs absolutio, quàm euersio Mundi censeri debet. Et quoniam tunc Cœli suo motu vsum aliquem homini præbere non debent; ideò requiescent, quies autem eis inseruiet loco purgationis. Plantæ, & mixta, quia amplius homini prodesse non valebũt, redibunt in elementa, quæ elementa ob vsum, quem præbuerunt homini glorificabuntur; & inde consurget glorificatio mixtorum, quia in ea fuerunt resoluta. Loca varia, ob patrata in eis scelera, per Dei iustitiã purgari debent, id optimè fiet per ignem, ideò scriptum est Videbimus terram nouam, & cœlum nouum. Cœli non peribunt, sed fine motu in eorum finibus seruabuntur. Elementa purgata inuicem non amplius permutabuntur, cum ea vicissitudo non eis competat sine motu Cœli. Resurgent homines non amplius interituri, & Mundus ita constitutus, quasi finem adeptus, in eo fine in infinitum requiescet, & seruabitur. Quod autem legitur in sacris literis, opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt: Insuper, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; Præterea, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt: Dicendum est, hæc esse vera de Cœlo ex parte motus, vel de eo, quod Cœlum apparet, qualis est aer, veluti etiam elementa transibunt, ratione impuritatis eorum, & præsentis constitutionis. Hæc fortè sub vmbra, & eminus inspexerunt Stoici, qui Mundum in ignem reuersurum affirmarunt, necnon illi, qui annum magnum excogitarunt, in cuius repetitione eadem numero redirent, quod in parte eueniet in hominum resurrectione. At de his satis.

*Qua constanter de Mundo approbãda.*

Cum

## *Cum Mundus sit æternus, qua de causa non cuncta, quæ sunt in Mundo æterna sunt? nam partes suo toto respondere debent.*

## *Cap. XXVI.*

*Cur nō singula Mūdi partes numero sint æterna.*

APPARVIT ex Peripateticorum sententia, Mundum esse æternum; ex qua explicatione hæc perpulchra, & non leuis emergit dubitatio. Si Mundus est numero æternus, cur non singulæ eius partes æternæ sunt, sed quædam æternæ, aliæ oriuntur, & intereunt? & præsertim, quia partes suo toto respondere debent. Insuper ex principio ne dum æterno, verùm insuper quod est ipsamet æternitas, quomodo mortalia prodeunt? Ex fonte, quod est ipsum bonum, quomodo mala, qualia sunt mortalia, manant? Si Mundus optimè constructus, & formatus est, in bonumque ordinatus, cur non omnes eius partes optimæ sunt, quales inter corpora sunt Cœli? Et præsertim hæc ambiguitatem includunt ob principia Peripateticorum, putantium, Deum operari cum quadam necessitate naturæ, nam huiusmodi agens pro facultate operatur, & id omne agit, quod potest, & vt potest: at ex Deo valent nonnulla prodire æterna, quare & omnia; quia non est maior ratio de vno, quàm de alio: & confirmatur quia à consimili, & simplicissimo principio consimilia debent prodire. Præterea in Mundo, & attinentibus ad eius perfectionem, veluti in æternis omnibus, non differt esse à posse: valent ex Deo cuncta prodire æterna, & perfecta; quare cuncta ita prodire deberent. Insuper inquit Aristoteles in octauo Physic. contex. 56. & in secundo de Ortu, & Interitu 59. Quod melius est, semper arbitramur in natura esse, si possibile est; at melius est esse æternum, quàm mortale, corruptio enim inter mala numeratur, vt patet ex octauo Metaph. cap. 11. Præterea, ex secundo Physic. contex. 44. elicitur, quòd si Cœlum esset cœco casu productum, cuncta casu fierent; quare similiter si est necessarium, & æternum, cuncta ex eo pendentia deberent esse æterna. Quare cum Deus sit optimus, & nulla detineatur inuidia, cum ratio producendi sit ipsum bonum, cum agat pro viribus ex sententia Aristotelis, cum Mundus optimè se habere debeat, sit imago Dei, ordinatus à Deo, & in Deum, & Mors sit mala; cur non omnia Mundum constituentia

*Arist.*

sunt æterna? Hanc difficultatem mouit Aristoteles in 11. Metaphysicæ, cap. 2. inquiens, cum omnium vnum, & idem sit principium, cur quædam æterna, alia sunt mortalia? & cur principio existente æterno, non sunt æterna omnia, quæ constituuntur

*Academici*

sub eo? Academici similiter hac de re frequenter dubitarunt: Manichæi fortè ob hanc

*Manichei.*

difficultatem dixere duo esse prima principia rerum, Bonum scilicet, & Malum, vel Deum, & materiam, vt multi etiam Stoicorum affirmarunt: Inter hæc duo principia, æternam dixerunt versari pugnam, ex qua variæ prodirent victoriæ, modò pro vna, modò pro altera parte: ex imperio boni dixére prodire bona; ex imperio mali, mala;

*Euersio.*

& quoniam interitus malus est; ex materia, & ex malo ortum ducit. Hæc sententia longè abest à vero, cum enim materia sit per se ens, est per se bona, & propterea ex bono pendere debet. Confirmatur: quia Principium absolutè primum, debet esse vnicum; & nisi materia ex Deo penderet, sed Deo aduersaretur, non adeò parata esset ad recipiendas formas, & munera Dei, non in bonum conspiraret, expetendo illud; non tàm arcto nodo cum forma necteretur; nec Diuinæ potestati libentissimè, & pro facul-

*Auer.*

tate subijceretur. Propterea rectè Auerroes in 3. disp. contra Algaz. in sol. 12. dubij, sententiam horum refert, & damnat. Similiter Simplicius in Epictetum, cap. 32. de qua etiam loquitur Philoponus in duodecima disp. contra Proclum, cap. 2. Ideò rectè Aristoteles vnà cum Platone, & Homero in 12. Metaphysicæ, vnicum statuit principium omnium, illudque ipsum bonum.

*Resolutio Difficultatis.* *Cap. XXVII.*

EXISTIMARVNT Academici, & vnà cum eis Peripatetici, Mundum nequaquam à malo liberari posse, & iure optimo profectò: cū enim Mundus sit vniuersa latitudo eorum, quæ sunt; in ea latitudine recessus à primo principio includi debet; recessus autem à bono, malum est; ideo enunciauit Plato in Thęteto, non posse mala è Mundo euelli; & Plotinus, En. prima, lib. octauo, cap. 6. Theodorum carpit, qui putauit posse Mundum liberari à malo. Nam est necesse in Mundo reperiri Mortalia; tum ratione Opificis, non enim Deus cunctorum esset opifex, nisi cuncti rerum gradus ex eo prodirent; tum ratione Mundi, alioquin non esset vniuersum, hoc est, cuncta in vnum versa: nec omni rerum varietate ornatus; tum ratione formæ eius, qui ordo est, vniuersus enim ordo in cunctis subordinatis rebus debet refulgere; tum ratione materiæ, est enim conditio Mundi, vt constet ex vniuersa materia, proxima autem eius materia sunt rerum species, & partes; tum demùm ratione conditionis rerum, non enim esset homo, qui non esset mortalis, nec leo, nisi esset rationis expers. His addendum, quòd per interitum, plura in dies partem recipiunt Diuini boni; & plura quotidie enarrant gloriam Dei. Insuper hæc varietas, varietatisque ordo, formosius reddunt vniuersum, & præsertim quia in rerum varietate, nil adeo vile reperitur; vt in primo de part. animalium, cap. 5. asseritur, in quo præclarum aliquid non refulgeat, ita rectè à Deo omnibus tribuitur esse, his quidem clarius, alijs vero obscurius, vt in primo de Cœlo, contex. 100. enunciatur, & in quarto de Gener. animalium, cap. 5. asseritur, Naturam per singula media transire ad extrema. Hinc rectè Proclus in lib. de Anima, & Dęmone dixit, vt Mundus perfectus foret, Animalia cuncta tàm ęterna quàm caduca in eo sunt genita; Quod latius expressit Plotinus En. 3. lib. primo de Prouidentia cap. 3. inquiens, Mundus, cum sit quid ex varijs compositum, singulis gradibus debuit esse præditus, non enim æqualia passim in rebus non æqualibus requirere decet; Hi sunt gradus, per quos valet animus ex infima conditione ad supremam eleuari. In vrbibus, & hominum Rebuspub. si omnes essent Principes, ipsimet non essent Principes, quia carerent subditis: si omnes essent domini, ipsi quoque non essent domini, quia carerent seruis; si Artes omnes etiam viles in eis non reperirentur; non rectè se haberent Vrbes, & postrema perfectione carerent. Insuper nisi rerum varietas adesset, non refulgeret ordo; Nisi darentur vitia, non refulgerent virtutes, & Iustitia earum præclarissima, quare si in Vrbibus, & familijs ea varietas est necessaria, longè magis est necesse, vt in Mundo omnes rerum gradus inueniantur, cum absolutè sit totum, & Vniuersum. Qui quærit, cur non omnes Mundi partes perinde ac Sol, & Stellæ sint perfectę & fulgeat non minus ineptè miratur, & quærit, quam ille, qui ambigeret, cur non omnes hominis partes sint oculi? at si id esset, monstrum consurgeret ipsomet Argo derisibilius. Hinc rectè dicebat Plotinus lib. de Prouidentia, Pulchritudinem mixti non esse similem pulchritudini rei non mixtæ: Compositum enim exposcit congruentem proportionem partium componentium, & earum ordinem. Rationes aduersæ facile diluuntur: Dicebatur, si Mundus est æternus, cur singulę eius partes non sunt numero ęternæ? Respondeo, id euenire, quia Mundus est Mundus, hoc est, vniuersæ naturæ ordo, in quo variæ rerum conditiones in vnum conspirare debent, alioquin non esset vniuersum, & debet esse particeps cuiuslibet gradus æternitatis, numero scilicet, & successione, & ita partes vniuersæ, re vera toto, quod vniuersum est, recta ratione respondent. Addebatur, ex Principio æterno non nisi æterna, ex bono non nisi bona, ex necessario, operante cum quadam naturæ necessitate, non nisi necessaria prodire posse; Respondeo, cuncta quæ ex Deo pendent, quatenus ex eo pendent, eoq; participant, eatenus bona, necessaria, & æterna esse; at non omnia æquè primò, & proximè pendent,

*Plato.* *Plotinus.* *Proclus.* *Plotinus.* *Diluuntur rationes aduersæ.*

dent, ideo per congruentes gradus participant conditiones suas, & ob recessum à primo, labuntur in interitum, malum, & contingentiam, quę illis sunt mala, ea tamen, quatenus sunt, eatenus bona sunt, & ex parte communis generis eorum sunt æterna, & necessaria, & nisi sint necessaria absolutè, saltem sunt talia ex suppositione. Addebatur, A consimili penitùs, solùm consimilia prodire, & parem de omnibus ab eo manantibus debere esserationem. Respondeo, rationem esse dissimilem, tum quia non æquè primò prodeunt, sed ordine aliquo, tum quia conditio rerum prodeuntium varia exposcit, vt dicitur in secundo de ortu, & interitu 59. tum demùm quia totam rem effectam considerare debemus, & eam referre ad causam: Huiusmodi est Mundus, & vniuersum corporeum, respondens vniuerso incorporeo, hoc est, optimum, formosissimum, & absolutissimum inter corpora, vt illud inter secreta à corpore. Nec melius est non dari mortalia, vt addebatur, quàm ea dari, quia nisi darentur, neque Mundus esset vniuersum; neque Deus esset vniuersi opifex. Dicebatur postremo loco, pendentia ex casu, facta esse à casu, quare etiam prodeuntia ex necessario debere esse necessaria. Respondens, dico, Primò, non parem esse rationem: quia declinare, & labi in deterius, facile est; eleuati ad præstantius, est arduum, & nil valet aliquid efficere vltra proprium gradum dignitatis suæ. Addo secundò, omne pendens ex necessario, tanquam ex causa adæquata, & quatenus necessarium est, esse necessarium; at ob recessum, & cōnexionem cum alijs, posse euenire secus: hoc patefaciebat Plato in Timęo, inquiens: prodeuntia ex Deo sine secundis causis, æterna esse; at prodeuntia per medias causas secundas, subijci interitui; Intelligentiæ Deo proximæ, æternæ sunt, similiter & coelum: at prodeuntia ex primo, per intermedium motum Cœli, vt medium, varietati est obnoxium, ita pendentia ex eo. Reformemus itaque nos cogitationes nostras, nec nitamur, nec audeamus inaniter Opificem vniuersi corrigere, & reformare: & commendemus Deum, à quo vniuersum ea perfectione donatum est, vt maioris non sit eius natura capax.

*Non est melius non dari mortalia.*

*Plato.*

## *An Mundus sit Anima præditus?* *Cap. XXVIII.*

QVONIAM vniuersum inter corpora dicebatur formosissimum, optimè constitutum, omnique ex parte perfectum; ideò de eo quæritur, an anima sit præditum, vitamque viuat, nec ne? Quòd anima, & ea quidem præclarissima debeat esse ornatum, primò elici potest ex eius præstantia, nil enim prope nos reperitur, quod insigne, & præclarum sit, cui nō competat anima, & iure profectò, nam præstantia compositi ex forma pendet, formæ autem infra animam collocatæ, viles, & nullius pretij iudicantur. Præterea, hoc elicitur ex varijs conditionibus, & affectionibus Mundi: Nam quod ex se mouetur, anima est præditum; ex se mouetur Mundus, vt satis patet. Insuper quod ex se figura, & partium ordine est ornatum, animatum est: competit Mundo sui natura, & conditione rotunda figura, & congruentissimus ordo partium; est itaq; anima præditus. Præterea, Mundus est corpus vnum dissimilium partium, ob quarum varietatem potest Mundus iudicari corpus organicum; quare forma eius debet iudicari anima, cum anima definiatur, quòd sit prima perfectio organici corporis. Insuper, cui ex se competunt differentiæ positionis, vt dicitur in secundo de Cœlo, ex se animatum iudicari debet: competunt Mundo, ex sui natura, non per solam relationem ad nos, differentiæ positionis, vt asseritur in quarto Physic. & secundo Cœli 13. est itaque Mundus præditus anima. Præterea, Mundus dicitur Animal magnum, vt patet cùm ex Plat. in Timęo, tùm ex Auerr. secundo Cœli 42. & 74. & vice versa, homo, & quoduis animal, dicitur Mundus paruus, vt patet ex octauo Physic. 17. hæc non rectè dicerentur, nisi Mundus, vt singula animalia, præditus esset anima. Præterea, variæ Mundi partes, viliores Mundo, sunt animatæ; quare longè magis Mundus, cum sit totum aliquod, & præstan-

*An mūdus sit aīa præditus.*

*Quod sit, ratio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Sexta.*

præstantissimum. Insuper si partes animalium egent anima nectente, & connexio- *Ratio septima.*
nem seruante: qua anima recedente, membra dissoluuntur, vt dicitur in primo de
Anima 90. longè magis Mundus, cum constet ex pluribus, magisque distantibus
partibus, eget anima nectente, connexionemque earum seruante. Præterea, non *Octaua.*
adest in toto aliquo mutua consensio partium inter se, & earum cum toto, nisi vna
communis anima in eo reperiatur: magna, & admirabilis in Mundo refulget par-
tium consensio, & dissensio, ex qua ortum ducit Magia physica, per quam frequenter
moto vno, mouentur alia, & vnum trahit, vel repellit à se aliud. Insuper vt in parti- *Nona.*
cularibus animalibus nonnulla inspicimus fieri secundum naturam totius, contra na-
turam partis, vt dum brachio caput tegimus, vulnusque excipimus, pro salute totius,
& id fit munere animæ dirigentis; ita in vniuerso orbe multa eueniunt præter natu-
ram partium, & secundum naturam totius, quod ex alio, quàm ex anima, proximè par
tes dirigente, non videtur posse fieri. Præterea idipsum dici, & confirmari potest, *Decima.*
considerando opera ad Mundum pertinentia, quæ conspicuè vitam eius patefaciunt,
& præsertim generationem animalium ex putri: non enim Mundus alijs posset vitam
tribuere, nisi viueret; at inspicimus frequenter plantas sine præcurrente semine, & ani-
malia ex sola putri materia prodire; est itaque necesse Mundum communi quadam
vita viuere. Insuper, lucidissimè id ostenditur, dum Mundus ad Deum refertur, cum *Vndecima.*
enim Mundus proximè ex Deo pendeat, qui est fons vitæ; rationi consentaneum est,
quòd viuat, & præsertim quia Mundus dicitur filius Dei, imago sensilis, insensilis
Dei; non autem hoc ei competeret, si vitæ esset expers. Præterea cum Mundus proxi- *Duodecima*
mè pendeat ex Deo, qui est ipsum vnum, vt seruet imaginem eius, non minus debet
esse vnus, quàm sint animalia parua; non autem verè vnum viuens esset, nisi anima vna
esset formatus. Ex varijs itaque rationibus, Mundum vna communi, & propria ani-
ma esse præditum dicere valemus: quod varij Philosophi celebres affirmarunt. Neque *Deū non esse animam Mundi.*
apparet esse dicendum, eam communem animam esse Deum, tum quia efficiens, non
in idem venit cum forma operis, tum insuper quia Deus, qui absolutè est ipsum Vni-
uersum, non rectè videtur posse dici pars, & anima, quia anima, alterius est anima,
non autem verè est aliquid absolutum, vt Mens, & Deus, tum demùm, quia vt dici-
tur in primo de Cœlo, Forma Mundi est Forma in materia, Deus ab omni materia est
solutus, alioquin non posset mouere semper. His accedit, quòd anima infra Men-
tem ponitur, & proximè præest naturæ, quod Deo competere non potest, cuius pro- *Themistius*
prium est absolutè cunctis præesse. Themistius in primo de Anima, cap. 24. hanc com
munem Mundi animam approbat, quam vnicam, & vniuersalem appellat, ratione-
que eam confirmat, quæ sumitur ex ortu animalium ex putri. Auerroes eam conce- *Auerroes.*
dere videtur, cum in secundo de Cœlo 74. dicat, Mundum esse animal æternum, & *Simplicius.*
retuli in præcedentibus. Simplicius in Procemio libri de Anima, luce clarius eam con
cedit, & præter cætera, hæc profert, Fortassis Aristoteles per ea, quæ de nostræ Mentis
eminentia dixit, censet deducere nos ad cœlestium animam, eam enim quæ vniuersi est
animam, ait vtique talem esse, qualis aliquandò est vocata Mens, neque enim
est qualis vita sentiens, vel concupiscens, sed est pura, & intelli-
gens ipsius vniuersi anima, tota per se totam, non mix-
ta cum secundis istis vitis, quoniam non
declinat in corpora, neque ip-
sa est corporum,
sed cor
pora eius sunt in se ipsa manentis, ideò eius quoque
latio orbicularis est, ob sui totius con-
uersionem in se totam, &c.

## *Explicatio opinionis Academicorum de Mundi Anima, Cap. XXIX.*

VETVSTISSIMA fuit, & à varijs Philosophis approbata sententia, Mundum communi quadam, & præstantissima anima esse præditum. Propterea Orpheus (referente Aristotele in primo de Anima 84.) cecinit, Animam in hominum corpora ingredi, dum spiritus trahunt, quod etiam Pythagoreorum nonnulli affirmarunt. Stoici similiter dixere, Mundo animam competere, hi tamen illam à Deo non secreuerunt, & præsertim Strato, & Chrysippus. Cicero in 2. lib. de natura Deorum, in persona Balbi Stoici, probat Mundum ratione vti, inquiens, Zeno sic præmebat: quod ratione vtitur, id melius est, quàm quod non vtitur; Mundo autem nihil melius: quòd sit sensu præditus ita probat, Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens; Mundi autem partes sentientes sunt; non igitur caret sensu Mundus. Insuper addit, nil quod animi, & rationis est expers, generare ex se potest animantem, compotemque rationis; Mundus generat animantes, compotesque rationis. Præterea idipsum efficacius probat, ex eo quod in singulis Mundi partibus inest quidam quasi spiritus, ac proprius calor, qui viuentibus conuenire conspicitur: quòd calor competat Terræ, indicant ea, quæ in visceribus Terræ procreantur. Insuper ex recenti fossione Terræ spiritus prodire inspicitur; simili modo Aqua calore prædita est, quod ostendit eius liquor, qui frigore concrescit, &c. Ita quoque Mercurius Ter maximus in sermone ad Asclepium ait, spiritu agitatur, & viuificatur omnis in Mundo species. Hoc fortè denotauit Virgilius inquiens,

*Orpheus.* *Pythagoras.* *Stoici.* *Cicero.* *Mercurius ter maximus.* *Virgilius.*

*Spiritus intus alit, totamq́ infusa per artus*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Hanc Animam alibi Deum nuncupauit, inquiens,

*- - - . Deum namq́ ire per omnes*
*Terrasq́, tractusq́ maris, cælumq́ profundum,*

*Sententia Platonis de Anima Mundi.*

At cæteris posthabitis, quoniam Academici accuratiùs alijs de Mundi animâ sunt loquuti, eorum sententiam explicemus, Plato, qui de secretis à Materia præsertim Pythagoram est sequutus, Deum statuit caput, & principium cunctorum; ei Mentem subijcit; Menti animam; Animæ Naturam; Naturę Materiam; Animam statuit mediam, finem diuinorum, principium materiatorum, finem immobilium, principium mobilium, terminum æternitatis, principium temporis, vltimum indiuisibilium, principium diuisibilium; à Deo vsque ad animam censuit diuinitatem effundi, ideò in 2. epistô. ad Dionysium ait: Circa omniũ regem omnia sunt, ipsius gratia omnia, ipse pulchrorum omnium causa, circa Secundum Secunda, Tertia circa Tertium, &c. denotãdo Deum, Mentem, & Animam Mundi, hi sunt primi tres Mundi, Eminens, Idealis, & Rationalis, ac insuper hi sunt tres præcipui Mundi Principes, Mundum regentes, & gubernantes. Hæc Mundi Anima, cum eiusdem ideæ cum cæteris à Platone in Timæo dicatur participatio, nequaquam ex eius sententia dici potest eadem cum Deo, quasi Tertia Trinitatis persona, vt Spiritus sanctus apud nostros Theologos, quemadmodum nonnulli asseruerunt; Deus enim nedum supra animam, sed etiam supra Mentem à Platonicis ponitur, & dicitur immobile centrum, Mens, circulus immobilis; Anima verò circulus ex se mobilis. Neque etiam (vt est aliorum sententia) putandum est, quòd adeò sit anima vniuersi, vt cæteræ omnes animantium animæ vel producantur ab ea, vel sint portiones eius; sed potiùs cum Plotino dicendum, eam esse primam participationem Ideæ animæ, cæteras verò animas esse participationes secundas, ita tamen, vt quælibet anima totum quoddam esset, cum anima etiam quælibet ex sententia Platonis sit tota in toto, & tota in quauis parte. Ideò dixit Plato in Timæo; Hæc fatus in

*Plato.*

eodem

eodem rursus cratere, in quo Mundi totius animam permiscens temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem, non tamen perfectas. Similiter, sed & secundo, & tertio gradu à primis deficientes, &c. adeo vt distinctio animarum inter se sit potiùs per gradus existentiæ, & participationis; quàm principalis essentiæ. Hæc totius vniuersi anima, cum sit præstantissima, optimè quoque semper se habet, vt optimè etiam semper se habet Mundus, & ob id cum superiore Mente semper iudicari debet iuncta, quod ei non competeret, nisi esset ratio pura in se manens, erga corpora ita affecta, vt corpora, sint animæ, non anima corporum. *Anima Mūdi optime semper se habet.* Hæc quamuis sit vbique tota, & eminentissimè in Cœlo fulgeat; quia tamen cunctis largitur vitam, & mediæ cuiusdam est conditionis, in medio dicitur collocata, nam de ea Plato in Timęo hæc enunciauit, Animam in medio Mundi collocauit per totumq; extendit, & post pauca: Atque illa à medio per omne vsque ad Cœli extrema se applicans, eique extrinsecus circumfusa, &c. cum autem in medio dicatur posita, nomine medij nonnulli intellexere centrum, quod Mundi medium est, & per coniuncta verba hoc præsertim Plato visus est denotasse. *Anima Mūdi in medio posita.* Ioan. Pic. censuit denotari Lunam, quæ media est inter partem cœlestem, & mortalem. *Picus.* Alij putarunt denotari Solem, è quorum numero est Chalcidius. *Chalcidius.* Nonnulli octauam sphæram, quæ ab Aristotele in secundo de Cœlo dicitur medium virtutis. Ego autem puto Platonem denotasse Centrum Mundi, non quia in Centro præsertim esset collocata, sed vt indicaret eam esse perinde ac Centrum cæterarum animarum, & per omnia esse effusa: hinc dicebat, à medio vsque ad Cœli extrema se applicans. Ex hac autem anima prodit, & pendet per genitalem facultatem vniuersa natura, quæ est vis, seminariaque virtus à Mundi anima infusa materię, ex quo constat, quomodo ea in medio cunctorum posita, Iani instar duplici facie dicatur prædita, supera, & infera: per superam ex ideis concipit, & recipit rationes; per inferam, munere rationum emittit semina; per superam à Dei prouidentia dirigitur; per inferam, mandata explet; per superam perficitur, quæ mox perfecta per inferam cætera perficit, ita caput eleuat supra Cœlum, quia cum mente nectitur, cum tamen sit effusa vsque ad Centrum, quia cunctis ordinem, connexionem, & vitam tribuit. Hinc in decimo de Repub. dicitur Dea necessitatis, cuncta diuina quadam lege deuinciens, in exitumque deducens; & ad eam Parcæ attinere dicuntur, quatenus cuncta ad eam pertinentia ex proprijs principijs in congruentes fines deuoluit. *Dea necessitatis.* De hac anima loquens Plato in Philebo, ait: Mundi corpus anima præditum esse necesse est, cum ea contineat, quæ nostrum continet corpus: & iure profectò, vt enim homo per animam triplici vita donatus est; ita Mundus ea est præditus. Consideratur enim primò vita suprema, animę competens per connexionem cum Mente, quæ vita indiuidua est penitùs, cum æternitate iuncta, intelligens, sempiterna, & immobilis. Consideratur secundò, vita animæ propria, animaria dicta, ex rationibus prodiens, ambiens modo aliquo corpora, non tamen effusa per ea, sed extra existens, conditione extremorum medio quodam modo participans. Demùm ex anima effunditur vita postrema, quasi idolum vitę, effusa per corpora, cum continuo, tempore, & motu complicata, corpora formans, in eaque vim seminatiam, hoc est, naturam effundens. Hanc Mundi animam nonnulli à cęteris secernunt. Alij probabiliùs asserunt, esse eandem cum anima octauę sphęrę, denotatam à Platone per Iouem, dum in Phędro inquit, Magnus vtique Dux in Cœlo Iupiter, citans alatum currum, primus incedens, exornans cuncta, prouideque disponens. Hunc sequitur Deorum, Dęmonumque exercitus, per vndecim partes ordinatus, permanet autem Vesta in Deorum ędе sola, &c. per Vestam denotat animam Terræ, quæ relatarum vndecim, hoc est, septem Planetarum, & quatuor elementorum vltima est: Centrum autem, vt etiam à Pythagora dicitur, ędes Deorum, & in Philebo, legitur in Iouis ipsius natura, Regiam animam, Regiamque Mentem inesse, propter vim causæ confiteberis, &c. Et iure ponitur eadem cum anima octauæ sphæ- *Centrum ędes Deorū.*

ræ, cum ex ea prodeat motus diurnus, qui dicitur motus totius, & vniuersi vita. Insuper ea est suprema, proximè iuncta supera Menti, & Deo: ex quibus vires haurit, quas effundit in alia. His accedit, quod superuacanea videtur alia anima, ab his distincta, cum sphæræ omnes viuant, & sint anima præditæ, eis tribuente naturam propriam, & quæ sunt eis consentanea. Hoc tamen addendum puto, quod distincta ratione dicatur anima octauæ sphæræ, nempè vt ei dat vitã, & motum; & anima Vniuersi, quæ talis dicitur, vt vires effundit in alia, veluti se habet etiam de motu eius. Proclus in Timęum de Mundi anima loquens, inquit: Vniuersum hoc, opifex omnium componens, animans esse voluit, anima, & intellectu præditum, nam pulchrius existimabat esse animatum quodcunque, quàm inanimum; Intellectuque præditum, non intelligente. Simili ratione Iamblicus in lib. de Mysterijs, dixit: Mundus est vnum animal, in quo partes, quamuis loco distantes, tamen propter naturam vnam inuicem ad se feruntur. Hanc Mundi animam fortasse denotauit Aristoteles in primo de Anima 86. inquiens: At vero nonnulli in toto ipsam commixtam inquiunt, vnde fortassis & Thales opinatus est, cuncta Deo esse plena. De eadem Mundi anima, eiusque à Deo distinctione multa dicuntur à Marsil. Ficino varijs in locis, præsertim tamen lib. 4. Platonicæ Theologiæ, cap. primo. Hæc Mundi anima sui exemplo nos docet, quales esse teneamur, ipsa enim speculatur diuina, & moderatur humana: recipit à Dei Mente, diuinaque Prouidentia Leges, & eas exactissimè seruat: nectit contemplationem cum actione, & per veri inspectionem ducit ad bonum: de qua Plato in Timęo dixit, quod ea corpus Vniuersi etiam extrinsecùs circumtexit, Mundumq; hunc vnum, & solum solitariumq; & circularem volui in circulum statuit. Colligamus itaque Mundi animam ex Platonis sententia esse primam Ideæ animæ participationem; à Deo distinctam; in tertio gradu positam; eandem cum anima octauæ sphæræ, quæ primum mobile à Platone iudicatur, sola ratione distinctam; eamq; vim seminariam in vniuersi materiam effundere; ex superis leges, & munera recipere; eaque in inferaa distribuere; ac ita cuncta nectere, ordinesque seruare.

*Anima Mũdi est anima octauæ sphæræ distincta ratione.*

*Proclus.*

*Iamblichus*

*Arist.*

*Mundi anima est exẽplar humanæ vitæ.*

*Conclusio.*

## Opinio Aristotelis de Anima Mundi. Cap. XXX.

*Opinio Aristotelis.*

Aristoteles Naturæ leges sequens, nil vnquam in vniuerso sine conspicua necessitate concessit, & quæ per pauca seruare valuit, nunquam seruauit per plura, propterea Deum à prima Mente non secreuit. Insuper animas cœlorum non distinxit ab eorum Mentibus: nam in orbibus aliam non excogitauit compositionem, nisi ex motore, & mobili, siue ex Intelligentia, & orbe. Similiter Deum à suprema Intelligentia mouente primum mobile, quod octauam sphæram cum Platone esse censuit, non distinxit; adeò vt Deus, Intelligentia prima, Motoreque octauæ sphæræ, ex eius sententia non distinguãtur: quæ Intelligentia etiam dici potest anima octauæ sphæræ, & anima Mundi: Dicitur anima octauæ sphæræ, vt ei dat motum, & vitam, distinctam à propria vita cæterorum orbium: Dicitur autem anima Mundi, quatenus per diurnum motum, qui dicitur motus totius, effundit vires, & munera sua in vniuersum orbem, seruat ordinem vniuersi, ligat omnia, & vitales quasdam vires eis impartitur. Sic itaque concedenda est anima Mundi, & reijcienda; Concedenda, dum vsurpatur pro anima primi mobilis non distincta à Deo, cuius sunt ea omnia munera, & officia, per quæ ostendebatur necessitas animæ Mundi; Reijcienda autem, dum vsurpatur pro anima distincta à Deo, & Mente, & Vniuerso præsidente. Quod ostendo primo, quia ex sententia Aristotelis Cœlo, & mortalibus non competit vna communis, sed solum subordinata materia, quare nec vna communis forma præter ordinem. Secundò, quia si varijs Mũdi partibus competit propria anima, superuacanea est alia communis anima, quæ animan-

*Quõ Deus dici possit anima Mũdi.*

animantibus det vitam totius, & præsertim cum animæ orbium Cœli eisdem genere facultatibus sint prædítæ, quibus prædita dicitur anima Mundi. Præterea, anima dãs vitam, dat etiam motum; at Mundo alius motus non competit præter eum, qui pendet ex anima primi mobilis, & animis proprijs orbium. Præterea, ea sola putanda est anima totius, ex qua prodeunt differentiæ positionis, & figura viuentis: at differentiæ positionis Mundi, sumuntur ex motu primi mobilis, cuius figura etiam figuratum est vniuersum, & terminatum. Insuper nulla in vniuerso apparet animæ operatio, quę pendeat ex aliqua totius anima, distincta ab anima partium: Mundus enim nec sentit, nec alitur, nec intelligit, nec mouetur, nec appetit, per aliquam animæ communis facultatem, sed solùm per eas partium; Quare communis illa anima, distincta ab ea primi mobilis, redundans penitus iudicanda est. Et in hac significatione Aristoteles in primo de Anima, aduersus illam disputat, quasi effusam per vniuersum orbem, & in contex. 49. ait, Laboriosum est mixtum esse cum corpore, vt non dissolui possit, & adhuc cauendum, siquidem melius est intellectui non cum corpore esse, vt solet dici, & multis videtur; Similiter sub initio secundi de Cœlo ait, Cœlum minimè secundum veterum fabulam egere Athlante, ob salutem, vt Homerus in Odyssea finxit, nam hi per Metaphoram animam Mundi denotare voluerunt; Hinc Aristoteles addit, Videntur enim id asserentes, eiusdem cum recentioribus (nempe cum Plat.) fuisse sententiæ, vt enim de grauitatem habentibus, & Terrenis omnibus, his quæ sursum corporibus, subiecerunt per fabulam necessitatem animatam. Sic itaque in hac significatione Mundi anima, commentum est; At pro anima primi mobilis, quæ ex sententia Aristotelis est eadem cum Deo, & diuina Mente, apprimè est approbanda. Cicero in primo Academicarum quæstionum referens opinionem Platonis, & Aristotelis inquit, extra Mundum nullam materiæ partem esse, nullumq; corpus; partes aũt esse Mundi, omnia, quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna, nihil enim valentius esse, à quo intereat, quam cum animam esse dicunt Mundi, eandem esse Mentem, Sapientiamq́ue perfectam, quem Deum appellant, omniumq́ue rerum, quæ sunt ei subiectæ, quasi prudentiam quandam procurantem, cœlestia maximè, deinde in Terris ea, quæ pertinent ad homines, quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit, inter quasi fatalem, & immutabilem continuationem ordinis sempiterni; Nõnunquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improuisa, hæc nec opinata nobis, propter obscuritatem, ignorationemq́ue causarum &c. Hæc Cicero de Anima Mundi, qui id rectè dicit (vt censeo) Mundi animam Deum esse: puto tamen longè à vero recedere, tum quia Peripateticos ab Academicis dissentire inficiatur, tum quia Mundi partes sensibus præditas cum Aristotele affirmat; tum insuper, quia Deum asserit esse Fortunam, ex sententia Aristotelis, tum etiam, quia ex sententia Platonis animam Mundi asserit esse Mentem, Sapientiamq́ue perfectam, quod Plato non animæ Mundi, sed Menti supra eam positæ tribuit, tum demum, ob alia multa, quæ missa facio, & de quibus non est hic disputandi locus. At redeo, vnde recessi. Concedit Aristoteles animam Mundi, pro Deo iuncto primo mobili, effundente per vniuersum, motu, & lumine, vitales vires, ideò in tertio de Gener. Animalium, cap. 11. dixit, Generantur autem in Terra, humoreque animalia, & plantæ, quoniam humor in Terra, spiritus in humore, calor animarius in vniuerso inest, adeò, vt quodam modo animæ sint plena omnia. Et in primo de partibus Animalium, cap. postremo, approbat sententiam Heracliti, dicentis, Deum nulli parti deesse, & omnia esse plena Deo, quatenus vis quædam vitalis, pręsertim per primum motum, ex Deo prodeuntem, in vniuersum effunditur. Themistius in primum de Anima, cap. 24. de Mundi anima hæc profert, Animam itaque illam Mundi, vnicam, ac vniuersalem, quæ corporibus eam præbet, quam vel animam dicere, vel vitam malis, nihil refert, ea enim, quam prębet, nil aliud est, nisi vis quædam vitalis, genitalisq́ue per omnem animam inuecta, clarissimè

*Cicero.*

*Errata Ciceronis.*

*Quo conceditur anima Mundi.*

*Themistius.*

indicant ea animalia, quæ ex materia putri proueniunt, vt in Aegypto mures, & in nostro Cœlo vermes, & locustæ, &c. Verùm Themistius eo loci, disputando potiùs, quàm aliquid approbando loquitur: nec patefacit, an ea Mundi anima sit suprema

*Auer.* Intelligentia, primo mobili assistens, vel alia. Auer. 12. Metaphysicę, contex. 18. referens sententiam Themistij, & Auicennæ, præter cætera, hæc profert, Vna horum opinionum est, quod agens creat formam, & ponit eam in materia, & horum quidam aiunt, quòd illud agens non est in materia omninò, & vocant ipsum datorem formarum, è quorum numero est Auicenna. Alij aiunt id agens inueniri duobus modis, aut seiunctum à materia, aut non; Agens non abstractum, est, vt Ignis generans Ignem, & Homo Hominem; abstractum est, quod generat Animalia, & Plantas, quæ fiunt non à simili; Et hæc est sententia Themistij; quam sententiam mox reijciens ait, Sol, & aliæ Stellæ sunt principium vitæ singulorum viuentium in Terris, nam calor Solis, & Stellarum diffusus in aquam, & terram, generat Animalia ex putri orta, & omnia quæ fiunt ex non semine, non quod actu inueniatur anima in orbe decliui, & à Sole, vt narrat Themistius, &c. indicat Auerroes Themistium collocasse eam animam in orbe decliui, qui est Zodiacus, primi mobilis, ac ita fortasse potuit denotasse animam

*Simplicius.* primi mobilis, quæ vt patuit, potest dici anima totius. Simplicius etiam in procemio de Anima concedens animam Mundi, vt retuli, quęnam ea sit, & quomodo se habeat, non patefacit: at quia mos eius est Aristotelem per Platonem exponere, & eo loci ait Aristotelem de anima Mundi, & Cœlorum non fuisse loquutum, quia acquieuit, & se subscripsit explicationi Platonis, eliciendum est, illum more Platonicorum, Animam Mundi a Deo secreuisse. An vero putauerit esse eandem cum anima Firmamenti, vel distinctam, non expressit; errat tamen, nedum tribuendo Aristoteli ea, quæ sunt propria Platonis, verùm insuper inquiens, Aristotelem approbasse opinionem Platonis, cum potius frequenter de anima Mundi carpserit Platonem, vt dixi: ac insuper nunquam de aliqua re prætermisetit verba facere, quia ab alijs fuerit explicata, ita

*Auerroes.* enim non perfecta fuisset eius philosophia. Auerroes, asserens Mundum esse Animal vnum, magnum, proculdubio animam eius à Deo non secernit, ideò in secundo de Cœlo 71. ait: Similiter intelligendum, quod vltimus orbis mouet alios orbes, vt dicitur, quod nobilius mouet totum, quia ea primæ potentiæ spiritalis, non diuiditur in alijs orbibus, nisi quia diuiditur in primo orbe, quemadmodum potentia constituens Animal, non diuiditur in alijs membris, nisi quia primò diuiditur in corde: At in Cœlo id est per naturam, & sine ligamento; & in tertia disput. in solut. duodecimi dub. ait, Asserit Aristoteles, Mundum esse vnum, & ab vno procedere, ex quo vna simplex influitur virtus, per quam omnia sunt, &c. Asserit itaque Auerroes Mundum esse animal vnum, ligatum spiritali potestate, ex Deo prodeunte, adeo, vt Deus eo fungatur

*Conclusio.* munere, quod ad Mundi animam dicitur pertinere. Ex hactenus explicatis colligo quid sit anima Mundi; & in qua significatione ex sententia Aristotelis detur; & in qua non detur; Ex quibus etiam elicio, quid veri rationes includant pro omni parte relatæ, & quid falsi. Colligo demum Aristotelem cum Platone in parte consentire, & in parte dissentire: consentire quidem, quia ambo asserunt Mundum animatum, ambo concedunt animam Mundi, ambo dicunt animam Mundi esse animam primi mobilis, quamuis nonnulli Academicorum secus sentiant. Dissentiunt vero, quia Aristoteles animam primi mobilis non statuit à Deo distinctam, ac ita ex eius sententia Deus est Mundi Anima; ex sententia autem Platonis Anima Mundi longè à Deo secreta est, & in tertio gradu posita.

## *De Mundi figura, & varietate figuræ viuentium, & præsertim Hominis.* Cap. XXXI.

APPARVIT Mundum ita esse vniuersum Animal, vt cum includat viuentia cuncta, ipse quoque sit viuens, adeò, vt simul sit Animal vnum, Animal totum, Animal omne; & quoniam viuentia, præter cætera, propriam figuram exposcunt; ideò præstantissimo huic animali, figuram propriam competere putandum est, de qua modò agendum occurrit. Verùm primò operæpretium est considerare, quæ sit ratio, quòd animæ expertia careant figura propria, viuentia autem omnia eam exposcunt? Insuper vnde prodeat tot figurarum varietas, quæ in viuentium genere inspicitur? A primo ordiens, dico, Naturæ conditionem esse progredi ex extremo ad extremum, per congruentia media; extremum vnum, & infimum est materia, quæ nullo termino est prædita, indefinita penitùs, & infiniti origo; finis autem, & terminus ad formam pertinet; formarum infimæ sunt illæ elementorum, ex quibus prodeunt formæ mixtorum, ideò hæ tanquam materiæ proximiores, terminum aliquem afferunt densi, & rari, at non figuram; Animæ verò, à conditione materiæ magis recedentes, figuram propriam secum afferre dicuntur. Ratio itaque prima sumitur ex præstantia animæ, & maiore recessu à conditione primæ materiæ. Altera ratio est: quia formæ elementorum, & mixtorum consimilium partium in materia alteram præcedentem formam non exposcunt: at anima exposcit materiam formatam forma mixti; nam inanima corpora, vnicam habent formam; viuentia verò saltem duas, animã scilicet, & formam mixti; formatum forma mixti potest ab alio subsequẽte figuram propriam recipere; at non materia prima, quæ penitùs est potestate, & indefinita. Tertiò ea forma valet figuram præbere, quæ figurato præest, & dominatur: anima cum non pendeat ex temperamento, sed corpori temperato superueniat, ei præest, & dominatur, ideò figuram tradere valet. Quartò forma quo est eminentior, eo magis accedit ad ipsum vnum, & vnitionis conditionem includit: Anima est forma eminẽs, ideò magis vnitionem seruat; & in corpore figurato magis refulget vnitio, cum in duo similia diuidi non possit, vt non figuratum. Demum forma, quæ organis vti debet, exposcit corpus organicum; tale autem est figuratum consurgens ex congruente numero, forma, ratione, & ordine organorum. Hæc tamen cum vera sint de mortalibus; in Cœlo sola eminentia, & virtute seruantur, præsertim autem Cœlum propria figura terminatum esse debuit, quia eminenter est animatum, ab eo cætera terminum erãt susceptura, & id non ab alio, cum sit primum. Insuper Cœlum, & Vniuersum, cum sit vniuersum, non debet esse in alio; & cum non sit in alio, non ex alio, sed ex se terminum habere debuit, & præsertim cum materia eius sit corpus actu, quod figuram exposcit. Hinc rectè Auerroes in cap. de substantia orbis, ait, Intelligentiam sequi materiam, terminum, & motum cœlestis corporis. Ex his patet solutio eius difficultatis, quomodo Cœlum sit ex se figuratum, cum sit corpus simplex, & cætera simplicia corpora careant propria figura, vt docet Aristoteles in secundo de Cœlo: Varietas autem figuræ viuentium ex forma, materia, fine, & efficiente, ortum ducit: Ex forma primò; nam animæ cum sint variæ, vario etiam modo sunt aptæ terminare materiam, sunt formæ, vt numeri, quemadmodum asseritur in octauo Metaphysicæ, contex. 10. & ideo definitis, & proprijs quibusdam mensuris terminant corpus. Secundò, pendet ex efficiente, cum principali, tum organico, agẽs principale, & primum est Dei Mens per Ideas, ex quarum participatione consurgunt viuentia, ex Platonis sententia, ex sententia verò Aristo. efficiens proximum speciẽ conseruans, est, vnumquodq; indiuiduum, aliud sibi simile generans, nam forma in 2. Physic. 27. dicitur species, & exemplar, quoniam (vt explicat Alexander) ad sui similitudinem, tanquã exemplaris, aliud producit simile, cum forma, tum figura; instrumentum verò est definita mensura

*Cur sola viuentia sint figurata?*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Cœlum cur figuratum?*

*Vnde prodeat varietas figuræ viuentium?*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

mensura caloris, seminis, & genitalis spiritus, ex cuius mensuræ varietate consurgit et iā varietas figuræ hinc patefacit Aristoteles in lib. de Gen. Animalium, quod dum genitura dominatur materiæ, prolem format valdè similem parenti. *Tertia.* Tertiò, pendere potest varietas figuræ ex varietate materiæ, cuius temperamentum cum sit varium, varioq; modo tenue, & crassum, varias excipit figuras. *Quarta.* Quartò id ortum ducit ex fine, qui est vel forma, vel officium formæ; nam forma varia, propensiones, indigentiæ, & vsus varij, varia organa, vel vario modo formata exposcunt: Et demùm ea innumera varietas refulgere debuit, vt vniuersum re vera esset vniuersum, & ex suprema simplicitate, & similitudine, per congruentes gradus in maximam dissimilitudinem refulgeret progressus, quæ varietas, ob aquæ foecunditatem satis conspicuè in animalibus inspicitur, quæ degunt, & gignuntur in aquis; facta tamen comparatione inter indiuidua eiusdem speciei, varietas *Magna varietas figuræ hominis.* figuræ maximè refulget in homine, tum ob præstantiam, & vim phantasiæ eius, tum ob tenuitatem humorum, tum ob varietatem temperamentorum, tum demùm ob distincta vitæ genera. Referens autem hæc omnia ad institutum meum, colligo, Mundo ne- *Figura Mūdi duplex.* dum viuenti, verùm etiam præstantissimo inter viuentia, propriam quandam, & præstātissimam figuram competere, quæ duplex est, vna consurgens ex ordine, & congruente ratione conspirantium ad eius constitutionem: altera in termino extremæ superficiei posita: si de prima loquimur, ea competit Mundo triplici ratione, nam dum illum consideramus, vt ex cunctis consurgit, separatæ Mentes, & præsertim Deus sunt caput eius, Cœlum est pectus, mortalia pedes: si consideramus solùm corpora simplicia, Primum mobile est caput, Planetæ pectus, quatuor elemēta pedes: at si omnium corporum gradus consideramus, tunc cum Plotino dicemus: Cœlum esse caput, hominem partē mediam, cætera corpora postremam; Cœlum tamen ita dicitur pars ordine suprema, vt ab Aristotele in 2. de Cœlo 72. ob virtutem eius, dicatur medium. Altera figura competit Mundo dum consideramus extimam faciem primi mobilis, de qua modò est agendum.

## *Quæ sit figura Mundi? Cur Cœlum sphæricum? & ordo competentium Cœlo.* Cap. XXXII.

QVICVNQVE veterum philosophorum Mundum existimarunt mole infinitum, figuram ab eo abstulerunt, cum infinito termini non competant, ex quibus figura consurgit: At Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis consensione, infinitum actu explosum, & reiectum est, & propterea qua termi- *Plato.* netur, & claudatur figura, considerandum occurrit. Plato non videtur sibi constare, nonnunquam enim in Timęo Mundo tribuit figuram duodecim facierum, terræ Cubum, igni figuram Pyramidis, & medijs elementis medias; nonnunquam verò sphæricam, inquit enim, Deus Mundo figuram maximè decoram, & congruentem dedit: Animal quippe hoc, quod intra suum ambitum erat animalia omnia contenturū, eam figurā præcipuè requirebat, in qua figuræ omnes continerentur, quapropter sphæricum fecit, in quo omnis extremitas, paribus à medio radijs attingitur, quæ quidem figura omnium perfectissima, sibiq; ipsi simillima indicatur, putabat enim simile dissimili *Controuersia componitur.* multo pulchrius esse. Hęc Plato. At controuersia facilè componitur, vel enim per numerorum, primarumque figurarum conditiones, & affectiones, conditionem Cœli explicare cupimus, quod sæpè more Pythagoræ seruauit Plato; vel absolutè figuram propriam, qua Mundus clauditur cupimus patefacere: si consideramus similitudinem affectionum, Mundo, & Cœlo competit figura duodecim facierum, ob sphęras duodecim, ob duodecim signa Zodiaci, & alia similia: Absolutè tamen, ex parte vltimi termini, *Aristot.* Mundus est in orbem exquisitissimè redactus. Eiusdem sententię etiam est Aristoteles, *Cur Cœlum sphæricum.* propterea in secundo de Cœlo latissimè id comprobauit, & tam exquisitè in orbem dicitur redactus, vt nulla in eo inęqualitas locum habeat, nullumque mortalium corpora-

tam

tam exactè rotunditatis sit particeps, Cœlo competit hæc figura, ratione materiæ, formæ, efficientis, & finis. Primò ratione materiæ, nam Cœlum est corpus simplicissimum, primum, consimile, præstantissimum, non egens instrumentis corporeis, non egens loco, ideò ei respondet figura simplicissima, prima, præstantissima, consimilis, à varietate instrumentorum immunis, non egens alieno termino, sed ex se terminata, & terminans cætera, quæ conditiones soli orbiculatæ figuræ competunt, vt per eas digredienti conspicuum est. ideo Aristoteles in secundo de Cœlo 22. ait, Quoniam igitur prius Natura in quouis genere est vnum multis, & simplex composito, prima vtique erit planarum figurarum circulus; & Auerroes disputa. prima, solutione vndecimi dubij inquit, solam figuram sphæricam sui natura finitam esse. *Ratione materia.* Secundò ratione formæ: nam figura sphærica cum sit præstantissima, debet alicui corpori per naturam competere; nulli autem competeret, nisi competeret Cœlo; *Ratione forma.* Confirmatur: quia contenta sub Cœlo recipiunt figuram orbicularem à Cœlo, quare necesse est, vt Cœlo per sui naturam competat. Insuper circulus, & orbicularis figura est origo omnium admirabilium, vt asseritur ab Aristotele in lib. Mechanicarum Quæstionum, quod prius à Platone etiam fuit enunciatum, ideò debuit ei competere, ex quo cuncta admirabilia, mirabiliter in mortalem orbem effunduntur; huiusmodi autem Cœlum est: Nam in figura orbiculari cum motu seruatur immobilitas; cum motu consimili seruantur semina motuum dissimilium, simul enim per varias partes dissimiliter mouetur; cum motu velocissimo seruatur motus moderatè velox, & tardissimus, qualis est motus circulorum, qui proximi sunt Polis, & propterea valent in hunc mortalem orbem, ex eo tot, & tam varia prodire. Insuper ea sola figura talis est, vt si Cœlo tribuatur, nullum sequatur absurdum: si autem figura aliqua clauderetur Cœlum, angulis prædita, modò nimiùm, modò parùm ad nos accederet: & vt ait Aristoteles in secundo de Cœlo 27. Si Cœlum rectilinea figura clauderetur, vel alia quauis, cuius termini non æquè distarent à medio; extra vniuersum daretur locus, & corpus, & inane, quæ absurda sequerentur, etiam si oui, vel lentis figura formatum esset, quoniam Cœlum motibus varijs, & super distinctis Polis mouetur, & ea figura debet esse figuratum, vt in quauis parte excogitentur Poli, ea absurda non sequantur, & conspicuè saltem hoc sequeretur absurdum, quod in eodem interuallo modò reperiretur corpus, modò non, si cum veteribus locum dicimus esse interuallum. Tertiò, idipsum ostenditur ratione sumpta ex efficiente, idque nisi propriè, saltem conseruante; *Ratione efficientis.* huiusmodi sunt separatæ formæ, ex quibus pendent Cœlestes orbes. Formæ separatæ, & præsertim Deus, sunt tanquam circuli, quia simul sunt principium, & finis: nam intelligendo reuertuntur in se, & operando ex primo instituto operantur propter se, & propterea fluentia ex illis, in illas per circulum reuoluuntur, ob quam causam corpora quoque eis proximiora circuli figuram sibi optant. Insuper cum sint causæ efficientes conseruantes, & conseruent per æternum motum, qui non potest esse vnus, & æternus, nisi sit orbicularis; nec potest esse talis, nisi mobile sit sphæricum, ideò recta ratione Cœlum sphæricum est, adeò vt in Cœlo, quemadmodum asserit Auerroes in capit. de substantia Orbis, primò consideretur intelligentia, secundò corpus Cœli rotunda figura terminatum, tertiò lux eius, quartò motus. *Ordo competentium Cœlo.* Postremò, idipsum ostendi potest ratione sumpta ex fine. Nam debuit Cœlum orbiculare esse, vt tanquam proximum Deo, ex Deo in Deum tanquam ex principio in finem progrederetur, ex quo solo perfectionem haurit; *Ratio ex fine.* Insuper vt continuato, & æterno motu sine media quiete moueri posset: Præterea, vt velociùs moueretur, eiusque motus magis regulam, & proportionem seruaret; Demùm, si ad hæc mortalia refertur, quia ea continere debet; figura capacissima debuit esse præditum, & quia eadem debet consimiliter seruare, ab eis debuit consimiliter distare, hæc autem ei cumulatissimè competunt per figuram sphæricam.

## *De differentijs Positionis.* Cap. XXXIII.

CORPORA viuentia, suaque figurâ circumscripta, ob facultates varias, vel ob varium operandi modum per partes varias oppositionibus illis, quæ vel positionis, vel loci differentiæ nuncupantur, inspiciuntur prædita, propterea cum Mundus sit corpus viuens, huiusmodi differentijs debet esse ornatus. Oppositiones differentiarum sunt três, Anteriùs, & Posteriùs; sursùm, & deorsùm; dextrum, & sinistrum. Possunt hæ differentiarum oppositiones circumscribi, quòd sint termini trinę oppositionis dimensionum, magnitudinis figuratæ distincta facultate præditæ. Hæc definitio solùm competit differentijs positionis magnitudinum propriè sumptis, de quibus cum pateat quid sint: quæritur primò quot sint. Aristoteles asserit esse sex, ex tribus oppositionibus consurgentes, vt dixi; At videntur esse plures, nam Cleomedes in suo libro de Mundo, addit medium, cui opponitur, extremum, siue circumferentia. Insuper addi potest intùs, & extrà, quę cùm sint differentię loci, ad has pertinere videntur. Ex aduerso videtur vnica, quia in omni genere primum & maximum, vnum est: differentia positionis est maxima distātia in loco, quare vnica videtur. Respondens dico, oppositiones re vera esse tres, ex quibus prodeunt sex dictæ differentiæ; sunt autem tres: primò; quia respondent intersectionibus linearum ad angulos rectos, & dimensionibus magnitudinum, quæ tres solæ sunt, nam sursum est principium longitudinis, dextrum latitudinis, anteriùs profunditatis. Insuper sursùm dicitur principium motus, cum in eo consideretur vis mouendi; dextrum terminus a quo; anteriùs, ad quem. Prætereà, sursùm, dicitur principium accretionis in eis, quibus competit accretio; dextrum lationis; anterius sensuū in eis, quibus competunt sensus. Rationes, quòd sint plures, facilè diluuntur: nam medium, & extremum, addi non debent, cum redigantur ad longitudinem, & constituāt sursùm, & deorsùm, vt patet in Mundo, nec secus maximè distant: Similiter intus, & extra, non constituūt differentiam positionis, de qua modò est sermo, nam quæruntur differentiæ positionis, quæ in loco, & corpore tanquam partes maximè distantes inueniantur; extra autem excluditur, nec in eadem magnitudine vna cum cæteris differentijs, tanquam pars reperitur, nec est principium aliquod eius. At adhuc instant: quia principia videntur plura, non enim sola latio, accretio, & sensus, principium habent in viuente, verùm insuper generatio, alteratio, & ratiocinatio. Respondeo: generatio nòn propriè constituit distinctum principium, quia nil se generat: Alteratio autem, vt habet in corpore determinatum principium, nectitur cum accretione, cum qua etiam nectitur generatio, quatenus ei in viuente principium competit, omnia enim pendent ex alimento, & pertinent ad facultatem vegetandi. Ratio non constituit differentiam magnitudinis, nisi vt cum corpore nectitur, iungitur autem pro iudicio & latione cum sensu & facultate mouendi, ideò ad has facultates pertinent principia differentiarum, non ad rationem. Ex aduerso oppositio videbatur vna, quia vna est maxima distantia. Respondeo maximam distantiam in vna dimensione esse vnam, in tribus tres, quæ tamen ordine quodam sunt præditæ. At pulchra hoc in loco se nobis offert dubitatio, cum enim inueniantur loca, & differentiæ eorum, insuper inueniantur corpora locata, & eorum differentiæ, nempè graue, & leue, ambigitur quid sit prius? num differentiæ locorum, vel potius differentiæ corporum? Difficultatem hanc mouit Simplicius in primo de Cœlo 81. & dixit sententiam fuisse Alexandri, Naturam, & differentias corporum antecedere, non enim in vniuerso reperiuntur primò differentiæ locorum distinctæ, ad se trahentes corpora, sed distinctæ naturæ corporum suis propensionibus constituunt differentias locorum: hinc loca definiuntur per corpora; & locus deorsùm dicitur, ad quem nata sunt ferri grauia. Simplicius, Alexandro obijcit, quia terminus continentis non determinatur per contentum, sed contra;

*Oppositiones differentiarum positionis tres.* *Descriptio.* *De numero earum.* *Cleomedes.* *Solutio.* *Quod tres prima ratio.* *Secunda.* *Tertia.* *Diluuntur rationes aduersa.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Opinio Alexandri.* *Simplicius.*

cum

cum continens, & locus sit tanquam forma, idque confirmari potest per Aristotelem, qui in contex. 86. primi de Cœlo, ostendit dari loca diffinita, ad quæ grauia, & leuia sint nata moueri: Res itaq; est dubia, & Simplicius sub dubio eam derelinquit. Pro resolutione dico, vel differentias positionis consideramus in corpore viuente, vt in homine, vel in vniuerso orbe: in corpore viuente non est dubitatio, proculdubio enim differentię positionis sequuntur facultatem partium corporis, adeò vt principium nutritionis Animalis, vbicunq; positum, constituat sursum, veluti patet de Plantis, quarum radices sunt pars sursum, collocata deorsum. Dubitatio est de locis elementorum, & differentijs eorum, quid constituat aliud, & sit prius? De qua difficultate assero, si nomine loci intelligimus more veterum, interuallum, in quo recipiuntur corpora; proculdubio locum præcedere, & præsupponi à corpore; præcedere tamen sine differentijs eius, non enim in inani interuallo seruari possunt differentiæ loci; Hinc Aristoteles in quarto Physic. contex. 6. inquit: Videtur autem Hesiodus rectè dicere, faciens primum Chaos: inquit enim primum Chaos factum est, mox terra lata, quasi oporteat primum reperiri receptaculum eorum, quæ sunt: At si locus sumatur cum Aristotele pro intima superficie ambientis, tunc quærere an loca determinentur, siue constituantur per differentias corporum, vel contra, est idem ac quærere quid constituat, vel determinet aliud, num continens, vel contentum? & quoniam huiusmodi locus per eundem Philosophum in quarto Physi. est duplex, vel communis, vt Cœlum, vel proprius, & adæquatus; si loquimur de loco communi, assero locum esse causam; & determinare cum loca propria, tum locata per loca propria. Nam Cœlum est faber locorum, loco non egens, & quamuis non sit prius tempore, est tamen prius origine differentijs proprijs locorum, locatorum, & causa eorum, saltem conseruans. Loquendo autem de loco proprio praæaccipio huiusmodi locum considerari dupliciter, vel secundum formam, vel secundum materiam: locus consideratus secundum formam, consistit in definita distantia à Cœlo, & proquinquitate ad illud, qui locus statim origine sequitur figuram Cœli, & antecedit locata; statim enim figuram Cœli sequitur medium, siue Centrum, & extrema. Hinc dicimus remotionē à Cœlo dare quietem, frigus, & grauitatem; propinquitatem vero opposita; & ob id Aristoteles in quarto Physic. contex. 5. asserit, dari loca definita, ad quæ grauia, & leuia mouentur, & Auer. 10. Metaphysicæ, contex. 13. inquit, contrarietates locorum, esse causas contrarietatis substantiæ locatorum. At si locus proprius consideretur secundum materiā, hoc est, pro definita superficie ambientis, tunc comparando quatuor elementa inter se, vnum non est prius altero, neque enim grauitas terræ constituit intimam superficiem aquæ, nec è contrario. Hinc etiam superficies aeris in parte ambit terram, solum comparando locatum cum suo loco, dicere valemus, locum esse finem cuius gratia mouentur elementa; corpus vero elementi esse finem, cui paratus est locus. Dum differentiæ locorum definiuntur per differentias corporum, vel contra; illæ non sunt definitiones verę per causam, sed per inuicem relata, iuncta, & se mutuò patefacientia; ea tamen quæ est differentia corporum, per differentias locorum consideratorum secūdum formam, rectiùs potest dici per priora. Ex his elicio primò, locum sumptum pro interuallo antecedere, id tamen ab Aristotele non conceditur. Elicio secundo, locum sumptum pro loco communi, & locum proprium consideratum secundum formam antecedere, quatenus Cœlum in definita distantia seruat grauia, & leuia. Elicio tertiò, locum proprium consideratum secundum materiam, nec esse causam differentiæ corporum, nec è contrario. Elicio quartò, si absolutè comparatur locus cum corpore, & differentia loci cum ea corporis, corpus antecedere, quatenus cœleste corpus loca constituit; Hinc locus dicitur affectio corporis Physici, & posterior. Elicio demùm, locum, & eius differentias partim antecedere, partim sequi, partim nec antecedere, nec sequi; Hinc vt sententia Alexandri est vera in parte, ita ea Simplicij. Quod locus sit forma locati, verum est secundum similitudinem: & dum consideratur locus secun-

*Solutio.*

*De corpore viuente.*

*De locis elementorum.*

*Conclusio dictorum.*

secundum formam. Ex quo patet, quòd dum Aristoteles in primo de Cœlo ostendit Mundum vnum, quia omnia grauia feruntur in vnū medium, & omnia leuia in vnum extremum; ea ostensio est potiùs insolubile signum, vt ab eo dicitur, quàm exacta ostensio, cum nec grauia, nec leuia constituant differentias locorum. Potest tamen modo aliquo dici per causam, quatenus absolutè corpus antecedit differentias locorum, easque constituit, nempè Cœlum, vt apparuit. At quæritur tertiò quisnam sit ordo harum oppositionum, & quæ earum sit absolutè prima? Et quia ordo, vt ad institutum pertinet, est duplex, originis, & perfectionis; loquens de ordine originis, sursum est differentia origine prima. Ratio est: quia respondet longitudini, quę prima est dimensionum: Insuper respondet principio motus, vt ait Aristoteles. Et quòd ea prima sit, consentiunt omnes: dubitatio est de reliquis. Nam ex vna parte dextrum videtur prius anteriore; tum quia dextrum latitudini respondet, quæ dimensionum est secunda; tum insuper, quia dextrum est principium, à quo motus: anterius ad quod; principium à quo, est origine prius; tum demùm, quia anterius est differentia præstátior, cum sit principium sensus, & profunditatis, primum autem perfectione est origine vltimum. Ex aduerso Aristoteles disputans contra Pythagoram in secundo de Cœlo, contex. 7. ait: dextrum esse differentiam postremam, & alias præsupponere. Confirmatur: quia non valemus dextrum à sinistro secernere, nisi primò constituamus anterius, id autem indicat anterius esse origine prius, & præsupponi à dextro. Insuper sensus animalium est origine prior latione, nam latio vt dicitur in 8. Physic. postremò competit homini: quare etiam anterius constitutum per sensum erit prius. Insuper dextrum, & sinistrum ducunt ortum à ventriculis cordis, cor autem prius formatur, quàm pars anterior; Hoc confirmatur authoritate Aristotelis in libro de progressu Animalium, dicentis, Ostreacea Animalia, lapidibus affixa, carere dextro, cum careant principio motus; at esse prædita anteriore, cum sint prædita sensu. Dubitatio est satis perplexa, & obscura, de qua lucidè, & distinctè agens, dico, non esse absurdū, vt idem comparatum cum eodem, distincta ratione sit prius, & posterius. Nam dum inter se comparantur hæ oppositiones, si inspicimus ordinem dimensionum, quem etiam considerauit Aristoteles in contex. 12. inquiens, vt longitudo est prior latitudine, ita sursum dextro, sic proculdubio dextrum est prius origine. Similiter dum has oppositiones referimus ad lationem; dextrum mediat. primò enim requiritur principium motus; secūdò, terminus à quo incipimus moueri; tertiò, terminus versus quem mouemur, qui pertinet ad anterius. At dum referuntur ad distinctos motus, se habet secus; primò enim consideratur accretio pertinens ad sursum, ac deorsum; secundò sensus, qui constituit anterius; tertiò succedit latio pertinens ad dextrum. Aristoteles apertè dixit sursum esse differentiam primam origine, de cæteris nil conspicuè protulit, sed modò vnam, modò alteram indicauit priorem, quatenus distincta consideratione cōtingit vtrumque, præsertim tamen, dextrum prius putandum est, quatenus priori dimensioni, & termino à quo motus respondet. Et ex his elicitur solutio rationum vtriusque partis. Et quamuis Aristoteles dixerit, dextrum esse posterius; Aristoteles tamen præsertim id refert ad sursum, vt ostendit in contex. 12. Insuper est posterius, quatenus constituit motum loci distinctum ab alijs motibus, qui solus est in Cœlo, sed non alia ratione. At quæritur, quæ nam sit prior dignitate? oppositio inter sursum, & deorsum, cum sit origine prima, longitudini respondens, videtur dignitate postrema: lis versatur inter dextrum, & anterius; dextrum videtur dignius, nam vt dicebant Pythagorei, & seruatur communi vsu loquentium, dextrum significat bonum, sinistrum malum, ita sors sinistra mala est. Similiter, dextrum significat robur, & vires, dextra Domini fecit virtutem, dextra Domini exaltauit me. Prætereà, dextrum exposcit in corpore maiorem dearticulationem, & exactiorem membrorū distinctionem, ideò in stirpanimalibus affixis lapidibus non reperitur dextrum, & sinistrum; vt ait Aristoteles in lib. de progressu Animalium. Demùm, dextrum respondet mo-

*De ordine oppositionum.*

*Solutio.*

*De ordine dignitatis.*

tui lo-

tui locali, qui est origine postremus in mortalibus, perfectione primus, vt dicitur in 8. Phys. Ex aduerso, anterius videtur dignitate prius: tum quia (vt patuit) præsertim est origine postremum: tum insuper, quia respondet dimensioni præstantiori constituenti corpus, quæ est profunditas: tum quia respondet termino ad quem, qui cum sit finis, præfertur termino à quo: tum demùm, quia respondet sensui, & facultati cognoscenti, quæ videtur præstantior, cum sit principium motus, facultate, & virtute motum includens; Sic magis aliquem veneramur, & magnificamus, dantes ei partem anteriorem, quàm dextram; nam dextra ad æqualitatem accedit; anterius verò absolutè indicat eminentius; dextra indicat robur, anterius essentiam; & id, quod robur dirigit, facies veneratur, dextera formidatur, dextrum significat bonum, quia munera distribuit; at ea per anterius decernuntur. Propterea dicamus, esse prius dignitate, contingere dupliciter, vel absolutè, & ex parte generis, vel secundum aliquid connexum: absolutè, anterius est posterius origine, & prius dignitate, ob dimensionum ordinem, & terminum ad quem motus: At secundum quid, & ob adnexa, modò vna, modò altera præstat: sic Sursum, vt caput, & locus Deorum colitur: Anterius ob iudicium, dimensionem, & terminum ad quem: Dextrum, ob motum secundum locum, per quem constituitur. Quæritur quintò, cum hæ oppositiones dicantur differentiæ positionis, & loci, & corporis, quomodo ad corpus, vel ad locum se habent, num sint eorum species, vel partes, vel affectiones, vel differentiæ? nam varijs in locis, varijs vocibus denotantur. Aristoteles in 4. Phys. contex. 4. eas dicit partes, & species, alibi facultates Auerroes eo loci inquit, locum in eas diuidi, vt genus in suas differentias specificas, & ideò Aristoteles ait, esse partes loci, quæ sunt species illius, ne quis per partes intelligat partes secundum quantitatem, non secundum formam. Breuibus dico, has oppositiones distincta ratione posse dici & partes, & species, & differentias, & distantias, & facultates, nam sunt oppositiones tres, constitutæ per sex differentias, quæ quatenus diuidunt, vel locum, vel corpus in oppositas partes, & formas, dicuntur differentiæ. Insuper cum sint differentiæ, dicuntur species, duplici ratione: primò, quia differentiæ, formæ sunt, quæ species dicuntur: secundò, quia concretum per differentiam constitutum, species dicitur. Insuper dicuntur partes: tum quia sunt species, tum insuper, quia sunt partes corporis, vel loci, dum referuntur ad vniuersum corpus, vel locū, cuius sunt partes. Insuper in contex. 12. secundi de Cœlo, nuncupantur virtutes, quia varijs facultatibus sunt præditæ: & demùm nuncupantur distantiæ in eodem lib. Et ratio conspicua est: quia vt oppositæ maximè distant. At cum opponantur, dubium est, qua specie oppositionis dicantur opponi? asserunt nonnulli, solum opponi oppositione relationis: nam sursum refertur ad deorsum, & sic de cæteris. Et in 5. Physic. dum ostenditur in relatione non esse motum, exemplum sumitur à dextro, & sinistro, nam columna sine sui mutatione ex dextra euadere potest alicui sinistra. Hæc opinio vera non est, quoniam ad relationem non est per se motus, vt ostenditur in 5. Phys. inter sursum, & deorsum per se motus est. Similiter inter cæteras differẽtias. Prętereà, quales sunt motus, tales sunt termini: nam motus conditionem recipiunt à terminis, motus inter oppositas differentias statuuntur contrarij, quare & illæ; Confirmatur: quia differentiarū oppositio ad contrarietatem redigitur, vt in prima philosophia patefacit Aristoteles: Huiusmodi autem est oppositio differentiarum loci. His accedit, quod opposita per relationem solam non dicuntur differentiæ. Dicamus itaque, huiusmodi differentias in duobus considerari, & in loco, & in corpore: si cōsiderantur sursum, & deorsum in loco, ad quas differentias mouentur grauia, & leuia, sic dicūtur contraria, vt in Prædicamento Quantitatis ait Arist. & ob eorum contrarietatem, motus grauiū, & leuium statuuntur contrarij. Si autem considerantur in corpore, vel considerantur in inanimis, vel in viuentibus; in inanimis solam relationem includunt, quia non facultate, & virtute distinguuntur; immò principium longitudinis potest alia consideratione esse finis; dextrum, esse sinistrum; anterius, esse posterius; & longitudo potest esse latitudo, vel profunditas, & vice versa; At in viuentibus, quoniam distinctis facultatibus

*Solutio.* | *Quō ad locum & corpus se habent.* | *Solutio.* | *Qua specie oppositionis opponūtur.* | *Solutio.*

eorum differentiæ sunt præditæ, ad contrarietatem pertinent; & cum ad contraria redigantur, non est absurdum, si etiã modo aliquo relationem includunt, quia etiam cõtrarium refertur ad contrarium, & contrarij contrarium dicitur. Ad instantiam de columna dextra, & sinistra. Respondeo, id ei competere, quia non absolutè ei conueniunt

*Dubitatio.* hæ differentiæ, sed per relationem ad nos. At instabit aliquis; dicendo, Cœlo non cõpetit contrarium ex primo de Cœlo, cum tamen ei competant huiusmodi differentiæ.

*Solutio.* Respondeo, Cœlo competere contrarietatem requisitam pro motu secundum locum ratione distantiæ per diamatrum, & oppositionis partium eius, vt dicitur in primo de

*Dubitatio de dextro. Animaliũ.* Cęlo 87. Pulchra est dubitatio, an dextrum in animalibus distinguantur à sinistro facultate, & virtute per naturam, vel solùm assuetudine. Arist. in 2. de Cœlo, in 5. Moraliũ Nicom. cap. 7. & in 3. de partib. Anim. cap. 4. primam partem tuetur. Plato in 7. de Legibus, tuetur alteram, quam cõtrouersiam nunc prætereo, cum in philosophia de Moribus conciliando Aristotelem cum Platone, de ea verba fecerim. Demùm dubitatur,

*Dubitatio.* quia ego vnà cũ Arist. in 2. de Cęlo, dixi, sursùm includere principium lationis, & accretionis, quod minimè videtur verum, cũ ex sententia Arist. Cor, quod in medio est

*Solutio.* collocatum, & sensus, & accretionis, & lationis principia includat. Soluens dico ex sententia Arist. Cor est sedes omnium animæ facultatũ: ex sententia verò Platonis, & Galeni cerebrum est sedes facultatis cognoscentis, & mouentis; mos autem Arist. fuit in loco non proprio frequenter loqui ex sententia aliorum. Addo secundò, principium esse duplex, vnum principale, alterum instrumentarium, & proximum; pro differentijs positionis, quæ ad corpus pertinent, inspicit Arist. principium potiùs instrumentariũ, quàm principale, nam principale est vnum omnium. Ex his elicio solutiones, dum instabatur primò, quia sursùm non includit principium lationis, dico primò in capite refulgere instrumenta cognitionis dirigentis lationem. Addo secundò, id saltem esse verum ex sententia Platonis. Dico tertiò, principale principium lationis esse ex sententia Aristotelis in corde, quod ponitur in medietate supera, dum animal in duas partes diuiditur, de Principio accretionis dico proximum, & instrumentarium esse os, respõdens radicibus Plantarum, vt sæpè ait Aristoteles, principale esse cor, quod (vt dixi) est in medietate superiore.

## *Quibus competant Differentiæ positionis:* Cap. XXXIIII.

QVID, quot, & quæ sint differentiæ positionis, satis abundè patefeci: sequitur modò, vt cõsiderem, quibus rebus competant, & qũo nonnullis cõpetant primò, & propriè, alijs verò per Metaphoram. Primò, & propriè, solis competunt corporibus; per Metaphoram verò, rebus à corpore solutis vel distinctis, vt Deo, & Animæ. Ordiẽs à corporibus, ea sunt

*Quibus corporibus cõpetant.* duplicia; vel expertia Animæ, vel ea prædita; expertia Animæ, non absolutè, & per se, sunt prædita huiusmodi differentijs, sed vel per imitationem, & similitudinẽ, vt statua, & picturæ, vel per relationẽ ad nos; & hoc contingit dupliciter, vel enim consideratur corpus inanimum totum, & tunc quæ sunt supra nostrum caput, dicuntur sursùm; quę ante faciem; anteriora; quæ vergunt ad dexteram, vel sinistram nostrã, dextera, vel sinistra; ita Virgil. *Sæpe sinistra caua, prædixit ab Ilice cornix.* Vel considerantur partes inanimi corporis, & ad nos referuntur, & tunc pars, nos respiciẽs, dicitur anterior; pars vergens ad nostram sinistram, dicitur dextra eius corporis, vt inquit Plato in Timęo; pars terræ proxima pedibus dicitur sursum, & sic de cæteris. Vel tertiò differentiæ positionis competunt inanimis per relationem ad Mundum, vt pars Terræ, vergens ad Oriẽtem, dicitur Oriens, & pars dextra, & sic de cæteris, ideò Arist. in 2. de Cęlo, dixit, degentes in parte Septentrionis, esse deorsum. Quartò, eis possunt competere differẽtiæ per relationem ad principium aliquod, tanquam caput, si huiusmodi principio fuerint prædita, veluti considerando flumina, fons dicitur caput, & pars sursum; pars supera dicitur facies, & anterior, & quasi homo iacens, cœlumq; respiciens, latus vnum di-

citur dextrum, alterum sinistrum. Ita considerando Mare Mediterrâneū, litus vergens ad Aethruriam dicitur sinistrum; oppositum dextrum, quia hæc nostra maria ab Arist. dicuntur fluere à Septentrione in Austrum, ideò caput, & pars sursùm in Septentrione consideratur. At pulchra se offert dubitatio, cum inanima corpora absolutè, & per se sint prædita trina dimensione, cui respondet triplex oppositio differentiarum, cur etiam per se, & absolutè huiusmodi differentijs non sunt prædita? Respondeo, id iure accidere, nam differentiæ positionis non ex solis dimensionibus prodeunt, sed ex pincipijs, figura, & facultate earum prædita profectò sunt corpora omnia trina dimensione; at non principijs eius distinctis, nec distincta figura, vel saltem facultate, immò eadem dimensio distincta consideratione, modò longitudo, modò latitudo, modò profunditas dicitur; Ab inanimis ascendendo ad Plantas, in eis solùm habet locum principium longitudinis distinctum, constituens sursùm, & deorsùm: nam solùm sunt prǽditæ principio nutritionis, & accretionis, quod principium constituit partem sursùm; carent autē sensu, & principio lationis, constituentibus cæteras differentias. Pars sursùm Plantarum, sunt radices, quę tamē relatæ ad vniuersum, collocatæ sunt deorsùm, nam solus homo inter viuentia constitutus est secundum ordinem vniuersi: plantæ ordine opposito: reliqua animantia modo quodam medio se habent. Hinc homo per Metaphoram dicitur Planta euersa: Radices dicuntur pars sursùm, quia hauriunt alimentum, & proportione respondent ori animalium. Sequuntur mox stirpanimalia, siue animalia Ostreacea, quæ cum sint prædita parte attrahente alimentum, sunt prædita principio lōgitudinis, constituente sursùm, & deorsùm, partem anteriorem habent confusam, quia solo tactu sunt prædita, & gustatu, qui est quidā tactus, qui sensus per vniuersum corpus extenduntur; non enim tactus constituit partem anteriorē, sed potiùs cæteri sensus in facie collocati, & præsertim sensus visus, vt inquit Philosophus, in lib. de incessu Animalium. Consideramus tamen in Ostreaceis anterius, considerando partem primò apparentem, dum aperiuntur; quia per eam externa sensilia percipiunt. Hinc Arist. in lib. de progressu animalium tribuit eis anterius, & posterius: loquendo autem de dextro, & sinistro, dicendum est, stirpanimalia esse duplicia, vel nullo pacto mobilia secundum locum, vt affixa lapidibus, quibus nec dextrum, nec sinistrum absolutè competit, vt rectè nos in eodē lib. docet Philosophus; Vel sunt modo aliquo mobilia, ac ita vt mobilia sunt, competit eis huiusmodi oppositio: nam cum confusè mouentur, confusè ea sunt prædita, vt legitur in calce libri de progressu Animalium. Et quoniam nonnulla reperiuntur, quæ turbinata dicuntur, qualia ex concharum genere sunt purpuræ, & buccini, inquit Arist. ea vndiq; dextra esse, quia consimiliter mouētur, nullaq; in eis motionis in loco apparet principij varietas. In stirpanimalibus itaque, vel non inueniuntur omnes differentiæ positionis, vel inueniuntur confusè, & indistinctè. Ad Animalia autem ascendendo, quæ motu loci distinctè mouentur, ea conspicuè prædita sunt omni differentia positionis, & præsertim Homo, qui cum sit præstantissimum Animalium, distinctissimè includit differentias illas omnes, nā in animalibus quadrupedibus sursùm, & antè, modo aliquo in idem fundamento veniunt. Similiter ex piscibus mollia, & ex Ostreaceis turbinata, anterius à posteriore non habent fundamento distinctū, sed sola ratione; vt docet Arist. in lib. de incessu Animalium. Similiter in cancris, latera funguntur munere partis anterioris, cum moueātur in latus, & hoc in eis seruauit Arist. quòd natura eis dedit oculos, qui partem anteriorem constituunt satis eminentes, & aptos in latera verti, vt quodam modo ad anterius moueri viderentur; At in Homine singulæ differentiæ distinctissimè apparēt: de quibus duæ occurrunt ambiguitates; Prima est, num pars dextra sit prædita figura, distincta à figura sinistræ? Altera est, num Homines illi, quorum pars leua est potentior, quàm dextra, dicantur prædıti parte dextra, virtute distincta à sinistra? & quæ earum debeat nuncupari pars dextra? De prima difficultate Aristoteles pugnantia profert; nam in contextu vndecimo secundi de Coelo ait, dextrum à sinistro virtute solùm distingui,

*Dubitatio.* *Solutio.* *De inanimis.* *De Plantis.* *De Ostreaceis.* *De Animalibus.* *De Cancris.* *De homine.* *An dextrū, & sinistrū distinguantur figura?*

cæteras verò differentias, etiam figura; Mox in cont.t 3. ait: in Animalibus dextrum à sinistro etiam figura distingui. Soluitur, dicendo, partem dextram à sinistra parùm figura differre, & esse apprimè similes; absolutè tamen distingui, & cum medio modo se habeant, vtrumque de illis dici potest: non distinguuntur dum comparantur cum cæteris differentijs, quæ manifestè distinguuntur; absolutè tamen distingui dicuntur; Hinc inspicientes manum abscissam à brachio; iudicare valemus an dextra, vel sinistra sit. De altera difficultate breuibus dico, hominum sinistra parte præpotentium, partem illam per naturam esse sinistram; at per dispositionem præter naturam, redditam esse dextram, illa enim est constitutio præter naturam. Demùm ad Mundum progrediendo, in cuius grariam cætera sunt declarata: dico, Mundo competere differentias positionis, triplici consideratione: primò, ratione Cœlestis corporis; secundò, ratione Mundi elementaris; tertiò, ratione congregati; Si Cœlum consideramus, ei adhuc competunt differentiæ positionis, vel ratione primi motus, vel ratione motus Planetarum: Si consideramus Mundum elementarem, ei competunt differentiæ tribus modis: primò, ratione lationis rectę; secũdo, considerando habitationes Terræ; tertiò, per relationem ad Cœlum, de quibus distinctiùs distinctis capitibus verba faciam.

*Solutio alterius diff.*

*Q̃uo competat Mundo.*

## *Differentiæ positionis ad Mundum relatæ.* *Cap. XXXV.*

QVONIAM Mundo præsertim competunt differentiæ positionis munere Cœli, ideò à Cœlo ordiar. Pythagoras (referente Aristotele in secundo de Cœlo) ei solùm tribuebat dextrum, & sinistrum, propterea ab Aristotele carpitur; tum quia Cœlo cæteras differentias non tribuebat; tum quia ei tribuebat posteriores, dimissis prioribus; tum quia dextrum, & sinistrum cunctis sine discrimine tribuebat; tum demùm, quia Borealem verticem, quem Aristoteles deorsùm iudicat, nuncupabat dextrum, & sursùm. Propterea distinctiùs Aristoteles has differentias tribuens Cœlo, quia solùm circumfertur, nec alia ratione, nisi per circulationem huiusmodi differentiæ ei competere possunt, ideò eam considerans ob varium motum firmamenti, & planetarum, duplici ordine Cœlo differentias tribuit, nam ob diurnum motum, dixit, Orientem esse partem dextram, Occidentem sinistram, quatenus Cœlum ex Oriente in Occidentem circumfertur; Meridiem dixit partem anteriorem; Lineam mediæ noctis posteriorem; Verticem Australem sursùm; Borealem deorsùm. Ob lationem verò Planetarum, qui ex Occidente in Orientem tendunt, Verticem Borealem dixit sursùm; Occidentem, partem dextram; Meridiẽ anteriorem: ita enim disponendus esset homo, qui pro efficiendo diurno motu, dexteram extenderet in Orientem; & pro efficiendo motu Planetarum, dexteram extenderet in Occasum. Et iure hoc asserere videtur: quia Homo maximè est secundum naturam dispositus, & ideò Cœlum, quod iudicari debet mensura dispositionis secundum naturam, non secus disponi putandum est, ac disponeretur Homo, imago eius. Hæc ab Aristotele satis probabiliter pro rei difficultate dicta sunt: non tamen censeo ex parte necessitatem includere, ideò Aristoteles in secundo de Cœlo, ingenuè fatetur, se de sublimibus probabiliter tantum verba facere. Nam primò, vt pertinet ad sententiam Pythagoræ, quam carpit, ea defendi potest; quoniam ipse constituebat decem rerum contrarietates, Formam, & Priuationem, siue bonum, & malum, præseferentes, vt indicaret communia quædam contraria, quæ essent principia rerum, vt Arist. statuebat Formam, & Priuationem: inter quæ contraria, loco Boni, & Formæ, constituebat Dextrum; loco Mali, & Priuationis, Sinistrum. Hæc potiùs quàm alia opposita accipiebat, quia manifestius bonum, & malum indicant: Propterea ad dextrũ redigebat sursum, & anterius, formam, & bonum denotantia, quod Arist. quoq; confessus est, inquiens ex opinione Pythagoræ, Verticem Borealem esse partem dextram, & sursùm. Has autẽ differentias ratione boni, & mali denotari per eas, cunctis ex principijs

*Pythagoras.*

*Aristot.*

*Per motum diurnum.*

*Per motum Planetarũ.*

*Defenditur Pythagoras.*

cliijs constantibus tribuebat, vt ex sententia Aristotelis cuncta composita ex materia, & forma constare dicuntur; Nec alienum penitùs à ratione est, Borealem Verticem iudicare dextrum, vt mox patebit. Ex his facilè est elicere solutiones instantiarum aduersus Pythagoram. Quibus addo, quòd cum latio præsertim, & maximè constituat dextrum, & sinistrum, & in Cœlo mutationum solùm appareat latio, iure Pythagoras solum dextrum, & sinistrum ei tribuit. Præterea, vt in Cœlo reperitur gradus eminentior, sine deteriore, veluti Mens sine sensu; ita non est absurdum, ei tribuere oppositionem dextri, & sinistri, sine alijs. Insuper alia ratione sententia Aristotelis necessitate caret: quoniam non videtur verum, Cœlo competere posse differentias loci; tum quia est corpus consimile; tum quia contrario caret; tum tertiò, quia non est in loco; tum quartò, quia in Cœlo solùm reperitur Mens, & Voluntas, quæ in homine differentias positionis non constituunt; tum demùm, quia in Cœlo nec sensus, nec accretio locum habent, constituentia sursum, & anterius. Probabiliter tamen sententiã Arist. defendẽs, *Defenditur Arist.* quia Cœlum est animatum, mouetur motu loci, varioq; modo in hæc mortalia agit, putandũ est, esse præditũ huiusmodi differentijs, & præsertim, cum præseferant quandam corporis perfectionem. Hinc eas cęlo competere nedum Arist. verum etiã Plato, Pythagoras, Homerus, & alij viri celebres existimarunt. Pro solutione obiectionum accipio primò, distinctionẽ differẽtiarum, vel considerari in sola figura, vel in sola virtute, *Solutio.* vel in congregato ex vtrisque. In Cęlo cõsiderantur in sola virtute, quæ virtus ex intelligentia pendet, quatenùs iuncta cum Cęlo, vitamq; ei tribuens, non consimiliter, contactu virtutis mouendo Cęlum, cum omnibus eius partibus nectitur, & ea oppositio, quę consurgit, non est aduersa Cœlo, sed solùm est varietas, varijs Cęli partibus congruens, veluti etiam oppositio loci per diametrum, ei non aduersatur. Insuper accipio Mentẽ, & voluntatẽ in homine non constituere distinctas differentias, quia nõ proximè mouent, sed per mediam phantasiam, & ideò, vt ad constituendũ motum, ita ad constituendas differentias positionis solùm eminus conspirant; at in cęlo Mens, & appetitus proximè mouent. Addo tertiò; differentias positionis posse competere corpori, vel per solum motum in loco, vel per varios motus, distinctaq; principia; cęlo competunt primo modo, non secundo; & quàuis Cęlum non sit per se in loco, parùm refert; sat est vt sit corpus viuens, præditum partibus varijs, & sit in loco, saltem per partes, & ex accidenti. Et per partes varias modo vario ad motum se habeat.

## *Exactiùs consideratur quomodo in Cœlo distributæ sint differentiæ Positionis.* Cap. XXXVI.

APPARVIT ex sententia Aristotelis distributio differentiarum positionis per varias Cœli partes, & quomodo ratione primi motus, qui diurnus dicitur, Oriens sit pars dextra, Meridies anterior, vertex Australis sursum. Quæ distributio profectò dubitatione non caret, primò: quia nec *Dubitatio.* necessarium, nec rationi consonum videtur, vt virtutes in Cœlo, ita sint distributæ, quemadmodum in homine; nam varietas distributionis virtutum in homine per partes varias, ex eo ortum ducit, quia eius anima in parte ex corpore pendet, & instrumentaria est: at in Cœlo Mens non est instrumentaria; non pendet vllo pacto ex corpore; non diuiditur diuisione corporis, sed vbi est, tota est, & propterea oppositiones illas non videtur posse constituere. Confirmatur: quia in Cœlo pars, in qua sit vis mouens, non videtur differre à parte, ex qua incipiat moueri; nam inde incipit, vbi adest connexio virtutis cum Cœlo, & ideò pars dextra à parte sursùm non videtur distincta. Præterea, minus rectè alter polorum dicitur deorsùm cum totum Cœlum sit sursùm, Terra verò deorsum. Insuper si alter Polorum debet dici sursùm, præsertim noster Borealis debet iudicari talis, cum nostro Hemisphærio præsit, quod habitationibus magis est accommodatum, & pluribus signis, Stellisq; fulgentioribus

est ornatum. Demùm minus rectè Oriens dicitur pars dextra, & Poli sursum; quoniam id, quod mouetur ad anterius mouetur; & cum tendat ad anterius, reliquæ partes debent iudicari latera, vt accidit de homine, & eius motu, cum enim homo ad anterius ambulet, latera eius sunt dextrum, & sinistrum; quare similiter cum Cœlum ab ortu ad occasum tendat, in eo progressu consideratur anterius, & posterius: Poli autem tanquam latera iudicari debent dextrum, & sinistrum. Et propterea rectiùs fortasse Cleomedes in suo libro de Mundo, differentias distribuit: nam Orientem dicit partem posteriorem; Occidentem, in quem mouetur Cœlum, dicit anteriorem; Boream dextrum; Austrum sinistrum, quia ita homini respondent ambulanti versus occasum. Astronomi etiam, quos sequuntur Poetæ, hanc distributionem approbant, propterea cecinit Lucanus,

*Cleomedes.* *Astronomi.* *Poetæ.*

*Ignotum vobis Arabes venistis in Orbem*
*Vmbras mirati nemorum non ire sinistras.*

Per vmbras sinistras eas denotauit, quæ vergunt ad Austrum.
Et Ouidius secundo Metamorph.

*Signaq; sex foribus dextris, totidemq; sinistris.*

Et Virgilius.

*Quam circum extrema, dextra, leuaq; trahuntur;*
*Cerulea glacie concreta, atque imbribus atris.*

Insuper Ouidius.

*Vtq; dua dextera Cœlum, totidemq; sinistra*
*Parte secant Zona, quinta est ardentior illis.*

Ita explicandum censeo Vitruuij locum lib. 9. cap. 6. à pluribus fortè minus rectè declaratum, vbi hæc verba leguntur; Perseus dexterioribus subtercurrens basim Virgiliarum, sinistrioribus, caput Arietis, &c. nam Virgiliæ cum sint in signo Tauri, sunt magis Septentrionales, quam caput Arietis, & propterea dicuntur dexteriores. Præterea adhuc dubia videtur sententia Aristotelis, quòd Polus Borealis ratione vnius motus sit deorsum, ratione alterius sit sursum, cum enim ex primo Motore, ex quo prodit motus primus, pendeant cætera omnia, non videtur rationi consonum, vt capiti eius respondeant pedes, & pedibus capita aliorum mouentium, vt etiam videtur absurdum, eandem partem dici posse & caput, & pedes: & demùm cum Cœlum longitudine careat, non videtur posse includere sursum, & deorsum, quæ ad longitudinem pertinent. Hæc, & alia huiusmodi apertè indicant sententiam Aristotelis nec necessariam esse, nec ex necessarijs principijs duci, sed probabilem solùm, cuius probabilitatem confirmat auctoritas Homeri, & Platonis; Dixit Homerus, siue ad dextram ad ortum vertantur, siue ad sinistram ad occasum; Similiter Plato in Appendice Legum dixit: Planetas suo motu ad dexteram, hoc est, versus Orientem moueri: Nam dextrum, & sinistrum ob lationem eius, ferè omnes Cœlo tribuerunt; non autem ita cæteras differentias. Rationes aduersus sententiam Aristotelis formatas probabiliter soluens, de prima dico: quamuis Cœlum non sit præditum instrumentis; nec intelligentiæ ex Cœlo pendeant; tamen id, quod competit homini per instrumenta, competit eminentiùs Cœlo sine illis, & quamuis intelligentia ex Cœlo non pendeat, & vbi est, tota sit; tamen partibus varijs tribuit vires varias, quatenus expedit pro vniuersi perfectione, & conseruatione. Dicebatur secundò, partem Cœli, in qua insit vis mouens, non distingui à parte, à qua Cœlum incipiat moueri, vel à qua inciperet, si incipere deberet. Respondeo, cum Oriens sit pars dextra; & dextrum præsupponat cæteras differentias, non potest pro parte sursum congruenter alia approbari, præter Polum Australem, vt seruetur Cœlum moueri ad anterius. Insuper in motu in orbem extrema quiescentia obtinent rationem longitudinis; ideò etiam sunt termini diametri. Et quamuis non seruetur in omnibus similitudo cum mortalibus, sat est vt seruetur in parte. Addebatur tertiò, totum Cœlum esse sursum, & ab Aristotele in primo de Cœlo totum

*Vitruuius.* *Homerus.* *Plato.* *Diluuntur instantiæ.*

nuncupari

nuncupari sursum, & locum Deorum. Respondeo Cœlum comparatum cum Mundo mortali totum est sursum; at facta comparatione inter partes eius, secus se habet. Dicebatur quartò, potius nostrum quàm alterū Polum esse sursum. Respondeo, satis esse dubium, quodnam hemisphęriorum sit dignius, & præstantius: Auerroes 2. Cœli comm. 16. ait, intellectum nostrum non posse cognoscere, quod eorum sit nobilius; & rationes pro huius præstantia relatæ non cogunt, nam quamuis Astronomi in nostro hemisphęrio plures seruent sydęrum, & imaginum formas, quàm in altero, id parùm refert, accidit enim hoc, quia accuratiùs Stellas nostri hemisphęrij, vt magis apparentes seruarunt; similiter nil refert, quòd hoc nostrum hemisphęrium sit magis opportunum, & accommodatum pro habitationibus, hoc enim concesso, quod dubium est, dico Cœlum non ex primo instituto esse ob mortalia, sed ex secundo tantum. Dicebant Aegyptij in meridie reperiri Dæmones bonos, in Septentrione malos, in ortu optimos, in occasu deterrimos. Preterea concesso, alterum hemisphęrium esse ignobilius, non ex eo inferre licet, igitur non est sursum, nam in animalibus pars sursùm est præstantior, quia in ea est principium & vis mouens; de Cœlo non sic se habet, Poli enim solum per similitudinem quandam, & relationem ad dextrum, dicuntur sursum, & deorsùm. Immo Aristoteles in lib. de progressu Animalium ait, in Plantis partem deorsùm, nempè truncum, & ramos esse prestantiorem, & magis propriā; indicans partem sursùm non necessariò nobiliorem; nec est absurdum, vt in Cœlo ob duos oppositos motus, sursùm, & deorsùm modo opposito considerentur; immò pro quadam adæquatione virtutum Cœli, & seruanda consimilitudine partium, id videtur satis consentaneum rationi, ita enim quoduis hemisphęrium sursùm erit. At dicebatur, distributionem approbatam à Cleomede, necnon ab Astronomis, & Poetis, esse congruentiorem, & rationi magis consentaneam. Respondeo, opiniones eas conciliari posse, & ambas distincta ratione iudicari veras: Nam vel consideramus differentias in solo Cęlo, vel in congregato ex Cœlo, & mundo elementari; si in solo Cœlo eas consideramus, vt fecit Aristoteles, ita rectè in eo, vt ab Aristotele assignantur, & distribuuntur; si verò eas consideramus in toto vniuerso, optime a Cleomede distribuuntur, ita enim Terra deorsùm, Cęlum sursùm, Poli latera, Oriens, & Occidens sunt anterius, & posterius. Insuper vel consideramus principium motus ad dexteram pertinens, & constitutionem mobilis, vt viuentis; & ita rectè eas distribuit Aristoteles. Vel consideramus progressum motus ad anterius; & rectè distribuuntur à Cleomede.

*Aegyptij.*

*Pars sursū non semper nobilior.*

*Concilium.*

## *De distinctione differentiarum Cœli.* Cap. XXXVII.

DISTRIBVTAE sunt per Cœli partes, ex sententia Peripateticorum differentiæ positionis: at considerandum modò occurrit, quo pacto inter se sint distinctæ, quod difficile est cognoscere, & ob difficultatem variæ fuerunt Philosophorum sententiæ. Opinio vna est, differentias illas in Cœlo non ex natura rei, sed sola ratione, & ex parte nostri esse distinctas, & præsertim dextrum, & anterius. Ratio est: quia ille qui nobis est Occidens, alijs est Oriens, & vice versa. Insuper nulla est definita æquatoris pars, quæ possit absolutè dici Oriens, quoniam nulla est eius pars, quæ aliquo tempore non fit in Oriente. Demùm cum Cœlum voluatur in orbem, non ex vna magis, quàm ex altera parte incipit moueri; sed æquè simul, & propterea non vna magis, quàm altera potest iudicari dextra, vel anterior. Qui autem sunt huius opinionis, inquiunt Aristotelis verba in secundo de Cœlo, debere intelligi cum conditione, nam loquitur aduersus Pythagoram tribuentem Cœlo dextrum, & sinistrum, quæ differentia si Cœlo competeret, etiam competerent aliæ. Hæc opinio apertè aduersatur Aristoteli, ipse enim in secundo de Cœlo, nedum asserit eas differentias Cœlo competere, verùm insuper id ostendit,

*De distinctione differentiarum.*

*Opinio prima.*

*Euersio.*

ostendit, ex eo, quia est animatum, & præditum principio motus. Insuper soluit instantias sumptas ex rotunditate, & consimilitudine partium, & ex eo, quod semper moueatur; quæ videbantur euertere differentias illas, vt patet ex contex. 13. & in contex. 8. ait, in corpore perfecto differentias illas omnes reperiri: fundamenta aduersa

*Secunda.* intra reijcientur. Propterea est opinio secunda Magni Alberti, asserentis re vera competere Cœlo has differentias, & ex parte Cœli esse distinctas: modum autem distinctionis patefaciens, ait, eas competere Cœlo, quia partium eius quædam sunt densiores, vel Stella præditæ, vt se habet de Planetis, in quam densiorem partem intelligentia maiorem influit virtutem, & per eam potentiùs in mortalem orbem operatur, ideò

*Euersio.* pars illa vbicunque reperiatur, dicitur dextra. Quæ opinio etiam non est approbanda, primò: quia octaua sphæra vniuersa est ornata Stellis, nec magis Oriens, quàm Meridies: Præterea non constat æquatorem, & partes ei proximas, esse densiores Polis, qui Poli etiam si rariores concederentur, hoc est, partes eis proximæ, non ob id deberent iudicari pars sinistra: Insuper nona sphæra enumerata ab Astronomis caret Stellis, nec apparet, quæ eius pars sit densior: Demùm Aristoteles ait, Orientem esse partem dextram; non dicit definitam aliquam Cœli partem, vt Stellam, vel partem den-

*Tertia.* sam, nam Stella, & pars densa, non est magis Oriens, quàm Occidens. Ideò est opinio tertia quorundam, qui in Cœlo supra orbes mobiles aiunt reperiri orbem immobilem, in quo differentiæ positionis firmæ, & per naturam distinctæ inueniantur; in alijs verò solùm distingui vel ex parte nostri, vel per relationem ad differentias illius orbis

*Euersio.* immobilis. Hæc opinio ad rem non facit; tum quia huiusmodi orbis ex sententia Philosophorum non conceditur; tum insuper quia Aristoteles in orbibus mobilibus, dixit reperiri propria virtute distinctas; tum demùm quia si datetur, in eo non reperirentur hæ differentiæ, de quibus est sermo, quoniam hæ tribuuntur Cœlo per relatio-

*Quarta.* nem ad motum in loco. Propterea est opinio quarta Alexandri Acchil. in libro de Orbibus, dicentis, partem dextram Cœli esse Arietem, sinistram Libram, quia si Cœlum inciperet moueri, Aries cum Sole deberet in Oriente reperiri, Libra in Occidente, vt tempore Veris, ac ita Aries vbicunque reperiatur, iudicari debet pars dextra.

*Euersio.* Hæc opinio satis est leuis, primò, quia Oriens vni nationi, & parti Mundi, est Occidens alteri. Secundò, quia sic nos non magis essemus in parte sinistra, quàm dextra, quia Aries reuoluitur, cum tamen Aristoteles nostrum Polum, & hemisphærium nuncupet deorsum, & sinistrum. Insuper, non Oriens, vt Oriens, esset pars dextra, sed vt in eo esset Aries. Præterea dum verteremur ad ortum Solis, non diceremur cum Homero verti ad dextram; nec Planetæ cum Platone suo motu verterentur in partem dexteram, quia ibi fortè non erit Aries; & si erit in Occidente, versi in Occidentem di-

*Quinta.* ceremur verti ad dextram. Ideò est opinio quinta quodam modo opposita quartæ, dicentium, si Cœlum inciperet moueri, Sol esset in occasu, quia inde mouentur Planetæ, & quia esset in Ariete, Aries esset pars sinistra, Libra dextra, Cancer anterior, Caper posterior, & ita solum aiunt per partes Cœli distingui has differentias, non secus. & huius opinionis est Suessanus: At approbanda non videtur ob rationes, quibus

*Euersio.* quarta opinio reiecta est. Præterea si Mundus cœpit moueri, non constat, quod Sol debuerit esse in Ariete, & quod cœperit moueri tempore Veris: Multi enim aiunt potiùs mense Septembris, Sole existente in Libra, Mundum fuisse creatum, tunc enim Plantæ fructus habent. Insuper non constat adhuc quinam sit Oriens; quia Oriens

*Sexta.* vni, est Occidens alteri. Propterea est opinio sexta Leonis Hebræi viri docti, & elegantis in secundo Dialog. de Amore, dicentis, primò solùm sursùm, & deorsum distingui absolutè, adeò vt vnum numquam sit aliud; addentis secundò, dextrum, & sinistrum solùm distingui per relationem ad nos, adeò vt Oriens cuius libet regionis dicatur dextrum eius, & Sol ibi existens dicatur esse in parte dextra: in Occidente verò quolibet in parte sinistra, ita dextrum vnius regionis potest esse sinistrum alterius.

*Euersio.* Hæc opinio satis est probabilis, conspicuè tamen dissidet à sententia, & verbis Aristo-

telis,

cœlis, nam Aristoteles apertè ait has differentias in Cœlo, etsi non forma, saltem virtute esse distinctas; at per hanc opinionem, non distinguuntur virtute, cum Oriens vni, sit Occidens alteri; & eadem pars sit dextra, & sinistra. Insuper ait Aristoteles in com tex. 13. si Cœlum staret, haberet vnde inciperet moueri; at per hanc opinionem id non seruatur, non enim in vna potiùs, quàm in altera parte inesset virtus, per quam inde inciperet moueri. Demùm in viuente hæ differentiæ debent esse absolutè distinctæ, & præsertim in viuente perfecto, quòd sola distinguantur relatione, est proprium inanimorum. Quare cum relatæ opiniones satis apparuerint dubiæ, vt dicam quod sentio, tria præaccipio. Primum est, Intelligentias per motum orbis non moueri, vt docet Aristoteles in octauo Physico. & in lib. de motu Animalium, & conceditur ab omnibus. Accipio secundò, Intelligentias contactu quodam virtutis, mouentes Cœlum id facere influendo semper virtutem suam in eandem loci partem, & situm, non autem in eandem partem Cœli, sed in eam, quæ continenter ibi reperitur; hoc enim requiritur, dum à non pendente à corpore, mouetur corpus, veluti se habet ventus spirans in sphæram, eamque reuoluens, vt etiam reuoluuntur rotæ molendinorum ab aqua. Addo tertiò regionem, & locum illum debere iudicari Orientem per naturam, à qua verè inciperet reuolui sphæra, si inciperet moueri; & huiusmodi esse regionem illam, quam Cosmographi Orientem absolutè appellant. His præassumptis, duas profero conclusiones: Prima est, in Cœlo ex designatione dextri, & sinistri, elici debere designationes cæterarum oppositionum. Altera est, dextrum, & sinistrum in Cœlo esse differentias distinctas virtute, & situ, non autem competentes definitis partibus Cœli, adeò vt situs Orientis dicatur pars dextra, Occidentis sinistra. Prima assertio ex eo patet, quia Cœlum cognoscitur per motum: motus eius primò nobis patefacit partem dextram, à qua corpus mouetur; hoc seruauit Aristoteles, qui inuento, & constituto dextro, cæteras differentias assignauit. Altera conclusio ex suppositis elicitur, nam applicatio virtutis intelligentiæ pro constituendo motu, partem dextram constituit; intelligentia non mouetur, ideò ille contactus seruat eundem situm, & hic est Oriens per naturam, qui omnibus est idem, qualis est ille Arabiæ, & Græciæ. Ex quo elicitur ratio, cur Sol nobis Oriens sit maioris virtutis, & salubrior, quàm Occidens; & cur aer Orientis sit salubrior, quàm Occidentis, & cur Plantæ, & Gemmæ Orientales sint maioris virtutis, & preciosiores, adeo vt aromata, & delitiæ humanæ inde ad reliquas Terræ partes deferantur. Hinc Porphyrius, & Numenius dixere, Dæmones Orientales esse optimos. Demùm constat ex hac resolutione facilè elici solutiones omnium aduersarum rationum.

*Opinio propria.*

*Cur orientalia potiora.*

## De differentijs positionis huius Mundi mortalis. Cap. XXXVIII.

DECLARATIS differentijs positionis Cœli, ad Mundum mortalem descendens, dixi in præcedentibus tribus modis posse in eo illas considerari, vel in ordine ad habitationes, vel per relationem ad differentias Cœli, vel tertiò per relationem ad motum proprium grauium, & leuium. His addere possumus modum quartum, & est per ralationem ad nos, vt pertinet ad habitationes. Geometræ longitudinem considerant ab Occasu ad Ortum, & incipiunt numerare gradus longitudinis ab Occasu, à linea transeunte per Insulas Canarias; & Fortunatas in finibus Hispaniæ, progrediẽdo versus ortum, adeò vt caput, & pars sursùm sit Occidens, pars deorsùm Oriens, latera sint Poli: Mox ab Aequatore versus Polos incipiunt numerare gradus latitudinis regionum, & cum caput sit in Occidente, si hominem iacentem in terra consideramus, & more Astronomi inspicientem Cœlum, sic dextera eius verget in Austrum, sinistra in Boreá, Anterior

*In ordine ad habitationes.*

terior pars in hemisphærium superum, posterior in oppositum; si verò illum considerabimus more Geometræ inspicientem Terram, se habebit è contrario; longitudo consideratur ab Occasu in Ortum, quia ea est maior dimensio habitationum, nam numerantur ab Occasu ad ortum centum & octuaginta gradus, qui omnes, quod ad tépera mentum, sunt oportuni habitationibus; ab æquatore verò ad Polum tantū nonaginta, quorum multi ratione intemperiei sunt aduersi vitæ animantium; caput constituitur in Occasu, quia ibi ex parte Maris, & dispositionis Terræ, apparet principium habitationum distinctius, & accommodatius. Secundò, considerantur in Mundo elementari differentiæ positionis per relationem ad differentias Cœli, & hoc satis est conspicuum: hac consideratione Aristoteles in secundo de Cœlo dixit, nos esse in parte deorsum, cum vergamus ad Septentrionem, & regiones Orientis dicuntur dextræ, & sic de cæteris. Tertiò, conspicuum est quomodo in hoc mortali orbe frequenter vsurpentur differentiæ per relationem ad nos, partes enim Mundi, vergentes ad nostram dextram, dicuntur dextræ, & sic de cæteris. Quartò, id fit per relationem ad proprium motum elementorum, qua consideratione Aristoteles ait, in Mundo mortali solum reperiri sursùm, & deorsum, centrum nempè, & locum à centro distantem; nam elementa solo motu recto mouentur, quo motu hanc solam oppositionem circumscribunt, grauia enim dicuntur tendere deorsùm, leuia sursùm. At pulchra occurrit dubitatio: num in Mortalium orbe, sursùm, & deorsùm sint absolutè, & ex natura rei distincta, vel solùm per relationem ad nos, & constitutionem nostri corporis? Sententia fuit Platonis in Timæo, non absolutè, & ex natura rei, sed solùm ex parte nostri distingui: nos enim, partim ob constitutionem nostri corporis, partim ob assuetudinem, id, quod respondet nostris pedibus, dicimus deorsùm, & quod respondet capiti, dicimus sursùm, quod autem id non petatur ex natura rei, ostendit: quia Mundus est orbicularis, in orbe reperitur, non longitudo, sed medium, & circumferentia; ideò hæc duo verè, & per naturam competunt Mundo; medium autem non rectè dicitur deorsùm. Quòd autem id ortum ducat ex assuetudine confirmat exemplo, nam si homo daretur, qui erectis pedibus, caput in centrum verteret, dataque ei esset facultas mensurandi pondus ignis, putaret portionem ignis maiorem, esse grauiorem: quia velocius tenderet versus pedes eius, & ita iudicaret tendere deorsùm, quia vergeret in regionem suorum pedum. Idipsum confirmatur, quia nostros antipodas, ob assuetudinem, quia opponuntur nostris pedibus dicimus esse deorsùm, & vice versa illi nos antipodas, & deorsùm appellant. Præterea sursùm, & deorsùm, cum indicent longitudiné, includere debent distantiam maximam: at distantia maxima est à Polo ad Polum, nō à medio ad circumferentiam; & si id esset, sequeretur hoc absurdum, quòd vnus Polus, relatus ad alterum, esset deorsùm; relatus verò ad Terram, esset sursùm. Insuper id videtur aduersari Aristoteli, qui Mundum mortalem negat animatum, & in inanimo asserit has differentias non absolutè distingui. Confirmatur: quia in primo de Cœlo, contex. 6. & 17. Aristoteles graue, & leue definit per medium, inquiens, Graue esse id, quod ad medium, leue quod à medio mouetur; at medium differt ab eo, quod absolutè deorsùm sit. In hoc itaque orbe solùm medium, & circumferentia reperiuntur per naturam constituta, & distincta non sursùm, & deorsùm. Ex aduerso Arist. 4. Cœli, contex. 4. & 5. damnat hanc Platonis sententiam, inquiens, Nos autem totius extremum, sursùm dicimus, quod & positione est sursùm, & natura primum; & iure hoc dicit Aristoteles, nam in rebus consideratur longitudo per naturam secundum distantiam à primo; primum enim est tanquam caput, vnde cætera vitam hauriunt, à quo recedentia per gradus sunt deteriora, ideò iure, quod est caput, est positione sursùm, & quod est per naturam primum, etiam per naturam sursùm iudicari debet: huiusmodi autem est concauum Cœli. Præterea, differentiæ locorum per Cœlum constituuntur, Cœlum enim, cum loco non egeat, est faber locorum pro egentibus eo, ideò longitudo cōsiderari debet in maxima distantia ab eo, & propinquitate; & cùm

*In ordine ad differentias Cœli.* *Per relationem ad nos.* *Per relationem ad proprium motum.* *Dubitatio* *Opinio Platonis.* *Cōfirmatio.* *Opinio Aristotelis.*

Cœlum

Cœlum sit origo loci, proximius capiti, & principio, per naturam sursum putari debet. Præterea, simpliciter grauia, & simpliciter leuia per naturam sunt distincta, & opposita, quare & eorum loca; & cum per naturam moueantur motu recto, per naturam indicant distinctionem loci sursum à loco deorsum. Insuper termini oppositorum motuum, per naturam definiti, & distincti esse dicuntur: sursum, & deorsum sunt termini oppositorum rectorum motuum; quare per naturam sunt distincti. Præterea, non debemus putare ex constitutione nostri corporis differentias transferri ad vniuersum; sed contra putandum est, corpus nostrum ita fuisse formatum, vt ordini vniuersi responderet; & ideò optimè per naturam homo dicitur constitutus, quare id per naturam iudicari debet sursum, quod nostro vertici, & capiti respondet. Simplicius primo Cœli, contex. 20. 4. Cœli, contex. 2. nititur sententias has conciliare, inquiens, Platonem sequutum fuisse naturam rerum; Aristotelem verò consuetudinem, & vsum loquendi. At dicere hoc, non est conciliare, sed conspicuè euertere sententiam Aristotelis: nam Aristoteles profitetur se naturam considerare, & per naturam ait distingui. Confirmatur: quia Aristoteles considerat naturalem ordinem locorum, distantiam à primo, naturalem motum elementorum, naturalem distinctionem grauium, & leuium, quæ omnia indicant sursum, & deorsum, per naturam definita, & distincta esse. Propterea nos secus conciliantes, dicamus vtrumque rectè fuisse loquutum, & consentanea protulisse principijs suis. Censuit Aristoteles elementa per naturam moueri motu recto, ideò rectè dixit sursum, & deorsum motui recto respondentia per naturam in vniuerso reperiri distincta. Plato putauit elementa per naturam moueri in orbem, & ideò contentanea protulit suæ sententiæ, inquiens, In vniuerso per naturam distincta solùm esse medium, & circumferentiam; adeò vt sententia Platonis sit vera ex parte motus totius, nempè orbicularis, & diurni, qui est circa medium: sententia Aristotelis vera sit ex parte proprij motus elementorum, nempè recti, qui à Platone dicitur reditus in naturam. Præterea Aristoteles considerans locum sursum, & deorsum, solùm considerauit Mundum mortalem: Plato verò statuens medium, & circumferentiam, totum Mundum inspexit. Demùm vel consideramus figuram Mundi; sic rectè dixit Plato: vel consideramus morum rectum elementorum, & ordinem naturæ rerum; & ita rectè loquutus est Aristoteles. Ambo itaque distincta consideratione rectè senserunt; rectiùs tamen loquutus est Aristoteles, cum nouerit elementa per naturam propriam motu recto moueri. Ex his eliciuntur solutiones rationum vtriusque partis; nec est absurdum, quòd Aristoteles locũ deorsum etiam dixerit medium; nam est medium molis, & per relationem ad motum, & figuram Cœli; est deorsum per relationem ad motum elementorum.

*Simplicius.*

*Concilium proprium.*

*Fundamentum primũ.*

*Secundum.*

*Tertium.*

## *De differentijs positionis per Metaphoram sumptis. Cap. XXXIX.*

Apparvit quomodo Cœlo, & quomodo orbi mortali cõpetant differentiæ positionis, ex quorum explicatione, etiam est notum quomodò congregato ex vtrique, competere dicatur; nam ex partibus, transferuntur ad totum, & præsertim ex his, quæ competunt Cœlo; sed quoniam per Analogiam quandam, & Metaphoram, sumptam ex similitudine conditionum, ex corporeis transferuntur relatæ differentiæ etiam ad incorporea, in quibus eminenter solùm, & tanquam in causis, sine vlla oppositione seruantur. Ideo cumulatioris explicationis gratia, de illis quoque pauca breuissimè enunciare non erit inutile. Pythagoras, qui dextrum, & sinistrum inter prima contraria numerauit, in cursu, & institutione humanæ vitæ hanc differentiam considerauit: nam viam virtutis dixit dextram, vitiorum verò sinistram. Similiter Plato in Timęo, in anima dex-

*Pythagoras.*

*Plato.*

trum,

trum,& finiſtrum conſiderauit, & in Phædro,appetitum ſenſuum dixit finiſtrum,appetitum honoris, virtutis, & rectæ rationis, æquum, dextrum nuncupauit. Similiter in Phædro, Mercurius dixit caput animæ, indicando in anima ſurſum, & deorſum, & in Dialogo de Leg. formans monſtrum, homini reſpondens, rationem dixit faciem, vim autem concupiſcendi caudam, & partem infimam. Inſuper dicere valemus in hominis anima Mentem eſſe partem ſurſum; Naturam,& vim nutriendi deorſum; Senſum, Phantaſiam,& opinionem rectam, eſſe partem anteriorem; Phantaſiam, & opinionem falſam, poſteriorem; Appetitum ſenſuum eſſe partem finiſtram, equum nigrum, & peruicacem; Appetitum verò rationi conſentaneum, partem dextram,& equum album,ad ſupera tendentem,currumque vitæ noſtræ rectè ducentem. Demùm Longitudo, poteſt dici vis nutriendi; Latitudo,vis appetendi,& mouendi; Profunditas, vis ratiocinandi, & iudicandi. At ab Anima in Deum aſcendendo, in quo cunctorum abſoluta perfectio includitur, in eo Dionyſius in lib. de Diuinis nominibus, & alij præclari Theologi,vario modo differentias per Metaphoram excogitarunt; nam ampliſſima per omnia extenſio,Dei latitudo dicitur; poteſtas deſuper tota longitudo; incomprahenſibile ſecretum Dei, & prorſus ignotum, profunditas. Inſuper ſingula in Deo patefacientia Trinitatem, eminenter indicant dimenſiones, & differentias poſitionis: hæc autem varia ſunt, & primo eſſentia patefacit longitudinem; potentia latitudinem, & dextrum, ideò legitur, Dextera Dei fecit virtutem, Dextera Dei exaltauit me; actio interna conſtituit profunditatem. Inſuper ſecundò, Deus vt via, eſt longitudo; vt veritas, latitudo; vt vita, profunditas. Prætereà,vt principium longitudo eſt; vt medium latitudo; vt finis profunditas; vt bonus longitudo; vt pulcher latitudo; vt iuſtus profunditas. Demùm, vt Pater poteſt dici longitudo; vt Filius latitudo; vt Spiritus ſanctus profunditas. Hæc profectò diſtincta conſideratione etiam variari poſſent, Metaphoræ enim multis varietatibus ſunt obnoxiæ, ſed hæc dixiſſe ſit ſatis, vt pateat etiam ad incorporea transferri dimenſiones,& differentias poſitionis.

*In homine.*

*In Deo. Dionyſius Areopag.*

## *De perfectione Mundi.* *Cap. XL.*

TRIA præſertim ſunt, quæ perfectionis conditione celebrantur prædita, Deus abſolutè, Mundus inter corpora, Homo inter mortalia; & hoc mirabile eſt, quòd horum trium perfectorum, vnum eſt imago alterius, & prius eſt exemplar poſterioris; Mundus enim eſt imago Dei; Homo autem Mundi. Fulget Mundi perfectio cunctis noſtræ cognitionis gradibus, & explet omnia eorum deſideria, nam ſenſus nil ſentire cupiunt Mundo perfectiùs; imaginatio nil exactius elaboratum valet imaginari; nec Mens, & Voluntas, abſolutius aliud corpus appræhendere, aut exoptare poſſunt; conſpicua redditur Mundi perfectio, tum ex definitione perfecti, tum ex conſideratione quatuor cauſarum Mundi, tum demum ex eius affectionibus. Si definitiones perfecti conſideramus: Perfectum dicitur, cui nihil deeſt; cui nil poteſt addi; quod ex ſe eſt ſatis, nullo eget, extra quod non licet ſumere aliquid; cui principium, medium, & finis competunt. Hæc, & ſimilia tam conſpicuè competunt Mundo, vt nullam faciant ambiguitatem, nullaque egeant latiore explicatione: verùm vt exactiùs pateat ne dum perfectio, verùm etiam cauſa perfectionis Mundi; per omne genus cauſæ progrediamur, ordientes à materia; Includuntur in Mundo omnes materiæ gradus, qui in alijs corporibus inueniri poſſunt, nempe materia prima, elementa, mixta ſimilium partium, & mixta diſſimilium partium; At præter eos illi comperit quintus gradus materiæ, cæteris eminentior, eiuſque proprius, qui Mundi perfectionem indicat, & ſunt gradus rerum ſua ſpecie abſolutarum, ex quibus vniuerſum conſurgit, qui gradus cum Mundum conſtituant, non remittuntur, nec aliquid ſuæ perfectionis ammittunt, vt euenit de nonnullis ma-

*Tria perfecta Deus. Mūdus, Homo.*

*Definitio perfecti.*

*Materia.*

lis materiæ gradibus, sed eam seruant, & cum ea constituunt Mundum, ita Aristoteles in primo de Cœlo inquit, Mundum constare ex vniuersa materia, quatenus consurgit ex cunctorum corporum ordine, quæ sunt grauia, leuia, & neutra; cum itaque materia Mundi sit singulis rerum formis decorata, & perfecta; iure Mundum ex parte sui reddit perfectum. Similiter à materia ad Mundi formas progredientes eandem perfectionem inspiciemus; Multiplex statuebatur forma Mundi, nempè externa figura, Cœlum, ordo, essentia Mundi, & Deus, quæ omnia, vel absolutè, vt Deus, vel in suo genere, vt reliquæ, perfectissimæ sunt, in quarum perfectione explicanda superuacaneum esset immorari, cum luce clarior fulgeat. Similiter considerando efficientem vel absolutè per nouam creationem, vt noscunt nostri Theologi; vel per emanationem æternam, vt plurimi Academicorum, & cum eis Auicenna, & Algazel existimarunt; vel saltem conseruantem, vt dicunt Peripatetici, quæ omnium consensione est Deus, splendidissima apparet perfectio Mundi. Prodijt enim Mundus ex ipso bono, nec alia ratione, nisi quia bonum, & propterea absoluti boni, vt sua conditio exposcebat, redditus fuit particeps. Fœcundissimum est summum bonum, absolutissimus est Mundus, qui est vniuersus fœtus eius, cui cum nihil desit, etiam hoc mirabiliter competit, vt ei nunquam Deus desit; sed continenter à Deo regatur, seruetur, & resarciatur. Demùm inspiciendo finem, qui similiter est ipsum bonum, absolutissimam intuemur eius perfectionem: Mundus enim ex optimo fluens per bona media, in finem optimum reuoluitur, adeò vt nil in eo reperiatur, quod non dirigatur in bonum, & ea, quæ frequenter contra naturam partium eius esse videntur, seruant saltem naturam totius. Ex præstantissimarum causarum conspiratione Mundus consurgit adeò exactè perfectus, tam exquisitè intus, & extra formosus, vt cuncta illum diligant, diligendoque appetant, & libentissimè amplectantur, cum enim cuncta vel sui, vel suæ speciei conseruationem optent, dum id optant, nil aliud quærunt, nisi esse, & seruari vnà cum Mundo, in quo nedum inueniuntur omnia, verùm insuper inueniuntur modis omnibus, nimirùm secundum eminentiam, secundum causam, secundum formam, & secundum participationem, & adeò luce præsertim, & splendore est decoratus, vt omnis gradus splendoris, & lucis, in eo cumulatissimè fulgeat. Fulget primò in eo lux splendidissima superæ Mentis: fulget mox splendor animorum, & demùm lumen Solis, & Sydereum, per quæ reliqua omnia propriæ perfectionis radijs cumulatissimè illustrantur: Hinc iure optimo in eo Gratiarum chorus fœlicissimè floret, & Musarum absolutissimus numerus, admirabili harmonia recinit, & extollit Gloriam Opificis. Praeclarissimum hoc corporeum opus adeò est vniuersum, vt extra se nihil relinquat; adeò ex se est satis, vt ambiente non egeat; adeò in se includit omnia, vt ea modis quoque omnibus includat; adeoque includit tempus omne, omnemque temporis constitutionem, vt singulis horis in eo cuncta anni tempora locum habeant, dum enim apud nos est Aestas, apud alios est Hyems, Ver, & Autumnus, dum apud nos est dies, apud alios est nox, diluculũ, & aliæ diei horæ. Magnum hoc & præclarum animal pro capite præditum est firmamento stellarum; pro pectore orbibus Planetarum; pro pedibus elementis; nos in terra collocari aurum, lapides, & terrea pretiosa indicamus; At si pretiosi sunt pedes, quale erit pectus, & caput? Si magnifacimus infima, quanti faceremus media, & suprema, si ea exactiùs nosceremus? Mirabile hoc est in Mundo, quòd simul est vnus, & omnia; consimilis, & dissimilis; vniformis, & omniformis; est in se, non in alio; est seruans, & seruatus; continens, & contentus; generans per partes, & genitus; mouens, & motus; diligens, & dilectus; quiescens, & cõtinenter permutatus; in quo honestum, vtile, & delectabile, non secus ac in summo hominis bono fœlicissimè se mutuò amplectuntur. Regitur hoc vniuersum Regnum tam admirabili imperio, vt simul Reipublicæ cum legibus, administrationis optimatum, & imperij Regij dignitatem, & præstantiam includat; absolutè tamen in eminentissimam redigitur Monarchiam, cuius Monarcha est Deus, cuius conditio est ipsum bonum, adeò vt non sit timendum ne

*Forma.* *Efficiens.* *Finis.* *In Mundo fulget omnis gradus Lucis.* *Caput Mundi.* *Imperium Mundi.*

in Tyrannidem inclinet. Hic eminentissima Prouidentia cuncta disponit, quæ mox per naturam à Fato sola ratione distincta exequuntur, & absoluuntur, adeò vt in vniuerso nil inane, nil ociosum, nil diminutum, nilque redundans inueniatur; cuius gradus tam exacta inuicem ratione sunt iuncti, vt mirabiliter etiam longè à se distantes sibi mutuò consentiant, & quamuis per partes varientur, tamen eandem semper seruant rationem, locum, & ordinem, adeò vt iure Aristoteles in secundo de Cœlo 34. enunciare valuerit, Mundum quam optimè se habere. Et si quis dubitet, quia Aristoteles in Procemio primi de Cœlo perfectionem ait in ternario esse positam, Mundus autem vnicus est, & multa mala tanquam ægritudines intus includit. Respondeo, id trinum maxime esse perfectum, quod ita est trinum, vt simul etiam sit vnum: & propterea vt Deus eminentissimè est trinus & vnus; ita Mundus eius imago, vt scilicet, & trinus & vnus est, nam est trinus, tum quia trina dimensione est præditus; tum quia constat ex ordine grauium, leuium, & neutrorum; tum quia perficitur per immobilia, mobilia æterna, & mortalia; tum modis alijs: quæ variæ trinitates pro constituendo Mundo vno felicissimè conspirant, in quo si quid mali includitur, id sequitur necessitatem materiæ, & in bonum dirigitur. Commendemus igitur opificium vniuersi, & Opificem eius veneremur & colamus.

## *An Numero competat vlla virtus?* *Cap: XLI.*

*Numero virtutẽ cõpetere. Pythagoras. Plato. Arist. Hebræi.*

OB ea quæ de ternarij numeri perfectione ab Aristotele dicuntur, quæri frequenter solet, & quæstio est ingenuo animo digna, nunquid numero competat vlla Virtus? nam ex vna parte Viri sapientia celebres, Virtutem ei tribuere videntur, & præsertim Pythagoras, qui numeros, rerum principia statuebat: quem sequutus est Plato. Principia autem facultate propria sunt prędita, ab his non videtur Aristoteles recedere, cum in Procemio, primi de Cœlo affirmet, ternarium numerum includere perfectionem, quod etiam in tertio Meteororum loquens de trino Iridis colore, enunciauit, necnon in primo capite secundi de Partibus Animalium, loquens de trina compositione corporum. Hebręi numeris eximiam tribuunt virtutem, & nomina plurima apud eos in numeros resoluuntur, & literę varię varium denotant numerum, in qua numerorum virtute partem Gabalæ non exiguam collocatam existimant: Hinc ortum ducunt responsiones per numeros ad varias interrogationes. Hoc approbant Medici, qui seruant numerum dierum ægritudinis, & quosdam nuncupant indicantes, vt quartum; quosdam iudicantes, vt septenarium. Theologi quoque dissentire non videntur, cum in precibus, in ieiunijs, & alijs similibus numerum seruent, ideò dicitur Deo numerum imparem & præsertim ternarium esse gratum. Et Aristoteles in Procemio libri de Cœlo ait, Populos tribuere Deo numerum ternarium, ductos instinctu naturæ: id autem quod pendet ex instinctu naturæ, dicitur pendere ex Deo, nec debet iudicari inane. Ex aduerso sententia est Aristotelis decimoquarto Metaphysicæ, cap. quinto, numerum nullo genere esse causam, id autem quod alterius causa non est, non dicitur virtute præditum. Insuper decimotertio Metaphysicæ, cap. 6. affirmat, in Mathematico numero vnitatem vnam non differre ab altera, & ob id non esse præditam distincta facultate. Confirmatur: quia si numerus esset propria virtute præditus, cuicumque idem numerus competeret, etiam conueniret eadem virtus, quod experientia noscitur falsum; nam rerum variarum, quamuis numerus sit idem, tamẽ facultas est distincta, vt trium granorum piperis, & trium milij. Idipsum ostenditur: quia numerus est aliquid humana ratione formatum; virtus autem est rerum natura constantium, & ex natura pendentium; Res itaque est satis perplexa & dubia. Resolui autem potest primò per Principia Academicorum, mox per ea Peripateticorum: cum Academicis dicendum

*Medici.*

*Numero non competere virtutem.*

*Resolutio p Principia Academicorum.*

est

est, quintuplices dari numeros nimirum Diuinos, Ideales, Rationales, Physicos, & Mathematicos; Numeri Diuini iuncti cum Idealibus considerantur in Deo & supera Mente Ideis prædita, quorum Deus est caput & ipsum vnum, ex quo sequentes numeri prodeunt; Rationales pertinent ad animã, & sunt cum rationibus eius iuncti; Physici pertinent ad Naturam, quæ est vis seminaria à Mundi Anima infusa Materiæ; Numeri Mathematici ab anima formantur rationis compote tanquam signa, & mensuræ rerum: Qua distinctione facta, dicimus Virtutem competere quatuor primis generibus numerorum, vt conspicuum est, non autem quinto. Ex qua explicatione patet, quomodo numeri cum Pythagora & Platone dici debeant principia rerum; cuncta enim prodeũt ex ipso vno per Ideas, Rationes, & semina. & inanes redduntur instantiæ aduersus eos à varijs excogitatæ. At dimissis Academicis, progrediens per Principia Peripateticorum, dico cum Aristotele 4. Phys. cont. 102. numerum esse duplicem; numerantem vnum, alterum numeratum, quibus tertium addere valemus, Numerantem scilicet, & numeratum, quæ distinctio primo à Pythagora tradita fuit. Numerus numeratus sunt res ipsæ multæ, quæ numerantur, vt Equi, Leones & similia. Numerus numerans est duplex, vnus numerat vt causa, alter vt instrumentum rationis, & signum multitudinis rerum; De numero numerato dixit Aristoteles in octauo Metaphysicæ, contex. decimo, essentias rerum perinde ac numeros se habere; De numero numerante vt causa, enunciatum reliquit in calce quarti de Generatione Animalium, quòd syderum & præsertim Solis & Lunæ numeris, generationes & obitus rerum numerantur, exactè tamen id fieri nequit, ob indefinitam materiæ conditionem; Ex his consurgit membrum tertium, nimirum numerus numeratus, & numerans, nam causę primæ sunt numerantes solum; postremæ solùm numeratæ; mediæ autem numeratæ ab antecedentibus, & numerantes sequentia: ita dicitur à Deo definitis numeris & mensuris cuncta prodire. Insuper vtendum puto hac distinctione, Virtutem competere posse rebus, tribus modis, vel tanquam signo; vel tanquam causæ; vel tanquã formam suo subiecto; vt etiã Galenus diuisit sanum; Quibus præassumptis resolutio difficultatis hæc est; Virtus competit numero numerato tanquam subiecto, & secundũ propriam formam; Numero vero qui est numerans vt causa, competit per modum causæ; Numero demùm qui est numerans vt instrumentum, solùm competit tanquam signo. Ex qua resolutione, conspicuè patet, quæ sit vis rationum pro vtraque parte relictarum, nam primæ quibus ostendebatur numero virtutem competere, vim habent de numero numerato, & de numerante tanquam causa: oppositæ verò vim habent de numerante tanquam instrumento & signo, cui solum tanquam indicanti competit virtus; ad hoc redigitur mutua quædam consensio & responsio numeri numerantis, & rei numeratæ, veluti etiam dicimus nomina rectè imposita esse consona rebus, ita numerus binarius, & par, materiam indicat, cum sit origo multitudinis: impar verò denotat formam per oppositam conditionem. Insuper numerus ternarius denotat perfectionem, cum rerum perfectio collocata sit in principio, medio, & fine conspirantibus ad vnam absolutam constitutionem, & hunc in modum considerando mutuam responsionem proprietatum numerorum, quæ præsertim in Algebra declarantur, & proprietatum rerum natura constantium diluuntur variæ difficultates, & rationes multorum assignantur, respondendo per numeros, vt interrogati cur materia sit origo multitudinis, dicimus, quia est binarius & par, quem soluendi & respondendi modum ego non magni facio, cum per eum dubitatio potius augeatur, quàm diluatur: eo tamen vtuntur illi, qui addendo obscuritatem, per modum respondendi varium & latentem, putant sibi auctoritatem parere, ac ita videri sapientiores cæteris: at de his hactenus, nam alia addidi libro de Placitis pro explicanda opinione Pythagoræ.

*Quõ numeri sint principiorum.*

*Resolutio p Principia Peripatecticorum.*

## *De Prouidentia Mundi quod detur, & quæ eam reddant dubiam. Cap. XLII.*

QVEMADMODVM humana Regna per humanam Prudentiam gubernantur, ita Mundum Dei Regnum, diuinamq; Vrbem per Diuinam Prouidentiam regi, & administrari putandum est. Sed quoniam ob ingenij nostri imbecillitatem varia sunt, quæ veritatem hanc nobis reddunt obscuram, propterea, vt eam lucidiùs intueamur, patefaciam primò, Mundum Prouidentia regi; loquar secundò, de modo; tertiò, nonnullas ambiguitates diluam.

*Mundum Prouidentia regi.*

Mundum Prouidentia regi primò ex eo lucidè elicitur: quia natura operatur propter finem; nil facit frustra; non abundat superuacaneis; & vnicuique id tribuit, quod conditioni eius est consantaneum: cum autem Natura ex se sit cognitionis expers, & ea faciat, quæ nedum cognitionem, verùm cognitionem Mentis, cognitionemque eminentissimam exposcunt, per quam Media in finem exactissimè diriguntur, & id fiat solo prouidentiæ munere; colligendum est mentem præesse Mundo, cuius Prouidentia cuncta disponantur, & hæc formatur ratio;

*Ratio.*

Opera quæ sine eminēti Prouidentia fieri nequeunt, eminentem Prouidentiam supponunt & patefaciunt: opera naturæ tam eximia sunt, vt sine eminenti Prouidentia fieri nequeant, quare eminentem Prouidentiam supponunt, eamque nobis conspicuam reddunt.

*Ordo.*

Prætereà, exquisitissimus Vniuersi ordo, eiusque conseruatio eandem veritatem nobis illustrant, & patefaciunt, nil prouidentiæ magis proprium est, quam ordo, nil ordinatius excogitari potest Mundo, qui adeò est ordinatus, vt ordo sit forma eius, cum autem ordo exposcat ordinantem; & ordinans non valeat sine Prouidentia ordinem constituere, constitutūq; seruare, cogimur fateri Mundum prouidentia regi. Ex quo elicitur secunda ratio,

*Ratio.*

omne exquisitissimè ordinatum, & cuius ordo exactissimè seruatur, Prouidentia regitur: huiusmodi est Mundus, quare Prouidentia regitur. Prætereà, nullum Regnū sine Prouidentia rectè gubernatur: Mundus est Regnum optimè gubernatum, de cuius administratione, & imperio nemo sanæ mentis conqueritur; quare summa Prouidentia regitur. Prætereà, id, quod est præstantius, & Prouidentiæ particeps, non subijcitur ignobiliori, & experti Prouidentiæ: Mundus mortalis in quo præstat homo prouidentiæ particeps, subijcitur vniuerso orbi; quare non est putandum vniuersum Prouidentiæ esse expertem, alioquin rationale experti rationis, & animal prouidum experti Prouidentiæ, subijceretur. Confirmatur: quia homo ex Cœlo pendet, Deus enim, Sol, & homo generant hominem; homo autem Prouidentiæ est particeps: at animal prouidum ex prouidentiæ experte pendere & prodire non potest, alioquin præstantius ex viliore penderet. Prætereà, nullum exemplar gubernationum prouidentia directarum est Prouidentiæ expers; attinentia ad Mundum inseruiunt nobis exemplaris loco, pro rectè administrandis humanis regnis, Rebusq; publicis, quare ea non sunt Prouidentiæ expertia, alioquin exemplar non responderet imitationi eius, quòd autem attinentia ad Mundum exemplaris loco nobis inseruiant, patet, cum consensione sapientum ex eis depromantur leges, & exempla virtutum, & præsertim iustitiæ. Hinc Naturæ leges nemo est, qui non concedat. Lex autem est Prouidentiæ ministra. Insuper vel Mundo præest Deus, vel non; dicere quod non præsit, est absurdū penitùs, solus enim insipiens in corde suo dixit, non est Deus: Dicere autem quòd præsit, & non Prouidentia regat, est reddere Regem eminentissimum deteriorem omni humano principe, & est idem, ac dicere, Statuam præesse Mundo, immò deterius, quàm asserere Sardanapalum præesse regno: Proprium enim Regis, & Præsidis est, vti prouidentia, qua ablata, aufertur forma, & præstantia Regis. Et confirmatur: quia

*Plato.*

vt inquit Plato 10. de Legibus, Si Deus Mundo non prouidet, vel id accidit, quia

non scit, vel quia non vult, vel quia non potest, vel quia Mundo non expedit: hæc autem omnia conspicuè esse absurda ex se paret. Confirmat idipsum, quia Mundus, & cuncta, quæ in eo reperiuntur, sunt Dei; sua autem Deus non despicit, cum optimus sit. Præterea opus omnium præstantissimum non potest esse expers Prouidentiæ: Mundus consensione omnium est opus quouis alio opere præstantius; quare non est expers prouidentiæ, alioquin vel opera hominis cum prouidentia facta, essent præstantiora Mundo prouidentiæ experte; vel prouidentia præditum esset vilius experte prouidentiæ: vtrumque autem est absurdum. Demùm remouere à Mundo Prouidentiam, est Mundum euertere, cum eius forma sit ordo: est euertere Naturam, quæ & ordinata, & ordo, & causa proxima ordinis est suorum opum, vt sæpe docet Aristoteles: est euertere Deum, cuius conditio est prouidentia, cum sit vel supra mentem, vel mens eminẽtissima, cuius conditio est, vt ordinis, & congruentis dispositionis cęterorum sit caput, & origo, non secus ac Dux est origo ordinis exercitus, vt asseritur in 12. Metaphysicæ, contex. 52. est aduersari sensibus, cum ea omnia, quæ in vniuerso nostris sensibus se offerunt, eximiam, & admirabilem Prouidentiam patefaciant: est denique euertere seriem causarum secundum se pro rerum ortu, & conseruatione iunctarum, cum huiusmodi series Naturam, Fatum, & Prouidentiam tanquam principium, medium, & finem includat. Hinc Plato prouidentiam hanc in Mundo refulgentem frequenter celebrauit, & præsertim in decimo de Legibus, & ob eandem Aristoteles in primo de Cælo 31. dixit: Deum, & Naturam nil facere frustra. Et alibi Naturam eorum, quæ fieri possunt, efficere id, quod est melius; Eamque nil redundans, nilq; diminutum efficere; Et omnia per naturam expetere sui conseruationem, suique perfectionem; Ac insuper Naturam operari propter finem; In rebus physicis reperiri necessitatem ex suppositione finis non absolutam, adeo vt cuncta, quæ fiunt necessario sequantur materiam, vt putarunt veteres, & in proœmio Meteororum asseruit necesse mortalem orbem superis lationibus esse continuum, vt omnis inde virtus gubernetur; Insuper in secundo de Cœlo contextibus 20. 45. 50. & 56. manifestissimè affirmat Mundum Prouidentia regi. Hæc & similia ab Aristotele prolata, tam conspicuè prouidentiam patefaciunt, vt nil clarius pro ea illustranda dici possit, & præsertim, quia Deus omnium consensione est sapientissimus: sapientis autem officium est, omnia scire, eaque in congruentem finem dirigere, vt elicitur ex Proœmio Metaphysicæ, ex sapientia enim pendet Prouidentia. Ex aduerso tamen non desunt varia, quæ varietatem hanc reddunt obscuram, & præsertim, quia cum diuina Prouidentia non videtur posse seruari humana libertas: similiter Contingentia, Casus, & Fortuna aboleri videntur; posita enim Dei prouidentia, non videntur res secus euenire posse, ac sint præuisæ; alioquin scientia, & prouidẽtia Dei fallax esset, quod non est dicendum: id autem quod non potest secus se habere, necessarium dicitur. Insuper, concessa prouidentia, vnde tot mala, tot redundantia, tot diminuta, tot inordinationes prodeũt, quæ in partibus mortalium quotidie inspiciuntur? si enim daretur Diuina Prouidentia, quia scientia Dei est causa rerum, Deus inordinationum, malorum, redundantium, & diminutorũ esset causa. Insuper si Mundus curatur à Deo, vnde prodeunt tot iniustæ distributiones? conspicimus enim plurimos viros probos infortunatos, improbos fortunatos, mala inspicimus, & supplicia tribui probis, præmia improbis, quare vel Deus Mundum non gubernat, vel est gubernator iniustus. Præterea periret Prudentia, & Prouidentia humana, nam de rebus à Deo prouisis, inaniter homo niteretur Prouidentiam habere. Insuper Prouidentia non est sine cognitione finis, & mediorum; Deus ex sententia Aristotelis 12. Metaphysicæ 51. nil extra se cognoscit. Demùm sexto Moralium Nicomachiorum Prouidentia est rerum, quæ secus fieri possunt, & ad opinionem pertinent, non autem necessariorum, de quibus est scientia, & intelligentia, species autem vniuersi necessitatem includunt, & ad scientias pertinent.

*Plato.* *Arist.*

*Quæ dubiã reddãt Prouidentiam.*

## D Prouidentia sententiæ variæ. Cap. XLIII.

*Prouidētia quid.* CVm nobis propositus sermo sit de Prouidentia; nomine Prouidentiæ non humanam cum consolatione iunctam denoto, quæ ad Prudentiam pertinet; sed diuinam, & præsertim Dei, vt omnium principis: quæ eminentissima est, & sine vlla ratiocinatione: quæ Prouidentia eatenus à Mundi gubernatione est distincta, quatenus Prouidentia est, vt dirigens, & gubernatio est exequutio. Prouidentia magis consideratur in Deo; gubernatio in subiectis motu, nam dicimus Dei Prouidentia per motum gubernari Mundum. Prouidentia est æterna, interna Deo, & tota simul; gubernatio verò est cum tempore, externa, & distincta per partes, quæ gubernantur. De huiusmodi Prouidentia ob difficultatem cognitionis eius, variæ veterum Philosophorum fuere sententiæ, quarum duæ sunt extremæ, aliæ mediæ. Extremarum vna ea est, eaque verissima, nostrorum *Sententia vera.* Theologorum, tribuentium Deo distinctissimam singulorum prouidentiam, adeò, vt sine Dei nutu, nec frons cadat è planta, de quo legitur: Ille est, qui scit dinumerare capillos capitis tui. Cui sententiæ me constanter subijcio, de qua Sapientiæ 14. scriptum est. Tu autem pater gubernans omnia Prouidentia, & 13. Ipse est Deus, cui est cura de omnibus. Hæc cum supponatur vt vera, inquiritur modò sententia Philosophorum: Ideò ex aduerso est alia opinio extrema eorum, qui penitus Prouiden- *Euertentes Prouidentiam.* tiam renuerunt: & id faciunt, vel negantes esse Deum, vt Diagoras, & Athei; Vel in dubium eam reuocantes, vt Protagoras, inquiens, si Deus est, vnde prodeunt mala? si non est, vnde bona? Vel tertiò, concedentes dari Deum, negantes tamen ei esse curæ attinentia ad Mundum, sed sine vlla cura, ocio, & tranquillitate frui, è quorum numero præcipuus est Epicurus, & mox qui sequuti sunt illum: existimauit enim Epicurus *Epicurus.* summum bonum in iucunditate, & tranquillitate esse positum; Et quia Deus summo bono exactissimè fruitur, ideò debet ab omni perturbatione, labore, & solicitudine esse immunis. Prouidētia verò, & gubernatio nō videntur posse alicui cōpetere sine solicitudine, molestia, & labore. Similiter Democritus, Leucippus, & alij, asserentes *Democritus.* cuncta fieri secundum quandam naturæ necessitatem, vel Mundos fieri casu, Prouidentiam penitùs euerterunt. Hæ sententiæ negligendæ potiùs, quàm reijciendæ sunt, nam inficiari Deum esse, est delirare penitùs, & inficiari id quod ex se conspicuum, & primò notum est. Concedere Deum, & remouere ab eo prouidentiam, & curam Mundi, est remouere ab eo conditionem Dei, & principis, & derelinquere illum tanquam statuam, & vmbram Dei; est enim conditio Principis recta ratio administrandi. Opiniones mediæ variæ sunt: nonnulli concedunt Deo distinctam singu- *Opinio putantiū cuncta necessariò fieri,* lorum prouidentiam, cum hoc tamen negant contingentiam; & asserunt cuncta necessariò fieri, vt à Deo præuisa, & præordinata fuerunt. Hi falluntur: quia Deus sua prouidentia, non euertit, sed seruat naturam, & conditionem rerum; Insuper si id esset, homo penitùs priuaretur libertate arbitrij, inanesque redderentur pro assequendo fine præcedentes consultationes, & præcurrentes dispositiones, quod esse absurdum in primo de Interpretatione, & alibi patefecit Aristoteles. Præterea, euanescerent merita præmiorum, pœnarum, laudum, & vituperij, quia cuncta in Deum referenda essent, & homo inaniter rationis, & voluntatis redditus fuisset particeps. Huius sententiæ nonnulli deprauatorum Hæreticorum fuere, cuncta referentes in æternam rerum præscientiam, & prædestinationem; eique satis similis est opinio Stoicorum, *Stoici.* putantium cuncta necessariò euenire; differt tamen, quia Stoici eam necessitatem referebant in Fatum, & essentialem connexionem causarum, non autem in distinctam Dei cognitionem, prouidentiam, & prædestinationem: non enim putarunt Stoici, *Opinio Academicorū.* Deum cuncta prænoscere, & præordinare. Alia opinio media, est multorum Academicorum, & præsertim Chalcidij in Timæum, asserentium Prouidentiam esse æternorum,

norum, & specierum, non singularium, & variabilium; Fundamentum huius opinionis est, quia præscientia, & prouidentia constituitur per Diuinæ Mentis Ideas; Ideæ non singularium sunt, sed specierum, & æternorum; quare præscientia, & prouidentia solùm est æternorum. In his seruatur necessitas, ordo, & consimilitudo, non in variabilibus: similiter ad ea propriè referuntur ineuitabile Fatum, & Parcæ, quæ nulli parcunt, sed inuiolabiles seruant sibi præfixas prouidentiæ leges. Secundum hanc opinionem euertitur Contingentia, nec Casus, & Fortuna, sed conspicuè seruantur in particularibus, & attinentibus ad ea. Et ne aliquid in Vniuerso sine cura supersit, addunt Academici, dari Cœlorum, & syderum animas, necnon Dæmones, qui varijs regionibus præsint, ac etiam singulis hominibus, qui eos non cogant, sed excitent, hortentur, moneant, & dirigant. Quod si Plato in decimo de Legibus, inquit: Deo cuncta esse curæ, & nil adeò vile reperiri, quod à Dijs non curetur. Respondeo, Platonem in eo Dialogo, Deorum nomine denotare omne æternum, & immortale, quales sunt Cœlorum, & syderum animæ, vt semetipsum explicat: Dum autem denotatur propriè summus Deus, ei competit cura omnium ex sententia Platonis, quatenus in specie continentur, ac insuper vel proximè, vel per medios Dæmones. Hæc opinio in parte est similis opinioni nostrorum Theologorum, quatenus ambo tribuunt Deo Ideas, & Dæmones ministros: Differt tamen, quia nostri Theologi etiam singularium, & præsertim hominum diuinæ Menti tribuunt Ideas, & prouidentiam. Quod autem ea opinio non sit Peripatetica, patet; tum quia Peripatetici renuunt Ideas; tum quia Dæmones non concedunt; tum tertiò, quia Deo non tribuunt distinctam specierum cognitionem, sed solùm in eminentia inclusam; tum demùm, quia non videtur posse esse cura de specie, quin sit de Indiuiduis eius, cum species nec sit, nec seruetur sine indiuiduis. Est itaque res satis dubia, & non constat, quid de ea senserint Peripatetici, quorum opinionem præsertim inquirimus. *Plato.*

## *De Prouidentia opinio Aristotelis.* Cap. XLIIII.

ARISTOTELEM in Mundo Prouidentiam nouisse, ex dictis in præcedentibus satis conspicuè patet, ita Mundo non secus, ac animali tribuit distinctas positionis differentias. Et in secundo de Cœlo assignat rationem ex fine sumptam, cur Cœlo plures orbes, & motus competant, vt patet ex contex. 20. Ac insuper cur Mundus sit sphæricus, cur incipiat moueri ab ortu, cur Stellæ careant instrumentis motus, & similium, quæ proculdubio Prouidentiam præsupponunt, cum eorum ratio eliciatur ex fine; At de modo maxima est dubitatio, de quo ab Alexandro in secundo Natur. quæst. cap. 21. necnon in lib. de Fato. Et à Simplicio in secundo de Cœlo, & præsertim in Enchiridio Epicteti Stoici, & ab Auerroe in disput. contra Algaze. multa dicuntur, sed omnia prætereuns, dico: In Prouidentia tria considerari, Prouidentem cui, vt fini prouidet, & quo, nam Prouidens, media disponit, pro fine, & præsertim pro fine, qui dicitur cui, in quem dirigitur finis cuius gratia, vt in homine sanitas. Insuper Prouidere alicui contingit tripliciter, vt rectè considerauit Alexander in secundo Natural. quæstio. cap. 21. vel primò, & per se, vt pro fine principali; vel ex accidenti penitus; vel non per se primò, sed secundariò, vt dum per se primò operamur propter aliquid, & cognoscimus, ac volumus id redundare in vtilitatem etiam alterius: nam quamuis inter per se, & per accidens, non detur medium; datur tamen inter per se primò, & per accidens, & etiam per se secundariò. Addo tertiò, Prouidere alicui contingere dupliciter, vel pro alio, vt Prouidentiam habemus de equis, armentis, & canibus non gratia eorum, sed Domini; vel gratia illius, vt principalis finis; ita mortalium est cura gratia hominis, & indiuiduorum gratia speciei. Dico quartò, eorum, quæ sunt in Vniuerso, quædam solùm Prouidere,

*Arist. concedit Proui dentiam.* *Dubitatio est de modo.* *Tria attinẽtia ad Prouidentiam.* *Prouidere tripliciter.* *Prouidere alicui dupliciter.*

uidere, vt Deus; quædam solùm prouideri, vt expertia mentis, & rationis; quædam & prouideri à Deo, & prouidere alijs, vt mente, & ratione prædita. Demùm addo, Prouidentiam esse triplicem; vnam humanam cum consultatione, & ratione; alteram Diuinam, vel cum distincta notitia per proprias Ideas eorum, de quibus est, vel non secundum propriam formam, sed eminentem solùm, & per solam notitiam in eminentia positam. His præassumptis, pro explicatione sententiæ Aristo. tres profero conclusiones, prima est; Cuncta, quæ sub Deo collocantur, regi, & gubernari Prouidentia diuina, modo aliquo conditioni eorum consentaneo. Altera est; Deus non omnium primò, & per se curam habet, nec id facit cognitione distincta per proprias rerum Ideas. Tertia est, Prouidentia Dei est solùm per eminentiam, & modo intelligendi, & volendi in sola eminentia posito. Duæ primæ Conclusiones ex dictis in præcedentibus conspicuæ sunt, solùm tertia superest explicanda: pro cuius notitia accipio, Prouidentiam, & prouidendi modum debere respondere modo cognoscendi, volendi, & operandi, quæ tria in Prouidentia includuntur: Prouidentia enim pertinet ad intellectum, vt dirigentem; ad voluntatem, vt inclinantem; ad potentiam, vt exequentem, & perficientem, quę tria in Deo quamuis sint essentia idem, tamen distinguuntur ratione. Qualis itaque est modus intelligendi, volendi, & operandi Dei, talis erit Prouidentia. At ex sententia Aristo. Deus se solùm intelligit; cætera verò, vt in eo includuntur: quæ cum includantur solùm eminentia, ideò solùm eminēter ea intelligit, nō distinctè per distinctas Ideas. Similiter Deus id vult absolutè, quod bonum est, & operatur cum quadam naturæ necessitate, & propterea Prouidentia in hoc est posita, vt quadam naturæ necessitate ea, quæ pendent ex ipso bono, bona sint, insertam habeant rationē boni, & in bonum tendant, quæ Prouidentia est potiùs quædam per medias causas effluxio, & conseruatio, quàm propriè & re vera Prouidentia; & refertur primò ad esse rerum; secundò, ad conseruationem; tertiò, ad operationem. Vt pertinet ad esse, dicitur in primo de Cœlo, Deus, & Natura nil faciunt frustra, A primo omnibus tributū est esse, Cœlum futurum æternum exemptum est à contrarietate. Et in 2. de Anima 35. cum animalia non valeāt esse æterna numero, vt valent, ita sunt ęterna, nempè specie, sic melius est in Natura sem per, si fieri potest. Vt pertinet ad conseruationem, legitur in 1. Meteo. necesse mortalem orbem superis lationibus esse continuum, vt omnis virtus inde gubernetur, ita Sol suo accessu est causa generationis, recessu verò interitus. & motus ęternus Cœli in 8. Physi. & in 2. de Genera. dicitur causa ęternæ generationis mortalium, & in calce 4. de Genera. animal. asseritur, motu Cęli mensurari transmutatioues sublunarium. Vt per tinet ad operationem, manifestat Arist. in 8. Physi. 33. ꝙ primo non mouente, cętera moueré non valent, & in 8. Physi. cont. 1. dicitur, motum esse tanquam vitam, & propterea, vt sine vita non operantur animalia, ita nec sine motu Cœli, qui est tāquam vita Vniuersi valent physica operari. Iure itaque Arist. in 12. Metaph. 38. inquit, ex tali principio, nempè Deo, ita Cœlum, & Naturam pendere, vt absolutè non valeant secus se habere. Verū cum Deus sit modo dicto caput ordinis, & prouisor; corpora autem Physica subijciātur curæ eius, perpendamus quo medio id efficiat, & cuius gratia. Profectò ex sentētia Arist. influxus a motu distincti non dantur, vt alibi patefeci; Hinc Arist. vbiq; soli motui id tribuit, vt constat ex 8. Phys. & ex 1. Meteor. & ob id dixit mortalem orbem superis lationibus debere esse continuum: Nam Deus tribuens Cęlo motum, reddit id sibi simile, cum ei tribuat actum vnum, æternum, consimilem ab eodem ad idem; quo motu cum Cœlum lucidum moueatur, impartitur collocatis sub eo conditiones eius: nam proxima attenuat, purgat, illustrat, ordinemq; cunctis impartitur. Hinc Cęlum corporibus sibi proxmis tribuit calorem, leuitatem, perspicuitatem, & motū: distantibus autem, vt Terræ, opposita. Hæc non est propriè Prouidentia, quia non est cum distincta cognitione mediorum, & propriorum finium distinctarum rerum, nec est cum generatione Mundi, & specierum eius, neque est de rebus contingentibus, sed pręsertim de speciebus rerum, necessitatem includentibus. Dici tamen potest Prouidentia Diuina, idest,

*Triplex Prouidentia.*

*Tres cōclusiones.*

*Prouidentia pro esse.*

*Pro conseruatione.*

*Pro operatione.*

na, idest, vt Deo congruit, Prouidentia in eminentia, quia eminenter includit omnem perfectionem humanæ Prouidentiæ, & Prouidentia cum modo operandi naturæ coniuncta. Quæ Prouidentia sequitur eminentissimam Dei cognitionem, qua noscens Deus se vt bonum, vult omne, quod est bonum, & sua facultate mouendo Cœlum, motu totius effundit munera bona in vniuersum orbem, idq; facit per motum, non per influxum aliquem ab eo distinctum. Superest demùm explicandum, cuius gratia Deus Mundo prouideat. Et ex sententia Aristotelis dicendum est, cuius gratia res sunt, eius gratia curari, & prouideri: viliora homine curantur gratia hominis; homo autem, & Mente prædita curantur, & curant cætera in gratiam Dei, in quem, vt in finem conspirant; & quamuis Deus cęteris intrinsecùs nō egeat vt sit, & bene sit, egere tamen dicitur extrinsecùs, vt etiam extrinsecùs refulgeat gloria eius. Ex his redditur notum, quomodo mortalia nec per se primò, nec omninò ex euentu curentur à superis principijs. *Cuius gratia est Prouidentia.*

## *Dilutio aduersarum rationum, Mundi Prouidentiam euertentium.*

## *Cap. XLV.*

EXplicata sententia Aristotelis, superest, vt aduersis rationibus satisfaciamus. Dubitatur primò, An Deus prouideat Intelligentijs? videtur quod non; tum quia illæ ab Aristotele iudicantur absolutè necessariæ; tum insuper quia non subijciuntur motui, quo Deus dicitur prouidere; tum demùm quia ex Aristotele sunt ingenitæ, immortales, nec aliquo egere videntur. *An Deus prouideat Intelligentijs.* Respondens dico, Intelligentias omninò impropriè sub Prouidentia contineri; sub Prouidentia tamen claudi, quatenus ex Deo pendent, saltem in genere finis, eisque ea competunt, quę illarum conditioni, & pro suo assequendo, vel fruendo fine, sunt consentanea. *Solutio.* Hinc per essentiam Deum intelligunt, per quem beantur, cumque intelligentes, illum pro facultate imitantur, & ideò mouent, & munera in cętera per motum effundunt, nam hę ita prouidentur, vt per prouidentiam prouidentes reddātur. Insuper dubitabatur, quia cum diuina Prouidentia non videtur seruari posse contingentia; Libertas hominis, Casus, & Fortuna. *Quo seruetur contingentia.* Hęc instantia sententiæ Peripateticorum nullam parit difficultatem, cum Prouidentia ex sententia Arist. explicata, sit sine distincta rerum cognitione, & solùm cum cognitione eminenti, quæ neque est distinctorum vniuersalium, neque particularium, adeò vt ea, quæ & contingentia, & casu facta dicuntur, ad quodcunque referantur, semper sunt talia: Deus enim se solum intelligens apprę hendit se, vt summè bonum, vt aptum quod Mundus illum imitetur, vt caput eius, vt influentem per motum vires in Mundum, vt Mundi causam, ac ita dicitur se motum, & Mundum eminentissimè intelligere, distinctè autem singula euenta nequaquam, vt nec Principes singula cognoscunt, quæ faciunt, vel quæ eueniunt populis, adeò vt hac Prouidentia primò, & immediatè regat Cœlum per motum totius; per consequutionem verò prouideat contentis sub Cœlo. Quomodo autem absolutè, & re uera huiusmodi instantiæ sint soluendæ, à D. Thoma & alijs Theologis petendum est; Qua de re in Philosophia de Moribus, loquens de hominis libertate, verba feci. Instabatur insuper, quia concessa Prouidentia, vnde inordinationes, iniustæ bonorum distributiones, & alia similia mala prodeunt? *Vnde mala.* Nam, vt in 10. de Legibus dicebat Plato, hæc ea præsertim sunt, que multitudini suadent Mundum Prouidentia non regi. Hac ratione ducti, & suasi Manichęi, duo prima rerum statuerunt principia inuicem pugnantia, quorum vnum bonorum, alterum malorum esset origo. Ob id ipsum Empedocles Litē, & Amicitiam principia rerum constituebat, quorū Lis malorum, Amicitia bonorum esset initium. Similiter Magi vetustissimi, & cum eis Zoroastres Magus, duo principia ad opposita ducentia statuebant, quæ dixere Deum, & Dæmonem. Astronomi Planetarum, & Stellarum nonnullas beneficas, alias maleficas, & aduersas enunciarunt. Sed hos præteriens, veniens ad Pythagoram dico, ea proxima bonorum, & malorum principia,

cipia, esse decem boni & mali subordinatas oppositiones: ex Platone verò esse infinitum,& terminum,quæ ab Aristotele per formam,& priuationem denotatur, cum quo respondens dico,vt ex summo bono cuncta bona pendent,ita ex imbecillitate materię, & vt dicebat Alexander ex commixtione cum non ente, hoc est,cum recessu à Deo, & priuatione,prodeunt inordinationes, deprauationes, & mala; nil tamen adeò malum est,quin per imperium summi boni dirigatur in bonum; Et hæc quoque instantia maiorem alijs, quam Aristoteli præbet difficultatem. Instabatur tertiò, quia sic periret prouidentia hominis; si enim cuncta prouidentur à Deo, inanis est prouidentia hominis. Soluitur,negando consequutionem: nam Deus cunctis prouidet ordine quodam & per communia,vt per motum,quæ communia vniuersè, cunctis conducunt; varietas autem deinde pendet ex proximis, veluti conducit Cœli motus omni generationi; At quod hic,qui gignitur sit homo,ille verò leo,non pendet ex motu Cœli,sed quia hic proximè ab homine, ille à leone gignitur; similiter conducit vniuersè Cœli motus pro omni hominis actione, at varietas earum,ex varia hominis consultatione, & prælectione oritur: nam homo eorum est,cui ita prouidetur, vt etiam prouideat. Quarta instantia erat, quia nil Deus extra se intelligit; Prouidentia autem non est sine cognitione, & præcognitione. Solutio patet ex dictis: nam Deo ita Peripatetici Prouidentiam tribuunt, vt cognitionem. Alexander in lib. de Fato,præsertim cap. 16. tribuit Deo cognitionem particularium,& humanarum actionum,id tamen parum est consentaneum sententiæ Aristo. Instabatur vltimo loco,quia Prouidentia est contingentium,& eorum quæ secus fieri possunt: ordo vniuersi & rerum species non sunt huiusmodi. Respondeo primò, id esse verum de Prouidentia humana obscura,& fallaci,non de Diuina, & eminentissima,quę solùm eminenter est Prouidentia: propriè autem est effluxio,& conseruatio. Addo secundò,ea omnia,quæ Prouidentiæ subijciuntur, si necessitatem includunt,eam habent non absolutè,sed quatenus pendent ex primo, adeò vt per imaginationem ablato primo,cætera consistere nequeant. Hinc ait Aristo.9. Metaph.17. Si prima non essent,nil vtique esset,nec quidem motus,si quis est sempiternus. Res igitur quatenus pendent,ex se non sunt, & ob id Prouidentiæ subijciuntur. Sed oritur dubitatio: quia asserere huiusmodi Prouidentia regi Mundum,quæ physica sit, & cum necessitate agentium secundum Naturam,est labi in sententiam Empedoclis, & veterum, asserentium cuncta sequi necessitatem materiæ, & includere necessitatem absolutam, non autem ex suppositione finis: quam sententiam latissimè reijcit Aristoteles in calce secundi Physico. Respondeo,sententiam hanc de Prouidentia longè distare ab ea veterum de rerum necessitate, ipsi enim cuncta referebant ad materiam, ad quam non pertinet ratio finis,& boni: Aristoteles verò cuncta refert ad eminentissimum Agens,& ad actiones ex eo pendentes,quorum conditio est & bonum,& finis,adeò vt cuncta ex bono tanquam ex fonte fluant,& ob id per media bona,& per insertam boni conditionem sine distincta cognitione in bonum conspirent, & hoc lucidissimè elicitur ex ipsomet Aristotele, qui in secundo Physico. 86. soluens instantiam,quomodo natura operetur propter finem,cum nec cognoscat,nec consultatione vtātur,inquit,nō esse necessariam consultationem, vt agens operetur propter finem: sed sat esse habitum, & formam, per quam agens operatur: nam artifex etiam sine consultatione propter finem operatur. Hinc dicimus necessitatem,ex materia fluentem, euertere finem: at necessitatem diuinam, nequaquam,vt rectè etiam in 2.Physic. dixit Simplicius. Hanc itaq; puto ego de Prouidentia fuisse opinionem Aristotelis,qui solùm per Physica opera progrediens, exactam veritatem inspicere non valuit,quam cum latissimè explicent nostri Theologi, eorum decretis me subijcio; ea verò,quæ cum illis pugnant reijcio, & renuo.

*De prouidētia hominis*

*Dubitatio*

*Solutio.*

*Aristote.*

FINIS.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De Cœlo Liber Vnus.

### PROOEMIVM.

DECLARAVI in libro de Mundo ea, quæ ad vniuersi Orbis notitiam pertinent, quatenus ex ordine simplicium corporum consurgit; Sequitur modò agendum de partibus eius, & primò, de corpore cœlesti, tanquam de præstantissimo, ex quo cætera pendent, & à quo seruantur, & continentur. Et cum Cœli nomen tria denotet; nempè Mundum totum, vt Plato in Timæo enunciauit; Mobile supremum, stellis innumeris insignitum, & congregatum ex omnibus orbibus, supra Elementa collocatis, vt in primo de Cœlo cont. 96. Aristoteles explicauit. In hac tertia significatione mihi de Cœlo ex Peripateticorum sententia disputandum propono, de quo non quæram, an sit (id enim sensu patet) sed quid, quale, & cur tale sit, considerabo. Hoc corpus solo suo nomine, ad sui considerationem animos ingenuos inuitat, cum sit eorum patria & diuinorum sedes, quod, vt loco est eminentissimum, ita dignitate est supremum; & quamuis propria luce maximè fulgeat, est tamen obscurissimũ cognitu, cum à sensibus nostris summoperè distet: dignum autem vt diu noctuq; in eius consideratione versemur: hoc enim maximè omnium, gloriam Dei nobis enarrat, quæ statui debet fructus nostrarum contemplationum.

*Quid Cœli nomen.*

*Præstantia considerationis.*

### *De nomine Cœli.* *Cap. I.*

CORPVS sublime, quod à Latinis Cœlum, à Græcis οὐρανὸς, ὄλυμπος, & αἰθὴρ dicitur, nuncupatur οὐρανὸς; vel quia visui sit peruium; vel vt legitur in lib. de Mundo ad Alexandrum, quia est terminus extimus superorum corporum; vel vt ait Simplicius in primo de Cœlo, cõt. 93. ex sententia Platonis, quia sursum videtur. Dicitur ὄλυμπος quia totum est lucens. Dicitur αἰθὴρ, ex sententia Anaxagoræ, ab incensione; existimauit enim esse igneum; Ex sententia autem Aristotelis in primo de Cœlo, ab æterno cursu, cum motu perenni in orbem reuoluatur; Plato in Cratylo etiam ab æterno cursu censuit ita fuisse nuncupatum, dissentit tamen ab Aristotele, quia inquit ita fuisse dictum, quia semper currit, circa aerem fluens, addit partem illam, circa aerem fluens, de qua dissentit ab Aristotele, quatenus nomine ætheris denotat non Cœlum, quod potius dicit ignem, sed eam, quam Aristoteles indicat sphæram ignis, & in primo Meteororum nuncupat fomitem incensionis: Nam vt elicitur ex appendice Legum, Plato corpus supremum dicebat ignem, sub quo æther esset collocatus, & sub æthere aer, hinc

*De nomine Cœli.*

*Plato.*

hinc æther dicitur fluere circa aerem; Hoc cœleste corpus, ab Aristotele in principio tertij de Cœlo, & in primo Meteororum, cap. 3. dicitur Elementum primum, & ita dicitur nedum quia corpus simplex est, verùm præsertim quia suo ordine vnà cum cæteris simplicibus corporibus Mundum constituit: est enim conditio Elementi, vt ex eo inexistente aliud constituatur. Hinc Cœlum dicitur Elementum Mundi, non autem corporum mixtorum. *Error quorundam.* Ex quo patet conspicuè, errare nonnullos, qui Cœlum ob id solum aiunt dici Elementum, quia simplex est; non quia ex eo aliud constituatur, nam statim quod ab eo seiungitur, vt ex eo aliud constituatur, desinit esse Elementum, cum id sit in ratione Elementi, hinc rectè Aristoteles in decimo Metaph. contex. 2. inquit, non idem est igni, & Elemento esse, nam Elementum est ad aliquid, nempe Elementati, & compositi, & in 5. Metaphysicæ, cont. 4. legitur, Elementum est id, in quod resoluitur res, & est in re. Quod etiam asseritur in 7. Metaphysicæ, contex. 60. Et in 3. de Cœlo 31. Idipsum quoque colligitur ex modo loquendi Aristotelis, nam ait in eo primo contex. tertij de Cœlo, se egisse de primo Elemento, nempe de Cœlesti corpore, & cum dicat de primo, quia primum denotat ordinem, & Cœlum suo ordine constituit Vniuersum, conspicuè indicat, dici Elementum vt constituit vniuersum. Est itaque Cœlum Elementum primum Mundi; reliqua verò simplicia corpora, primò Mundi, mox mixtorum Elementa sunt.

## *An Cœlum sit distincta natura ab ea, quæ quatuor inest Elementis, opinio aliorum. Cap. II.*

VEtvstiores Philosophi Naturam rerum indagantes, & per ea quæ proximiora sunt sensibus, distantia à sensibus mensurantes, quoniam cuncta, quæ ante oculos versantur, vel sunt vnum ex quatuor Elementis, vel aliquid ex eis mixtum, ideò Cœlum quoque eiusdem esse naturæ existimarunt. Propterea Empedocles ex quatuor Elementis constare censuit. *Opiniones veterum.* Democritus, Leucippus, & Epicurus existimarunt constare ex athomis, præsertim naturæ ignis congruentibus. Aegyptij aquam & humorem concretum id esse affirmarunt. Diogenes aerem attenuatum. Pythagoras, Heraclitus, & Stoicorum series dixere ignem. Plotinus in lib. de Cœlo, ex sententia Platonis, Cœlum esse ignem affirmat, & cap. 7. inquit: *Plato.* Testimonium his Plato præbet inquiens; Accendit Deus Lumen circa secundam a Terra sphæram, Solem certè significans; quibus verbis omnem à nobis suspitionem abigit, aliquid ibi aliud esse præter ignem, significat quoque nullam adesse ignis qualitatem præter Lumen, quod esse ait à flamma distinctum, calorem verò lenem tantùm, atque suauem; item Lumen hoc esse corpus, ex eo autem emicare Lumen æquiuocum, quod esse dicimus incorporeum. Hæc Plotinus, existimans in Cœlo solùm reperiri essentiam ignis, reliquorum verò Elementorum proprietates quasdam, non essentiam; ac ita intelligendam iudicat sententiam Platonis asserentis in Timæo, Cœlum constare ex eminentijs elementorum, & præsertim ex igne, quod ostendit: quia lucidum & visibile est, quod ad ignem pertinet; soliditas autem eius ad terram; perspicuitas ad aerem; concretio & connexio ad aquam. Hinc alij inquiunt, ibi ita reperiri puritates omnium Elementorum, vt ad sinceritatem igneam sint eleuatæ; quoduis enim Elementum superius est quædam sinceritas & depuratio inferioris. *Proclus.* Proclus in Timæum, Elementa omnia & in Cœlo, & sub Cœlo, & apud inferos reperiri existimat, inquit enim, Elementa in Cœlo omnia sunt, & in his quæ sub Cœlo, & etiam infra Terram, nam omnia ex quatuor Elementis constat, non eisdem tamen, neque eodem modo se habentibus, quæ enim in Cœlo sunt, summitates & excellentiæ sunt Elementorum, ea autem quæ inueniuntur sub orbe Lunæ, secundi sunt ordinis: quæ verò infra Terram, sunt infimi ordinis, & tanquam feces Elementorum,

torum,

torum. Ioannes Picus ingenio & familia Illustrissimus, Elementa dixit esse in Cęlo per modum causæ, apud nos secūdum formam, apud inferos per participationē: rectius tamen per modum causæ competunt Deo; secundum formam Menti per Ideas; cæteris per participationem; Cum autem veteres Cœlo præsertim tribuerint ignem, stellasque nuncuparint perennes ignes; an ignis ille egeat alimento, eoque reficiatur, dissentiunt. Plotinus cap. 8. id negat, inquiens, nil Cœli defluere, nec egere alimonia, quod tum ex puritate eius, tum ex varietate regionis, tum ex eius anima ait euenire. At ex aduerso Stoici, & Epicurus vaporibus nutriri existimarunt; hinc Lucr. ex sententia Epicur. lib. 6. cecinit. *Io. Picus.* *Lucretius.*

*sine ipsi serpere possunt*
*Quo cuiusque cibus vocat, atque inuitat euntes*
*Flammea per Cœlum pascentes corpora passim.*

Anaxagoras, referente Platone in Apologia, Solem dixit esse Lapidem, Lunam verò Terram. Consenserunt itaque veteres Philosophi Elementa etiam in Cœlo reperiri, & solùm puritate & sinceritate distingui à collocatis sub Cœlo.

## *Rationes, & signa pro comprobanda veterum sententia, quod in Cœlo Elementa inueniantur. Cap. III.*

Variae sunt rationes & signa, quæ nobis indicare videntur, in Cœlo Elementa, & præcipuè ignem reperiri; potissima tamen sunt, quindecim, quæ ego breuissimè referam. Primum signum sumitur ex luce Cęli, quæ species quædam est ignis, vt dixit Plato in Timęo, vel eius est affectio. Secundum, ex colore, nam stellæ colorem flammæ præseferunt, & ob id æterni ignes nuncupantur. Tertium, ex conditionibus ignis, qui pro facultate petit locum sursum. Quartum, ex eius mobilitate, nam ignis citissimè mouetur, vt Cœlum. Quintum, quia maximè calefacit mortalia, adeò vt Sol directè suis radijs opposita etiam comburat. Sextum, quia à Cœlo omnia Elementa & præsertim ignis producuntur, quod non fieret, nisi in eo elementa essent, & præsertim ignis: nam simile per se à solo simili producitur, à non simili verò ex accidenti, quare vt Cœlum per se cæterorum sit seruator & parens, necesse est, vt ea includat. Septimum signum elicitur ex consensione Philosophorum, omnes enim, qui Aristotelem præcesserunt, existimarunt Cœlum esse eiusdem Naturæ cum Elementis. Octauum, ex decursu quarundam Stellarum, quæ ob incensionem cadere videntur, nec non ex Via Lactea, & Cometis, siue crinitis stellis, apparentibus in Cęlo, quę omnia ignea sunt. Nonum, ex mutua consensione Cœli & Elementorum, nam mira refulget eorum consensio, quę non apparet, nisi ex eisdem constarent corporibus. Decimum, ex conditione materiæ, quæ vna esset debet, cum enim vnus sit primus Opifex, vna anima Mundi, vnusq; Mundus, vnum quoq; esse debet commune subiectum, id enim est vnum numero, cuius materia est vna, vt legitur 5. Metaphys. cont. 12, quæ materia cum quatuor primis qualitatibus denudari non possit, & per eas, quatuor solùm Elementa constituantur, cogimur fateri, Cœli corpus ab eis non esse distinctum. Vndecimum, ex eo quod Cęlum est primum alterans: alteratio solùm primò & per se videtur fieri per qualitates primas Elementorum. Duodecimum, quia Cœlum sensu visus à nobis appræhenditur, non autem instrumenta nostrorum sensuum ea mouent, quæ commune aliquid cum eis non habent. Decimūtertium, sumitur ex actione & perpessione, corpus enim vnum ob id agit in aliud, quia cum differat forma, commune tamen aliquid includit, agens namque patienti partim simile, partim dissimile est, & finis agentis est reddere patiens sibi simile, Cœlum autem agit in hæc mortalia. Decimumquartum, quia Cęlum viuit, & initium dicitur vitæ mortalium, viuens est mixtum, vita in calore est posita, *Quindecim signa quod Cœlo sint elementa.*

sita, quare Cœlum ex Elementis est constitutum, caloreq; præditum. Decimumquintum, quia inspicimus superiora corpora in inferiora descendere, per eaque effundi, vt aquam in terram, aerem in aquam & terram, ignem similiter: at corpus aliud ab his distinctum ad nos nunquam descendere inspectum fuit, non itaque Cœlum corpus aliquod ab Elementis distinctum iudicare valemus.

## *Cœlum esse distinctum à quatuor Elementis. Cap. IIII.*

*Aristot.* ARISTOTELES acerrimus Naturæ rerum indagator, non suasus externis signis, per motum ex interna Natura prodeuntem, in notitiam essentiæ corporum progrediens, Cœlum iudicauit immune à conditionibus quatuor Elementorum, & vnà cum Archita Tarentino, primus fuit, re-*Archytas.* ferente Porphyrio in libro de abstinentia ab esu carnium, qui Cœlum distinctæ Naturæ ab ea quatuor Elementorum enunciare ausus fuit. Ratio autem eius *Ratio.* ex latione sumpta, & in primo de Cœlo latissimè explicata, hæc est: Omnis simplex motus debet per Naturam competere alicui corpori simplici: latio in orbem est motus simplex; igitur per Naturam corpori alicui simplici debet competere; non competit autem alicui ex quatuor Elementis, cum eis per Naturam competat motus rectus, quare debet dari corpus simplex distinctum à quatuor Elementis, aptum sui Natura in orbem ferri, huiusmodi autem aliud esse non potest præter Cœlū, quod perenni motu reuoluitur; cum itaque Cœlum moueatur sui natura in orbem, qui motus est simplex, primus; & distinctus a motu Elementorū, fateri cogimur Cœlum esse corpus simplex, primum, longè differens à conditione quatuor Elementorum. Quod autem Cœlum sui natura feratur in orbem, Elementa verò moueantur motu recto, non autem in orbem, vt perperàm iudicarunt Academici, seorsum explicabitur, ne difficultates variæ inuicem permisceantur. Præterea id ipsum confirmare nititur Aristoteles. Primò, quia *Cōfirmatio.* consensione omnium, Cœlum est locus Dei, & vt cecinit Homerus.

*Esse solum Diuis subnixum semper Olympum;*
*Fama est &c.*

Locus debet congruere rei locatæ; Deo æterno non variabile corpus, sed æternum solum congruit. Secundò, quia accuratissimis & diuturnis obseruationibus nulla vnquam in Cœlo nec totius, nec partium substantiæ varietas inspecta est. Tertiò; quia Cœlum, vt distinctum à quatuor Elementis, distinctio quoq; nomine fuit designatum, & dictum fuit Aether, ab æterno eius cursu. Insuper in 8. Physic. ex eo, quòd motus orbicularis Cœli est vnus, æternus, & continuus; infertur, mobile illud esse æternum, & à varietate immune, quod quatuor Elementis non competit. Præterea, quatuor Elementa contrarietatibus sunt prædita, quas necessariò sequitur mutua permutatio, a qua Cœlum est immune. Insuper si Cœlum præsertim esset ignis, profectò lumē ignis non est sine flamma, & incensione, incensio autem non est sine continuo alimento & regeneratione, quæ longè absunt à Cœlo. His accedit quod ignis dum est purus, non lucet; cum autem Cœlum luceat, non debet iudicari purus ignis. Et confirmatur quoniam si Cœlum est ignis, vel est eiusdem speciei cum igne mortali, vel distinctæ; eiusdem esse non potest; quoniam æterna & mortalia distincti sunt generis, ex Aristotele in calce decimi Metaphysicæ: si dicitur alterius speciei & generis, tunc non amplius nisi secundum nomen seruabitur ignis in Cœlo: dubitatio autem non est de nomine, sed de essentia. Præterea Cœlum vel est simplex ignis, vt putat Plotinus, *Plotinus.* vel corpus mixtum ex puritatibus Elementorum, vt ait Simplicius: non potest dici simplex ignis, alioquin non seruaretur congruens ratio inter elementa, sed ignis mole & virtute longè præstaret cæteris, cæteraque non seruaret, sed consumeret, resolueret,

& aboleret, vt argumentatur Aristoteles in primo Meteororum. Si asseris esse mixtum, contra, quomodo Cœlum quod est prius contentis Elementis, mixtum esse potest? nam inquit Aristot. in secundo de Cœlo 22. prius natura esse vnum, multis; & simplex, composito. Præterea mixtio sine pugna & remissione non fit; in Cœlo non est pugna, neque etiam remissio; cum remissio sit diminutio quædam & imbecillitas. His accedit, quod si mixtum esset, non rectè supra simpliciora corpora esset positum; nam mixtionis locus est medium hoc, non circumferentia; & mixtum mouetur, & locum sibi optat secundum Elementum, quod dominatur in eo. Præterea; distinctio Naturæ Cœli ab ea quatuor Elementorum, redditur conspicua ex conditione conseruantis, & dominantis: Nam quod natum est alia seruare, non debet eis esse contrarium, alioquin destrueret: Nec debet egere alio corpore conseruante. Similiter quod natum est dominari alijs, debet ab eis esse distinctum, vt de prima Mente enunciauit Anaxagoras, & approbauit Aristoteles; Cœlum mortalia Elementa seruat; non eget alio conseruante; & Elementis præest ac dominatur, quare necesse est vt sit distinctæ naturæ ab eis. Insuper eadem sententia confirmatur ratione sumpta ex generatione, & generationis perenni conseruatione; nisi enim daretur superum corpus distinctum à mortalibus, & immune ab omni mortalium conditione, generatio nec daretur, nec seruari posset; generatio enim exposcit vnum primum alterans, & commune generans, dirigens, fouens, & perficiens omnem generationem, quod primum à conditione generationis debet esse liberum, alioquin egeret alio superiore, & daretur progressio in infinitum; id autem, quod sui conditione non subijcitur ortui & interitui, distinguitur genere ab illis, quæ ei subijciuntur. Hinc rectè Auerroes in primo de Cœlo 22. patefecit hac ratione, non omne corpus posse ortui esse obnoxium. *Auer.* Insuper id ostenditur ratione sumpta à forma: cum enim forma & materia sint ad aliquid, & alterius formæ altera sit materia, ex secundo Physicorum, contex. 26. quia separatæ Mentes, quæ Cœlorum dicuntur formæ, sunt distincti generis à formis mortalibus; putandum est etiam id corpus distincti generis esse à quatuor Elementis. Quod etiam ex Mundi perfectione elici potest: cum enim vniuersum sit cuncta in vnum versa, & in eo inueniantur corpora sui conditione mortalia; etiam putandum est, corpus in eo reperiri, quod sui conditione ab ortu & interitu sit immune, & præsertim, quia vt inquit Aristoteles in octauo Physic. 48. quod melius est, putandum est in vniuerso reperiri. Quod demùm confirmatur ratione sumpta ex conditionibus quatuor Elementorum, nullum enim eorum, nec mixtum ex eis, adeò perspicuum, adeò solidum, adeò lucidum, adeoque à mortalium conditione liberum esse potest, vt Cœlum, longa obseruatione compertum est. Neque Plotini solutio approbanda videtur, dicentis, hæc competere Cœlo munere animæ eius; regionis in qua positum est; & puritatis, veluti etiam Arabum nonnulli existimarunt; hominis quoque corpus posse seruari ab eius mente æternum, si ea ita secundum naturam esset affecta, vt non secus corpori dominaretur, ac Cœlo dominentur Cœlorum animæ; munus enim animæ est seruare, & æternæ animæ seruare semper. Hæc inquam solutio approbanda non est, *Euersio solutionis Plotini.* quoniam id, quod per se & sui conditione alicui competit, per nullum externum, eo superstite, remoueri potest: contrarietas, pugna, mutua permutatio, & similia, per se, & per eorum principia competunt elementis, quare per nil æternum possunt ab eis seiungi. Hinc regula constans & firma est, nil mortale posse æternum seruari, vt ostenditur in primo de Cœlo. Colligamus itaque Cœlum vt nomine, loco, & conditionibus; ita Natura & essentia ab Elementis esse distinctum.

## *Quomodo Cœlum ex sententia Aristotelis sit quinta essentia. Cap. V.*

*De quinta essentia opiniones quinque.* *Prima.*

CONSENTIVNT profectò plurimi, Cœlum modo aliquo esse quintam essentiam: at quid sit ea essentia quinta, & quomodo Cœlo competat? toto Cœlo dissentiunt. Opiniones autem præcipuæ quinque sunt. Vna fuit Aegyptiorum quorundam, & Stoicorum, qui essentiam quintam dixere esse spiritum corporeum tenuem & sempiternum, per omnia effusum, cunctaque nectentem: & nonnulli Stoicorum talem dixere esse Deum. Aduersus quam sententiam multa dicuntur ab Alexandro in lib. suo de Mixtione; nam asserere Deum esse corpus; & dari corporum penetrationem; & Deum in materia recipi; & cum ea extendi, adeo sunt falsa, vt nil absurdius excogitari possit. Propterea est *Secunda.* secunda opinio Academicorum, asserentium hanc quintam essentiam esse ignem purum, vel eminentiam & puritatem quandam cunctorum Elementorum in igneā conditionem vt puriorem redactorum. Quæ sententia per dicta in præcedenti capite reiecta est, & præsertim quia Elementa inuicem sunt contraria; vnum autem contrarium non est eminentia & puritas alterius, sed destructio, quare ignis, vel reductio in igneā *Tertia.* conditionem non est puritas & eminentia Elementorum. Tertia opinio est Phœnicum Orphei, & vetustissimorum quorundam Theologorū, dicentium, quòd vt totius Mundi Intelligibilis in prima non participata Mente vnus est intelligentiæ actus, ideas constituens atque secernens; ita ex anima Mundi, per vniuersum Mundum sensibilem effunditur perspicuus quidam, lucidusque spiritus, quem anima concipit per actum mētis tanquam imginem eius, formas passim per vniuersum efficiens atque secernens; qui spiritus ad Mundi animam perinde se habet, ac spiritus ex sanguine geniti se habēt: mox ad particulares animas, hunc perspicuum lucidumque spiritum ab anima Mundi per vniuersum effusum, aiunt esse essentiam quintam, de qua intelligi volunt sententias illas, Spiritus intus alit: ac insuper, Spiritus ferebatur super aquas; & hunc spiritum aiunt esse vitam vitarum, & Cœlum Cœlorum. Nec desunt, qui putarint Aristotelem illum denotasse in secundo de Gener. Animalium, cap. 3 dum dixit spiritum seminis proportione respondere Elemento Stellarū, vt Proclus, Plutarchus, Lydus, Plethon, & similes, quo spiritu etiam ex anima Mundi exspirato, aiunt circumfusas è Cœlo descendere, & vbique habere ac possidere animas rationales, eoque tanquam proximo *Iulianus.* vehiculo vti. Hinc Iulianus Platonicus, ex Theologia Phœnicum, inquit effusam esse per vniuersum, & singulis insitam naturam quandam perlucidam atq; lucentem, quasi ex perspicuo & lumine temperatam, à passione, alienaque mixtione immunem, quæ sit actus quidam puræ intelligentiæ, extra progrediens, prædita lumine inuisibili & incorporeo; quod visibilis luminis sit causa; quod inuisibile lumen anima Mundi ex actu Mentis recipit, & inde quasi spiritum foras efflat, & per vniuersum effundit. Huiusmodi quintam essentiam Arnaldus de Villa Noua, Raymundus, & alij viri celebres, existimarunt per sublimationes singulis corporibus posse elici, & præsertim ex vino cœlestis conditionis; quæ se deinde ab Auro conditionis solaris imbibatur, & reddat id potabile; admirabilis & insignis facultatis redditur particeps, de quo potabili auro *Euersio.* admirabilia proferunt, quæ silentio prætereo. Nam hæc sententia innumera includit apprimè dubia, nullaque constati ratione comprobat: dubium est dari animam Mundi a Deo distinctam; dubium est dari spiritum æthereum vehiculum animarū; & quod ad rem facit, dubium est, hanc quintam essentiam, per omnia esse effusam, aptamque ex omnibus elici, & præsertim quia sequeretur Naturam Cœli cum Natura mortalium esse permixtam, quod apprimè videtur absurdum. His accedit, quòd per instillationes & sublimationes, nullum corpus simplicius Elementis elici potest; nam ex mate-

riatis

xtatis & mortalibus, nil nisi mortale & materiatum elici potest; solùm ex mixtis humores quidam tenues eliciuntur, qui mixti sunt, & ex Elementis conflati; vel quidam spiritus, qui sunt viæ ad elementa & medij. Propterea, est opinio quarta Ciceronis in primo Tusculanarum, primoque Academicarum Quæstio. qui explicans sententiam Aristotelis de quinta essentia, inquit: illum existimasse quintam essentiam esse genus quintum, dissimile à quatuor Elementis, è quo Astra Mentesque singulares constarent, quod Endelechiam nuncupauit, denotantem perennem motum. In hac explicatione innumera includuntur errata: nam primò, si ex ea quinta essentia constarent Mentes, & Astra, tunc vel Astra essent incorporea, vel Mentes corporeæ, cum ex eadem constent essentia. Præterea, quòd Aristoteles putet Astra & Mentem hominis eiusdem esse essentiæ, adeò falsum est, vt nil magis. Insuper quod ea Endelechia, quæ ab Aristotele pro genere animæ sumpta fuit, non denotet perennem motum; & Budæus de Asse, & Græci interpretes, & alij viri docti latissimè patefecerunt: & præsertim hoc ex eo patet, quia Aristoteles omnem formam, actum, & actionem, nomine Endelechiæ denotare consueuit, vt patet ex libris Physicorum, & de Anima. At in re conspicua non est immorandum. Hinc iure optimo in introductione ad libros de Moribus dixi, Ciceronem sæpè fuisse allucinatum in referendis, & explicandis sententijs Aristotelis, quod nedum patet ex inani explicatione Endelechiæ, Fati, & Fortunæ, verùm ex alijs quoque, vt rectè etiam considerauit Scaliger, exercitatione 365. cap. 4. Propterea, cum Aristotele dicamus, essentiam quintam esse naturam Cœli, quæ dicitur quinta, quoniam in prima mortalium materia quatuor considerantur potentiæ primæ, ad quatuor formas Elementorum, & ob id prima materia dicitur quadruplex in quarto de Cœlo 37. supra quæ quatuor simplicia corpora, collocatum est Cœlum, genere ab eis distinctum, vt æternum à mortali, quod est essentia corporea, simplex, terminata figura orbiculari, non egens forma, vt sit corpus actu, sed egens intelligentia vt viuat, perenniique motu reuoluatur, ad quem sui natura procliue est. Hæc est essentia quinta, quæ non descendit in hæc mortalia, nec miscetur cum eis, adeò vt ex eis per sublimationes & arte aliqua elici possit; ea enim nec per naturam, nec præter naturam secus ac in orbem moueri valet, vt à Philosopho ostenditur in primo de Cœlo.

*Opinio quarta.* *Euersio.* *Opinio quinta Arist.*

## *An Aristoteles cum Platone de Quinta Essentia conciliari possit, & quid indicent signa, quibus ostendebatur in Cœlo Elementa reperiri.* Cap. VI.

VARII Viri docti, plurimi facientes Aristotelem & Platonem, vtrisque addicti, de eorum concilio fuere soliciti, & præsertim Proclus, Simplicius, Ioannes Picus, & similes. Hinc litem omnem in verbis esse positam asseruerunt, ac vt ad rem pertinet in qua versamur, inquiunt eminentiam Elemẽtorum à Platone, Cœlo tributam, nil aliud esse nisi essentiam quintam ab Aristotele explicatam: propterea Simplicius in digressione 20. cont. primi de Cœlo asserit, Platonem nouisse eam quintam essentiam; nam in Timęo asseruit quinque primas figuras, quinque simplicibus corporibus Mundum constituentibus conuenire: cum autem quinque primæ figuræ inter se distinctæ sint, etiam putandum est, Platonem existimasse quinque subordinata simplicia corpora esse distincta, quod in appendice Legum confirmauit inquiens: simplicia corpora iure optimo dicere possumus esse quinque, ex quibus pulcherrima & optima constituuntur; quibus simplicibus corporibus mox animalia tribuit, inquiens, Cœlo conuenire Astrorum genus, quæ cœlestia animalia sunt. Cum itaque Plato quinque statuat primas simplicium corporum figuras, quinque prima simplicia corpora, quinq; etiam animalium

*Simplicius.*

gradus ei respondentes, conspicuè videtur statuere Cœlum distinctæ naturæ ab ea Elementorum; & solùm tribuere Cœlo conditiones quasdam similes conditionibus Elementorum, veluti etiam *Pythagorei:* Pythagorei Lunam & Firmamentum nuncupant cœlestes Terras, Solem & Martem cœlestes ignes, Venerem ac Iouem cœlestem aerem, Mercurium & Saturnum cœlestes aquas. Similiter Astronomi ob similitudinem affectionum, signa Cœli distribuunt per quatuor Elementa, singulis Elementis tria tribuentes. *Philoponus* Ex aduerso tamen Philoponus præsertim in disputationibus contra Proclum, in sol. 13. rationis, cap. 15. ex Tauri, Porphyrij, & Plotini sententia, ostendit vniuersum tantum constare ex quatuor primis corporibus. Quintam verò essentiam, solùm ab Archita, & Aristotele fuisse excogitatam, referente Porphyrio in lib. de abstinentia ab esu carnium. *Plotinus.* Hinc Plotinus in lib. de Cœlo, nititur ostendere, Cœlum esse ignem, asserens Aristotelem secùs existimasse, & putasse id esse quintam essentiam. Et quòd re vera *Plato.* Plato essentiam Cœli ab ea quatuor Elementorum non secreuerit, lucidè constat ex eius verbis in Timæo prolatis, nam inquit: In operis huius exordio, hoc est, in Mundi constitutione, Deus ignem primò, terramque creauit, sed duo sola absque tertio quodam commodè cohærere non possunt, mediumque aliquod vinculum vtrumque desiderant, quod duplex esse debet, cum ea sint solida. post pauca; Propterea ex huiusmodi rebus numero quatuor, Mundi corpus conflatum est. Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram Mundus accepit, ex omni quippe igne, aere, aqua, terra, eius Faber ita ipsum composuit, vt nullam cuiusquam istorum partem, aut vim extra reliquerit. Conspicuè Plato his verbis solùm quatuor statuit prima corpora, non quinque, vt Aristoteles. Hinc in eodem Timæo inquit, oculos nostros esse participes Cœlestis ignis. & in Appendice Legum, Stellas nuncupat animalia ignea Cœli, eaque affirmat constare ex Elementis, & præsertim ex igne. *Inane concilium.* Ex quo constat inanem esse eorum laborem, qui Aristotelem cum Platone hac de re conciliare nituntur: & præsertim errare Simplicium, affirmantem Cœlum esse mixtum, vt patet ex comm. 6. 8. 20. & *Errata Simplicij.* alijs, primi de Cœlo, idque ex eo colligentem: quia est animatum, & omne animatum est mixtum per Aristotelem in secundo de Anima. At fallitur: quia Aristoteles in secundo de Anima, solùm loquitur de viuentibus mortalibus; Insuper si Cœlum, quia est animatum, deberet esse mixtum, etiam deberet esse præditum instrumentis, cum in secundo de Anima omne animatum dicatur organicum. Præterea Aristoteles in primo de Cœlo nititur pro facultate ostendere, Cœlum omninò esse simplex, cum motu simplicissimo per naturam moueatur. Ex quo constat, etiam minus rectè Simplicium asserere, quòd cum Cœlum sit mixtum, mouetur in orbem per id, quod in eo dominatur: nam hoc tum Aristoteli aduersatur, qui sui natura in orbem verti affirmat; tum Platoni, qui elementa omnia secundum naturam in orbem moueri existimauit, non autem vnum tantum quod dominetur in Cœlo; tum demùm rationi, quia motus factus per Elementum dominans, est cum contrarietate & pugna eorum, quibus dominatur, *Conclusio.* cum remissione, & cum labore, quæ absunt à Cœlo. Colligamus itaque re vera Aristotelem dissentire a Platone. Rationes autem pro parte conciliantium relatæ, facilè diluuntur: nam Plato omnia in omnibus modo aliquo esse existimauit, denominari autem asseruit per id, quod dominatur. Ita Cœlum dicitur & ignis, & igneum, pars suprema aeris proxima Cœlo, quæ ab Aristotele dicitur fomes incensionis, à Platone dicitur æther, quia semper currit, circa aerem fluens, sub æthere aerem humidiorem, frigidiorem, & crassiorem, sub quo aquam & terram collocatam asseruit. Hinc etiam *Theophrastus.* Theophrastus, qui frequenter in sententiam Platonis inclinauit, sphæram ignis sub Cœlo positam tanquam Elementum ab aere distinctum in dubium reuocauit; hoc, quod dixi, conspicuè elicitur ex ipso Platone, qui quãuis in Appendice Legũ quinque statuat prima corpora, & animalium genera, tamen in Timæo, ea redigit in quatuor, inquiens: quatuor esse animalium Ideas, quarum vna Deorum cœlestium genus continet, alia volatile & aerivagum; tertia aquæ liquori accommodata, quarta terreno-

rum animantium genus, &c. Conspicuè Plato æthera ad aerem redigit, hinc in eodem Timęo aerem in duas partes distribuit. Et dum figuras in simplicia corpora distribuit, ætheri figuram ab ea aeris distinctam non tribuit, sed quinque primas figuras dixit quinque corporibus respondere, sumendo pro quinto corpore Mundum totum ex Elementis conflatum, eique tribuendo ratione consimilitudinis proprietatum figuram duodecim facierum, vt rectè etiam asseruit Philoponus disp. 13. contra Proclum, cap. 18. idque elicitur ex verbis Platonis dicentis in Timęo: est & quinta quædam compositio, qua Deus pro Vniuersi compositione est vsus, eaque descripsit & figurauit, &c. Propterea, rectè Alcinous in libro de doctrina Platonis, & Apuleius dixerunt, Mundum ex quatuor solis Elementis constare: Imò Plato conspicua ostensione id patefecit in Timęo, sumpta ex extremis solidis & medijs nectentibus ea, quæ duo sola esse debent, alioquin non seruaretur Geometrica connexio, & congruens ratio. Ex his patet, inania esse eorum fundamenta, qui Aristotelem cum Platone hac de re conciliare nituntur. Similiter rationes quibus ostendebatur in Cœlo Elementa & præsertim ignem reperiri, nullius sunt roboris: illæ enim solùm ostendunt, eminentia, Virtute, & similitudine elementa esse in Cœlo, adeò, vt quemadmodum Lumen Cœli vnitissimè, eminenter, & virtute est qualitates omnes, præsertim tamen calor; secundum formam verò nulla earum: ita Cœlum, cum immune sit à quatuor Elementis, est ea omnia eminenter sine pugna, sine distinctione, & sine imperfectione, ac præsertim ignis. *Alcinous Apuleius.*

## *An Cœli & Mortalium eadem sit materia.* *Cap. VII.*

OStenso Elementa quatuor, quæ communi materia connectuntur, in Cœlo non reperiri, occurrit non leuis dubitatio, an saltem Cœli materia sit eadem cum materia mortalium, adeò vt distinctio in sola propria forma, non autem in communi materia posita sit, vt etiam mortalia Elementa inter se distinguuntur. Et ne æquiuocatio nobis obsit, accipio quinque dari materiæ gradus: nam primò datur materia Logica, quæ est potentia non repugnantiæ ex parte obiecti. Secundo, datur materia artificialium, vt lignum scamni. Tertiò, materia Mathematica, quæ sunt continuum, & partes. Quartò, materia Metaphysica sumpta pro recessu à primo principio, & pro facultate intelligente aliud, per quod perficiatur: qui materiæ gradus ad rem non pertinent, & de eis non est quæstio. Quintò, datur materia Physica, quæ est subiectum formarum, quæ naturæ sunt, vel accidentium, & constituit Naturale corpus. De qua materia modò est dubitatio: & cum materia Physica adhuc sit duplex, vel subiectum accidentium, vel subiectum formæ substantialis, quæ natura sit, de hac secunda, quæ magis propriè est materia, vt dicitur in primo de Ortu & interitu, præsertim est dubitatio. Qua de re opiniones sunt tres: nonnulli enim affirmant, esse eandem; alij negant; nonnulli se modios constituunt. Pro cuius difficultatis resolutione, quatuor efficiam, primò referam potiora fundamenta pro parte asserentium esse eandem; Secundò, patefaciam ex sententia Aristotelis oppositum esse dicendum; Tertiò, considerabo qualis sit Cœli Materia; Postremò, dubia soluam. Aegydius, Auicenna, & alij nonnulli viri docti, existimarunt Cœli & mortalium eandem esse Materiam. Prima ratio elici potest ex mutua responsione agentis & patientis, cum enim potentia patiens, attinens ad materiam, respondeat ex aduerso potentiæ efficienti; & conditio primi agentis sit, vt vnicum sit; quare etiam prima materia, quę est primum patiens, debet iudicari vna. Secunda ratio elicitur ex vnitate operis, opus enim vnum exposcit vnicam primam Materiam; Mundus est opus vnum; quare prima eius Materia putanda est vna: nam quamuis materiæ *Quinq; gradus materia. De materia Cœli opiniones tres. Quod sit eadem. Ratio prima. Secunda.*

teriæ proximæ alicuius operis nonnunquam videantur plures, omnes tamen in vnam primam rediguntur. Et confirmatur, quia definitur vnum numero, quòd fit id, cuius materia est vna, vt patet ex quinto Metaphysicæ, contex. 12. Mundus autem vnus numero est. *Tertia.* Tertia ratio sumitur ex mutua connexione & consensione partium Mundi, cum enim Mundi partes mirum in modum sibi mutuò consentiunt, trahant se inuicem, vel repellant, ob quæ Natura denominatur maga, putandum videtur communi materia esse ligatas. *Quarta.* Quarta ratio elici potest ex forma: cum enim forma & materia sint ad aliquid; & alterius formæ altera sit materia, vt dicitur in secundo Physic. 26. *Quinta.* quia Mundi vna est forma, vnica etiam erit communis materia. Quintò elici possunt rationes ex materia & conditionibus eius: sententia est Aristotelis in primo Phys. 56. ad patiendum satis esse vnum, quare frustra statuerentur duæ primæ materiæ: & quia vnius primæ materiæ vna est contrarietas prima, ideò addit Philosophus in eodem contextu, si plures essent primæ materiæ, plures quoque essent contrarietates primæ, quod derelinquit tanquam conspicuè absurdum. Insuper conditio materiæ est vt ex se formam non habeat, sed apta sit recipere omnes; non autem reciperet omnes, nisi eas quoque Cœli reciperet. Nec satisfacit euasio, dicentium, formas Cœli esse æternas, & ob id materiam mortalium non esse aptam eas recipere: nam si id esset, neque etiam recipere posset Mentem hominis, quæ æterna est; & cum eam recipiat, inferendum est, etiam esse aptam recipere Mentes Cœlorum, cum sint eiusdem generis. Præterea, conditio materiæ est, vt sit postremum subiectum ex se non formatum, hoc solùm potest esse vnum: nam si duo essent, vel æquè distarent à primo principio, & ita non differrent, vel non æquè distarent, & ita alterum eorum non erit subiectum postremum, & non erit materia, sed habebit subiectum aliud posterius, quod solùm materia erit. *Alexāder.* Hinc Alexander in primo Natur. quæst. cap. 10. inquit, materiæ Cœli hanc *Sexta.* descriptionem competere, vt sit postremum subiectum ex se non formatum. Sexta ratio elici potest ex conditione causæ, nam ostenditur in secundo Metaphysicæ in omni genere causæ, ad vnam primam esse deueniendum; quare in genere materiæ non secùs ac in cæteris necessarium est ad vnam primam deuenire, alioquin non quatuor, sed quinque potiùs essent prima genera causarum, & dum Mundus definiretur, non per vnam, sed per duas materias deberet definiri. His accedit, quòd si id esset, Aristoteles in primo Physic. non assignasset principia communia omni corpori Physico, vt tenebatur assignare, cum solum de prima materia mortalium materia sit loquutus. Similiter in secundo libro non patefecisset omnem naturam, cum de sola materia mortalium dixerit esse Naturam, non de materia Cœli. Et maximè diminutus fuisset, cum in Naturali scientia nullibi de Materia Cœli, tanquam distincta, verba fecerit. *Ratio septima.* Septimò, elici possunt rationes ex attinentibus ad distinctionem. Nam si hæ materiæ sunt distinctæ, vel seipsis distinctæ sunt, vel per aliquod superadditum. Nō per superadditum, quia ita compositæ essent, & aliquid commune à superaddito distinctum includerent, quod solùm prima materia & postremum subiectum cōmune iudicari deberet. Non seipsis, quoniam ea sunt ex se distincta, per quæ cætera distinguuntur; at cætera non per materiam & potentiam, sed per formam distingui dicuntur, non itaque materiæ seipsis distinctæ sunt: nam inquit Aristoteles septimo Metaphysicæ 49. quòd actus *Octaua.* est, qui separat & distinguit. Octauò idipsum ostendi potest sumpta ratione ex accidentibus, quæ communia sunt vniuerso orbi, cum enim accidentis esse sit alteri inhærere, ea, quorum communia sunt accidentia, etiam prædita iudicari debent communi materia; Cœli & mortalium communia sunt accidentia, quod patet: quia motus diurnus qui dicitur motus totius, lumen, perspicuum, rarum, & densum, communia sunt Cœlo & mortalibus. Confirmatur: quoniam inquit Arist. in secundo de Ortu & in- *Rationes nō nullę Aegy dij.* teritu 37. quæ comparantur secundum molem & dimensiones, habere communem materiam; Cœlum & mortalia sunt huiusmodi, nam dicimus Solem maiorem Terra, Lunam minorem; quare communem includunt materiā. His addo rationes nonnullas ex

las ex Aegydio depromptas. Asseritur in primo Metaphysicæ 17. in fundamento Naturæ nil esse distinctum, omnis itaque distinctio est à forma, quare dempta forma, eadem remanebit Cœli & mortalium materia. Similiter inquit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu 5 t. esse genere eadem, & numero æqualia, principia Cœli & mortalium, quare vnicum eorum est materiæ genus. Præterea, vel materia Cœli est pura potentia, vel ne; si primum, ea non differet à materia mortalium; si non est pura potentia, vel erit actus, vel actum includet, & quodcunque asseratur, ex ea, & intelligentia non fiet ex se ynum, vel valde diminutè, solum enim ex potentia & actu per se, vnum fit, ex calce octaui Metaphysicæ. Ex Cœlo autem & intelligentia, maxime fit vnum, vt asseritur ab Auerroe in 3. comm. secundi de Cœlo. Demùm argumentatur Aegydius: Materia ab Arist. in primo Phys. dicitur Media, & ab Auer. in comm. 70. dicitur mediare inter ens actu, & nihil, quo præassumpto quæro, si datur materia distincta ab ea mortalium, vel mediat, vel ne; si mediat, erit eadem, nam medium est vnum; si non mediat, non erit materia; Insuper vel magis inclinatet ad nihil, vel ad ens actu, non ad nihil: quia si puta potentia magis recederet ab actu, absolutè laberetur in nihilum; non ad ens actu, quia ita cum ente actu permisceretur, & non esset simplex. Hæc sunt potiora fundamenta, quæ pro confirmanda hac sententia afferri posse videntur.

## *Materiam Cœli ab ea mortalium distingui.*
## *Cap. VIII.*

SATIS firmæ & efficaces apparuere rationes, quibus ostendebatur Cœli & mortalium eandem esse materiam; at longè efficaciores eas iudico, quibus oppositum ostenditur, quarum prima elici potest ex forma: *Materiam cœli non esse eandem.* Nam sententia Aristotelis est in secundo Physic. 26. alterius formæ alteram esse materiam. Quare formarum distincti generis, materiæ quo *Ratio prima.* que sunt distincti generis. Cœli & mortalium formæ distincti sunt generis, æternum enim & mortale genere distinguuntur, ex calce decimi Metaphys. igitur & materiæ. Quod confirmatur: quia extremum non nectitur cum altero extremo sine medijs: Intelligentiæ Cœli sunt formæ supremæ: materia mortalium est infima, quare sine medijs gradibus formarum necti non possunt; in Cœlo autem anima nutriēs, & sentiens minimè reperiuntur. Nec obest instantia de humana mente, quæ in mortali corpore *Diluitur instantia.* reperitur: quoniam humanæ mentis, & mentium Cęli distincta est ratio, humana enim Mens est infima, ideo necti debuit cum composito mortali, vt cuncta in orbem ligata essent; insuper humana Mens edit actiones mortales, ob quas eget Phantasia, & nectitur per cunctas intermedias alias formas, quæ non competunt mentibus Cœlorum. Secundò, id ostenditur rationibus validioribus ex conditionibus materiæ sumptis; *Secunda.* Materia mortalium est sui essentia potentia, ex primo Physic. 82. est origo transmutationis, & principium, per quod res possunt esse & nō esse, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu con. 51. in primo de Cœlo 136. in 9. Metaph. 17. quare nisi deserat & exuat suam naturam, & essentiam, non potest exuere potentiam: In Cœlo non reperitur transmutatio substantiæ, nec facultas, vt possit esse & non esse, cum ex se æternum sit, ex sententia Aristotelis; quare neque materia mortalium. Insuper conditio primæ *Tertia.* materiæ est, vt ordine aliquo recipiat formas, & non recipiat subsequentes sine antecedentibus, nec formas substantiæ, sine qualitatibus primis, quibus nudari non potest; Hinc Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, hunc statuit ordinem, inquiens: primò inueniri materiam; secundò qualitates siue contrarietates primas; tertiò, Elementa: hæc autem in Cœlo non seruari compertum est: quare in eo non reperitur materia mortalium. Præterea conditio huius materiæ est, vt antecedat, & prior sit origi- *Quarta.* ne quauis forma, à qua formatur, vt inquit Arist. in secundo de partibus Animalium, cap. 1.

cap.1.nam consideratur hic ordo, prima est materia, hanc comitatur effusio & distantia quædam, mox præcurrentibus dispositionibus educitur forma, quam sequitur terminata dimensio. In Cœlo autem longe secus se habet: prima enim est Mens Cœli, quam sequitur materia; tertiò, terminata dimensio; quartò, lux; quintò, latio, adeò, vt nil sit in Cœlo, quod non proximè ex sua intelligentia pendeat; essentia autem materię mortalium non dicitur proximè ex mente pendere; alia itaque est essentia huius & illius

*Quinta.* materiæ. Insuper conditio materiæ mortalium est, vt formam appetat, ex sui potentia educendam; à qua formetur, cum qua extendatur, & diuidatur; & vt potentia intima est materiæ, & materialis, ita forma, quam appetit, debet esse intima, & materialis; huiusmodi non sunt formæ Cœli; quare appetitus materiæ in eo redderetur inanis, non enim materia per naturam appetit formam assistentem, & ex ea non pendentem, sed educendam ex eius visceribus, tanquam prolem. Hinc dicitur formam appetere, vt fœmina marem, mas autem per semen formam educit ex potentia menstruorum & materiæ, cum itaque alia sit potentia materiæ Cœli & mortalium, varia quoque est

*Sexta.* earum essentia. Præterea, Materia mortalium ex primo Physic. est eadem numero cum priuatione, per quam continenter nouam formam, qua est priuata, dicitur expe-

*Ratio septima.* tere; in Cœlo nec priuatio, nec appetitus nouæ formæ locum habet. Præterea, conditio huius materiæ est, quòd vbicunque reperiatur, semper comites habeat contrarietates, per quas fit ortus & interitus, vt dicitur ab Arist. in lib. de Longit. & breuitate vitæ; contrarietates autem longè absunt à Cœlo: nam ait eo loci Philosophus, impossi-

*Octaua.* bile esse materiam habenti non conuenire contrarium. Insuper conditio materiæ mortalium est, vt sit causa conseruationis æternæ generationis, quatenus vnius interi-

*Nona.* tus est alterius ortus: hoc non competit materiæ Cœli. Demùm, affectio materiæ mortalium est, vt eam sequantur labor, imbecillitas, & senium, quæ cum dicantur euenire ex necessitate materiæ, non possunt ei non competere, cui hæc materia competit; quæ

*Decima.* tamen longè absunt à Cœlo. Alia ratio elici potest ex Methodo cognoscendi materiam, nam vel noscimus in Cœlo reperiri hanc materiam, vel ne; si non, perperàm asserimus esse eandem; si noscimus, contra transmutatio ea est, per quam materiam noscimus; sed in Cœlo transmutatio interna pendens ex hac materia non reperitur, sed sola latio; quare aliam materiā præter subiectum lationis non valemus colligere in Cę-

*Vndecima.* lo reperiri. Insuper noscitur materia mortalium per analogiam sumptam ex artificiosis, vt patet ex primo Physic. 69. quæ in Cœlo non seruatur, non enim inspicimus ibi reperiri subiectum potestate, ex quo ita producatur Cœlum, vt ex ligno scamnum, per transmutationem à generante prodeuntem; Hinc Plato putans materiam Cœli & mortalium esse eandem, etiam asseruit Cœlum esse solubile, sed Dei voluntate seruari æternum. Similiter existimauit id esse alterationi obnoxium, & propterea ne ab vllo

*Auctoritates.* lædi posset, dixit extra Cœlum nil fuisse derelictum, vt legitur in Timęo. Quod hactenus pateseci rationibus, etiam conspicuis auctoritatibus confirmo, Lucidissimè Philosophus suam sententiam patefecit in 8. lib. Metaphysicæ, cont. 12. & 12. lib. cont. 10. inquiens: vel in Cœlo non inuenire materiam, vel non talem, qualis est ea mortalium, sed solùm materiam pro subiecto lationis. Similiter in 3. de Cœlo 61. inquit: mortalium mortalia, æternorum æterna esse principia, nam materia mortalium saltem ex accidenti interit & fit, ac insuper nisi prima, saltem proxima materia mortalium variatur. In primo de Cœlo, contex. 21. inquit Philosophus, Cœlum non posse crescere, quia non habet materiam, ex qua genitum sit; at si mortalium materia esset eadem, falsum Philosophus enunciasset. Insuper argumentatur Philosophus in primo de Cœlo cont. 103. aduersus Platonem, dicentem, Cœlum genitum & seruari æternum, Vel materia, ex qua genitus est Mundus, ante Mundi ortum poterat secus se habere, vel ne; si non poterat, non fuisset ex ea genitus Mundus; si poterat, igitur & nunc, cum ex ea constet, poterit interire, & iterum gigni; Quæ ratio vt contra Platonem, ita contra Aristotelem vim haberet, si eandem Cęli & mortalium iudicasset materiam. Hæc enim

materia

materia talis est, vt per eam compositum possit esse, & non esse. Prætereà, sententia est Aristotelis in primo de Cœlo 136. in secundo de Ortu & Interitu 51. in nono Metaphysicæ 17. omnia includentia materiam, quandoque esse, quandoque non; nam talium potentia est contradictionis, & materia est causa, vt ea sint, & non sint; & in decimo Metaphysicæ addit nil ex accidenti interire, sed omne corruptibile necessariò corrumpi; corruptibile autem dicitur, quod materiam sublunarium includit. Præterea, conspicua est sententia Aristotelis in primo de Ortu & Interitu 43. dicentis, ea quibus competit facere & pati, necessariò vnam habere subiectam naturam. omnia autem talia esse dicere, non est verum, sed ea, quibus mutua actio & transmutatio competit. Cum itaque Cœlo mutua actio & transmutatio non competat; etiam non competet communis materia. Similiter in eodem primo de Ortu & Interitu 53. legitur, quæ non habent communem materiam, efficiunt, at non patiuntur, indicando, quòd cum Cœlo mortalium materia non competat, agit in hæc mortalia, & non repatitur. Demùm, inquit Aristoteles decimo Metaphysicæ, contex. 12: Ea differunt genere, quorum non est communis materia, nec generatio adinuicem, & in cont. 26. legitur, æterna & mortalia differre genere. Ex his hæc ratio elicitur: quæcunque differunt genere & inuicem non permutantur, non habent communem materiam: Cœli & mortalia differunt genere, nec inuicem permutantur: quare carent communi materia. Hinc materia mortalium in primo Physicorum 82. & in secundo Physicorum, definitur per esse principium ortus & interitus.

## *Reyciuntur solutiones nonnullæ, & consideratur sententia eorum, qui se medios constituerunt. Cap. IX.*

SATIS conspicuè apparuisse censeo, materiam Cœli ab ea mortalium distinctam esse, quod etiam vt exactiùs appareat, perpendamus, an formatæ rationes dilui possint? Duæ sunt viæ, per quas qui alterius sunt sententiæ, vim rationum vitare, inanemque reddere nituntur: Vna est Platonis in Timæo, asserentis, quòd quamuis Cœlum sit solubile, & passioni obnoxium, tamen voluntate Dei seruatur & æternum, & non læditur nec patitur, quia nil habet extra, à quo lædi & permutari possit. Quæ euasio leuissima videtur: quia si Cœlum est solubile, quomodo nos scire valemus voluntatem Dei esse hàc, vt insolubile conseruetur? non enim valemus futura non necessaria prænoscere. Præterea, hoc indicat imperitiam agentis, efficere opus vnius conditionis, quòd mox futurum sit alterius; & ea dicitur Prouidentia sequens, emendans errata, & insipientis, non antecedens. Hinc rectius Aristoteles in primo de Cœlo prouidentiam antecedentem in Mundi constitutione patefaciens dixit: rectè Naturam futurum ingenitum & incorruptibile liberasse à contrarijs, inter quæ generatio versatur. His accedit, quòd (vt demonstrauit Aristoteles in primo de Cœlo.) omne corruptibile necessariò corrumpitur. Asserere autem quòd non læditur, quia nil habet extra se, hoc quoq; nullius roboris est: nam nisi læderetur ab externis, lædi posset ab internis, si intra se sibi contraria includeret, & ei læsio competeret per partes, vt mortalia secundum partes permutari inspicimus. Propterea, Aegydius & alij nonnulli, alia ratione & via putant vitari posse vim relatarum rationum, inquiunt enim; Vniuersam varietatem apparentem inter Cœli & mortalium materiam, ortum ducere ex forma, cum enim formarum genus sit duplex: vnum, quod solùm obtinet rationem & conditionem partium, quale est genus formarum sublunarium; aliud verò, quod obtinet rationem totius, & conditionem ac facultatem communis, quale est genus formarũ Cœli, quod eminentia quadam includit vniuersam perfectionem mortalium: formæ primi generis non explent vniuersam appetitionem, nec complent vniuersam potentiam materiæ, cum inclu-

*Modus vnus solutionis.*

*Euersio.*

*Modus alter soluendi.*

includant conditionem partium, & adnexam habeant priuationem: at formæ secundi generis, explent vniuersam appetitionem, & in actum redigunt vniuersam potentiam, ac ob id liberant Cœlum à contrario, ab alteratione, & quauis interna permutatione, adeò vt si ea materia dicatur distincta, vniuersam distinctionem putandum est ex forma prodire, qua dempta, eadem remanet materia Cœli & mortalium. *Euersio.* Hæc euasio re vera inanis, & nullius roboris est. Primò, quia solus Deus in vniuerso obtinet rationem totius, cætera omnia præter Deum, seruant conditionem partis, cum non includant vniuersam perfectionem, hinc saltem orbes inferiores possent expetere formam superiorum, quæ perfectior est. Præterea, forma præstantior non aufert à materia appetitum imperfectioris, vt forma hominis præstantissima & eiusdem generis cum formis Cœlorum, non aufert à materia appetitum formæ vermium. Præterea, dum aliquid vni competit per propriam conditionem & naturam, per nullum externum ab eo sine contradictione remoueri potest; potentia competit materiæ secũdum propriam conditionem & naturam, vt dicitur in primo Phys. 82. quare per nil externum ab ea remoueri potest, & cui competit potentia competit priuatio & contrarium. Similiter, quod est in definitione alicuius, neque etiam imaginatione, eo superstite, sine controuersia ab eo remoueri potest; potentia, origo permutationis, & similia, includuntur in definitione materiæ; quare vbi adest materia, adest potentia, contrarietas, & interitus, vt enunciauit Aristoteles in lib. de longit. & breuit. vitæ. His accedit, quòd forma adueniens materiæ non destruit, sed seruat conditiones eius. Demùm, consideranti verba Aristotelis conspicuum redditur, quòd ipse absolutè & sui natura affirmat materiam Cœli distinctam, cum dicat Cœlo & mortalibus non esse communem materiam; & asserat Cœlo vel non competere materiã, vel non talem, qualis est ea mortalium. *Opinio media.* Propterea, nonnulli medios quodam modo se constituerunt, & id duplici via, & ratione. Quidam enim confessi sunt Aristotelem existimasse materiam Cœli distinctam ab eã mortalium, ipsi tamen alteri parti adhæserunt, veluti Philoponus in disp. contra Proclum. Similiter Scotus in secundo Sentent. 14. qui ex opinione Aristotelis asserit esse distinctam, absolutè tamen & tanquam Theologus affirmat eandem; sed hæ sententiæ mihi non aduersantur: nam quæro, quid absolutè nobis ostendat ratio, & præsertim per Principia Aristotelis; Quòd autem cœli materia, vel eadem vel distincta sit, ad articulos fidei non pertinet. Propterea, alij dixerunt materias has dupliciter considerari posse, vel consideratione Metaphysica, vel Physica. consideratione Metaphysica, hoc est, per communia & absoluta prædicata, esse easdem: consideratione Physica esse distinctas. *Euersio.* Quæ sententia etiam non est approbanda; Primò, quia considerationes rerum non mutant earum Naturas. Secundò, quia Aristoteles etiam in Metaphysica dixit distingui, vt patet ex octauo Metaphysicæ, contex. 12. & ex 12. Metaph. contex. decimo. Tertiò, quia si communia prædicata consideremus, ea sunt non vniuoca, sed ab vno, & propterea non vnam & eandem naturam denotant, sed in singulis variam, quæ prædicata si consideramus, etiam Deus erit idem cum materia, quia ambo entia & substantiæ sunt. *Sententia propria.* Quare colligentes, dicamus, materiam cœli & mortalium non esse vnam numero per formam, quia ex se formam non includunt. Non per priuationem, adeò vt sint priuatæ distinctione, quia ea Cœli priuationis est expers: Non per negationem, adeò vt non distinctæ sint, re vera enim sua essentia variæ & distinctæ sunt, solùm est eadem secundum quandam analogiam, quatenus vt materia mortalium includit facultatem ad recipiendam formam, ita materia Cœli ad lationem, cui subijcitur; Insuper est eadem quadam vnitate ab vno, non ita tamen, vt vna sit causa, quòd altera sit materia. Et si quæratur, quæ earum ordine ab vno sit prima, dicendum: quod si consideramus dignitatem, ea Cœli est prima; si verò proprietatem, prima est hæc mortalium, ea enim magis propriè est materia, cum magis sit potestate, & magis subijciatur transmutationi & formæ.

Quid

## *Quid sit materia Cœli, & an ei competaat Potentia.* Cap. X.

APPARVIT materiam Cœli esse distinctam à materia mortalium: at superest considerandum, quid nam ea materia sit, quomodo distinguatur à materia mortalium, & num ei competat potētia, nec ne? Quod ad primum pertinet, dixere nonnulli materiam Cœlo esse puram dimēsionem substantialem, subiectam motui. Quæ sententia non videtur approbāda, quoniam vt inquit Arist. in 7. Metaph. cont. 8. longitudo, latitudo, & profunditas, quantitates sunt, non autem substantiæ. Et quamuis Auer. in quarta disp. cōtra Algaz. in solut. secundi dubij dicat, quòd materia Cœli est corporeitas, quam actu habet; ipse tamen per corporeitatem actu denotauit substantiam simplicem, corpoream, & terminatam, quæ subiectum esset motus; Quam sententiam etiam repetit Auer. in calce cap. de substātia Orbis, & addit: Et est, sicut inquit Themistius, quòd Sol, Luna, & aliæ stellæ, aut sunt formæ, idest dimensiones, non in materia, idest corpora spiritualia, aut habent materiam æquiuocè dictam de ea, & materia mortalium. Iamblichus in lib. de mysterijs Aegyptiorum inquit: non fit in Cœlo compositio ex anima & corpore in tertiam naturam vnam, sed prorsus ad naturam animæ trahitur, atque est quasi visibilis quædam anima: & fortè Cœlum est lumen ipsum sine materia, & sine dimensione, dimensio enim ibi propter amplam præsentiam apparet: vnde Cœlum est anima Cœli seipsum aptans oculis, & rebus caducis; & circulus ille est circuitus animæ; lumen est intellectus eiusdem: & sicut in infimo corporū forma fit naturalis, ita in supremo materia fit formalis, & corpus animale, non autem anima fit corporea, si qua modo est in Cœlo materia. Hæc Iamblichus. In cuius sententiam videtur etiam Auer. modo aliquo inclinare, nam in primo cap. de substantia Orbis inquit: Natura igitur istius corporis non est nisi Natura animæ mouentis secundum locum, & est appetens per se, non per potentiam existentem in eo diuisibilem, & ob id in cap. 4. ait, Cœleste corpus intelligere intelligentiam, quod etiam affirmat in 2. de Cœlo comm. 3. & in tertio de Anima comm. 14. & alibi, hi namque viri sapientes, considerantes non formam vllo pacto pendere in Cœlo ex materia, sed contra Cęlum & omne, quod ei competit, pendere ex forma, ideò asseruerunt cuncta recipere & seruare conditionem formæ, hinc in 4. disp. in solut. secundi dubij inquit Auer. Nulla est dissensio apud Peripateticos, quod corpora Cęlestia careant potentia subiecta, ideò non est necesse, vt habeant materiam, veluti habent mortalia. Propterea dixit Themistius, quod aut sunt formæ; aut sunt materiæ dictæ cum nostra materia æquiuocè; aut sunt materiæ viuæ ex se, non per aliquam aliam vitam, &c. Hæc & similia viri docti de materia & essentia Cœli protulerunt; cum enim Cœlum valde à nobis distet; cum competentia mortalibus eminenter includat; & demùm cum in eo non sine varietate nonnulla corū inspiciantur, quæ mortalibus competunt, mirum non est si varia ei tribuuntur, quæ apud nos inuicem pugnant; & modò illa ei tribuuntur, modò verò ab eo remouentur; cum ei partim competant, partim non. Absolutè tamen dicere valemus, materiam & essentiam Cœli esse substantiam corpoream simplicem, actu per negationem, quatenus forma formante non eget, vt actu sit, & motui subijciatur; figura orbiculari circumscriptam; aptam sui natura continenter moueri in orbem à separato motore: Ex quo elicitur solutio eius difficultatis, an Cęlo competat materia, vel ne? Nam Themistius, Auerroes, & alij viri docti, modò vnum, modò alterum Cęlo tribuere videntur, & iure profectò: nam in Cęlo & non reperitur, & reperitur materia; non reperitur; quia in eo non est materia mortalium, subiectum internæ transmutationis, quę propriè materia dicitur; in eo tamen est materia secundum quandam analogiam, nam si refertur ad intelligentiam, non dicitur eius materia, sed Locus: ita Aristoteles in primo de Cęlo 22. & in 8. Physic. 84. Cœlum dicit locum Dei; Si refertur ad dimensiones sibi

*Quid sit materia Cœli.* *Opinio prima.* *Euersio.* *Auerroes.* *Iāblichus.* *Auerroes.* *Circumscriptio materia Cœli.* *An Cęlo cōpetat materia.*

coęuas, ad lumen, & præsertim ad motum, ei competit materia sumpta latè pro subiecto, hinc Aristoteles in 8. Metaph. 12. asseruit vel Cœlo nō competere materiam, vel solùm ad vbi. Similiter Alexander in primo Natur. quæst. cap. 10. ait, Cœlo & conuenire & non conuenire materiam. Ex quo elicio duo; Primum est, quòd perperàm Aegydius in sua quæst. de materia Cœli, damnat Auerroem negantem in Cœlo esse materiam, nam Auerroes eam concessit vt concedenda fuit, quemadmodum patet ex innumeris locis, negauit autem à Cœlo materiam mortalium; Alterum quod elicitur est, rectiùs nos loqui, dicendo Cœlo non competere, quàm asserendo ei competere materiam. Ratio est: quia vox absolutè prolata, intelligi debet in prima, & potiore significatione, vt elicitur ex primo Physic. 74. Hinc Auerroes modò essentiam Cœli nuncupat actum & formam, modò materiam, modò potiùs subiectum, quàm materiam, quæ omnia distincta consideratione vera sunt. Et in secundo de Cœlo 22. inquit, esse Elementorum est propinquius conditioni materiæ, quàm formæ; corpus verò Cœli è contrario est propinquius conditioni formæ. In secundo cap. de substantia Orbis ait: rectiùs dici subiectum, quàm materiam, & iure, non enim in Cœlo materia est, sed ipsummet Cœlum est subiectum motus, & materia per metaphoram, quæ cum sit actu, est particeps conditionis formæ.

*Arist.* *Alexander.* *Aduersus Aegydium*

## *An Cœlo competat potentia?* Cap. XI.

*An Cęlo cōpetat potentia.* *Auer.* *D. Tho.* *Resolutio.*

QVONIAM, materiam necessariò comitatur potentia; ideò vt de materia Cœli, ita de potentia non leuis est altercatio. Auerroes frequenter negat Cœlo potentiam competere, & ait propinquius esse conditioni formæ, quàm materiæ. Similiter Aristoteles 9. Metaph. cont. 17. inquit, nil includens potentiam est æternum. Insuper inquit Auer. 9. Metaph. comm. 2. in simplici non reperiri potentiam, & omne includens potentiam esse compositum. Fundamentum huius sententiæ conspicuum est, cum enim in Cœlo propriè sumpta materia non reperiatur, & ea sit origo potentiæ propriè sumptę, iure colligendum est Cœlum ab huiusmodi potentia esse immune. Ex aduerso qui Cœlo putant eandem materiam competere, ei quoq; potentiam conuenire affirmant, veluti Aegydius, Auic. & Philoponus. Hinc D. Thomas in primo de Cœlo, expones contex. 20. inuehitur in Auerroem remouentem à Cœlo potentiam, & præsertim quia videtur aduersari Aristoteli, qui in calce primi de Cœlo, tribuit Cœlo potentiam ad esse semper. Præterea, Cœlum vel est purus actus, vel puta potentia, vel compositū includens potentiam; non est simplex actus, quia esset forma; non simplex potentia, quia nō ageret in hæc mortalia; quare constat ex potentia & actu. Demùm conditio materiæ est potentia; & distinctæ materiæ distinguuntur per potentias ad varias formas: quare si materia Cœli differt ab ea mortalium, includit potentiam ad formas varias, & ob id potentiam includit. Præterea, ex Aristotele in lib. de interpretatione, omne, quod est, potest esse, nam potentia etiam de necessario dicitur: Cœlum est: quare habet potentiam vt sit. Quod demùm confirmatur ex ipsomet Auerroe in cap. de substantia Orbis, dicente, Cœlum ne dum egere virtute mouente, verùm etiam conseruante, non autem ea egeret, nisi includeret potentiam ad esse, nam omne pendens ex alio, quatenus pendet, ex se non est, sed solùm habet facultatem, vt sit. Pro resolutione pręsentis difficultatis pręcipio, potentiam esse duplicem, vnam iunctam cum actu, alteram seiunctam. distinctio est Aristotelis in secundo de Interpretatione dicentis, potentiam dici de vtrisque, & esse communiorem necessario, adeò vt valeat hęc consequutio: necesse est esse, igitur contingit esse, & possibile est esse. Accipio secundò, potentiam omnem habere obiectum aliquod, ad quod referatur; quę obiecta vt sunt varia, ita varij sunt gradus potentię. Vnum obiectum est esse, hinc oritur potentia ad esse in rerum natura, ad quam pertinet etiam potentia non repugnantiæ. Aliud est conseruatio, de

qua

qua dicimus, incorruptibile posse esse semper, ex Aristotele in calce primi de Cœlo. Tertium est esse per formam, de quo dicimus, lignum esse potentia ignem. Quartum est viuere. Quintum moueri, vel fieri quale. His præassumptis, dum quæritur an Cœlo competat potentia? Respondeo, competere, & non competere; cum enim interrogatio sit multiplex, etiam danda est multiplex responsio, & decurrendo per relatos quinque gradus. Primò dico, Cœlo non competere potentiam ad esse, seiunctam ab actu, quia ex sententia Aristotelis, semper actu fuit, competere autem potentiam iunctam cum actu, quia si est, etiam potest esse, competit enim huiusmodi potentia omni enti, & non enti, cui non repugnet esse, hæc tamen est differentia, quia dum dicitur de Deo, necesse est esse, ergo potest esse, illud posse solùm excludat repugnantiam, in cæteris autem includat dependentiam. Si loquimur de potentia respiciente conseruationem, similiter dico hanc potentiam competere cunctis, quæ sunt, cuncta enim habent potentiam vt aliquandiu, vel semper seruentur, quod in primo de Cœlo dicitur æuum eorum, per quam potentiam Aristotelis in calce primi de Cœlo definiuit genitum, ingenitum, corruptibile, & incorruptibile; hæc potentia competit Deo pro non repugnantia, vt ex se sit semper: Cœlo autem, vt seruetur, & sit semper cum successione quadam motus: mortalibus, vt seruentur & sint aliquandiu. Si loquamur de tertia potentia ad esse formatum, & esse actu per formam; sic ex sententia asserentium in Cœlo materiam esse eandem, & formari per aliquam formam, in Cœlo erit potentia ad formam, iuncta tamen cum actu, nam vt Theologi de angelis & dæmonibus dicunt, esse præditos libero arbitrio, adeò vt in primo instanti creationis valuerint peccare, & non peccare, tamen cui parti primò adhæserunt, semper immobiliter hærent, ita considerando materiam Cœli in prima notione ea potest recipere & non recipere eam formam, cùm tamen eam receperit, ob formæ conditionem, semper eam seruat, & non potest eam deserere: At ex sententia asserentium Cœli materiam esse distinctam, secùs se habet, ea enim non eget forma aliqua formante, & constituente corpus actu per formam, cum ex se & sui conditione sit actu, & de hac potentia est lis, quam iure Auerroes reiecit à Cœlo, & perperàm à D. Thoma carpitur, nam hæc est potentia, quæ est comes materiæ primæ, per quam compositum potest esse & non esse, quam à Cœlo remouit Aristoteles nono Metaphysicæ, contextu decimoseptimo. Si demùm loquimur de potentia ad uitam vel ad motum, hæc iuncta cum actu, semper competit Cœlo, vt distinctiùs patebit, dum loquar de vita Cœli, Aristoteles octauo Metaphysicæ, contextu duodecimo, Cœlo concessit potentiam ad motum. Ex his facilè eliciuntur solutiones aduersarum rationum: Nam rationes remouentes à Cœlo potentiam, vim habent de potentia materiæ, per quam res possunt esse & non esse. Et dum dicitur in simplici non esse potentiam. Respondeo, id esse verum de simplici per se subsistente. Ratio est, quia potentia, per quam res possunt esse & non esse, ordinata est ad compositionem: insuper in simplici non reperitur potentia, vt sit & non sit, sed in eo potest reperiri potentia, per quam compositum & pendentia ex eo sint, & non sint, vt se habet de prima materia. Rationes etiam per D. Thomam relatæ diluuntur: afferebatur primò sententia Aristotelis tribuentis incorruptibili potentiam ad esse semper: at iam dixi, hanc esse potentiam ad seruari, cunctis, quæ sunt, competentem. Dicebatur secundò, Cœlum vel esse purum actum, &c. respondeo Cœlum vt viuens & mobile, esse compositum, & includere potentiam, etiam ab Auer. concessam, sed vt sit, corpus actu, non esse compositum, sed esse actum per negationem, quatenus vt ita sit, non eget forma, non autem esse actum formalem, ita per iam dicta patet solutio cæterorum.

*Auer. perperam carpitur.*

*Solutiones aduersarũ rationum.*

## *Diluuntur rationes putantium materiam Cœli & mortalium esse eandem. Cap. XII.*

*Solutio primæ rationis* QVEMADMODVM præsentia lucis tenebricosæ nubes dissoluuntur, ita patefacta veritate, rationes aduersæ facilè diluuntur. Ratio prima sumebatur ex vnitate primi agentis, quæ simul in aduersarios reflectitur, & dissoluitur. Primum agens absolutè vnum est, cui vnus respondet Mundus; primus motor absolutè vnus est, cui vnum respondet primum mobile, & motus vnus, qui totius nuncupatur; primum similiter alterans est vnum nempè Cœlum, cui vnum alterabile, & vna materia alterabilium respondet, quæ est materia mortalium: demùm, vt agentia sunt subordinata, ita patientia. *Secunda.* Secunda ratio sumebatur ex vnitate operis, quæ similiter reflectitur & soluitur, nam vt opus est vnum, ita eius materia; opus est vnum subordinatione, & Mundus est vnus vnitate ordinis simplicium corporum, illum componentium; quare similiter materia debet esse vna non vniuocè, sed subordinatione. *Tertia.* Tertia ratio sumebatur ex consensione partium Mundi, quæ etiam soluitur & reflectitur, qualis enim est consensio partium Mundi, talis debet esse materia; at Cœli non commouentur per affectiones mortalium: ideò non eandem habent materiam; mortalia commouentur per Cęlestia, quia ab eis seruantur, ex eisque pendent, compatiuntur autem adinuicem & agendo repatiuntur sola mortalia, & propterea ea sola habent materiam communem. *Quarta.* Quarta ratio sumebatur a forma, quæ soluitur & reflectitur, nam vt forma est vna, ita materia; forma est ordo & in ordine est vnitas; quare similiter materia ordine aliquo debet esse vna. *Quinta.* Quinta ratio sumebatur ex materia, nam ad patiendum satis est vnum, & id formas omnes est aptum recipere. Soluitur & reflectitur, quia ea habent communem materiam, quibus competit interna passio & permutatio per ortum & interitum; hæc Cęlo non competit, sed solis mortalibus: ideo solum mortalia habent id commune subiectum, non Cœli. Instantia de humana mente soluta est in præcedentibus. *Sexta.* Sexta ratio eliciebatur ex conditione generum causarum, in omni genere est necesse ad vnum primum deuenire. Soluitur & reflectitur, quia vt genus causæ est vnum, ita ad vnum est necesse deuenire: at genera causarum singula sunt vnum non vniuocè, sed vnitate ab vno; ita in eis est deueniendum ad vnum vnitate ab vno, & ordine aliquo; quòd autem sit primum ab vno in genere materiæ, iam patefeci; & hæc varietas & subordinatio conducit pro Mundi perfectione, vt superiora & continentia se habeant ad contenta tanquam formæ, & perfectiones eorum, Mundus autem definitur per materiam proximam ordine vnam, dum dicitur quod est series simplicium corporum. Addebatur quòd tunc Aristoteles in primo Physicorum non assignasset communia principia. Reflectitur: quia assignauit principia mortalium, quibus propriè competunt; & ea assignans iudicauit se assignasse principia omnium, quatenus sunt eadem genere ab vno, hinc in duodecimo Metaphysicæ, manifestauit ea esse communia communitate ab vno, vel secundum analogiam, vt rectè etiam dixit Auer. ex sententia Alexandri in eodem duodecimo Metaphysicæ, comm. 29. at de hoc alibi latiùs. *Ratio septima.* Septima ratio sumebatur ex attinentibus ad distinctionem, quæ reflectitur & soluitur. Nam ea, quæ distinguuntur seipsis & per aliud, verè iudicantur distincta; materia Cœli & mortalium ita se habent, quod ostenditur: quia vel considerantur absolutè & in prima notione, vel in secunda notione & cum relatione ad aliud: si referuntur ad aliud, quia referuntur ad formas distincti generis, ideo per eas distinguuntur, & tanquam per superadditum differunt; at si considerantur prima notione, non ampliùs differunt, sed seipsis distinguuntur; aliud enim est differre, & esse varium, vt asseritur ab Aristo. in decimo Metaphysicæ, contex. 16. At instabatur, quia tunc distinctio etiam sumeretur a materia,

à materia. Respōdeo id concedendo, vt conceditur ab Arist. in primo de Ortu & Interitu, contex. 25. primò tamen & præsertim a forma petitur, hinc dicimus Cœlum distingui à mortalibus, primò per formam, secundò per materiam. Octaua ratio, eliciebatur ex accidentibus communibus Cœlo & mortalibus, quæ cum reflexione soluitur, vt enim communia sunt accidentia, virisque competentia, ita vna est materia, ea sunt communia non vniuocè, sed vnitate ab vno, nam lux non vniuocè dicitur de ea Cœli & lucentium mortalium, lumen autem Cœli solum spiritaliter defertur per mortalia perspicua. Similiter perspicuum competens Cœlo & mortalibus vniuocum non est; motus diurnus, qui dicitur motus totius, non in prima materia, sed in simplicibus corporibus recipitur, & in eis non eodem modo, vt in Cœlo. Afferebatur sententia Aristotelis in secundo de Ortu & Interitu 37 dicentis, quæ comparantur secundum quantum, habere communem materiam. Soluitur per duo fundamenta; Vnum est, quod Cœli & mortalium comparatio in lumine non vniuocum, sed commune ab vno: non enim quantitas vniuocè dicitur de ea Cœli & mortalium, vt in progressu patebit; Alterum est, quia ea Aristotelis est ratio ad hominem, nam dixerat Empedocles, Elementa esse æqualia, inquit Aristoteles, Elemēta solum posse dici æqualia, quatenus si inuicem permutarentur, ex terra tota tantum aquæ consurgeret, quanta modo est aqua: Similiter de cæteris; at hunc in modum Cœlum non comparatur cum igne, vel alijs Elementis, quia non est aptum in ea mutari; hinc elicitur reflexio rationis, quæ habēt communem materiam, comparantur secundum quantum, consurgens ex mutua permutatione, Cœli & mortalia non ita comparari possunt. quare non habent communem materiam. Instantiæ, ex Aegydio depromptæ, leues sunt, dicebatur in fundamento naturæ nil esse distinctum. Respondeo eam sententiam ad rem non facere, nam loquitur Philosophus aduersus Anaxagoram, & sermo est de Chao ab eo posito, de quo ait, quod nil in eo erat discretum, & nil vere dici poterat de eius substantia, veluti quod sit alba, vel nigra, &c. nos autem dicimus in fundamento naturæ, nil esse distinctum secundum formam. Addebatur, sententia Aristotelis in secundo de Gener. 51. dicentis, sunt numero æqualia, & genere eadem principia æternorum & mortalium, ait esse genere eadem: at responsio elicitur ex verbis Philosophi proximè sequentibus, cum dicat, hoc quidem vt materia, id autem vt forma, inquiens vt materia, indicat quod est eiusdem generis ab vno, vel secundum analogiam, non autem vniuocè. Instabatur adhuc, quia si esset materia actu, ex ea cum Intelligentia non fieret maximè vnum. Respondeo ex orbe & intelligentia non fieri maximè vnum secundum viuere & moueri, pendens ex materia, & forma, damus esse: sed fieri maximè vnum secundum viuere & moueri semper ad quæ est potestati; insuper fieri maximè vnum, tum quia indiuisibiliter & sine extensione, in orbe est motor; tum quia nil in eo est, quod non pendeat ex Intelligentia; tum quia ea connexio est libera à contrarietate; tum denium quia est cum æternitate, sic itaque materia Cœli & actu est per negationem, & etiam includit potentiam ad viuere & moueri, & propterea vt in actibus, ita in potentijs considerantur distincti gradus, per quos inuicem seipsis distinguuntur, vt rectè dixit Auerroes in cap. de substantia Orbis. Addebatur postremò materiam dici mediam, & quærebatur num materia Cœli mediet, vel ne? Respondeo eam mediare: at non eodem modo, nam mediat inter non esse penitùs, & esse actu per formam; & magis inclinat ad ens actu per formam, quam inclinet materia mortalium, quatenus includit conditionē quādam ei similem, cum sit materia & corpus actu sine forma, & hoc non ei competit per mixtionem cum forma, sed per simplicem suam conditionem, sine vlla mixtione.

*Octaua.*

*Diluuntur rationes. Aegydii.*

## *De Materia orbium & Stellarum inuicem comparatarum.* Cap. XIII.

*Num materia omnium cœlorum sit eadem.*

CONSPICVE satis refulsisse puto, materiam Cæli ab ea mortalium esse distinctam; at considerandum modo occurrit, quomodo materiæ variorum orbium inuicem comparatæ, necnõ materiæ stellarum comparatæ cum materia orbium, inuicem se habeant, num scilicet vniuersa cœlorum & stellarum materia consimilis penitus sit & eiusdem essentiæ, vel prædita sit aliqua varietate? quæ consideratio quamuis sit de Cœlo ex se summè conspicuo, nobis tamen valde est obscura & dubia. Nam ex vna parte asserere

*Quod sint distinctæ.*

materiam illam esse consimilem, videtur absurdum; cum enim alterius formæ altera sit materia, & intelligentiæ Cœlorum sint [illegible] specici, & subordinatæ; etiam materiæ videntur debere esse distincta; & præsertim quia nil est in Cœlo, quod non pendeat ex Intelligentia; quare cum intelligentiæ sint distinctæ etiam pendentia ex illis iudicanda sunt distincta. Ex aduerso, quomodo sint distinctæ, difficile est cognoscere; nam si di-

*Quod non.*

stinctæ sunt, plurima in Cœlo repeterentur materiæ, non autem vna vt mortalium; [illegible] per tunc Cœlum non erit vnum simplex corpus, nec vna quinta essentia, sed [illegible].

*Solutio.*

Cui difficultati respondens, dico essentiam & materiam Cœli esse eandem, & variam: est eadem communi quodam genere ab vno, consimiliore tamen, quam dum dicitur de materia Cœli, & mortalium; est varia vniuocè & propriè, hoc elicitur ex duplici

*Cõfirmatio.*

ratione iam relata, & confirmatur per Aristotelem in primo Meteororum, cap. 3. dicentem, Quod enim est sursum & vsq; ad Lunam, dicimus esse corpus alterum, & ab igne, & aere quin immo & in ipso hoc quidem purius esse, id autem minus sincerum, & differentias habere, & præsertim qua desinit ad aerem, & ad eum, qui circa Mundum, &c. conspicuè Philosophus in Cœlo varietatem concedit, quam præsertim ait competere orbi Lunę, cum sit imperfectissimus omnium, & propterea Pythagoras Lu-

*Duplex varietas.*

nam dicebat esse Cœlestem Terram. Sed cum varietas sit duplex, vna prodiens ex mixtione cum contrario, altera sine mixtione, & solùm per recessum ab aliquo primo per definitos gradus; primum varietatis genus non competit Cœlo, cum in eo nec contrarium, nec mixtio locum habeat: Alterum verò Cœlo non repugnat, & in eo locum habet, vt rectè asseruit Alexander in primo Meteororum, explicans relata Philosophi verba. Hinc Simplicius secundo de Cœlo comm. 9. dixit, eadem erraticæ & non erraticæ sphæræ materia est, sed secundum aliquam diuinam dispositionem & ordinem, assignare differentiam non facile est. At cum materia vnius orbis distinguatur per gradus dignitatis ab ea alterius orbis; dubium remanet de materia eiusdem orbis, an omninò sit consimilis, nam cum vnam & consimilem sequatur intelligentiam, videtur iudicanda consimilis; ex aduerso ostenditur dissimilis, quoniam in parte aliqua est densior, in parte rarior, & [illegible] dicitur dẽsior pars orbis. Quo præassumpto, quæro, si materia est penitus con[illegible], vel secundum propriam naturam exposcit densitatem stellæ, vel raritatem orbis; [illegible] densitatem stellæ, igitur altera pars præter naturam erit disposita: Similiter si exposcit raritatem orbis, densitas stellæ ei competet præter naturam, in Cœlo autem dispositio præter naturam non conceditur, cum nil præter naturam sit æternum: id ipsum quoque dici potest de eodem orbe, & de corpore Lunæ, cuius pars quædam densior, quædam rarior esse dicitur, & hoc præsertim mihi difficultatem affert, quod ex sola partis orbis condensatione, parùm lucidæ, consurgat Stellæ corpus ex se apprimè lucens.

*Solutio.*

His itaque, & consimilibus rationibus suasus, puto ego, quod quemadmodum in singulis Elementis, & præsertim in Terra reperitur varietas quarumdampartium, prodiens ex permixtione cum contrario, ita in singulis Cœli orbibus, & præsertim in Luna, vicem gerente Terræ, per eminentiam quandam varietas sine permixtione

mixtione vlla locum habeat, vt per verba relata indicauit Philosophus, hinc etiam differentiæ positionis varietatem exposcentes, in Cœlo considerantur. Neque ob id euertitur simplicitas cœli, sed seruatur simplex cum aliqua partium varietate. Ratio autem aduersa facilè diluitur: nam dicebatur orbem pendere ex vna simplici Intelligentia. Respondeo, ex communibus causis, & ex Intelligentijs pendere ea, quæ pendent cum dispositionibus, conditionibus, & affectionibus, perfectioni totius vniuersi conducentibus; nam pendent orbes ex Intelligentijs primò in genere finis, parati enim sunt, vt inseruiant intelligentiæ, ideò debent illis partibus esse præditi, per quas intelligentiæ operari debent, & suas vires effundere; secundò pendent in genere efficientis conseruantis, & mouentis, non quia orbes ex se sint mortales per interna contraria, ita enim non possent per naturam seruari æterni, sed quatenus demptis primis, cætera seruari nequeunt, quia tamen prima sunt necessaria, ideo etiam necessarij sunt orbes, qui proximè ea prima sequuntur; tertio, pendent in genere formæ, dum considerantur, vt viuentes. Ex his quæ dicta, facile elici possunt solutiones duarum difficultatum. Quarum altera est, cum in orbibus Cœli reperiatur varietas, num ob id iudicari debeant corpora organica? Altera verò, cum orbes sint mole definiti, & figura orbiculari terminati, a quo huiusmodi terminos recipiunt? De prima difficultate dico, corpus organicum esse duplex, vel propriè, vel secundum eminentiam: Cœlum propriè non est organicum vt vsurpatur organicum in secundo de Anima, in animæ definitione; & declaratur ab Aristotele in primo de Historia animalium, propriè enim viuentium organa sunt membra, ex partibus, dissimilis formæ conflata, pro obeundo proprio aliquo munere animæ: sola raritas & densitas, ac insuper sola varietas ordinis ab vno, non constituit organa, veluti cum Elementa prædita sint varietate partium secundum densitatem, raritatem, & varietatem mixtionis, non propterea dicuntur prædita instrumentis: In Cœlo tamen secundum quandam eminentiam, similitudinem, & facultatem locum habent, quatenus per varias partes vario modo operatur, & agit in mortalia, & præditum est aliqua varietate; absolutè tamen inficiari debemus Cœlum esse corpus organicum. Altera dubitatio erat, vnde Cœlum terminos & figuram reciperet. Dicendum est ex sententia Aristotelis, iudicantis Cœlum æternum, Cœlum hæc habere partim ex se, partim ab intelligentia propria: ex se, quatenus non est genitum, sed est æternum, & eius essentia talis est, vt per naturam propriam eam figuram exposcat. At quia, vt elicitur ex secundo de Cœlo 7 t. inter Cœlum & Intelligentiam, siue inter mobile & motorem eius, debet esse congruens & definita ratio, cuius principium non potest esse Cœlum, cum ex eo nullo pacto motor pendeat; colligendum est, Intelligentiã esse principium & causam, & esse causam in genere finis, in genere formæ, eo modo, quo est forma, & in genere efficientis conseruantis. Hanc puto etiam fuisse sententiam Auerrois, ideò in primo cap. de substantia orbis dixit, materiam Cęli recipere dimensiones prima receptione, mediantibus suis formis; non autem formas mediantibus dimensionibus. Ideò Cęli dimensiones sunt proprium propriorum eius, indicans, quòd vt proprium insequitur formam, ita in Cęlo termini dimensionum sequuntur motorem. Et in secundo cap. de substantia orbis ait, quia Cęlum est indiuiduum demonstratum, & ens demonstratum actu, habens figuram vnam actu, omnia hæc sunt in corpore per materiam, & in materia per formam; hinc etiam ex sententia Aristotelis sola viuentia sunt pręditą propria figura, & propterea Cœlum quatenus viuens, ea figura iudicari debet præditum.

*Qũo Cęlum simplex.*

*Qũo pendent orbes ex Intelligentia.*

*Solutio duarum diffic.*

*An Cœlum sit organicum.*

*Vnde Cęlũ figuram recipiat.*

An

## *An Cœlo & mortalibus sit commune aliquid vniuocum: Cap. XIIII.*

Cum Cœlorum materiæ, veluti etiam formæ, apparuerint distinctæ à materijs mortalium, hoc superest considerãdum, an saltem Cęlo & mortalibus sit aliquid cõmune vniuocum? Consideratio est apprimè ardua, & ob id de ea variæ fuere Philosophorum sententiæ. Nonnulli enim vt Gregorius Arim. in primo Senten. dist. 8. q. 3. Art. primo & secundo, nedum Cœlo & mortalibus, verum etiam Deo & creaturis commune vniuocum competere existimant, & Deum putant directè in prædicamento substantiæ locum habere: cuius opinionis etiam fuit Paulus Venetus. Scotus verò in primo Sent. dist. 8. q. 3. asserit non Deum, sed Intelligentias in serie prædicamenti substantiæ reperiri, ac ob id eis competere commune vniuocum, quod etiam ait competere Deo, quamuis non sit in prædicamento, nam existimauit ens vniuocè dici. D. Tho. in primo contra Gent. cap. 25. similiter existimat intelligentias sub prædicamento poni, quamuis inficietur ens esse commune vniuocum; nam de hoc dissentit à Scoto. At prætermissa opinionum & rationum relatione, breuibus id solum dicam, quod sentio & duas profero cõclusiones. Prima est, Cœlo & mortalibus nil est commune vniuocum: Altera autem sola mortalia directè & propriè sub prædicamento collocantur. Vt pertinet ad primã, ea ostenditur ratione & auctoritate: ratio est, quia natura vniuoca, est natura maximè vna, quæ est eadem in omnibus: natura vna & cadem exposcit eadem principia: at principia Cœli & mortalium apparuere distincta, nempe materia, & forma, siue actus & potentia; quare etiam natura non eadem pe... ùs esse potest. sed d... a:& vt principia sunt eadem sola veritate ab vno, & secundum a... g...; ita ... vna est iudicanda: confirmatur iuductione, nam prædicata communia ... ens, substãtia, corpus, accidens, actus, potentia, & similia; quæ omnia nequaquam sunt vniuoca. primò ens non est vniuocum, quia essentia, ex qua deducitur ens, varia est, vt apparuit; substantia similiter non dicitur vniuocè, quia materiæ eorum & formæ substantia est distincta, quare & compositi, cum subiectum & substantia non sint v...m; neque accidentia poterunt iudicari prædita natura vna, quia accidentis esse est alteri inhærere: Pro hac conclusione conspicua extat auctoritas Aristotelis in decimo Metaphysicæ 26. dicentis, æterna & mortalia ne dum specie, sed etiam genere distingui, & differentiam æterni & mortalis nõ accidere rebus, sed primò & per se eis competere alterutri, & propterea absolutè distingui: ex ostensione primæ conclusionis elicitur ostensio secundæ, nã quæ non habent commune vniuocum, non sunt eiusdem prædicamenti; prædicamentum enim exposcit genus verè vnum: æterna & mortalia (vt patuit) non habent commune vniuocum: quare non sunt eiusdem generis. genera namque g... ..., vt sint vniuoca, exposcunt etiam principia vniuoca. Vt autem hæc ... fit clarior, considero institutum Aristotelis fuisse eorum prædicamenta constituere, quibus propriè competit esse in prædicamento: hoc autem competit solis mortalibus, non æternis. Ratio est, quia in æternis non seruatur ratio speciei, quæ est, vt sit apta dici de pluribus indiuiduis, nam in æternis non reperiuntur plura sub specie. Secũdò, non ... ur ratio vniuersalis, quæ est, vt sit natura vniuoca, & maximè vna in cunctis sub eo contentis eadem, nam in competentia æternis in ord... e sunt posita; Tertio, non seruatur conditio differentiæ ..., quæ est, vt sint contrariæ, æquè ponantur sub genere, diuidant genus; & species constituant. Præterea, vt apparuit non seruatur ratio principiorum in prædicamenti, quæ est, vt sint eadem vniuocè. Demum, non seruatur conditio propriè sumpti indiuidui, quæ ex 5. Metaphysicæ, co... t. 12. est, vt eius materia sit vna, Cœlo enim non propriè materia competit. Accipio insuper & cõsidero, quod ... s Aristoteles

*Gregorius Arim.*

*Scotus.*

*D. Tho.*

*Opinio propria.*

*Cõfirmatio.*

*Institutum Aristot. in prędicamẽtis.*

ſtoteles ſola mortalia in decem claſſes diſtribuerit; tamen cum id fecerit, facultate & virtute quadam, etiam æterna ad prædicamenta redegit, nam eſſe in prædicamento contingit ſex modis; Quædam enim ſunt in prædicamẽto directè & propriè, vt genera & ſpecies; Quædam dicuntur collocari ſub prędicamento vt ſingularia quæ variantur; Quædam à latere, vt differentiæ; Quædam ſunt ſupra prædicamẽtum, vt actus & potentia, ſiue forma & materia, quæ ſunt principia prædicamentorum; Quędam per reductionem, vt proprietates, quę, vt non diſtinguuntur fundamẽto ab eo, cuius ſunt proprietates, ad eius genus rediguntur, vt verò diſtinctam quandam formilitatem includunt, rediguntur ad qualitatem. Demùm quędam ſunt in prædicamento ſecundum ſimilitudinem, ita dicimus Cœlum redigi ad prędicamentum ſubſtantię; eius molem ad quantitatem; Lucem ad qualitatem: ſic itaque Philoſophus in prędicamenta redigens mortalia, facultate, & virtute redegit omnia. Ex his facilè eliciuntur ſolutiones aduerſarum rationum, nam argumentatur Scotus, quoniam intellectus de vno certus, de alio dubius, vnum aliquid commune vtriſque apprehendere dicitur: at nos de attinentibus ad Cœlum ſumus certi, quòd ſit ens, quòd ſit ſubſtantia, quòd ſit corpus: dubij autem, quæ ſubſtantia, & quale ens ſit: quare ſubſtantia & ens dicta de Cœlo & mortalibus vniuoca ſunt. Solutio eſt facilis, quia nos ſumus certi non de natura vniuoca, ſed ſolùm de communi ab vno, quod ambiguũ eſt; nam ſi ea ratio vim haberet, ſequeretur omne ab vno eſſe vniuocum: quia de omni ab vno formari poteſt conſimilis ratio, vt conſpicuè patet. At inſuper inſtatur, quia ſi communi vniuoco non eſſent prædita, genera ſuprema eſſent plura, quàm decem, quod eſt conſpicuè falſum: & conſequutio deducitur, quia præter contenta ſub decem prædicamentis dantur alia. Reſpondeo pręter decem prædicamenta & contenta ſub eis non dari alia, quibus competat ratio prædicamentorũ, vt apparuit: dari tamen alia, quę ſaltem ſimilitudine ad prædicamenta redigantur. conſiderandum tamen, quòd quamuis varia prædicamenta non habeant vnum commune vniuocum reale, habere tamen poſſunt vnum commune vniuocum ſecundæ notionis, veluti dum dicimus ea eſſe prędicamenta, genera ſuprema, genera generaliſſima, & ſimilia. Inſtatur tertiò, quia Ariſtoteles in tertio Phyſic. contex. 3. & in prima Philoſophia ens, diuiſum per actum & potentiam, diſtribuit in decem Prædicamenta; quare omne ens conſtans ex actu & potentia ad prædicamenta pertinet, Cœlum eſt huiuſmodi, & in ſeptimo Metaphyſicæ, cum Ariſtoteles ſecaſſet id, quod eſt, in decem prædicamenta, agens de ſubſtantia in contex. 5. inquirit, quot ſint, & an præter Aſtra & Lunam dentur aliæ abiunctę ſubſtantię, indicans & Cœlum & Intelligentias ad prędicamentum ſubſtantię pertinere. Similiter in 12. Metaphyſicę, comparans ſubſtantię prędicamentum cum cæteris, inquit in contex. 5. ſubſtantię verò tres ſunt, vna ſenſibilis mortalis, alia ſenſibilis æterna, tertia immobilis, inſuper in quinto Metaphyſicæ, contex. 15. Dæmones numerat inter attinentia ad prædicamentum ſubſtantiæ. Similiter Auerroes in primo Phyſic. comm. 25. ait, dum dicimus, quicquid eſt præter ens, eſt nõ ens; ſi per ens intelligimus decem prędicamenta, ea ſententia vera eſt, indicans in prędicamentis omnia entia contineri; hæ ac ſimiles inſtantię ſoluuntur per ea, quę dixi, cuncta enim attinent ad decem Prędicamenta, at modo eis conſentaneo, non autem ſimiliter. Et ad rationem ſumptam ex diſtributione entis diuiſi per actum & potentiam in decem Prædicamenta, reſpondeo per duo fundamenta: Primum eſt, quod ſecundum veriorem expoſitionem Ariſtoteles in tertio Phyſ. diuidit decem Prædicamenta per actum & potentiam, ideo in cont. 6. inquit, diuiſo ſecundum vnumquodque genus hoc quidem actu, hoc autem potentia. Alterum eſt, quod quamuis ens diuiſum per actum & potentiam diſtribuatur in decem Prædicamenta; tamen in ſingulis Prædicamentis ea ſola propriè continetur, quæ ex actu & potentia conſtant vniuocè dictis, vt eius Prędicamenti ſunt principia, cætera verò per ſimilitudinem tantùm.

*Diluuntur aduerſæ rationes.*

*Diluitur inſtantia prima.*

*Diluitur altera.*

*Diluitur tertia.*

Qua

## *Quæ compositio competat Cœlo? & de compositione ex materia & forma opiniones variæ. Cap. XV.*

EXPLICATIS attinentibus ad Materiam Cœli, vt refulgeant etiam attinentia ad formam & ad compositum, de Cœli compositione est agendum: Quæ compositio duplex est, vna ex substantia & substantia, altera ex substantia & accidente; Prima compositio adhuc est duplex, vel enim est compositio ex subiecto & forma; vel ex numero plurium or-
*De compositione ex subiecto et forma.* bium, ex quibus dicimus vniuersum Cœleste corpus consurgere; Loquar ego de singulis compositionibus, ordiens ab ea ex subiecto & forma, siue gerente vicem formæ, tanquam principaliore, de qua loquens, referam primò aliorum sententias; secundò, minus approbandas reijciam; tertiò, explicabo sententiam, quam iudico veriorem; de-
*Simplicius.* mùm dubia nonnulla diluam. Quod ad primum pertinet, Simplicius vnà cum Academicis, in Cœlo quinque subordinata considerauit, primò, Deum; secundò, Mentē, vel non participatam, vel participatam; tertiò, animam; quartò, Naturam; quintò, Materiam, vt elicitur ex primo de Cœlo 36. ex secundo de Cœlo, 4. & 5. commentarijs, materiam statuit postremum subiectum, cui asserit competere naturam tanquam semen, facilitatem, & propensionem, quæ media sit inter materiam & formā, vt se declarat in secundo Phys. in digressione ne natura: per naturam ait recipi formam & animam, quæ anima est particeps mentis, supra quam est Mens non participata, cuius caput est Deus; Cœlum per naturam habet vt sit procliue ad motum in orbem, per animam habet, vt ab ea moueatur tanquam à proximo efficiente; a Mente motus dirigitur & seruatur consimilis, & æternus; a natura motus eius habet vt sit Naturalis;
*Alexāder.* ab anima vt sit animarius; à Mente vt sit Mentalis, & Diuinus. Alexander, referente Simplicio in 8. Phys. com. 31. & in secundo de Cęlo cōm. 3. eatenus differt ab opinione Simplicij, quatenus Animā Cœli a Natura non distinguit. ideò in Cœlo solùm cōsiderauit materiam; Animam, quam etiam Naturam appellauit; & tertiò mētem. Cu-
*Themistius* ius opinionis etiam fuit Themistius, ideò Auer. in 12. Metaph. 41. ex sententia Themistij, inquit, Potentia, quæ in Stellis infinita est, non est naturalis earum vt sunt corpora, sed vt pendet ex prima causa, aut ex anima existente in eis, ab illa potentia, quæ non est corpus, & cætera denotando ordinem corporis cœlestis animæ, & Mentis, quem ordinem in Cœlo etiam considerauit auctor ille, qui nomine Alexandri cir-
*Auicenna.* cumfertur in duodecimo Metaphysicæ, commen. 34. Auicenna nono suæ Metaphysicæ, cap. secundo satis cum Simplicio consentire videtur, ponit enim in singulis orbibus corpus siue materiam orbis, Naturam ab anima prodeuntem Animam, & Intelligentiam, ideò inquit. Iam nosti, quòd hic motus indiget virtute infinita abiunctā à materia, quæ non mouetur neque per intentionem; anima verò, quæ mouet Cœlum, est corporea, conuertibilis, variabilis, non separata à materia, se habens ad Cœlum vt nostra anima ad nos, intelligens intellectione mixta cum materia, & existimans imaginatione certa; Insuper in eodem cap. loquens de Natura Cœli, ait, Motor continenter in suo mobili producit inclinationem, quæ inclinatio nil prohibet, quòd vocetur natura, adeò vt natura Cœli sit fluxus ab anima, qui renouatur secundum imaginationem animæ &c. sic itaq; Auicenna in Cœlo considerat corpus Cœli,
*Auerrois.* naturam, animam, & Intelligentiam. Quæ fuerit opinio Auerrois non facilè constat, ipse enim de hac re satis dubiè, & modo vario loquutus est, ac ob id à varijs vario modo eius opinio refertur, nonnulli tribuunt, quòd putarit nullam in Cœlo esse compositionem, nisi ex Intelligentia & orbe, vt indicare videtur in primo de Cœlo, commen. quinto, nonagesimoquinto & alibi. Alij ei tribuunt, quòd fuerit eiusdē sententię

cum

cum Themistio, & Alexandro, Card. Caietanus ait, Auerroem primò putasse Cœlum esse simplex,& solùm constare ex Intelligentia & orbe, mox verò mutasse sententiam, & venisse in opinionem Alexandri. At inconstantiam hanc non puto obijciendam esse Auerroi, sed existimo eum semper putasse cum Alexandro, in Cœlo reperiri corpus Cœli, animam,& Intelligentiam, vt indicauit in secundo de Cœlo, comm. 3. in tertio de Anima, comm. 14. in 3. disp. contra Algaz. in 12. Metaphysicæ 41. & alibi, quoniam animam Cœli iudicauit tanquam actum mentis transeuntem, & vestigium, idolum, ac imaginem quandam ex intelligentia in corpus Cœli prodeuntem, ideò nonnunquam visus est ea tria in duo redigere: conspicuè tamen locis relatis Auerroes ait, Cœlum intelligere suam Intelligentiam, quod ei non competeret, nisi anima esset præditum, per quam viueret, ab Intelligentia distinctam. Quod si Auerroes in 12. Metaphysicæ 38. inquit, motorem primum mouere sine medio, adeò vt animam mediam negare videatur. Respondeo, illum mouere sine medio, hoc est, non per mediam aliam Intelligentiam, vt de Deo existimauit Auicenna: vel dicamus, sine medio, alio motu, nam ibi Auerroes considerat motus mortalium, ostendens eos non esse primos, sed pendere ex primo per alios intermedios motus. D. Thomas etiam non idem semper existimasse visus est, nam in secundo contra Gent. cap. 70. ait, Cœlum esse animatum, & recipere esse ab anima, indicans in quolibet orbe & animam, & Intelligentiam reperiri, vt existimauit Alexander; ex aduerso in prima parte Summæ, q. 7. artic. 3. & in quæstionibus disputatis de spiritualibus creaturis, inquit, Cœlum non esse animatum, Scotus quoque eiusdem fuit opinionis, vt elicitur ex 7. q. quolibetorum, & ex locis alijs, adeò vt ex horum sententia, in singulis orbibus reperiatur orbis, & Intelligentia ei assistens, in primo autem orbe præter propriam Intelligentiã, aiunt etiã reperiri Deũ. Demùm alij in singulis orbibus, & etiam in primo aliam non concedunt compositionem, nisi ex Intelligentia & orbe. Quæ omnes opiniones in tria capita rediguntur: nam prætermisso eo, quod pertinet ad Deum, quod non est præsentis considerationis, vel in Cœlo considerantur cum in Simplicio,& Academicis quatuor subordinata, Mẽs, Anima, Natura, Materia: Vel cum Alexandro, Themistio, & Auerr. triã solum, Mens, Anima, Materia; Vel cum Scoto & D. Tho. duo tantùm, Intelligentia & orbis; in solo primo, tria, Deus, Intelligentia, & Orbis.

*D. Tho.*

*Scotus.*

*Capita opinionum.*

## *Disputatio aduersus relatas Opiniones.* Cap. XVI.

OPINIONES relatæ satis dubiæ videntur: primò opinio Simplicij non videtur approbanda; tum quia cum plurimis Academicis Mentem primam à Deo secernit, quod Aristoteli & rationi aduersatur, cum supremum nil præter Mentem rectè iudicari possit; tum quia de Natura non rectè sentit, cum putet eam mediare inter materiam & formam, & neutrum esse, sed esse facilitatem & propensionem ad formam, cuius oppositum ex secundo Physic. conspicuè elicitur; tum tertiò, quia minus rectè putat Mentem non proximè mouere Cœlum, sed animam, nam Mens assistens Cœlo, sua eminenti virtute valet proximè, & sine medio Cœlum mouere, cum eminenter contineat vim inferiorum formarum, & ea quæ sunt, non sunt multiplicanda sine necessitate; Insuper errat cum neget animam debere dici naturam, aduersus Alexandrum, ac insuper putet, animam Cœli ita esse actum & perfectionem Cœlestis corporis, vt animæ sunt perfectiones mortalium corporum. Hinc in primo de Cœlo asserit Cœlum modo aliquo esse mixtum saltem ex eminentijs Elementorum, quia anima est perfectio corporis mixti, Cœlum autem anima præditum est, nam hæc longè absunt à sententia Aristotelis: conspicuè enim Aristoteles in primo de partibus Animalium, animam asserit esse naturam, & id ipsum ex secundo Physic. lucidissimè elicitur. Quòd autem Cœlum mixtum, non rectè

*Aduersus Simplicium.*

*Aduersus Auicennã.* rectè dicitur, cum motus eius ſit ſimpliciſſimus. Similiter Auicenna à Peripateticorum ſententia longè recedit, & præſertim quia Cœlo tribuit materiam competentem mortalibus; inſuper quia Cęlo tribuit vim imaginandi, nam, vt ait Philoſophus in ſecundo de Anima, in æternis reperitur gradus animæ ſuperior ſine inferioribus, non enim Mens Cęlorum eget alijs animæ gradibus, & præſertim quia Phantaſia expoſcit ſenſus, cum ſit motus factus à ſenſu, qui actu eſt, vt definitur in ſecundo de Anima, à Cęlo autem abſunt ſenſus, vt dicitur in tertio de Anima 6 t. & præſertim erat, cum dicat Cęlo competere modum intelligendi permixtum cum materia; demùm ſupervacanea & redundantia imaginatur in Cęlo, cum per pauciora cuncta ſeruari poſſint, quæ Cęlo competere videntur. *Aduerſus Alexãdrũ.* Tertiò opinio etiam Alexandri, Themiſtij, & Auerrois diſtinguentium in Cœlo animam ab Intelligentia ſiue Mente, non eſt approbanda, vt enim Natura non diſtinguitur ab Anima, vel à corpore Cœli, aduerſus Simplicium, & Auicennam, ita anima non diſtinguitur à Mente, ſed eadem Mens in Cęlo, diſtincta conſideratione, & Mens, & anima iudicari debet: & confirmatur, quia anima Cęli nec nutriens, nec ſentiens eſt, ſed intelligens, huiuſmodi autem anima, Intelligentia & Mens nuncupatur. Quod confirmo: quia Anima Cęli vel eſt mixta cum materia, vel nec; ſi mixta, non eſſet immortalis, nec intelligeret: hinc in tertio de Anima, vt noſter intellectus intelligat & immortalis ſit, dicitur immunis à mixtione: ſi nõ eſt cum materia mixta, neque extenſa cum ea, nec ex ea pendens, huiuſmodi Anima dicitur propriè Intelligibilis, & Mens, vt patet ex 3. de Anima, cont. t 6. *Aduerſus D. Tho.* Demùm opinio D. Tho. & Scoti, quatenus in primo orbe conſiderant Deum à propria eius Intelligentia diſtinctum, approbanda non videtur, vt patefeci dum conſideraui, an Deus moueat vt efficiens; Miſſum facio, quòd ipſi etiam de orbe contradiſtincto ab Intelligentia ſecus ſentiunt, quàm ego, cum in eo cõſiderent compoſitionem quandam, ego autem eſſe corpus omninò ſimplex aſſeruerim.

## *De compoſitione ſubſtantiæ Cœli opinio propria. Cap. XVII.*

*Quę compoſitio competat Cœlo.* CVm cætæræ opiniones ſatis dubię, ne dicam falſæ apparuerint; puto ego ex ſententia Ariſtotelis in quolibet Cœlo hanc ſolam eſſe compoſitionem, ex orbe & Intelligentia, adeò vt in primo Orbe præter Deum alia Intelligentia mouens non reperiatur, vt etiam in cæteris orbibus ſola reperitur Intelligentia mouens, & orbis, quod eſt corpus mobile, omnino ſimplex, non conflatum ex materia, & forma alia, ab Intelligentia diſtincta, quæ Intelligentia ita ſe habet, vt ob varia eius munera, varijs nominibus denotetur: Nam Deus vt prouidens & ſupra alias Mentes poſitus, tanquam caput earum dicitur Pronía, hoc eſt, prouidentia vel ſupra Mentem conſtitutus: Inſuper vnaquæque vt mouet, dicitur motor Cœli: vt ſe & ſupra apprehendit, dicitur Mens: vt dat Cęlo vitam, dicitur Anima: vt mouet cum conditione agentis per naturam, & producit motum naturalem, dicitur Natura, quamuis propriè in Cęlo Natura dicatur eſſentia orbis, vt procliuis ad motum ſuum. Quòd hæc fuerit ſententia Ariſtotelis ex varijs colligitur: *Mos Ariſt.* nam mos Ariſtotelis fuit, nunquam plura addere, dum per pauciora aliquid ſeruare valuit, cum autem cuncta ad Cœlum attinentia per ea duo facilè ſeruentur, non ſunt addenda alia. Quod etiam ex eo patet: quia ſi alia in Cęlo excogitaſſet, valdè fuiſſet diminutus, cum in vniuerſa Philoſophia de alio non fecerit verba: & præſertim diſtinctio animæ à Mente in Cęlo approbanda non videtur, cum in æternis facultas ſuperior ſeruetur ſine inferiore, vt dicitur in ſecundo de Anima 15. & 32. & anima in Cęlo non poſſit eſſe niſi ex ſe & ſine imperfectione intelligens, quæ dicitur Mens, & Ariſtoteles de Anima Cęli; vt diſtincta ab Intelligentia, nunquam verba fecerit. Nec ſa-

tisfacit

tisfacit euasio Simplicij in procemio de Anima, dicentis, animas Cœlorum ab Aristotele non fuisse declaratas; vel quia cumulatè à Platone explicatæ fuerunt, cuius sententiæ subscripsit; vel quia per declarata in tertio de Anima de animaria Mente hominis, voluit reddi nota pertinentia ad animas Cœlorum, hæc inquam, euasio inanis est: tum quia Aristoteles, nil vnquam inexplicatum prætermisit, quin ab alijs fuerit declaratum, alioquin Philosophiæ partes non absoluisset, tum insuper, quia de Cœlorum animis non idem sentit Arist. & Plato, nec competentia humanæ Menti declarata ab Aristotele in tertio de Anima, putat competere animis Cœlorum, veluti distinctionem in agentem & possibilem, modum intelligendi per Phantasmata cum compositione, & discursu, & alia similia. Præterea, quòd Aristoteles in Cœlo nullam aliã excogitauerit compositionem, lucidissimè patet considerando medium, quo vtitur in patefacienda compositione Cœli, nam id facit per motum simplicem, qui motus solùm nos ducit in notitiam compositionis ex motore & simplici mobili, non autem in notitiam eius subordinationis. Præterea, quòd Aristoteles Intelligentias Cœlorum ab eorum animis non secreuerit, conspicuè patet considerando progressum eius, cum in octauo Physicorum, tùm in duodecimo Metaphysicæ: Nam in octauo Physicorum patefacit in ordine mobilium necessariò deueniendum esse ad primum, quod ex se moueatur, & huiusmodi primum in ordine Vniuersi statuit esse Cœlum; mox considerans, quomodo contingere possit, vt aliquid ex se moueatur, declarat post cont. 40. hoc solo modo id contingere, vt constet ex parte mouente, & parte mobili; mox cum motus sit æternus, considerans, qualis debeat esse motor eius, manifestat esse indiuisibilem, non extensum, & solutum à corpore, huiusmodi sunt intelligentiæ, quarum numerum post cõsimilem progressum manifestat Philosophus in duodecimo Metaphysicæ, æquari numero orbium, nunquam Aristoteles, aliam in Cœlo compositionem, vel intelligentiæ ab anima distinctionem indicauit: Et præsertim, quia ea ratio maximè cogit, quoniam si datur in Cœlo anima distincta ab intelligentia, ea anima vel est diuisibilis & extensa per orbem, vel nec; si primum, non esset æterna, vt patet ex calce octaui Physic. si alterum, ea erit Intelligentia, nam motores à materia solutos, Intelligentias & Mentem nuncupat Aristoteles, quas negat esse plures numero orbium. Immo in octauo Physic. 49. inquit, motum primum æternum, esse vnum, & propterea vnius esse mobilis, & ab vno motore, vt etiam in contex. 82. & 83. pro vnitate motus necessariam asserit esse vnitatem motoris. Rationes, quibus D. Tho. & Scotus nituntur ostendere in primo mobili reperiri præter Deum etiam Intelligentiam propriam, ex sententia Aristotelis dissolui, dum patefeci Deum mouere vt efficientem. Sed alijs huic meæ explicationi & sententiæ aduersari poterit per Aristotelem in primo de Cœlo 92. dicentem, qui dicit Cœlum, dicit formam, qui hoc Cœlum, formam cum materia. Similiter, qui dicit Sphæram solis, dicit formam, qui hanc Solis Sphæram, formam cum materia, quæro, quæ est illa forma mixta cum materia? non Intelligentia, quia ea cum materia non est mixta, quare necessariò videtur concedenda in Cœlo præter Intelligentiam, forma aliqua cum materia & corpore mixta. Respondeo, Aristoteles eo in loco nomine Cœli denotat totum Mundum, vt semetipsum declarat: nomine formæ denotat essentiam, excludentem ea, quæ sunt præter essentiam rei: per formam cũ materia denotat essentiam iunctam cum conditionibus indiuiduantibus, constituentibus materiam totius, contradistinctam à forma totius, vt eo loci manifestaui; Sic itaque loquendo de Mundo, qui dicit Cœlum siue Mundum, dicit formam, quæ est essentia Mundi, & ordo simplicium corporum, hoc vero Cœlum denotat huiusmodi essentiam contractam per indiuiduantia cum eis iunctam. Loquendo autem de Sphæra Solis, gratia exempli, qui dicit orbem Solis, dicit essentiam eius non includentem accidentia præter essentiam: at qui dicit hanc Solis Sphæram, superaddit accidentia, & ea, quæ sunt præter essentiam; & si quæratur, quæ sit hæc essentia orbis Solis? respondeo, quòd est substantia simplex, subiecta moui; Ita de materia proxima mortalium

*Simplicius.*

*Rationes aduersæ.*

*Instantia.*

*Solutio.*

*Alia instantia.* *Solutio.* dicere valemus, quòd aliud est materia, & hæc materia. At instatur adhuc: quia Cœlum viuit, vita eius extensa est per orbem: Intelligentia non est extensa, quare in eo reperitur anima distincta ab Intelligentia. Respondeo, Cœlum viuit per naturalem nexum cum propria intelligentia, & contactum virtutis eius, illi assistentis; at munere vitæ ei solùm competit motus, ob quem vita dicitur extensa, non autem quòd extensus sit motor, qui vbi est, totus est.

## *An Intelligentia formet, & det esse Cœlo?* *Cap. XVIII.*

*An Intelligẽtia sit forma formãs.* APPARVIT in Cœlo ex Aristotelis sententia aliam non reperiri compositionem nisi ex Intelligentia & Orbe: At hoc se modò offert sublimi consideratione dignum. Num Intelligentia Cœlum formet, eique largiatur esse? quæ consideratio, vt est sublimis, ita est ardua, & variæ de ea sunt Philosophorum sententiæ, de qua vt ordine aliquo verba faciã, referam primò opiniones varias; patefaciam secundò fundamenta eorum potiora, tertio loco explicabo sententiam, quam puto veriorem, demùm dubia nonnulla obscuriora diluam. *Opinio Alexandri.* Quod pertinet ad aliorum opiniones. Censuit Alexander, Mentem siue Intelligentiam non formare Cœlum, sed ei assistere, vt aurigam; animam verò esse endelechiam, siue primam perfectionem Cœli, vt animæ mortalium suorum corporum, quam animam dixit esse naturam propriam Cœli, ideò Simplicius in octauo Physic. comm. 31. referens verba Alexandri inquit, scribit hæc Alexander in Commentario secundi de Cœlo. Nos autem nitimur ostendere, diuini corporis non aliam esse Naturam, aliam animam; sed vt Grauitas est Natura Terræ, & Leuitas Ignis, ita Anima Cœli; & cur erit alia? nam Anima est natura perfectior, & consentaneum est corporis perfectioris esse naturam perfectiorem, id ipsum de Alexandro dicitur à Simplicio in octauo Physic. comm. 51. in secundo de Cœlo, comm. 3. & 4. & alibi. *Simplicij opinio.* Simplicius sentit cum Alexandro, animam ab Intelligentia distingui: dissentit autem, quia Naturam secernit ab anima, eamque mediare affirmat inter Cœli corpus, & animam, cum sit ea propensio, quæ corpori, vel materiæ competit ad formam, adeò vt in Cœlo natura sit ea propensio ad motum in orbem; Hinc in secundo de Cœlo, commen. 3. & 4. inquit, Natura est vis patiens, cum sit idoneitas in subiecto, quod mouetur, anima autem extrinsecùs mouet. Putat itaque Simplicius Animam Cœli esse endelechiam siue actum assistentem Cœlo, à qua prodeat tanquam idolum, & vestigium quoddam, per quod Cœlum redditur viuens: ac ita animam diuidit in viuentem, & formantem, vt patet ex secundo & tertio de Anima. *Opinio aliorum.* Tertiò reperti sunt alij, qui animam Cœli ab Intelligentia non secernentes, asseruerunt Intelligentias esse animas Cœlorum, qui in tres tanquam classes sunt distributi. Nonnulli affirmarunt Intelligentias formare, & dare esse Cœlo, vt Alexander Acchillinus, & Hieronymus Balduinus. Alij non formare, sed solùm assistere, vt Zimara, Gandauensis, Scotus, & similes. Nonnulli demùm rem pro nulla parte necessariam, nobisq; certam dixerunt, sed pro vtraque probabilem; Hinc modò vnam, modò alteram partem approbarunt, veluti D. Tho. qui in secundo, contra Gent. cap. 70. inquit: Cœlum esse animatum & recipere esse ab anima. Quod etiam affirmat in duodecimo Metaphysicæ, exponens contex. 15. inquiens, Aristotelem statuere Cœlestia corpora animata, & in primo de Cœlo, exponens cont. 20. inquit: materiam Cœli carere priuatione, quia in eo non est nata esse alia forma, & forma eius explet totam potentiam materiæ, cum sit forma totalis non partialis, & per relationem ad hãc distinctam formam differt materia Cœli à materia mortalium, hæc D. Tho. per quæ denotat Intelligentiam esse formam Cœli, cum forma totalis sit Intelligentia. Ex aduerso in prima parte Summæ, quæst. 70.

Art. 3. negat Cœlum esse animatum, & recipere esse ab Intelligentia, quod etiam confirmat in qq. disputatis de creaturis spiritalibus. Qui sequuntur D. Thomam, aiunt, absolutè Cœlum non esse animatum, nil tamen repugnare, quin animatũ sit: at contra in æternis non differt esse à posse, vt patet ex tertio Physic. 32. Potiùs dicamus, Diuum Thomam, vt Theologum negasse, cum Aristotele verò affirmasse Cœlum animatum. Ex quo elicio, nonnullos recentiorum minus rectè carpere eum, tanquam Peripateticum, quia asseruerit Naturam, non autem intelligentiam esse formam Cęli. Hæ variæ opiniones in duo Capita rediguuntur: vnum est, quòd Cœli corpus præditum sit forma, quæ eius sit perfectio, siue ea forma sit Anima, siue Natura infra animã posita: Alterum, quòd corpus illud omninò sit simplex, ex materia & forma non constitutum, & hæc duo distincta capita, potissimùm consideranda proponuntur. *Duo capita opinionum.*

## *Rationes potiores vtriusque partis. Cap. XIX.*

COELVM ab aliqua anima formari & recipere esse, his rationibus præsertim ostendi posse videtur: Nam primò vtor ratione D. Thomæ, 2. contra Gent. cap. 7, sumpta ex progressu Aristotelis in 8. Phys. Philosophus in eo libro ostendit, in mobilibus esse deueniendum ad primum, quod ex se mouetur, huiusmodi asserit esse Cęlum; Insuper, omne ex se mobile ostendit constare ex parte mouente, & parte mobili, ex quibus hæc constituitur. Ratio: omne ex se mobile, ex se constat ex motore & mobili; Cęlum est ex se mobile; quare ex se constat ex motore & mobili, dico ex se, tanquam totum per se constans ex motore formante & mobili, nam si motor solùm assisteret, vt nauta naui, non diceretur id compositum ex se moueri: quia ex eis non consurgit per se vnum, cum sint ambo distincta & completa; Cõfirmatur idipsum per Aristotelẽ in secundo de Cœlo 13. dicentem, in Cœlo nedum per relationem ad nos, verùm absolutè & ratione sui, inueniri differentias positionis, cum sit animatum. Ex quo elicitur hæc ratio: omne ex se præditum differentijs positionis, est ex se animatum; Cęlum ex se præditum est huiusmodi differentijs; quare ex se est animatum: si ex se, igitur ab anima recipit esse, & formatur, quæ anima ostensa est eadem cum Intelligentia. Insuper in secundo de Anima, cont. 15. inquit Philosophus, potentias animæ superiores non reperiri in mortalibus sine inferioribus, indicando in æternis, nempe in Cęlo secus se habere. Et in cont. 29. inquit, quibusdam Mentem competere, vt homini, & si quid aliud honorabilius est, huiusmodi autem est Cœlum, quare supponit Philosophus, Cœlum animatum, & viuens, non autem tale esset, nisi viueret per propriam formam: nauis enim & currus, quamuis eis assistant & præsint Nauta & auriga, non dicuntur viuere. Insuper, vtor ratione deprompta ex eodem D. Thoma, primo Cœli 20. Omne quod est, vel est potentia, vel actus, vel compositum: Cœlum non est pura potentia, alioquin non ageret in hæc mortalia, non purus actus alioquin non moueretur, nec caderet sub sensum; quare est compositum ex potentia & actu, ex materia & forma, & quia est viuens, ideo forma eius est Anima. Prætereà, id ipsum ostenditur rationibus, quibus Aristoteles in primo de Cœlo patefacit Cœlum esse quintam essentiam, distinctam à quatuor Elementis, nam ex eo, quod motus Cęli in orbem est simplex, est præstantior motu recto, & secundum naturam competit Cœlo, colligit Cœlum distingui à quatuor Elementis & eis dignitate præstare, quo præassumpto, quæro, cum Philosophus ex conditione motus Cœli, colligat conditionem naturæ & essentiæ Cœli, vel colligit conditionem formæ abiunctæ, vel materiæ, vel formæ cum materia iunctæ, eamque formantis: non primum, quia Aristoteles in libris de Cœlo, de Cęlesti corpore loquitur, idque colligit esse distinctæ naturæ; non de Intelligentijs ad Physicum non attinentibus: non

*Cęlum formari.* *Ratio prima.* *Cõfirmatio.* *Tertia.* *Quarta.*

secundum, quia conditio motus naturalis, nobis manifestat eam naturam, quæ principium est illius, vt motus sursùm, & deorsùm manifestat naturam internam Elementorum, quæ forma est; quare colligit conditionem formæ iunctæ & formantis materiam, & nisi hoc diceremus, tunc Aristoteles æquiuocatione nos deciperet, cum progrediendo per motus simplices in inuentionem simplicium corporum, & conditionis eorum, de Elementis colligat pertinentia ad naturam & conditionem formæ formantis; de Cœlo autem non eius, sed alterius. Et confirmatur: quoniam Aristoteles in eodem primo de Cœlo, vt per motum Elementorum à medio, vel ad medium, circumscribit graue & leue, ita per motum in orbem, conditionem Cœli nec grauem nec leuem; at grauitas & leuitas formam circumscribunt formantem, quare similiter non esse graue, nec leue denotat & circumscribit formam Cœli formantem, alioquin conspicua adesset æquiuocatio.

*Quinta.*

*Sexta.* Præterea, vtor ratione, qua vtitur Aristoteles in secundo de Anima 24. & 25. contextibus, ad ostendendum animam esse formam animalis: quę huiusmodi est. Id, quo primò corpus animatum viuit & operatur, est eius forma: addo minorem, Anima Cœli est id, quo primò Cœlum viuit, & operatur; quare est eius forma, ex quo infero, non corpus Cœli esse actum & perfectionem animæ, sed animã corporis.

*Septima.* Præterea, Cœlestia corpora inuicem comparata, vel sunt eiusdem, vel distinctæ speciei, quodcunque dicatur, semper inferam, Intelligentiam dare esse, quoniam species per formam constituitur; & confirmatur, quia Cœli dicuntur distinctæ speciei ab vno, & ordine aliquo, non secus ac intelligentiæ, vt dicitur ab Auer. in secundo de Cœlo 39. Species autem corporum constituitur non à forma assistente, sed à sola formante. Hinc Græci omnes, & cum eis Auicenna, & Auerroes consentiunt, Cœlum à forma aliqua formari & constitui: & Auerroes in Epit. Metaphysicæ tract. 4. inquit, motores Cęli esse formas, quibus Cęli sunt id, quod sunt.

*Auerroes.*

*Rationes pro parte aduersa.* Ex aduerso autem alij rationibus varijs & auctoritatibus oppositum suadere nituntur, quarum ego nonnullas & potiores referam.

*Ratio prima.* Quòd in Cœlo non reperiatur forma vlla formans, elici primò potest ex conditione materiæ Cœli: nam ea distinguitur à materia mortalium, quoniam vt inquit Aristoteles in octauo Metaphysicæ, cont. 12. & 12. Metaphysicæ, contex. 10. hæc mortalium est materia formę, ea autem solum est subiectum motus, ex quo infero materiam Cœli à nulla forma formari, alioquin ea quoq; esset materia formæ, non tantùm motus secundum locum; Et confirmatur, quia materia ad vbi, est materia actu, & quod est actu, non eget forma; Hinc patefeci in præcedentibus, in Cœlo non reperiri potentiam ad formam, cum dicat Philosophus nono Metaphysicæ 17. nil potentia præditum esse æternum.

*Secunda.* Præterea, id ipsum ostenditur ratione sumpta ex forma: nam cum in Cœlo nulla sit compositio nisi ex Intelligentia & orbe, si per aliquam formam formaretur, ea esset Intelligentia; at ea Cœlum non format; quod ostendo: quia moto composito, mouentur ex accidenti componentia illi; Intelligentiæ autem statuuntur omnino immobiles. Nec satisfacit solutio dicentium id non sequi, quoniam Intelligentiæ non pendent ex materia; & moto corpore mouentur pendentia ex eo, non autem quæ non pendent; Hinc, inquam, non satisfecit: quoniam dum mouetur Cœlum, quæro, vel mouetur sola materiam Cęli, vel congregatum: non sola materia, quia per eos est potestate, eget forma & terminis, subiectum motus est terminatum, & actu; quare cõgregatum est id, quod mouetur, quod cum sit suæ partes simul iunctæ, etiam partes necessariò mouebuntur.

*Tertia.* Quod confirmo, considerando corpus Soli, & dico, hoc corpus Solis habet esse ab Intelligentia, vt pars à forma totius, igitur hoc esse Solis est Intelligentia cum sua materia, sed Sol cum suo esse modò est in ortu, modò in occasu, igitur Intelligentia, vt est esse Solis, modò est in ortu, modò in occasu, & ob id ex accidenti mouetur.

*Alexãder. Euersio.* At dicebat Alexander, referente Simplicio, in 8. Phy. 84. primum motorem non moueri per motum Cęli, quoniam non est in parte sed in vniuerso Cęlo, quod non mutat locum; Quæ euasio inanis est, quoniam si est in toto Cęlo, etiam erit in partibus, cum totum non sit seorsùm ab eis, quare

quare ratione partium ex accidenti mouebitur; & confirmatur, quia si totum respicimus, id quoq; secundum totũ non mutat locum, & tamen cõtinenter dicitur moueri. Insuper, accipio sententiam Arist. in 1. de Cœlo 92. qui dicit Cœlum, dicit formã: qui hoc Cęlum, formam cum materia mixtam: & quamuis tunc Aristoteles nomine Cęli Mundum significet, tamen etiam de Cœlo pro parte æther ea, vera est ea sententia. Qui itaque dicit Cœlum, dicit formam, quæ est essentia rei; tunc vltra, si Cęlum habet formam formantẽ, qui dicit Cœlum, eam formam denotabit; quare si Intelligentia dat esse Cœlo, denotabit eam, & præsertim quia inquit Aristoteles in 8. Metaphys. contex. 7. nomina concreta primò formam denotare: At quòd intelligentiam denotet, penitùs est absurdum, quoniam eam formam denotat, quæ in hoc Cœlo est cum materia mixta: at Intelligentia ab Aristotele non dicitur mixta cum materia, sed seiuncta, vt patet ex octauo Physic. & 12. Metaphysicæ. Id ipsum confirmo, quia si Cęlum primò significat formam, & ea est Intelligentia, igitur Aristoteles in lib. de Cœlo non egisset de Cœlo, cum non egerit de Intelligentijs, neque etiam agere de Cœlo pertineret ad Physicum. Præterea, sententia est Aristotelis propè calcem 8. Metaphysicæ, quæ non habent materiam, nec intelligibilem, nec sensibilem, statim vnum aliquid est vnumquodque eorum, hoc est, natura speciei à natura indiuidui in eis non secernitur, quod etiam dicitur in tertio de Anima, quæ sententia de Intelligentijs vera non esset, si Cœlum formaret: nus: aliud enim esset Intelligentia secundum se, & ea cum materia iuncta. Præterea, Aristoteles in primo de Anima 49. disputans aduersus Mundi animam, à Platone excogitatam, inquit, Laboriosum est mixtum esse cum corpore, & non posse absolui, & etiam fugiendum si melius est Menti, non cum corpore esse, vt dici solet, & multis placet, &c. hoc Platoni obijcit Aristoteles, cum tamen Plato non putarit Animam Mundi pendere ex corpore, se solùm dare esse illi; Confirmatur, quoniam ex sententia Aristotelis omnis forma formans & terminans materiam, pendet ex ea, cum materia & forma in proprio genere sint sibi inuicem causæ, hinc materia in calce secundi Physic. dicitur causa sine qua nec forma, nec finis est. Demùm, id ipsum ostendo rationibus sumptis ex conditionibus compositi; omne cõpositum præsupponit causam efficientem componentem, nil enim seipsum cum alio componit, sed finis excitat agens ad constituendum compositum, hinc omne compositum in 12. Metaphysicæ ab Auer. dicitur nouum; Cęlum autem ab Aristotele statuitur ingenitum. Insuper, vtor ratione Aristotelis in octauo Physic. 30. nullum continuum mouet seipsum, nam quatenus vnum & continuum non tactu, eatenus pati non potest, sed quatenus separatum est, hoc aptum natura est facere, illud verò pati, &cæt. hac ratione ostendit Philosophus, Elementa non se mouere: at simili ratione ostenderetur, Cœlum non ex se moueri, si Intelligentia formaret, nam nec pars Cœli moueret aliam partem, vt habet de animalibus mortalibus, quia est corpus consimile, nec Intelligentia moueret materiam, quia non esset sola virtute fungens, sed forma eius, forma autem non agit in materiam, quam format; & confirmatur, quia in compositis actiones sunt compositorum, non formæ tantùm, ideò vt totum animal se mouet per initia varia, ita totum compositum Cœli deberet esse & mouens & mobile, per distinctas rationes; Hinc Aristoteles de Stellis loquens in secundo de Cœlo, dixit: quod si deberent proprio motu ex se moueri, deberent esse præditæ instrumentis motus, quia viuens sua forma præditum & se mouens debet esse præditum instrumentis motus. Demùm, conspicuè patet, Aristotelem putasse corpus Cęleste expers formæ formantis, considerando medium per quod progreditur in notitiam corporum, id medium est transmutatio; mortalibus competit omne genus transmutationis, ideò eis competit subiectum & materia cuiuslibet termini transmutationis, & formæ; Cęlo sola competit latio, quare id medium solum patefacit in Cœlo esse compositionem ex motore & mobili, non autem ex materia & forma.

*Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.* *Decima.* *Vndecima.*

## *Resolutio difficultatis an superæ Mentes forment Cœlum: Cap. XX.*

*Resolutio.* RATIONES, quæ pro omni parte relatæ sunt, satis dubiam reddidere eã considerationem, an Intelligentiæ forment cœlestia corpora, præsertim tamen illæ præualere videntur, & magis cogere, quibus Cœlum ab Intelligntijs non formari ostendebatur. Ideò pro resolutione duas profero conclusiones: Altera est, Cœlum non est formatum ab Intelligentia, sed est corpus omninò simplex. Altera est, Cœlum recipit ab Intelligentia viuere, sumptum pro actu secundo, non pro primo, recipiendo motum, qui est vitalis actus. Pro quarum explicatione præaccipio, Mundum esse Opus omni ex parte perfectum, & absolutum, ex quo colligo, illum esse præditum omni gradu perfectionis, quare cum in Mundo inueniatur materia omnium infima, expers terminorum, & actus, inueniatur forma, quæ solùm est actus, debet etiam dari medium, quod sui natura & conditione partim sit potestate, partim actu, huiusmodi est orbis Cœli, qui est potestate ad motum, actu verò, quia terminatum est, nec eget forma, vt reddatur subiectum actu lationis. Prætereà, vt datur duplex genus formarum, vnum abiunctum à materia, alterum iunctum & materiatum, ita consentaneum est rationi, dari duplicem materiam, vnam non egentem forma, respondentem formæ non egenti materia, alteram egentem, respondentem formæ materiatæ, alterius enim formæ altera debet esse materia, vt dicitur in secundo Physic. 26. Demùm pro vniuersi absolutione, vt dantur formæ solùm eminenter includentes perfectionem formarum mortalium, sine compositione, & dantur qualitates veluti lux Cœli, sine compositione, & eminenter includentes qualitates mortalium; ita putandum est, dari corpus simplex, eminenter & sine compositione & pugna includens elementa mortalia, huiusmodi autem solum est Cœlum, quare ab aliqua forma formante constitutum iudicari non debet, sed corpus simplex, & actu ex se. Insuper considerandum est, in constituentibus vniuersum, varios repetiri gradus: corporum enim quædam solùm sunt, alia viuunt, nonnulla sentiunt, quædam ex se mouentur, alia intelligunt: Cœlum non eget forma vt sit actu, ex se enim est tale; nec eget vita pendente ex anima nutriente, cum ei nutritio, accretio, & generatio non competant; nec eget vita prodeunte ex sensu, vt in 3. de Anima 61. ostenditur, sensus enim dati sunt vel ob salutem corporis, vel ob disciplinam, quibus Cœlum non eget. Neque eget vita, per quam Intelligat, munus enim Intelligendi non corporis, sed Mentis est, solutæ à corpore. Neque etiam eget vita, vt moueat, quod pertinet ad facultatem iudicantem & appetentem, vt dicitur in tertio de Anima 48. sed solùm eget actu quodam vitali, per quem perficiatur & in cætera agat; huiusmodi autem actus est motus, ad quem cœleste corpus sui natura est procliue. Hinc dicitur, potestatem ad vitam, non quidem sumptam pro actu primo, qui est esse, de quo dicitur, viuere viuentibus est esse, sed pro actu secundo, quem actum recipit per contactum virtutis propriæ Intelligentiæ, munere cuius vitalis actus valet deinde esse principium vitæ contentorum sub cœlo. Eget itaque Cœlum intelligentia, non vt sit, sed vt viuat per actum secundum, ex Intelligentia prodeuntem. Simplicius autem, Themistius, Alexander, & Auerroes, putant Cœlum viuere per actum primum, nempe per animam perficientem, & reddentem illud viuens. Demùm accipiendum est connexionem formæ assistentis cum subiecto esse duplicem; Vnam per appetitum, præelectionem, & ad libitum, vt Nauta assistit naui, & Auriga currui: Alteram per Naturam, & propriam conditionem, vt Intelligentia Cœlo; In prima connexione subiectum non est procliue ad formam, hinc ex eis fit vnum per violentiam, & mouetur mobile per violentiam; In altera verò subiectum est procliue ad connexionem, & ad actum ex connexione prodeuntem; Hinc magis fit vnum, & operatio dicitur secundum naturam ex parte vtriusque, nam

*Mundus vndiq; perfectus.*

*Duplex genus formarum & materiarum.*

*Gradus Vniuersi.*

*Cœlum eget intelligẽtia, vt viuat.*

*Forma assistes duplex.*

motor mouet, vt aptum est mouere; & mobile mouetur, vt aptum est moueri. & ea cōnexio cum sit immunis à qualibet violentia, seruatur æterna. Præterea differunt hæ duæ connexiones, siue assistentiæ, quia per primam subiectum non pendet ex assistente, vt nauis ex Nauta, nisi vt ex fine. Per alteram dicimus, quicquid est in Cœlo pendere ex Intelligentia tanquam ex mouente, & per motum conseruante. Ex his elicitur primò Ratio, cur motus Cœli dicatur secundum Naturam, non autem Nauis, vel Currus; Elicitur secundò, cur Intelligentia magis nectatur cum Cœlo, quàm Nauta cum Naui Tertiò, cur ea connexio sit æterna, non hæc. Quartò, cur Nauis non dicatur viuere, nec ex se moueri, cum tamen de Cœlo dicatur vtrunque. Sed quæritur, an valemus rectè dicere, Cœlum appetere, & Intelligere? Auerroes sæpe id affirmat, vt secundo de Cœlo comm. 3. tertio de Anima 14. & alibi, id ipsum per sua fundamenta tenentur dicere Simplicius, Alexander, & quicunque in Cœlo animam ponunt ab Intelligentia distinctam; at per ea, quæ magis approbanda iudicaui, respondendum est, Cœlum pro contradistincto ab Intelligentia, nec intelligere, nec appetere appetitu sequente cognitionem: pro congregato verò ex Intelligentia & orbe, dicendum est intelligere, & appetere ex accidenti, hoc est, per partem non formantem, sed solùm assistentem, cui intelligendi & appetendi actui corpus Cœli nullo pacto conducit, rectius tamen de Cœlo, quàm de Naui iuncta cum Nauta dicere valemus, quod intelligat, & appetat ob connexionem per naturam & intimiorem cum orbe, adeò, vt ob contactum virtutis, ob vitalem actum in orbe per naturam receptum, & connexionem secundum naturam vtrisque, Orbis possit dici viuens & appetens.

*Quatuor colliguntur*

*Dubitatio*

*Sententia propria.*

## *Diluuntur rationes putantium superas Mentes formare Cœlum. Cap. XXI.*

CVM modus apparuerit, quo superæ Mentes cum suis orbibus connectuntur, non est modò difficile rationes soluere, asserentium eas formare Cœlum. Prima sumebatur ex 8. Physic. in quo Aristoteles patefaciebat in mobilium ordine, primum debere ex se moueri, & propterea esse viuens. Respondeo, Cœlum ob eam connexionem per Naturam cum suo motore, iure dici ex se moueri, & viuens: non ita tamen, vt motor formet orbem, eique largiatur esse, nam in calce libri & in duodecimo Metaphysicæ, eundem motorem ostendit secretum esse ab orbe: immo retorquendo argumentum dico, si orbis formaretur ab Intelligentia, non esset ex se mobile, quoniam corpus simplex non ex se per suam formam mouetur, cum materia, quæ sit potestate, non subijciatur proximè motui; hinc Aristoteles in secundo de Cœlo ait, si Stellæ proprio motu ex se mouerentur, deberent esse prædita instrumentis motus. Instantia de Naui & nauta iam est soluta. Instabatur secundò, quia omne ex se præditum differentijs positionis, est viuens. Respondeo, Cœlum dici viuens per contactum virtutis & vitalem actum, ex quo contactu, & infusione virtutis, prodeunt differentiæ. Hinc Aristoteles ex motu Cœli secundum locum differentias sumpsit, & considerauit. Afferebatur deinde anctoritas Aristotelis in secundo de Anima, dicentis, in æternis reperiri facultates superiores sine inferioribus. Respondeo, reperiri quidem, sed modo eis consentaneo. Instabatur deinde, quia omne, quod est, vel est potentia, vel actus, vel quid conflatū ex vtrisque; hoc iam solutum est in præcedentibus, nam Cœlum in ordine ad motum, ad actum vitalem, & contactum virtutis, est quid compositum; at ex se est corpus actu, non egens forma formante, & dicitur actus quidam corporeus, non quidem formalis, sed materiatus, & actus existentiæ, non egens actu formali, vt existat, quemadmodum eget materia mortalium. Hinc Iamblichus, & Themistius dicebant in Cœlo non formam reddi materialem, sed materiam reddi formalem, & accedere ad cōditionem formæ,

*Solutio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quartæ.* formæ. Instabatur insuper, quia Aristoteles in primo de Cœlo, ex conditione motus simplicis Cœli, colligebat conditionem naturæ, & essentiæ Cœli, non quidem materiæ, vt ostendebatur, sed formæ. Respondeo, Cœlum quamuis sit corpus simplex, formam non includens, tamen quia est corpus actu; non egens forma, & præditum propensione ad motum, proportione respondet Elementis ex materia & forma constitutis, ideò vt Elementa composita, sunt vel grauia, vel leuia; ita id corpus, illis proportione respondens, eamque compositionem in eminentia & cum simplicitate includens, nec graue, nec leue dicitur: nam ex æterno Cœli motu, & conditionem mobilis, & vires motoris colligere valemus, vt etiam id facit Aristoteles in primo de Cœlo, & in 8. Phy. ex quo patet & solutio quintæ rationis. Auer. in 1. de Cœlo, mouit hanc difficultatē, duasq; eius dedit solutiones, sed Auerroem missum facio. Afferebatur deinde ratio Aristotelis in secundo de Anima: quia id, quo corpus Physicum primò operatur, est forma. Respondeo, quòd est, forma, vel formans, vel assistens, & eminenter includens conditionem formæ; solus orbis non operatur, sed congregatum ex Intelligentiā & orbe. Insuper instabatur, quia orbes vel dicuntur eiusdem, vel distinctæ speciei, semper sequitur vt sint formati, cum species sumatur à forma. Respondeo propriè in specie Prædicamentorum sola constituuntur mortalia; æterna verò, tantum per similitudinem, & propterea siue consideremus Intelligentias, siue orbes infra vitam positos, semper dicuntur distinctæ speciei ab vno, quatenus sunt distincti gradus, vt etiam asseruit Auer. disp. prima, in fol. 1 r. dibij, inquiens, orbes specie distingui, non solo numero. & in disp. 3. in fol. 26. dub. ait, non differre specie, quia non habent commune genus, indicans differre ordine aliquo. Sed adhuc instatur ratione satis efficaci: quoniam Aristoteles in primo de Cœlo 92. inquit, Cęlum esse formam in materia, idque ostendit, quoniam cadit sub sensum, si est forma in materia, igitur est compositum; quod confirmatur, quia Cœlum hoc, quod inspicimus, est singulare, & indiuiduum; quare formā habet cum materia iunctam, per Aristotelem in eodem loco; & quamuis tunc Philosophus nomine Cœli denotet Mundum, tamen eadem ratio vim habet de parte Mundi ætherea, quæ sub sensum cadit. Nonnulli recentiorum Philosophorum duas dant solutiones, prima est, quia Cœlum seclusa Intelligentia nec singulare nec indiuiduum est, nam seclusa Intelligentia, omnia accidentia auferuntur. Hæc solutio est negligenda, tum quia accidentia non sunt principale principium indiuiduationis, tum insuper quia seclusa Intelligentia, etiam Cœlum non esset, vt dicitur nono Metaphisicæ 17. nam pendet ex ea vt ex efficiente conseruante. Ideò secundò respondet per Auerroem primo Cœli 95. dicentem, orbem ex se indiuiduum esse, ideo non sequitur, Cęlum est indiuiduum, igitur compositum, & Aristoteles inquiens aliud esse Cœlum, & hoc Cœlum, de Mundo loquitur. At cum hoc dicant, aduersantur Auerroi, & Aristoteli; Auerroi primò, quoniam in eo commen. dubitat an in Cęlo sensibile sit idem cum intelligibili, respondens ait. quod differunt, quoniam per vnum est sensibile, per alterum, nempè per relationem ad Intelligentiam, est intelligibile, quare concedit Auerroes, quod etiam de parte ætherea loquendo, aliud sit Cœlum & hoc Cœlum; Sed hoc Cœlum per Aristotelem denotat formam in materia, quare dicens non esse formam in materia, conspicuè aduersatur Aristoteli. Propterea, dicamus Aristotelem eo loci per formam denotare essentiam, quæ etiam dicitur forma totius, per formam cum materia, essentiam cum accidentibus, quæ sunt præter essentiam, quæ dicitur materia totius, & ita etiam verissimum redditur, quod eo loci enunciatur a Philosopho, nempè, omne sensibile esse in materia, cum res cadat sub sensum per accidentia, quæ includuntur in materia totius.

*Ratio sexta.*

*Ratio septima.*

*Dubitatio.*

*Solutio propria.*

## *An ex superis Mentibus, & orbibus fiat magis vnum, quàm ex forma & materia mortalium?* *Cap. XXII.*

CVM Intelligentia nectatur tanquam motor, & tanquam forma eminens & assistens, cum suo orbe, non autem formans; iure optimo quæret aliquis, an ex ea connexione magis consurgat vnum, quàm ex connexione formæ mortalium cum sua materia? Quòd non debeat magis vnũ consurgere, ex eo colligi posse videtur, quoniam inquit Philosophus octauo Metaphysicæ, contex. 15. ex duobus vnum consurgere, quatenus vnum est potestate, aliud actu: Hinc ex duobus actu existentibus, non dicitur ex se vnum fieri; at in Cœlo ambo sunt actu, siue actus; in mortalibus vnum verè est potestate, alterum actu; quare verè in mortalibus consurgit magis vnum: & confirmatur, quoniam potentia materiæ mortalium est tanquam inchoatio formæ, ideò forma adueniens est absolutio eius inchoationis, & propterea maximè consurgit vnum; huiusmodi autem potentia & inchoatio, non habet locum in Cœlo, hinc Aristoteles in octauo Metaphysicæ, ob eam inchoationis absolutionem dixit in contex. 16. est autem, vt dictum est, vltima materia & forma idem, & hæc potentia, hęc actu. Insuper confirmatur, quia forma mortalium dans esse, cõstituit vnum secundum essentiam; quod dicitur forma totius, & species sui generis; non sic Intelligentia, cum corpore Cœli. Ex aduerso videtur magis in Cœlo consurgere vnum, quia nil est in Cœlo, quod non pendeat ex Intelligentia. Insuper intelligentia cum sit expers diuisionis & extensionis, adeò vt vbi est, tota sit, maximè indiuisibiliter videtur necti. Demùm cum vnum & vnitio perfectionẽ denotet, proximiora Deo, qui est ipsum vnum, maximè in vnum videntur debere redigi. Res itaque est satis dubia & perplexa, de qua verba faciens, retuli in præcedentibus ex sententia Iamblichi, Thomistij, & Auerrois in Cœlo materiam maximè reddi formalem, & redigi in conditionem formæ, non autem formam reddi materiatam, quæ sententia solùm est vera secundum quandam Metaphoram & rationis similitudinem, quibus præsertim vtebantur Academici: nam quamuis Cęlum inter corpora maximè possit dici formale, absolutè tamen potiùs materiæ, quàm formæ obtinet conditiones, cum subijciatur motui, lumini, & terminis dimensionum, hinc Auerroes nono Metaphysicæ 17. & in secundo cap. de substãtia Orbis, & in octauo Metaph. 12. ait: nil prohibere, vt Cœlum sit materia, sed prohibere, vt sit forma. Patet itaque difficultatem propositam satis esse dubiam. De qua Auerroes in secundo de Cœlo commen. 3. loquens, ait recipiens hanc formam, nempè animam Cœli, quod nectitur cum ea, est corpus Cęleste æternum, quod sequuntur dimensiones corporeæ, & alia accidentia, quæ in eo inueniuntur; ideò forma, & formatum, sunt in eo idem numero, sed dispositione magis diminuta, quàm sit connexio recipientis & recepti in forma abiuncta, & causa huius connexionis formæ cum sua materia est, quia non hæret suæ materiæ per medias dimensiones, vt formæ mortales, &c. His verbis indicat Auerroes triplicem compositionem, quarum maximam statuit ex intellectu & intelligibili, & præsertim in formis abiunctis intelligentibus per essentiam, quod etiam verum est de actu intelligendi per phantasmata, vt asserit in digress. quinti comm. tertij de Anima: secundum locum tribuit connexioni ex anima Cœli & Orbe: tertium connexioni ex formis mortalibus cum materia. At oritur ex dictis Auerrois dubitatio, quia videtur secum pugnare, nam in eo tertio comm. secundi de Cœlo ait, in Cœlo formam, & formatum esse idem numero: in primo de Cœlo 95. inquit, materiã Cœli ex se esse vnam numero, & indiuiduatam, non per formam. Respondeo materia Cœli, ex sententia Auerrois, consideratur dupliciter, & secundum esse, & secundum viuere; est ex se indiuiduata

*Pro negatione.*

*Pro affirmatione.*

*Auerroes.*

*Triplex cõpositio.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

diuiduata pro esse, non autem pro vita, quam recipit ab anima; sed Auerroes dimittendus est, quoniam connexionem referr ad orbem cum anima, quam ponit distinctam ab Intelligentia vnà cum Alexandro, non autem cum Intelligentia, de qua modò est sermo. Propterea pro resolutione difficultatis tria dico. Primum est, ex Intelligentia & orbe secundum esse formale non fieri magis vnum, quàm ex materia & forma mortalium. ratio est, quia non format & vnum numero constituit, quare cum ens & vnum reciprocentur, vt non consurgit esse tertij, ita nec maximè vnum. Alterum est, ex Intelligentia & orbe non fit magis vnum secundum esse viuens, quàm ex corpore mortali & anima, quoniam anima mortalium est actus primus viuentis, non ita Intelligentia Cœli, quæ ei solùm largitur actum secundum, nempe motum, & cum eo facultatem quandam vitalem, per quam est principium vitæ mortalium. Tertia conclusio est, ex Intelligentia & orbe fit magis vnum quatenus magis pendet Cœlum ex Intelligentia, & connexio eorum est intimior, indiuidua, & æterna. Ratio est: quia Intelligentia ex orbe non pendet; Orbis autem nil includit, quod non pendeat ex Intelligentia, qua consideratione, vera est sententia Iamblichi, & Themistij, quod orbis fit formalis, quatenus per omnia pendet ex Intelligentia & participat pro facultate conditionem formæ, nam est corpus actu, non egens forma, ex se terminatum & figuratum, insuper fit maximè vnum secundum connexionem intimam & indiuiduam, quia pendens ex aliquo intimiùs dicitur includere id, ex quo pendet; & cum Intelligentia non extendatur per extensione corporis, vbi est tota, est secundum essentiam, præsentiam, & facultatem; cum enim extensio & materia impediant vnionem; vbi non extensio, maior est vnitio, & præsertim, quia superiora magis in vnum veniūt, cum caput omnium sit ipsum vnum, & quia vnum pendet ex forma, eminentior forma eminentiori modo includit vnum, & vnum constituit; & demùm, quia in ea vnitione nil est violentum, sed cuncta in eam conspirant, hinc sine vllo labore seruatur æterna. Sed dubitatur, cum humana Mens sit æterna, cur non tam intimè dicitur necti cum corpore, vt Intelligentia cum Orbe? Respondeo varietatem pendere ex duobus; primò, quia corpus mortale est varijs contrarietatibus præditum; maior autem connexio est æterni cum æterno. Altera ratio est: quia nihil est in Cœlo, quod non pendeat ex Intelligentia; corpus autem hominis secundum esse suum absolutum non pendet ex humana Mente, hinc Aristoteles in octauo Physic. 52. quia Mundus totus ex Deo pendet, dixit continuari, hoc est maximè necti cum eo.

*Resolutio difficult.* *Conclusio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Dubitatio.* *Solutio.*

## *An Cœlum, secluso actu vitali, quem recipit à Mente, sit vilius verme? Cap. XXIII.*

REGVLA est ab Auer. secundo Cœli 61 prolata, & à Philosophis approbata, viuens esse nobilius & præstantius non viuente, & inter viuentia illud dicitur esse præstantius, quod viuit vitam eminentiorem, hinc iure consideranti dum occurrit, num id sit verum de cœlorum corpore con parato cum viuentibus mortalibus? Dixere nonnulli, seclusa Intelligentia, orbem Cœli esse viliorem verme, cum orbis sit expers vitæ, vermis autem viuat. Quod autem viuens præstet non viuenti, patet per regulam Topicam, quæ est, dum maximum vnius generis præstat maximo alterius generis, absolutè id genus præferendū esse altero, & præsertim quia facultas ex primo de Cœlo, mensuratur per maximum quod potest: at præstantissimum viuens præstat præstantissimo non viuenti; quare absolutè viuens, præferendum est non viuenti. Nec etiam quia Cœli orbis fit æternus, vermis verò mortalis, orbis ei præfertur, cum etiam materia mortalium æterna, non præferatur formæ mortali. Hinc asserit Aristot. in 1. Ethicorum, non ob id quod aliquid sit diuturnius, ideò esse melius. At ex aduerso apprimè videtur absurdum, vermem

*Regula Topica.*

mem & consimilia apprimè vilia, præferenda esse Cœlesti corpori, quod est æternum, purissimum, nitidissimum, splendidissimum, & locus Dei, & summi boni. Et confirmatur, quia connexio & copula, & præsertim ea, quæ est secundum naturam, non est extremi cum extremo sine medio, quare cum superæ Mentes præstantissimæ nectantur cum orbe Cœli, non est putandum, orbem illum viliorem imperfectioremque verme esse; nam si humana Mens solùm cum corpore nectitur inter mortalia absolutissimo, etiam putandum est superas Mentes præstantiores, cum præstantiore coniungi; hinc Aristoteles in primo de Cœlo 22. dicebat, immortalis Dei, immortalem esse locum, nec secus posse se habere, quare similiter præstantissimæ formæ & menti præstantissimum corpus respondere putandum est. Hinc Iamblichus, & Themistius magnifacientes essentiam Cœli, dixerunt esse apprimè formalem, & compotem conditionum eminentis animæ eius. Confirmatur, quia imbecillitates, imperfectiones, remissiones, & cætera, quæ vilem denotant naturam, & conditionem rerum, ortum ducunt ex materia mortalium, à quibus Cœlum immune, & secretum est; hinc iure Aristoteles nono Metaphysicæ, contex. 17. dixit, æterna esse priora secundum substantiam, hoc est, dignitate mortalibus, quod etiam asseruit in octauo Physic. ac insuper in secundo Physic. context. 45. Cœlestia corpora diuiniora inter sensibilia esse dixit. Puto itaque dicendum, Cœli corpus seorsùm a Mente consideratum, præstare cæteris omnibus corporibus, vel non viuentibus, vel viuentibus, præter quam homini, cui cedit munere Mentis; cuius homo est particeps, adeò vt Cœlum mediet inter separatas Mentes, cum quibus humana iungitur, & mortalia, & in confinio dicatur positum. Hinc sola Mens dicitur apta supra Cœlum eleuari. Nec difficile est rationibus aduersis satisfacere, nam dicebatur viuens præstare non viuenti, iudicans non iudicanti, formatum non formato. Respondeo, eas regulas esse veras, suppositis cæteris paribus, at cætera paria non sunt, subiectum enim motus Cœli est immune à conditionibus materiæ mortalium, ex qua imbecillitates & imperfectiones prodeunt, ob eius connexionem cum potentia, contrarietate, & priuatione. Si autem non formatur, non nutritur, non sentit, id ex eo pendet, quia ob præstantiam suæ conditionis his non eget, & ob id sine medio nectitur cum superis Mentibus, easque recipit, quas viuentia mortalia recipere non valent, & hoc est munus præstantissimum perfectionis Cœli, eminenter & seorsùm ab imperfectione includens munera mortalium viuentium, & quamuis æternitas materiæ mortalium non tribuat ei perfectionem; hoc parùm obest; quia hæc est æternitas naturæ infimæ, innexa cum Ortu & interitu, & subiecta eis; æternitas verò Cœli est æternitas corporis eminentis, supra Ortum & interitum positi, mortalia seruantis & perficientis. Et afferebatur regula Topica, quæ erat, dum perfectissimum vnius generis præstat perfectissimo alterius, absolutè genus illud præferendum esse. Respondeo regulam illam esse veram de vniuocis, quorum natura communis est eadem, non autem de his quæ sunt ab vno, alioquin Cœlum eadem ratione esset imperfectius Terra, cum perfectissimum formatum præstet præstantissimo non formato. Insuper addo, quòd dum dicitur præstantissimum viuens præstat præstantissimo non viuenti, id præstantissimum viuens, quod præstat, solus est homo, vt iam dixi, homo autem solùm præstat munere mentis, ideò ex eo solùm colligimus præditum Mente præferri non prædito ea, cum præstantia præstantissimi viuentium ex sola mente prodeat. Ex his elicio minus veram esse sententiam Auerrois in secundo de Cœlo 61. & alibi dicentis, quia viuens est præstantius non viuente, ideo Cœlum viuit: nam etiam considerando Cœlum seorsùm à vita aliunde recepta præstat mortalibus viuentis; infra hominem positis, alioquin superæ mentes necterentur cum corpore Physico, imperfectiore eo, cum quo nectitur Mens hominis.

*Aristot.* *Iāblichus.* *Themistius* *Sententia propria.* *Diluuntur rationes aduersa.* *Regula Topica quō intelligenda.* *Aduersus Auerroē.*

*An Cælum*

## *An Cœlum, consideratum cum actu vitæ, sit præditum facultate sentiendi?* Cap. XXIIII.

*Epicurus.* *Academici* *Quatuor gradus sensuum.* *Auicenna.* *Plutarchus Lydus.* *Philoponus.* *Simplicius.*

QVONIAM in viuentibus mortalibus superiores vitæ gradus præsupponunt inferiores; ideò existimarunt nonnulli id ipsum seruari in Cœlo. Hinc Epicurus Stellas & Cœlum nutriri affirmauit. Academici Cœlo asseruerunt conuenire sensus, passionis expertes, & præsertim eminentiores, & magis spiritales, quales sunt visus, & auditus, nam quatuor considerarunt sensuum gradus. Primum & eminentiorem tribuerunt animæ Mundi, sine instrumentis, sine perpessione & sine progressu ad externa, tanquam imaginariam quandam virtutem. Secundum animis Sphærarum & Stellarum, sine instrumentis & perpessione, sed cum exitu ad externa. Tertium animalibus per instrumenta distributum. Postremum Plantis. Auicenna Cœlo non externos sensus, sed internum competere censuit, nempè Phantasiam, cum enim debeat Cœli anima cognoscere particulares reuolutiones, quas efficit, & earum cognitio non pertinet ad Mentem, inferebat id ei competere per Phantasiam. Plutarchus Lydus, referente Simplicio, & Philopono in expositione 61. contex. 5. de Anima, etiam ex sententia Aristotelis asseruit Cœlo sensus competere, & id ex verbis illius contextus eliciebat. Philoponus, quamuis oppositum tribuat Aristoteli, tamen digrediens in expositione illius contextus, tuetur sententiam Academicorum, & diluit rationes aduersas, vt etiam in secundo de Anima 6. & 17. Similiter Simplicius in secundo de Cœlo 35. inquit, fortè igitur sensus maximè materiati remouendi sunt à Cœlo, vt gustatus & odoratus, cæteri ei sunt tribuendi; cum enim se inuicem orbes tangant, non sine sensu se tangunt; similiter omnia intuentur, omniaque audiunt, & iure hoc dicere videtur. Cum enim sentiens, præferatur non sentienti, & iudicium sensuum perfectionem denotet, non videtur remouendum à Cœlo præstantissimo corporum. Ex aduerso tamen Peripatetici, Cœlo gradus animæ superiores, nempè Mentem & voluntatem, sine inferioribus tribuunt; & ex quatuor relatis sensuum gradibus, vnicum concedunt, animalibus mortalibus competentem; & iure profectò, nam vel propriè loquimur, vel per metaphoras: loqui per metaphoras non congruit Philosopho, vt dicitur in secundo Postum sed Oratori & Poetæ, nam si metaphoras sequimur, nil certi de rerum Natura enunciare valemus, quia sic in omnibus quodam modo sunt omnia, & præsertim in superioribus per eminentiam includuntur inferiora, ita dicimus Mentem esse oculum animæ; & Deum cuncta videre & audire. At si propriè loqui volumus, & sensus secundum propriam naturam considerare, profectò solis mortalibus, non autem æternis sensus competunt.

*Cur Cœlo non competant sensus.*

Ratio est, quia cum Deus nil faciat frustra, vt dicitur primo de Cœlo 32. vel sensus tribui debent Cœlo ob salutem corporis, vel vt inseruiant Menti; non primum, quia lædi non potest, & alimento non eget; non alterum, quia Mens Cœlorum intelligit per essentiam, non per Phantasmata oblata per phantasiam, cum pro suo intelligendi munere, non egeat alio. Præterea inferiores animæ facultates, competentes mortalibus, necessariæ sunt ob indigentiam & imbecillitatem, prodeuntem ex prima materia mortalium, at posita supra hanc materiam, immunia sunt ab ea priuatione & potentia, quæ imbecillitatis & indigentiæ est origo: ideò dicuntur collocata supra nutritionem & sensum. Et confirmatur, quia si in Cœlo facultas superior exposceret inferiorem, tunc in eo etiam essent sensus tactus & gustatus, quod penitùs est absurdum, cum tactus sit positus in contemperamento primarum qualitatum, quibus nudatum est Cœlum; & gustatus solùm competat his, quæ nutriuntur. Demùm cum facultas & instrumentum sibi respondeant, vt dicit in secundo de Gener. Animalium, capitu. 3. quemadmodum Cœlo non competunt instrumenta sensuum, sed corpus est consimile, ita non

competunt

competunt facultates sentiendi, quod si ad similitudines, metaphoras, & eminentias confugimus, id nobis non obest, cum de propriè sumptis sensibus loquamur. Relata pro parte aduersa facilè diluuntur, nam quod pertinet ad contextum 61. tertij de Anima, conspicuè eo in loco Philosophus remouet à Cœlo sensus, vt Simplicius, & Philoponus fatentur: & cum verba Philosophi vario modo legantur, semper tamen ex eis eadem veritas elicitur: communiter ita leguntur. Fieri non potest, vt corpus habeat animam, & Mentem secernentem, sensum autem non habeat, cum non maneat, generabile autem, at vero neque ingenerabile, hoc est, regula ea vera est de subiectis ortui, non autem de expertibus generationis. Addit, quare enim non habebit? hoc est quæ est causa, vt expertia ortus non habeant sensum, ratio est: quia frustra eis competeret, cum non conducat, nec pro corpore, nec pro mente. In alijs codicibus legitur: quare enim habebit? & sententia est clarior. Addebatur sentiens esse præstantius non sentiente. Soluitur id esse verum cæteris paribus, & esse verum de indigentibus sensu ob eorum imbecillitatem; at Cœli sunt supra huiusmodi indigentiam & imbecillitatem. Sententia Auicennæ, qui Cœlo Phantasiam tribuebat frequenter reijcitur ab Auerroe, & præsertim, secundo Cœli trigesimoseptimo, in libro de substantia Orbis, duodecimo Metaphysicæ trigesimosexto, & alibi, & iure. nam Phantasia est motus factus à sensu, vt dicitur in secundo de Anima; in Cœlo autem non sunt sensus. Insuper phantasia in Cœlo pro mente non requiritur, cum non intelligat per phantasmata. Demùm nil est in Phantasia, quod prius non fuerit in aliquo externo sensu; nec requiritur in Cœlo Phantasia, vt noscantur particulares Cœli reuolutiones, quia Mens Cœli mouens Cœlum, sine Phantasia, & eminenter cognoscit, requisita pro suo munere obeundo, nec est colligata cum aliqua alia facultate, adeò, vt illa egeat pro fungendo munere suo. Iure itaque Aristoteles in secundo de Anima 15. & 32. de solis mortalibus ait, id esse verum, quòd facultates animę præstantiores præsupponunt alias, non autem de æternis.

*Diluuntur rationes aduersa.*

## *De multitudine Cœlestium Orbium.* Cap. XXV.

RETVLI in consideratione quintæ essentiæ putasse eos, qui Orpheum, & Phœnices Theologos sunt sequuti, Animam Mundi, iunctam cum supera Mente, & per actum intelligendi eius redditã secundam, spirasse, continentemque spirare communem, vitalem, lucidum, & perspicuum spiritum, qui per vniuersum vsque ad centrum sine permixtione cum alijs, effunderetur, qui in terminis Mundi seorsùm ab alijs corporibus reperiretur; cætera verò non sine eo, sed per illum continerentur, seruarentur, & communis vitalis caloris portionem reciperent, & ex eodem animæ rationales vehiculum sibi proprium sumerent, & vbique possiderent. Hunc communem spiritum, Cœlorum Cœlum, & commune Cœlum dicebant, in quem mox animæ orbium spirãtes, proprium sibi sine permixtione constituerent orbem, vt sine permixtione lumina plura & immateriata corpora simul seruentur, qui orbes, quamuis maximè in sua propria sede vigeant, omnes tamen vsque ad centrum effunduntur, ne sphęra eorum sua interna absolutione careret, veluti etiam existimauit Simplicius in lib. Physic. 6. comm. 23. Hunc communem spiritum puto denotasse Proclum, dum ex relatione Simplicij in digress. de loco, asseruit Locum esse Lumen. Eundem quoque tetigere Stoici, asserentes vniuersum communi quodam spiritu ligari. Auicenna etiam, qui ex Academicis nonnulla desumpsit, consimilem in parte sequutus est sententiam, quatenus dixit, ex Intelligentia siue Mente prodire animam Cœli, & ex anima Orbem. Ex horum itaq; sententia, sphæræ ita se habent, vt vna sit communis, mota motu diurno, multæ particulares, sed ita complicatæ. vt superiores includantur in interioribus, non autem vice versa. Hæc potiùs eximiam quandam veterum sapientum cogitationem, eminentemque abstra-

*Sententia Orphei.*

*Simplicius.* *Proclus.* *Stoici.* *Auicenna.*

ctionem,& admirabilem ad sublimia eleuationem patefaciunt, quàm naturam propriam,& conditionem Cœli explicent,sensui & experientiæ consentaneam. Aduersus quam differendum non puto,sed potiùs vt imaginationem quandam eximiam, honorandam & prætereundam; & præsertim cum Aristotelem sequar, qui per solos sensus,cum ratione iunctos, in naturæ rerum indagatione progressus est. Propterea

*Opinio secunda.* dixere alij, cœleste corpus esse vnum,consimile, & simplex, in quo omnium purissimo, suo motu mouerentur Stellæ,non secus ac aues per aerem. Quod confirmant: quia vt sphęra terræ vnica est,similiter sphęra aquæ,aeris, & ignis, ita sphęra quintæ essentiæ vnica & non multiplex iudicari debet,& præsertim, quia est simplicissima, & suprema omniũ corporum;simpliciora autem, & eminentiora, minus cæteris multiplicantur;ascendentes namque in vnitatem imus.Præterea,id ipsum ostenditur, quia motus simplex,& naturalis ille est,qui naturam simplicium corporum nobis ostendit at motus simplex in orbem:vnde dicitur,nec vt motuum rectorum vnus magis ducit sursum,quàm alius,veluti motus ignis,quàm aeris,ita de motu in orbem dicere valemus,cum semper motus in orbem teneatur circulum absoluere. Ex aduerso tamen,

*Euersio.* quia conditio quintæ essentiæ est,vt sit fœcundissima,vt sit simplicissima, & latissima, vt includat semina omnium,vt respondeat subordinatis gradibus intelligentiarum,vt deferat motibus varijs Stellas varias,vt sua varietate harmoniam eminentissimam producat,vt varietate aspectuum varia suo lumine & motu influat, etiam multitudine & ordine variorum orbium debet esse prædita: nam si aer in varias distribuitur regiones,si varij conceduntur gradus ignis,quorum corpora, comparata cum parte ætherea,valde sunt exigua,longè magis amplissimi orbes Cœli iudicari debent multi, & præsertim quia varietas motus Stellarum id lucidissimè nobis patefacit. Propterea

*Tertia.* non defuere nonnulli,qui tot Cœli dixere esse orbes,quot sunt stellæ, cum enim maior de vna stella,quàm de altera non videatur esse ratio;& stellarum,quæ dicuntur Planetæ,distincti sint orbes;cæterarum quoque stellarum distinctos esse orbes existimandum videtur.Quæ sententia approbanda non est, quoniam Planetarum stellæ distinctos nobis indicant orbes varietate & distinctione suorum motuum;at stellę aliæ cum consimili motu moueantur,& semper inuicem æquè distent, oppositum patefaciunt, nempè in eodem orbe esse collocatas.Neque etiam sententia Auenazræ approbanda est,qui in eadem sphęra Solem,Venerem,& Mercurium collocatos putauit,sola inuicem Epicyclorum distinctione seiunctos,nam præter id,quod Epicycli sunt commentum quoddam,etiam Epicycli Veneris diameter,tam magna esse non potest, sine descensu ad inferiores orbes,vt per illam valeat Venus modò præire soli per quadraginta & octo fere gradus, modò per totidem illum sequi. Propterea Aegyptij & vetu-

*Quarta.* stiores Astronomi,quos sequuti sunt Aristoteles,Plato, & aliorum plurimi, octo dixere esse Cœlorum subordinatas & concentricas sphęras, nempè septem Planetarum,& octauam Stellarum,quas quia in eodem sunt orbe, eodem motu mouentur, & æquè semper inuicem distant, fixas nuncuparunt. Cum enim nos non videamus Cœlos, sed Lumen, quod per Stellas effunditur, quia in Stellarum motibus solùm octo varietates inspicimus,ideò solùm octo & non plures,valemus colligere esse sphęras.Non defuere deinde alij,qui seruantes etiam in octaua sphęrã præter motum diurnum motus alios,addidere quidam nonam,alij decimam quoque sphęram proprio motu mobilem, quibus Theologi aliam præesse asseruerunt, quam Cœlum Empireum & beatitudinis nuncuparunt. Sed quoniam sphęris supra octauam collocatis nulla competit Stella;& sphęra siue orbis ob stellam ab Aristotele iudicatur paratus, ideò nil certi de illis dicere valemus: & præsertim, quia per principia Peripateticorum, si supra octauam conceduntur alij orbes; illi non Sphęræ principales & distinctæ iudicari deberent, sed solùm distincti orbes, parati pro constitutione & motu octauæ sphęræ, innumeris Stellis insignitæ; nam si pro constituendis sphęris Planetarum,& pro earum motibus parati sunt varij Orbes, sphęram singulorum Planetarum

rum distinctam constituentes, etiam rationi est consentaneum, vt id ipsum seruetur in constitutione octauæ sphæræ. Octo itaque probabiliter statuuntur Sphæræ Cœli, pro Stellis, tanquam potioribus, per quas operantur paratæ, & singulæ ex orbibus varijs constant, vt cum Astronomis cõfitetur Aristoteles, de quibus distinctè agere ad Astronomos pertinet. Rationes autem quibus oppositum ostendebatur faciè diluuntur. Nam instantia sumpta ex sphæris Elementorum reijcitur; tum quia etiam in Elementis, & præsertim superioribus consideratur aliqua nuncupatarum regionum varietas, tum insuper quia essentia quinta est fœcundior, & magnitudine adeò est ampla, vt vniuersus Elementaris orbis vix sit portio sensibilis, dum cum vniuerso æthereo corpore comparatur. Et dum asseritur, quod ascendendo imus in vnitatem; verum est de ordine generum, & de incorporeis; at loquendo de corporibus, contra se habet, quia amplitudo sequitur eorum perfectionem; solùm de corporibus verum est, quòd superiora sunt simpliciora. Ratio sumpta ex motu simplici orbiculari primò reflectitur, quia conspicua est motuum Cœli varietas: secundò soluitur, quia motus simplices sunt tres genere: at non numero vel specie, & præsertim multi specie iudicari debent motus orbiculares, ob multitudinem orbium, & ob conditionem motorum; mouentur enim, non vt Elementa per solam suam propensionem, sed a propria Intelligentia, gradu & ordine ab alijs distincta.

Conclusio.

Rationes ad uersæ.

## De Principatu Sphærarum Cœli. Cap. XXVI.

OCTO statuebantur principales Cœli Sphæræ, sumpta sphæra pro congregato ex varijs orbibus, ad motum alicuius Stellæ conspirantibus, de quarum ordine non idem sentiunt omnes; Aegyptij enim & vetustiores Astronomi, quos sequuti sunt Plato, & Aristoteles, Solem proximè supra Lunam statuerunt; sententia tamen nunc communi consensione approbata est, vt Sol inter Planetas medium sibi optet locum, adeò vt nobis proxima sit Luna, supra quam sit Mercurius, Mox Venus, quartò Sol, mox Mars, Iupiter, Saturnus, quibus præstet Sphæra octaua, innumeris stellis decorata; de quarum sphærarum præstantia & dignitate non omnes idem sentiunt. Nam comparando sphæram octauam cum alijs, proculdubio ea principatum obtinet, cum sit amplissima, innumeris stellis insignis, respondeat motori primo tanquam sedes eius, motu moueatur velocissimo, qui est mensura cæterorum motuum, & longissimè ab humili centro recedat, aliaque non egeat, à qua contineatur. Dum autem inuicem Sphæræ Planetarum comparantur, existimant Astronomi Solem præstare cæteris, Lunam verò cedere cunctis, idque eliciunt ex præclarissima Luce Solis, ex varietate temporum ex ea pendente, ex conspicua actione in hæc mortalia, ex loco eius, nam tanquam Rex in medio Planetarum est collocatus, ex eo quod reliqua omnia corpora & inferiora, & superiora ab eo lumen recipiunt, & aliquam facultatem, ipse vero nequaquam ab alijs aliquid recipit. Hinc Sol & homo dicuntur generare hominem, quod non ita dicitur de reliquis Planetis. Propterea aiunt Astronomi, Solem tanquam Regem magistratus distribuere in reliquos Planetis, & cum Planetæ respondeant Metallis, vel potius metalla Planetas, Soli aurum præstantissimum metallorum respondere aiunt; & de hac dignitate & præstantia varia leguntur apud Astronomos, quæ missa facio. Ex aduerso tamen Peripatetici ordinem dignitatis simplicium corporum ordini locorum respondere existimarunt, adeo vt quemadmodum Terra est vilissima omnium, aqua præstantior, mox aer, ignis demùm præstantissimus: ita humilissima, inter Planetas sit Luna, mox superiores orbes, quo sunt superiores, & magis à centro distãt, eo sint præstantiores. Quod indicauit Aristoteles in primo de Cœlo context. 16. in-

Aegyptij.

Sphæra octaua præstantissima.

Opinio Astronomorũ

Peripatetici.

Aristot.

quiens, ex ostensis patere dari corpus, præter ea, quæ propè nos sunt, eo honorabiliorem babens naturam, quo plùs distat ab his, quæ hic sunt. Insuper constitutis extremis cætera mensurantur per recessum vel accessum ad ea. Hinc Aristoteles in secundo de Cœlo contex. 66. inquit, id esse melius, quod optimo est proximius, cum autem primū mobile præstantissimum sit omnium, cætera eo sunt præstantiora, quo ei sunt propinquiora. Insuper id ipsum confirmatur, quia superioribus orbibus eminentiores & superiores Mentes respondere putandum est; præstantia autem orbis præsertim ex propria Mente pendet, & præsertim quia locus locato debet respondere, orbes autem suarum mentium loca esse dicuntur, vt eis aptus est locus competere; hoc etiam cōprobari potest considerando motum illum, qui totius esse dicitur, nempè diurnum, qui præsertim perfectionem indicat, & consimilitudin m cum primo mobili. Hoc motu eo velociùs Cœli orbes mouentur, quo sunt sublimiores, & superiores. Quare his & similibus rationibus colligere valemus sententiam Aristotelis cæteris esse præferendam, nempè quòd ordo dignitatis sphærarum respondeat ordini positionis hinc continens semper obtinet rationem formæ, dum refertur ad contentum, vt dicitur in 4. de Cœlo 22. & quoniam suprema sphæra maximè omnium corporum est formalis, minusq; egens; hinc ab alio corpore non continetur, sed continet alia. Non me latet Illustrem Io. Picum lib. 7. aduersus Astronomos, cap. 9. existimare, Planetas præstare stellis fixis, & ob id Cosmocratores, hoc est Mundi dominos nuncupatos à veteribus fuisse. At eius rationes si quam vim habent, solùm ostendunt imperium Planetarum & præsertim Solis, comparando Solem cum singulis stellis seorsum, at non simul consideratis. Fundamenta quoque & rationes relatę pro dignitate, & præstantia Solis facilè diluūtur. Pro quarū solutione præaccipio nō esse difficilè opiniones Astronomorum & Peripateticorum conciliare. Nam præstantia & dignitas duplex est, vna absoluta, altera per relationem ad aliquid, & in aliquo genere. Sententia Peripateticorū vera est, considerando præstantiam absolutam, respondentem ordini, & conditioni sphærarum, absolutè considerata rum: sententia verò Astronomorū vera est de pręsentia cum relatione ad mutationes & varietates generationis mortalium; nam Philosophi absolutè considerant naturam rerum, Astronomi præsertim considerant stellas cum relatione ad transmutationes & constitutiones mortalium, & hoc ostendunt rationes eorum. Planetæ inferiores enim magis conducunt pro rerum permutatione, superiores pro conseruatione; inferiores & præsertim Sol operantur magis conspicuè, superiores latentiùs; inferiores magis referuntur ad mortalia, superiores ad supera; inferiores descendunt ad magis propria, superiores magis conducunt pro communibus; corpus Solis est lucidius, at orbes superiores sunt puriores, sinceriores, & eminentioris essentiæ.

*Io. Picus.* *Concilium.*

## *De qualitatibus Cœli.* Cap. XXVII.

CONSIDERATVR in Cœlo primò essentia, secundò quantitas, tertiò qualitas, quartò motus; decursa sunt attinentia ad essentiam; pro quantitate aliquid de Sphærarum numero diximus, de mensura autem Cœlestium corpori loqui ad Astronomum pertinet, hoc solum vniuersè dicam, dimensiones & magnitudinem Cęli distinctæ esse speciei, à magnitudine mortalium, cum enim essentia subiecti sit genere vniuoco distincta, & solùm habeat commune ab vno cum mortalibus, est necesse, vt id ipsum quoque iudicetur de accidentibus; loquendo autem de qualitatibus, competunt Cœlo figura, densitas, raritas, perspicuitas, opacitas, Lux siue lumen, & colores: de figura verba feci in libro de Mundo; loquendo autem de raro & denso, præaccipio rarum dupliciter vsurpari; Primò pro denotante positionem partium, intra quas mediet corpus distinctę naturę, vt spongia, & lignum aridum rara dicuntur, de quo mentionem facit

*Moles Cœli est distincta speciei ab ea mortalium.*

cit Aristoteles in Prædicamento Qualitatis; & huiusmodi rarum non competit Cœlo, cum sit corpus simplex, non permixtum cum alijs corporibus. Secundò vsurpatur, vt rarum denotat tenue, & laxum; densum verò crassum, & compactum, in qua significatione, & Cœlum & Elementa dicuntur & rara & densa, sed vario modo: Elementa id habent per materiam aptam recipere extensiones & intensiones varias, per varias formas, nam maximam extensionem recipit per formam ignis, minimam per eam Terræ; Cœlum autem solùm id habet per distinctam conditionem suæ essentiæ, cui per naturam competit maior vel minor tenuitas & compactio sine vlla violentia & permixtione. Sic dicimus Stellam esse portionem densiorem orbis, & constituentes modo aliquo viam lacteam in Cœlo, non quidem Meteorologicam, sed Aethercam, & causam Meteorologicæ dicimus eam Zonam vt lucidiorem, ita densiorem esse, vt etiam partium Lunæ nonnullas magis, alias minus densas asserimus. Cum denso & raro satis iuncta sunt perspicuum, & opacum; quæ duo etiam locum habent in Cœlo, & apprimè Mundo sunt salutaria, nisi enim Cœlum luci esset peruium, in tenebris versaremur; & nisi portiones quædam densiores, & opacæ in eo reperirentur, non repercuterentur radij Lucidorum corporum, & quadam virtute & facultate, munere reflexionis geminarentur, potentioresque redderentur. Perspicuitas magnam habet cum raro affinitatem, vt opacitas, cum denso: & ob id Auerroes in secundo capitulo de substantia Orbis dixit, perspicuum sequi rarum, opacum verò densum. Quod tamen omni ex parte verum non est. nam vitrum, & lapilli nonnulli sunt perspicui, cum tamen sint densi, & multa corpora his rariora sunt opaca; ideò potiùs dicendum est perspicuitatem sequi naturam corporis, immunem à fece Terrea, vel conditione eius; Hinc vt corpora reddantur perspicua, à fece Terrea depurantur; & quo magis corpora simplicia distant à Terra, eo magis perspicua inspiciuntur. Cœlum vniuersum est perspicuum; Sol cum sit summè Lucidus, non dicitur perspicuus, sed eminentioris conditionis, quatenus perspicuum paratum est pro recipiendo alieno lumine, hinc eius sua conditione debet esse expers. Corpus lucidum, vt Lucidum est, non est luminis capax, sed id sui conditione includit gradu eminentiore, quàm perspicuum. Stellæ similiter cum ex se lucidæ sint, plùs lucis habent, quã aliunde recipere valeant: hinc si non dicuntur perspicuæ, id non habent ex conditione Terræ, sed ex præstantia suæ Lucis; adeò vt quemadmodum colorata apud nos dicuntur perspicua, terminata opaco Terreo; ita Lucida in Cœlo dici possunt perspicua, formata & terminata luce propria. Sol Luna ita se habet, vt cum sit infima, simul sit & Lucida; cum habeat aliquid propriæ Lucis, & perspicua, recipiendo lumen à Sole. perspicua est in partibus exterioribus; opaca verò in intimioribus: Lumen recipit in parte inspiciente Solem, tenebricosa autem remanet in opposita, nam cum quadam remissione hæc omnia non sine eximia prouidentia ei competunt, sua enim Luce, quamuis exigua, conditionem suam æthercam, suasque vires proprias retinet & seruat; sua perspicuitate recipit radios & Lumen solis, sua opacitate eas repercutiendo reddit validiores, & fit æmula Solis; & propterea inter Planetas Luna ob sui opacitatem dicitur includere conditionem quandam Terræ. Sic itaque in vniuerso suprema corpora, & Lucida & perspicua sunt; infima, vt Terra, nec perspicua nec Lucida; media verò sunt perspicua quidem, at non Lucida, non enim ignis purus lucet. De natura autem Lucis, perspicui, & opaci, in libro de sensu visus latiùs verba feci.

*Cœlum quo rarum vel densum.*

*In Cœlo perspicuum & opacum.*

## *De Luce & Lumine Cælesti.* *Cap. XXVIII.*

*Lux regina qualitatũ.* PRINCEPS & Regina qualitatum omnium Lux est, cui densum, rarum, perspicuum, & opacum famulantur, & seruiunt; ex qua colores prodeunt, vel perfectionem recipiunt; in qua primæ nuncupatæ quatuor qualitates, & præsertim calor vnitissimè, & eminentissimè, vt in causa, includuntur; per quam Cœlum & Orbis vniuersus fulget, decoratur, & gratijs varijs insignitum inspicitur. Luminis nomen ob præstantem eius conditionem varijs tribuitur, & sex eius sunt præcipui gradus: datur enim primò Lumen Gloriæ; secundò, Lumen Fidei; tertiò, Lumen naturale ingenij humani; quartò, Lumẽ Cœlestium corporum; quintò Lumen incensionis; sextò, Lumen mixtionis, quo mixta nonnulla, vt preciosi Lapilli, fulgent. In Lumine corporum instituto nostro inseruient, considerantur octo gradus: primò, reperitur corpus Lucidum; secundò, Lux eius; tertiò, radius ex eo prodiens; quartò, Lumen, quod à radio in perspicuo producitur per primam & conspicuam eius repercussionem; quintò, splendor, qui est fulgor repercussi radij; sextò, sequitur vmbra, & est medium perspicuum, in quo ob impedientis alicuius corporis opacitatem, non per primam & efficacem repercussionem, sed per secundam & leuem, appareat Lumen; septimò, inueniuntur tenebræ, quæ sunt priuatio Luminis in medio apto id recipere: hinc in centro Terræ nequaquam reperiuntur Tenebræ, nisi ibi sit aliquid aeris; demùm consideratur opacum, quod nec Luminis, nec tenebrarum est capax. Lux in Cęlo est qualitas, ne dum prima, verùm etiam supra primas mortalium collocata, easque eminenter includẽns. In mortalibus verò Lux est qualitas secunda, ex incensione prodiens, vel ex temperamento aliquo primarum qualitatum: & considera, quòd Lumen non est Lux propagata, vt calor à calore; sed est imago Lucis, eiusque spiritalis actio & repræsentatio: Lux Cœli, vt secundum esse est conspicua, ita quid sit, est obscurius tenebris. Iulianus Platonicus ex sententia Phœnicum dixit, Lucem inuisibilem esse internum actum superæ Mentis; actum autem internum animæ Mundi esse Lumen inuisibile; externum demùm eius actum esse Lumen visibile, adeò vt Mens sit tanquam fons Lucis, means per animam, cuius actus extrinsecùs prodiens sit Lumen visibile. Lumen est in mente per modum causæ; in anima secundum formam; extrinsecùs verò per participationem; Vt dempta ex humano corpore anima, membra remanent spiritu & splendore distituta; ita ablata ex Cœlo Mente, Cœli corpus remanet tenebricosum. Verùm hæc Academicam potiùs quàm Peripateticam redolent sententiam, & solùm indicant à Mente & anima reliqua perfici & seruari. Mitto eorum sententiam, qui Cęlum lucere dixerunt, quia sit igneum, & Stellæ æterni ignes, hinc Plato Lucem in Timęo inter ignis species numerauit, quæ sententia iam reiecta est. Propterea sequentes Peripateticorum principia, dicamus, Lucem esse qualitatem Cęlestem & primam, insequentem naturam Cœlestis corporis, visui congruentem, eminentia qualitates primas mortalium corporum & præsertim calorem includentem. De huiusmodi Luce loquendo, dubium est, an competat vniuerso Cęlo, vel ne? & si vniuerso non competit, an competat saltem singulis Stellis, vel Soli tantum? Nonnulli putarunt tantùm Soli competere, quia deueniendum est ad vnum primum in lucentibus, quod sit causa luminis cæterorum. Alij dixerunt competere singulis Stellis, præsertim tamen Soli, & non orbi, quoniam recipiens & deferens debet ex se esse immune à forma recipienda, eaque esse priuatum. Puto ego rectiùs eos sentire, qui vniuersum Cœli corpus lucis sui conditione esse participes existimant, è quorum numero fuere Phœnices, & cum eis Academici omnes: quam opinionem approbat etiã Simplicius in secundo de Anima, exponens cont. 68. & iure profectò, cum enim Lux sequatur conditionem eminentem, & nitidam Cœlestis corporis; & vniuersum Cœleste corpus sit eiusdem essentiæ, vnitate quadam ab

*Luminis sex gradus.*

*Octo gradus ad Lucem attinẽtes.*

*Quid Lux. Iulianus.*

*Academici*

*Descriptio cælestis Lucis.*

*Opinio quorundam.*

*Opinio propria.*

vno;

vno;est necesse vt fateamur, si pars aliqua lucet, vt luceant omnes, magis tamen & minus, vt compactam, concretam, & conglobatam magis & minus portionem quintæ illius essentiæ includunt. Confirmatur: quoniam nisi vniuersum Cœleste corpus lucidum esset, non posset vniuersum sua Luce cuncta fouere, & in cætera suas vires suaq; munera effundere, operatur enim Cœlum sua Luce tanquam propria qualitate. Prætereà, si corpora varia apud nos, à terrea fece purgata, lucent; longè magis putandum est lucere Cœlum vniuersum, quouis mortali corpore nitidius & purius. Hinc etiam Luna dum per Terræ interpositionem lumine priuatur à Sole recepto, adhuc aliquid proprij luminis seruare videtur, per quod inspici potest. Et demùm vt primæ Elementorum qualitates, eorumque propriæ, ita eis competunt, vt in singulis partibus inueniantur, veluti calor & siccitas in singulis partibus ignis. Ita lucem qualitatem primã Cœli, eminenter includentem qualitates Elementorum, eisque congruente ratione respondentem, putandum est in singulis Cœli partibus inueniri. Quare dicamus, subiectum adæquatum Cœlestis Lucis esse vniuersum Cœleste Corpus; subiectum principale, facta comparatione inter Orbes, esse octauam Sphæram, quæ ob extensionem maiorem, & innumerum numerum stellarum, plurimum lucis includit. Comparatis autem inuicem Stellis, Sol maximè omnium, Luna minimè sua luce lucet. Ex his eliciuntur solutiones aduersarum rationum. Dicebatur primò, in Lucidis deueniendum esse ad vnum primum: iam ego patefeci, id primum distincta cõsideratione statui posse varium, & præsertim primum adæquatione esse vniuersum Cœleste corpus. Addebatur, quòd cum Orbes Cœlorum recipiant Lumen à Sole, debent esse expertes Lucis. Respondeo recipiens debere esse immune à forma recipienda non in specie, sed in gradu, veluti aqua tepida, etsi aliquid caloris includat, adhuc tamen exactiùs calefieri potest; ita Cœlestia corpora cum sint prædita Luce obscura, & tanquam inchoatione Lucis, fœlicissimè recipiunt intensionem eius & perfectionem, non secùs ac etiam oculi animalium.

*Conclusio.*

*Diluuntur rationes aduersæ.*

## *An Cœlo competant colores & aliquæ aliæ qualitates?* *Cap. XXIX.*

APPARVIT Lucem, & qualitates nonnullas cum Luce affinitatem habentes, & præsertim perspicuum, in Cœlo cumulatissiè locum habere, eiq; primo & eminentissimo competere: dubium modò est de cæteris qualitatibus, & præsertim de coloribus; cum enim colores cum Luce maximam habeant affinitatem, videtur dicendum maximè debere competere Cœlo, & præsertim quia Cœlum visu percipitur, visibilia autem debent esse prædita colore, cum omne, quod videtur, videatur & iudicetur vt coloratum. Hinc Astronomi Planetis varijs, varios tribuunt colores. Insuper si quispiam per imaginationem collocatus esset sub Lunæ orbe, & manu tangeret Cœlum, profectò sensu tactus illud perciperet: tangibile autem debet esse præditum qualitatibus tangibilibus, quales sunt calor, frigus, & similes. Et confirmatur: quia in Cœlo est connexio partium, quæ non fit sine humore, vt dicitur in 2. de Ortu & Interitu: reperitur durities, attinẽs ad siccum, quare videtur dicendum, cęteras quoque qualitates competere Cœlo, & præsertim, quia nil est in mortalibus, quod primò & præsertim non sit in Cœlis; Hinc veteres Philosophi, cęteras etiam qualitates Cœlo competere existimarunt. Pro cuius difficultatis resolutione accipio primò, contrarietates dupliciter vsurpari, vel propriè, vel latè: propriè contrarietates sunt illæ, quæ inuicem agunt, & in eodem subiecto successione aptę sunt fieri, quarum præcipuæ sunt calor & frigus, humor & siccitas, ex quibus pendent aliæ, quę qualitates secundæ nuncupantur, & sine primis qualitatibus nullus fit ortus & interitus. Hinc expertia earum ab ortu & interitu sunt immunia.

*Cœlo competere colores.*

*Astronomi*

*Primum quod accipitur pro solutione.*

munia. Secundò vsurpatur contrarietas latè, pro quauis formali distantia, & huiusmodi sunt rarum & densum, perspicuum & opacum, quæ competunt Cœlo; quæ non propriè dicuntur contraria, quoniam non sunt apta fieri in eadem Cœli parte, nec connexionem habent cum quatuor primis qualitatibus, ex quibus ortus omnis & interitus prodit. Hinc Cœlo solùm ea competit alteratio, quæ est perfectio sine vllo interitu, qualis est illuminatio; non autem ei competit vlla permutatio, quæ fit cum interitu iuncta; & ea, quæ in Cœlo dicitur contrarietas, est potiùs ordo quidam, quàm reyera contrarietas. Insuper accipio Cœlum à nobis nullo sensu sentiri, præter quàm visu, cæteris sensibus eminentiore. Inquit Simplicius in 2. de Cœlo 35. nos Cœlum non videre, sed stellas tantùm, in cõm. 37. ait, neque etiam stellas nos videre, sed irradiationes tantùm factas ab eis, qua apparente verborum controuersia, indicat nos videre quidem stellas, sed imperfectè, & leuiter, quatenus eas solùm videmus per emissos effusosque radios, sed hoc commune est omni corpori lucido, etiam propè nos existenti, vt id solùm per lumen ex eo effusum inspiciatur, per id tamen & figuram & motum lucidi corporis intuemur. At cum etiam Cœlum modo aliquo sit ex se lucidum, non est alienum à ratione, putare nos modo aliquo etiam Cœlum videre per lumen ex eo effusum. Accipio tertiò colores dupliciter vsurpari, vel pro qualitate secunda, ex primarum temperamento consurgente; vel pro lumine ex radijs definito quodam gradu receptis, & repercussis, quales sunt colores Iridis, qui non sunt specie & natura distincti à lumine, siue etiam pro ipsamet luce, quæ ob varietatem lucidi corporis colores varios nobis aspicientibus offert. Colores in prima significatione Cœlo non competunt, cum sit immune à mixtione, & primis qualitatibus. Colores pro Luce vel intensiore vel minus intensa, ei competunt, per quos Planetæ varij, coloribus varijs dicuntur præditi. Colores quoque ex radijs receptis in alio, & repercussis, Cœlo non repugnant, quales sunt colores, qui apparent in Luna per lumen Solis in ea: receptum præsertim tamen huiusmodi colores, ex repercussione radiorum consurgentes, apparent sub Cœlo in nubibus, & condensato aere, vt colores Iridis, qui sunt & veri & non veri colores: sunt veri, vt sunt ipsummet Lumen, vario modo receptum & repercussum: non sunt veri, quia non sunt colores materiati, ex temperamento prodeuntes. Id ipsum dicendum puto de via Lactea, quam plurimi Cœlo, Aristoteles aeri, vt rem Meteorologicam tribuit: Nam via Lactea competit Cœlo, vt causæ eleuanti, congreganti, & illustranti Vapores: competit proximè, vt affectio Meteorologica aeri, & vaporibus eius, per propriam formam, qua nobis se offert, adeò vt partim Aetherea, partim Meteorologica dici possit. Vt est ætherea, est firma, constans, & inuariabilis: vt est Meteorologica, multis varietatibus est obnoxia. Aristoteles in Meteoris eam considerauit, vt Meteorologica est, supponendo vt causam, viam Lacteam æthercam, & hoc fundamento seruari potest sententia Aristotelis, & diluuntur rationes omnes, quibus Philoponus & alij multi eam euertere nituntur. Ex his patet, quid de coloribus Cœli sit dicendum. De qualitatibus autem tangibilibus sententia fuit Alexandri (referente Simplicio in secundo de Cœlo 35.) Cœlum tangibile esse: nam profectò, si nobis datum esset manu Cœlum tangere, illud sensu tactus iudicaremus: At dico, quòd illud iudicaremus, non vt præditum qualitatibus primis, sed vt sua duritie obsistens extensioni manus, & impediens diuisionem: durum autem & solidum inter tangibilia numerantur. Vt verò calidum & frigidum, tantùm per negationem iudicaretur, quatenus nulla simili qualitate sensum moueret, quare in Cœlo inueniuntur qualitates quædam tangibiles, vt solidum & resistens, distinctæ naturæ à mortalibus, & solùm eminentia quadam includentes, nil enim est in mortalibus, quòd non reperiatur in Cœlo, modo saltem eminenti, & tanquam in causa. Et quia dicebatur, continuata corpora necti per humidum. Dico id solùm esse verum de mixtis mortalibus, non de simplicibus, & longè minus de Terra. Ex his quoque elicio solutionem cuiusdam difficultatis, quæ est, an qualitates Cœli diuidi possint in primas & secundas, vt diuiduntur

*Alterum.*

*Tertium.*

*Qui colores competant Cœlo.*

*Colores Irides.*

*Via Lactea.*

*De qualitatibus tangibilibus.*

*An Cœlo competant qualitates prima & secunda.*

qualitates mortalium? Nam dico propriè ita non posse diuidi, sed solùm secundum quandam similitudinē & eminentiā; propriè ita non possunt diuidi, quoniam illæ qualitates propriè nuncupantur secundæ, quæ prodeunt ex mixtione primarū, cuius mixtionis Cœlum est expers: sunt tamen tales secundum similitudinem, quatenus Lux, quæ in mortalibus est qualitas secunda, in Cœlo est prima, non pendens ex alia: Similiter figura, soliditas, densum, & rarum, in Cœlo qualitates primæ sunt, ex prioribus non prodeuntes. Colores verò obtinent modo aliquo locum Qualitatis secundæ, quatenus ex Luce prodeunt. Ex quibus omnibus elicio ob eminentiam conditionis Cœli hæc omnia sine controuersia de eo dici posse, nempè vt videatur, & non videatur, eique competant & non competant colores, contrarietates, qualitates tangibiles, qualitates secundæ, & alterationes. *Conclusio.*

## *Cur Cœlum moueatur in Orbem?* Cap. XXX.

DE eis rebus attinentibus ad Cœli essentiam, numerum Sphærarum, ordinem, & qualitates: reliquum est, vt de attinentibus ad motum, verba faciamus. Cœlum moueri in Orbem cùm sensu ex se constat, tùm consensione Sapientum ferè omnium approbatur: at cur ita in Orbem continenter reuoluatur, & motui eius nulla quies succedat, non tam conspicuè constat. Qua de re verba faciens, accipio primò, motum Cœli orbicularem quatuor modis posse considerari: Primò in se, & absolutè. Secundò, cum relatione ad suos motores. Tertiò, cum relatione ad mobile. Demùm, cum relatione ad Mundum Elementarem, & ad Orbem vniuersum. Dum primò secundum se consideratur; decem conditionibus inspicitur præditus, præstantiam & dignitatem præseferentibus: inspicitur enim ex se perfectus; sui natura definitus; summè simplex; velocissimus; continuatus; rationis consimilitudine præditus; locum non mutans, nec eo egens; carens contrario; difficultatis & violentiæ expers; & demùm velocitatis & tarditatis vniuersam latitudinem includens. Est enim ex se perfectus, cum non egeat alio termino, num ei circumscribente, vt motus rectus, immò semper in principio, medio, & fine esse dicitur. Est sui natura definitus, cum non latiùs extendatur, quàm sit sui mobilis dimensio, & mensura. Est summè simplex, cum non velocior sit modò, modò tardior, vt motus grauium & leuium, nec modò per densius, modò per rarius medium fiat, vel modò distantius, modò proximius sit suo loco, & fini, nec cum contrario aliquo, vel motu recto misceatur. Est velocissimus, quia nullum medium ei obsistit, & partes omnes æquè à medio distantes, æquè ad reuolutionem conspirant: ac etiam, vt inquit Aristoteles in secundo de Cœlo 29. earum, quæ à seipsa in seipsam sunt, minima est circuli linea, per minimam autem motus fit velocissimus, & ob id dicitur mensura cæterorum motuum. Est motus verè continuus, quatenus reuolutio vna iuncta est cum alia, & inter eas non mediat requies, vt inter motus oppositos, & propterea solus esse potest vnus, æternus, & continuus. Dicitur præditus rationis consimilitudine, quatenus cum in sphæra innumeri valeant considerari circuli, cùm minores, tùm maiores, omnes tamen in sui motu eam rationis similitudinem seruant, vt medietas reuolutionis vnius respondeat medietati alterius, pars tertia parti tertiæ, & sic de singulis. Quod locum non mutet, nec eo egeat, conspicuum est. Hinc corpus, quod in orbem mouetur, dicitur moueri immobiliter, & simul moueri, & quietis cōditione frui: nam corpora mobilia egent ambiente, locante, vt seruentur, terminum recipiāt sui motus, suæque magnitudinis, quibus non eget motus in orbem. Quo autem pacto Cœlum sit in Loco, in digressione de Loco patefeci. Quòd contrario careat, latissimè ab Aristotele in primo de Cœlo declaratur. Quòd à labore, & violentia sit immune, ostenditur: nam motus recti quamuis sint secundum naturam, semper tamen cum violentia, & diffi-

*Cur Cœlum moueatur in orbem.*

*Motus Cœli orbicularis quatuor modis considератur.*

*Decem conditiones motus in orbē.*

& difficultate sunt iuncti; tùm quia fiunt extra proprium locum; tùm quia coguntur mobilia scindere medium; tùm tertiò, quia ab ambiente repelluntur à tergo, insequente ea, ne detur vacuum; tùm demùm, quia ea quæ mouentur, sunt partes per vim decisæ & seiunctæ à toto: quæ omnia violentiam includunt, & à motu in orbem longè absunt. Demùm, dicebatur particeps vniuersæ latitudinis, velocitatis, & tarditatis, quatenus circulus maximus, vt æquator, velocissimè reuoluitur, mediocres circuli mediocri reuoluuntur velocitate; exigui verò, & proximi verticibus Cœli, qui Poli dicuntur, tardè mouentur, adeò, vt in solo motu in orbem, vnà cum velocissimo, motus tardissimus in infinitum locum habeat, quia circuli excogitari possint in infinitum minores, cum linea propè polum, vt continua, in infinitum sit apta diuidi. Ob has motus in orbem conditiones, putandum est, motum illum Cœlo competere. Qui motus, si secundò ad motores referatur, summopere Cœlo est consentaneus: Motor enim est Mens à materia secreta, cuius conditio est, vt in se reuoluatur, ad cuius internæ reuolutionis imitationem, externa reuolutio formatur. Insuper, cum Mens moueat & tanquam efficiens, & tamquam finis; vt efficiens, contactu suæ virtutis orbem eminenti pulsione pellit; vt finis, in se trahit, ex quibus reuolutio consurgit. Demùm, quia Mens est motor immobilis, ideò eo debet mouere motu, qui vna immobilitatem includit. Hinc ait Aristoteles in octauo Physic. 52. manente primo motore, necesse est manere vniuersum, quod continuatur cum eo. Tertiò, dum motus refertur ad mobile, non debuit Cœlum alio motu, quàm orbiculari moueri, nam corpus figuratum figura sphęrica, præstantissimum, æternum, expers grauitatis, & leuitatis, immune à contrario, ex se terminatum, loco alieno & conseruante non egens, solo motu in orbem, illis conditionibus fœlicissimè respondente, moueri debuit. Demùm idipsum conspicuè refulget, dum motus ille, vel ad vniuersum, vel ad mortalem orbem refertur, dum enim ad vniuersum refertur, requiritur pro eius absolutione, vt motus simplex in orbem alicui simplici corpori conueniat, & cum per propriam naturam non congruat Elementis, debuit competere Cœlo; & iure profectò: nam extra vniuersum nihil est, necesse potest; & propterea corpus mundum ambiens non valuit moueri motu recto, modò ascendendo supra terminos mundi, modò infra eos descendendo, sed solo motu in orbem. Hinc inspicimus, quod corpora, quo magis à centro recedunt, eo magis reuoluuntur in orbem. Cum autem ad Mundum mortalem refertur, iure in orbem debuit moueri Cœlum, ita enim æquè distans à varijs contentorum ordinibus, æquè ea seruat, consimilem facultatem in ea influit, & simul ordinato suarum partium motu, ordinatissimam inter ea seruat vicissitudinem, adeo vt in eis ordinatissima quatuor anni temporum serie, cuncta producat & seruet, quæ ex rerum mortalium principijs apta sunt gigni; & hoc est mirum, quod ea quatuor celebrata tempora anni, quamuis in eadem regione subordinata, & inuicem pugnantia videantur, in vniuerso tamen mortali orbe simul omnia inueniuntur, dum enim nobis est Aestas, nonnullis est Autumnus, quibusdam Ver, alijs Hyems, & hoc nedum seruatur in temporibus anni, verùm etiam in diebus, noctibus, & intermedijs eorum, adeò, vt simul in vniuerso sine confusione & pugna, sint omnia. Mirus opifex, qui ea prouidentia, & arte cuncta formauit, vt nos nec accurata consideratione exactè apprehendere valeamus.

*Refertur motus ad motores.*

*Refertur tertiò ad mobile.*

*Refertur ad Mundum.*

## *An cœlum secundum totum moueatur, Regularisq; sit motus eius? Cap. XXXI.*

*Themistius.*

EXISTIMARVNT nonnulli, è quorum numero est Themistius, referente Auerr. in quarto Physic. 43. Cœlum non moueri secundum totum, sed secundum partes. Auerroes in eo quarto Physic. & in octauo comm. 76. & alibi eam sententiam damnat, & inquiens, nil posse moueri secūdum omnes partes, quin moueatur

secundum

secundum totum, cum totũ ex partibus constet. Et confirmatur, quia quod est per partem, redigitur ad esse secundum accidens, Cœlum autem ex se moueri dicitur. Auicenna (referente eodem Auer. in sexto Physic. 85.) dixit, Cœlum non moueri secundum locum, sed secundum situm, quam sententiam in eodem commen. reijcit Auerroes, quoniam situs denotat relationem, ad quam non est motus. Propterea, Auerroes ex propria sententia inquit, Cęlum consideratum secundum totum, non moueri secundum subiectum, sed secundum formam; consideratum verò secundum partes, moueri & secundum formam, & secundum subiectum, adeò vt non exigua confusio & pugna exoriatur: sed si institutum relatorum Philosophorum, eorumq; sententiam, non pura verba perpendimus, profectò idem eos sentire putandum est, nam Aristoteles quoque frequenter dixit sphęram mutare locum secundum partes, non secundum totum, veluti in primo de Gen. & in tertiu cont. 25. inquiens, partes sphæræ mutare locum toto manente; similiter in octauo Physic. 76. propterea id, quod dixit Auerroes totum Cœlum non mutare locum secundum subiectum, id ipsum denotare iudico, quod denotatur ab Aristotele, & Themistio per non mutare locum secũdum totum, & manente toto mutari secundum partes, & permutari secundum formam, quod dicitur ab Auerroe idipsum denotari, quod denotatur ab Auicenna per mutari secundum situm, Auerroes enim per mutari secundum formam, vt se exponit in 4. Physic. 45. denotauit mutari secundum aspectum ad medium, quatenus ad id distincta quadam forma refertur, quæ distincta forma, nil aliud est, nisi positio quædam, quę ab Auicenna dicitur situs, & dum instabatur, quia ad situm non est motus, respõdeo motum esse in partibus loci, quarum mutationem sequitur varietas positionis, quæ est dispositio quædam rei existentis in loco. At dicebatur, nil posse mutari secundum partes omnes, quin mutetur totum, & præsertim quia esse per partes, est esse secundum accidens; Respondeo, dum reuoluitur Sphæra, reuolutio vt subiecto adæquato, & primò competit toti Sphęræ, adeò vt partes secundo loco, & ad motum totius moueri dicantur, tamen quia totum ita mouetur, vt in loco pars vna succedat alteri, hinc pro distinctione ab illis, quæ sine hac partium mutua successione mouentur, sed penitùs deserunt locum præcedentem, dicitur moueri secundum partes, quatenus partes seorsùm consideratæ mutanr locum. Et possemus vti hac distinctione, dicendo, totum mutari, contingere dupliciter; vel cum collectione; vel cum distributione partium, Sphæra non mouetur tota cum collectione, adeò vt deserat præcedentem locum, sed cum distributione partium: At cum Cœlum ita moueatur, perpendendum est, an motus eius re vera sit simplex & consimilis, id enim difficultate non caret, nam in eo multiplex permixtio & compositio apparet; tum quia circulorum sphæræ quidam velociter, alij tardè, cum multiplici varietate mouentur; tum quia vt legitur apud Aristotelem in Principio mechanicarum, partium circuli quædam in vnam, aliæ simul in oppositam differentiam positionis loci mouentur; tum demùm, quia in orbibus Cœli sub primo positis, plures motus in eodem complicantur, inuicemque permiscentur, & præsertim motus diurnus, & motus proprius Planetarum. Soluendo itaque difficultatem, dico motum Cœli & simplicem, & exacta rationum similitudine præditum iudicari debere: simplex est, quia à motore simplici producitur; in mobili simplici recipitur; cum contrario non miscetur; semper est consimiliter, velox, & fit per figuram circuli, quæ simplex iudicatur, quæ simplicitatis causæ non ita conspirant in motu recto. Pro solutione instantiarum præaccipio in sphæra sine mixtione eminenter includi cõditiones, & facultates, quæ mortalibus sine sola mixtione competere sunt aptæ, vt enim sit causa communis, seminaque includat quarumlibet oppositionum mortalium, ea varietate partium motus debuit esse prædita, quæ tamen simplicitati non aduersatur. Et quia dicebatur, quòd partium quædam tardæ, aliæ celeres sunt; Respondeo in motu totum debere simul inspici, non partes seorsùm, partes enim ex accidenti per motum totius mouentur. Insuper si partes consideramus, conferre debemus partem

*Auicenna.*

*Opin. Auerrois.*

*Concilium.*

*Mutari totum dupliciter.*

*An cœli motus sit consimilis.*

*Solutio.*

tem vnius circuli, cum altera eiusdem circuli, & inueniemus consimilitudinem, non autem vnum circulum cum altero. Quòd si etiam reuolutiones variorum circulorum inuicem comparamus, inspiciemus, quòd quamuis modo aliquo fuerint dissimiles, tamen eximia rationis similitudine sunt prædita, quatenus seruata proportione circuli maiores velociùs, minores tardiùs reuoluuntur, adeò vt simul incipiant, simulque absoluant suam reuolutionem. Addebatur secundo loco, partes eiusdem circuli simul ad oppositas differentias tendere. Respondeo cum Aristotele in primo de Cœlo 87. eas non esse oppositiones circuli, sed partium eius per diametrum distantium, nec destruere, sed construere simplicitatem eius, eminenter vt dixi includentem semina omnium varietatum. Instabatur demùm per complicationem variorum motuum. Respondeo, eos motus complicari inuicem, at non misceri, nam in Planetis motus proprius omninò seruatur simplex, nec per diurnum motum à suo proprio cursu vlla ex parte diuertitur: solùm dicere debemus, motum diurnum in eis non ita exactè recipi, vt competit primo mobili, quoniam non eis competit sine aliquo regressu, ex motu proprio pendente.

## *An Motui in orbem competat contrarium?*
## *Cap. XXXII.*

*Motui Cœli non competere contrarium.*

SENTENTIA est Aristotelis in primo de Cœlo, Motui in orbem contrarium non competere, ex quo colligit essentiam Cœli à contrario esse immunem. Quòd ei motui contrarium non competat ostendit, nam si contrarium ei competeret, vel esset motus rectus, vel in orbem; non rectus, quia recti inuicem contrarij sunt, vt motus sursùm ei, qui deorsùm, vnum autem vni soli est contrarium; non in orbem, quoniam vel contrariaretur ratione totius, vel ratione partium; non totius, adeò vt vna reuolutio sit contraria alteri, nam vel id contingeret in eadem reuolutione, vel in distincta; non in eadem, quia reuolutio est ab eodem ad idem, non autem ad opposita; non in distincta, quoniam vt reuolutiones sint contrariæ, debent fieri super eisdem Polis; per idem interuallum, & ad oppositas differentias loci, & debent competere distinctis mobilibus, quę cum sibi occurrent, vel erunt ęquè potentia, vel ne; si primum, nullum eorum mouebitur, quia non superabit oppositum; si alterum, tunc id solùm mouebitur, quod erit potentius, non autem alterum, & ita id erit frustra, cum tamen Deus & Natura nil faciant frustra. Si aũt dicas inuicem opponi circulares motus ratione partium, veluti in eadem Solis reuolutione, putando progressui ab ortu in occasum opponi reditum ab occasu in ortum, hoc approbari non debet. Primò, quia oppositio inter ortum non est oppositio circuli, sed diametri. Nam contraria sunt quæ maximè distant, & ea maxima distantia eius est oppositio, per quod mensuratur; at distantia ortus ab occasu non mensuratur per lineam curuam, quæ nec breuissima est, nec vna & definita, sed per rectam, quæ inter dictas à puncto ad punctum breuissima est, & vnica; quare ea oppositio non ad circulum, sed ad diametrum & rectitudinem pertinet. Secundò, quia simplex & consimile non constat ex partibus contrarijs, motus in orbem simplex & consimilis est. Tertiò, quia etiam si partes inuicem aliquam includerent oppositionem, non ob id vniuerso contrarium competeret: nunc autem sermo est de vniuerso motu, non de partibus eius. Præterea, motus constituuntur contrarij per terminos in quos tendunt; in circulo ea contrarietas non habet locum, tum quia circulus obtinet locum vnius contradistincti à centro, tum insuper, quia motus in orbem est ex eodem ad idem, & principium nectit cum suo fine; quæ autem simul sunt, & connectuntur, non sunt contraria. Ex aduerso apparet motui in orbem contrarium competere; & ea, quæ præsertim difficultatem pariunt, hæc sunt. Primò, quia vbi motus, ibi contrarietas,

*Motui in orbem competere contrarium.*

trarietas, ex Arist. in 5. Phys. nam in cōte. 10. ait, in substantia nō esse motum, quia in ea nō est contrarietas. Secundò, quia Arist. sub initio suarum Mechanicarum inquit, circulo & eius motui multiplices cōtrarietates competere, per quas varia & admirabilia parit. Tertiò, per Aristot. in 1. Phys. dicentem in omni genere esse vnam primam cōtrarietatem, quare & in genere motuum in orbem contrarietas aliqua inueniri debet. Quartò, quia vt rectum opponitur obliquo, & circulari, ita motus rectus videtur opponi circulari: nam dixit Arist. in 1. Phy. 41. angulare nō angulari, & rectum obliquo esse contrarium. Nec obest, id quod dicitur in 1. de Cęlo ab Aris. motum rectum non esse cōtrarium circulari, quia rectus recto opponitur. Nam oppositio potest alicui competere, & ex parte generis, & ex parte propriæ speciei: oppositio recti & circularis est oppositio generis, vt virtutis & vitij: at oppositio rectorum adinuicem est oppositio specierum, veluti prodigalitatis & auaritiæ. Quintò, motui in orbem saltē opponitur quies, & motui in orbem Naturali motus violentus, nam in his quoq; cōsideratur contrarietas motuum, vt patet ex 5. Phy. Sextò, cui competunt oppositiones differentiarum loci, competit contrarietas motus; Cœlo competit oppositio huiusmodi differentiarum, vt declaratur in secundo cap. secundi de Cœlo. Demùm in Cœlo inueniuntur motus diurnus & Planetarum, qui oppositi sunt, & opposita pariunt in his mortalibus; non itaq, abest à motu Cœli contrarietas.

## *Opiniones variæ an motui in orbem competat contrarium.*

## *Cap. XXXIII.*

IN re difficili Viæ sunt obscuræ, & sententiæ sunt Variæ, de proposita difficultate aiunt nōnulli, motui in orbem nō cōpetere cōtrarium ratione propriarum oppositarū specierum eius, sed solùm ratione generis, cum remoti, tum proximi: ratione generis remoti, nempè motus, ei opponitur quies, & immobilitas ratione generis proximi, nimirùm vt est orbiculatis, ei opponitur rectus; at ratione propriarum specierū orbiculationis, ei nō cōpetit cōtrarietas, vt cōpetit motui recto inter sursum & deorsum. [*Opinio 1.*] Hęc sententia nō videtur approbanda; primò, quia varietas generis non est contrarietas, cōtraria enim debent esse eiusdem generis; secundò, quia motus non est genus vniuocum, dum dicitur de recto & circulari, sed commune ab vno, sub quo consideratur ordo, nō oppositio; tertiò, quies nō opponitur motui ratione vniuersi generis, sed motui finito inter opposita cōstituto. [*Euersio.*] De circulari motu solùm dicere valemus, ꝙ ei vt motui nō repugnat desinere in quietē, vt etiam ei nō repugnat maior & minor velocitas, quę tamen ei repugnant vt tali motui in orbē. Immobilitas nō est aliquid contrarium motui, sed solùm cōditio summè varia. Ideò inquiunt alij motum in orbē cōsiderari posse vel in Cœlo, vel apud nos; in Cœlo ei non competit cōtrarium ob Cęli conditiones; apud nos ei competit, vt patet de ventis pugnantibus ex partibus oppositis flātibus, similiter de oppositis vndis, & de eadem artificiosa sphęra apud nos, modò in vnam, modò in oppositam partem reuoluta. [*Opinio 2.*] Hinc Arist. in Mechanicis, circulo artificioso multiplicem tribuit oppositionem. Hæc similiter opinio dubia est; [*Euersio.*] Primò, quia apud nos non formatur motus in orbem simplex & secundum naturam de quo est dubitatio, sed solùm mixtus, & pręter naturā; secundò, quia ratio formata ab Arist. vim habet absolutè de motu in orbem vt talis est, nō cum cōtractione ad Cœlum, veluti ꝙ in circulo maxima distantia cōsideretur penes diametrum, non penes arcum circuli. Præterea, si darentur motus in orbem contrarij, deberent dari simplicia corpora, apta per naturam eis moueri; omnis enim motus simplex, alicui simplici per naturam competere debet. Ad instantiam de Ventis & vndis, dico eos non esse motus simplices, nec vnum eorum secundum, alterum pręter naturā, sed ambos præter naturā; nec esse integras reuolutiones, sed breues arcus. [*Diluitur instantia.*] De sphęra & circulo

artificioso, dico eos non esse motus naturales, nec simplices, non enim sunt circa centrum Mundi, nec vna reuolutio est secundum, altera præter naturam. Propterea est

*Tertia.* opinio tertia Auer. in 1. de Cęlo 32. dicentis, motum in orbem dupliciter posse considerari, vel imaginatione Physica, vel Mathematica, dum consideratur imaginatione Mathematica, abstrahente à materia sensibili, competit ei cōtrarium, quia imaginari possumus duas reuolutiones oppositas super eisdē Polis, quod tamē contingere non potest Physicè, quoniam corpora Physica ita habētia, vt super eisdem Polis in oppositum per idem interuallum moueantur, dari nequeunt, & ob id dicebat Arist. Deus & natura nil faciunt frustra, in 8. autē Phy. 64. distinctiùs Auer. suam sententiā explicans, inquit, huiusmodi oppositionem motui circulari cōpetentē, imaginatione Mathematica dici contrarietatem, non quia corpora ita mobilia verè sint contraria, sed

*Euersio.* quia hoc commune habent cū contrarijs, vt mutuò se destruant. Sed sententia Auerr. non caret difficultate, quia ratio Arist. sumpta ex oppositione circuli, quia non pertinet ad circulum ratione propria, sed diametri, consimilem habet vim aduersus imaginationem Mathematicam, vt patet. Prętereà, Mathematicus abstrahit a dispositionibus cōtrarijs, & præsertim ab esse secundum, vel pręter naturā, ab esse simplex vel mixtum. Denique, quia vt Physicè duo corpora nequeunt esse simul, ita neq; imaginatione Mathematica, nam quamuis Mathematica nō sint in loco, vt dicitur in 4. Phy. conte. 5. tamen asseritur in conte. 76. qđ si imaginamur cubum esse in loco, æquale sibi occupabit interuallum, & distare faciet partes ambientes ab inuicē, quare similiter inferre poterimus, ꝙ mutuò se impedient in motu in orbem, qui fieri debet per idem

*Solutio difficultatis.* interuallum. Resoluens autē difficultatem quatuor profero conclusiones. Prima est,

*Conclusio prima.* motui in orbem non propriè & præsertim ratione totius competit contrarietas, hęc ostensa est in pręcedentibus. Altera est, illi motui imaginatione Mathematica minus

*Secunda.* repugnat contrarietas, quàm imaginatione Physica, ratio est, quoniam imaginatio Mathematica est liberior à materia, & per eā imaginari valemus etiā illa, quę naturę rerum ob materiam & subiectum repugnant, vt lineam duci in infinitum, medium in infinitum rarefieri & similia, consimili ratione possumus imaginari duo corpora super eisdē Polis mota & inuicem pugnantia: at hac quoq; imaginatione nō propriè ei competit contrarium, tum quia ea maxima distantia pertinet ad diametrum vt dictū est, tum insuper quia duo orbes etiam cōsideratione Mathematica non possunt esse simul, & ideò ea oppositio non inter orbes & eorum motus erit, sed inter corpora nō ambientia centrum mundi, sed distincta, & sibi mutuò occurrentia, vt sunt duo vēti:

*Tertia.* Tertia conclusio est, motū in orbem apud nos in artificiosis sphęris, & alijs corporibus vt ventis & vndis, magis includere contrarietatem, quàm motus Cęlorum: tum quia non fiunt circa centrum mundi, vt reuolutiones artificiosæ, quæ ob id sunt cum ascensu aliquo, & descensu partium, & alijs similibus, tum insupęr quia non cōpetūt circulis perfectis, vt oppositio vētorum & vndarum, tum deniquè, quia includunt aliquid secundum naturam, & aliquid violentum, cum tamen ea quoq; nō sit exacta reuolutionum contrarietas. Postrema conclusio est, motui in orbem magis competere

*Quarta.* contrarietatem ratione partium diametro oppositarum, quàm ratione totius, & hoc asseritur ab Arist. in 1. de Cęlo, cont. 87. quæ etiam oppositio partium nō est propria oppositio reuolutionis, cū attineat ad oppositionē nō circuli, sed diametri, fiatq; ab

*Diluūtur rationes aduersæ.* eodem motore, & constituat vnum simplicem motum. Ex his modo facilè eliciuntur solutiones aduersarum rationum. Prima, quæ sumebatur ex conditione motus exposcentis contrarietatem, soluitur ab Aristotele primo de Coelo 83. quia pro motu in orbem sat est oppositio inter partes loci per diametrum oppositas, apta acquiri cum successione à subiecto, quod actu est. Secunda sumpta ex oppositionibus apparentib. in circulis artificiosis iā soluta est. Tertia erit, quia in omni genere est vna prima contrarietas, dico in genere vniuoco inueniri vnā primā oppositionē differētiarū vniuocā, in cōi ab vno inueniri ordinē potiùs q̄ oppositionē propriè sumptā, vt se hēt de

motu

motu in orbem & recto: Insuper in omni genere est vna prima contrarietas latè sumpta, nam substantia est propriè genus & tamē caret propriè contrario. Ex quo patet solutio quartæ rationis de oppositione inter rectum & circularem, est enim cōtrarietas latè, generica, & potiùs ordo quidā, quàm re vera cōtrarietas. Quinta ratio sumpta ex quiete soluta est per iam dicta, ea enim est opposita per priuationem, quę cōpetit motui vt finitus est; non autem motui æterno, in corpore mobili æterno motu non apto ex sententia Aristotelis quiescere. Addebatur sexto, competere Cęlo differentias positionum. Respondeo eas esse oppositiones partium secundū diametrum. Demùm dicebatur, Cęlo competere motus & ab ortu in occasum &ècontrario, qui videntur contrarij & sunt causæ contrariorum apud nos. Respondeo eos non esse cōtrarios, sed distinctos & varios: contrarij autem non sunt primò, quia non sunt super eisdem Polis; secundo, quia non sunt per idem internallū; tertiò, quia non mutuò se destruunt, sed in eodem orbe sine pugna seruantur. Et quāuis apud nos contraria pariant; nil tamen id refert, quia sunt causæ communes, non propriæ; & in causa cōmuni non requiritur secundum formā eam contrarietas, quæ in effectis apparet, sed sat est, sint in ea tanquam in cōi semine & causa. Constat itaq; quō Motui in orbē competat & non competat contrarium, & quō sit inter opposita, & ab eodem ad idem.

## An Motus Cœli sit secundum Naturam, eique competat resistentia. Cap. XXXIIII.

Satis conspicuè patet Cęlum in orbem continenter moueri: at quomodo ita moueatur, & qualis sit eius motus summoperè latet. Democritus, Leucippus, Epicurus, & similes, dixerūt ex inclinatione athomorum, constituentium Cęlum, cōsurgere huiusmodi motum. Empedocles ex inclinatione quatuor Elementorū amicitia iunctorū: Heraclitus & Stoici ex cōditione tenuioris Ignis. Sed prætermissis vetustiorū sententijs, de Academicis solùm & Peripateticis loquar. Putarunt Academici Cęlo competere Naturam, Animā, & Mentem, quorum sententiā varij quoq; ex Gręcis expositoribus Aristotelis secuti sunt, qui loquentes de modo, quo ad motum cōspirant, varia dixerunt. Dixit Iulianus Trallianus (referēte Simplicio in secundo de Cęlo, tom. 3.) motū ad dexteram, hoc est ab ortu ad occasum, regularem, & ordinatum, ab anima prodire; motū verò ad sinistram, nempe ab occasu ad ortum, prodire ex natura. Quæ sententia falsa est, quia tunc motus ab ortu esset oppositus naturalis & nō secundum propriam inclinationem. Herminius autem Platonicus simul & Peripateticus, referente eodem Simplicio, dixit Naturam Cęli esse causam, quòd moueatur; Animam verò esse causam æternæ considerationis eius. Quæ etiam sententia non est vera, quoniam in Cęlo ab eo pendet ęternitas motus, à quo etiam pendet motus. Alexander Naturam Cęli ab anima non distinxit, seiunxit tamen Mentem ab anima, & dixit per animam motum esse Naturalē & animarium, per Mentem verò esse æternum & cōsimilem. Simplicius, Naturam Cęli ab anima seiungens, dixit naturam esse principium patiens, tribuens Cęlo solam propensionē ad motum in orbem; Animam verò ei tribuere motum cum transitu ex vno in aliud; Mentem autem, consimilitudinem & æternitatem; adeò vt motus Cęli per relationem ad varia sit Physicus, Animarius, & Mentis. Sed quoniā alibi latiùs aduersus hæc disserui, & præsertim aduersus fundamentum harum opinionum, nempè quòd in Cęlo anima à mente distincta inueniatur, ideò his deturbatis, dico in Cęlo solùm inueniri Intelligentiā, & orbem, qui corpus simplex est: Natura Cœli magis propriè sumpta ad orbem pertinet, & est ipsamet substantia orbis, vt facilis ad illum motum. Intelligētia vt intelligēs, dicitur Mens; vt dat Vitā cęlo, dicitur animā; vt dat motum, dicitur motor; vt cōstituit motū secundum propensionem, mobilis; idq; efficit cū conditionibus agentis per Naturā,

*Democritus.* *Empedocles.* *Heraclitus.* *Academici.* *Iulianus.* *Herminius.* *Alexāder.* *Simplicius.* *Sententia propria.*

dicitur modo quodam Natura, hoc est, Natura eminens, Natura Naturās, & Natura melior. Ex quo patet qualis sit motus Cęli, nam attinentia ad Cęlū sine cōtrouersia, & eminenter, includunt eas cōditiones, quæ in mortalibus inuicem pugnant: motus itaq; Cœli, vt fit secundum inclinationē mobilis, & cum conditionibus mouentium secundū Naturam, dicitur Naturalis, & ab Aristotele in primo de Cęlo inter motus secundum naturam numeratur, veluti etiam in secundo de Cęlo, contex. 18. dum ait Naturam Cœlum in orbem mouetur, alioquin motus eius non esset æternus: at cū sit secundum naturam, tamen vt prodit ex anima, dicitur animatus; vt autem ea anima præter id, quòd eminenter est Natura, & anima etiam est Mens, dicitur motus diuinus, & mentis, eius ęternitas & consimilitudo prodit ex conspiratione conditionum mobilis & motoris, quæ ambo æterna sunt, propriè tamē & præsertim pendet, ex cōditione separati motoris, vt patet ex octauo Physico. Et quoniam in Cęlo pręsertim

*De duplici motu cęli.* duplex est motus, vnus diurnus, alter proprius Planetarum; Primus est motus secundum Naturam totius, in quem omnes orbes, ut partes totius sunt procliues. Alter est motus secundum Naturam particularium orbium, in quem orbes Planetarum secundum Naturam propriam faciles sunt. Primus constituitur per cōspiratiōnē omnium subordinatorum motorum, vt pēdentium ex primo, & optantium se ei seruare similes. Alter ex intelligentia propria, vt addicta ei orbi, tanquam proprio mobili, & in finem aliquem proprium ordinato. Ex his patet iure optimo Auerroem in disp. tertia,

*Auer.* contra Algaz. in sol. primi dubij, & disp. in. sol. primi dubij dixisse, motores Cœli nō mouere secundum Naturam, neq; secundum Mentem vt Mortalia, quamuis alibi dixerit, Cęlum moueri secundum Naturam. Nam motus Cœli, inspiciendo varia, dici potest secundum Naturam; & non secundum Naturam; secundum Mentem & rationem, & non secundum Mentem. Sed cum motus ille ab Aristotele inter motus

*An in cęli motu sit resistentia.* Physicos numeretur, oritur dubitatio: an in eo motu locum habeat resistentia mobilium. Nam si dicimus non adesse resistentiam, tunc nullum poterit assignari tempus in quo moueatur, id enim ex resistentia prodit; si tribuimus Cęlo resistentiam, in maius labimur absurdum; quia resistentia ex contrarietate oritur & pugnam includit, quæ absunt à Cęlo, & pręsertim quia Cęlum non videtur posse resistere Menti mouenti, cum ex ea pendeat, & procliue sit ad illum motum. Inquit Scotus, Cęlum non

*Scotus.* esse procliue ad motum, sed esse indifferens, cum ad motum, tùm ad quietem: sed per principia Aristotelis hoc dicere non valemus: Primò, quia ea indifferentia & potētia ad oppositum esset inanis, nunquam enim pro quiete redigeretur ad actum, & præsertim quia omni potentiæ patienti respondet in vniuerso agens: Pręterea simplicia corpora non mouentur secundum naturam, & quiescunt in eodem loco, sed in distincto, & mouentur quęrendo locum in quo quiescant, Cęlum autem semper in eodem loco est. Insuper motus Cęli non esse secundum naturam; quia prodiret ex motore externo, non conferente vim eo, quòd patitur & mouetur, quare ex sententia Aristotelis dicendum est, Cęlum esse procliue ad motum, quæ propensio ei competere potest, cum sit corpus actu, proportione respondens quatuor Elementis grauibus, uel leuibus, & quamuis ad solum motum sit procliue, tamen nisi adsit motor, ea propēsio non redigitur ad actum, requiritur enim agens; & motus ille, quamuis non fit per solam naturam, ut motus elementorum, tamen dici potest naturalis cùm ob eam propensionem mobilis, tùm ob modum operandi Intelligentiæ, ex sentētia Aristotelis. Et dum quæritur, an fiat cum resistentia? inquit Auerroes in secundo de Cęlo 63. 7. Phys. 35. fieri profectò cum resistentia & Simplicius in secundo de Cęlo 46. inquit, in Cęlo reperiri definitam quandam rationem motoris ad mobile; definita autem ratio consideratur inter uim mouentem & resistentem: at quæ sit ea resistentia; non facilè est uidere, inquiunt nonnulli eam prodire ex duplici motu, quo Cęlum mouetur, & ab ortu, ut primum mobile, & ab occasu, ut Planetę: at cum illi motus nō uerè sint oppositi, nec Cęli inuicem pugnent & mutuò se impediant, non est putandum

inde

inde resistentiam prodire posse. Propterea respondens, dico resistentiam esse duplicem. Vnam cum contrarietate, & propensione in oppositum, quę non competit Cœlo. Alteram sine contrarietate & opposita propensione, sed solùm cum oppositione inter actum & potentiam, competentem corpori, cui repugnat, vt simul sit actu rediгatur, ob dimensionem mobilis, & loci, quæ nuncupatur resistentia internam Cœlum est potentia mobile, & est corpus actu, & continuum in loco continuo. Præterea est procliue etiam ad locum, in quo est, vt materia mortalium est procliuis ad seruandam formam, quam habet, & recipiendam, quam non habet; & ob id quemadmodum pro gignendo calore intensiore vel remissiore requiritur calidum magis vel minus intensum, ita pro efficiendo velociore, vel tardiore motu, requiritur vis mouens maioris vel minoris virtutis. Sed dubitatur: quia etiam remota resistentia medij, Elementa huiusmodi resistentiam includerent, cum planè Aristoteles in quarto Physico. 71. tempus motus ex sola medij resistentia prodire dicat: Respondeo, primò concedendo, quòd eam includerent, dico tamen Aristotelem tunc considerasse solam resistentiam externam, non autem essentialem & internam, illa enim est magis conspicua: addo secundo adesse varietatem, nam Elementa dum mouētur, non sunt procliuia ad locum, in quo sunt, vt Cœlum, sed solùm ad locum, in quem tendunt; insuper elementa non diuiduntur in motorem & mobile actu, vt Cœlum, quod cum sit viuens, diuiditur in mentem & orbem, quod est corpus actu.

## *Cur Cœlum duplici præsertim motu moueatur?* *Cap. XXXV.*

AFfirmant ferè omnes Astronomi, & consentiunt Peripatetici, Cœlum præsertim duplici motu moueri, vno ab ortu in occasum, quē Aristoteles in octauo Physic. 84. in secundo de Gen. & interitu 56. & in 12. Metaphysi. 43. nuncupat motum totius, nam quamuis primò competat supremo orbi, tamen mox per consequutionem competit omnibus simplicibus corporibus supra terram, & aquam collocatis, immò aqua etiam per fluxum & refluxum maris, modo aliquo est eius particeps. Altero motu mouetur Cœlum ab occasu ad ortum, qui dicitur proprius Planetarum, de quo duplici motu loquitur Aristoteles in secundo de Cœlo. Plato hunc duplicem motum potiùs vulgarem & popularem, quàm verè motum existimauit: censuit enim non esse motum à distincto motore productum, sed potiùs moram, recessum, & regressum quendam à primo motu, veluti si quispiam tardiùs ambulans, quàm alter, diceretur moueri in oppositum. Hinc in calce 7. Dialogi de Repub. ait. Non est, ò viri optimi, vera hæc de Sole & Luna, cæterisque Stellis opinio, quòd vnquam pererrent, sed contra se res habet, eandem enim quoduis illorum viam, non multas circumeundo peragit, quamuis videatur per multas ferri. Quod verò in eis velocissimum est, non rectè tardissimum, & contra contrarium iudicamus, peccareque ita opinantes patet, & simili ratione puto Platonem in appendice Legum dixisse. Octauum orbem, quem iure Mundum superum quis nuncupabit, contra quàm cæteri moueri, cęterosque secum trahere, vt hominibus pauca de ijs scientibus videtur, indicando, quòd omnes orbes re vera ab ortu in occasum mouentur, non tamen cōsimiliter: sed quouis modo res se habeat in Timęo concedens illos duos motus, motum diurnum nuncupat motum eiusdē naturæ consimilitudinis, & rectum; alterum verò obliquum, alteritatis, & distinctæ naturæ, cum fiat super Polis Zodiaci, per circulum obliquum, quo Planetæ varij distincta velocitate mouentur, recedendo à primo & communi motu. Aristoteles in secundo de Gen. & inter. conte. 56. motum Planetarum nuncupat motum accessus ad nos, & recessus, in tertio autem de Anima contex. 57. quamuis latenter, indicat motum Pla-

*Cur Cęlū ... excludatur ... resistentia internam*

*Motus totius.*

*Motus proprius Planetarū*

*Sententia Platonis.*

*Aristot.*

netarum respondere appetitui sensitiuo in homine;motum verò primi mobilis,appetitui rationali;hinc à nonnullis Astronomis motus vnus dicitur rationalis,alter sensitiuus. His præassumptis quęritur,cur Cęlum,quod statuitur corpus simplex,non modo tu vno mouetur, vt Elementa, sed præsertim duplici? dico præsertim, quia in Cœlo multi etiam alij particulares motus considerãtur ab Astronomis; Hac de re loquitur Philosophus,in secundo de Cœlo 17.in 8.Physic.53. & in secundo de Ortu & interitu 56.& duodecimo Metaphysicæ 34.& rationem afferens, inquit, in vniuerso & pręsertim in contentis sub Cœlo,duo inueniri,consimilitudinem,siue conseruationem, & varietatem;causam consimilis conseruationis rerum ait esse motum primum; causam verò varietatis & dissimilitudinis esse motum Planetarum,per quē Planetę modò ad nos accedunt,modò recedunt, quo accessu & recessu constituunt quatuor anni tempora,& ortum rerum,ac interitum.In hoc Aristoteles sequutus est Platonem,qui (vt dixi)motum primum nuncupauit motum similitudinis,alterum dissimilitudinis, sic itaque motus primus est causa ęternæ consimilitudinis,secundus varietatis; congregatum verò est causa consimilis æternæ varietatis,vt dicitur in 12.Metaphys. 34.

*Cur Cœlū duplici motu mouetur.*

*Ratio, quā affert Aristoteles.*

*Aliæ rationes.*

Verum hæc ratio non videtur esse satis,quia æterna non fiunt ob mortalia,nisi secundariò:propterea aliqua ratio prior assignanda est,& dicere valemus, Mundi plenitudinem esse causam poriorē,vt enim dantur mobilia apta moueri ab ortu in occasum, ita dari debent mobilia apta moueri è contrario,quemadmodum etiam inter Elementa quædam sursùm,alia deorsùm mouentur; hoc tamen competit Elementis cū contrarietate; Cœlo verò fine ea. Altera ratio peti potest ex harmonia,congruente ratione,& consonantia,cum enim harmonia ex contrarijs cōsurgat,ne huiusmodi harmonia careret Cœlum, iure hac motuum varietate præditum esse debuit, ex qua variæ prodeunt figuræ,siue aspectus stellarum,vt dicitur in octauo Physic.53. hinc Cęlum à Pythagora Lyra Dei nūcupabatur, & vt canebat Orpheus, Pulsante Apolline, Lyram suam cuncta recinunt,& Choreas ducunt. Insuper, quia Cœlum est parens corporum,seminaque includere debet cunctorum,quoniam vires effundit per motū; debuit motuum varietate esse præditum. Hinc seruant Astronomi Cœlum, etiam à Polo ad Polum per motum,quem trepidationis appellant,moueri,vt cunctorū semina fęcūdiùs effunderet. Demùm dicimus id Dei Prouidentia ordinatum fuisse,pro rerum constantia,quiete,& contemperamento;nam si Cęlum solùm moueretur ab ortu in occasum, quia cætera pendent ex eo, cuncta nimium procliuia essent ad solùm occasum,ideò & pro contemperamento,& pro mixtione Elementorum, & pro quiete aliqua contentorum,debuit Cœlum non vno, sed multiplici & præsertim duplici motu moueri. His accedit, quòd vt animalia mortalia prædita inspiciuntur motu totius & motu proprio partium,ita decuit eminentissimum illud Cœleste animal vtroque motu moueri. Motus diurnus competens Planetis dicitur motus secundum naturam totius,supra Naturam propriam,secundum meliorem Naturam, & vulgò nūcupatur motus raptus,quoniam imaginantur multi,primum mobile suo motu rapere & secum ducere inferiores orbes. Quæ sententia partim falsa,partim vera est, nam putare ita rapi orbes Cœli,vt propè nos corpus vnum suo motu rapit sępè aliud,absurdum est;id enim non fit fine violentia,quæ abest à Cœlo;& secundum hanc significationem dixit Plato in appendice Legum, homines pauca scientes dicere primum mobile secum trahere reliqua. Dicere tamen possumus rapi & trahi Planetas à primo mobili,non raptu violento,sed supra naturam;non raptu mortali,sed diuino,non cōtra propensionem,sed secundum illam,quæ ei competit,vt pars totius & pendens ex primo principio,vt enim raptu supero & diuino dicuntur rapi hominum animi,veluti Paulus fertur raptus vsque ad tertium Cœlum,ita raptu supero dicuntur rapi inferiores orbes,quatenus eorum motores tanquam à supero intelligibili fine, mouentur à Deo motore primo,& hoc puto denotasse Aristotelem in octauo Physic.cont. 52. dum dixit. Non est idem moueri secundum accidens à se, & ab altero; moueri enim

*Pythagoras.*

*Orpheus.*

*An Planetis cōpetat motus,qui raptus dicitur.*

ab alio,& eorum quæ sunt in Cœlo quibusdam principijs inest, &c. Planetæ secundum motum proprium proculdubio mouentur à propria intelligentia, motu autem totius & diurno dicuntur moueri & à motore primo & ab intelligentia propria, quatenus mouentur à primo motore, per mediam Intelligentiam propriam; & à propria intelligentia, vt conspirante cum prima ad motum totius. *A quo moueātur planetæ ab ortu.*

## *De motu Stellarum.* *Cap. XXXVI.*

CVm Stellæ à nobis longissimè distent,& conspicuè videantur moueri, quomodo moueantur,non parū latet. & quatuor hac de re sunt virorum Sapientum opiniones. Existimarunt nonnulli stellas tanquā distinctos orbes,distinctaque animalia & absoluta,ex se per Cęli orbes moueri,qui vel aerei,vel ignei essent, scindendo eos, nō secùs ac aues per aerem & pisces per aquam mouentur. Alij hoc tribuerunt solis septem Stellis,qui Planetæ nūcupantur,& ob id dixerunt dici planetas,quatenus cū ex se mouentur,non semper consimiliter à seinuicē distant,vt Stellæ octauę sphęræ,quæ cum solū motu sphęræ moueantur,semper ęquè inter se distant & fixæ nuncupantur. Plato in Timæo tertiæ fuit opinionis,dixit.n.stellas moueri duplici motu, vno sphæræ,eum qua reuoluuntur circa vniuersi cētrum,alio proprio,quo in suo loco proprio, circa suum cētrum vertuntur. Quarta est opinio Aristotelis & à plurimis approbata, Stellas esse portionem orbis densiorem,& solū moueri motu suæ sphęræ,cum qua cōtinuatæ sunt, non aūt solùm per contactum iunctæ. Harum opinionum hæc quarta, profectò est rationi magis cæteris consentanea. Duæ primæ non sunt approbandæ, quoniam motus stellarum proprius,distinctus ab eo orbium,nō fit sine diuisione medij,& resistentia eiusdem: diuisio & resistentia externa solis competit mortalibus nō Cœlo. Præterea animalia,quę spontè mouentur,non semper mouentur consimiliter, non sunt corpora consimilia instrumentis destituta,vt sunt Stellæ. Et si quis instet, quia etiam vniuersum Cœlum voluitur in orbem, cum tamen careat instrumentis. Respondeo,secùs se habere de vniuersa sphęra,quæ voluitur circa centrum vniuersi, & de Stella,quę est particulare corpus & sphęrula, extra centrum vniuersi cōstituta, Orbes & Sphęræ,ambientes centrum vniuersi,non debent,dum reuoluuntur scindere aliud corpus,& per id moueri,sed ab intelligētia per idem interuallū, in quo sunt, vertuntur in orbem;at corpora extra centrum constituta, si per aliud medium corpus proprio motu ex se moueri debent,id assequi nō valent, nisi per tractionem & pulsionem,exposcentem instrumenta,& firmum aliquid,cui hęreant,& nitantur. Prętereà, loquendo de Stellis,cum sint eiusdem communis conditionis, quod cōpetit nonnullis,putandum est competere cæteris:at Stellæ primi mobilis,quę innumerę sunt,cum semper æquè inuicem distent,conspicuè indicant se eodem motu moueri, nempè motu sui orbis, quare id ipsum de Planetis iudicandum est. His accedit,quòd vel orbes, in quibus sunt Stellæ mouentur, vel ne; dicere, ꝙ non moueantur,est absurdum, cum omne corpus Physicum per naturam moueatur motu aliquo secundum locū ex primo de Cœlo tex.5. si mouentur,dicere,quòd moueantur motu distincto ab eo Stellarum,superuacaneum,& redundans est; Deus autem & natura nil faciunt frustra. Quare colligendum est, stellas & orbem eodem motu moueri, & stellam esse partē orbis. Opinio tertia,quæ fuit Platonis etiam approbanda non videtur,nempè stellas dupli ci motu moueri,& proprio,& eo sui orbis. Primò, quia hic duplex motus redundans videtur,sat enim est motus orbis. Prætereà Cœlum est corpus simplex, similiter stella; simplici autem corpori vnicus motus competit, non duo adeò varij, vt fiant super centris distinctis. Confirmatur: quoniam de simplicibus corporibus loquendo,idem est motus totius & partium; Stellæ autem sunt pars orbis. Simplicius in secundo de Cœlo,

*De motu stellarū opiniones quatuor.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Approbatur opinio quarta.* *Instantia.* *Solutio.* *Reijcitur opinio Platonis.* *Simplicius.*

Cęlo, comm. 33. nititur Aristotelem cum Platone conciliare, inquiens Aristotelem solum reijcere à Stellis motum proprium, qui sit motus progressiuus per orbem, non autem reuolutionem in proprio loco. Quod autem Stellæ motu aliquo proprio moueri debeant, ostēdit, quia sunt corpora animata, omne corpus animatum prӕditum est motu proprio. Sunt corpora Physica eiusdem naturę cum cęlo, quare vt cœlum, ita Stellæ motu proprio in orbem moueri debent; & quamuis stellę dicantur partes cęli, tamen ita sunt partes, vt perinde ac oculi in animali seruent quandam conditionem totius, satis conspicuè distinctam ab ea sui orbis, & ideò distincto aliquo motu moueri debent. Quod etiam confirmat auctoritate Ptolemęi, dicentis in secundo lib. suppositionum, rationabilius esse moueri astrorum vnumquodque, quia hęc est & virtus & operatio ipsorum. At Simplicius, nimio conciliandi desiderio ductus, conspicuè errat; conspicuè enim Aristoteles inficiatur (vt illum legēti redditur notum) Stellas in suo loco reuolui, & hoc confirmat per Lunam, cuius eadem semper facies ad nos vergit, quod non accideret, si in suo loco reuolueretur: id ipsum per id ostendit, quia motus proprius distinctus ab eo totius, exposcit instrumēta per quę fiat, quæ desunt stellis, ac insuper soluit instantiam sumptam à sole, qui dum proximus est orizōti, circūuolui videtur. Præterea, Aristoteles ait, ostensum est continuum esse totum Cęlum, & astra affixa circulis ferri, cum autem continui motus sit vnus, eodem & non distincto motu mouebitur cęlum & stella, quod etiam ex eo lucidissimè colligitur, quia Plato singulis stellis singulas & distinctas animas tribuebat, à quibus putabat proprio motu reuolui, ita animas beari dicebat in reditu ad propriam stellā: Aristoteles autem in Cœlo tot solùm motores reperiri existimauit, quot sunt Orbes. Rationes à Simplicio pro cōprobatione relatæ, leuissimæ sunt, nam stellæ non sunt animatæ anima distincta ab ea orbis, nec sunt corpora essentię distinctæ ab ea orbis, nisi per densum & rarum, ideò non distincto motu debent moueri. Hæc itaque opinio rationi magis cæteris videtur cōsentanea, Stellas solo sui orbis motu moueri, vt cēsuit Arist.

*Aduersus Simplicium.*

## *An ex Cæli motu prodeat Sonus & Harmonia?* *Cap. XXXVII.*

*Ex motu cælorum prodire sonum.*

Cum ex motu mortalium corporum sonus prodeat, longè magis putandum videtur illum prodire ex motu cœlestium orbium; tum quia sunt corpora longè maiora; tum insuper, quia motu longè velociore mouentur; tum demùm, quia si sono mortalium corporum demulcentur animi mortalium, & componuntur ac contemperantur commotiones eorum, longè magis iudicandum videtur, sono aliquo, & harmonia Cœlorum, cœlestes animos demulceri, lętitia affici, & cuncta, quæ Cęlo subijciuntur, contemperari, adeò vt ad sonum & harmoniam Cęli iubilent omnia, cuncta contempetentur, & singula fœlicissimè gestiant & exultent, ita Orpheus Cœlum lyram Dei nuncupabat, & Plato in Timęo dixit, Vt esset quædam velocitatis Cœlorum, traditatisque mensura certissima, omniumque octo motuum prodiret in lucem Chorea, accēdit Lucem clarissimā Deus in secundò à Terra circulo, quam modo Solem vocamus, &c. Pythagoras, vt rationsi consonantiarum Musicæ fertur inuentor, ita præsertim fertur auctor huius sententiæ, quòd ex Cœli motibus sonus & harmonia cōsurgat, quam & ipsum & Apollonium Thianęum audiuisse plurimi viri graues affirmant. Cur autem huiusmodi sonus à nobis non audiatur, varij varias protulerunt rationes: nonnulli id retulerunt ad distantiam, alij ad assuetudinem: cum enim ab ortu ei simus assueti, & ex assuetis non prodeat passio, iure huiusmodi sonum non sentimus, veluti etiam non percipimus colorem nobis per naturam insitum. Alij inquiunt non sentiri, quoniam nostri sensus mortales sunt, & propterea mortalium sensibilium solùm sunt iudices, cum inter sensilia

*Orpheus.* *Plato.* *Pythagoras.* *Cur non sentiatur, opiniones variæ.*

filia & sensum debeat esse congruẽs quædam consensio & ratio, & si quis instantiam ferat de Stellis & Cœlo, quæ à nobis videntur, respondet Simplicius in secundo de *Simplicius.* Cœlo 37. inquiens, primò nos nec cœlum, nec stellas videre, sed illustrationem tantùm, prodeuntem ex repercussionibus radiorum, & quoniam id ipsum dicere possumus de sono, quòd audirentur commotiones factæ in aere, addit secundò id competere visui, & nõ cæteris sensibus, quia est spiritalior ceteris, & particeps celestis ignis, vt dixit Plato in Timęo. Insuper si quis instet, quia Pythagoras dicitur huiusmodi sonos audiuisse, respondet id ei potuisse comperere, quoniam ob studium Philosophię, ob vitæ genus, ob bonam sortem, & alia huius generis, animo erat præditus, à corpore crasso magis secreto, in se contracto, & cum solo æthereo vehiculo iuncto; & ob id ea valuit videre & audire, quæ alij percipere nequeunt; actiones enim in patiente recte affecto recipiuntur; Dęmones autem, animæ stellarum, & Dij eos sonos exactè audiunt. Sed hæc potiùs more veterum Philosophorum putandum est per metaphorã fuisse prolata, vt vulgares per externa oblectarẽtur, animi autem studiosi per interna *Euersio.* instituerentur, quàm quòd re vera ita se habeant, nam vbi non adest percussio, & aer, non gignitur sonus; in Cœlo nec percussio, nec aer, violentia motus; reperitur; quare nec somnus. At inquit Simplicius in Cœlo sonum vitalem sine percussione reperiri, sed hoc dicere est idem ac asserere ibi non inueniri sonum, nam percussio est in ratione soni, quare si abest percussio, abest & verus sonus; similiter distantia non potest esse causa, vt sonus à nobis non audiatur, quoniam vt ait Auerroes, audiuntur soni per distantiam longè maiorem, quam sint corpora sonantia, & præsertim cum Cœli hæc suo motu calefaciant. Neque etiam putandum est non audiri, quoniam sint soni superioris generis, non cõgruentes auribus mortaliũ, nam ita daretur sensile nõ aptum à nobis sentiri; insuper oculi vident cœlestia, quare & aures cœlestes sonos deberent audire; cum enim dicantur produci per motum, vt motus cęlorũ à nobis percipitur, ita deberet percipi sonus: & præsertim, quia Cęli carent sensili, & ita inutiliter producerentur. Assuetudo quoque non est tanti momenti, vt ob eam non sentiantur maiores soni, cum tamen sentiantur minores, sensile namq; vehemẽtiùs impedit iudicium debilioris. Quare dicamus id, quod etiam tetigit Simplicius, & explicant potiores Academici, in Cœlo reperiri sonum & harmoniam nõ sensu materiato sensilem, sed solo animo purgato aptam, & percipi non auribus corporis, sed animi; & reperiri nõ propriè & formaliter, sed per metaphoram & eminẽter, quatenus in Cœlo rationes, & exactissimę proportiones inueniuntur eorum omnium, quæ cęlo competunt, quas Pythagoras, Apollonius, & alij similes auribus animi, quę etiam Deo tribuuntur, audire valuerunt, quia accuratè, & purgato animo cœlestia speculati sunt. Et cum varia Academici de proportionibus & consonantijs, attinentibus ad Cœlos, & præsertim ad animas eorum latissimè enunciarint, ego breuissimè illorum capita solùm decurram, quæ inter se eminenti ratione consonare dicuntur, & musarum Choros constituunt. Nam cum ex Academicorum sententia nouem dicantur Musæ, consurgentes *Nouem capita cõsonantiarum.* ex anima Mundi, & octo sphęrarum Cœli animis: Ex sententia Aristotelis similiter dicere valemus nouem esse Musas, ex nouem his eminentibus proportionibus prodeuntes, quarum prima versatur inter Intelligẽtias & Deum, vt imitabilem aptumq; participari ab eis. Secunda, inter Intelligentias adinuicem, cum enim sint subordinatæ, etiam sunt ratione præditę, quia ordo est quædam ratio, vt dicitur in octauo Physic. 15. Tertia, inter intelligentias & orbes vt mobiles ab eis. Quarta, inter orbes adinuicem secundum distantiam & magnitudinem. Quinta, consideratur in mutua proportione variorum motuum inter se, secũdum velocitatem & tarditatem. Sexta, in aspectu vario stellarum adinuicem. Septima, in varia distinctarum stellarum luce. Octaua, in mole varia stellarum. Quibus nonam addimus positam in ratione Cœli ad Mundum mortalem. Hæ sunt harmoniæ, quibus mundus & sibimet, & suo opifici, & nobis redditur maximè consonus: quibus cuncta eis subiecta contemperantur:

tur: quia soli valent audire sapientes, non quidem corporis, sed mentis auribus; de quibus id enunciare valemus, quod de oculo dixit Plato, plus valere auriculam vnam mentis, quàm mille corporis; ita harmonicè, & cum consensione, & letitia cuncta, quæ in vniuerso secundum naturam sunt disposita, funguntur munere suo.

## *Instrumenta per quæ Cælum operatur, & an dentur influxus? Cap. XXXVIII.*

*An detur influxus.* Coelum in hæc mortalia operari Lumine & motu consentiunt omnes; nemo enim, nisi sensuum munere sit destitutus, id inficiari potest; cum sensu constet, lumine & motu continenter alterari, permutari, modòq; vario affici ea omnia, quæ Coelo subijciuntur. Sed an præter duo hæc instrumenta detur tertium, nempe influxus, ab eis distinctum, & quomodo ex duo tot, tamque varia & pugnantia efficiant, adeò obscurum est, vt nil magis. *Aegyptij.* Aegyptij fœlicitate Coeli fruentes, similiter felicioris Arabiæ incolæ, innumera a Coelo beneficia recipienter, quæ nec motu, nec lumine solo effundi posse videntur, in hanc venere sententiam, nedum conspicuè lumine & motu effundere Coelum munera sua, verùm præsertim etiam latenter id efficere per influxum aliquem variium, *Syrij.* ob varietatem eorum, ex quibus prodeunt. Id ipsum cum Aegyptijs existimarunt Syrij, apud quos, vt ait Plato in appendice Legum, Cœlum serenissimè fulget. Hos sequuti *Astronomi.* sunt Astronomorum plurimi, qui profitentur ex dispositione stellarum, ex quibus huiusmodi influxus prodeunt, futurorum notitiam se elicere posse. Cum his etenim consentiunt *Academici nonnulli.* Iamblichus, Plotinus, & Academicorum principaliores, quatenus non solo Lumine & motu coelum in hæc agere existimarunt: dissenserunt tamen, quia id, quod Astronomi tribuunt distinctis influxibus, hi non influxibus, sed seriei tribuunt idearum, mentis, rationum animæ, & seminum Naturæ, quibus tanquam neruis insigni facultate præditis, cuncta, quæ in nobis eximiam admirationem pariunt, perfici & absolui *Plotinus.* existimarunt, vt exactè declaratur à Plotino in libro, qui inscribitur, an stellæ aliquid agant, & præsertim cap. 13. quo loci etiam Ficinus inquit, Si in rebus facultates quædam propriè inspiciuntur, quæ ad causas Elementares referri nequeunt, illæ prodeunt ex animarum seminariaque ratione, ita Peonia suspensa collo caducis opitulatur, Polypodium atram bilem ducit, Corallus timorem pellit, laurus pellit fulgur, torpedo stupefacit, Echinus pisciculus nauem sistit, &c. Hinc Plotinus Astronomos damnat, cuncta stellis earumque aspectibus tribuentes, & ait, Stellas significare quidem futura, & *Lumē & motum cæli non esse satis.* non ea efficere, sed id esse munus relatæ seriei. Lumē autem & motum nō esse satis. cùm alijs, tùm his præsertim rationibus ostendi potest. Et primò dies indicantes & iudicarij, qui seruantur in febribus, fluxus & refluxus Maris, & alia innumera huius generis, pro quibus Lumē & motus non sunt satis, indicant necessitatem alicuius tertij instrumenti latenter & intimius operantis. Comprobatur id ipsum quia multa gignuntur in visceribus Terræ, in quæ nec lumen, nec motus cæli ingreditur, cum tamen ad omnium generationem conspiret Coelum. Præterea, nisi concederentur influxus, Coelum non esset causa omnium primarum qualitatum, lumē enim & motus solùm calefaciunt, non refrigerant, solùm ignem & leuia producunt, non grauia & frigida, nisi ex accidenti. Insuper tempore æstiuo, imperium obtinentibus stellis nimbosis, pluuia & frigus nonnunquam gignitur; contra verò tempore hyberno dominantibus stellis serenitatem & calorem producentibus, emergit calor & serenitas; & Astronomi conditionem huiusmodi stellarum noscentes, conditiones quoque futuri temporis prænoscunt, vt etiam prænoscunt varias fortunas hominum, & prædicunt. Insuper quatuor corporea Elementa, in definita à Cœlo distantia, proprium habent locum, in quo aspirante Coelo rectè seruantur; hæc (vt ex se patet) solo lumine & motu effici nō possūt,

Præterea,

Præterea, cum mortalia corpora, etiam expertia animæ, prædita sint latentibus quibusdam facultatibus, quarũ causę esse non possunt qualitates primæ, veluti lapis Herculeus latẽte facultate trahit ferrũ, Ambra Paleas, olera sunt inimica viti, & alia innumera huius generis, quæ sunt conspicua; longè magis cęlum & stellas, corpora pręstantissima, putandum est prædita esse latente aliqua facultate, per quam operentur, distincta à Lumine & motu, & præsertim quia indicantia perfectionem si competũt mortalibus, non sunt neganda de Cœlo; similiter solo latenti quodam influxuum beneficio seruari posse videtur Terra in varijs partibus non inundata aquis pro salute multorum viuentium. Insuper influxus nobis patefaciunt & comprobant, vita, ortus, & mansio puerorum in vtero, imperium varium Planetarum, super varios mẽses, quibus fœtus formantur, & alia plura consimilia. Præterea, nisi huiusmodi influxus concederentur, variæ perirent disciplinę, quas veteres summoperè excoluere; Periret primò Astronomia, quæ iudiciaria dicitur, nixa tanquam fundamẽto huiusmodi variarum stellarũ influxibus; Periret Magia Cęlestis, quam plurimi fecere Magi Persarũ, & Aegyptij; docens ex definitis materijs sub definitis stellarum aspectibus per congruentes figuras, huiusmodi influxus ex Cœlo haurire; Periret celebratæ ab Hebræis Chabalę portio illa, quæ ex latẽti in animos à superis inspiratione ortũ ducit; Abolerentur, & euanescerẽt generat diuini furoris, ab Academicis summoperè approbata; Perirent vaticinia, & diuinandi genera, quæ sine latẽti quodam influxũ seruari possę non videntur. Similiter interni illi diuini contactus redderentur inanes, quibus de superis etiã non animaduertentes vera enunciamus, veluti in primo de Cęlo cont. 100. nomen ęui diuinè enunciatum fuisse à veteribus testatur Aristoteles, & varijs in locis varia huic cõducentia profert. Insuper frustra tot Cœli Orbes, tot, tamque varię stellæ formatæ fuissent, nisi facultatibus quibusdam proprijs essent præditæ, quas in alia vt fœcundissimæ effunderent. Præterea, motus competit corpori vt quantum est; quare non potest esse ratio principalis agendi, cum quantitas inter agentia nõ numeretur. Insuper motus in loco solum est relatio quædam mobilis ad locum, nec ex se addit aliquid per quod operetur, sed aliud exposcit quod afferat, vel auferat, per quod præsertim agat. Præterea, Aristoteles in secundo de Cœlo, tribuit celo differentias positionis, & ait eas esse facultate & virtute distinctas; distinctæ autem facultates, distincta & varia effundunt. Propterea, Simplicius in secundo de Cęlo t. 2. inquit, Vt enim occultas cęlestium in ea, quę hic prætermittã Solis & Lunæ actiones, quæ ita euidenter mutant ea, quę sub Luna sunt; & clariùs approbans latẽtes influxus in cõmen. 29. ait, Dicatur autem, quòd sicut stellæ sanitates, ęgritudines, diuitias, paupertates, artes, & similia exhibent suis motibus & configurationibus, ita exhibent qualitatum differentias, si enim nedum calefaciunt, verùm etiam infrigidant cęlestia corpora, nõ solùm motus, sed ante hos proprietates stellarum, pro causa ponẽdę sunt. Cõspicuè Simplicius influxus à motu distinctos approbat, quos etiam approbat. D. Th. in exp. 42. textus 2. de Cęlo, eosque approbarunt Albertus Magnus, Petrus Aponensis, & alij multi. Hinc Auerroes in secundo cap. de substantia Orbis inquit, Considerantes actiones stellarum antiquo tempore, rectè aiunt quasdam largiri caliditatẽ & siccitatem, quasdam caliditatem & humiditatem, quasdam frigiditatem & humiditatem, alias frigiditatem & siccitatem, respondentes quatuor Elementis. Et in secundo de Cęlo 71. inquit, Vniuersus orbis est tanquam animal vnum, ligatum non instrumentis corporeis, sed prima potentia spiritali, diuisa in suo toto, per quã Mundus habet magnitudinem terminatam. Quod lucidiùs affirmat, disp. tertia, contra Algaz. in fol. duodecimi dubij, & in fol. d. 13. inquit, ex Luna alisque Planetis & syderibus plurima vtilia prodire, quæ diuina potentia in hunc Mundum influunt. Plato etiam in Timęo pro influxuum approbatione inquit, Qualia fiant cœlestia sydera coniuncta sibi inuicem vel opposita, antecedentia vel sequentia, quid ve ex eorum serie nobis eueniat, quidque portendant, quando orientes hominibus harum rerum peritis timo- *Plato.*

rem

rem incutiſit, hæc abſque diligenti ſimulachrorũ ipſorum inſpectione explicare velle inanis eſt labor. Hinc Porphyrius, Origenes & Plotinus aiunt, in Cęlo figuras futurorum quaſi litteras inſpici, vel ab initio ſcriptas, vel quæ in dies ſcribãtur, quas ſoli ſtellarum accurati obſeruatores legere, futuraque per eas prænoſcere apti ſunt. Et Mercurius Termaximus enunciauit, nil reperiri in Terris, cui non reſpõdeat in Cęlis ſignum aliquod, id generans, ſeruans, ſuaque facultate perficiens. Similiter Damaſcenus aſſeruit ex ſententia Platonis vnumquodque apud nos duplici facultate eſſe præditum, vna Cęleſti, altera Elementari. His itaque experimentis, rationibus, & auctoritatibus ne dum ſuaderi, ſed cogi videmur, ad approbandos influxus, à Lumine & motu diſtinctos, quos Academici eſſe putarunt in Deo, vt in primo ſonte, in Ideis Mentis per modum cauſæ, in animis, & per ea in ſtellis per rationes & formam, in alijs per ſemina & participationes.

*Porphyrius.*

*Mercurius Termaximus.*

## *Reijciuntur influxus à Lumine & motu ſeiuncti. Cap. XXXIX.*

QVamuis ſatis conſpicuè apparuerit Influxuum neceſſitas; ex aduerſo tamen non defuere viri ſapientes, & præſertim Peripateticorũ plurimi, qui eos redundantes & ſuperuacaneos exiſtimarunt, è quorum numero fuit per illuſtris Io. Picus, in libris aduerſus Aſtronomos, & alij multi. Nam Peripatetici hanc Naturæ Legem principaliſſimam ſtatuunt, vt nunquam efficiat pluribus, qđ valet efficere paucioribus; Lumen autẽ & motum pro cunctis ſeruandis ſatis eſſe exiſtimant, & propterea inficiãtur Cęlo inſtrumentũ tertiũ ab his diſtinctũ competere. Hinc Ariſtoteles nullibi huiuſmodi influxus addidit, nec explicauit, ſed in ſecũdo Phyſ. Solẽ & hominẽ dixit generare hominem, & in ſecundo de Cęlo 42. nec non in primo Meteororum, manifeſtans per quæ Cęlum in mortalia operetur, de ſolo Lumine & motu mentionem fecit, & propterea in primo Meteororum dixit, quòd eſt neceſſe, vt mortalis orbis ſuperis lationibus ſit continuus, vt omnis eius virtus inde gubernetur; de lationibus mentionem fecit, vt indicaret id fieri per motum; hinc Cœli motus dicitur vita quædam mortalium. Similiter in octauo Phyſic. 53. inquit, Cœlum ſuo motu eſſe cauſam varietatis mortalium, inquiens: Sed propterea, quod in contrarijs eſt locis, aut ſpeciebus, efficit vt modo contrario moueatur vnumquodque aliorum & aliquando quieſcat, aliquando autem moueatur, indicãs varietates diſpoſitionis mortalium ex Cęli motu prodire. & etiam in ſecundo de Cœlo 20. in ſecundo de Ortu & interitu 56. & duodecimo Metaphyſicæ 34. idipſum affirmauit. Præterea, vt vnitas eminentia & facultate continet omnes numeros, Deus omnes eſſentias, ita lumẽ vnitiſſimè & eminentia quadam continet omnes qualitates, adeò vt qualitas qualitatum dici mereatur: ideò vt quatuor Elemẽta ſola qualitate & motu operantur; ita Cęlum ſimpliciſſimum corporum, ſolo Lumine & motu operari putandum eſt, nam ea quæ in mortalibus ſunt ſeiuncta, in Cœlis inueniuntur coniuncta. Præterea, cum Cœlum ſit corpus eminentiſſimum & ſimpliciſſimum, inſtrumento quoque ſimplici cõtrarietatiſq; experte debet eſſe præditum, quare nõ ex eo influxus prodeunt inuicem pugnantes, oppoſitaque producẽtes, & cum ſit cauſa communis non proxima, & propria mortalium, etiam inſtrumento debet eſſe præditum, cui vis quædam communis competat, non autem propria diſtinctarum rerum, quales ſtatuuntur influxus, alioquin inanes eſſent cauſæ particulares & propriæ. Confirmatur: quia corpus ſimplex, cui propria natura & conditione congruit vnum oppoſitorum, non ei cõgruit aliud; ſed ſtellis vt lucidæ ſunt, & mouentur, per modum cauſæ conuenit calor; igitur eis non competit influxus refrigerans, alioquin ſibimet aduerſarentur. Inſuper ſi daret influxus refrigerans,

*Principaliſſima lex naturæ.*

gerans, etiam deberet dari influxus calefaciens, quia oppositorum eadem est ratio: at influxus calefaciens est redundans, cum Stellæ suo lumine & motu calefaciant. Præterea, ita argumentor, Sol Astronomorum consensione solùm calefacit, non refrigerat; quare reliquæ etiam Stellæ solùm calefacient, non autem præditæ erunt influxu refrigerante; consequentia deducitur, quia Stellæ omnes sunt eiusdem conditionis, eademque affectione præditæ nisi vnitocè, saltem vnitate ab vno. Consimili ratione vtitur Aristoteles in secundo de Cœlo, ostendens stelas omnes esse sphæricas, ex eo, quia Luna Spherica est. Præterea, cum Cælum sit medium virtutis, cordi animalium respondens, vt legitur in secundo de Cœlo, contex. 72. vt à corde animalis solùm effunditur calor vitalis in reliqua membra, non autem frigus; ita à Cœlo putandum est lumine, & motu effundi vitalem calorem; non autem ex eo prodire influxus efficientes opposita, & iure profectò, nam conditio dominantis, & principalis agentis inter corpora est, proximè eam qualitatem efficere, quæ principalis est, & obtinet imperium inter cæteras, huiusmodi autem est solus calor, nam frigus sequitur in materia mortalium recessum caloris. Præterea, huiusmodi influxus vel prodeunt ex motore Cœli, vel ex mobili, vel ex congregato, vel ex motu & lumine; non ex motore, qa eorum officium est mouere, & operari per motum; non ex mobili, quoniam ei solùm competit Lumen & motus, quibus operatur; non ex coniuncto, quoniam ex eo illa prodeunt, quæ prodeunt ex componentibus, cum consurgat ex eis; non demum ex lumine, & motu, quia hæc sunt in instrumenta sub sensum cadentia, ex quibus instrumenta alia insensilia, & præstantiora prodire nequeunt. Præterea concessis huiusmodi influxibus, etiam si Cœlum nō moueretur, posset Mundus seruari, & cuncta effici, quæ per motum Cœli efficiuntur cum huiusmodi influxus statuantur eminentiores & potentiores motu Cœli, quare inaniter mouetur Cœlum. Demùm Numeri, figuræ, nomina, characteres, quibus Magi Astronomici vtuntur, pro recipiendis huiusmodi influxibus, sunt res quantæ, materiatæ, non aptæ recipere spiritaliter, nec aliquam consensionem habentes cum influxibus spiritalibus & cœlestibus, adeò vt eorum opera inania, commenta, & delusiones quædam iudicari mereantur. Cum itaque influxus à Lumine & motu distincti, nec pro rerum ortu, nec pro conseruatione earum, nec pro earundem operatione requiri videantur, tanquam superuacanei & redundantes negligendi videntur.

Arist.

## *Distinctio influxuum & resolutio Difficultatis. Cap. XL.*

Quotiescunque ex Principio aliquo tanquam ex fonte, virtus, & facultas aliqua in alia effunditur, id quod effunditur, nuncupatur effluxus, sumpta metaphora ex aqua, quæ ex fonte influit in flumina & mare. Huiusmodi influxus si fiat per conspicuam actionem, in corpore receptam, dicitur motus vel lumen: si verò ex incorporeo latēter in corpus, vel ex corpore vno principali in aliud corpus effunditur dicitur influxus. At si ex incorporeo in incorporeū influit, dicitur afflatus, internus cōtactus, & inspiratio, omnes tamen cōi influxus nomine quatenus vnū influit in aliud designari possunt. Hinc influxus latè sumptus diuidi potest, quod fit, vel ex incorporeo in incorporeum; vel ex corporeo in corporeum; vel ex incorporeo in corporeum; ex corpore autem in incorporeum nō datur propriè influxus, quoniam id, ex quo aliquid in aliud influit, obtinet locum præstantioris, dum autem corpus lædit animam, non influxus, sed contagium quoddam iudicari debet, vt accidit in somno & delirijs. Distinguitur influxus à Lumine & motu; primò, quia non cadit sub sensum; secūdò, quia impediri

*Diuisio influxuū.* *Quō influxus distinguitur à lumine.*

non poteſt ab opaco,uel denſo,nec ab oppoſito motu. Modo non eſt ſermo de inſpiratione prodeunte ex incorporeo in incorporeum, ad quam pertinent ſpecies quatuor diuini furoris, ab Academicis celebratæ, ſed de influxu prodeunte ex Cœlo in mortalia corpora.

*Definitio.* Qui ita definiri poſſet,quòd ſit ſpiritalis qualitas ex Stellis, & Cęlo in mortalem orbem latenter effuſa, per quam apta eã recipere facultate aliqua afficiuntur.

*Opiniones quatuor.* De quo influxu loquendo,quatuor Principales ſe offerunt opiniones, duæ extremæ,& duæ mediæ.

*Prima.* Extremarum una eſt ea Aſſyriorum, Aegyptiorum, Arabũ, & multorum Aſtronomorum,ſingulis ſtellis,earumq; aſpectibus tribuentium influxum proprium à lumine & motu diſtinctum,quo etiã ſine lumine & motu agant in mortalia,& in ſe inuicem,mutuò ſe contemperando,augendo, uel minuendo ſuas uires,ex quibus hominum ſortes,& conditiones uariæ prodeant.

*Euerſio.* Quam ſententiam in pręcedente capite reieci,& ex ea prodiere innumeræ deceptiones,incluſæ in artibus, quas diuinatrices appellant, & priuantes hominem propria agendi libertate.

*Secunda.* Altera opinio ei aduerſa eſt multorum, qui cupientes opinionem primam euertere, imitantes eos,qui ligna contorta dirigere nituntur, in oppoſitum nimium inclinarunt, quod & Io.Pico diſputanti aduerſus Aſtronomos, & alijs nonnullis contigiſſe uidetur; hi namque aiunt,Cęlum ſolùm operari Lumine & motu, nõ ulla alia propria facultate,ſed ſolùm communi,ut Lumẽ & motus ſunt,& uarietatem omnem actionis ex ſola uarietate intenſionis & remiſſionis ortum ducere,ſine ulla diſtinctione,& differentia ſumpta ex propria aliqua conditione corporum,quorum ſunt,uel ex quibus prodeunt.

*Euerſio.* Quam ſententiam ego quoq; approbandam non iudico,& pro ea reijcienda uim habent nonnullæ earum rationum,quæ in præcedentibus ſunt relatæ,& pręſertim,quia ſi corpora mortalia,cum ſint diſtincta, & uaria, pdita ſunt proprijs quibuſdam uiribus,& facultatibus,per quas intermedio temperamento, tanquã inſtrumento in alia operantur,longè magis putãdum eſt id competere Cœlo, corpori eminentiori,in quo ut in cauſa cuncta mortalia includuntur, adeò ut per diſtinctas Stellarum facultates inſtrumento luminis & motus operetur. Quòd cõfirmatur:quia Lumen & motus cum ſola ſua reduplicatione,& per ſolam uarietatem intẽſionis & remiſſionis,non ſunt apta producere animalia, cum tamẽ ea generent,& præſertim orta ex putri, idque efficiant non ut Lumen & motus ſunt, ſed quatenus prodeunt ex corpore uiuente,ita Luna dicitur ſua cõditione motrix humidi,& ſtellæ uariæ uarijs facultatibus dicuntur præditæ.

*Tertia.* *Euerſio.* Propterea, eſt tertia opinio media Academicorum ſupra relata,quæ tamen cum ſupponat ſtellas propria anima præditas, & ſeriem illam,quaſi catenam,idearum,rationum,& ſeminum, à Peripatetico reiectam, prætereunda eſt,& præſertim,quia non uidetur ſtellæ poſſe futura quędam ſignificare,niſi etiam ea efficiant.

*Quarta.* Ideò ſecus uia alia media progrediendum, puto dicendo cœleſtia corpora ſolùm pro inſtrumentis uti Lumine & motu, non alijs diſtinctis influxibus, ita tamen illis agere, ut cum ſint diſtincti orbis,& ſyderis, ob eorum diſtinctionem, etiam prædita ſint diſtincta aliqua facultate non ex ſola intenſione & remiſſione,ſed ex propria ſui principij conditione prodeunte,ut etiam Ariſtoteles in 2.de Gen.animal.cap.1. & ſequentibus dixit,ſemen producere animalia, ut inſtrumẽtum & facultate parentis. Ex quo eliciuntur ſolutiones plurimarum aduerſarum rationũ pro prima parte relatarum. Inſuper elicitur influxus partim concedendos, partim reijciendos; concedendi ſunt dum cõſiderantur pro facultate quadam propria uariarum ſtellarum incluſa in Lumine & motu earum; reijciendi ſunt pro inſtrumento diſtincto,

*Varia colliguntur.* ut approbabantur à uiris primę opinionis. Colligo tertio Magiam,Phyſicã,& Aſtronomiam iudiciariam,ut utuntur influxibus primi generis,negligendas eſſe,& ſimiliter diſciplinas alias illius conditionis; eas tamen non eſſe deſpiciendas, dum ſolùm utuntur influxibus approbatis, per naturã operantibus,quibus libertas humanarum actionum nulla ex parte læditur & labefactatur.

## *Explicantur nonnulla, attinentia ad notitiam influxuum, conducentia pro solutione aduersarium rationum. Cap. XLI.*

VT Veritas clarior refulgeat, & exactiùs diluātur aduersæ rationes, cōsidero primò corporibus mortalibus nequaquam eas qualitates competere, quas spiritales, & virtuales appellāt, distinctas à qualitatibus materiatis, proportione respondentes influxibus Cœli, eas enim nulla ratio, nullaq; experientia cōcedere cogit, nec vllibi Aristoteles de illis vllū fecit verbum. Nam mortaliū qualitates primę illæ sunt, quę ad tactum pertinent, ex quibus temperamenta & cęteræ qualitates, quę secundæ dicuntur, ortū ducunt; agentia principalia sunt formę substantiales, hę aūt qualitates & tēperamenta sunt instrumenta, quę virtute dirigentium varia efficiunt, admirationē parientia, & vnà suspitionē, quòd dentur qualitates illę spiritales, de quibus nil aliud sentiendum iudico, nisi idipsum, quod de Cœli influxibus dictum est; nempè quòd qualitates tangibiles & temperamenta prædita sint facultate operandi, nedū quatenus tales qualitates sunt, verum insuper vt sunt qualitates vnius, vel alterius substantiæ, & ab vna, vel ab alia forma dirigūtur, veluti calor ex se solùm calefacit, vt instrumentum formæ ignis generat ignem. Insuper secundò considero, actiones, & præsertim eas Lucis, & motus, quæ ad rem faciunt, per multa variari posse; Nam variantur primò per intensionem & remissionem, lucis, & velocitatis motus. Variantur secundò per distantiam & propinquitatem, ob quam Luna magis videtur agere, quàm multæ stellæ maiores. Tertiò variantur ratione positionis corporis Lucidi, ob quam varietatem, varia fit repercussio radiorum eius, vel ad angulos magis rectos, vel magis obtusos. Quartò variantur ratione medij, per quod descruntur; adeò vt vario modo operetur Sol per medium densius, & per rarius. Quintò variantur per varietatem corporis Lucidi, siue mobilis, ita Luna & Sol varia producunt, propria quadam facultate. Sextò variantur per connexiones & varietates earum, veluti calor secus operatur iunctus cum humore, secùs iunctus cum siccitate: ita ex connexionibus variorum Luminum, varia prodeunt. Septimò variantur per varietatem recipientium, nam vnumquodque recipitur secundum conditionem recipientis; hinc Lapis Herculeus trahit ferrum, non lapidem. Et quamuis agens omne actione prima consimiliter operetur, nec agat in extremū nisi agat in medium, de actione tamē ex prima prodeunte secùs se habet, veluti quamuis Piscis Torpedo, actione prima agitet rete, non tamen id stupore afficit, sed solùm manum Piscatoris, quia rete non est stuporis capax. Considero tertiò, quòd cum Lumen & motus sint instrumenta communia, putandum est ea competere & vniuerso Cœlo, & singulis eius partibus, quamuis cum aliqua varietate, alioquin nō vniuersum Cęlum esset agens commune, hinc eorum explodenda sententia est, qui putarunt Lucem esse propriam solis, cęteras verò Cęli partes, & Stellas, per solā lucerent Lucem à Sole receptam, quod esse falsum etiam in pręcedentibus patefeci. Insuper quarto loco considero Lumen & motū per se primò, & cum sui reduplicatione solùm communia agere, & nullā producere qualitatem, mortalem, sed Lucem per se primò illustrare & illuminare, Motum verò afferre, connectere, & secernere corpora, per se tamen non primò, sed secundariò, & per cōsecutionem proximam calefacere: cęteras verò qualitates, uel solùm per remotam consecutionem, uel per causas alias intermedias proximas parere, & seruare, & iure optimo profectò, nam instrumēta prima Cęli, qualitatem primam mortalium, purgantem corpora, attenuantem, eleuantem, & Cœlo similia pro facultate reddentem producere debent, huiusmodi autem est solus calor. Hinc Aristoteles 25. part. prob. 2. ait absurdum est putare (ut ueteres auctores dixerūt) quod stellæ sint frigi-

*Non dari qualitatis virtuales.*

*Actiones motus & Lucis per multa variari.*

dæ,& vt cor solùm in membra influit calorem; ita Cœlum,quod cordi proportione respondet.Motus calefacit præsertim agitando corpora,atterēdo,attenuādo,& exci tando in eis insitum calorem; Lumen verò magis caloris formam ex integro producere aptum est,præsertim dum geminantur radij per repercussionē, vnaq; multi conspirant vt euenit in speculis concauis. Cęteras autem qualitates seruant, & producūt,minus principaliter & modò à me declarato in calce libri de quatuor primis qualitatibus. At cum Motus & Lumen sint instrumenta prima & communia; quęritur, quod nam eorum principatum obtineat,quidq; potentius agat? multa profectò pro vtriusque pręstantia dici possent,quæ ego silentio pręteriens,pro difficultatis resolutione assero,motum origine præcurrere, quia sequitur molem. Hinc latio in octauo Physic.ostenditur prior cæteris motibus;Lumen verò sequi,cum pertineat ad qualitatem receptam in quanto.Insuper addo motum disponere,Lumen efficaciùs formā inducere. Motum magis agere in proximiora Cęlo; Lumen in distantiora. Proxima Terræ motum magis permutare extrinsecùs; Lumen verò intimius, & vsq; ad viscera Terræ. Motus Cęli patefacit potentiam & facultatem efficiendi primi Principij; Lux verò Sapientiam & contemplationem,vt calor ex eis prodiens patefacit Charitatem,& amorem,quo cuncta perinde seruantur & perficiuntur, ac per vitalem calorem ex corde prodeuntem,seruari inspicimus & perfici membra animalium. Ambo itaque ea instrumenta,vnà conspirantia,absoluere valent munera omnia Cęli: inter quę tamen absolutè puto principatum competere lumini,vt ex dictis colligitur. Hęc spiritalius est, & sine tempore per vniuersum effunditur.

*De principatu Luminis & motus.*

## *Proponuntur & diluuntur dubia nonnulla ex dictis emergentia.* *Cap. XLII.*

EX his quæ dicta sunt,duo præsertim prodeunt principalia dubia,quorum vnum pertinet ad Lumen,alterum ad motū Cęli:Pertinēs ad Lumen,est,quoniam dixi ei Principatum cōpetere, quod tamen videtur Aristoteli aduersari, qui calorem ex Cęlo pendentem ad motū refert, nulla de Lumine facta mentione: adeò vt nō defuerint viri docti,qui Lumen solùm per motum, non autem propria vlla facultate operari existimarint: & ita omnium accepta esse referēda motui asseruerunt. Hinc Aristoteles secundo de Cœlo,cont.42.inquit:Calor autem ab astris,& Lumen generatur attrito aere ab eorum latione;nam aptus est motus incendere & ligna, & lapides & ferrū,ideò necesse est,moto Cœlo,aerē excalefieri,& præsertim id fieri per eam partem, in qua Sol est infixus,nam accedenre sole,& oriente, & super nos existēte,generatur calor,sic itaq; Philosophus vim & facultatem calefaciendi soli motui videtur tribuere,nō Lumini, qua de re latiùs loquitur in primo Meteororum,ca.3. in quo præter cætera hæc profert. Latio autem primo Elemento in orbem, & corporibus,quæ in eo sunt,id quod proximum est,semper inferioris mundi motu disgregatum accenditur,caloremq; efficit.Et post pauca.De facto calore à Sole magis fecundum se & diligentiùs in ijs,quæ de sensu conuenit dicere,nam calor affectio quædam sensus est, ob quam tamen causam non existentibus astris calidis,calorem efficianr,dicendum & nūc. Videmus itaque motum posse disgregare aerem & incendere,adeò vt lata corpora etiam liquefieri sæpè videantur. Vt igitur fiat æstus & calor, satis est etiam solis latio tātùm: velocem enim oportet esse,& nō valde distantem, &c.his & similibus verbis Aristoteles vniuersum calefaciēdi munus motui, nō lumini videtur tribuere: & propterea in eodem primo Meteororum dixit esse necesse mortalem orbē superis lationibus esse cōtinuum,vt omnis inde virtus gubernetur:dixit Lationibus, nō Luminibus Cęli mundum mortalem regi,& propterea indicauit motui,non Lumini principatum cōpetere.

*An Lumē præstet.*

*Aristot.*

*Secunda dubitatio de motu.*

re. Altera dubitatio ad motum pertinens est: si motu Cæli reguntur mortalia, supposito per imaginationem, quòd Cælum requiescat, quid inde contingeret; num mortalia abolerentur? Vt pertinet ad primam difficultatem, ambigitur primò, quia Aristoteles in primo Meteororũ de calore facto à Sole, ait eius explicationem magis attinere ad lib. de sensu, cum tamen deinde in eo lib. tam pauca dicat, vt nil dicere videatur, nam solùm ait se de Lumine egisse in libris de Anima, & declarasse, quòd sit color pspicui secundum accidens, quando enim inest aliquid igneum in perspicuo, præsentia illius Lumẽ est, priuatio verò tenebræ. Ad hoc dicere possumus, Aristotelem in primo Meteororum patefecisse locum proprium eius considerationis, tamẽ quia ob occasiones oblatas in primo Meteororum, & in secundo de Cælo id explicauit, propterea cum ad locum proprium peruenit, id tanquam alibi explicatum prætermisit. At quod maiorem parit difficultatem, est, quia Aristoteles munus calefaciendi solùm videtur tribuere motui, & non motui primi mobilis, neque infimi, nẽpe Lunæ, sed motui Solis, quia satis est celer, & proximus, hoc mirum in modum est dubium, tum quia radij solis repercussi longè sensibiliùs videntur calefacere & incendere, quàm motus, tum insuper quia si Cælum motu calefacit, id efficit motu velocissimo, nempè diurno, qui tãquam primo subiecto competit primo mobili, tãquam subiecto proximè mouenti sphæram ignis, competit Lunæ, quare nullà ratione debuit Aristoteles id minus tribuere Soli. Similiter dubium est id, quod dixit Aristoteles in secundo de Cælo 42. calorẽ & lumen gignis ab Astris attrito aere ab eorum latione, nã Lumen non fit attrito aere per lationem, sed sola præsentia Lucidi, vt dicitur in secundo de Anima.

*Solutio primæ diff. de Lumine.*

*Augetur dubitatio.*

*Opinio quorundam.*

Aristoteles profectò de re obscura obscurè loquitur, adeò vt nonnulli eius sententiam damnare sint ausi; alij dixerint eum supponere, quod dicebatur & approbabatur à veteribus, nempè radios esse corpora, ac ita suo motu & attritione operari, sed hoc asserere est idem ac dicere Aristotelem mendacem esse, & sententiam veram non explicasse; nam consueuit nonnunquam Philosophus in locis nõ proprijs vti concessis ab antiquis, & sententijs communibus, dum nil refert pro causa assignãda, vel vno, vel altero modo res se habeat, veluti in tertio Meteororum, vtitur emissione radiorũ ex oculis, cõtra propriam sententiam; quia nil refert, siue dicamus repercuti radios oculorum, siue actiones rerum visibilium, at de productione caloris à Cælo longè secùs se habet. Propterea, alij alia dixerunt, vt Auerroes, D. Tho. Alexander, quæ missa facio, cum ea retulerim in libro de effectione & perpessione Physica.

*Euersio.*

*Opinio propria.*

Et pro solutione difficultatum tria profero, Vnum est, Aristotelem munus calefaciendi etiam tribuisse radijs; Alterũ est comparando cœlorum orbes iure id munus præsertim tribuisse Soli; Tertium est, cõparando Lumen cum motu, iure optimo de motu præsertim mentionẽ fecisse. Vt pertinet ad primum, conspicuè Aristoteles in primo Meteororum, cap. 3. inquit, radios Solis à Terra refractos prohibere, ne propè Terram congregentur nubes, secernendo calore consistentias, & in secundo de Cœlo cont. 42. inquit, Solem calefacere, dũ oritur & ad nos accedit, at tunc profectò magis operatur suo Lumine.

*Prima conclusio.*

*Secunda.*

Dicebatur secundò, iure id munus calefaciendi præsertim tribuisse Soli, ratio est, nedum ob eximiam eius Lucem, quam sibi vt conspicuam & approbatissimam, verùm insuper, quia Sol est, qui suo diurno motu vapores secum ducit, & pro hoc considero pulcherrimum locum & conspicua verba Aristotelis in primo Meteororum, cap. 7. dicẽtis, quando per Stellam aliquam facta fuerit aliqua vaporum cõcretio, necesse est, vt appareat eadem latione moueri cometem ex incensione illius vaporis apparentem, qua fertur Stella, &c. ait, itaque Aristoteles vapores sequi motum Stellæ eleuantis, & quoniam vapores siue sint in infima, siue in sublimi regione aeris, dicuntur (ferè omnes) eleuari à Sole, ideò dicuntur sequi motum diurnũ Solis & eius motu calefieri & incendi.

*Dubitatio.*

At occurrit dubitatio, quia sic Arist. assignasset non causam pro causa, id enim ait competere Soli, quia satis proximus & velox est, non autẽ quia vapores ab eo eleuati sequãtur illum. Respõdeo Arist. assignasse tunc causam ad motũ vniuersè cõsideratum per-

*Solutio.*

tinentem, qui sua velocitate & propinquitate præsertim operatur, prætermisisse autem varietatem ex recipiente prodeuntem, vt notum ex alibi ab eo explicatis. Dicebam tertiò, Aristotelem iure de motu, potiùs quàm de lumine fecisse mentionem, denotando (vt iam dixi) motum diurnum, qui velocissimus est, cuius ratio multiplex est. Prima, quia calefactio prodiens ex radijs, est popularis conspicua & ab omnibus approbata, ideò vt nota dimittitur. Altera, quia loquitur de calore, quo præsertim meteorologica fiunt in sublimi & in maiori parte aeris ac in regionib. Coelo propinquioribus, qui calor maximè à motu producitur. Tertia ratio est, quia in productione caloris à Lumine, motus & antecedit afferendo Lucidum, & sequitur excalefactionē factam à radijs, quatenus attenuant & alterant excalefactum aerem. Quarta ratio est, quia ex Aristotele in secundo de Anima 69. Lumen dicitur præsentia Lucidi, quare sat est loqui de eo, ex quo pendet lucidi præsentia & absentia, huiusmodi autem est motus. At adhuc remanet dubitatio, quia non videtur verum id, quod dixit Aristoteles per motum etiam gigni Lumen, nam dixit calorem & Lumen gigni ab astris attrito aere per eorum lationem; Alexander dixit eam generationem solùm ad calorē esse referendam: at seruando verba Aristotelis, dicere possumus triplici de causa fecisse Aristotelem mentionem etiam de Lumine: prima est, quia in aere per motum attrito & attenuato, splendidius lumen recipitur: altera, vt denotet lumen sequi motum, quatenus consurgit ex præsentia lucidi: tertia, quia motus incendendo habitus etiam lumen producit.

*Tertia.* *Dubitatio.*

## *Si Cælum desineret moueri, quid inde eueniret?*

### *Cap. XLIII.*

SEntentia est Aristotelis in octauo Physicorū 33. sine primo, sequentia mouere non posse; primum autem mouere posse sine illis; & in contr. 56. affirmauit id, quod secundum locum mouetur, posse non moueri alijs motibus; aliorum autem motuum nullum contigere esse, nisi detur motus continuus, quem producit motor primus. Insuper, vt apparuit in præcedentibus, asseruit cōpetere Cælo duos motus, vt per vnum seruaretur consimilitudo, per alterum varietas & vicissitudo mortalium; per vtrunq; verò seruaretur consimilis & ordinata varietas. In primo Meteororum dixit, oportere mortalem orbem superis lationibus esse cōtinuum, vt omnis eius virtus inde gubernetur. Ex his, & huiusmodi alijs sæpè prolatis à Philosopho, emergit hæc dubitatio: si per imaginationē Cælum desineret moueri, quid inde eueniret? hæc sub Cælo posita quomodo se haberent? licet aliquando imaginari et ea, quæ fieri nequeunt, & considerare quid inde sequatur, vt constet, quid aliquid ex se habeat, & quid recipiat ab alio. Dubitauit Theophrastus in suis fragmentis Metaphysicæ, quæ extant, an si cælum desineret moueri, etiam desineret esse. Supposuit Plato in decimo de Legib. Coelum quiescere, & incipere moueri, vt consideraret quomodo & per cuius conditionem inciperet moueri. Similiter Aristoteles in secundo de Coelo 13. inquit: Et si nunquam Coelum cepit moueri, principium tamen habere necesse est, vnde cepisset, si incepisset moueri; & si steterit, vnde inciperet. Propterea, iure optimo dubitauit Alexander, referente Simplicio in secundo de Coelo 12. an Cælo quiescente, Elementa inuicem permutarentur? quæ dubitatio tribus præsertim capitibus prædita est. Primum, an si Cælum quiesceret, desineret esse? Secundum, an Elementa, sub Coelo posita perirent? Tertium, an si non perirent, inuicem permutarentur, & mixta cōstituerentur? Auerroes hac de re non videtur sibi constare, nam in quarto Physic. 98. videtur opinari, quòd si Coelum desineret moueri, remanerent mortalia; at non inuicem permutarentur: hinc ait, si possibile esset Coelum quiescere, etiam esset possibile non

*Dubitatio altera discutit ad motū pertinens.* *Theophrastus.* *Alexander.* *Auerroes.*

esse in esse non permutabili. At ex aduerso in calce quarti cap. de substantia Orbis ait, si non daretur motor Cęli, destrueretur motus; & si motus etiam Cęlum; nam Cęlum est propter motum suum; & si motus Coeli destrueretur, etiam perirent motus mortalium, & Mundus, & propterea dans motui esse continuum, largitur esse omnibus. Similiter in prima disp. in sol. vndecimi dubij, ait, si quis supercoelestiũ motuum desineret esse, ordo totius vniuersi destrueretur. Et in octauo Physic. 47. inquit Manifestum est per se, quòd si hæc mota generabilia, & corruptibilia non essent determinata & continuata à motibus cęlestium corporum, non essent ne dum vt cõtinuaretur esse eorum. Dubitatio profectò est satis perplexa, & de ea opiniones sunt varię. Ego hac de re primò loquar ex opinione Peripateticorum, mox referã veram Theologorum sententiam. Existimarunt nonnulli, Coelo quiescente, cuncta seruari posse munere influxuum includentium vniuersam facultatem luminis & motus. *Opinio prima.* Quæ sententia non est approbanda, cum iam influxus seiuncti à lumine & motu reiecti sint, & præsertim, quia si id esset, tunc inaniter moueretur Coelum. Propterea est secunda opinio huic aduersa, asserentium si Coelum desineret moueri, etiam desinerect esse, & consequenter cuncta collocata sub eo. *Opinio secunda.* Ratio est, quia motus Coeli est eius affectio, quæ nõ potest auferri, nisi etiam auferatur natura eius, vt risibilitas non aufertur, nisi ablata natura hominis. Quę sententia etiam non videtur approbanda, quia motus est accidens, per cuius ablationem non aufertur substantia. Preterea orbis Cęli ex se solum habet propensionem ad motum, mouetur autem ab intelligentia, & propterea, Intelligentia non mouente, posset seruari Cęlum cum sua propensione ad motum, & quiesceret nec secundum naturam, nec contra, sed non secundum Naturam, solùm si imaginaremur non reperiri substantia separatas, sequeretur aboleri coelestia corpora, nam inquit Aristoteles in calce duodecimi Metaphysices, si non essent alia pręter sensibilia, non erit principium rerum, ordo, generatio, & ipsa coelestia corpora. Propterea est tertia opinio asserentium, si cęlum quiesceret, seruaretur quidem, quia est corpus æternum non egens motu vt sit, sed vt bene se habeat; collocata autem sub cęlo, quia ex Cęlo per motum pendent & seruantur, abolerentur. *Tertia.* Hoc etiam non videtur dicendum, quia materia, cum sit ęterna, pro suo esse non pendet ex motu coeli, cui solùm subijciuntur variabilia; materia autem semper habet formam aliquam simplicium corporum sibi iunctam. *Euersio.* Ideò quartò dicunt alij, quiescente Coelo Elementa perirent & seruarentur; perirent, quia pendent ex Coelo saltem vt conseruante; seruarentur, quia materia est ęterna & semper iunctas habet formas Elemenrorum, hoc autem quod sequitur est impossibile, quia etiã id quod supponitur impossibile est. *Quarta.* Quæ etiam opinio non videtur approbanda, quia quamuis id, quod supponitur absolutè fieri nequeat; non tamen ita se habet, vt includat contradictionem. Hinc ex sententia Theologorum, Coelum aliquando requiescet, quod ei non posset competere, si contradictione includeret; at ex non includente contradictionem, non potest aliquid prodire contradictionem includens, vt ex minus falsò, non infertur magis falsum. Propterea est opinio quinta Alexandri relata à Simplicio, asserentis, Cęlo quiescente, mortalia remanere & inuicem permutari, quia motus Coeli non est causæ mutuæ permutationis Elementorum, sed solùm ordinis eius, & ideò ordo permutationis cõfunderentur, & cuncta Elementa in vnum potentius conuerterentur. *Quinta.* Hæc opinio pugnat cum verbis Aristotelis in octauo Physic. 56. dicentis, nisi detur motus cõtinuus, quem producit primus motor, non contingit aliquem cæterorum motuum reperiri, quod etiam distinctiùs contex. 33. enunciauit. *Euersio.* Hinc iure Simplicius eam solutionem euertit, asserens motum Cęli nedum ordinis, sed etiam absolutè ipsius motus mortalium esse originem. Immò ipsemet Alexander, ea solutione non contentus, alterã afferebat inquiens, Elementa inuicem, quiescente Cęlo, non permutari, quoniam egęt pro mutua permutatione nedum aliquo ex quo fiant, verum etiam aliquo à quo permutentur, hoc autem est Coelum per eius motum. Propterea dicendum puto, quiescente *Opinio propria.*

scente

ſcente Cęlo, poſſe remanere mortalia: at ea inuicem non permutarentur, quia nō adeſſet commune permutans, ſine quo cætera nō permutantur. Hoc viſus eſt denotaſſe Auerroes quarto Phyſic. 98. inquiens, tunc nos eſſe in eſſe non permutabili, & iure: tunc enim non eſſet tempus, ſine quo nullus eſt motus, & hoc frequenter in octauo

*Inſtantia.* Phyſic. aſſeruit Ariſtoteles, vt retuli in pręcedentibus: Et ſi quis inſtet, quia tunc mortale redderetur æternum, & conſequenter mortale non eſſet mortale. Reſpōdeo, per id mortale non redderetur æternum, ſed ſemper ex ſe mortale eſſet, ea tamen potentia defectu alterius non redigeretur ad actum, & id non eſt abſurdum, cum ſequatur ſuppoſitionem eius, quod fieri nequit. Dicendum tamen puto cum Simplicio, quod ſi humanam ſequimur rationem, res adeò eſt dubia, vt nil certi conſtanter aſſerere valeamus, quia humana ratione non valemus conſpicuè modum ſuſpicere, quo inferiora ex ſuperioribus pendent. Propterea, conſtanter cum Theologis aſſerámus, Cœlum ſtatuto temporis termino debere requieſcere, nec ob id interiturum, ſed cum meliori diſpoſitione ſeruandum eſſe, Elementa quoque quia mundum ſuo ordine conſtituunt, purgata per ignem ſeruabuntur, nec inuicem amplius permutabuntur, cum eorum mutatio pendeat ex motu Cœli. Similiter remanebit homo, cum ſit finis cęterorum corporum, & includat aliquid ſui conditione expers interitus, nempè animam rationis compotem; reliqua autem mixta ſiue imperfecta, ſiue perfecta cum amplius homini inſeruire non debeant, in ſimplicia corpora reſoluentur: hic non interitus abſolutè erit, ſed perfectio, & reditus in principalia principia, tunc Deo aſpirante videbimus Cœlum nouum, & Terram nouam; tunc fluens & variabile tempus in conſtantem æternitatem conuertetur; tunc conditio hominis non amplius varietati erit obnoxia, ſed qui ſemel fuerit miſer aut fœlix, in perpetuum erit talis, qui cum ſit finis Cœli, etiam congruenter ſtatui debet finis conſiderationis eius. Et placeat Deo, vt ex eorum numero ſimus, qui ſemper futuri ſunt fœlices.

*Sententia abſoluta uera.*

*F I N I S.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De Cœlorum motoribus ex sententia Aristotelis

## LIBER VNVS.

### *An de Diuinorum cognitione teneamur esse soliciti? Caput Primum.*

QVoniam ea, quæ de Cœlorum motoribus ex sententia Aristotelis explicanda proponuntur, sublimia, Diuinaque sunt, ideò iure optimo primò considerandum occurrit, an de diuinorum notitia teneamur esse soliciti? Nam Simonides Philosophus & Poeta, vir antiquitate & aucto- *Simonidis sententia.* ritate grauis, referente Aristotele in Procœmio Metaphysicę, & decimo Nicomachiorum cap. 7. enũciauit, nos, cũ simus mortales, teneri mortalia quęrere; ęterna autẽ ęternis derelinquere, nec iniuria profectò: nam sapientia, quæ sublimium est contemplatio, est conditio non hu- *Confirmatio.* mana, sed Diuina, non mortalis, sed æterna, non corporum, sed solutorum ab eo. Hinc Plato in Phędro Sapientis nomen dixit esse altissimum & soli Deo congruere. Prætereà, id accuratè inquirere tenemur, quod assequi valemus; cognitionem Diuinorum à nobis valde distantium assequi non valemus, eam enim sibi propriam seruauit Deus, & ab hominum sensibus longè secreuit. Insuper de eorum cognitione tenemur esse soliciti, quæ nobis sit vtilis, sublimium cognitio nequaquam est huiusmodi, cum enim supera in manibus & facultate nostra nõ sint posita, etiam si à nobis exactè noscerentur, secùs disponi, effici, & corrigi, non possent. Præterea, secreta Principium non licet populis curiosè perquirere, nec sine pœna licet ea euulgare, quare longè minus ea, quę sunt Principis Principum, & Monarchæ Vniuersi. Missa itaque facienda sunt arcana Dei, & cum simus filij Terræ, nõ debemus niti temerè ęquari Deo, nos enim Propheta monuit, Cœlum cœli domino, Terram autem dedit mortalibus egris: Nolimus plùs sapere, quàm oportet sapere, nam Sapientia huius Mũdi stultitia est apud Deum; Sapientia enim inflat, nosque reddit superbos, quos odit Deus, curemus cum simus homines humana, & vniuersi curam derelinquamus Deo; non enitamur mortalibus pennis eleuari in Cœlum, ne Icari more in vndas inscitiæ cum dedecore & pernicie labamur; caueamus ne more Gigantum terrenis cogitationibus & desiderijs, noua superaddentes, quasi Monti Montem superimponentes, niti videamur, id nobis vsurpare velle, quod Dei est, ne exemplo eorundem, pęnas temeritatis miserrimmè luamus. Approbanda itaq; videtur sentẽtia Simonidis, & rationibus satis firmis videtur niti. Ex aduersò tamen Aristoteles in Procœmio Metaphy- *Sententia aduersa approbatur.* sicæ, cap. 2. & decimo Nicomachiorum, cap. 7. nec non Plato in appendice Legum, longè secùs esse sentiendum manifestarunt, cum enim nos diuina animi parte simus

præditi, eam vt præciosiorem tenemur præsertim excolere, id autem aptissimè fit per cognitionem diuinorum. Insuper cum Deus nos sibi formauerit similes, adeò vt filij eius mereamur dici; Iure quoq; bonorum, & munerum suorum voluit nos esse participes, qualis est sublimium cognitio, propterea quicunque eorum cognitionem negligit, conditionis suæ indicat se immemorem. Præterea, cum nos id solum veneremur & colamus, quod noscimus; cum teneamur Deum venerari & colere, etiam tenemur niti eum pro facultate cognoscere, vt noscentes magnifaciamus, magnifacientes colamus, & colentes ei nosmetipsos retribuamus. Quod cõfirmatur, quia homo in re mortali finem suum cõstituere nõ debet, sed in re diuina, & propterea vt actiones & operationes nostras in hunc finem congruenter dirigamus, de eius cognitione tenemur esse soliciti, ne erga finem nos cœcos patefaciamus. Prçterea, cum Deus sit Lux, via, & veritas, Sapientiam suam manifestissimè alijs impartiens, & ne dum nulla denegatur inuidia, verùm potiùs multifariam multisque modis per opera se nobis patefaciat, hominemque doceat, conspicuè instituto Dei aduersabitur, qui aures & mẽtem ab eius sermone & doctrina prorsus auertet. Et præsertim id à nobis faciendum seruandumque est, quia (vt monebat Plato) diuinorum exemplo humana dirigere & gubernare tenemur. Præterea, homini per naturam competit desiderium cognoscendi sublimia, competunt facultates huiusmodi appetitum explẽdi, si nõ exactè, saltem in parte, quare ne huiusmodi appetitu & facultatibus inaniter simus præditi, cùm Deus & Natura nil faciant frustra, in Diuinorum contemplatione versari debemus. Et præsertim, quia præcipientes, nos diuina deserere, & quærere humana, pugnantia proferunt, humana enim nec distinctè cognosci, nec rectè curari possunt sine notitia diuinorum, ex quibus, tanquam ex Principijs, pendent. Demum, cum homo per animam sit aptus fieri omnia, & per omnia perfici, quicunq; illum nituntur à sublimium cognitione auertere, cum arceant à sua perfectione, & cum negligant veram sapientiã, iure optimo sententiam proferunt, cum sapientia pugnantem, seque simul vt insipientes negligendos patefaciunt. Colligamus itaque, ad supera non ad infera; ad Diuina, non ad humana; ad æterna; non ad mortalia nobis propositam esse viam.

*Tenemur niti noscere Deum.*

*Conclusio.*

## *Resolutio difficultatis.* *Cap. II.*

Vt vniuersam controuersiam de per quirenda diuinorum notitia paucis perstringam, & veriorem sententiam clariùs illustrem, dico non debere eos, qui animo Terrenis succumbunt, in eisque sibi finem constituunt, sublimia quærere. At ingenia sublimia, animos ingenuos, & Iuuenes generosos, qui suæ præstantiæ sunt conscij, nec degenerare cupiunt, aciem mentis in primum Parentem teneri accuratè conuertere, eiusque naturam, conditionem & Leges indagare, vt cum eo pro facultate conformentur, & eã solã agant, quæ illi grata esse nouerint: cauendum ne abutamur sublimium cognitione, sed enitamur in congruentem finem eam dirigere; non debemus temerè nimium, & audacter quasi nuper ex Deorum internuncijs descenderimus, de Diuinis loqui; sed piè, cum Prudentia, & reuerentia: quod etiam seruasse Aristotelem inspicimus, qui in secundo de Cçlo 34.60.61. de sublimib. loquuturus, se priùs modestissimis verbis excusauit. Idipsum seruauit Plato in Timço, in sui auxilium humiliter Deum implorãs. Insuper cauendum, ne Icari, & Gigantum more, cum corpore, hoc est Terrenis affectibus, tentemus ad supera eleuari, sed enitendum est, id facere animo purgato, & spiritu Charitatis; non debemus id facere stimulo ambitionis impulsi, & desiderio inanis Gloriæ elati, vt more Sophistarum videamur præesse alijs; sed solo desiderio ducti inspiciẽdi id, quod verum & bonum est, nec pro nobis solicitè quærendã Gloria, sed pro Mundi Monarcha, ita sapientia nos non inflabit, sed virtute formabit; non erit temeritas &

*Quomodo de diuinorum notitia debeamus esse soliciti.*

*Arist. & Plato quomodo de diuinis sint loquuti.*

stultitia,

ſtultitia, ſed fulgor, quo fulgebunt docti, non ſecùs ac ſplendor firmamenti. Sapientia eminentiſſima, quæ eſt eſſentia diuinorum, eſt poſſeſſio & affectio eorum: at ea, quæ per viſibilia Dei opera, ad inuiſibilia eleuat, humanę conditionis eſt perfectio, munere cuius humanæ actiones corriguntur & diriguntur, adeò vt homini ſaluberrima ſit, hinc pluris facere debemus tenuem & adumbratam de diuinis notitiam, quam cõſpicuam & exactam de rebus vilibus & mortalibus, vt in primo de partibus animalium nos monuit Ariſtoteles, non enim indaganda ſunt diuina, vt ea efficiamus, ſed vt per ea perficiamur, & ad agenda humana dirigamur. At dicebatur, ſecreta Principiũ nec inquirenda, nec euulganda eſſe. Reſpondeo, in attinentibus ad Principes tria potiſſimum inueniri. Vnum eſt eorum conditio & dignitas. Alterum ſunt mandata & Leges eorum. Tertium ſunt ſecreta quædam, quæ pro rectè formandis actionibus ſibi ſeruant: de notitia duorum primorum maximè tenemur eſſe ſoliciti, vt Principem noſtrum magnifaciamus, eiuſque mandata ſeruemus: de attinentibus ad tertium, dicitur, mitte arcana Dei, veluti cur Deus tunc, & non prius, nec poſterius voluerit creare Mundum? cur vno tempore, potiùs quàm alio velit motui Cœli finem imponere? cur ita & non velociùs Cœlum moueat? & alia huius generis, de quibus cum nil certi noſcere valeamus, & eorum cognitio nullam nobis præbeat vtilitatem, iure dicitur mittenda eſſe. Ex his patet reſolutio difficultatis, & aduerſarum rationum conſpicua ſolutio.

*Quæ ſapientia ſit ꝓpria diuinorum.*

*Inſtantia ſoluitur.*

## *De quo ſit facilius verba facere, num de rebus ſublimibus, vel potius de vilibus? Cap. III.*

Apparuit ſublimes & generoſos animos, in ſublimium Diuinorumq́ue contemplatione accuratè debere verſari, per quorum inſpectionẽ & notitiã recoluntur Sapiẽtes. Et quoniam Sapiens tenetur etiã alios inſtituere, & ea q̃ nouit alijs patefacere, cũ & vilia & Diuina cognoſcat, pulchra ſe offert quęſtio, nũ ei faciliùs ſit de rebus vilibus verba facere, vel potiùs de ſublimibus? Qua de re peripateticorũ, & Academicorũ Principes inuicẽ diſſentire videtur, nã vna ex parte Ariſtoteles in proœmio Metaphyſicę ſub initio ſecundi, & in ſecũdo de Cęlo, ſublimia cognitu eſſe difficillima affirmat, & indicat valdè arduũ eſſe de illis verba facere, & iure profectò, ea enim longè diſtant à ſenſibus noſtris, ſub vmbra operum ſolum inſpiciuntur, adeò vt etiã nomina eorum propria nobis deſint, per quæ explicentur. & Plato quoque veritate coactus in Timæo id ipſum confeſſus eſt, inquiens, opificẽ & patrem Mundi inuenire difficile eſt, & cum inueneris enunciare & eloqui vulgo impoſſibile. Ex aduerſo tamen idẽ Plato ſub initio Critiæ, latiſſimè oſtendit, facilius nobis eſſe de ſublimibus, quàm de rebus nobis proximis verba facere. Ratio eſt, quia ſublimia ex ſe ſunt conſpicua; eorum præſtantia & dignitas ex ſe patet; ea enim propria luce lucent; fulgent fulgore ſuo, ideò ſat eſt eorum præſtantiam puris verbis quaſi digito indicare, cum vilia, niſi verborum ſplendore illuſtrentur, nullũ ex ſe lumen emittant. Inſuper ea, quæ ſublimibus competunt, ſunt duplicia; vel enim ſunt communia & nota, vt Deum eſſe Principium primum, Cęlum eſſe corpus Lucidum & eminentiſſimum, vel adeò latẽt vt ingenij noſtri viribus nil certi de illis enunciare valeamuș. Proferre prima vnicuique facile eſt, loqui de alijs ꝓpterea dicitur facile, quia licet nobis de illis varia excogitare, multaque effingere, quæ dum protulerimus, non valemus per oppoſita conſpicua redargui & conuinci, nam dum ſupra ſenſus extollimur, licet nobis noſtro ingenio multa excogitare, varia effingere, pulchra formare, & ſine metu redargutionis ea proferre, ideò in Critia dixit Plato; Facilius apparet, vt qui de Dijs loquitur, ſatisfaciat hominibus, quàm qui de mortalibus, imperitia namq; & ignoratio audientium, magnam

*De quo ſit difficilius verba facere.*

*Ariſtot.*

*Plato.*

*Pro parte aduerſa.*

*Competẽtia ſuperis duorũ ſũt generum.*

*Resolutio diffic.* magnam copiam ad ea, quæ ignota, sunt, effingẽda præstare dicentibus cõsueuit. Pro resolutione apparentis cõtrouersiæ breuibus dico, primò, sublimia esse sui natura nota, non nobis, vilia è contrario, hæc enim sunt proxima sensibus, ea à sensibus lõgissimè distant. Addo secundò, facilius nobis esse de mortalibus distinctè loqui, quàm distinctè loqui de diuinis, cum ea à nobis longissimè distent. Dico tertiò, facilius esse de diuinis confusè loqui, & communia quædam conspicua enunciare, quàm distinctè loqui de mortalibus. Insuper dico, dum loquimur de diuinis minus possumus de mendacio conuinci, quàm dum loquimur de mortalibus, nam per opposita sub sensum cadentia, redargui valemus. Demùm addo, dum loquimur de diuinis, auditores facilè acquiescant, etiam si tantum communia quædam proferimus: at dum loquimur de mortalibus, nobis proximis exactiorem explicationem exposcunt. *Cõclusio.* Colligamus itaque facilius nobis esse de sublimibus loqui confusè, Populariter, Poeticè, Rhetoricè, per communia, & sine timore cõspicuæ redargutionis, quod & ab Aristotele, & à Platone approbatur: difficillimum tamen esse de illis loqui exactè, per principia distinctam scientiam parientia, & sententias proferre sublimitati rei congruentes. At cum nos vnà cum Aristotele, vt Philosopho licet, niti debeamus, de superis motoribus exactè, & distinctè verba facere; arduam prouinciam suscipimus, propterea ab eisdem motoribus humiliter auxilium imploro.

## *Quid nomine primi mouentis in octauo Physicorum denotauerit Aristoteles. Cap. IIII.*

*Quid nomine primi motoris in 8. Physic. denotetur.* LOquuturus ex sententia Aristotelis de Cœlorum motoribus, quoniã in octauo Physicorum nos eleuat Philosophus ad motorem primum, de quo varia declarat, ideò vtile est prænoscere, q̃d nomine primi motoris eo in loco denotauerit, qua de re tres sunt illustrium interpretũ opiniones. *Opinio Simplicij.* Putauit Simplicius Aristotelẽ non Deum, sed mentẽ primã non participatam, sub Deo positam denotasse, nam ex Simplicij sententia in Cęlo consideratur hic ordo. Primò, reperitur Deus immobilis, & nõ mouens nisi vt finis. Secundò, mens non participata, à Deo distincta, quæ dicitur Faber Mundi, quæ solùm eminenter mouetur ab esse ad agere. Tertiò, anima seipsa mouẽs, quæ ob id statuitur Principium transeuntis motus. Quartò, Natura per quam Cœlum est procliue ad motum. Putat itaque Simplicius in octauo Physicorum de Mente prima esse sermonem, cuius munere motus seruatur æternus, vt asserit in secundo de Cęlo, comm. 3. & alibi. Cum Simplicio nonnulli Latinorum in parte consentiũt, putantes Deum solùm mouere vt finem, & Aristotelem per primum motorem denotasse Intelligẽtiam proximè sub Deo positam. *Euersio.* Hæc opinio approbanda non est, nam si accuratè verba & rationes Aristotelis perpendimus, conspicuè inspiciemus, eũ nec Deum à prima Mente, nec Mentem primam à primo mouente seiunxisse. Cum enim Philosophus in octauo Physic. ad motorem primum nos eleuasset, in cont. 48. ostendit illum esse vnum; & id ipsum confirmat in contex. 49. cum enim motus primus sit vnus & continuus, est necesse, vt à motore primo, & vno producatur; motor autẽ cuius conditio est, vt sit vnus, & per quem motus primus est vnus, Deus est, quod cõspicuè elicitur ex contex. 52. eiusdem libri, in quo Philosophus loquens de hoc primo motore inquit, Principio manente, necesse est manere vniuersum, quod continuatur cum eo; At principium, quod sua immobilitate immobile secundum totum seruat vniuersum, solus est Deus. Insuper id ipsum elicitur ex contex. 37. in quo Philosophus ostendit primum motorem immobilem auctoritate Anaxagoræ, qui Diuinam Mentem à Chao seiunctam statuebat; nomine autem secretæ Mentis Anaxagoras Deum denotabat. Demùm in duodecimo Metaphysicæ, in contex. 43. Aristoteles

repetens

repetens declarata in 8. Phy. de primo motore, cõspicuè ea tribuit Deo, inquit enim, Nobis verò ex suppositis & definitis dicendum est, Principium, & primũ entium, tũ per se, tum ex accidenti immobile esse, mouens autẽ primo, æterno, & vno motu, &c. At ex opinione Aristotelis, principium, & primũ eorũ, quę sunt, solus est Deus. Præterea est, secunda opinio nonnullorum, asserẽtium Aristotelẽ in nomine primi motoris, solũ Deum denotasse, ille.n. solus absolutè est primus, absolutè est causa vnius, & æterni primi motus, & si esset in magnitudine, nullũ posset assignari tẽpus, in quo, moueret ob immensam facultatem, ei soli competentem. Tertia opinio est quorundam, putantium nomine primi motoris Aristotelem denotasse vniuersum genus motorum Cœli, considerauit enim Aristoteles, vt vnum corpus viuens, ex se mobile, & ideo vniuersum genus motorum eius, nuncupauit nomine primi motoris immobilis, hinc declarata in 8. Phys. de omni Cœlorum motore vera sunt, vt affirmat Philosophus in 12. Metaphysicæ 43. omnes enim intelligentię mouent semper, sunt secretæ à materia, indiuisibiles, & immobiles. Vt autem resolutio difficultatis clarior appareat, pro quartã opinione dico, Aristotelem in octauo Phisicorum, actu & secundum formam loqui de solo primo motore, qui Deus est; facultate autem & virtute, loqui de vniuerso genere motorum Cœli, cum enim motor Cœli sit ab vno, Philosophus suas regulas seruans, propriè loquitur de Deo, vt de principali subiecto earũ affectionũ, quas ostendit ei cõpetere; vt autem de adequato, vult ea, quę dicit, extendi ad vniuersum genus eorum motorum. Hæc resolutio cõspicuè elicitur ex ipsomet Aristotele in 12. Metaph. 43. quo loci repetita ostensione formata in 8. Phys. q motor Cœli sit æternus, immobilis, & indiuisibilis, quærit quot sint huiusmodi motores, & ait, esse tot, quot sunt Cęli lationes, & omnibus easdem competere affectiones ob eãdẽ causam, hoc est, quia semper mouent, conspicuè Philosophus, & medium, & affectiones de primo Principio ostensas asserit cunctis superis motoribus conuenire: ac ita resolutionem, à me traditam, manifestissimè approbat.

*Secunda.*

*Tertia.*

*Resolutio difficultatis.*

*Confirmatio.*

## *Ad quem pertineat considerare, quid sint Cœlorum motores, opinio Auerrois.* Cap. V.

De Cœlorum motoribus duæ simplices formantur quæstiones, vna, an sint? altera, quid sint? & quoniã resolutio primę presupponit resolutionem secundę, ideo à secũda ordiar. Sentẽtia fuit Auerrois ab eo sępè repetita, & à Zimara, ac alijs multis approbata, cũ quatuor sint genera causarũ, & in omni genere inueniatur primum, eorum primorũ duo pertinere ad Phisicum, nempè primam materiam, & primum efficiens; reliqua autem duo ad Metaphisicã, quę sunt prima forma, & postremus finis. Ratio est, quia includentia sua conditione morũ, Phisica sunt; nõ includentia verò, Metaphisica. Materia & efficiens per transmutationem sunt principia, & per eã definiuntur: forma autem prima, & finis nequaquam. Alij reperiuntur, qui omnia prima in quouis genere causæ aiunt considerari ab vtrisque, distincta consideratione à Phisico, vt principia corporis Physici, à Metaphisico, vt principia eius, quod est. Ex his elicitur, motores Cœli cum ad Physicum, tũm ad Metaph. pertinere, distincta tamen ratione. Horum sententias & cum vero & cum Aristotele cõspicuè pugnare existimo: nam eleuari ad sublime in quouis genere causæ est officium Sapientis; Sapientia est conditio Metaphysicę, & cum ea sola iuncta, hinc Metaphisica dicitur scientia capite predita, quare ad primum eleuari in quouis genere causæ solo Metaphisico concessum est, & nisi ad quoduis primum in genere causarum eleuaretur, esset sapiẽtia diminuta, & Sapiẽtia ea ex parte insipiens. Ex aduerso Physicus ad nullum primum absolutè in quouis genere causæ eleuari valet, tũ quia non proximè Sapiẽtiæ habitu perficitur, tũ insuper, quia

*Opin. Auerr.*

*Ratio.*

*Opin. alia.*

*Euersio.*

*In quouis genere cã Metaphysicus eleuatur ad primum.*

*Physicus in nullo genere cãe eleuatur ad primum.*

quia Metaphysica absolutè eius domina, & superior dicitur, quod nõ seruaretur, si ex quoque ad absolutè prima eleuaretur. Quod confirmatur, cõsiderãdo prima in quouis genere causæ, nam Metaphysicum considerare primam formam, & finem postremum, conceditur ab Auerroe, & alijs; quod autem consideret primum efficiens, primamq; materiã, ostendo, nam de materia loquendo eius variæ sunt notiones, vt Themistius in primo Physicorum patefecit, quarum prima dicitur esse absoluta, nõ includens priuationem, & relationem ad formam, quæ notio non est Physica; nam Physicus eam solùm considerat, vt subiectum transmutationis, & cum relatione ad formã, quare iudicari debet Metaphysica. Ex quo hanc elicio rationem. Ille absolutè dicitur materiam primam considerare, qui eam cõsiderat in prima sui notione; sed hoc facit Metaphysicus, non Physicus; quare &c. ita Aristoteles in decimo Metaphysicę, dixit materiam nosci per negationem, & in septimo, eã esse nec quid, nec quale, nec quantum, &c. Idipsum ostendo de primo efficiente, nam conspicuè Aristoteles in secundo Phys. 71. & 73. inquit, motores, qui mouendo non mouentur, non esse Physicę considerationis: at motores Cœli huiusmodi sunt. Verũ inquiunt nonnulli sententiã Aristotelis ita esse intelligendam, quòd motores immobiles non sint à Physico considerandi tanquam subiectum, posse tamen considerari tanquam principia subiecti. Qua euasione nil cogitari potest cum sententia Arist. pugnantius, primò: quia eo loci Philosophus non loquitur de consideratione subiecti, vel specierum eius, sed loquitur de consideratione principiorum, inquirens, quæ causæ & vsq; ad quem terminum à Physico sint considerandæ. Præterea tunc ea sententia redderetur falsa, quia inquit Aris. motores, qui mouendo mouentur, attinere ad Physicum: at huiusmodi motores non considerantur à Physico, vt subiectum, sed principia, veluti considerantur formę, quę sunt natura, quę cum pendeant ex materia, mouendo mouentur ex accidenti, mouẽt enim se ex accidenti, vt patet ex 8. Phis. Præterea Aristo. in 1. de Partibus animal. loquens de consideratione non subiecti, sed principiorum corporis Physici viuẽtis, inquit, Mentem ad Physicum nõ attinere, quia refertur ad intelligibilia & separata est: hæc cum maximè competant superis motoribus, manifestè eos excludunt à Physica consideratione, etiam tanquam principia Physicorum, quod etiam fecit Aristo. in 2. Phys. 26. At inquiunt alij, superos motores nõ esse Physicę cõsiderationis, quatenus sunt formę & fines; attinere tamen ad Physicum, dum considerantur vt motores, ita enim connexionem habent cum motu & per motum efficiunt. Quæ euasio etiam nõ est approbanda: nam Arist. in 2. Phis. 71. & 73. eos considerat vt motores & causas efficientes, & inquit, quia mouendo non mouẽtur, ad Physicũ non attinent, nec quęuis connexio cum motu reddit rem Physicæ considerationis, sed ea tãtùm per quam res subijcitur motui, vel ex se, vel ex accidenti, cuncta enim ad Physicũ attinẽtia motui & mutationi modo aliquo sunt obnoxia. Quare dicamus posse quidem Physicum progrediendo per motum resoluere vsque in primum motorem; verùm cum ad illum peruenerit, interrogatus quid sit, respondere non valet, sed interrogantem ad primum Philosophum reijcere debet.

*Materiã absolutè primã à solo Metaphysico cõsiderari.*

*Similiter primũ efficiens.*

*Solutio.*

*Euersio.*

*Solutio aliorum.*

*Euersio.*

*Sententia propria.*

## *Exactius ostenditur separatas formas ad solum Diuinum pertinere.* *Cap. VI.*

*Vetustiorũ sententia.*

*Plato.*

*Separata nõ attinere ad Physicum.*

Veteres Philosophi, qui nil supra corpus excogitarũt, Philosophiam de Natura existimarunt Philosophiam primam, in qua de omnibus dissereretur, eius enim officiũ est de corporibus Physicis verba facere. Plato autem & Aristoteles noscẽtes separatas & superas formas, sciẽtiam diuinam instituerunt, in qua de diuinis ageretur, separatæ enim essentiæ nullo pacto ad Physicum, sed solùm ad Diuinum Philosophum pertinent, quod ostenditur, quia Physicus pro 1. Phy. principio Naturam

considerat,

considerat, hinc eius cōsideratio dicitur scientia de natura; separati motores nō sunt natura, sed supra naturam; quare non ad Physicam, sed ad scientiam supra Physicam pertinent. Insuper Physicus ea sola considerat, quæ sunt vt simum, hoc est, quæ definitam materiam sibi exposcunt, vt asseritur in secundo Physic. 19. & in sexto Metaphysicæ 2. & ideò definit per materiam; separatis substantijs hæc non competunt. præterea argumentatur Aristoteles in primo de Partibus animalium, si Physicus consideraret Mentem, præter Naturalem nō daretur alia Philosophia, nempè Metaphysica; hoc longè magis sequitur, si dicimus separatas formas etiam à Physico considerari. Præterea abstracta à materia in ea sola scientia sunt consideranda, quæ dicitur de abstractis; hęc autem est Metaphysica, vt patet ex Procemio de Anima 17. & ex primo de Partibus animalium. Nam Physica dicitur scientia de concretis, & iunctis cum Materia, Mathematica ex abstractione, Metaphysica autem de abstractis, & ita denominatur, non quia etiam non consideret alia, considerat enim cuncta vt entia, sed quia hoc est maximum, quod potest, per quod circumscribuntur vires; insuper quia hoc est eius proprium, per quod præsertim distinguitur ab alijs, & supra eas eleuatur. Præterea, Aristoteles in calce primi Physicorum ad Physicum asserit solas formas pertinere, quę intereunt; æternas autem attinere ad Primum Philosophum, quod etiam affirmat in secundo Physicorum 26. & in Procemio de Anima 17. Similiter in duodecimo Metaphysicæ, cont. 6. inquit ad Physicum eas substantias attinere, quæ sunt cum motu; cæteras verò alterius esse considerationis: at separatę formę nec ex accidenti mouentur. Nec satisfacit Solutio Doctissimi Antonij Mirandulani, & quorundam aliorum, dicentiū motores Cęli distincta consideratione & ad Physicū, & ad Metaphysicum pertinere, nā dum consideramus ad quā Philosophię partē aliquid pertineat, essentiam, naturam, & propriam eius conditionem inspicere debemus, & per illam iudicandum est, ad quā pertineat, non per externas aliquas relationes, veluti quamuis humana Mēs, vt est particula animę, & in homine parit actiones mortales, & mortalium fungitur officio, à Physico consideretur; tamē quia absolutè est essentia ex materia non pendens, absolutè quoq; non Physicæ, sed Metaphysicæ dicitur esse considerationis. Similiter quamuis Physicus resoluat in separatos motores, & cognoscat per æternum, Cœlum moueri à separatis motoribus, quia tamen essentia eorum motorum ad Physicum non pertinet, nequaquam dicitur cōsiderare motores æternos. Nam ea, quorum esse non differt ab eo, cuius est esse, quales sunt separatæ essentiæ, ad solum Diuinum dicuntur pertinere. Colligamus itaque, cum Platone, cum Aristotele, cum Græcis omnibus interpretibus substātias separatas ad solum Diuinum pertinere.

*Cur Metaphysica dicitur de abstractis.*

*Solutio quorūdā.*

*Cōclusio.*

## *Per quæ media eleuemur in cognitionem seiunctorum à materia? Cap. VII.*

QVoniam omnis humana cognitio ortū ducit à sensu, & per nobis notiora eleuamur in notitiam eorū, quę longè absunt à sensibus nostris, ideo considerandum occurrit, quænam ea sint, per quæ eleuamur in notitiam diuinorū? Dixere Academici triplicem esse viam, per quā ad ea ascendimus: nam primò id facimus per interdum diuinum contactum. Secundò, per negationem. Tertiò, per opera. Vt ad primum pertinet, enunciauit Iamblichus inter Academicos cognomine Diuinus, in lib. de Mysterijs Aegyptiorum, ante omnem rationis vsum nobis insitam esse de Diis notionem, & contactum quēdam diuinitatis, meliorem quauis notitia, per quem excitatur naturalis appetitus boni, dirigitur ratiocinatio, & formatur iudicium: hunc internum contactum approbauit Aristoteles in primo de Cœlo, contex. 2. & 100. & in secundo de Cœlo,

*Sententia Academicorum.*

*Iāblichus.*

*Aristoteles.*

contex.6. verùm huiusmodi interna commotio & contactus solùm nos excitat ad diuina, non autem patefacit ea esse à materia secreta. *Via per negationem,* Vt pertinet ad viam sumptam ex negatione, quæ iuncta est cum abstractione, & secretione à quouis præseferente imperfectionem, seruando id solùm, quod perfectionem denotat, & ita ascendendo. Hęc profectò efficax est & maximè eleuat, vt Magnus Dionysius Areopagita affirmabat; verùm ea nil demonstrat, nisi affirmationem aliquam, & medium affirmatione denotatum iunctum habeat, negatio enim ex se nil ponit, sed solùm remouet. Ideò tertiò additur, notitia per opera; cum qua explicatione nectitur etiam analógia, veluti dicendo Deum perinde se habere ad ea, quę in vniuerso reperiuntur, ac centrum ad circulum, & lineas ab eo ductas. Verùm quæ sint hæc opera, quæ apta sint nobis conditionem diuinorum patefacere, adhuc non patet: *Opera nos eleuãtia ĩ notitiã secretorũ à materia.* Inquiunt ijdem Academici esse ea; quæ percipiuntur visu, vt pulchritudo, per quam ad primum pulchrum, bonum, & vnum eleuamur; & quæ percipiuntur auditu, vt harmonia, cuius munere, per rationes animæ, ad Ideas Mentis, Idearum caput extollimur; & attinentia ad rationem, cuius beneficio per ea, quæ fiunt vel sunt, ad eorum originem euehimur. Stoici putarunt nos eleuari per catenam Fati ex subordinatis causis conflatam, per quam dixere cuncta descendere ex primis & in ea ascendere. Sed, dimissis Academicis, & Stoicis, quorum sententias mihi explicandas non proposui; considerans opiniones Peripateticorum, inuenio Auerroem, qui in octauo Physicorum, comm. 3. in duodecimo Metaphysicæ, commen. 5. & alibi inquit, sola æternitate motus posse ostendi motores à materia esse seiunctos; cætera autem media esse leuia, necessitatisque expertia, & solùm eleuare ad primum corpus. Confirmat hanc suam sententiã, quia si aliæ adessent viæ & rationes, Aristoteles quia accuratè eas indagauit, inuenisset & retulisset; quod *Auerroes,* non fecit. Insuper idipsum confirmant alij, quia si datur aliud medium, vel id est Physicum, vel diuinum; non Physicum, quia Physica sunt cum motu, inter Physica solus æternus motus valet id patefacere, non diuinum, quia id esset abstractum, & esset petitio in principio. *Euersio,* Hęc opinio mihi dubia est, tũ quia falsum est cæteras rationes solũ eleuare ad primum corpus, & esse leues; tum quia verum non est Aristotelẽ non fuisse vsum alijs rationibus; tum demùm quia idem Auerroes in tertia disp. in sol. 18. dubij vtitur alij rationibus, vt cumulatè infra ostendam. *Opinio alia.* Ideò inquiunt alij, Aristotelem per triplicem viam fuisse progressum, per æternitatem motus, per immobilitatẽ primi motoris, & per id quia est actus purus; duabus primis est vsus in octauo Physic. tertia autem in duodecimo Metaphysicæ. *Euersio,* At hi conspicuè decipiuntur, primò: quia ratio ex immobilitate sumpta, elicitur ex ęternitate motus, ideò non est distincta ab ea, nam Aristoteles in octauo Physic. contex. 50. & sequentibus ostendit motorem esse immobilem, vtens pro medio æternitate motus, & in cont. 85. ostendit motorẽ mobilem non posse mouere semper. Insuper verum non est, quòd Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ, pro medio vtatur actu puro, nam idem est esse actum purum, & essentiam abiunctam, ac ita peteret in principio. Præterea, Aristoteles ostendit motorem primum esse actum purum per æternitatem motus, vt patet ex 30. contex. duodecimi Metaphysicæ. *Tertia,* Propterea est opinio aliorum dicentium genus separatorũ posse ostendi medio ęternitatis motus, & per media alia, addunt cætera media esse potiora, & esse Metaphysica; huius opinionis fuere Algazel, Auicenna, Scotus in tertia quæst. Prologi, Ant. Andr. in primo Metaphysicæ, quæst. prima, art. secũdo, & alij nõnulli. *Scotus,* Id ostendit Scotus; quia si genus separatorum ostenderetur in Physicis, & supponeretur in Metaphysica, scientia Physica esset absolutè prior Metaphysica. Insuper Metaphysicus considerat plures affectiones supponentes principium seiunctum, pluraque effecta ducentia in eminentiorem cognitionem causæ, quàm faciat Physicus, nam Metaphysicus ex multitudine valet nos eleuare ad vnum, ex composito ad simplex, ex contingente ad necessarium, ex dependente ad independens, ex eo quod est per participationem, ad id quod est per essentiam, quæ exactiùs nobis osten-

dunt

dunt Deum esse abiunctū, quàm motus. Similiter adsiguē rationes, quibus vtitur Auicenna in octauo suæ Metaphysicæ, ab alijs latissimè explicatæ. Hæc opinio profectò includit aliquid veri; verum est enim id posse varijs rationibus ostendi, absolutè tamen non videtur approbanda; primò, quia non explicat quibus rationibus Aristoteles sit vsus; secundò, quia verū non est cæteras rationes esse potiores æternitate motus, vt patefaciā; tertiò, quia aliæ rationes vel supponunt æternitatem motus, & ostē sionem Physicam vel ne; si supponunt, vt notatum legitur in Glossa apud Scotū; igitur id fiet sola æternitate motus, vel virtute eius: insuper cętera media non erunt potiora, cum vires recipiant ab æternitate motus. Prætereà retorquendo rationem Scoti aduersus illum, & dicam, igitur Physica est absolutè prior, cum rationes Metaphysicæ supponant rationem Physicam; si dicitur, ostensiones Metaphysicas non supponere Physicam; igitur errasset Aristoteles, qui cùm in Physicis, tùm in Metaphysica ostensurus abstracta, semper orditur ab æternitate motus, in eaque immoratur non in alijs, vt ex dicendis patebit. *Exceptio.*

## *Quæ sint media, per quæ eleuamur in notitiam separatorum, opinio propria. Cap. VIII.*

VT de proposita difficultate lucidè patefaciam, quod sentio, tres profero Theses, quarum prima est, ęternitas motus non est mediū optimū absolutè, pro ostensione separatorum. Altera est, ęternitas motus est via optima suppositis principijs & fundamētis Aristotelis. Tertia est præter motū dantur & alia media nos eleuātia supra corpus, partim prolata ab Aristotele, partim quę possunt elici ex eius principijs. Prima cōclusio, ex se cōspicua est; cum.n.re vera motus nō sit æternus, sed vnà cum Mundo creato habuerit principiū, & falsum non sit mediū optimū pro ostendendo vero, profectò absolutè medium optimum iudicari non meretur; hoc tamen ei competit, quòd cum sit falsum, ex opposito eius nempè ex eo, quòd absolutè principiū recepit, longè exactiùs quàm ex eo separationem primi principij elicere valemus, quoniam motus nō valet absolutè principium recipere, nisi à motore separato, vt dicitur in 8. Physico. 37. quo loci commendatur Anaxagoras, qui Mentem statuebat secretam à Chao, vt esset principium motus; similiter vniuersum mobile non valuit absolutè cō stitui in esse per creationem, nisi ab efficiente secreto à materia. Altera conclusio, quę erat, supposita motus æternitate, ea iudicari debet medium optimū, quæ ostenditur: quoniam id iudicari debet medium optimum, per quod firmior formatur ostēsio; id autem fit per motum æternum, quoniam separata à materia, cum sint prima, non habent priora, per quæ valeant ostendi; quare opera debent præsertim ea nobis patefacere; opera sunt intelligere & motus, quorum primum ita latet, vt separata forma; cū sit idem cum essentia eius, quare alterum superest, quod medium optimū est iudicandum. Hinc Aristoteles quamuis alia tetigerit media, effusè tamen, & distinctè sola æternitate motus est vsus. Addebam tertiò, dari etiam media alia non despicienda, quæ vt ex proprijs hauriantur fontibus, hac methodo progrediendum puto, Media pro ostēsione separatorum, vel sumuntur ex causis & ex prioribus; vel ex affectionibus connexis; vel & ex posterioribus ex causis peti nō possunt, cum ea sint prima, nisi per causam intelligamus finem secundarium, ob quem operantur, qualia sunt hæc mortalia, qui finis sub sensum cadit non vt finis, sed vt res effecta, per quam formatur ostensio quia. Si media petuntur ex rebus effectis, ea duo sunt, intelligere & mouere intelligere est idē cum eorum essentia, & æquè latet ac ea, & solùm refulget per eius opera; ideo superest motus, quem sequitur ordo vniuersi, continuata generatio mortalium, & splendor eminentissimę Prouidentię, ideò & per motū & per ordinem vniuersi,

*Tres conclusiones.*

*Prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

uersi, & per generationem & per prouidentiã ad esse abstractorum eleuari valemus,

*Quomodo eleuemur per motũ.*

primò per motum absolutè hunc in modum, omne, quod mouetur, ab aliquo mouetur, in mouẽtibus & mobilibus non datur progressus in infinitum, quia necessarium, vt primum sine quo alia non mouent, id primum mouens, vel est immobile, vel ex se mouetur, si ex se mouetur includit motorem immobilem, nil enim ex se mouetur nisi constet ex parte mobili & motore immobili, ille motor immobilis, vel est ęternus vel ne, si non, igitur non est primus, omne enim generabile exposcit prius, quare cum sit primus, est ingenitus, & ęternus, huiusmodi autem nõ pender ex corpore & est abiũctus: sic ratione sumpta ex motu absolutè, sine addita ęternitate eleuamur in notitiã abstractorum; si tamen addimus æternitatem reddimus medium efficacius, sic Aristoteles in octauo Physic. 65. inquit, motorem mobilem, vel per se, vel ex accidenti non constituere motum continuum; tum quia mouet pellendo & trahendo; tum insuper, quia si mouetur, mouendo laborat & permutatur, & ideò motum cõsimilem, & verè continuum non producit.

*Quomodo eleuemur per ordinem vniuersi.*

Si cõsideramus ordinem vniuersi, ordo primò sequitur cognitionem vt dirigentem; proximè verò motum vt exequẽtem: ordo vniuersi ex alio pendere non valet, nisi ex principio a materia seiuncto. Ideò Anaxagoras dicebat Mentem a Chao esse abiunctam, vt valeret ei ordinem tribuere: & Aristoteles vndecimo Metaphysicæ, cap. 2. & duodecimò Metaphysicæ 56. inquit, nisi darentur substãtiæ a materia seiunctæ, non daretur ordo: & iure, nam origo ordinis alicuius generis rerum, debet esse supra genus illud, et ei præesse & dominari valeat: ordinata in vniuerso sunt corpora; ideò causa ordinis eorum debet esse supra ea & seiuncta ab illis. Et confirmatur, quia ordo est quædam ratio, vt dicitur in octauo Phys. 16. quare eminens ordo est eminens ratio, & origo eius rationi antecellere debet: huiusmodi est sola mens à materia secreta, eminenter rationem includens. Hinc Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ 52. Deum à materia secretum, statuit originem, & caput ordinis.

*Quõmodo per Prouidentiam.*

Similiter Prouidentia ad solum principium à materia secretum pertinet, id enim solum valet esse ratio suprema, ordo originalis, cunctaque eminenter sine temporum distinctione intelligens & disponens. Et propterea Prouidentia à Græcis dicitur Pronia præintelligens cuncta. Prouidentia autem in vniuerso adeò resulget, vt nemo mentis compos eam non videat, hinc Auer. in secundo Physic. commen. 80. inquit, Naturam agere propter finem, ex se constare: id autem, seruari non potest sine Prouidentia, nec Prouidentia sine Sapientia, nec Sapientia, sine essentia à materia seiũcta;

*Quomodo eleuemur per generationem.*

Ex generatione etiam mortalium ad separatos motores eleuari valemus dicẽtes, inferiora gignuntur & pereunt, igitur ascendendo in essentialiter ordinatis, quibus repugnat progressus in infinitum, est necesse deuenire ad primum ingenitum, quod cũ moueatur, similiter est necesse, vt à motore ingenito & immobili moueatur, quod solum competere potest essentiæ à materia secretæ. Hoc tetigit Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ 56. inquiens, nisi darentur substantię separatę, nihil esset. & Auerroes in tertia disp. in sol. 18. dubij, hac ratione vtitur, sic itaque cùm separatio à materia requiratur pro primo principio motus, pro ordine, pro vniuersi Prouidentia, pro cognitione refulgẽte in operibus, & pro rerum ortu, ex his omnibus, & præsertim ex motu, elicere valemus motores Cœli à corpore esse seiunctos.

*Rationes ex affectionibus.*

Alię rationes elici possunt ex affectionibus & conditionibus primi Principij absolutè, quibus illud circumscribitur, & his pręsertim vsus est Plato decimo de Legibus, Simplicius ĩ Epict. c. 67. Auicenna, & Algaz. Pro quibus formandis primò supponẽdum est, in vniuerso debere id inueniri, quod absolutè primum sit; quod ex eo elicitur, quia in ordinatis secundum essentiam, non potest dari progressus in infinitum, vt ostẽditur in octauo. Phys.

*Cõditiones p relationem ad supera.*

quo supposito, cõditiones eius primi Principij ex triplici relatione elici possunt: vel enim id refertur ad supera, vel ad infera, vel ad interna. Dum refertur ad supera, quia primum est, & nil supra se habet, dicitur non pendẽs ex alio, simplex penitùs, omninò à mutatione immune, alio non egens. Hæc non competunt corpori, corpus enim

eget loco, ab alio regitur, dirigitur & mouetur, est compositum ex substantia & accidente, nam præditum est magnitudine & figura, est compositum ex partibus magnitudinis, subijcitur motui. Ex quibus elicimus, quoniam supra non prima, debet dari primū, supra cōpositum, simplex; supra multitudinē, vnum; supra potentiam, actum; supra mobile firmum; supra id quod est per participationē, id quod est per essentiā, & huiusmodi non valet esse corpus, ideo supra corpora necesse est, vt principium inueniatur omninò a corpore seiunctum; hoc tetigit Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ 56. inquiens, si supra sensibilia aliud principium non reperiretur, nihil esset. Insuper si referimus principium primum ad contenta sub eo, dicimus eius conditionem hanc esse debere, vt omnia eminenter contineat; omnium perfectionem procul ab imperfectione includat; omnibus sit præstantius, & quouis modo prius, omnia & cognoscentia & non cognoscētia sit aptum regere & proficere; supra tempus sit collocatum, ne alicui subijciatur: hæc autem nulli corpori sunt apta competere, vt ex se patet. Hac via in parte progressus est Auerroes in tertia disp. in solut. 18. dubij inquiens, formas rerum habere duplex esse, vnum in materia, alterum in imaginatione & Mente hominis, & ita ascendendo per intelligibilia per participationē, eleuamur ad intelligibile per essentiam, sine quo cætera non essent intelligibilia, id autem necessariò est seiunctum à materia, & est mens pura. Demū si absolutè primi principij conditionē consideramus, dicimus debere esse summè bonum, summè fœcundū, summè liberum, summè potens, summè purum; quo nil eminentius, nil præstantius excogitare valemus: hæc nō competere corpori, sed solùm essentiæ à corpore liberę, adeo est notum, vt nil notius. Insuper pro confirmatione vti valemus regulis quibusdam, veluti ea, quam profert Aristoteles in octauo Physicorum 56. inquiens, quod melius est, semp arbitramur in naturā esse, si possibile est: at essentia a materia libera est, q̄d optimum, cui nil repugnat vt sit. Insuper altera, qua vtitur in tertio Physicorum 32. inquiens, in æternis esse & posse non distingui: at nil repugnat dari essentias separatas æternas, quare eas dari concedendum est. Tertiò, adest regula prolata in octauo Physic. 37. & in duodecimo Metaphycæ 35. quæ est, datur in vniuerso, quod solùm mouetur, datur quod mouet & mouetur, igitur debet dari quod solum mouet & non mouetur; hoc autem non potest esse corpus; non enim corpus mouet aliud, nisi & id moueatur. Ex his elicio primò errare eos, qui inquiunt sola æternitate motus posse ostendi genus abstractorum. Elicio secundò, decipi illos, qui aiunt Aristotelem pro medio sola æternitate motus fuisse vsum. Demùm elicio solutionē eius rationis, qua ostendebatur nullo medio Metaphysico posse id fieri, quia esset petitio in principio, nam dico petitionem non esse, dum ex opere præsupponente suum principium inferimus illud, opus enim pro sui cōfusa cognitione non pendet ex principio, sed ex se habet, vt sit nobis notius, ideò ex confusa notitia connexorum & operum valemus progredi in inuentionem Principij, per quod deinde vtentes regressu, distinctè opera & affectiones cognoscimus.

*Ratio.* *Aristot.* *Per relationem ad infera.* *Per relationem ad interna.* *Regulæ ex quibus elicitur dari formas abstractas.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Colligitur Primo.* *Secundo.* *Tertio.*

## *Cuius officium sit ostendere motores Cæli à materia esse solutos, opiniones aliorum. Cap. IX.*

APparuere media varia, p quę noscere valemus dari genus separatorū motorū, inter q̄ motus principatū obtinebat: at cōsiderandū superest, cuius inspectricis Philosophię partis officium sit, ostensionē formare, & qualis iudicāda sit formata ostensio, & iure de hoc dubitare tenemur, quia Aristoteles, cùm in 8. Physic. tùm in 12. Metaphysicæ, medio sumpto ab æterno motu, ostendit motores Cœli à materia esse solutos. De proposita difficultate quatuor sunt opiniones: quidam aiunt, id non

*Opiniones quatuor.*

id non posse ostendi. Alij attinere ad solum Physicum. Nonnulli ad solum Metaphysicum. Quidam ad vtrumque. Qui primæ sunt opinionis nituntur eam comprobare, quia insita nobis via est per nobis notiora; eo autem, quod Deus sit, nihil est notius, quare non potest ostendi, cognoscitur enim Deus cognitis terminis, nam Dei nomine denotamus principium primum, quo nil melius, à quo cuncta pendent, quod omnes rectè affecti cõcedunt, ideò Aristoteles in primo Top. inquit, negantes Deum, egere non ratione, sed pœna, & qui Deos negarunt, oculo mentis fuère, destituti, nec valuerunt secernere ex se notum ab eo, quod ex se notum non est. Et Iamblichus in lib. de Mysterijs Aegyptiorum enunciauit, ante omnem rationis vsum nobis insitam esse Deorum notionem, & tactum quẽdam diuinitatis, meliorem quauis alia notitia; & inde excitatur naturalis appetitus boni, ratiocinatio, & iudicium, sic nemo vniuersi ordinem inspiciens de diuina ratione dubitabit, solus insipiens dixit in corde suo, nõ est Deus, omnes enim homines vident Deum, vnusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus, vincens omnem scientiam nostram, Iob, cap. 36. Hæc opinio aliquid veri includit, verum enim est Deum esse ex se constare, hoc tamen ad rem non facit, aliud enim est confusa quadam notitia cognoscere Deum esse, quod cõcessere omnes Mentis compotes, & aliud cognoscere eum à materia & corpore esse solutum, quod pauciores nouere: plurimi enim veterum putarũt Deum esse vel Cęlum, vel Lunam, vel Solem, vel ignem, vel aliud simile, ideò hoc ex se conspicuum, nobis tamen ignotum Deum scilicet à materia esse solutum, pro facultate est ostendendum. Propterea est secunda opinio, asserentium id solum attinere ad Physicum, cuius opinionis fuit Auer. in calce primi Physic. in secundo Physic. 26. in octauo Physic. 3. & in duodecimo Metaphysicæ, commen. 5. Auerroem sequuntur Latinorũ multi, à quo et D. Thom. non dissentit. Fundamenta potiora eorum hæc sunt. Primum, quia æternus motus, quo ostenditur esse abstractorum, est medium Physicum. Insuper ait Auerroes in calce primi Physic. nullam scientiam ostendere suum subiectum esse, subiectum enim esse numeratur inter præcognita: at genus abstractorum est subiectum Metaphysicæ, quod nisi daretur, non daretur Metaphysica, vt inquit Aristoteles sub initio sexti Metaphysicæ. Insuper ad eum pertinet ostendere genus abstractorum, ad quem pertinet considerare primum efficiens; hoc autem ad Physicum pertinet, vt sępè repetit Auer. quia per motum definitur, maior ostenditur, quia opera manifestant sua principia; motus autem æternus est opus motoris & principij efficientis. Demùm hoc elicitur ex ipsomet Aristotele, qui in 8. Physic. vtens pro medio æternitate motus, ostendit dari genus separatorum: in duodecimo autem Metaphysicæ, solùm id facit repetendo eandem ostensionem, Quid veri & quid falsi includat hæc opinio, ex approbatione verioris sententiæ, conspicuè refulgebit. Ideò est tertia opinio, asserentium id solum esse officium Metaphysici, quod suadere nituntur primò, quia ostendere aliquid esse, ad solum diuinũ inquiunt pertinere, cum solus Diuinus consideret id, quod est, quatenus est. Secundò, quia Aristoteles in sexto Metaphysicæ, contex. primo ait, eiusdem rationis esse, si est, & quid est manifestum facere; quare cum solus diuinus cõsideret, quid sint abstracta; solus valebit ostendere ea esse. Hinc Aristoteles in secundo Poster. inquit, tunc verè nos cognoscere, quod res sit, dum id nouerimus per ea, quibus cognoscitur, quid sit. Hæ rationes cuius roboris sint, ex dicendis patebit. Referenda superest opinio quarta, asserentium id esse officium vtriusque, nempè Physici, & Metaphysici, hi non consentiunt de modo, nonnulli enim aiunt id pertinere ad vtrũque, quia vterque habet propria & distincta media, per quæ id ostendi potest, veluti inquit Auicenna in octauo suæ Metaphysicæ, cap. primo. & Scotus in tertia q. Prologi, & Ant. Andr. in primo Metaphysicæ, q. prima, & hi asserunt media Metaphysica esse potiora Physicis. Alij inquiunt, id solum posse ostendi per Motum: at Metaphysicum per motum ostẽdere abstracta, vt principia eius quod est, Physicum verò vt Principia corporis Physici. Insuper addunt motum esse medium & Physicum &

Meta-

Marginal notes: *Opinio prima.* — *Iamblichus.* — *Quid veri includat prima opinio.* — *Opinio secunda.* — *Fundamenta.* — *Tertia.* — *Fundamenta.* — *Quarta.*

Metaphysicum; nam distincta ratione pertinet ad vtrunque, à Metaphysico enim cõsideratur consideratione quadam communiore relata ad ens, & id confirmat per Aristotelem in 8. Physic. 22. dicentem, omnes scientias vti motu, & in 5. Metaph. declarantem naturam per motum, vt etiam in vndecimo Metaphysicæ, similiter Auerr. in primo de Anima 5. 1. dixit, cur melius sit, Cœlum moueri, & ita moueri, quàm quiescere, ad Metaphysicum pertinet considerare. Huius opinionis fuit Doctissimus Mirandulanus Episcopus Caietæ, quem sequuntur alij nonnulli. Quod ad Metaphysicam quoque pertineat ostendere dari abstracta, ita ostendunt, eius scientiæ officium est ostendere dari abstracta, cuius officium est considerare, an dentur Ideæ: at hoc ab Aristotele fit in prima Philosophia, quare &c. & hæc de aliorum opinionibus, quatenus quid reijciendum, quidque approbandum sit, ex dicendis patebit.

## *Ad quem pertineat ostendere dari separatas essentias, opinio propria.* Cap. X.

VT de proposita difficultate lucidè explicem, quod sentio, duas profero conclusiones. Prima est si medium fuerit Metaphysicum, solũ Metaphysici officium erit ex eo formare ostensionem. Altera est, si mediũ fuerit Physicum, attinet ad vtrunque; præsertim tamen & propriè ad Metaphysicum ostensionem formare. Prima conclusio conspicua est, quia tunc & mediũ & quæsitũ erunt Metaphysica. Altera facilè ostenditur: pro cuius lucidiore notitia præaccipio medium sumptũ ex æterno motu, absolutè debere iudicari Physicum, non partim Physicum, partim Metaphysicũ, vt assertores quartæ opinionis existimabant, quod ostẽdo auctoritate Aristotelis, qui in duodecimo Metaph. cum ostendisset per æternitatem motus dari genus abstractorum, in cont. 43. inquit, Cœlum æternum æterno motu moueri ostẽsum esse in Physicis, adeò vt id medium Physicum fatemur: & quamuis etiam in 12. Metaphysicæ, Aristoteles ostendat motum esse æternum, id tamen facit, vt redigat nobis in memoriam rẽ ostensam in Physicis, quæ ei inseruire debebat; & propterea vtitur ratione sumpta ex æternitate temporis, qua vsus erat in octauo Physic. Hinc Aristoteles ex principali instituto solùm in 8. Phys. proponit agendum de æterno motu, & se id ostendisse colligit. Quod confirmatur ratione: quia medium demonstrationum non variatur ob varietatẽ venientium, & relationem ad varia, sed semper tale est iudicandum, quale sui conditione est: vbique autem Aristoteles motum ait esse Physicum & ad Physicũ pertinere, vt patet ex initio sexti Metaphysicæ, & ex duodecimo Metaphysicæ, contex. 5. Ex quo elicitur, quòd dum per æternitatem motus vel aliud medium Physicum ostendimus genus abstractorum, demonstratio ex parte eius, quod ostenditur, est Metaphysica, ex parte verò medij, est Physica. Quod autem ratione rei, quæ ostenditur sit Metaphysica, patet per declarata in præcedentibus. Nec cum fautoribus quartæ opinionis dicẽdum est, abstracta, vt principia Physicorum, attinere ad Physicum, iam enim hæc sententia in præcedentibus est reiecta. Hinc Aristoteles in secũdo Phys. 71. & 73. motores Cœli negat esse Physicæ considerationis, quamuis tunc eos consideret vt motores, & vt causas efficientes Physici motus. Quod verò ex parte medij sit Physica, patet per nuper dicta: iam enim patefeci motum absolutè, & motum æternum esse medium Physicum. Et pro distinctiore notitia huius cõclusionis, accipio id quod nos docet Philosophus in primo Poster. 9. inquit enim interrogationẽm & disputationẽ posse dici Geometricam, vel alterius scientiæ, duplici ratione; vel quia sit de re Geometrica; vel quia resoluatur per Principia Geometrica, adeò vt disputatio possit esse Geometrica, vel ex parte rei de qua est disputatio, vel ex parte medij, vel ex parte vtriusque. Ideò loquendo de ostensione abstractorum per medium Physicum, dico eam

*Demonstrat quo sit partim Physica, partim metaphysica.*

*Sententia Aristot.*

eam esse Physicam ex parte medij; Metaphysicam verò, ex parte rei, quæ ostenditur. Hoc indicauit Aristoteles in 8. Physic. contex. 3. inquiens, declarationem æterni motus conducere Methodo de primo Principio: Nam Methodus de primo Principio est Metaphysica, cui motus æternus conducit tanquã medium, ad ostendendum id principium esse seiunctum à corpore. Quod autem formare ostensionem ex quouis medio, quod dentur abstracta, propriè & præsertim sit officium Metaphysici, ostenditur, quoniam ille tenetur esse solicitus de ostensione, qui est solicitus de re ostẽdenda, & ad eam descendit: hoc autem ei competit, qui affectionem considerat, veluti quod vulnera circularia tardiùs curentur, vt dicitur ab Aristotele, in primo Poster. quamuis ostendatur per Principia Geometrica, non tamen id fit à Geometra, sed à Medico, vtente Principijs Geometricis: vt etiam attinentia ad Musicam, quamuis sæpè ostendantur per Principia Arithmetica; non tamen id fit in Arithmetica, sed in sciẽtia Musicæ, vtente principijs Arithmeticis. Hoc seruauit Aristoteles, qui sæpissimè in prima Philosophia pollicetur se ostensurum genus abstractorum, idque ostendit in duodecimo Metaphysicæ, mox sub initio 13. Metaphysicę, colligit se id ostendisse: Ideò in tertio de Cęlo, contex. 2. ait, esse quædam ingenita, & omninò immobilia, magis est officium alterius, atque prioris scientię, quàm Physicę. & in quarto de Gener. animaliũ, cap. postremo inquit, conuersionis syderum alia fortasse principia sunt, non dixisset fortasse, si id ostẽdere pertineret ad Physicum, in prima autem Philosophia sæpè pollicetur se id ostensurum, vt in tertio Metaphysicæ, contex. 7. In sexto Metaphysicæ, contex. 2. & 3. in septimo Metaphysicę, cont. 6. in octauo Metaph. 3. clariùs in vndecimo Metaphysicę, cap. 2. & 6. mox in 12. libro, post. contex. 29. Philosophus incipit ostendere dari substantias abiunctas, repetit ostẽsionem ęternitatis motus, sumptam ex tempore formata in 8. Physic. & per eam ostendit motores à materia esse abiunctos, & in decimotertio Metapysicę, cap. primo inquit, ad Metaphysicum pertinere considerare, an pręter sensibiles substantias aliqua sit immobilis & ęterna, & nec, & si sit, quæ nam sit, &c. Patet itaque medium sumptum ex æternitate motus, esse Physicum; formare tamen ostensionem propriè ad Metaphysicum pertinere, & ostensionem illam debere denominari Physicam, formandam tamen à Metaphysico, quia vt elicitur ex primo Rhetor. quale est medium, talis est ostensio, veluti etiam se habet de ostensionibus formatis in Musica per principia Arithmeticæ.

*Formare ostensionẽ quod dentur abstracta, esse officiũ Metaphysici.*

## *Proponuntur & diluuntur variæ instantiæ, quæ resolutioni traditæ aduersari videntur.* *Cap. XI.*

*Instantia Prima.* Ex conspicua resolutione principalis difficultatis, conspicuè eliciuntur solutiones aduersarum rationum: Instare enim primò aliquis posset, quoniam non rectè dictum videtur, medium esse Physicum, Conclusionem verò Metaphysicam, cum Aristoteles in primo Poster. dicat; medium, & extrema debere esse eiusdem generis, & ob id nonnulli inquiunt hoc esse mõstrũ quoddã. At ex Aristotele in eodẽ primo Post.

*Solutio.* elicitur conspicua solutio, inquit enim ea debere esse eiusdẽ generis, vel simpliciter, vel in parte, nã scientię subalternatę sunt eiusdẽ generis non simpliciter, sed in parte: & addit Aristoteles Metaphysicam ita se habere ad particulares scientias, cũ illę partem eius, quod est, considerent, ideo ait principia cæterarum scientiarum posse ostendi à Metaphysico, hinc Metaphysica dicitur scientia domina, & maximè faciẽs scire.

*Secunda.* At statim obijciet aliquis & dicet, quod tũc Physica esset prior, quàm Metaphysica,

*Solutio.* cum ei tradat medium & principium. Respondeo Physicam ita esse priorem, vt medium, quod tradit, est prius; id medium est prius non absolutè, sed nobis, quoniam est

*Tertia.* effectus, per quem formatur ostensio quia. Sed tertio adhuc dubitatur, quia si ostensio for-

sio formanda esset à Metaphysico, errasset Aristoteles, dum in calce octaui Phys. eam *Solutio.*
formauit. Respondeo, ostensionem propriè & præsertim esse formandam à Metaphy
fico, vt patefeci; posse tamen etiam formari à Physico, ne dum quia medium est Phy-
sicum, verùm insuper quia cognitio Physica eius medij perficitur per cognitionem
principij Metaphysici abstracti, ideò resoluit Physicus vsque ad primos motores seiū
ctos, quos deinde Metaphysico deserit exactè considerandos, ideò Aristoteles in cal-
ce primi Phys. ait, à Metaphysico debere considerari diligentiùs. Et considerandum,
quòd cum in octauo Physic. & in duodecimo Metaphysicæ, medio sumpto a motu, *Quadruplex differentia inter ostensionem formatam à Physico, et à Metaphysico.*
ostendarit genus separatorum; seruatur tamen in eis quadruplex differentia. Prima
est, quia Physicus ostensionem refert ad Motorem, Metaphysicus verò ad species en-
tis, ad substantias, & ad prima entia, vt patet ex duodecimo Metaphysicæ 29. & se-
quentibus. Secundò differunt ex parte quæsiti, nam Physicus id profert cum oppo-
sitione, & negatione, patefaciendo primo motori ea non competere, quæ competunt
formis materiatis ab eo consideratis, & ita non esse finitum, nec infinitum, vt formæ
materiatæ: quicunque enim noscit vnum oppositorum, valet cum ea oppositione no-
scere etiam alterum. Metaphysicus verò absolute ostendit dari formas abiunctas, quę
sunt sui essentia actio. Tertiò differunt modo formandi quæstionem. Physicus id
facit cum ipso est tertio adiacente, inquiens, Primum motorem non esse in magni-
tudine, non esse corpus, nec posse diuidi: At diuinus magis format quæstionem sim-
plicem, quòd detur aliud genus entis, aliud genus substantiæ, vt patet ex 12. Metaphy
sicæ 29. demùm differunt, quia Physicus id valet efficere per solum motum, cum Me-
taphysicus etiam per alia media eius propria id efficere valeat. Dubitatur quartò, *Quarta.*
quoniam vt inquit Auerroes nulla scientia ostendit suum subiectum esse, hoc enim in
scientia supponitur, & progressurus ad aliquam scientiã, primò supponit dari eius su
biectum, alioquin non daretur scientia; abstracta autem vel sunt subiectum, vel sunt
id, quod nisi daretur, non daretur Metaphysica; quare non est officium Metaphysici *Solutio.*
id ostendere. Respondens dico, quomodo separati motores se habeant ad Metaphy-
sicum, & an sint subiectum, vel pars subiecti, vel principia, cumulate explicaui in Phi-
losophia Ciuili, dum de sapientia verba feci; vt verò ad præsens institutum pertinet,
dico, instantiam nullius esse robotis; tum quia separati motores non sunt subiectum,
vel species eius, dum Metaphysica consideratur ex parte, qua est scientia; sed solum vt
Intelligentiæ est particeps, nam dum consideratur ex parte, qua est scientia, separatæ
substantiæ sunt principia subiecti eius, vt etiam fatetur Auerroes in paraphrasi de Re-
pub. Platonis. Principia autem ex opinione Auerrois possunt per posteriora osten-
di in ea scientia, vt ait fieri de prima materia in primo Physic. tum insuper, quia id nõ
potest fieri per priora, sed per posteriora, & præsertim per media recepta ab alia sciẽ-
tia. & dum additur, quòd ad scientiam accedimus supponentes, quòd ea sit, & nisi da-
rentur abiuncta, non daretur Metaphysica. Respondeo, hoc debere esse notum for-
manti scientiam, non autem addiscenti iam formatam: Insuper sat est esse notum fa-
cultate & virtute medij prænoti. Hinc Aristoteles modo aliquo etiam in Physicis id
ostendere voluit. Quinta dubitatio est, quia legitur sub initio sexti Metaphysicæ, *Quinta.*
eiusdem rationis esse, si est, & quid est manifestum facere, & vtrunque ad Metaphysi-
cum pertinere: quare dubium videtur id, quod diximus, nempe genus abstractorum *Solutio.*
ostendi per medium Physicum. Respondeo, considerare esse rerum, contingit dupli-
citer, vel sumendo esse absolute, vel id sumendo contractum ad aliquod genus, veluti
ad genus Physicum: pro esse absolute, pertinet ad Metaphysicum: pro esse autem con
tracto, pertinet ad eam scientiam, quæ rem considerat cum ea comtractione. Insuper
considerare esse, contingit dupliciter, vel per priora, vel per posteriora, dum cognosci
tur per priora, tunc exactè cognoscitur, & vera est ea sententia, quod eiusdem rationis
sit, si est, & quid est manifestum facere, non autem dum cognoscitur per posteriora.
Hinc Aristoteles in secũdo Poster. dixit, ut sumus dispositi erga esse, ita erimus dispo-

siti

*Sexta.* siti erga quid, nam per eadem distinctè noscimus esse rei, & quid sit. Dubitatur sextò, quia primus motor motum includit & per motum definitur, quare non ad Metaphysicum, sed ad Physicum pertinebit. *Solutio.* Respondeo, ad Metaphysicum etiam pertinere omne genus causæ. Hinc Aristoteles in primo Metaphysicæ, cap. 3. in gratiam Metaphysicæ proponit agendum de omni genere causæ; vt autē ad Physicum aliquid pertineat, non sat est vt moueat, sed requiritur, quòd moueatur, vt docet Aristoteles in secundo Physic. 7 t. & 73. *Septima.* Pro septima difficultate præaccipio dupliciter vsurpari esse, primò pro esse essentiæ, secundò pro esse existentię, quæ duo in Deo veniunt in idem, quoniam conditio eius est, vt sit: hinc solus dicitur esse per essentiam, cætera per participationem. Quæstio de esse essentiæ pertinet ad problema de genere; de esse autem existentię ad problema de accidente: Distinctio traditur ab Auer. disp. 3. in sol. 3. dub. & disp. 8. in sol. primi dubij, qua præassumpta, dubium est, dum quæritur esse abstractorum, an quæratur esse essentiæ; vel potius esse existentiæ? *Quod esse quæratur de abiunctis,* quòd quæratur esse existentię, est dubium, quia scientiæ ab eo abstrahunt, nec id considerant, insuper non de eo formantur ostensiones, cum redigantur ad problema de accidente; nec eiusdem rationis esset si est, & quid est manifestum facere, vt esse asseruit Aristoteles in sexto & vndecimo Metaphysicæ. Ex aduersò si asseritur quæri esse essentiæ, quia huiusmodi esse ad Metaph. pertinet, solus Metaphysicus ostenderet esse rerum; quod videtur absurdum: *Auerroes.* Hæc de re multa dicuntur ab Auerroe præsertim disp. 5. in sol. tertij dubij & disp. 8. in sol. primi, quibus silētio obuolutis, breuibus dico, *Solutio.* dum quærimus an aliquid sit, quæri essentiam iuncta cum existentia indefinitè sumpta, hoc enim est id, quod est prænoscendum, vt mox quæramus quid, & quale sit, nam de re quæ in vniuerso non reperitur, non est scientia. *Alexander.* Hinc Alexander in primo Quæstionum naturalium dixit, quòd homo est animal rationale, donec fuerit, indicans præsupponi, quòd reperiatur. Et dum instatur, quia scientiæ abstrahunt à particulari existentia: Respondeo, eas abstrahere ab existentia particulari definita, nō autem indefinite sumpta, in quouis particulari, quæ in scientia supponi debet? Et dum additur, quòd essentia ad Metaphys. pertinet. Dico id esse verum de essentia vniuersè sumpta, & cōsiderata sub ratione entis, non de contracta ad definitum, & proprium aliquod genus. *Octaua.* Demum dubitatur, quia Auerroes in magnis comm. primi Poster. commen. 66. & 100. inquit, *Sententia Auer.* scientiam communem differre à particulari, quia communis largitur particulari medium, quo vti possit pro ostensione, non autem vice versa, particularis largitur communi medium: sed id quod conditionem includit, vt sit subiectum communis artis, aut pars subiecti, vt diuinus à Physico recipit genus abstractorū, ab Astronomo numerum, &c. hoc autem aduersatur resolutioni à me approbatæ: nam dixi, scientiam particularem largiri communi medium. *Solutio.* Respondeo, errasse Auerroem, quia putauit officium Physici esse formare illam ostensionem per æternitatem motus, cum tamen potius sit officium Metaphysici, solùm vera est sententia Auerrois, de medio, quod est causa ex quo formatur ostensio propter quid, non de medio posteriore, ex quo formetur ostensio quia, nam hoc medium valet scientia inferior tradere superiori.

## *Cuius officium sit ostendere primum motorem esse vnum, æternum, & infinitum, vel potius nec finitum, nec infinitum. Cap. XII.*

CVm apparuerit, ad quem pertineat ostendere dari genus abstractorū, considerandum breuibus est, cuius sit officium ostendere primum motorem esse vnum, esse æternū, & infinitum. *Opinio Zim.* Sententia est Zim. in contradict. 8. Physic. solo medio Physico, nempè vnitate & cōtinuatione primi motus id posse ostendi. *Euersio.* Quæ sententia nō videtur approbāda: quoniam Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ, cum primò id ostendisset medio Physico,

Physico, sumpto ex vno primo & continuo motu, mox in cõtextu quadragesimo nono, id facit medio Metaphysico, quia est actus purus, omninò expers materiæ. Et cõtex. 52. Similiter id facit medio Metaphysico, quoniam ita inest ipsum bonum in vniuerso, quatenus cuncta directa sunt in vnum vltimum finem, & non expedit multitudo principiorum. Propterea inquiunt alij, id solùm pertinere ad Metaphysicum, & cùm Aristoteles id quoque ostẽderit in octauo Physicorum, aiunt id fecisse indutum habitu Metaphysico. Hinc Auerr. in octauo Physicor. 45. & 48. Inquit, id esse officium diuini Philosophi. Confirmatur hæc opinio auctoritate Aristotelis, qui in calce primi Physic. inquir, de Principio secundum formam, siue vnum sit, siue plura, primi Philosophi officium esse decernere. Et in primo de Cœlo, contex. 90. ait: Mundum posse ostendi vnum ratione Metaphysica sumpta ex vnitate primi principij. Insuper id ostenditur ratione: quoniam vnum & multa, diuidunt ens, quod à Metaphysico consideratur. Hæc opinio etiam non caret difficultate. Primò, quia Aristoteles in octauo Physic. 48. Ostendit primum motorem vnum medio Physico, hoc est per legem Naturæ, quæ renuit infinitum, & non facit per plura, quod valet efficere per vnum. Et in contexr. 49. Id ostendit vtens pro medio, vno primo & continuo motu. Insuper vnitas & motor non egrediuntur terminos naturalis considerationis: nam Aristoteles in primo Physicorum, materiam ostendit vnam. Et in primo de Cœlo, ostendit Mundum vnum, quamuis enim vnum relatum ed ens, pertinet ad Metaphysicum; relatum tamen ad aliquid attinens ad aliam scientiam, potest in alia sciẽtia considerari. Similiter motor quamuis consideratus vt abstractus attineat ad Diuinum; tamen ex parte generis, hoc est, vt motor, valet considerari à Physico. Propterea soluens difficultatem, dico, ostendere primum motorem esse vnum, partim ad Physicum, partim ad Diuinum pertinere, præsertim tamen attinere ad Diuinum: pertinet ad Physicum, ratione medij, sumpti ex vno primo & continuo motu, & sumpti ex Lege Naturæ, insuper eum relatione ad motorem primum confusè sumptum, non vt separatum; Altera ex parte dico id attinere ad Diuinum; tum ob media diuina quæ retuli; tum ob relationem ad primum quod est, primam substãtiam, vltimum finem, & motorem separatum. Ex his patet resolutio difficultatis, & quid veri includant rationes pro omni parte relatæ. Similiter patet, quid de cęteris attributis sit dicendum, considerandum enim est medium, conditio attributi, necnon subiectum proximum, cui tribuitur, & inde elicienda solutio.

*Opinio secunda.* *Auer.* *Confirmatio.* *Euersio.* *Opinio propria.* *Cõclusio.*

## *Ad quem pertineat loqui de numero cœlestium motorum. Cap. XIII.*

Mirari aliquis posset, cur Aristoteles in octauo Physico. cum ostenderit primum motorem esse vnum, de numero motorũ cęli nullum fecerit verbum, sed solùm id ostenderit in duodecimo Metaphysicę, recepto numero orbium & motuum Cęli ab Astronomo; Hinc Auer. in primo Poster. comm. 100. inquit, Diuinum recipere numerum Intelligentiarum ab Astronomo, nam Auerroes medium considerauit. De hac difficultate inquit Zimara in contrad. 48. contextus octaui Phisi. Physici officium esse ostendere numerum separatorum motorum, quia id solùm medio Physico ostendi potest, eõ ducente etiam obseruatione Astronomica; id confirmat: quia nulla scientia valet ostendere numerum specierum sui subiecti, vt neque etiam esse. Hæc opinio profectò dubitatione non caret, primo enim non est verum motores Cœli esse subiectum Metaphycæ. Secũdò verum non est in scientia non posse declarari numerum specierum

*Opinio Zimaræ.* *Euersio.*

cierum subiecti,nam quot sint genera argumentandi, tot genera demonstrationum, solus Logicus patefacit. Similiter quot sint species simplicium corporum, solus Physicus considerat,vt quot sint species triangulorum,Geometra. Prætereà,cum ex sententia Auerrois in quarto de Cęlo,possit in scientia ostendi esse speciei subiecti illius scientiæ,longè magis poterit declarari numerus. Demùm quamuis medium sit Physicum,tamen dum id,cui inseruit est Metaphysicum,vti eo medio nō Physici,sed Metaphysici propriè officium est. Propterea inquiunt alij, vt Parisius in quarta disputa. Metaphysica cap. postremo, loqui de numero rerum, ad solum Diuinum pertinere, quia diuisio per vnum & multa Diuinæ est considerationis. Quòd autem Aristoteles in Naturali scientia de numero rerum naturalium verba facit, id efficit indutus habitu Metaphysico. Quę opinio magis à vero distat, quàm prior, primò, quia dum Physicus ostendit numerum aliquarum specierum corporis Physici, non considerat numerum vt differentiam entis, sed cum contractione ad suum subiectum & modum considerandi: insuper id facit per media Physica. Hinc Simplicius in primo Physicon commen. primo, ait: vt Medici est ostendere humanum corpus ex quatuor elementis constare,& Grammatici orationem ex vigintiquatuor literis, &c. Prætereà, conspicuè errat,& Aristoteli aduersatur,inquiens non posse formari ostēsionem, cuius medium sit Physicum, & conclusio Metaphysica, nam conspicuè Aristoteles in primo Poster. ait, principia particularium scientiarum habere communia & scientiā eorum communium esse dominam, denotando Metaphysicam, & vt datur descensus à Metaphysica in alias scientias, quia earum subiectum in parte est idē, ita datur ascensus, vt patefeci de ostensione, quòd detur abstracta per motum æternum. Propterea inquiunt alij, ostendere numerum separatorum motorum esse officium Astronomi, vt retuli ex Auerr. in 1. Poste. comm. 100. Hinc Aristoteles in 12. Metaph. id videtur sumere ex Astronomis, quod etiam est dubium, quoniam Astronomus intra suos limites constitutus, non cognoscit à quo moueatur Cœlum, sed solùm considerat Cœlū & motum eius, vt quanta sunt, considerādo insuper figuram, & sitū, vt fatetur Auerroes in primo Metaphysicæ 19. Demùm ex numero motuum vel mobilium cęlestiū inuento ab Astronomo, non valemus inferre numerum motorum, nisi addantur multa declarata in Physicis, veluti quòd motus exposcit motorem à mobili distinctū, & quòd distincta corpora, & motus, distinctos exposcant motores. Insuper quòd non detur Intelligentia, quę non moueat, quod ostenditur in duodecimo Metaphysicę. Et hæc sunt illa, quę numero motuum facultatem tribuunt pro patefaciēdo numero separatorū motorū, per quę mediū, vel Physicum, vel Metaphysicū modo aliquo redditur. Propterea, pro resolutione difficultatis duas puto statuendas Theses: prima est, præbere mediū pro inueniendo numero separatorum motorū, pręsertim est officium Physici, ei tamen opem fert Astronomus. Altera est, vti medio, & formare ostēsionē, propriè & pręsertim est Officium Metaphysici, id tamen modo aliquo etiam à Physico fieri potest. Prima cōclusio patet: quia mediū est motus consideratus, vt est actus motoris, & mobilis, quæ est consideratio Physica, id tamen non esset satis, nisi obseruationibus Astronomis cognosceremus numerum orbium mobilium, ideò Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ 44. dixit, numerum lationum Cœli ab Astronomo esse petendum. Insuper dixi non absolutè, sed præsertim id esse officium Physici, ne dum quia requiritur auxilium Astronomi, verùm insuper quia requiritur, vt noscamus non dari Intelligentiam, quæ alicui orbi non sit iuncta, & illum non moueat, qđ ostenditur in duodecimo Metaphysicæ. Altera conclusio conspicua est, per ea quæ declaraui in præcedentibus, dum patefeci vti medio & formare ostensionem præsertim & propriè officium esse eius, qui conclusionem considerat, nam ille solicitus esse debet de veritate & cognitione eius. Addebam modo aliquo id posse fieri à Physico, ne dum, quia medium est Physicū, verū insuper quia valet id referre ad motores non vt abstractos, sed absolutè, vt motores corporis Physici, producentes motū Physicū;

*Opinio altera.* *Euersio.* *Tertia.* *Euersio.* *Resolutio difficul.* *Prima cō clusio.* *Secunda conclusio.*

Aristoteles

*Cur Arif. in 8. Phyſ. nō patefecit numerum ſeparatorum.*

Ariſtoteles tamen in octauo Phyſi. huiuſmodi numerum non patefacit; primò, quia huiuſmodi numerus non conducit pro æternitate motus, de qua ibi eſt ſermo, vt conducit ſeparatio motorum. Secundò, quia ex ſolo numero mobilium, & motuum Cœli, non valemus inferre numerum motorum, niſi prænoſcamus dari ſeparatos motores, & non dari intelligentiam non mouentem, quæ (vt patuit) in 12. Metaph. oſtenduntur. At duæ ſuperſunt diluendæ difficultates.

*Prima dubitatio.*

Prima eſt, quia inquit Auer. in 2. de Ani. 27. & 29. in ſcientia poni & non oſtendi numerum ſpecierũ ſubiecti. Altera eſt, quia inquit Auerr. in 3. de Ani. com. 5. cognoſci multitudinem ſeparatorum, cognoſcendo potentiam competentem noſtræ Menti, ac ita medio à motu diſtincto id poterit oſtendi.

*Secunda.*

*Solutio primæ.*

De prima difficultate dico, motores non eſſe speciẽ ſubiecti: addo Auerroem hac de re ſecum pugnare, tum quia in Paraphraſi de Republi. Platonis ait, Deum & ſeparatas Mentes in Metaph. eſſe principium, vt natura in ſcientia Phyſica non ſubiectum; tum inſuper, quia in 1. Poſter. com. 60. ait, officium eſſe Phyſici conſiderare numerum potentiarum animæ. Addo tertiò, id non oſtendi medio Metaphyſico. Demùm addo, non rectè dici in ſcientia non poſſe oſtendi numerum ſpecierum ſubiecti, vt in præcedentibus patefeci: ſic Ariſtoteles in 2. de Ani. oſtendit ſenſus externos non eſſe plures, quàm quinque.

*Solutio ſecundæ.*

Alteram difficultatem nititur ſoluere Zimara, inquiens, id non fieri, quia tale medium obſcurum eſt, & non cadit ſub ſenſum; quæ ſolutio mihi eſt dubia, quoniam id declaratur in 3. de Ani. & ideò eo medio, vt declarato poſſet vti Phyſicus.

*Solutio propria.*

Propterea ſecùs ſoluens, dico, nequaquam Auerroem aſſerere ex potentia noſtri intellectus poſſe elici definitum numerum ſeparatarum formarum, non enim id fieri poteſt, vt conſpicuum eſt, ſed ſolùm ex ea elicere valemus ſeparatis motoribus multitudinem non repugnare, cum omnibus infra Deum poſitis competat potentia, quæ eſt modus materiæ & origo multitudinis.

## *An Deus moueat, ſolum vt finis, vel etiam vt efficiens? Cap. XIIII.*

*Ordo ſeruandus.*

NOn leuis inter aſſeclas Ariſtotelis eſt dubitatio & diſſenſio, in quo genere cauſæ ex eius opinione Deus moueat primum mobile motu diurno. Qua de re diſputaturus, referam primò eorum opinionem & rationes, qui putant ſolùm mouere vt finem. Secundò oſtendam illum mouere vt efficientem. Tertiò loquar de modo, quo mouet. Demùm diluam rationes aduerſas.

*Quid concedatur ab omnibus.*

Ordiens à primo. Quicumque de Deo verba faciunt, de hoc conſentiunt, illum eſſe optimum, cunctiſque præditum, quæ abſolutè præſtantiam indicant, & ab omni imperfectionis labe eſſe immunem. Ex quo fundamento ſatis lucidè elici poſſe videtur, illum mouere ſolùm vt finem.

*Deum mouere solũ vt finem.*

Hunc in modum, Deus in eo genere cauſæ mouet, quod omnem excludit imperfectionem, & ſolam præſtantiam includit, huiuſmodi ſolum eſt finis, non efficiens: quod oſtendo pro vtraque parte, & primò, finem includere perfectionem patet, cum eius conditio ſit bonum, vt dicitur in tertio Metaphyſicæ, contextu tertio, & in ſecundo Metaphyſicæ, contextu octauo, legitur, qui finem demit, bonum aufert: nam finis eſt id, cuius gratia ſunt cætera, res autem gratia boni eſſe dicuntur.

*Ratio.*

Ex quo hanc aliam elicio rationem: Deus vt eſt, ita operatur, eſt ipſum bonum, & ratio per quam operatur eſt bonum, & huiuſmodi eſt finis, quare operatur, & mouet vt finis.

*Quod nõ ut efficiẽs. Ratio prima.*

Ex aduerſo, quòd non moueat vt efficiens, oſtenditur: quia efficiens includit poteſtatem ad ſequentem actionem, & ad actum imperfectum, motus enim actus eſt imperfectus: at Deus eſt

actus primus, purissimus, totus simul, immunis à potentia, quare non mouet vt efficiens. Præterea, ab eo quod est ipsa æternitas, & supra tempus, non proximè producitur ea actio, quæ sui condirione successionem includit, & mensuratur rempore;

*Secunda.* Deus est primæ conditionis, motus alterius; quare motus non proximè ab eo producitur. Hinc dicimus, quod si moueret, nullum liceret assignare tempus, in quo moueret; nam si generat, id facit per creationem, quæ tempori non subijcitur: si intelligit, id facit momēto æternitatis supra tempus posito, quare motus qui tempore mensuratur, non est effectio illi congruens. Præterea, ille motor qui mouens omninò

*Tertia.* seruatur immobilis, solùm mouet vt finis, non vt efficiens; Deus cōsensione omnium rectè sentientium, immunis penitùs est ab omni motu, quare solùm mouet vt finis. Maior enunciatur ab Aristot. in 12. Metaph. cont. 36. dicente, mouet autem vt optabile, & intelligibile, hæc enim sola mouent, non motu, &c. Considero ea verba, hæc enim sola mouent, non motu, hoc est, ea sola, quæ mouent vt fines: nam optabile & intelligibile fines dicuntur. Hinc Aristot. in 8. Phys. 52. cæteros motores sub Deo positos modo aliquo moueri indicauit, appetunt enim & intelligunt aliud, solum primum omnino immobilem affirmauit. Et Auerroes comm. 15. eius libri, dixit, omnis motor, cui competit appetitus ad mouendum, est mobile vno modo, & mouens altero. Præterea, id ipsum elici posse videtur ex conspicuis verbis Aristotelis in 2. de Cœ-

*Quarta.* lo 62. dicentis: videtur autē optimè se habēti inesse bonum sine actione, proximo autem per exiguam & vnam. & in conte. 64. addit: Ei autem quod optimè se habet, nil actione est opus, est enim ipsum id, cuius gratia, actio vero semper est in duobus, nempè in eo quod est cuius gratia, & eo quod est eius gratia. Auerroes in com. 63. præter cætera, hæc verba profert Philosophus sibi proposuerat declarare, ꝙ ea, quorum nobilitas est in actione, sunt diminuta, quia non per se nobilitatem acquirunt, sed oportet, vt aliquod habeant exemplum, quod offerat eis illud propter quod est actio. Et Simplicius eo loci inquit: Omne agens agit ob desiderium boni, aliud itaque erit bonum, & aliud agens, & propterea optime se habens non eget actione: sic itaq; Aristoteles, Auerroes, & Simplicius, vnanimes asserere videntur, Deum nō mouere vt cau-

*Quinta.* sam efficientē. Præterea, si Deus mouet vt efficiens; vel id facit vt acquirat perfectionem, vel vt seruet, vel vt eum alijs impartiatur; non primum, nec secundū dicendum est, cum ex se sit vniuersa perfectio, ex nullo alio pendens, nec apta minui. Tertium quoq; non est dicendum; tum quia præstantius non agit ex primo instituto propter vilius, & de primo instituto nunc est sermo; tū quia id valet efficere per secundas causas: tum demum, quia primum id alijs impartiri debet, quod absolutè est primū, huiusmodi autem est esse, non operari, est actus perfectus, nō imperfectus, vt est motus.

*Sexta.* Insuper cui repugnat conditio partis, & absolutè est totum, & vniuersum, non rectè iudicatur cum altero tanquam pars iunctum; Deus absolutè est totū, & vniuersum; ideò non rectè dicitur, ꝙ sit pars immobilis, primi compositi ex se mobilis, quòd sit eiusdem conditionis cum intelligentijs sub eo positis, de quibus dicimus cœlestes orbes diuidi in partem mouentem immobilem, & partem mobilem. Iure itaque Auicenna, Ioan. Gand. & Academici omnes existimasse visi sunt, Deum solùm mouere vt finem, non vt causam efficientem.

Osten-

## *Ostenditur Deum ex sententia Aristotelis mouere in genere causæ efficientis. Cap. XV.*

*Deũ mouere in genere causæ efficientis. Ratio prima.*

SAtis firma apparuere fundamenta ex quibus eliciebatur Deum mouere solùm vt finem, non vt efficientem; firmiora tamen ea iudico, ex quibus elici posse videtur oppositum, ex opinione Aristotelis. Vtar primò auctoritatibus, mox rationibus, & ita argumentor; Ille motor primus immobilis, ad quem nos eleuat Aristoteles, in 8. Physic. & de quo in eo libro verba facit, mouet vt efficiens; at nos eleuat ad Deũ, quare, &c. Minor cumulatè c. 4. est ostensa: Maior et conspicua est, nam Aristoteles inuenturus primum principium, ostendit omne, quod mouetur, moueri ab aliquo, in mouentibus & mobilibus nõ esse progressum in infinitum; primũ inter mobilia moueri ex se; & quod ex se mouetur, cõstare ex corpore mobili, & motore immobili, & supremũ motorem immobilem appellat principiũ primum, semper de efficiente loquendo, nunquam de fine, quare primus motor qui est Deus, mouet vt efficiens, de quo in contex. 52. inquit, primo manente, necesse est manere vniuersum, quod continuatur cum eo.

*Confirmatio.*

Confirmatur, quia Aristoteles de hoc primo motore loquens, ita argumẽtatur: Motus est æternus, igitur motor æternus; motus est vnus, igitur & motor; motus in maximo circulo est velocissimus, ideò ibi est motor. Hæc & similia quæ de motore primo profert Aristoteles, de solo efficiente vera sunt. Prætereà, cum Aristoteles, in contex. 78. de hoc primo motore proponat ostendendum, quòd cùm magnitudinis, tùm diuisionis sit expers, vtitur principijs, quæ de solo efficiente vera sunt, velut quòd virtus maior moueat velocius, & diutius; & si vis infinita esset in magnitudine, nullum posset assignari tempus, in quo moueret, & similibus. Insuper, cum in contex. 3. octaui Physic. dicat, considerationem æterni motus, conducere Methodo de primo Principio, proculdubio primum principium est Deus, pro cuius notitia cõducit motus æternus, quatenus huiusmodi motus nos eleuat ad suum principiũ, non in genere finis, sed efficientis, & patefacit esse à materia secretum.

*Ex 2. Physic.*

Prætereà, conspicua est sententia Aristotelis in secundo Physi. 73. dicentis, motorem immobilẽ non attinere ad Physicum, & addentis, tale autem est, si quid mouet quod nõ mouetur, vt id quod penitus est immobile, & omnium primũ, &c. sermo ibi est de principio efficiente motus omnium primo, qualis est solus Deus.

*Ex primo de Ortu et interitu.*

Præterea, in primo de Ortu, & interitu, cont. 14. loquens Philosophus de causa efficiente conseruante generationẽ æternam, inquit: de illa enim dictum est priùs in sermonibus de motu, hoc est in octauo Physi. quod est hoc quidem immobile per omne tempus, &c. conspicuè asserit, id primum Principium immobile, de quo est sermo in 8. Physico. esse causam efficientem motus, non finem solùm; & nunquam Philosophus in aliud principium prius, ea, quæ mouentur, resoluit.

*Ex 12. Metaph.*

Præterea, ex duodecimo Metaphysicæ, id ipsum luce clarius elicitur, nam in contex. 30. ostendit Philosophus, dari principia prima, quæ sint sui essentia actio, immunia penitùs à potentia, alioquin possent non mouere; Ex quo elicitur, quòd qui à separatis formis aufert efficere motum, ab eis simul aufert essentiam, & cum sint immunes à potẽtia, indicat Philosophus eas necessariò mouere, & ob id nono Metaphysicæ, cont. 10. dixit, non esse timendum Cœlum quiescere, quia eius motores sunt expertes potentiæ, & mouendo non laborant. Insuper adhuc lucidius elicitur ex duodecimo Metaphysicæ, contex. 43. quo loci inquit Philosophus: Nos autem ex suppositis & definitis dicamus, principium, & primum eorũ quæ sunt, esse immobile, & secundum se, & ex accidenti, mouere autem primum sempiternum & vnum motum, &c. cõspicuè Philosophus id Principium, quod est primum eorum quæ sunt, nempè Deum, ait mouere vt causam efficientem, & efficere motum illum,

qui dicitur totius, hoc est diurnum, & ob id à materia esse secretum, ac ob similem rationem motores quoque Planetarum [illegible] cat mouere Deum, ac moueant motores Planetarum, qui omnium consensione mouent vt efficientes: & iure profectò, nam motus, qui dicitur totius, & vniuersi, produci debet à motore totius, respondente vniuerso, qualis est solus Deus. Ideò in calce contextus colligit Aristoteles tot esse essentias sempiternas immobiles, & expertes diuisionis & molis, quot sunt ea, quæ mouentur; & in contex. 48 addit, nullam præter has repetiri naturam, & necesse esse hunc esse numerum [illegible] & in contex. 49 ex eo, quòd hic motor primus & totius est vnus, colligit Mundum esse vnum; Mundus autem à Deo habet vt vnus sit, non ab alio motore. Hinc Auerroes, commen. 44 aduersus Auicennam inquit, si inuenirentur formæ non mouentes, essent ociosæ. Quod hactenus auctoritate patefeci, nunc modo comprobare rationibus, quæ præsertim ex duobus fontibus eliciuntur; nempe, ex conditione Dei, & ex conditione primi motus; quibus addi potest etiam conditio vniuersi. Vt pertinet ad conditionem Dei, ita argumentor; Deus est ipsum bonum, optimè se habens, est prima separatarum formarum, & primum ordinis ab vno, est Princeps vniuersi cuncta curans, & munificentissimus, est exemplar cæterorum, imitabile ab eis, est aptus nosci quod sit separatus: vires eius per opera debent manifestari; quare mouet vt efficiens; assumpta ex se sunt conspicua; deducitur consequutio; Nam cum Deus sit ipsum bonum, & conditio boni sit fœcunditas, & fœcunditatis sit efficere, & operari, vt fructum pariat, ideò conditio Dei est, vt operetur: & quoniam ea, quæ natura constant, per motum primum vel producuntur, vel seruantur; ideò à Principio fœcundissimo motus ille effici debet. Similiter dum consideratur Deus vt optimè se habens, debet extrinsecus operari: nam vt aiunt Academici, perfectio & optima dispositio rerum in ternario hoc est posita, in essentia, potentia, & actione. Hinc Aristoteles, in septimo de Repub. cap. 3. ostendens inspectricem Philosophiam, dum opus fuerit, teneri etiã extrinsecus operari; inquit: Alioquin vix Deus ipse rectè se haberet, & Mundus totus, si præter proprias actiones suas, nullis externis actionibus fungerentur. Insuper dum consideratur Deus vt forma abiuncta, & formarum prima, maximè debet operari; tum quia huiusmodi formæ sunt sui essentia actio, vt legimus duodecimo Metaphysicæ: [illegible] tum quia cõpetentia his, quæ sunt ab vno, maximè debent competere primo. Præterea, dum consideratur Deus vt Princeps vniuersi, cuncta seruans, omnia dirigens, singulisque benefaciens, quia ex sententia Aristotelis [illegible] motum, tenetur motum illum efficere. Similiter si consideratur vt exemplar separatarum formarum, imitabile ab eis, tenetur mouere; nam reliquæ Intelligentiæ [illegible] mouent ab ortu in occasum, vt æmulentur primam, & eam sequantur. Præterea, dum consideratur Deus vt nobis se patefaciens, & aptus à nobis nosci, quia id fit per motum primum, putandum est, motum illum ab eo effici; per primum enim motum iudicamus vires & percipimus eum esse à materia solutum. Præterea, ita argumentor: Deus potest efficere motum primum; igitur illum efficit; assumptum patet; nam inquit Aristoteles hoc solo priuari Deum vt facta valeat reddere infecta; deducitur consequutio, tum ex eo, quod legitur in tertio Physic. 32. in æternis non differt esse, & posse: tum insuper, quia ex sententia Aristotelis Deus operatur cum quadam necessitate Naturæ, vt suo loco patebit. Demùm si Deus consideratur vt contemplans & Intelligens, etiam mouere debet; quoniam operatio est fructus contemplationis; speculamur enim agibilia, vt ea efficiamus: ne itaque contemplatio Dei suo fructu sit destituta, tenetur extrinsecus operari; ita nobis exemplo erit, vt extrinsecùs operemur, vt cunctis sciamus opem, vt munera [illegible] ris impartiamur, ita quoque ea, quæ sunt, nõ multiplicata apparebunt sine vlla necessitate. Secundò, si conuertimur ad conditiones primi motus, ex eis quoque id ipsum eliciemus: Et ita argumentari licet. Motus diurnus primi mobilis est motus primus, motus totius, Mensura sequentium, communis vita cunctorum, quãrè à Principio ab-

*Ratio prima sumpta ex conditiõe Dei*

*Quia Deus est ipsum bonum.*

*Optimè se habens.*

*Forma abiuncta & prima.*

*Princeps Vniuersi.*

*Exemplar separatorum motorum.*

*Nobis per opera se patefaciẽs*

*Valet mouere.*

*Intelligit.*

*Ratio ex conditionibus primi motus.*

solutè

solutè primo producitur. Assumptum ex se patet: Deducitur consequutio, quia qualis est effectus, talis indicanda est causa; inter separatas formas nulla est, quæ seruet conditionem totius, & munere totius fungi valeat, præter Deum, à quo solo pendent cuncta, & ob id cuncta sequuntur illum & conspirant ad cōem eius actionem. Tertiò considerando conditionem vniuersi, ex ea quoque elicere valemus Deum mouere in genere causæ efficientis, nam vt se habet de paruo Mundo, ita de magno putandum est se habere; in homine, qui paruus dicitur Mundus, & Epilogus magni, nulla est vis animæ, quæ non operetur, & ea quæ vniuerso homini præest, cæterisque facultatibus antecellit, est primum principium motus totius corporis. Hinc Aristoteles in tertio de Anima 48. inquit, Principia motus in homine esse Mentem & appetitum. Residet itaque Deus ex sententia Aristotelis in primo mobili, vt in arce, & in medio virtutis, vt dicitur in secundo de Coelo 72. & vniuerso præest vt Monarcha, idque primo & communi motu mouet.

*Ratio ex conditione vniuersi.*

## De modo, quo primus motor mouet. Cap. XVI.

APparuit ex sententia Aristotelis, Deum motu diurno vniuersum, præsertim tamen primum mobile mouere. Verùm hoc non est satis: nam requiritur, vt etiam modū nóscamus, quo mouet: de quo interpretes non consentiunt. Simplicius existimauit in primo mobili hunc ordinem cōsiderari, nam supremus est Deus, cui succedit Mens suprema, non participata, quam tertiò sequitur Anima, quæ etiam Mentis redditur particeps, postrema est Natura. Deum putauit solum esse finem; Mentem dixit opificem & patrem Mundi, Principiumque motus non proximum, sed remotum & dirigens. Animam dixit ex se moueri, & ita proximè mouere Coelum; Naturam demū asseruit esse idoneitatem & propensionem, per quam Cœlum ad motum in orbem esset procliue. A Mente motus habet, vt sit æternus & consimilis; ab Anima, vt ex vno in aliud Cœli situm motu transeat: à Natura, vt sit naturalis. Elicitur sententia Simplicij præsertim ex secundo de Coelo 3. & 4. commen. & ex expositione 63. contextus. Alexāder duo sola considerauit, Intelligentiam, & Animam, nam Mentem primam non secreuit à Deo, nec Naturam ab Anima, vt etiam fecit ille, qui Alexandri nomine circumfertur, in duodecimo Metaphysicæ, 29. & 34. commentarijs. Mentē putauit Alexander esse principium motus remotum, Animam proximum, vt in nobis Mens & phātasia. Ex Mente pendere censuit æternitatem motus, & consimilitudinem: ex Anima actum mixtum cum potentia receptum immobili, ex vno in aliud progredientem. Cum Alexandro sensit Themistius, & vt puto etiam Auerroes. Nam quamuis sententia Auerrois à varijs varijs modo referatur, tamen si accuratè eius verba perpendantur, idipsum sensit, quod Alexāder, vt in lib. de Cœlo latius patefeci. Auicenna satis adhæret opinioni Simplicij, ipse enim primò considerauit Deum Principium primum. Secundò, Mentem ex primo principio prodeuntem. Tertiò Animam. Quartò Naturam. Primum principium censuit esse finem communem; Mentem motorem remotum; Animam proximum; Naturam demum Principium, per quod mobile redditur procliue ad motum, & motus redditur secundum naturam. Ex Mente prodit conseruatio motus, ex anima transitus per varios terminos, & definita velocitas, vt se declarat Auicenna nono suæ Metaphysicæ, cap. 2. & 4. Dissentit tamen à Simplicio, quia Simplicius sub Deo vnicam ponit Mentem, non participatam, cæteras ait esse participationes eius; Auicenna non constituit distinctionem Mentis in participatam, & non participatam. Quarta est opinio Card. Caiet. in quæstione de immensa virtute Dei, nec non Scoti in primo Sent. dist. 8. q. 5. & in 7. q. quolib. Hi consentiunt, quatenus in primo mobili hunc ordinem considerant. Primò, tunc reperiri Deum. Secundò

*Opinio Simplicij.*

*Opinio Alexandri.*

*Themistius. Auerroes. Auicēna.*

*Card. Caiet.*

dò Intelligentiam. Tertiò orbem. In cæteris sphæris solùm putant reperiri Intelligẽtiam & Orbem: & de hoc dissentiunt ab Auer. quoniam Auer. in singulis orbibus tria considerauit, Intelligẽtiam, Animam, & Orbem, & propterea minus rectè puto Cardinalem Caietanum in quęst. de immensa virtute Dei, Auerroi tribuere eam sententiam, cuius fuit ipse. Ratio, ob quam Scotus & Cardinalis Caietanus in primo mobili præter Deum etiam Intelligentiam propriam reperiri existimãt, est: quia puterunt ex sententia Aristotelis Deum esse immensæ virtutis, & propterea si proximè moueret, nullum posset assignari tempus, in quo moueret, at cum primũ mobile proximè moueatur à propria Intelligentia, quæ non est virtutis immensæ, exposcit definitum tempus, in quo moueatur. Scotus in 7. quæst. quolibeticarum nititur hoc elicere ex contex. 79. octaui Physicorum, quo loci Aristoteles ostendit motorem immensę virtutis non posse proximè mouere, quia nullum posset assignari tempus, quo moueret: at datur definitum tempus, in quo primus motus cõstituitur; igitur nõ proximè producitur à Deo, qui est virtutis immẽsę. & ferè eadem ratione vtitur Card. Caietanus.

*Ratio.* *Scotus.*

*Consensio Scoti & D. Tho.* De hoc itaque consentiunt, qui sequuntur Scotum, cum asseclis D. Thomæ, & aiunt duos motores primo Orbi competẽtes, esse essentialiter subordinatos, & ambos mouere in genere causę efficientis, vnum proximè, alterum per Intelligentiam mediam, & motum habere à Deo, vt sit æternus: à propria autem Intelligẽtia, vt definita velocitate fiat. Explicans Scotus in 5. quæst. octauæ dist. primi Sen. & in 7. q. quolibeticarum, quomodo Deus sit causa efficiens, duos præsertim refert modos? Vnus est, quia inquit à Deo sine medio produci omnes Intelligentias, quæ cum proximè moueant suos orbes, dicitur causa efficiens cuiuslibet motus Cęli, vt generans Elementa, dicitur mouere ea. Alter modus est, quia Deus mouet vt amatum & appetibile, id autem in anima dicitur mouere vt efficiens, veluti balneum in anima. At hi non sunt modi, per quos valeamus propriè dicere Deum mouere vt efficientem, quoniam his modis non magis dicetur mouere primum mobile, quàm cęteros, & per modum primum solum manifestatur Deum esse causam primi actus, nempè Intelligentiarum, non autẽ secundi, qui est motus, & per modum secundum manifestatur potiùs, quomodo Intelligentia propria moueat, quàm ꝙ Deus efficiat motum, quia appetibile dicitur efficere motum, dum consideratur in cognoscente, quod proximè mouet: At de opinionibus aliorum hæc satis.

## *De modo, quo Deus mouet primum Mobile, opinio propria. Cap. XVII.*

*Quatuor conclusiones.* *Prima.* VT conspicuè refulgeat resolutio difficultatis, necnon quid de tã varia interpretum opinione dicendũ putẽ, quatuor Theses propono, quarum prima est: Deus à prima Mente ex sententia Aristotelis nõ secernitur; & ea sententia Simplicij Academica potius, ꝙ Peripatetica est. Hinc Philoponus in 3. de Ani. digrediens in attinentibus ad conte. 9. ait, ex senten. Arist. Deum esse Mentem, id tamen aduersari Platoni. Altera conclusio est, in Cœlo Intelligentia orbis ab eius anima non secernitur; sed eadem distincta ratione Mens, Anima, & motor Cęli dicitur. Hæ duæ conclusiones cumulatè à me sunt explicatæ in libro de Cęlo, in consideratione an Intelligentiæ sint formæ, formantes Cœlum. Tertia conclusio est, In Cęlo Natura distinguitur ab anima, aduersus Alexandrum. ratio est: quia Anima Cœli est Mens, quæ supra naturam est eleuata, vt patet ex primo de Partib. animalium. Hinc sub initio secundi Physic. dicitur, eam formam esse naturam, quæ est finis generationis, & nequit à materia seiungi, hoc tamen verum est, quod in Cœlo præter Intelligentiam non datur forma alia, quę Natura sit, sed Intelligentia mouendo eminenter, fungitur mune-

*Secunda.* *Tertia.*

re Naturæ; propriè tamen in Cœlo Natura eſt cœleſte corpus ſimplex, quatenus ad motum eſt procliue. Hinc ab Ariſtotele in octauo Metaphyſicę, contex. 12. & 12. Metaphyſicæ, contextu decimo, corpus Cęli dicitur materia ad vbi. Quarta concluſio eſt, Cęlum ſolum conſtat ex Intelligentia & orbe, ex motore & mobili; & prima Mens ſiue Intelligentia, quæ Deus eſt, ſine vllo medio in genere cauſæ efficientis mouet primum mobile motu diurno. Hæc concluſio varias habet partes, ea tamen quæ ad rem facit, hæc ſola eſt, quòd ſine medio in genere cauſæ efficientis moueat, quæ oſtenditur: Nam ille motus, qui ſæpè ab Ariſtotele nuncupatur motus totius, in quem cuncta conſpirant, qui eſt regula & menſura cæterorum motuum, & tanquam vita, ab eo ſolo motore produci poteſt, qui obtinet conditionem totius, eſt princeps cunctorum, ex quo cuncta pendent, & per quem perficiuntur; hæc autem nulli præterquàm Deo competere valent, vt in præcedentibus etiam dixi. Hinc Ariſtoteles reſoluens cęleſtia corpora mobilia, cùm in octauo Phyſicorum, tùm in duodecimo Metaphyſicæ, nunquam ea in plura reſoluit, quàm in duo, in Mentem ſecretam à mole mouentem, & corpus mobile. Vt autem modus clariùs refulgeat, accipiendum eſt, nil eſſe in Orbibus Cęli, quod ex eorum Mentibus non pendeat; ideò cuncta obtemperant nutui & appetitui earum. Inſuper forma abiuncta maximè corpori dominatur, vt approbante Ariſtotele in octauo Phyſic. 37. enunciauit Anaxagoras; hinc animi, quo ſunt puriores, eo magis dominantur corpori. ex his pendet, quod cęlum maximè ſecundum naturam, & propriam propenſionem in orbem à ſua Intelligentia mouetur; & Intelligentia mouendo non laborat, omnis enim violentia à Cęli motu abeſt. Qui motus dicitur fieri pulſione & attractione: Mens enim, vt efficiens, tangens ſua virtute Cęlum, id ſecundum naturam pellit, cum ad illum motum ſit procliue. Vt autem finis diuina quadam attractione ad ſe trahit, & inde oritur motus ab eodem ad idem. Mouent autem ſuperæ Mentes per Mentem & voluntatem, non per facultatem tertiam mouentem, ab his diſtinctam: nam vt rectè ait Auerroes duodecimo Metaphyſicæ 37. 41. & in primo de Cęlo 90. non ſunt in Cęlo aliæ facultates animæ præter Mentem & voluntatem: ideò vt in homine ex ſententia Ariſtotelis in tertio de Anima 48. Principia motus ſunt Mens & appetitus, ita ea duo ſunt principia motus in Cęlo, reliqua in homine ſunt inſtrumenta, quæ non requiruntur pro motu Cęli. Propterea, approbandam non puto ſententiam Ioan. Bacc. in ſecundo Sent. diſt. 17. dicentis, Intelligentias mouere per facultatem tertiam mouentem à Mente & voluntatem diſtinctam. Nititur autem id ſuadere, quia Intelligere & velle, ſunt actiones immanentes, mouere autem tranſiens; & propterea ex facultate prodire debet à Mente & voluntate diſtincta: quæ ratio leuis eſt, quoniam quamuis ſint actiones immanentes, tamen appetitus eſt principium actionis tranſeuntis, nempè motus. Hinc in tertio de Anima, appetitus ab Ariſtotele dicitur quidã motus. Pro conſtituendo in Cęlo motu in orbem, variæ conſiderantur præcurrentes orbiculationes, & ab eodem in idem conuerſiones: nam Primò Deus Intelligendo, in ſe conuertitur, & ſe eminentiſſimè intelligit. Secundò, in ſe conuertitur appetendo, quia nil niſi ſeipſum appetit, cum ſit ipſum bonum, ex ſe ſibi ſatis. Tertiò conſideratur orbiculatio Intelligentiarum, quæ ex Deo pendent, & in Deum, vt in finem reuoluuntur. Quartò, in ſingulis intelligentijs conſideratur conuerſio earum in ſe, vt ſe intelligunt. Ex internis his conuerſionibus prodit extrinſecùs conuerſio Cęlorum, & motus ab eodem ad idem, quarum finis principalis, poſtremus, & communis, eſt Deus; vt finis proximus internus eſt quælibet intelligentia; vt participatio eſt ſummi boni, finis externus principalis eſt Mundi perfectio & conſeruatio, ſecundarius verò ſunt hęc mortalia, de quibus Ariſtoteles in primo Meteororum enunciauit neceſſe eſſe mortalem hunc orbem ſuperis lationibus eſſe continuum; vt inde virtus omnis gubernaretur.

*Quarta.*

*Deum ſine medio mouere primum mobile.*

*Modus, quo primus motor mouet primum mobile.*

*Animi quo fuerint puriores, eo magis dominãtur corpori.*

*Mouẽt cęlorum motores per Mentem & voluntatem.*

*Reijcitur ſententia Io. Bacco.*

*Varię in cęlo orbiculationes.*

*Diluuntur*

## *Diluuntur rationes, quibus ostendebatur Deum non mouere in genere causæ efficientis.* *Cap. XVIII.*

*Soluitur Ratio prima.*

EXplicata opinione Aristotelis, facile modo est rationes aduersas diluere: ostendebatur à Scoto, Deum non proximè primum mobile mouere: quia non posset assignari tempus, in quo moueret. Quæ ratio primo reflectitur, nam ab eo sine medio mouetur primũ mobile, de quo Aristoteles in 10. contex. 79. ostensionẽ format, vt ostendat esse à magnitudine separatum; at format ostensionem de primo principio, vt patuit, & conceditur à Scoto, igitur ab eo sine medio mouetur. Maior patet, alioquin conclusio non responderet principijs, ex quibus deducitur; Præterea, illa ostensio (vt patefeci) vera est de omni motore Cœli, non de solo primo, quare si ex ea colligeretur motor medius pro motu primi mobilis, etiam colligeretur pro motu Planetarum, quod ipse inficiatur. Demùm, ea ratio facilè diluitur: quia institutum Aristotelis eo loci est; ostendere motum Cœli non posse effici à motore materiato, nec finito, nec infinito, & de illo vim habent ostẽsiones eius, vt statim quòd motor conceditur à magnitudine separatus, soluta est vniuersa dubitatio, quiuis enim separatus motor, cum careat contrario, & non laboret, valet mouere semper, vt asseritur in nono Metaphysicæ 17. Ostendebatur insuper, Deum non efficere motum, quia modus ille efficiendi, aliquid imperfectionis includit; primò reflecto argumentum; quia id tribuendum est Deo, quod perfectionem denotat, & eius conditioni est consentaneum: mouere est huiusmodi, nam perfectio in essentia, potestate, & actione est posita, & cum sit sui essentia actio, debet mouere semper, vt dicitur in duodecimo Metaphysicę. Insuper soluitur ratio: quia motus non denotat imperfectionem in agente, sed in recipiente: hinc dicebat Porphyrius, referente Simplicio in tertio Physicorum, motum esse actionem perfectam agentis, actum verò imperfectum recipientis, nam denotat actum agentis postremâ perfectione præditi. Addebatur insuper, quòd cum Deus sit ipsa æternitas, & supra tempus, non proximè id efficit, quod est cum successione iunctum, & tempore. Reflecto primò rationem: nam cum Deus sit ipsa æternitas; & ex æternitate & immobilitate prodeat tempus & motus, debet illũ efficere motum, qui est idem cum tempore, & mensura cæterorum motuum, ideò rectè de eo cecinit Boetius;

*Diluitur altera.*

*Alia instãtia soluit.*

*Qui tempus ab æuo*
*Ire iubes, stabilisq; manens, das cuncta moueri.*

Insuper soluitur: quia ea maior vera est de actione interna, quæ est eadem cum essentia, non de externa. De actione prima, quale est intelligere, non de prodeunte ex prima. Insuper instabatur: quia Deus mouet vt bonus, quare vt finis. Respondeo, Deum nedum includere rationem boni, sed etiam actus; vt actus, est principium efficiendi; vt bonus, est finis. Non enim ex primo instituto mouet ob aliud, sed ipse est finis, cui omnia seruiunt. Insuper instabatur, quia Deus ita mouet, vt omninò sit immobilis: Reflecto rationem, cum Aristotele in secundo Phys. 71. & 73. asserente primum principium mouere & esse immobile, quare non pugnant hæc inuicem, efficere motum; & seruari immobile. Prętereа soluitur cum Aristotele, & Auerr. duodecimo Metaphysicę 36. dicentibus, in seiunctis à materia, & præsertim in Deo, intelligens, & intelligibile, appetens, & appetibile, in idem venire; Ideò Aristoteles inquit, mouet autem vt appetibile, & Intelligibile, hæc enim sola mouent non mota, horum autem prima eadem, &c. conspicuè asserit Philosophus, in prima formâ ea duo in idem venire, & solâ ratione distinguit; & iure, nam appetibile in appetente dicitur mouere vt efficiens, at Deus est ipsum primò appetibile, igitur nedum est finis, sed etiam est efficiens motus, nam appetitus tendit in bonum cognitum, bonũ à Deo cognitum est ipsemet Deus.

*Alia instãtia.*

*Alia instãtia.*

Instabatur deinde auctoritate Aristotelis in secundo de Cœlo; at si rectè sententia & verba Aristotelis perpendātur,ex eis oppositum elicietur: Nam eo loci Aristoteles, per actionem denotat moueri,dubitauerat enim,cur primum mobile vno motu moueatur,& mox non seruatur ordo,adeò vt orbes primo proximiores paucioribus moueātur motibus,distantiores verò pluribus;& soluens,non considerat producentia motū, quæ ad rem non faciebant,sed recipientia, quæ per motum perficiuntur. His accedit, quòd nō rectè Philosophus tribueret Intelligentijs, vt vna plures produceret motus, alioquin secum pugnaret,cum in duodecimo Metaphysicę,tot statuat Intelligentias, quot motus, & orbes. Sic itaque Aristoteles in eo secundo de Cœlo, per præditum perfectione, sine operatione denotat vniuersum genus separatarum formarum, quæ absque eo, quòd moueantur, perfectione sunt præditæ: Cœli autem per motum assequuntur perfectionem. Quęrebatur deinde, si Deus mouet, cur mouet? Respondeo: quia est ipsum bonum,cuius conditio est fœcunditas,ex fęcunditate autem prodeunt fructus,& præsertim quia nulla detinetur inuidia, est sua essentia actio, motus autem primus est ille, per quem cuncta producuntur, seruantur, & perficiuntur. Instabatur insuper,quia ex primo id effluere debet,quod primum est; huiusmodi autem est esse, non motus. Reflecto primò rationem, quia communis parens, cunctorum debet esse causa; id autem ei competit per motum primum. Insuper soluitur, quia per motum primum simul effundit esse,idque seruat & perficit. Instabatur insuper,quia Deo non competit conditio partis. Reflecto,quia motus communis,& totius ex motore communi & totius prodire debet,qui motus totius vt parti principali, cōpetit primo mobili;vt vero subiecto adæquato,competit Mundo. Hine motor totius dicitur tanquā in arce, esse in primo mobili, vt inde in vniuersum orbem effundat sua munera. Demùm soluens rationem,dico,partem esse duplicem,vel solum includentem conditionem partis, non autem totius, & hanc assero denotare imperfectionem. Alteram vero esse partem extrinsecùs,& per similitudinem,includentem facultatem & conditionem totius;& huiusmodi asserimus esse Deum,de quo verè dicimus non maiorem denotare perfectionem Deum cum Mundo,quàm denotet, & includat Deus solus.

*Explicatur sent. Arist. in 2. de Cœlo.*

*Cur Deus moueat.*

*Alia instātia soluit.*

*Soluitur alia.*

## *A quo mouentur orbes Planetarum motu diurno ab Ortu in Occasum?* Cap. XIX.

Atefeci in libro de Cęlo vnà cum Aristotele Planetas nedum suo proprio motu ab Occasu in Ortum moueri, verùm insuper vnà cum primo orbe motu diurno ab ortu in occasum reuolui; dum suo motu mouentur, conspicuum est eos à propria Mente siue Intelligentia moueri;at non ita patet à quo moueantur motu diurno, quæ dubitatio etiā extenditur ad ea Elementa,quæ vnà cum Cęlo continenter in orbem reuoluuntur, qua de re variæ sunt opiniones. Nam primò occurrit Popularis opinio asserentium orbes & Elementa sub primo contenta rapi & circunduci à primo orbe. Hinc à Poetis & Astronomis nūcupatur motus raptus. Auerroes id sensisse visus est, quatenus in paraphrasi de Cęlo summa 3. quæsito sexto,inquir,orbem supremum esse motorem orbium Planetarum,vt moueantur motu diurno. Et confirmatur:quia Cęli orbes,quo magis distant à primo,eo tardiùs motu primi mouentur:nam magis subterfugiunt vim à primo illatam,adeò vt terra maximè distans, in suo loco penitùs requiescat. Hinc Auer. in duodecimo Metaphysicæ 37. inquit, primum motorem mouere orbes sub primo positos,per primum mobile,tanquam per medium. Insuper Aristoteles id ipsum visus est asseruisse in octauo Ppysic. 53. inquiens: Quod autem mouetur ab eo,quod mouetur,hoc est,Planetæ,qui mouentur à primo orbe,& Elementa quæ mouentur à Cęlo; ab immobili autem mouetur hoc est primum mobile,siue cęlum

*A quo mouentur orbes Planetarū ab ortu in occasum?*

*Opinio popularis.*

*Confirmatio.*

*Auerroes. Aristoteles*

*Euersio.* lum mouetur à motore immobili,&c. Hæc opinio approbanda non est: primò, quia ita in Cęlo locum haberet violentia, nam corpus rapiens aliud corpus, violentia ducit,& rapit illud,& præsertim quia Zimara Theor. 19. inquit, mobilia sub primo nō esse prædita propensione,nec præbere vim ad illum motum:quare ei absolutè competet definitio violenti. Præterea, cęlestia corpora non aspera, sed perpolita & leuia sunt, adeò vt suo motu non sint apta inferre vim in contenta sub eis. Præterea, dum corpus vnum rapit aliud, id facit per tactum,& experientia docet, quod si id quod rapitur est corpus fluens,solùm rapiuntur partes,eius rapienti proximiores,non corpus vniuersum:at per motum Cęli vniuersa sphęra ignis,& ferè tota aeris circumducitur, quamuis simul nonnunquam per ventos secundum partes moueatur in oppositum.

*Opinio secunda.* Ideò est secunda opinio,asserentium Planetas,& Elementa eo motu moueri per influxus, à motu & lumine distinctos, ex primo motore & mobili prodeuntes. *Euersio.* At quia suo loco huiusmodi influxus reieci, propterea nunc eos missos facio. *Tertia.* Tertia opinio est asserentium Deum vbiq; reperiri,per essentiam,potentiam,& operationem,in primo autem orbe reperiri vt in parte Mundi principaliore, quæ ab Aristotele in secundo de Cęlo 72.dicitur medium nonnullis, sed virtutis, & cum Deus sit vbique,etiam proximè motu totius valet mouere orbes omnes, qui ab Ortu in Occasum reuoluuntur. *Euersio.* Hæc sententia propterea videtur dubia, quia sic Mundus totus deberet dici sedes Dei, cum tamen Aristoteles vel solum Cęlum, vel solum primum mobile asserat esse eius sedem. Præterea, si Deus ita proximè moueret, quia esset vbique, cum ex sententia Aristotelis moueat pro viribus,deberet singulos orbes eadem velocitate reuoluere, quod non facit, cum orbes inferiores, eo motu moueantur tardiùs, & cum regressu in oppositum.

## *Resolutio Difficultatis.* *Cap. XX.*

*Opinio propria.* CVm relatæ opiniones satis apparuerint dubiæ, vt proferam,quod sentio: *Primū assumptum.* accipio primò,idque vt notum suppono,cuncta modo aliquo pendere ex Deo. *Alterum.* Addo secundò, pendentia ex aliquo, semper includere conditionem quandam eius,& conspirare ad commune opus prodiēs ex illo. *Tertium.* Insuper tertiò accipio vnà cum Auer. secundo Cęli 71.& in 3.disp.cōtra Algaz.in fol.18.dubij,ex primo motore ꝓdire vim quādā spiritalē,quę effunditur ꝑ vniuersum,primò tamē recipitur in primo mobili: verū *Vis spiritalis ex Deo prodiens.* quæ sit hæc vis,satis latet,puto ego dicendum,illam esse duplicem: vnam antecedentem,rebusque insitam, alteram superuenientem. Prima nil aliud est, nisi ipsamet essentia rerum,vt est quædam participatio summi boni, de qua legitur in primo de Cęlo 100.quod à primo omnibus tributum est esse,his clarius, & his obscurius:superueniens autem virtus est ea,per quam cuncta seruantur, & perficiuntur,quæ per vniuersum effunditur per motum, de qua legitur in primo Meteororum esse necesse Mundum mortalem superis lationibus esse continuum, vt omnis eius virtus inde regatur, & de vtrisque legitur omnia esse plena Deo. Ita redditur notum, quomodo Deus dici possit Anima Mundi:nam cunctis,vt eis expedit, largitur esse. Propterea Mundus dici potest magnum animal, vt homo dicitur Mundus paruus. Similiter redditur nota connexio partium Mundi,cum omnia per gradus sint participationes vnius, & inde oritur conspicua antipathia, & simpathia partium vniuersi. Similiter elucescit quomodo motus diurnus in Planetis, & Elementis dici debeat secundum Naturam *Motores Planetarū dupliciter considerati.* totius,supra naturam propriam,& raptus quidam eminens,& diuinus, ad quem motum omnia corpora vt partes sunt vniuersi,habent propensionem, vel saltem ei inseruiunt,vt Terra. Hinc Aristoteles in octauo Physic. 84. & in duodecimo Metaphysicæ 43.in secundo de Ortu,& interitu 56.illum appellat motum totius. Ex quo elicio

Motores

Motores cęli dupliciter posse considerari: primò vt sunt participationes quędam primi principij. Secundò, vt contradistinguuntur ab eo, & id ipsum dicendum puto de formis Elementorum. His praeassumptis, tres profero conclusiones. Prima est, Motor primus sine vllo medio mouet primum mobile motu diurno. Secunda est, Motor primus per medios motores proprios, vt eius sunt participationes, mouet cęteros orbes motu diurno. Tertia est, Motores proprij singulorum orbium, vt sunt participationes primi, mouent motu diurno suum orbem, vt verò contradistinguuntur à primo, illum mouent motu proprio & distincto. Prima conclusio ostensa est in praecedentibus: Secunda ostenditur, quia pendentia ex vno principio & seruantia cōditionem eius, debent mouere eodem modo. Intelligentiae sub prima positae, sunt huiusmodi, quare &c. Praetereà, omnis pars rectè constituta, dum consideratur vt pars, tenetur conspirare ad motum totius; motus diurnus Planetarū est pars motus totius, ideò à motoribus, vt obtinent rationem partis vniuersi, produci debet, ita redditur vera ea sententia de Deo prolata: stabilisque manens, dat cuncta moueri. Tertia conclusio satis ex dictis conspicua est, vt enim in homine facultates uariorum membrorum, quatenus sunt partes totius, conspirant ad motum totius hominis, ut uerò sunt uariae & distinctae, mouent motu uario; ita putandum est se habere in uniuerso: Nam motores sub primo, dum considerantur vt participationes primi, primumque intelligunt, cupientes ei esse, & seruari pro facultate similes, vnà cum eo mouent ab ortu in occasum. Vt verò distinguuntur à primo, & seipsos intelligunt ab eo distinctos, distinctiùs muneri & officio designatos, cupientes in suum principium redire, ab occasu in ortum reuertuntur. Insuper, quia superiores Mentes proximiores sunt primae, eiusque sunt participationes eminentiores, ideò velociùs primā sequuntur, & minor regressus in earum motu apparet, quàm in motu reliquarum. Ita puto debere intelligi, & esse veram sententiam auctoris illius, qui construxit librum de Mundo ad Alexandrum, dum dixit Deus in altissimis residens sua potestate per vniuersum effusa, mouet Solem, & Lunam. Insuper si experimur in instrumentis Musicis inuicem consonis, moto & resonante vno, moueri & resonare aliud, cur mirari debemus si in sublimi Vniuersi consonantia id ipsum eueniat, dum Musicae eius dux & Architectus pulsat chordam supremā? Rationes aduersae facilè diluuntur: nam dum dicitur Planetas a primo mobili rapi, & circumduci; vel asserendum est eam sententiam esse popularem, & falsam; vel redigendam esse ad eam, quā approbaui: quia est raptus diuinus, & producitur à proprijs motoribus, vt sunt participationes primi. Insuper quia asserebatur motum vniuersum diurnum debere produci à motore totius, dicendum est, id seruari; tum quia producitur à motoribus proprijs, vt sunt participationes motoris primi; tum insuper, quia Deus cum eis conspirat vt efficiens, quia appetibile in appetente & cognoscente seruat locum efficientis, & praesertim dum appetens pendet ex ipso appetibili: Hinc balneum in anima dicitur mouere, vt efficiens. At afferebantur verba Aristotelis in 8. Phys. 53. quo loci videtur asserere. Planetas moueri à primo mobili. Respondeo, id nobis non obesse. Primò, quia si dicimus moueri à primo mobili, id intelligi debet non vt à principali & proprio motore, sed vt à membro principali, vt dicimus à corde moueri caetera membra. Secundò, quia ea verba nō ita sunt exponenda, vt à nonnullis exponuntur, quorum expositionem retuli: sed dicendum, quod autem mouetur ab eo quidem, quod mouetur, hoc est Mundus mortalis, quia mouetur in orbem à Coelo, &c. & Elementa dicuntur motu diurno moueri à Coelo, & Planetae à primo mobili: quia considerato ordine inter partes, quae ab ortu in occasum mouentur, motus ille primò competit supremo orbi, secundò, orbibus Planetarum, tertiò, Mundo mortali: Et de his hactenus.

*Conclusio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Ostēditur secunda cō clusio.* *Ostēditur tertia.* *Auctor libri de Mundo.* *Diluūtur rōnes aduersae.* *Explicatio sententiae Arist. in 8. Physic.*

## *De modo, quo Deus extrinsecus operatur ex sententia Aristotelis, opinio Theologorum.* *Cap. XXI.*

*Ordo seruandus.*

VT fructus nostrę religionis vberiores appareāt, clariusq; refulgeat, quā fallax sit humana ratio, supero Lumine restituta; de modo operandi Dei ex sentētia Peripateticorum verba faciam. Qua de re vt distinctè loquar, referam primò & comprobabo veriorē sn̄iam. Patefaciam secundò sententiam Peripateticorum, putantium Deum mouere cum quadam naturæ necessitate. Considerabo tertiò, qualis sit ea necessitas. Quartò diluam rationes aduersas. Demùm breuibus colligam, cui opinioni constanter adhętere debeamus. Placeat Deo in sui cognitionē, Mentē dirigere, directam illustrare, illustratamq; perficere. Ordiens igitur à primo, Theologi diuino lumine illustrati, duplex actionum genus tribuunt Deo; vnum internum, alterum externum.

*Actio Dei duplex.*

Actio interna antecedit, quę ob duplicem terminum actionum Dei, duplex est: nam terminus vnus est essentia Diuina, cōmunicanda Filio, & Spiritui sancto. Terminus alter est essentia rerum creandarum. Erga primū terminum consideratur hic ordo. Primò essentia Dei immensa, tanquam obiectum adæquatum se noscendam offert Diuinæ Menti, quæ per metaphoram dicta oblatio & motio, est per naturam, & necessaria, vt obiectum quodlibet per naturam mouet eam facultatem, cui respondet: hanc oblationem & cognitionem adęquati obiecti sequitur actio interna erga primum terminū, hoc est communicatio Diuinę essentiæ. Ita Pater generat filium, & ambo simul spirant Spiritū sanctum; Quæ actio cum sit cum cognitione, est cum voluntate, cui tamen iuncta est necessitas. Mox erga secūdum terminum cōsideratur hic ordo. Primò essentia Dei, quæ est in omnibus personis, Patre, Filio, & Spiritusancto, oblata Diuinæ Menti, simplici & eminenti cognitione appræhenditur, tanquam includens Ideas siue Intelligibilia cūcta apta creari, quę oblatio naturalis & necessaria est, & hoc obiectum includit cuncta, & absolutè est vniuersum. Secundò voluntas vult, & ea statuit creanda, quæ Dei Mens eminentissimo consilio esse creanda iudicat. Et in hoc signo, primò refulget cōtingentia, prodiens ex eminentissima libertate Dei cum prędefinitione à diuino cōsilio & voluntate, ac ita Deus id omne esse futurum cognoscit, quod ab eo prædefinitum est. Demùm sequitur productio externa, quæ vt prodit ex principio libero, liberè prędefiniente, & contingenter extrinsecùs operante, ita libera & cōtingens est solùm includens necessitatem ex suppositione: nam quia Deus ita ab ęterno p̄definiuit, necesse est ita effici. In his apparet primò sublimis & admirabilis ordo; in principio enim nempè in obiecti oblatione residet necessitas; in Medio, hoc est in communicatione diuinæ essentiæ, residet necessitas cum voluntate iuncta; in fine hoc est in prædefinitione & creatione, refulget libertas & contingentia. Insuper, elicitur duplex obiectum Diuinæ Mentis, vnum adæquatum, alterum prædefinitum. Similiter elicitur duplex genus Idearū, vnum absolutū, alterum prędefinitarum tantum. Demùm refulget duplex spiritale vniuersum, vnum absolutè, & est essentia Dei; alterum est exemplar & prædefinitio Mundi creandi, qui Mūdus creandus tantum abest quòd sit vniuersum, vt absolutè vniuersum nullam includat rationem, finiti enim ad infinitum nulla est ratio. Hæc lucidè & procul à mendacio nota sunt Theologis nostris; quorum decretis constanter adhęreo, Ex aduerso; Philosophi quædam horum apprehendere valuerunt, alia minimè. Nam primò duplex illud actionis genus externum & internum Academici & Peripatetici libentissimè concesserunt, non tamen eodem modo: Academici magis cum Theologis consentientes; quia cum Pythagora id cum Ideis fieri affirmarunt. Peripatetici Ideas renuerunt: Insuper consenserunt quatenus adæquatum obiectum Diuinæ Mentis putarunt esse ipsammet eius essentiam, & oblationem illam, suique iudicium, putarunt esse per naturam, & cum

*Duplex obiectum diuinę Mentis.*

*Duplex genus Idearum.*

*Sententia Philosophorum.*

*Academici consentiunt cum Theologis.*

necessitate. Demùm consenserunt, quatenus Dei actionem aliqua ex parte cum voluntate iunctã affirmarunt. Ex aduerso tamen, dissenserunt primò, & præsertim, quia attinentia ad primum terminum diuinæ actionis, nempè ad Diuinam essentiam cõmunicandam attingere non valuerunt. Et quamuis Io. Picus, Mars. Augus. Steuchus, & alij viri celebres, conati sint patefacere Platonem ea saltem adumbratè inspexisse per Deum denotando patrem, per Mentem Filium, per animam Spiritum sanctũ, in quæ tria in Epistolis dixit Plato effundi diuinitatem, tamẽ re vera longè abfuit à notitia Diuinæ Trinitatis, vt alibi latè patefeci. Similiter etiam loquendo de attinentibus ad secundũ terminũ, nempe ad essentiam rerum creandarum, non parũ dissenserunt: Philosophi enim creationem nõ nouerunt. Ideas autem vel renuerunt, vt Aris. vel eas secùs approbarunt ac Theologi: nam Plato vnà cum Pythagora, Ideas in prædefinitas & non prędefinitas non distinxit, sed omnes censuit ità esse prędefinitas, vt singulis aliquid extrinsecus respondere deberet. Insuper quamuis nouerint Deũ operari per voluntatem, tamen cum ea putarunt iunctã esse necessitatem & extrinsecùs necessariò operari, nam inquiunt Academici genus Idearum primò per naturã offerri Diuinæ Menti, & quoniã id, quod offertur, est bonum, & iudicatur vt bonũ, & quę sunt bona Pater Mũdi vult, & quę vult põt, ideò necessariò producit, dũ enim scientia, voluntas, & potestas, conspirant; necessariò sequitur actio. Arist. autem Mũdum negat genitum, & à Deo solùm putat effici motũ primum, adeò, vt cõsiderare ex sententia Arist. quomodo Deus extrinsecus operetur, idem sit, ac considerare quomodo moueat: putat autem mouere pro facultate & cum quadam naturæ necessitate, adeò vt ex sententia Philosophorum minimè diuidi possit facultas Dei, eiusque operandi modus, per absolutum & ordinatum, qui absoluitur per causas secundas, vt rectè diuiditur à Theologis, sed semper sua vniuersa facultate operetur. Ex his patet, ꝙ quicunque ex sententia Aris. inficiatur Deum efficere motum primum, illi nullam externã actionem derelinquunt Deo, nec ambiguitati locum amplius derelinquunt, quomodo ex eius sententia extrinsecus operetur. At de varietate opinionum hæc satis.

*Dissentiunt.* *Io. Picus.* *Platonis sententia.* *Opinio Aristotelis.*

## *Rationes, quòd Deus liberè & contingenter extrinsecùs operetur. Cap. XXII.*

EXistimarunt nonnulli rõnibus ex Peripateticorum principijs deductis ostendi posse Deum extrinsecùs liberè & cõtingenter operari, quibus vsi sunt D. Th. 2. contra Gen. c. 23. Scot. 1. Sent. dist. 8. q. 5. & alij viri celebres, quarum ego potiores referam: & primo, agenti primo & prętantissimo, ille agendi modus est tribuẽdus, qui est primus & prętantissimus: Deus est agens primũ & prętantissimũ; quare &c. modus autẽ agendi prętantissimus est modus operãdi cõtingenter & liberè, quod ostenditur: quia in homine actiones contingentes & liberæ longè præstant actionibus necessariis, & secundũ naturã. Pręterea, id genus operandi competit Deo, quod est Dux & Princeps cęterorum, at genus operandi liberè & cõtingenter est huiusmodi, qđ patet in homine, in quo eo operandi genere dirigũtur, & corrigũtur alia. Confirmatur: quia huiusmodi operandi genus absolutè denotat perfectionẽ, sequitur enim Mentem & voluntatem, quare non est remouendũ a Deo. Prætereà agens ꝑ naturã, ad vnum solum per se definitum & contractum est: Ex Deo autẽ non vnum solum ex se pendet, sed varia & opposita. Insuper Scotus rationes formans pro absoluta veritate, ita argumentatur, Deus est ens simpliciter, & ex se perfectè necessarium, igitur non potest non esse, & quouis alio ab eo distincto non existente, adhuc nõ potest non esse, at si ad primum effectum necessariò refertur, & per naturam necessariò illud efficit, eo non existente, Deus nõ esset, ac ita ex se necessarium, nõ esset ex se necessarium, & Deus nõ esset Deus, quia non seruaret conditionem suam. Confirmatur: quia si Deus necessariò vellet creaturas, non posset eas non uelle, & quia in Deo

*Deũ ex sẽtẽtia Aristo. extrinsecus operari liberè.* *Ratio prima.* *Ratio secunda.* *Confirmatio.* *Tertia.* *Quarta.* *Scotus.* *Confirmatio.*

esse & velle sunt idem, dempto quòd velit creaturas, demitur esse Dei, & ita non esset
*Quinta. Rabbi Mosseus.* ens absolutè, perfectè, & per se necessarium. Præterea, argumentatur Rabbi Mosseus Aegyptius lib. 2. ca. 10. quia si Mundus ex Deo penderet; non vt prædefiniuit congruere Mundo, sed necessitate Naturę, nulla posset assignari ratio, cur cœlestium orbium, nonnulli velociùs, alij tardiùs mouerentur, quidam ab Ortu ad Occasum, alij econtrario. Similiter nulla posset assignari ratio, cur in octaua sphæra, innumerus refulgeat Stellarum numerus, in alijs verò singulæ in singulis, & cur hę semper sub Zodiaco reuoluerentur, & modò necterentur, modò inuicem essent oppositæ, & aliorũ
*Conclusio.* huius generis plurimorum. Colligamus itaq;, cum Natura operetur propter finem, & cuncta in suum finem congruenter sint disposita, hoc nobis manifestã reddere Dei Prouidentiam. Prouidentia autem in agente, prædefinitionem exposcit, prędefinitio verò cognitionem, libertatem, & cõtingentiam. Insuper, argumentabatur Algaz. re-
*Sexta. Algazel.* ferente Auer. in 11. dispu. dub. 1. Deus est agens cũ cognitione, & per cognitionẽ, igitur si coactus operaretur, id efficeret, quod cognoscit; at cognoscit opposita, igitur simul efficeret opposita; & nedum primũ mobile ab Ortu reuolueret in Occasum, sed
*Scotus.* etiam vice versa, ab Occasu in Ortum. Consimili etiam rõne vtitur Scotus inquiẽs: si necessariò operaretur, ageret, quod potest; at potest quęcunque fiunt ab alijs, cum
*Septima.* eminenter ea cõtineat, igitur ea cuncta efficeret. Pręterea, nisi Deus liberè & contingenter extrinsecùs operaretur, Deus nõ esset orandus, veluti non oramus ignem, ne calefaciat, id autem cùm naturali instinctui, tùm Simplicio, & Alexandro conspicuè aduersatur: nam per instinctum naturæ in Cœlum vertimur, Deumq; supplices de-
*Alexãder* precamur. Quod attinet ad Alexandrũ: ipse in Epilogo libri de Fato, inquit à Deo petenda esse beneficia, quoniam ei & dandi ea, & nõ dandi, facultas competit. Simili-
*Simplicius.* ter Simplicius in Epict. inquit, hominem, rectè institutum, teneri deprecari Deũ. Insuper lucidiùs in 6. Phys. exponens cont. 15. ait: rectè dubitat Alexander, quomodo in Cœlo, quod mouetur in orbem, motus valeat esse velocior, & tardior? & primum quidem leuiter soluit, inquiens: nõ dixisse Arist. idem moueri velociùs & tardiùs, sed posse moueri, quod cõpetit etiam Cœlo, nam cum ex se moueatur, nulla ducitur necessitate, nec ab vllo prohibetur ne secus etiam moueatur, nam nec boni bona faciũt coacti, etiam si semper ea faciant, sed in eorum facultate est etiam opposita efficere. At oportebat, vt existimo mẽte repetere, primùm quidẽ bonos prędi tos esse facultate cõtrariorum, quę etiam aliquando efficiunt: cęlestia autem & ęterna, quomodo donata fuerint facultate, quæ nunquã prodiret ad actum? Insuper duplex est necessitas, vna diuinior, qua necesse est Deum esse bonum: altera, violenta, qua coguntur improbi à legibus, ne peccent. Similiter facultas duplex est, vna perfecta, altera imperfecta, cœlestia prædita sunt necessitate diuiniore, & voluntate ad bonum definita, ab omni dubia facultate immuni, &c. Ita Simplicius ex sententia Alexandri, patefacit Deũ extrinsecùs, liberè, & contingenter agere. ex sententia autem propria operari liberè, libertate tamen definita ad vnum, ut etiam aiunt nostri Theologi, quòd cui parti ab initio Angeli adhæserunt, ab ea nunquam recedant. Insuper Arist. in 4. Topic. cap. 5.
*Aristoteles.* loco 73. inquit. Potest enim & Deus, & studiosus praua agere, nec ob id sunt praui: at
*Octaua.* si Deus ualet praua agere, & non agit, cõtingenter extrinsecùs operatur. Præterea, homo liberè, & cõtingenter agit, igitur & Deus; deducitur consequutio, primò, quia si causa secunda esset libera, & non prima, ea posset operari sine prima, nam cum sit libera, poterit id efficere, pro quo non cõduceret prima causa, sed pro opposito: consequens esse absurdum patet ex 8. Physic. Insuper, tunc ad libitum secundæ causæ, prima ad agendum compelleretur, adeò quòd prima causa secundæ subijceretur. Præterea, tunc secunda causa inanem redderet actionem necessariam primæ causę, quoniam sua libertate nolens operari posset uitare actionem primę. Hine in uniuerso inspicimus res, quo sunt sublimiores, eo esse liberiores, quare Deũ, Principẽ principiũ; maximè omnium putare debemus liberũ, & ad libitum ea agere, quæ agenda iudicat.

Insuper cum Alexander putet Mentem agẽtem esse Deum,& cogitationes hominibus impartiri,quia homo ad libitum & contingenter intelligit,Deus quoque ex eius sententia cogitationes contingenter impartietur,Platonem quoque huius fuisse sententiæ,varia nobis indicant, & præsertim, quia se dubium patefacit de tempore,quo Diuina Mens Mundum produxit,& quia Deo curam Mundi exactissimam tribuit,ac insuper iudicia animarum,& de Parcis ait exequi ea,quæ eminenti ratione Mens esse agenda decreuit. Id ipsum Orpheus visus est sensisse, qui de summo Ioue loquens, ait:Cum absoluisset omnia deinde in lumen gratum emisit, ex sacro corde cogitata, & mirabilia agens. Proclus quoque ex oraculis Caldęorum refert ratione, voluntateque diuina disponi Mundum. Operatur itaque Deus, ex Philosophorum sententia,extrinsecùs,liberè,& contingenter,alioquin cum sit immẽsi roboris, nullum posset assignari tempus,in quo moueret.

*Plato.* *Orpheus.* *Proclus.*

## *Aristotelem putaße Deum extrinsecùs necessariò non autem contingenter operari.* Cap. XXIII.

QVoniam nobis proposita est quæstio, non de absoluta veritate, sed de opinione Aristotelis,ideò exactè eius Principia perpendens;vnà cum Scoto in primo Sent. dist.8.q.5. alijsque præclaris Peripateticis asserendum puto, Aristotelem existimasse Deum extrinsecùs operari cũ quadam naturæ necessitate:quod ostendo,& primo.Quale est mediũ, per quod Philosophus eleuatur in cognitionem modi operandi Dei, talis debet iudicari modus, quo colligit eum operari: at medium est operatio secundum naturã;quare & modus,quo colligitur operari,debet iudicari secundum naturã. Maior est cõspicua,quia conclusio debet respondere medio,ex quo colligitur. Minor ostenditur:nam medium est motus Cęli,ordo rerum,& generatio Physica, quæ cum sint consimilia,semper eodem modo se habentia per naturam iudicantur facta. Confirmatur:quia motus Cęli ab Aristotele in primo de Cęlo,ita naturalis dicitur, & ità iudicatur patefacere naturam cęli,vt ille quatuor Elementorum patefacit naturã eorum.Hinc Aristoteles primo Cęli.32.inquit, Deũ & naturam nil agere frustrà, indicans ea conspirare ad agendum,& propterea consimiliter operari. Præterea,quemad modum ex sentẽtia Aristotelis duodecimo Metaphysicę 30. & 48. si qua intelligẽtia non moueret,esset frustrà,ita nisi pro facultate moueret,secũdum eam facultatis partem,per quam nõ moueret,iudicaretur frustrà, & esset minus rectè disposita,vt enim totum se habet ad totum,ita pars ad partem. Præterea, id agens, quod efficit vnum, & valet eius oppositum efficere, eget aliquo externo, per quod contrahatur ad illud agendum,quod Deo competere non potest. Hinc Aristoteles in 8.Phys.formans primam ostensionem pro æternitate motus,patefacit;quòd si agens æternum prius non mouet,mox incipit mouere,præcurrere debet motio aliqua,per quam ex potentia remota redigatur ad proximam, quare similiter si agit vnum & non alterum, vt alterũ efficiat,præcurrere debet motio aliqua,hæc non deberet præcurrere,si Deus extrinsecùs,liberè,& contingenter operaretur. Pręterea,nisi Deus pro facultate operaretur, non valeret Philosophus per eius actionem cognoscere cõditionem,& vires,eius,sed solùm eius voluntatẽ,veluti si inspicimus duos deambulantes homines,non valemus eorum vires iudicare,nisi pro facultate currant, quare cum Aristoteles per motum iudicet vires motorum Cęli,cogitur supponere Deum pro viribus mouere. Hoc conspicuè indicauit Arist.12.Metaph.30.inquiens,primum Principium debere esse efficiens,& mouens,non ita,vt ei competat potẽtia;sed vt sit sui essentia actio.Pręterea, Deus est ipsum necesse esse,& nulla enũciatio est verior hac,Deus est,12.Metap.38. cũ itaq; in Deo modus operandi respondeat modo essendi;& modus essendi sit absoluta necessitas;modus quoq; operãdi à Philosopho iudicatur talis,ideò Emp.cecinit:

*Deũ operari extrinsecùs necessariò.* *Ratio prima.* *Confirmatio.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Aristoteles* *Quinta.*

*Est necessitas Deorum signum vetus,*
*Aeternum, amplo iureiurando suo robore stans.*

*Sexta.* Prætereà, opera Naturæ dicuntur opera Dei; subordinatur enim Natura Deo, at opera Naturæ necessitatem habent antecedentem, & non fiunt contingenter ab agente; quare opera Dei necessariò fiunt; & non contingenter. *Confirmatio.* Confirmatur: quia dicere ordinatum operari necessariò, & ordinantem liberè, & contingenter, est pugnantia proferre: veluti pugnat dicere, calamum scribere secundum necessitatem suæ naturæ, & vtentem calamo id facere liberè: nam si id esset, nō valerent scribens secus ducere calamum, ac natura calami exposceret, & ita dirigens liberum, non esset liberum.

*Septima.* Prætereà, si ex Deo liberè opposita prodirent, esset necesse, vt ea prænosceret: at ex sententia Aristotelis duodecimo Metaphysicæ 51. melius est Principi non videre multa, quam videre.

*Octaua.* Insuper, vtor ratione Aristotelis in octauo Physic. 36. Si Deus extrinsecùs contingenter ageret, posset non mouere, & non agere: ponamus, quòd non moueat, supposito possibili, non sequitur impossibile: at si Deus non mouet, non erit motus vllus, nec Mundus: quod nedum est falsum, verùm insuper ex sententia Aristotelis penitùs impossibile.

*Nona.* Insuper, cum Motus & Mundus necessariò sint æterna, vt putat Philosophus, & ex altera parte pendant ex Deo contingenter, adeò vt possint nō fieri, & non pendere, simul poterunt esse infinito tempore & non esse, redigentur hæ potentiæ ad actum, simul infinito tempore erunt, & non erunt, quod penitùs est absurdum. Hac ratione vtitur Aristoteles in primo de cœlo, contra Plat. & si solueretur à putantibus Deum operari contingenter, similiter solueretur à Platone.

*Decima.* Prætereà, vtor ratione Scoti in primo Sent. dist. 8. q. 5. Id competit Deo, quod includit maiorē perfectionem; at in omni differentia Entis; necessitas præfertur contingentiæ; igitur Deus necessariò cogit; Quòd necessitas præstet, patet de Deo, qui est ipsum necesse esse, summè distans à contingentia. Quare in omni differentia causæ & modi operandi, necessarium præstabit contingenti.

*Vndecima.* Prætereà, si Deus extrinsecùs solùm contingenter ageret, non esset cunctorum opifex, ita enim cuncta extra Deum essent contingentia, vt Aristoteles extra Deum etiam varia reperiri iudicat, quæ absolutè nuncupat necessaria.

*Duodecima.* Demùm, datur in vniuerso causa aliqua necessariò operans: igitur causa prima necessariò operatur; deducitur consequutio, quia in essentialiter ordinatis, posterius non valet esse præditum necessitate, nisi prius eam includat. Potest in vniuerso seruari lapsus ex necessario in contingens, at non progressus ex contingente in necessarium, cum necessarium sit eminentioris gradus & facultatis.

*Auctoritas.* Insuper, eandem sententiam per varia Aristotelis verba confirmo, & primò legitur 9. Metaphysicæ 17. non esse timendum Cœlum quiescere: at si Deus contingenter moueret, timendum esset, vt re vera quiesceret ex sententia nostrorum Theologorum. Insuper legitur in tertio Physic. 32. in æternis esse & posse non distingui: quæ sententia falsa est, supposito, Deum operari contingenter. Hinc rectè aiunt nostri Theologi, multas species Deum valuisse creare, quas non creauit. Prætereà, in secundo Physic. 73. legitur, duplicia esse Principia mouentia Physicè; quorum alterum non est Physicum. Sermo est de separatis motoribus, & dicitur eos mouere Physicè, non autem attinere ab Physicum. Mouere Physicè, est mouere necessariò, & pro facultate. Insuper legitur in 8. Physic. 52. manente primo, nempe Deo, necessariò manere binæ, quod continuatur cum eo, hoc est vniuersum: at si Deus extrinsecùs operaretur contingenter, id non esset necessarium. Demùm inquit Aristoteles in 8. Physic. 79. Si primus motor esset in magnitudine, nullum posset assignari tempus, in quo moueret: quæ consecutio esset inanis, nisi supponeretur Deum extrinsecùs non ad libitū, sed necessariò, & pro facultate operari.

*Conclusio.* Colligamus itaque cum Auicenna, Alberto, Scoto, & alijs plurimis viris præclaris, Deum ex sententia Aristotelis extrinsecùs operari pro facultate, & cum quadam Naturæ necessitate, ac ita eminentissimam patefacere liberalitatem, cum munificentissimè ea munera effundat, quæ effundere valet.

De

## *De modo, quo Deus necessariò operatur, & qua sit ratio eius necessitatis.* Cap. XXIIII.

Apparuit ex sententia Aristotelis Deum extrinsecùs necessariò operari: at duo supersunt explicanda, vnum est, qualis sit ea necessitas, alterum, quæ sit ratio eius necessitatis. Ordiens à primo, vt pateat, qua necessitate Deus moueat, distinctio necessitatis præaccipienda est. Necessarium est duplex, vnum coactum & violentum, alterum non coactum; primum non competit Deo, nō enim id Principiū ex quo cuncta pendent, & quod cæteris dominatur, valet cogi. Insuper necessarium nō coactum est duplex, vel enim est seiunctum à cognitione, vel cum ea est iunctum; primū non competit Deo, est enim Mens eminentissima, operans per cognitionem & volūtatē, vt elicitur ex duodecimo Metaphysicæ. Mouet itaque Deus necessitate non coacta, & cum cognitione iuncta: quæ duo dum conspirant ad agendum, altero duorum modorum necti possunt: vel enim necessitas antecedit, & sequitur voluntas, vt in eis, qui libenter moriuntur; vel vice versa. Quomodo nectantur in Deo dubiū est, & tres circumferuntur opiniones.

*Qualis sit necessitas, qua Deus ex sententia Arist. operatur.*

*Diuisio necessarij.*

Quidam aiunt antecedere necessitatem; cognitionem autem & voluntatē comitari, vt in cōmunicatione diuinæ essentiæ ex sententia Theologorum. Similiter si Sol cognosceret, diceretur sui natura effundere radios, cognitione tamen & voluntate comitante. Alij ex aduerso inquiunt cognitionem & voluntatem antecedere, sequi autem necessitatem: & hi diuisi sunt in partes duas, nōnulli rectè sentientes, aiunt, sequi id, quod solùm ex suppositione est necessarium; absolutè autem est contingens, & valuisset secùs per liberam voluntatem prædefiniri, vt inquiunt Theologi. Vel est necessarium absolutè, vt Academici existimant, dicentes, cum Deus sit ipsum bonum, & nulla detineatur inuidia, noscens quæcunque potest esse bona vult omne, quod potest. Harum trium opinionum iam apparuit eam Theologorum absolutè esse veram, at non esse consentaneam Principijs Peripateticorum: ideò considerandum superest, quę reliquorum ab Aristotele fuerit approbata; num scilicet voluntas antecedat, vel necessitas. Si voluntas antecedit, hic erit ordo. Prima erit potentia, quæ est essentia Dei. Secunda scientia. Tertia voluntas oīa quodcunq; potest. Quarta necessitas ea efficiendi.

*Quid antecedat, nū voluntas, vel necessitas?*

*Opinio prima.*

*Secunda.*

*Theologi.*

*Academici.*

At si antecedit necessitas, hic erit ordo. Prima erit essentia Dei siue potentia, quæ est ipsum bonum fœcundissimum. Quam conditionem sequetur necessitas ea efficiendi, quæ potest. Succedet tertiò cognitio & voluntas ei consentiens. Rationes sunt pro vtraque parte: Nam quod antecedat voluntas, ostenditur: quia Deus à Peripateticis dicitur agens per cognitionem & voluntatē, & actio prodiens ex cognitione, & voluntate, præstantior est ea, quæ ex necessitate propriæ naturæ proficiscitur, vt redditur notum consideranti humanas actiones. Nam si dicimus aliquem velle mori, cum voluntas sequatur necessitatem, exiguam patefacimus perfectionem. Ex aduerso, necessitas videtur antecedere. Primò, quia Deus cum sit ipsum bonum, necessariò vult bonum, & nō potest id nolle, quare necessitas sequitur conditionem eius, voluntas verò necessitatem. Et confirmatur, quia dempta per imaginationem cognitione & voluntate, & seruata fœcunditate naturę eius, adhuc necessariò operabitur, vt patet exemplo Solis illustrantis, at dempta necessitate, fœcunditatem sequente, non seruatur voluntas ea constans & firma.

*Ordo, si voluntas antecedit.*

*Ordo, si antecedit necessitas.*

*Quod antecedat voluntas.*

*Quod antecedat necessitas.*

Res itaque, satis est dubia, & pro vtraque parte probabilis. Puto tamen, ex sententia Aristotelis dicendum, necessitatem antecedere, tanquam propensionem sequentem potentiam & conditionem essentiæ Dei, voluntatem verò sequi, ita tamen, vt vnum non sit causa alterius, sed solùm sint subordinata. Nam primò necessarium non est causa voluntatis, alioquin esset coacta, sed voluntas prodit ex cognitione & iudicio boni, vt bonum est, cū

*Opinio propria.*

eius approbatione. Similiter voluntas non est causa necessitatis, quia dempta voluntate, (vt patuit) adhuc actio seruatur necessaria. Cum itaque vnum non sit causa alterius, & sint connexa, putandum est ambo ex boni fonte tanquã duplicem riuulum, duplicemque prolem manare. Et quamuis vna non sit causa alterius, necessitas tamen ex sententia Aristotelis antecedit, quatenus est communior, & pauciora præsupponit: voluntas enim præsupponit cognitionem, non autem necessitas emanationis, & cum sint iunctæ, vna denominatur per alteram, dicitur enim voluntas necessaria, & necessitas voluntaria, & se habet de his, vt de instinctu naturæ, iuncto cum cognitione: antecedit instinctus, cognitio autem sequitur & complet operam. Et confirmatur: quia vt natura & essentia rei antecedit cognitionem & voluntatem, ita necessitas naturam rei, & conditionem sequens antecedit iudicium & approbationem, per voluntatem.

*Confirmatio.*

*Diluūtur rationes.*

Rationes, quas retuli pro vtraque parte, facilè diluūtur. Dicebatur primò, voluntatem antecedere, quia Deus dicitur agens per cognitionem & voluntatem, & huiusmodi agendi modus est præstantior. Respondeo, voluntatem esse principium magis proprium actionis, & cum sequatur, tribuit ei maiorem perfectionem: At non ob id est prior origine, neque est causa necessitatis. Addebatur cognitionem, & voluntatem esse actiones internas, quæ sunt principia externarum? Respondeo, etiã necessitatem sequentem fœcũditatem boni, esse internam, & ideò posse primò sequi bonum, mox voluntatem, per mediam cognitionem. Rationes pro parte necessitatis id solùm patefaciunt, quod dixi, necessitatem esse latiorem, pauciora præsupponere, & modo aliquo priorem origine, non autem ob id esse causam voluntatis. Ex his elicitur solutio alterius difficultatis: Nam quæritur, quęnam sit ratio & causa necessitatis? Nonnulli id tribuũt immobilitati Dei, quia enim est immobilis, ideò immobiliter & necessariò semper idẽ vult, & agit. Quæ sententia est dubia: quia immobilitas est causa vt consimiliter & semper moueat, non autẽ vt necessariò, & pro facultate; Qđ patet: quia Theologi rectè sentiẽtes, Deũ noscũt immobilẽ, & nõ ob id tamen necessariò & pro facultate extrinsecus operari. Proptereà dicamus, operari necessariò, esse affectionem quandam, sequentem naturam & conditionem Dei: cõditiones Dei sunt, ipsa absoluta necessitas, ipsum bonum, & actus purus; ex qua cõditione pedit, vt necessariò semper agat id omne bonum, quod potest, quam propensionem comitatur eminentissima ratio, & voluntas, ob quorum conspirationem, Deus dicitur Peripateticis extrinsecus necessariò cum voluntate & liberè, operari.

*Quę sit cã necessitatis.*

*Sententia propria.*

## Ex declaratis nonnulla vtilia cognitu eliciuntur. Cap. XXV.

*Primum quod colligitur.*

Ex declaratis de modo operandi Dei ex sententia Peripateticorũ quinque cognitu vtilia colligere valemus. Primum est, in Deo necessitatẽ non euertere cognitionem, non pugnare cum voluntate, nec euertere libertatem, sed simul eminẽtissimè seruari, & se mutuò perficere: Nã Deus vt bonus, effundit munera; vt eminentissimè cognoscens, iudicat effundenda; vt simul bonus, & iudicans, vult id, quod bonum est. Et quoniam est sui essentia actio, & bonum est propria ratio eius, non potest non effundere, & velle bonum, veluti si Iustitia esset conditio hominis, non posset nisi iustè agere. Agit itaque Deus necessariò, & liberè; Ideò rectè dixit Plotinus En. 6. libro 8. cap. 12. Deus non necessitate compræhenditur, sed est necessitas, & Lex omnium aliorum: Et rectiùs dicitur suaptè natura Libertas, quàm suæ naturæ dominus. Collige secundò, de modo operandi Dei, ob eius eminentiam, hæc tria, quæ in mortalibus inuicem pugnant, eminentissimè necti, & in vnum conspirare, nempè, Deum agere per Naturã, per voluntatem, & neutro modo. Quomodo operetur per voluntatem, iam patuit.

*Plotinus.*

*Alterum quod colligitur.*

Dicitur

Dicitur autem operari per naturam, triplici ratione. Primò, quia modus ille operandi, sequitur naturam & conditionem Dei. Secundo, quia eminenter includit conditiones agentis per naturam, cum pro viribus & consimiliter operetur. Tertiò, quia motus eius est Physicus, respondens propensioni orbis. Insuper Deus nec per naturam, nec per voluntatem mouere dicebatur: quod verum est, quatenus non vt mortalia operatur per naturam seiunctam à cognitione, & voluntate, nec per voluntatem inconstantem & indefinitam. Hinc Auerroes in vndecima disp. contra Algaz. in sol. primi dubij, dixit: aiunt Peripatetici, ea quæ sunt, procedere à Deo modo eminentiore, quàm sit Natura, & quàm humana voluntas. Et Plotinus En. 6. lib. 8. cap. 21. scriptum reliquit: non ita in Deo voluntatem vsurpari, vt opposita valeat, sed quoniam constanti & immutabili fruitur potestate, quæ maximè est potestas, cum ab eo quod est vnum, nullo modo digrediatur, nam opposita posse, infirmitatis est conditio, non valentis in optimo permanere. Colligo tertiò, modum operandi Dei procul ab omni imperfectione eminentissimè includere perfectionem omnem cæterorum modorum: nam includit perfectionem operandi per naturam, quia pro facultate, & consimiliter operatur: includit perfectionem operantis liberè, quatenus est cum cognitione, & voluntate, experte penitùs deceptionis & inconstantiæ. Colligo quartò, per modum operandi Dei, non euerti eminentem Prouidentiam in vniuerso refulgentem, & directionem cunctorum in suum finem, sed lucidissimè seruari. Cum enim cuncta fluant ex bono, cum cognitione, eminenti ratione, & voluntate; iure cuncta seruant conditionem boni, quærunt bonum vt parentem, & ordinantur in illud, cuius munere sunt, seruantur, operantur, & perficiuntur. Demùm colligo, modum operandi Dei, esse exemplar eminentissimum modi operandi Naturæ, & hominis: Cum enim homo & Natura pro facultate emulentur modum operandi Dei, quoniam id omni ex parte assequi non valent, assequuntur pro ea parte, quæ conditioni eorum est consentanea: Natura pro parte necessitatis, homo verò pro parte libertatis.

*Auerroes.*

*Plotinus.*

*Tertium quod colligitur.*

*Quartum quod colligitur.*

*Quintum quod colligitur.*

## *Diluuntur aduersæ rationes.* Cap. XXVI.

Explicata Aristotelis opinione, facilè modò est per eiusdem principia aduersis rationibus respondere. Dicebatur primò, Deo competere modum operandi eminentissimum, quam Maiorem concedunt omnes: At Peripatetici reflectendo rationem, pro Minore addunt modum supra explicatum eminentissimum esse. Dicebatur secundò, modum illum operandi conuenire Deo, qui est dux & regula cæterorum modorum; quã rõem similiter reflectentes Peripatetici, pro Minore addunt, modum operãdi declaratum esse huiusmodi, apparuit enim quod est exemplar cæterorum modorũ, eminenter includens eorum perfectiones. Instabatur tertiò, quia modus operãdi per necessitatem naturæ, ad vnam partem est contractus; Quæ ratio similiter reflectitur: quia si modus pro vna parte definitus seruat conditionem agentis secundũ necessitatem Naturæ, & modus operandi Dei est semper consimilis & pro vna parte definitus, iure dicitur seruare conditionem agentis secundũ naturam, nam Deus ex sententia Aristotelis extrinsecùs & proximè nil præter motum diurnum efficit, per quẽ, vt per commune instrumentum, cuncta seruat. Afferebatur quartò ratio Scoti: quia Deus est ipsum necesse esse, &c. quare dempto quouis alio, adhuc est necesse Deum esse, conceditur hoc ab Aristotele vt patet ex duodecimo Metaphysicæ 38. At reflectitur ratio: quia necessariò operari, est affectio sequens Dei conditionem; affectio autem non distinguitur à fundamento: quare vt fundamentum, ita affectio includit necessitatem. Insuper Deus est actus purus, sui essentia actio, & ipsum bonum, cuius conditio est summa foecunditas, propterea nisi pro facultate operaretur, priuaretur conditione

*Diluitur prima ratio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

conditione sua. Dico tamen, quòd imaginatione ablato Mundo, & motu, adhuc seruaretur Deus: quia est prior, & non pendet ex alio. Veluti etiam ex se considerari potest fundamentum externę relationis, & absoluta Dei essentia, non considerata relatione, vt homo nō considerata risibilitate, lucidum non cōsideratis externis radijs, & fons non consideratis riuulis: quamuis hęc omnia ex suo principio necessariò fluāt. Ex quo patet, quòd quamuis Mundus & motus necessariò sequuntur Deum non tamen ita sunt necessaria, vt Deus: quia Deus necessitatem habet ex sui conditione, Mundus & motus ab alio; Necessarium enim est duplex, vnum sine causa, alterum cum causa, æquè autem necessaria ac Deus, est fœcunditas, & voluntas firma & constans, quæ est ipsemet Deus. At instabit aliquis. Cum Deus necessariò moueat, si motus non est, Deus non erit, quod est absurdum: nam ex minus falso, non infertur magis falsum. Quod autem Deus non sit, maximè falsum est. Respondeo per duo fundamenta; Primum est id, quod retuli; Quamuis enim Deum sequatur Mundus, & motus: tamen vt posteriora possunt imaginatione auferri, seruato priore, ita hæc, seruato Deo. Alterum est, ex minus necessariò, vt ex signo, posse inferri magis necessarium; & ex minus absurdo, magis absurdum, non autem vt ex causa: Ideò si dicimus, si motus non est, Deus non est, antecedens non includit contradictionem, igitur nec consequens. Respondeo id connexum non absolutè esse verum: quia quamuis ambo sint necessaria, Deus tamen maiorem includit necessitatem, quia eam habet ex se, ideò nō aufertur per ablationem alterius, & per minus necessarium, nisi tāquam per signum; Ita ratio Scoti ab eo pro veritate aduersus sententiam Aristotelis formata, per principia Peripateticorum, minus tamen vera, dilui posset. Afferebatur quintò ratio Rabbi Mossei, quia tunc plurimorum indifferentium ratio assignati non posset, cui per tria fundamenta respondeo. Primum est, quia ex sententia Aristotelis Deus proximè solùm efficit motum. Alterum est, quòd necessitas Deo tributa, libertatem, & voluntatem non euertit. Tertiò additur, quòd prodeuntia ex aliquo, quamuis necessariò prodeunt, seruant tamen conditionem, & vestigia naturæ eius, ex quo prodeunt. Cum itaque Deus sit vniuersum, absolutissimum, & ipsum bonum, prodeūtia ex eo, seruāt conditionem vniuersi, & boni, ac ita in secundo de Cęlo 34. enunciauit Philosophus, Mundum optimè se habere, optimè autem se habet, non quia extrinsecùs contingenter producatur, sed quia pendens ex bono, vt bonum est, seruat conditionem boni; Ita dicitur, Naturam nil facere frustrà; & de his quæ fieri possunt, id efficere, quod melius est, & Cęlum exemptum fuisse à contrario, vt esset æternum. Nam si ex genitura non cognoscente & necessariò operante, mira arte formatur fœtus, cui mirum esse debet, si ex Deo optimo Mundus pendeat optimè formatus? Instabatur sextò ab Algazele: quia Deus agit cum cognitione, quare si necessariò agit, ea cuncta ageret, quæ cognoscit, &c. Soluitur similiter hæc ratio per tria fundamenta; Primum est, quia Deus ex sententia Aristotelis se solum eminētissime seorsùm à quauis ratione oppositionis cognoscit. Alterum est, quia Deus agit cum cognitione ipsius boni, & per eius fœcunditatem, ideò id solum agit, quod bonum est. Tertiò additur, quod Deus proximè solùm mouet, cætera per motum seruat. Hinc dicere, Deum posse mala, & inordinata, est pugnantia enunciare: Addebatur septimò, quòd tunc Deus non esset orandus, dicerent Peripatetici Deum nō esse orandum, vt ipse oratione mutetur, sed vt nos congruenter paremur, animumque disponamus ad recipienda munera ab eo per naturam effusa. Ideo Simplicius in Epict. cap. 70. inquit, neque cum peccamus auertatur, aut irascitur, aut recedit à nobis Deus, nec pęnitētes respicit eorum oratiǫne placatus, humana sunt hæc, nequaquam diuinæ eminentiæ cōgruentia: sed nos errore vitiati, in id labimur, quod est præter naturam, & diuino bono dissimiles reddimur, ab eoque seiungimur; Reddimur autem familiares, dum ei per virtutes assimilamur. Hac ratione Aristoteles decimo Nicomachiorum ait: Deum esse amicum sapienti, illumque visitare, vt etiam dicimus aerem purum & perspicuum esse familiarem

*Necessarii duplex* · *Instantia* · *Solutio.* · *Diluitur ratio quinta.* · *Exemplū.* · *Diluitur ratio sexta.* · *Diluitur ratio septima.* · *Siplicius.* · *Aristoteles*

*De sententia Alexandri.*

rem Soli, & à sole visitari. Nam cum Peripatetici destituti supero lumine, absolutam veritatem inspicere non valuerint, hæc & similia probabiliter enunciarunt. At afferebatur octauo loco, auctoritas Alexandri, deprompta ex Epilogo lib. de Fato, & ex Simplicio in 6. Physic. 15. dè prima dico in Sermonibus Moralibus, & in illis præsertim, qui diriguntur ad Principes, multa dici pro institutione populorum & Principum. Insuper addo, Deo competere facultatem largiendi munera, & non largiendi: at quòd ea non largiatur, non pendet ex eo, quia nolit; sed ex pugnante dispositione recipientium: vt Soli dicitur competere facultas illuminandi, & non illuminãdi. De altera sumpta ex sexto Physic. duo profero: Primum est, non repugnare Cœlo, vt corpus est, & mobile, moueri secùs ac moueatur, quamuis id ei cõpetere nequeat, vt tale corpus est, à tali motore motum. Addo secundò, cum Simplicio eo loci, solutionem illam Alexãdri leuem esse: quia voluntas motoris est determinata, & coarctata ad vnum, & necessitate est prædita, cum ea non pugnante: & quamuis Alexander putet Mentem agentem esse Deum, non propterea existimat illum cõspirare cõtingenter ad actum intelligendi hominum, sed per naturam & necessariò. Afferebatur auctoritas ex quarto Topicorum, quòd Deus & studiosus possunt praua agere, nec ob id sunt praui. Respondeo, in Topicis innumera proferri populariter, & probabiliter. Addo secundò; Deum posse agere mala, ob deprauationem recipientium. Præterea, valet mala facere ob aduersam libertatem, at non ob necessitatem. Demùm vtitur nomine Dei latè more Platonis, pro quauis natura supra hominem posita, vt etiã alibi fecit. Præterea instabatur, Homo liberè & contingenter agit, igitur & Deus: Soluitur hæc ratio per duo fundamenta, primum est: quia necessitas Deo cõpetens eminenter libertatem includit, & cum voluntate non pugnat. Alterum est, quia actio externa Dei, nempè motus diurnus, est tanquam commune semen, vitalisque vigor, cõducens omnibus, & pro omnium actione necessarius, ac ita non sequitur causam secundam posse sine prima operari, vel ad arbitrium sui causam secundam compellere primam ad agendum, vel eam reddere inanem. Ratio, quæ à nonnullis affertur, sumpta ex immensa virtute Dei, per principia Aristotelis non cogit, quia eam nõ nouit: Insuper reflectitur: quia legitur in 8. Phy. 79. quòd si esset in magnitudine nullum posset assignari tempus, in quo moueret, quæ consequutio supponit Deum operari pro viribus. Demùm elici posset ratio ex Auer. 2. Phys. 44. dicente. Si cœli casu facti essent, cuncta fierent casu. Similiter dicam: si Deus ageret necessariò, cuncta necessariò fierent, eadem par est ratio. Soluitur: quia cõsequutio illa est vera, de causa adæquata solùm, non de cõmuni: insuper est vera per se, nempè, vt pẽdet ex necessario, uel casu facto falsa ex accidenti, vt pendet ex alio. His addo, facilè esse declinare, & in deterius labi; at eleuari ad præstantius, hoc opus & hic Labor est. De Platone non consentiunt eius asseclę, cuius fuerit opinionis, qui aiunt, illum putasse, Mundum omni ex parte æternum, tribuunt Deo modũ operandi necessariũ. Qui verò aiunt putasse definito principio tẽporis productum, inquiunt, operari extrinsecùs contingẽter. Puto ego, (vt suo loco patefeci) Platonem de tempore originis Mundi fuisse dubium, & putasse esse Problema dialecticum, & similiter fuisse dubiũ de modo operandi eius, magis tamen inclinasse in hanc partem, quod fuerit semper, & ob id operari cum quadam necessitate. Marsil. in 10. de Repu. Platonis, dixit; intellige in Deo necessitatem ita cum voluntate reciprocari, adeò, ut necessariũ sit ita esse, quia Deus ita vult esse: si quidẽ in summa diuinitatis simplicitate, non aliud est necessitas, quàm voluntas, & vbi summa bonitas, cũ summa potestate cõcurrit, ibidẽ summa libertas, cum summa necessitate conspirat, sic voluntatẽ præfert. Sententias Orphei, Procli, & aliorũ missas facio, quia vel ea enunciarunt non ut Philosophi, sed referendo deprompta ex Legibus Chaldæorum & Aegyptiorum, uel adeò per ænigmata sunt loquuti, vt nil certi protulerint.

*Ex quarto Topic.*

*Diluitur ratio octaua.*

*Ratio ex immensa virtute.*

*Ratio ex Auer. Solutio.*

*De opinione Platonis.*

## *Quid ex præcedente disputatione colligendum sit.* *Cap. XXVII.*

*Principia Theologorum.* *Principia Philosophorum.* Viæ variæ, Principiaque varia, in fines terminosque varios nos deducere apta sunt. Progrediuntur Theologi per principia absolutè prima, & necessaria, ex quibus solùm vera colliguntur. Progrediuntur Philosophi per posteriora, per opera Naturæ, quæ solas Naturæ vires nobis patefacere apta sunt. Illustrantur Theologi diuino Lumine, tenebras omnes aduersas repellente. Illustrantur Philosophi humana ratione, tanquam tenui vmbra superi Luminis, ideò facilè in mendaciorum scopulos impingunt, in errorumque foueas dilabuntur. *Quid noscere valeant Philosophi.* Noscere valent Philosophi per opera naturæ vires, & conditiones eius: propterea dum sermo est de absoluta Dei facultate, modoque operandi eius, supra Naturam eleuato, non Philosophis, sed Theologis adhibenda est fides: non enim per opera finita, vires immensas, per labentem motum, rem permanentem, & per conditiones corporum, natura constantium, conditiones incorporei Dei, nobis distinctè noscere datum est. Præterea ex vniuersa hac disputatione hoc colligi volo, nos plurimum debere Omnipotenti Deo, qui nos cum Philosophis deuiantes, dirigere, humi recumbentes, erigere, & lumine destitutos, illustrare dignatus est, cui soli honor, & Gloria.

## *De sede & loco cœlestium motorum.* *Cap. XXVIII.*

De Cœlorum motoribus hoc inter cætera studiosis animis dignum scitu, & consideratione se offert, an sint in loco, quomodo in eo sint, & quis sit locus eorum? Et iure de his agendum, cum Philosophi varia, & inuicem pugnantia enunciare videantur. Ex vna parte Aristoteles nonnunquam asserit superis motoribus locum non competere, veluti *Superis nõ competere locũ.* in primo de Cęlo cont. 100. inquiens: Quæ, ibi, (hoc est in terminis mundi) reperiuntur, non esse apta esse in loco. Et in quarto Physicorũ, solis corporibus Physicis, sub Cęlo positis, propriè locum concedit, & inficiatur corpora Mathematica esse in loco. Motores aũt Cęlorum nec sunt corpora, nec sunt extensi per corpus, nec ex eo pendent, nec corporum sunt termini, nec demùm diuisione corporum *Pro parte aduersa.* diuiduntur: & propterea nec per se, nec ex accidẽti videntur esse in loco. Ex aduerso, frequenter Aristoteles eis locũ tribuit: nam in principio quarti Physic. ait; quæ sunt, omnes existimant alicubi esse, & quæ nullibi sunt, non esse. In primo de Cœlo cont. 22. omnium consensione inquit, Cœlum esse locum Deorum, quod etiam legitur in lib. de Mundo ad Alexandrum, quo loci commendatur sententia Homeri, dicentis.

*Esse solum diuis, subnixum semper Olympum*
*Fama est, haud ventis tremefactum, haud imbribus vdum.*

In eodem primo de Cœlo, cont. 96. inquit Philosophus, in Cœlo sumpto pro octaua sphæra, collocatum esse omne diuinum. Et in octauo Physicorum 84. Motorem Vniuersi, inquit in circulo esse positum, cum in eo appareat motus velocissimus. In secundo de Cœlo, contex. 15. inquit Auerroes. Motorem esse collocatum in Oriente. Insuper Aristoteles in primo de partibus Animalium, cap. postremo, fatetur Deũ *Sententia Heracliti.* esse vbique; nam commendat sententiam Heracliti dicentis: etiam in casa furnaria, *Plato.* reperiri Deos immortales. Plato in Phędro, locum super cœlestem sublimi laude ex- *Pytagor.* tollit, & illum statuit locum diuinorum. Pythagorę tamen tribuitur, quòd putauerit *Esse in loco triplex.* Deum esse in medio Vniuersi, cùm medium videatur locus pręstantior & tutior. Res itaque est apprimè dubia: de qua, vt distinctiùs loquar, accipiẽdum primò est. Esse in loco,

locô, tripliciter vsurpari; Vel per se, & propriè, vt corpora Physica; Vel ex accidēti, et principia interna eorum, & quæ sunt in eis, ex eisque pēdent; Vel per metaphorā, similitudinem, & eminentiam. De duobus primis modis nulla est dubitatio, nam fatentur omnes rectè sentiētes, motores Cęli nullo eorū modorum esse in loco. De tertio est dubitatio. Insuper accipiendum est ex Theologorum sententia, secùs se habere de Deo, & de alijs separatis formis: nam rectè aiunt, Deum nullo circumscribi particulari loco, sed esse vbique per essentiam, potentiam, & operationem: Angelos autem proprio loco circumscribi. Aristoteles hanc differentiam nō constituit: & ratio est: quia Theologi distinctè noscunt Deum sua immensa potentia id omne sine medio efficere posse, quod efficit per causas medias, & subordinatas: & propterea vbique esse, & potius esse ipsum vbique, & cuncta esse in eo, quàm quòd ipse vbique sit; Aristoteles autem necessarium putauit pro rerum productione & cōseruatione, essentialem ordinem causarum, & Deo solùm tribuit, vt motum diurnum, quem motum totius appellat, producat. Propterea ei nō secùs ac alijs mototibus Cœli locum tribuit: & ego explicaturus sententiam Aristotelis, eam distinctionem non considerabo, sed indefinitè de loco secretorum à materia verba faciam.

*Ex senten. tia Theologorum secus se habet de Deo, ac de cæteris motorib.*

## *De modo, quo separatæ formæ sint in loco, opiniones variæ. Cap. XXIX.*

Modi proprij rerum consimiles sunt, dicti verò per similitudinem, & Metaphoram varij & dissimiles esse possunt: consentiunt omnes, separatis formis non propriè, sed per similitudinem, metaphoram, & eminentiam locum competere, propterea qualis sit hic modus, nō leuis est dubitatio, & opiniones variæ sunt. Qui sequuntur D. Thom. & Scotum, vtuntur hac distinctione: quòd esse in loco contingat dupliciter; vel per circumscriptionem, adeò vt loco tāquam termino circumscribatur, & claudatur qđ solis corporibus per se cōpetit; vel per definitionem, adeò vt definitè ita alicubi sit, vt non alibi: & hoc modo separatis locum tribuunt. Quæ distinctio quamuis cōcedi possit, tamen quia vterque modus competit corporibus; & modum illum sequi videtur, vt moueantur, moto eo, in quo sunt; ideò tutius puto vtendum alia distinctione, & dicendum, quòd esse in loco contingat vel propriè, vel metaphoram, similitudinem, & eminentiam, de qua secūdo modo loquendo opiniones principaliores quatuor sunt. Prima est D. Thomæ in primo Senten. dist. 37. in prima parte quęst. 52. artic. primo, & in primo quolib. Artic. quarto, asserentis separata à corpore esse in loco per operationem. Diuum Thomam sequitur Aegydius, verùm non constat, quid per operationem intelligere debemus: nonnulli aiunt debere intelligi solam operationē transeuntem, à forma locata productam. Hinc Aristoteles in octauo Physicorum 84. considerando motum, tribuit locum motori, inquiens: celerrimè mouentur, quæ proxima sunt mouenti; huiusmodi autē est ipsius totius motus, illic ergo est ipsum mouens, Diuus Thomas quol. primo, Articu. quarto, per operationem transeuntem ait, non debere intelligi solam motionem, sed quamlibet connexionem, qua sua virtute separata forma nectitur cum corpore, vel præsidendo corpori, vel id continendo, vel quouis alio modo. Similiter Capreolus secundo Senten. distinct. 2. quęst. prima ait, denotari quamlibet connexionem cum Cœlo, siue assistentiam, siue modum operationis transeuntis in rem corporum. Aduersus hāc opinionem multa dicuntur à Scoto in primo Senten. distinctione 37. à Gregorio Arimin. secundo Senten. distinct. secunda, à Ioan. Bacc. in secundo Senten. distinct. tertia, & ab aliis viris doctis, ita enim separatæ formæ priùs deberent alibi operari, quàm ibi esse, & si nullibi operarentur, nullibi essent; Insuper Sol operatur in visceribus Terræ, vbi non reperitur.

*D. Th. & Scot. qua distinctio ne vtantur.*

*Qualis sit ea distinctio.*

*Alia distinctio.*

*Opiniones quatuor.*

*Prima D. Thom.*

*Capreolus*

*Euersio.*

*Opinio secunda Durandi.* Missa facio alia plurima. Propterea Durandus in primo Sent. dist. 37. q. 1. negat separaras formas esse in loco definitiuè, inquiens ea esse in loco per præsentiam singulis partibus, at anima dicitur præsens singulis partibus corporis, addit eam non esse præsentiam situs, sed ordinis, id enim, quod in corpore facit situs, in separatis à corpore *Euersio.* facit ordo: Quæ sententia etiam est dubia, quia ordo ille ad corpus cum proportione respondeat situi, pôt per similitudinem dici situs. Hinc Aristoteles situm eis tribuit, cum dicat esse in oriente, vel in circulo velocissimo. Insuper si ordinē consideramus, intelligentiæ dicuntur esse supra Cœlum. Prçtereà, Deus ita dicitur ab Aristotele in *Tertia.* Cçlo, vt non sit in Terra, quia locus locato respondere debet, nec potest secus se habere, vt legitur in primo de Cçlo 22. respondere autē vni corpori vel parti, & non alteri, est idipsum quod esse in loco definitiuè, ex opinione D. Th. & Scoti. Propterea Scotus, Greg. Arim. Ioan. Bacc. & plurimi viri docti inquiunt, motores cçlorum & Angelos esse in loco definitiuè, per essentiam, quatenus per suam essentiam cum corpore cōnectuntur: & inquit Scotus, Angelos esse in loco per essentiam, non quia necessariò sint in loco, sed quia prçditi sunt potentia passiua, qua valēt esse in loco, quç nititur essentia tāquam fundamento. Nec quærenda est interna ratio, per quam ne-*Auerr.* cessariò sint in loco: quia hæc eis non competit. Auerr. in octauo Physic. contex. 84. videtur fuisse huius opinionis, cum dixerit, motorē Cœli esse proximum mobili per essentiam. Ioan. Bacconitanus hoc distinctius explicans, inquit, rationem locationis *Io. Bacc.* Angelorum remotam esse limitationem, proximam existere, maximè proximā esse applicationem siue contactum essentiæ. Hæc sententia est dubia: tum quia ratio lo-*Euersio.* cationis debet esse extensa, cum locus nō sit sine extensione, ea autem extensionem non includunt: tum insuper, quia si sunt in loco per essentiam definitiuè, adeo ibi vt non alibi, tunc mouerētur per motum eius, in quo sunt, quod negat Aristoteles in 8. Physi. tum demùm, quia Aristoteles ait motores esse nō in puncto, sed in circulo maximo, & esse in Oriente, cum tamen modò vna, modò altera Cçli portio in Oriente reperiatur: & propterea esset necessarium, quòd mouerentur si essent in definita cçli parte. Opinio quarta est Suessani in primo de Cœlo 100. qui reiecta opinione asse-*Quarta.* rentium separatos motores esse definitiuè in loco, inquit, rationem locationis eorū esse quantitatem virtutis, qua agunt, quæ per operationes manifestatur. At hoc quo-*Euersio.* que est dubium, quia virtus, qua operātur motores Cœli, est eadem cum essentia, cui non competit extensio. Res itaq; est satis dubia & perplexa.

## *De modo, quo separatæ formæ sint in loco, opinio propria. Cap. XXX.*

*Quatuor sunt quibus locus tribuitur.* VT de proposita difficultate id proferam, quod sentio; loquar primo de genere separatarum formarū, mox seorsum de Deo. Quod ad primū pertinet, cōsidero quatuor esse, quibus modo aliquo locus tribuitur: nam datur locus corporum; formarum materiatarū, quæ extēsę sunt, specierū intelligibilium, quarū Mens dicitur locus; & formarum se-*Quatuor cōpetētia his quæ sunt in loco.* paratarum. Insuper accipio quatuor esse cōsideranda, quæ competere debent rebus existentibus in loco, si non propriè, saltem secundum similitudinem: ea autem sunt, res locata; locus; dispositio rei erga locum; & ratio locationis. Loquendo de separatis formis, res locata est forma; locus est orbis, cui assistit; dispositio verò secundum quam est in loco, est, vt sit in loco, nō eo modò secundum naturā, vel prærer naturā, *Duplex ratio locationis separatorum.* quo corpora Physica, sed supra naturam, & secūdum eminentiam, vt perfectio est in eo, quod perficitur. Loquendo de quarto, nempe de ratione locationis, de quo præsertim est dubitatio, dico, rationem locationis esse duplicem: vnam antecedētem, & minus propriam, alteram sequētem, & magis propriam: Antecedēs est applicatio es-

sentiæ,

ſentiæ, quæ virtus eſt, ad aliquem definitum ſitum, terminãs exiſtentiam eius in vniuerſo, quæ dicitur minus propria locatio, quin extenſionem non includit, loco cõpetentem: Ratio autem ſequens, & magis propria eſt operatio trãſiens, quæ dicitur magis propria, quia extenſionem includit: prima per contactum eſſentiæ eſt prior ſecũdum naturam; altera ex parte noſtri: prima eſt locatio originalis; altera eã manifeſtans; prima poteſt eſſe ſine ſecunda, non contra. Scotus cõſiderauit rationem antecedentem, D. Thom. ſequentem, non neglecta antecedente, & per hoc conciliantur, & diluuntur rationes pro vtraque parte relatæ. Sunt itaque ſeparatæ formæ in loco per eminentem ſimilitudinẽ, incluſam indiuiduè in eſſentia, vt exiſtit alicubi in vniuerſo, patefactam cum extenſione per operationem tranſeuntem. Loquens autem de Deo, dico primò ex ſententia Ariſtotelis, idipſum de eo eſſe dicẽdum, quod dictũ eſt de aliis ſeparatis formis. hæc ſola eſt differentia, quia Deo competit locus ſupremus, & abſolutè primus, cęteris autem competunt loca ſequẽtia, quatenus magis vel minus perfectæ ſunt, vt elicitur ex duodecimo Metaphyſicę 51. immò Ariſtoteles in octauo Phyſic. 84. explicans locum motoris de Deo præſertim loquitur. At quoniã ex ſententia Theologorum & re vera Deus immenſæ eſt virtutis, & ſine medio valet id omne efficere, quod efficit per intermedias cauſas, ideo cum eis cõſtanter affirmo, Deum eſſe vbiq; per eſſentiam, potentiam, & operationem: nec ita eſſe vbiq;, vt ipſe ſit in alio, ſed quia ſit ipſum vbique, & cętera ſint in eo, vt in ſua perfectione, per quã ſunt, ſeruantur, & operantur; Inſuper addo Deum per negationẽ eſſe extra Cœlum, quia à nullo coercetur, per ordinẽ eſſe ſupra vniuerſum, quia vniuerſo pręeſt: per conſpicuam repræſentationem in Sole, ideo legitur in ſole poſuit tabernaculum ſuũ, per dilectionem in probis, per Gloriam & gratiam in Beatis, per gratiã in viatoribus iuſtis, in damnatis per Iuſtitiam, verè tamen locus continens & ſeruans eſt ipſemet Deus in quo cętera omnia feliciſſimè requieſcunt, ipſe autem ſolus eſt in ſeipſo; quia ſolus ex nullo pendet, cęterorum autem nil magis meretur dici locus Dei, Mente rectè affecta, ita Mens Prophetarum dicitur plena Deo, & nil cum Deo intimius nectĩ valet Mente proba, vt nil valet ab eo magis diſtare, Mente improba perperamq; affecta; Simus itaque probi, vt Deus ſit in nobis.

*Sententia vera.*

*Solus Deus re vera in ſeipſo eſt.*

## *An ex ſententia Ariſtotelis ſub eadem ſpecie in ſeparatis à materia, reperiri valeat multitudo indiuiduorum. Cap. XXXI.*

QVæritur, an ex ſententia Ariſtotelis in ſeparatis à materia, reperiri valeat multitudo indiuiduorum, quæ ſolo numero diſtinguantur? Qua de re duę ſunt opiniones, nonnulli enim id affirmant, alij negãt. Pro parte affirmantium varię poſſunt afferri rationes, quarũ prima elicitur ex definitione ſpeciei: nã ſpecies definitur, qđ prędicetur de differentibus numero; definitio autem debet competere omni, & nulli repugnare. Confirmatur: quia ſpecies eſt vniuerſale, omne autem vniuerſale eſt aptum dici de pluribus. Altera ratio ſumitur ex materia, quę eſt origo multitudinis indiuiduorum, & ita formatur: omne includens materiam eſt aptum numero ſub ſpecie multiplicari; omnes formę ſeparatę prçter Deum includunt materiam, quare ſunt aptę numero multiplicari; Maior patet: quia per materiam multiplicantur indiuidua, vt dicitur in primo de Cœlo 91. & duodecimo Metaphyſicę 49. Minor etiã videtur conſpicua, quoniam ſolus Deus eſt actus puriſſimus, quare cęterę formę ſunt cum potẽtia iunctę potentia autem eſt modus materię, & fungitur officio eius; Hinc Scotus 7. Metaphyſ. q. 13. 2. ſent. diſt. 3. & Ant. And. 5. Metaph. q. 5. aiunt, ſeparatas formas ſub Deo poſitas poſſe numero ſub eadem ſpecie multiplicari, per nũcupatam ab eis hecceitatem quã ad materiam redigunt. Sic etiam Auer. in 3. de Anima, conte. 5. ſeparatis formis ſub Deo poſitis potentiam tribuit. Demùm hoc confirmatur: quia ſi ęterna non poſſent

*In ſeparatis inueniri plura ſolo numero diſtincta.*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

*Scotus.*

*Auer.*

*Tertia.*

*Pro parte aduersa.* *Ratio prima.* *Solutio.* *Euersio.*

numero multiplicari, debuisset Aristoteles in primo de Cœlo ostendere Mundũ esse vnum, quia est æternus, quod tamen non fecit. Proculdubio ex sententia Aristotelis secus est dicendum: nam putandum est inseparatis multitudinem indiuiduorum sub specie nõ reperiri. Ratio prima ex materia sumitur: nam definitur indiuiduum in 5. Metaphysicæ, cont. 12. quod sit id, cuius materia est vna; & sæpè manifestatur, multitudinẽ indiuiduorum non esse sine materia. At soluunt, dicentes, in separatis reperiri modum materiæ: quæ solutio inanis est, quoniam Aristoteles in duodecimo Metaphysi. 49. derelinquit, vt conspicuè absurdum, primo actui posse cõpetere materiam, per quam numero multiplicetur, id aut propterea derelinquit, vt cõspicuè absurdũ: quia ostenderat in eodem duodecimo Metaphysicæ 43. & in octauo Physic. motores Cœli esse à corpore & materia secretos, & id ait esse commune omnibus motoribus Cœli, alioquin non possent mouere semper. At dum Aristoteles ostendit eos esse à materia seiunctos, nomine materiæ non intelligit hecceitatem, vel quamlibet potentiam, sed veram & propriè sumptam materiam, vt patet ex ostensionibus eius: Et cõfirmatur: quia ea materia est origo multitudinis indiuiduorum, cui diuisio competit: hæc autem est materia prædita mole & extensione, non qualibet potentia, & modus eius. Insuper id ipsum confirmatur: quia ea materia est origo multitudinis, quæ est origo contingentię, vt etiam aduersarij fatentur: at materia prima sensibilium est origo contingentię, vt dicitur ab Auer. in primo Physi. Altera principalis ratio sumitur ex fine; legitur in secundo de Anima 34. in secundo de Ortu & interitu 59. & alibi paratam esse multitudinem indiuiduorum, vt quæ numero non sunt æterna, seruentur æterna, specie & successione: at separatæ formæ numero sunt ęternæ, quare eis non competit ratio multitudinis. Hinc multitudo iuncta est cum generatione, & dum eleuamur supra corpora, vt eleuamur supra materiam, & generationem, ita eleuamur in vnitatem. Tertia ratio elicitur ex efficiente: nam efficiens ob finem operatur, & cũ finis non adsit, vt apparuit, ideò non adest ratio id efficiẽdi, Deus enim & natura nil faciunt ex accidenti, & frustra. Et confirmatur: quia ex sententia Aristotelis formę separatæ non sunt productæ, sed pendent ex Deo, vt ex fine, & causa cõsentante: ea autem quæ ex Deo pendent, per gradus ab eo recedunt & per eos distinguuntur forma & specie. Quarta ratio elicitur ex forma, nam ea quæ distinguuntur forma, distinguuntur specie, forma enim species est; Intelligentiæ distinguuntur forma, cum sint separatæ formæ, igitur distinguuntur specie; nam rerum essentiæ sunt tanquam numeri, vt legitur in octauo Metaphysicæ, contex. decimo. & quælibet earum differentia constituit distinctionem speciei, & quælibet species, dicitur vnum & indiuisibile, vt dixit Porphyrius in cap. de differentia. Demùm illa, quorum natura speciei non distinguitur ab ea indiuiduorũ, nõ valent numero multiplicari: huiusmodi sunt formæ separatę, in eis enim idem est caro, & esse carnis, ut legitur in primo de Cœlo 91. & statim vnaquęque est id, quod est, hoc est indiuiduum, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, contex. 16. Pro resolutione itaque difficultatis dicamus primò ęterna, non poni sub Prædicamentis, cum distinguantur plus quàm genere à mortalibus, vt legitur in calce decimi Metaphysicæ: hinc in eis nec cõditio generis seruatur, quæ est, vt diuidatur per oppositas differentias, neque conditio speciei, quæ est, vt prædicetur de differentibus numero. Addamus secundò, de Cœlorum motoribus perinde se habere ac de orbibus, quibus respondent: sententia est Aristotelis in secundo de Cœlo 68. supremum mobile valde præstare cæteris secundum ordinem vitę & principij; Similiter in 1. Meteo. legitur, inferiores Cęli orbes impuriores & imperfectiores esse, ex quo elicimus orbes illos esse ordine pręditos, & esse distinctę speciei ab vno, non autẽ uniuocè, vt explicauit Auer. in 2. de Cœlo 49. Id ipsum est dicẽdum de motoribus. Rationes aduersę facilè diluuntur, ostẽdebatur primò posse distingui numero ob definitionẽ speciei. Patet solutio quia in eis non seruatur propria cõditio specierũ mortalium, cum sint supra genus. Afferebatur secundò ratio sumpta ex materia. Quę ratio re-

*Confirmatio.* *Secunda.* *Tertia.* *Confirmatio.* *Quarta.* *Quinta.* *Resolutio* *Diluuntur rationes aduersę.*

tio reflectitur, cum careant ea materia, quæ, vt est origo, interit, ita etiam est causa, sine qua non reperitur multitudo indiuiduorum sub specie. Addebatur postremò, debuisse ostendere Aristotelem, Mundum esse vnum, quia est æternus, quod non fecit: Respondeo: iure id non fecisse, cum ęternitas magis lateat, quàm vnitas Mundi. Hāc puto fuisse opinionem Aristotelis, de qua id solum approbo, quod decretis nostrorū Theologorum est consentaneum; cętera reijcio, & reprobo.

## *De immensa virtute Dei.* *Cap.* XXXII.

### Præaccipiuntur nonnulla.

FIdei, omni humana demōstratione certiore exploratissimū mihi est, Deū esse immensæ Virtutis: verū quid senserit hac de re Aristoteles, non facilè constat, & opiniones sunt varię. Ideò quę fuerit sententia Aristotelis mihi cōsiderandū propono. At statim occurret aliquis, & dicet, indagationē hanc omninò esse inanē, quoniā frustra id quæritur, quod inueniri non valet; frustra pro eo assequendo laboramus, quod assequi non valemus: de infinito dicitur, quod secundū se sit ignotū, vt patet ex 3. Phys. cont. 65. & affirmatur ab Auer. in 1. Dispu. contra Algaz. in fol. 6. Dub. & disp. 6. in fol. 3. d. quare inaniter laboramus pro noscenda immēsa virtute Dei. Cui difficultati breuibus respondens, dico, infinitum posse dupliciter considerari. Primò, vt infinitum actu, & nullo termino circumscriptum, & ità apprehendi non valet. Secundò, vt est natura quędam vna definita, cui definitio competit, & ita potest apprehendi: ideo in primo de Cęlo conte. 130. inquit Aristoteles, infinitum modo aliquo definitū esse, quia est id, quo non est maius. Insuper quāuis non valeat nosci distinctè, valet saltem nosci confusè, an sit, vel non. Vt autem distinctius ad eius cōsiderationem progrediamur, accipio primò infinitum esse duplex, vnum mole, alterum secundum formam. Aristoteles in 1. Physicor. contex. 15. asseruit finitum & infinitum quantitati competere. Quæ sententia est vera de infinito mole, de quo etiam vera est sententia Auerrois in 8. Phys. 79. dicentis, motores à materia solutos nec finitos, nec infinitos esse. Loquendo autē de infinito attinente ad formam, hoc est quadruplex, gradu, extensione, actione, & mora. Dicitur forma infinita gradu, si intensionis eius, siue essentię nullus sit terminus. Dicitur infinita extensione; si per corpus mole infinitū fuerit extensa: quam infinitā extensionem sequitur infinitā actione, vt docuit Philosophus in primo de Coelo 45. inquiens, in corpore infinito grauitatem esse infinitam. Et in contex. 52. addit, quòd quo maior fuerit grauitas, eo mouet velocius: at grauitas corporis infiniti non est infinita gradu, sed extensione, quam sequitur infinitā actione. Hinc in eodem primo de Cęlo 65. inquit Aristoteles infinitum in nullo tēpore posse mouere finitum, indicans semper infinitum extensione, etiam esse infinitum actione. Et in quarto de Gener. Animalium, cap. 4. affirmat qualitates secundum gradum esse terminatas, cum tamē ignis, quo maior fuerit, eo vehementius calefaciat. Hoc rectè considerauit Simplicius in primo de Coelo; contex. 20. nam disputans aduersus Philoponum asserit, aucta Elementi mole; formam non intendi secundum gradum, sed reddi operosiorem. Quartò, infinitum dicebatur posse esse tale mora, siue conseruatione, quod infinitum competit omni formæ separatę à materia: formis autē materiatis non competit, nisi fuerint infinitæ extensione, & consequenter actione, cum enim sint præditæ contrarijs, vt in infinitum resistant, debent esse infinitæ extensione, & actione, adeò, vt in formis materiatis hęc tria infinita extensione, actione, & mora necessariò iuncta sint. Dubitatio modò est de infinito secundum formam, &

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Infinitum duplex.*

*Infinitum attinēs ad formam quadruplex.*

*Simplicius.*

*De quo infinito sit dubitatio. Infinitum duplex.*

gradum. Insuper latere nos non debet, infiniti nomen dupliciter vsurpari, & secundum priuationem, & secundum negationem. Dicitur aliquid infinitũ priuatione, dũ fuerit priuatũ sua perfectione & fine, vt dicimus humana desideria esse infinita, quod infinitum indicat imperfectionẽ, si vera est sententia Aristotelis primo de Cęlo text. 32. infinitum carere perfectione. Dicitur verò infinitum negatione, quia nullo coarctatur termino, & superat terminos omnes; hinc primum dicitur infinitum infra terminos, & indefinitũ, alterum verò vltra omnem terminum: in qua secunda significatione quæritur, an Deus sit immensi roboris. Demùm accipiendum est formam propterea laborare, minui, & labefactari, non quia operetur & moueat, ita enim omne operans & mouens laboret, quod falsum est, sed quia mouetur, & patitur, quæ motio & passio ex materia ducit ortum, ita enim permutatur & minuitur, vt rectè etiam dixit Psellus in octauo Phys. ex quo elicitur, quòd forma ex materia non pendens, non laborat, & cuiusq; gradus virtutis sit, valet mouere semper, hoc nos docuit Aristoteles in nono Metaphysicæ 17. inquiens, non esse timendum Cœlum quiescere, quia motores eius non laborant, cum ex materia non pendeant, quod etiam enunciauit in octauo Physic. 85. inquiens, solus ille motus est continuus, quo mouet mouens immobile, semper enim consimiliter se habet ad id, quòd mouetur. Et in contex. 83. inquit, motorem immobilem non permutari, & posse mouere semper: nam sine labore est ita mouere, &c. Conspicuè igitur Aristoteles affirmat motorem immobilem mouere sine labore, & posse mouere semper. Quæritur itaque an ex sententia Aristotelis Deus ita essentia & gradu sit infinitus, vt superet terminos omnes.

*Formę cur minuãtur.*

## *Rationes putantium ex opinione Aristotelis Deum esse immensi roboris, Cap. XXXIII.*

*Deum esse immẽsi roboris. Ratio prima.*

VIri nonnulli sapientia illustres, vt D. Thom. Card. Caietanus, Scotus, & similes, quemadmodum munere superæ reuelationis nouerunt Deum esse immensæ virtutis, ita putarint eandem veritatem Aristoteli fuisse conspicuam, idque varijs rationibus conati sunt ostendere: quarum prima & præcipua, elicitur ex ostensione Aristotelis in calce 8. Physic. nam in contex. 78. ostendit à motore finitæ virtutis non posse effici motum æternum, quæro, Aristoteles per motorem finitum vel denotat finitum mora & conseruatione, vel robore? non primum: quia inaniter Philosophus laboraret, cur enim dubium est, virtutem mortalem & tempore finitam, non posse mouere semper, quare denotat infinitum intensione, & robore. Confirmatur: quia Aristoteles iam æternitatem motoris ostenderat in contex. 49. ideò non tenebatur iterum id ostendere. Insuper æternitas ne dum competit substantiæ abiunctæ, verùm etiam corpori, nam etiã Cœlum, Sol, & Luna, æterna sunt, & semper operantur, quare ex sola ęternitate nõ valuisset elicere separationem à materia. Cõfirmatur: perpendendo vnde colligat Aristoteles motorẽ esse virtutis infinitæ, nam id ex eo colligit, quia mouet semper; at si ex eo, quod mouet semper, inferret esse semper, ex eodem inferret idem, & esset conspicua nugatio. Ex his itaque elicitur hæc ratio. Ex sententia Aristotelis Deus ita est infinitus, vt vsurpatur infiniti nomen in contex. 78. octaui Physicorum: at vsurpatur pro infinito virtute, & robore, quare est roboris infiniti. Secundò id ipsum lucidè videtur elici ex dictis in contex. 79. quo loci Aristoteles inquit: si ea vis, de qua est sermo, & quæ competere debet primo motori, esset in magnitudine, nullum posset assignari tẽpus, in quo moueret. Quæ consequutio de solo infinito robore vera est, & propterea formatur hæc ratio. Primus motor ita est infinitus, vt si esset in magnitudine, nullum posset assignari tẽpus, in quo moueret; at hoc est infinitum robore, quare &c. Prçterea, & tertiò, elici potest eadem veritas ex ostensione, qua Aristoteles ostendit in calce octaui

*Formatur ratio. Ratio secũda. Ratio tertia.*

octaui Physic. Deum esse virtutis infinitæ, quæ à Card. Caietano, ita formatur. Mouens per se primo tempore infinito est virtutis infinitæ, ex cont. 78. Primus motor mouet per se, primo tempore infinito, quare est virtutis infinitæ: & cum ita sit virtutis infinitæ, nō valet esse in magnitudine. Hæc ostensio de solo infinito robore vera est, nam mouere semper, per se primo, quod cōpetit motoribus sub primo positis, non exposcit vim immensam, at id facere tanquam fontem, & per se primo, eā exposcit: quoniam vt ait Aegydius, infinitum non potest esse effectus nisi virtutis robore infinitæ, totus motus infinitus absolutè, & vt infinitus, est effectus primi motoris; quare primus motor est infiniti roboris. Cōfirmatur: quia posse mouere per aliquod tempus denotat virtutem aliquā posse mouere diutius, denotat maiorē, quare posse mouere per se primo semper denotat virtutem immēsam. Insuper addit Simplicius, quòd in æterno mobili & motu est effusum in infinitum, in motore est simul iunctum; infinitum autem simul iunctum, est infinitum actu, quod robore & gradu infinitum est. Ita Aristoteles in secundo de Coelo 17. ait, opus Dei esse æternitatem, quod ei non competeret nisi eminenter & indiuiduè id totum includeret, quod in motu & mobilibus in infinitū est extensum, & præsertim, quia causa præstat rei effectæ. Quartò, idipsum ostendi potest per ea quæ cōmuni consensione Deo competunt: Nam Deus ex se termino caret, quia terminatum & limitatum ex alio pēdet, & ab alio terminis circumscribitur, q conditioni Dei aduersatur. Insuper Deus ex se est omne quod est, ab infinitis est aptus participari: cum Mundus ex sententia Aristotelis sit infinitus, non autem ex aliquo valens infinitā partem recipere, nisi id sit infinitum. Præterea, omnem explet appetitionem quāuis indefinitam, nec ipse vltra se valet aliquid optare, hoc a nobis eminentius aliquid valet excogitari, alioquin daretur eminentius Deo, & quouis in Deo excogitato, valemus in eo aliquid vlterius imaginari. Hæc autem nobis indicant essentiam & facultatem infinitam. Præterea quintò, id ipsum ostenditur per cōditionē limitis & termini: nam si Deus finitus esset, nulla posset assignari ratio, cur tantæ esset virtutis, & non maioris, vel minoris: nam si dicimus ei competere mille gradus virtutis, statim quærā, cur sint mille, & non plures, vel pauciores? nil enim repugnat, vt sint bis mille, & ter, & quater mille; si nil repugnat, ergò est, p Aristotelem in tertio Physic. 32. dicentem in æternis non differre esse & posse, & vt legitur in octauo Physic. 56. in natura id, quod melius est, semper arbitramur esse, si possibile est. Sextò, vtor ratione sumpta ex eo, quod Mundus ex Deo pendet, & ita argumentor. Creatio indicat virtutem immensam, quare pendere Vniuersum ex Deo eā- dem patefacere apta est; assumptum conceditur; deducitur consequutio: nam creatio ob id virtutem immensam creatoris patefacit, quia nil in creatura est, quod non pendeat & fluat ex creatore; at similiter Mundus se habet ad Deum ex sententia Aristotelis, nil enim in eo reperitur, quod ex Deo non pendeat. Hinc in octauo Physic. 52: legitur, principio hoc ab Deo manēte, necesse est manere Vniuersū, qd continuatur cum eo. Et in primo de Cœlo 100. legitur; ab eo omnibus fuisse tributum esse, his clarius, his obscurius. Et in duodecimo Metaphysicæ 38. à quo pendet Cœlū & vniuersa natura. Quod autem hoc fuerit ab æterno, vt putat Aristoteles, vel in principio aliquo temporis, nil refert; immò si fuit semper, magis manifestat virtutem immensam opificis. Septimò, vtor ratione, qua vtitur Philoponus in prima disp. contra Proclum, cap. 2. Id cuius cognitio est essentia, eius si cognitio fuerit infinita, etiam essentia est infinita: sed cognitio Dei est eius essentia, & est infinita; igitur essentia quoq; infinita iudicari debet. Quòd autē per principia Aristotelis cognitio Dei sit infinita, ostēditur: quoniā putat mundum fuisse & fore semper, quare infinita præcesserunt & futura sunt; & non est putandū Deū ignorare ea, quæ facit; alioquin esset agens vilius animalibus operantibus cum cognitione. Octauò, idipsum ostēdo auctoritate Agathonis approbata ab Arist. in sexto Nicomachiorum, cap. 2. dicētis: hoc solo primari Deum, facta vt infecta reddere non valeat. Quod asserere idem est, ac dicere, Deum posse

Confirmatio.

Simplicius.

Aristoteles.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octaua.

posse omnia non includentia contradictionem; includentia enim contradictionem non cadunt sub potentiam, quare Deus potest omnia, & est omnipotens. Iure itaque Scotus, D. Thomas, Philoponus, & multi viri docti asseruere Aristotelē putasse, Deū immensi roboris; quòd approbasse etiam visus est Simplicius, nam in octauo Physic. exponens contex. 84. inquit: Deus cuncta continet sua infinita facultate, & in digress. contra Philop. post explic. contex. 79. dubitans, quomodo si motor est abiunctus, non mouet in non tempore, inquit motorem primum actione & essentia immobilem, supraque motum constitutum, etiam actiones producere sine tempore, eo quia supra tempus existunt. Insuper addit actu vim infinitam totam simul competere ei, quod semper mouet. Alexander quoque id ipsum sensisse visus est, & propterea æternum Cœli motum non ex anima prodire posse dixit, quamuis mora sit infinita, sed ex motore separato supra animam posito. Similiter Auerroes id ipsum visus est affirmasse duodecimo Metaphysicæ 41. necnon Ammonius sub initio Prædicamenti Substantiæ inquiens, ex sententia Aristotelis Deum esse infinitæ virtutis. Patet itaq; ratione & auctoritate ex sententia Aristotelis Deum esse infinitæ Virtutis.

*Conclusio. Ratio nona ex auctoritate. Simplicius. Alexander. Auerroes. Ammonius.*

## *Aristotelem non putaße Deum eße infiniti roboris. Cap. XXXIIII.*

Vt conspicuè sententiam Aristotelis patefaciam, quatuor profero Cōclusiones. Prima est, ea consideratione, qua finitum, & infinitum vsurpatur in calce octaui Physic. Deus nec finitus est, nec infinitus. Altera est, Deum esse infinitum mora, & productione motus. Tertia est, Deum iudicatum fuisse ab Aristotele finiti roboris. Quarta est, sententia Aristotelis falsa, impia, & explodenda omninò est: constanter enim lumine Fidei munitus affirmo, Deum immensi roboris. Prima conclusio ostenditur. Nam Aristoteles in octauo Phys. 78. ostendit, dum proponit primum motorem expertem esse magnitudinis, & diuisionis, & ideò considerat motores magnitudine præditos, & aptos diuidi, & de illis regulas tradit, vt patefaciat motum æternum nec à finito, nec ab infinito materiato motore prodire posse: finitum autem, & infinitum cōpetens formis materiatis, ob earum extensionem, minimè competit formis abiunctis: ideò hanc formo rationem. Finitum, & infinitum competēs formis materiatis ob earum extensionem per materiam non competit formis abiunctis; primus motor est forma abiuncta, quare ei id finitum, & infinitum nō competit. Hinc Aristoteles in primo Physic. 15. dixit, finitum, & infinitum competere magnitudini. Et Auerroes in contex. 79. octaui Physic. hoc considerans, rectè dixit motorem primum nec finitum, nec infinitum esse, cuius sententiam minus rectè Gandauensis, & Helias Hebræus explicarunt. Eandem sententiam etiam enunciauit Psellius Græcus interpres. Hinc etiam patet ostensionem Aristotelis pro colligenda separatione primi motoris perperàm à varijs fuisse formatam: ea namque ita formari debet. Nulla virtus materiata mouet semper; primus motor mouet semper; quare non est virtus materiata. Maior ostenditur: quia virtus materiata, vel est infinita extensione, mora, & actione; vel finita: non infinita, quia solùm competit magnitudini infinitæ, quæ non datur: non finita, & in magnitudine finita, quia talis per ostensa in contex. 78. non valet semper mouere. & hæc de prima Conclusione. Altera erat: Primus motor est infinitus mora, & productione motus: hæc conceditur ab omnibus, & conspicua est: nam ex eo, quòd forma à materia est secreta, oritur, quòd sit intelligēs, quòd sit immobilis, quòd moueat eo similiter, quòd moueat semper, quòd sit sui substātia actio, vt dicitur duodecimo Metaphysicæ 30. & inter nam horum opposita ex materia ducunt ortum. Addo in Conclusione, quòd sit infinitus productione, & conseruatione motus, quoniam infinitus

*Ratio. Quō formanda ratio in calce octaui Physic. Secunda conclusio.*

sola mora,etiam materiæ primæ,& cœlesti corpori competit. Dicamus itaque, omnis forma à materia secreta est actionis consimilis,& infinitæ;primus motor est à materia secretus: Igitur est actionis consimilis,& infinitæ. Veniamus ad Conclusionem tertiam,de qua præsertim est dubitatio. Dicebatur motorem primum ex falsa sententia Aristotelis non esse infiniti roboris : quæ ostenditur. Primò,Deus mouet,vt efficiens proximum, pro viribus,& definito tempore; igitur non est infiniti roboris Assumptum patet ex præostensis. Consequentia deducitur per regulas proportionis motuum,traditas in septimo Physf.nam talis est velocitas,qualis est ratio motoris ad mobile;infiniti ad finitum nulla est ratio;quare nullũ potest assignari tempus,in quo moueat. Cõfirmatur per Aristolem in contex.79. octauo Physic.dicentem, si in magnitudine finita esset vis infinita,nullum posset assignari tẽpus,in quo moueret:nam si tempus assignaretur,posset inueniri vis finita,quæ in eo moueret,& ita eadem velocitate moueret vis finita,& infinita,quod deserit,vt conspicuè absurdum. Confirmatur:quia vel potest mouere velociùs quàm mouet,vel nõ: si non potest,non est virtutis infinitæ;si potest,ergo mouet,quia in ęternis esse,& posse non distinguuntur,vt legitur in tertio Physic.32. Hinc Auer.secundo de Cęlo 63.inquit,si primus motor esset infiniti roboris,moueret momento,& contex.71.addit,si primo orbi plures competerent stellæ vel pauciores,aut non moueretur,aut non eadem velocitate. Hæc ratio profectò per principia Aristotelis solui non potest,& qui eã nituntur soluere,confugiunt;vel ad id,quod non moueat vt efficiens; vel quòd non moueat proximè; vel quòd non moueat pro facultate:quæ omnia suis locis sunt reiecta ex sententia Aristotelis. Simplicius in octauo Physic.79.retulit hanc rationem,& eam soluens dixit,ea mouere in tempore,quæ mouendo mouentur;at primus motor,quia & substantia,& actione supra motum & tempus est collocatus; motum ex se producit sine tempore, qui tamen recipitur in mobili cum tempore:At inanis est hæc solutio:nam motus est actus motoris,& mobilis,& talis recipitur in mobili,qualis prodit à motore,vtriusq; enim idem est actus, vt dicitur in tertio Physic. Insuper motor ea velocitate mouet, qua superat mobile;at vis infinita quamuis seiuncta,& immobilis,sine vlla ratione superat mobile finitum. Secundò eadem conclusio ostenditur perpendendo medium, quo Aristoteles vtitur pro noscenda virtute, & conditione motorum cœli, nam pro medio vtitur motu,inde hanc elicio rationem. Motor ex sententia Aristotelis,ita est infinitus,vt ex medio,quo vtitur colligi potest;at pro medio vtitur motu infinito cõseruatione & mora,non velocitate, quod infinitum patefacit æternitatẽ motoris, nõ robur immensum,ideò Aristotelis solùm putauit motorem esse æternum, non autem infiniti roboris. Tertiò,idipsum ostendo,perpendendo media, per quæ Theologi rectè noscunt vim immensam Dei,quæ sunt tria,nempè,reuelatio,creatio,& miracula, quæ à sententia Aristotelis longè absunt:hinc huiusmodi formatur ostensio.Quicunque non cognoscit media patefacientia immensum robur Dei,non id cognoscit; Aristoteles est huiusmodi; quare &c. Quartò,vtor ratione,quam maximi facio,& ita argumentor. Si primus motor ex sententia Aristotelis esset infiniti roboris,omnes motores Cœli essent infiniti roboris, consequens est absurdum, quare & antecedens. Consequutio deducitur:quia Aristoteles ad primi motoris notitiam eleuatur per motum ęternum:de quo autem verum est medium, vera quoque est conclusio;at omnes Cęli motores mouent semper,& sunt sui essentia actio, vt dicitur in duodecimo Metaphysicæ 30.quare si motus æternus patefacit robur immensum,omnes Cęli motores essent immensi roboris, immo etiam nostra Mens cum sit abiuncta,& semper valeat operari. Propterea Aristoteles in octauo Physic.id, quod ostendit de primo motore,de omni cęlorum motore putat esse verum, quod conspicuè enunciat in duodecimo Metaphysicæ 43. quo loci,cum per motum æternum ostendisset motorem primum esse abiunctum,quærit,an huiusmodi motor sit vnus, vel plures ? & ait esse plures,& de omnibus esse verũ id,quod ostensum est,ob eandem rationem,hoc est, quia

*Ratio.* *Conclusio tertia.* *Ratio prima.* *Confirmatio.* *Auerroes.* *Simplicius* *Euersio.* *Ratio secunda.* *Ratio tertia.* *Quarta.*

mouent semper. Vult itaque Aristoteles, & medium, & conclusionem ex eo collectam de omni motore Cœli veram esse. Quicunque rationem hanc conati sunt soluere, in duos ordines diuisi sunt. Nonnulli enim inficiantur consequens ex sententia Aristotelis esse absurdum. Alij aiunt consequutionem carere necessitate. Primi ordinis fuerunt Franciscus Vicomercatus in duodecimum Metaphysicæ, & ante illum Henricus quol. 6. q. 14. aduersus quem disputat Scotus in 7. q. quolibetorum. Hi dixerunt ex sententia Aristotelis, omnes Cœli motores esse infiniti roboris, qui conspicuè decepti sunt, & nitentes vnum vitare absurdum, in varia sunt lapsi. Primò, quia si omnes essent immensi roboris, in eis non esset ordo; nam ordo est quędam ratio, in finiti, aũt nec ad finitũ, nec ad infinitum vlla est ratio, vt patet ex 8. Phy. t 5. Quòd in motoribus Cœli, & in Vniuerso reperiatur ordo, elicitur ex duodecimo Metaphysicæ 37. & 52. Insuper si omnes essent immensi roboris, vnus motor non esset præstãtior altero; non different inter se; immo omnes essent vnum, quia infinitum actu omnia includit, & nil extra derelinquit. Hoc nouit Auerroes, & ideò in secundo de Cœlo 38. dixit: Si virtutes motorũ Cęli essent infinitæ, non erit ratio motoris ad mobile, nec different ab inuicem, nec eis competeret multitudo. Qui verò secũdi sunt ordinis, & aiunt consequutionem carere necessitate, varia dicunt: nam Scotus in 7. q. quolibetorum, duplici via nititur vitare vim consequutionis. Prima est: quia dum Aristoteles in duodecimo Metaphysicæ, inquit motores Cęli esse plures, & de omnibus verum esse id, quod ostensum est, ait id debere intelligi de eo, quòd omnes ab alteratione sint immunes. Altera est inquiens, id debere referri ad esse expertes magnitudinis, nõ ad esse infiniti roboris: nam quòd primus motor sit immensi roboris, ex eo elicitur: quia ex se est, & primò est causa æterni motus, ac etiam æternitatis cæterorum motorum. Euasiones hæ non respondent sententiæ Aristotelis. Nam Aristoteles id totum, quod colligit de primo motore, elicit ex æternitate motus, quod medium ait esse commune omnibus motoribus Cęli, & nullibi in attinentibus ad hoc inter eos posuit discrimẽ, & dum addit Scotus immẽsum robur primi motoris ex eo elici, quia est ex se, & primò est causa æternitatis motus, & æternitatis motorum, id addit, quod nullibi ponitur ab Aristotele, & quo nunquam Aristoteles pro medio vtitur, vt patet ex calce octaui Physic. cum enim hi dicant Aristotelem suis ostensionibus in octauo Physf. patefacere vim immensam Dei, & nunquam de hac differentia, & medio faciat mentionem, colligo ex concessis ab illis, Aristotelem non ostendisse Deum immensi roboris. Cardinalis Caietanus obijcit Scoto, quòd Aristoteles nunquam de ea differẽtia ab eo posita inter primum motorem, & alios, mentionem fecerit: sed ipse deinde in eundem labitur errorem, inquiens: motorem primum & non alios esse immensi roboris, quia per se primò mouet æterno tempore, nam hoc quoque includitur in dictis à Scoto, & de hoc etiam Aristoteles nunquam mentionem fecit. Colligamus itaque cum Scotus, Card. Caietanus, & alij viri celebres censeant ex ostensis in octauo Physic. & in duodecimo Metaphysicæ, colligi immensam virtutem Dei & ostensio per Aristotelem ęquè vim habeat de omnibus motoribus Cęli, vel omnes debere iudicari immensi roboris, vel nullum; non omnes, vt patuit; quare nullum. Quinta ratio elici potest ex mutua responsione facultatis agentis, & patientis: inquit enim Aristoteles in tertio de Anima t 7. tum in natura, tum in arte, tum in anima facultatem agentem patienti, & recipienti æquari, vt etiam elicitur ex primo de Cęlo t 24. quo fundamento iacto, ita argumentor. Si primus motor esset infiniti roboris, mobile ei respondens deberet esse infinitum; consequens non conceditur ab Aristotele; quare nec antecedens; consequutio deducitur ex eo, quod præassumptum est; hinc Aristoteles ex eo, quòd primum principium est vnum, immobile, & ęternum, infert Mundum esse vnum, secundum totum immobilem, & æternum. Confirmatur: quia nisi immensæ virtuti mouenti responderet immensum patiens, & mobile, tunc aliquid esset frustrà, nec in vniuerso reperirentur cuncta, quæ reperiri possent, & propterea non es-

*Marginalia: Vicomercatus. Henricus. Scotus. Euasio. Card. Cai. Conclusio. Quinta. Confirmatio.*

set vniuersum, nec plenitudo specierum; & falsa redderetur ea sententia, quòd in ęter nis esse, & posse, non distinguerentur. Confirmatur: quoniam ostendit Aristoteles in primo de Cœlo 65. infinitũ nullo in tempore posse mouere corpus finitum. Præterea, ex sententia Thomistarum, Deus per Aristotelem est causa efficiens Vniuersi; propterea cum operetur secundum necessitatem naturæ, debuisset per principia Peripatetica producere Mundum infinitæ molis. Rationem hanc tetigit Auerroes secundo Cœli 63. Sexta ratio elici potest ex eo, quòd repugnat ex sententia Aristotelis dari infinitũ actu, Deus est prima forma, ex calce primi Physic. & actus primus ex duodecimo Metaphysicæ 49. quare non est infiniti roboris. Consequutio deducitur: quia forma, vt forma, terminus est, formæ enim sunt vt numeri, ex octauo Metaphys. contex. decimo; numerus autem nullus est infinitus, ex tertiò Physi. Similiter ex eo, quòd est finis, infinitum ei repugnat, infinitum enim cum sit expers finis, non potest esse finis aliorum. Confirmatur: quia Aristoteles in tertio Physico. cumulatè infinitum ex parte formæ reijcit, & solùm concedit infinitum potestate ad materiam pertinens. Insuper omne totum, & perfectum inuicem reciprocantur ex procemio primi de Cęlo, conditio totius & perfecti ex Aristotele est, vt sit finitum: nam linea recta infinita, quia caret fine, dicitur carere perfectione, primo Cęli 12. Confirmatur: quia frequenter ait Philosophus, naturam renuere infinitũ, quærere finẽ, & quod seruare potest per finita, nunquam facere per infinita, & in octauo Physic. 48. loquens de motoribus Cęli, inquit, eisdem euenientibus semper finita magis accipere oportet, in ijs enim, quę Natura sunt, oportet finitum esse, &c. Adeò vt frequenter Aristoteles vniuersè renuerit infinitum actu. Hinc Auerroes in secundo de Cœlo 38. inquit, terminatio formę, adeò vt sit proportio inter eam, & mobile, est cõmunis formis, quę sunt in materia & abiunctis. Septima ratio peti potest ex nostro cognoscendi modo, & ita argumentor, id proprio ingenio valuit Aristoteles de Deo noscere, quod valuit elicere ex phantasmatibus: nam sępè ait necesse esse, vt qui intelligit, speculetur phãtasmata, quia omnis nostra cognitio ex sensibus ducitur: at phantasmata omnia sunt terminata, & finita; quare solùm finita sunt menti offerre, nam Deus solum ab alijs participatur vt finitus est, non vt infinitus, hinc in operibus naturæ solùm refulget vt finitus. Insuper noster intellectus dicitur aptus omnia fieri, tertio de Anima 38. quare quę non est aptus fieri, non putat esse; nõ est aptus fieri infinitum actu; quare proprio lumine nõ iudicat dari. Præterea, si Deus esset immensi roboris, esset ignotus, & cum sit principium primum, & ignoratis principijs pereat scientia, nulla erit scientia rerum, nisi ex suppositione, cum principium primum, si est infinitum actu, absolute sit ignotũ, sic Aristoteles, & in primo Physic. & in primo Poster. & in secundo de Ortu & interitu, ex eo quòd principia sint infinita, infert & ea, & pẽdentia ex illis esse ignota. Nec mirum est, si Philosophi immensam Dei virtutem non cognouerunt, cum ea numeretur inter articulos fidei, fides autem sit substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, cui constantissimè adhęreo.

*Sexta.* — *Confirmatio.* — *Auerroes.* — *Septima.* — *Octaua.*

## *Diluuntur aduersa rationes.* *Cap. XXXV.*

ABsoluta reliquorum explicatione, solùm superest, vt aduersas rationes diluamus, quæ quamuis absolutam veritatem explicent, tamẽ falsa eã ex Arist. principijs colligunt: quarũ prima eliciebatur ex contextibus 78. & 79. octaui Physic. in quibus Aristoteles videbatur non solùm æternitatem, sed immensum robur primo principio tribuere: quæ ratio per dicta in præcedentibus cumulatè soluta est; Nam institutum Aristotelis eo loci est, ostendere motum æternum à nulla virtute materiata effici posse, nec finita, nec infinita, de qua virtute materiata patefeci infinitum actione, extẽsione, & mora, in idem

*Diluũtur instãtię variæ.*

in idem venire: at statim quòd motor cõceditur seiunctus à materia; ex eo solo quòd sit seiunctus, elicit Philosophus, quòd nõ patiatur, non moueatur, non laboret, & valeat mouere semper cuiuscunque gradus virtutis fuerit. Hinc reflectitur ratio: quia si esset immensi roboris, nullum per Aristotelem posset assignari tempus, in quo moueret. & dũ instatur: quia primus motor ita est infinitus, vt vsurpatur infiniti nomen in eis cõtextibus. Respondeo, id nõ esse verum: quia iam patefeci motores separatos, nec finitos, nec infinitos esse, eo modo, quo materiata dicuntur finita, vel infinita. Hinc regulæ, quibus Aristoteles in eis contextibus vtitur, solùm sunt veræ de virtutibus materiatis, vt quòd virtus maioris corporis diutiùs, & velociùs moueat, & hac solutione prima, & secunda ratio diluitur. Tertia eliciebatur ex ratione, quam format Aristoteles in calce octaui Physic. quæ soluta est per dicta in præcedentibus: nam patefeci rationem illam formandam esse de formis materiatis, quæ non valent mouere semper. Addebatur comprobatio ex Aegydio deprompta, quia infinitum non potest effici nisi à virtute ro bore infinita: Respõdeo infinitum pro ęterno, à quouis æterno, & separato efficiẽte posse produci. Afferebatur ratio: quia posse mouere per aliquod tempus, indicat virtutem aliquam per maius maiorem, per infinitum infinitã. Respõdeo, regulam esse veram de formis materiatis, nam de abiunctis loquendo, quælibet valet mouere semper. Hinc Aristoteles in primo Eth. cap. 6. de Idea boni inquit, nec quia est sempiternum, ideò est magis bonum. Addebatur comprobatio ex Simplicio, dicente, in motore primo infinitum totum esse simul. Respõdeo; in eo infinitũm mora esse simul, & sine extensione, quod in motu, & mobili est cum extensione, at non ob id esse infinitum gradu. Eliciebantur quarto loco rationes, ex his quæ communi consensione competunt Deo. Pro quarum solutione primò accipio formam omnem perinde se habere ac numerum, vt dicitur in octauo Metaphysicæ, contex. 10. omnis enim forma in indiuisibili est posita, & est definitũ aliquid, & terminus sequitur eius conditionem. Insuper accipio de omni forma, & conditione rerum, hoc esse verum, quòd dum adsunt omnes gradus eius, nil vltra in eo genere expetere licet vt summè calido, summè candido, summè dulci, summè humido, nil calidius, candidius, dulcius, vel humidius expetere valemus, nec ob id sunt infinita. Addo tertio, finitum, & interminatum esse duplex; vel ex sui natura, & conditione, & hoc ex Aristotele non denotat imperfectionem, sed absolutũ, & perfectum; vel quia est pendens, & non includit gradus omnes, qui ei sunt apti competere: & hoc denotat diminutionẽ, & imperfectionem. Ex his eliciuntur solutiones variarum difficultatum: nam dicebatur primum motorem ex se esse omne, quod est: at hoc solum denotat quod ex alio non pẽdet; Addebatur, esse limitis, & termini expertem. Respondeo, esse talem ex falsa sententia Aristotelis in secũda significatione, non in ea, quæ primò nuper relata est. Addebatur esse aptũ ab infinitis participari? Respondeo, ab infinitis successione, non gradu. Insuper dicebatur, quod explet omne desiderium, & nil vltra expeti, & excogitari potest. Respondet Peripateticus lumine supero destitutus, id accidere, quia includit omne suæ conditioni congruens, & nil potest excogitari vlterius, quod ei congruat, vt patefeci exemplo caloris, & aliorum. Insuper Mens nostra cum sit finita, non est apta appræhendere, & excogitare eminentius, & sublimius Deo, & ob id nec optare. Quinta ratio sumebatur ex conditione limitis, & termini, quæ per dicta facilè soluitur, nam quæuis essentia, natura, & conditio rei, secum defert terminos sibi cõgruentes, imò est ipsemet terminus: conditio, & essentia Dei est id, quod optimũ, vltra quod nil est aptum ei competere, & à nobis excogitari, & appeti. Ratio sexta sumebatur ex eo, quòd Mundus pendet ex Deo, quæ soluitur. Primò, quia ex sententia falsa Aristotelis Mundus est æternus, & à Deo pendet tanquam à conseruante, & fine. Insuper creatio patefacit vim immensam, non ratione rei creatæ, sed modi, quatenus ex nihilo constituitur in esse; At si mundus sequeretur conditionem Dei, vt affectiones sequuntur formam, tunc si Deus esset infinitus, Mundus deberet esse mole

*Reflectitur ratio.*

*Solutio tertiæ rationis*

*Sol. quarta.*

*Diluuntur instantiæ variæ.*

*Sol. quintæ rationis.*

*Sol. sexta.*

infinitus, vt ei responderet, & præsertim cũ agat ex sententia falsa Aristotelis secundum quandam naturæ necessitatẽ. Septima ratio sumebatur ex cognitione Dei, quæ est eius essentia, & est infinita: at facilè soluitur, negant enim Peripatetici assumptũ, quòd cognitio Dei sit gradu, & intensione infinita: tum quia asserunt Deum cuncta noscere eminenter, non secundum distinctam formam: tum insuper, quia formæ rerum ex eo pendentium sunt infinitę successione, non autem intensione, & gradu, non enim plura indiuidua constituunt maiorem intensionem essentiæ. Octaua ratio eliciebatur ex sententia Agathonis approbata ab Aristotele sexto Nicomachiorum, c. secundo, quæ soluitur primò, quia in Philosophia Ciuili multa popularia proferuntur, & conceduntur pro institutione ciuium: secundò Deus dicitur posse omnia, quæ sunt de perfectione vniuersi, nõ autem absolutè, & omnia quæ ex materia fieri possunt: Mundus autem dicitur constare ex vniuersa materia. Hinc Deus non dicitur posse augere Mundum, vel plures Mundos producere, vt patet ex primo de Cœlo. Insuper vt princeps dicitur posse omnia ad suum Regnum pertinentia, ita Deus dicitur posse omnia attinentia ad Vniuersum, at non ob id infinita: Demùm ea sententia approbatur ab Aristotele, quatenus inseruit suo instituto, nempè, ꝙ consiliũ non fit de pręteritis, quia permutari, & reddi non facta nequeunt. Postrema ratio sumebatur ex auctoritate, quæ leuis est, quoniam longè plures fuerunt, qui putarunt Aristotelem minimè nouisse Deum immẽsi roboris, quàm qui putarunt oppositum: & qđ dicitur de Alexandro, & Auerroe, quòd putarint Deum immensi roboris, approbandum non indico: nam ipsi existimarunt, Cęlo & animam, & Mentem competere: ex definita ratione animæ ad corpus mobile dixerunt prodire definitam motus velocitatem: ex mente autem secreta dirigente, & consimiliter habente, dixerunt prodire æternitatem, & hac ratione Auerroes in duodecimo Metaphysicæ 41. dixit, motum Cœli constitui per duos subordinatos motores, quorum vnus est finitus, nempè anima, ob definitam rationem, qua superat mobile, alter infinitus, non quidem robore, sed mora, quatenus est causa æternitatis motus, nam quamuis Anima Cęli statuatur ab eo æterna, tamen non potest mouere semper, quia recipitur in magnitudine, & vt moueat semper, eget fine, & appetibili ex quo pendet, dirigitur, & seruatur. Et quod Auerroes non putarit primum motorem esse immensi roboris, conspicuè patet ex 3. cap. de substantia Orbis, & ex secundo de Cœlo, conr. 38. 39. 63. 71. & ex locis alijs. Constanter itaque credamus, Deum esse immensi roboris, & gloriemur, gratiasque Deo referamus, quòd cum sapientes mundi veritatem hanc inspicere non valuerint, nobis eius lumine reuelata sit. Pro qua veritate absoluta seruanda etiam mori paratus sum.

*Solutio. septima.*

*Solutio 8.*

*Diluitur ratio postrema.*

FINIS.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De Creatione ex Philosophorum sententia

### LIBRI DVO.

### *De Creatione Liber Primus, qui est de Creatione noua.*

### PROOEMIVM.

*Creatio duplex.*

QVemadmodum externarum Dei operationum creatio est præstantissima, ita eius consideratio est sublimis, accuratamque exposcit explicationem: Et quoniam creatio duplex excogitatur, vna noua, altera æterna, quæ permisceri, & confundi non debent: ideò ego seorsum de vtrisque agens, à creatione noua ordiar, de qua maior est dubitatio, an Philosophis nota fuerit: ad quam si eleuari nō valuerint, considerabo deinde, an saltem creationem æternam, quam æternam emanationem appellant, aliqua ex parte valuerint excogitare. De noua autem creatione verba facturus, non ambigam de absoluta veritate: (mihi enim superi luminis beneficio exploratissimum est, Deum in principio Cœlum, & Terram creasse, & quotidie nouas creare animas, in humanaque corpora infundere) sed solùm inquiram, nunquid Aristoteli nota fuerit, & principijs eius sit consentanea? Qua dé re verba facturus, explicabo primò, quid creationis nomine denotetur, & quo discrimine à Physico rerum ortu sit distincta: Perpendam secundò potiora eorum fundamēta, qui ex principijs Aristotelis creationem elici posse existimant. Explicabo tertiò, sententiā Aristotelis. Quarto, aduersis rationibus respondebo.

*Veritas cō stans et firma.*

*Ordo seruandus.*

### *Quid sit Creatio.* *Cap. I.*

*D. Thom.*

*Scotus.*

*Dubitatio.*

*Opinio aliorum.*

CReatio à varijs vario modo circumscribitur, D. Tho. in secundo Sent. dist. 1. quæst. 2. inquit: Creare est producere rem in esse, secundum totam suam substantiam. Cui similis est Descriptio tradita à Scoto in secundo Sent. Dist. prima, q. quinta, dicente: Creatio est productio totius creati in esse, non præsupposita aliqua parte eius. Quæ Descriptiones mihi dubiæ videntur: Primò, quia videntur competere productioni omniū formatū, omnis enim forma adeò tota producitur, vt nil eius antecesserit; ideò si hoc inspicimus, omnis forma fit ex nihilo, cū nil sui presupponat, vt Philoponus disputans contra Proclum latissimè patefecit. Alij dixere Creationem esse productionem

rei creabilis, ex nõ esse simpliciter, ad esse, sine ope materiæ. Quæ Descriptio videtur redundans: cum enim primò dicatur ex non esse simpliciter, siue ex non esse penitùs, frustra additur sine ope materiæ, quæ enim educuntur ex potestate materiæ, non dicuntur ex non esse penitùs fieri, sed ex non esse actu, vt patet ex primo Physicorum: ea quoque particula, Simpliciter, non rectè ponitur in definitione, cum sit apprimè ambigua, & multipliciter vsurpetur. Putarem ego definituros, Creationem, debere imitari Aristotelem definientem Motum: nam Creatio modo aliquo à motu contradistinguitur; Motus definitur, quòd sit actus imperfectus motoris; & mobilis: Creatio habet commune cum motu, quod actus sit: differt, quia est actus perfectus; & totus simul; cum motus, & generatio secundum fieri, saltem ob præcurrentes dispositiones sit actus imperfectus. Insuper Creatio dicitur actus solùm Creatoris, nõ subiecti, vt motus; non enim subiectum exposcit, solùm adest varietas termini, hoc est rei creatæ. Diceremataque, Creationem esse actum perfectum Creatoris Dei, quo Creabile ex non esse penitùs constituitur in esse partes. Definitionis sunt cõspicuæ, & cum dico, Creabile, denoto potestatem illam non repugnantiæ, quam obiectiuam appellant, quam tamen nil absolutè constituere in esse putandum est, præter facultatem agentis, ideò ad eam congruenter redigitur.

*Descriptio Creationis ex propria sententia.*

## *Quomodo Creatio à Generatione secernatur.*
## *Cap. II.*

CReationem à Physica Generatione secerni, consentiunt profectò omnes: at quomodo secernatur, non facilè est videre: cum enim ambo commune hoc habeant, vt rem non existentem, cui tamen nil repugnet, vt fit, in esse constituant. De differentijs, varij varia dicunt: at prætermissis, quę dicuntur ab alijs, vt rem lucidè intueamur, ea quinque considerare tenemur, quæ ex sententia Aristotelis sub initio quinti Physico. pro omni transmutatione vel intrinsecùs, vel extrinsecùs requiruntur; ea autem sunt terminus à quo, terminus ad quem, subiectum, Motor, & tempus. Si terminum à quo consideramus, satis conspicua differentia elucescit, nam terminus à quo Generationis est Priuatio, quæ est absentia formæ in subiecto apto eam recipere: quæ Priuatio iuncta est alicui antecedenti formæ, quæ cum subsequente seruari non potest, & inde oritur, quòd vnius generatio est interitus alterius. Insuper ea Priuatio per negationem denotatur: ideò dicimus generationem inter contradictoria versari, & esse transmutationem ex non esse ad esse: ea tamen negatio alteritatem, & priuationem denotat, non autem non esse penitùs. Ex aduerso, Creatio pro termino à quo non priuationem, sed negationem exposcit; non negationem pro alteritate sumptam, sed negationem absolutam, quæ per nihilum denotatur, ita tamen, vt rei creandæ non repugnet esse. Hinc Creatio absolutè est perfectio, non autem alterius interitus, vt Generatio. Secundò, inspiciendo terminum ad quem, similiter distinguuntur: nam plura sunt creabilia, quam generabilia. Creabile est forma omnis sub Deo posita. Insuper materia, quæ nisi seorsum creari, saltem concreari potest, adeò vt totum compositum absolutè valeat esse terminus creationis: De Generatione secus se habet, terminus enim ad quem Generationis est sola materiata forma. Ratio est: quia generatio est transmutatio Subiecti, ideò ea sola possunt dici termini Generationis, quæ per transmutationem ex potestate materię educuntur, eamque terminant: huiusmodi sunt solæ materiatæ formæ. Tertiò; considerando Subiectum, ex parte quoque eius differentia refulgebit, nam Generatio necessariò exposcit Subiectum, ex quo educatur forma, & constituatur compositum. Il-

*Pro discrimine Creationis à generatione quinq; cõsideranda.*

*De termino à quo.*

*De termino ad quẽ*

*De Subiecto.*

lud autem exposcit, primò ratione transmutationis Subiecto egentis, secundo ratione termini ad quem, qui ex potestate Subiecti educitur, & est altera pars compositi, nec seorsum à Subiecto subsistere valet. Ex aduerso creatio ratione transmutationis Subiectum non exposcit, cum non sit transmutatio: ex parte autem termini, eo non eget pro sui productione: quia non educitur ex potestate materię, pro sui quoq; conseruatione non necessariò eo eget, quia formæ aliquæ creatæ sine eo seruantur, vt angeli: formæ tamen quæ cũ materia vnà creantur, vt in principio creauit Deus herbas virentes, vnà etiam cum materia seruantur. Ex his elicio id omne, quod propriè generatur, esse compositum; nõ autem omne, quod propriè creatur: nam quod propriè generatur, ex principijs internis generationis constitui debet, quæ sunt forma, & materia, vt patet ex primo Physic. Differũt quartò, ex parte efficientis: nam creatio exposcit vires Creatoris immẽsas, ideò solus Deus creare valet; Generatio exposcit vires definitas: Creatio sine medio prodit ex Deo; Generatio præsupponit Deum, causas communes, & proprias. Cur autem Creatio vires exposcat immensas, alia erit consideratio. Insuper Creatio quia nihil præsupponit, & absolutè ex non esse, rem constituit in esse, ex ea sola causa efficiente prodit, quę prima est, ex alio non pendet, & ipsius entis est origo. Generatio econtrario, cum aliquid præsupponat, & non absolutè ducat ad esse, sed ex ente vno ducat ad aliud, causis secundis cõpetit, pendentibus ex alio, & supponentibus aliud. Quintò differunt ex parte temporis: nam Generatio, quę complicatur cum alteratione, dupliciter consideratur; primò, vt cum alteratione complicatur, ac ità mensuratur tempore; secundò, pro termino eius proprio, & pro ipso genito esse: quà consideratione dicitur in eo instanti genitum esse, quod est terminus postremus temporis vniuersæ trãsmutationis: Creationis neutrũ competit, nõ primum, nõ enim est transmutatio egens tempore, sed vt est supra motum, ita est supra tempus: nõ secundum, quia momẽtum, quo aliquid creari, vel creatum esse dicitur, nõ est finis alicuius transmutationis, & temporis, sed instans, in quo aliquid creatum dicitur. Vel refertur ad Deum creatorem, ac ita est instans æternitatis, supra motum & tempus positum. Vel refertur ad rem aliquam, quæ deinde tempori subijciatur, vel cum tempore complicetur: quæ res creata potest esse duplex, vel primò creata, vel creata in progressu temporis; si primò fuit creata, vt in Principio Creauit Deus Coelum, & Terram: Dicendum, quòd vnà cum tempore creata fuit; & cępit esse cum negatione de præsenti aliquo nunc, imaginatione cõcepto, post quod instans dicitur creatum esse, adeò, vt eo nunc non fuerit, & mox fuerit; Si autem res creata fuit in progressu temporis, vt quotidie hominum animæ creantur: de his dicere debemus, quòd creantur aliquo instanti temporis, respondente instanti æternitatis, per negationem de præsenti, & in eo instanti creantur: non quia tale instans sit finis antecedentis motus, vel temporis ei conducentis, sed quatenus Creatio actus perfectus est, totus simul, extensione, & successione carens, tempore non egens.

*De efficiẽte.*

*De tẽpore.*

## *An Creatio sit mutatio?* Cap. III.

*An Creatio sit mutatio opinio Scot.*

QVoniam per Creationẽ res post non esse recipiunt esse, ideò nõ leuis est dubitatio, an ea vel mutatio, vel mutatũ esse dici debeat. Qua de re tres sunt principales opiniones. Vna est Scoti 2. Sen. dist. 1. q. 5. dicentes, Creationem simplicium, vt Animæ, & Angelorum mutationẽ non esse: quia nil adest, quod mutetur. Creationem verò compositorum veluti Terræ, & Ignis, modo aliquo posse dici mutationem: quoniam in eis reperitur materia, in quam primò desinit Creatio, quæ materia potestate est, & per formam perficitur, & secus tunc se habet, quàm priùs: non quia prius fuerit,

fuerit, sed quia priùs non sic se habuerit: hinc addit, quòd dum mutationem definientes dicimus, debere per ea rem secùs se habere, quàm priùs, id non esse cum positione accipendum, cum referatur ad terminum à quo. Propterea, colligit vel nullam creationem esse mutationem, si oporteat semper subiectum, quod est potestate, prius tempore fuisse, & denuo perfici per formam: vel saltem creationem rei simplicis, non esse mutationē, si satis est subiectum, quod est potestate prius solùm origine nō fuisse sub eo actu, in quo mox est; Hæc ille. Hanc opinionem dubiam puto, primò, quia *Dubitatio.* dum compositum creatur, terminus Creationis non est sola forma, sed compositum: consideratur enim Creatio totius, vt contradistinguitur à Creatione rei simplicis totum autem non habet materiam, quæ illi subijciatur, ideò cōsiderando Creationem totius, non potest ob id dici mutatio. Præterea, si etiam compositum consideratur non ex parte totius, sed ratione partium eius, quarum vna perficit alteram, ita quoq; Creatio non debet dici mutatio, quia Creatio ex se hoc habet, vt nil exposcat, vel præsupponat: ideò si forma creata in alio seruatur, hoc ei ex accidēti competit, nam tanquam actus creatus posset sine alio esse: posset enim Deus creare formam seorsùm à materia, & eam seruare, vt seruat accidentia Sacramenti. Nos autem id considerare tenemur quod est per se; & præsertim, quia sermo est de Creatione, & de illa quærimus, an sit mutatio? materia autem non creationis est subiectum, sed formæ creatæ; ideò ob id Creatio non potest censeri mutatio. Propterea, est opinio secunda Ioan. *Opinio Io. Bacc.* Bacc. in secundo Sent. dist. prima, q. 2. art. 1. dicentis, Creationem posse dici mutationem: inquit enim mutationem esse duplicem. Vnam, quę est via ad terminum: Alteram, circa terminum, non egentem subiecto, sed vnà cum termino existentem, & huiusmodi ait esse Creationem. Quam sententiam similiter dubiam puto: Primò, quia *Dubitatio.* tunc in Physica mutatione duplex includeretur mutatio, vna ad terminum, altera circa terminum: Et quoniam transmutatio subiecti, quę est via ad terminum, per se ad terminum dirigitur, tunc mutationis per se esset mutatio, & ad mutationē mutatio; quod reijcitur ab Aristotele in quinto Physic. Præterea, perpendamus, quæ sit conditio mutationis?. Inquit Aristoteles in quinto Physic. Mutationis nomen, nempè [illegible] nil aliud denotare, nisi post aliud, aliud: adeò, vt sit translatio ex vno, in aliud: At Creationi hoc non competit; non enim in ea reperitur subiectum, in quo illa terminorum successio locū habeat, immò, nec termini propriè sumpti in ea reperiuntur, nihil enim verè terminus esse non potest, & præsertim, quia termini exposcunt commune subiectum, in quo per successionem recipiantur. Propterea est opi- *Opinio D. Thomæ.* nio tertia D. Thomæ in secundo contra Gent. & in Quæst. Disputat. de Creatione; quòd ea minimè censeri debeat mutatio: nam mutatio vniuersè sumpta, definitur ab Aristotele in tertio Physicorum, quod sit actus imperfectus, quòd versetur inter agens, & patiens; quæ Creationi non competunt. Huius opinionis fuit Simplicius; qui in primo de Cœlo comm. suo. 21. asseruit, si Mundus in alium Mundum transmutaretur, seruaretur ratio transmutationis; at si in non ens transiret, non vtique transmutari diceretur; transmutatur enim, quod transit ex vno in aliud. In hac opinio- *Opinio propria.* num varietate dicendum puto, quòd si mutationis nomen propriè vsurpemus, Creatio nequaquam est mutatio: At si mutationis nomen vsurpatur secundum eminentiam, quatenus seorsùm à qualibet imperfectione includit perfectionem mutationis, sic mutatio dici potest. Est itaque mutatio secundum eminentiam, at non secundum propriam formam, & iure profecto: nam superis ea seorsùm à pugna, & imperfectione competunt, quæ in operibus naturæ inuicem pugnant, & cum imperfectione sunt complicata. Est itaque mutatio: quia includit fructum eius, nempè constitutionem rei in esse, at non formam. Sed instabit aliquis: Si Creatio non est transmutatio, *Dubitatio.* dabitur transmutatum sine transmutatione: nam dicebat Auerroes in primo Physi. Si daretur Creatio, vel daretur transmutatio sine Subiecto, vel transmutatum sine transmutatione, indicans Creationem non posse dici mutationem, cum non adsit

*Solutio.* Subiectum. Respondeo, in Creatione non reperiri transmutatum sine transmutatione, sed constitutum in esse sine formali transmutatione, non tamen sine transmutatione, eminenti, vt patefeci: & cum sit dubitatio, an Creatio à re creata distinguatur, prætermissa disputatione, puto dicendum: quòd Creatio præter Creatorem, & Creaturam, nil absoluti dicat, sed solùm superaddat relationem, ex parte Dei, rationis; ex parte creaturæ, realem, quæ relatio à fundamento solùm ratione, & formaliter distinguatur.

## *Rationes ostendentes per principia Peripateticorum dari Creationem. Cap. IIII.*

*Ratio prima.* Existimarunt nonnulli viri docti, Aristotelem nouisse Creationem nouam, & ex principijs ei notis eam elici posse: Nam humana mens extrinsecùs accedit, vt dicitur in secundo de Generatione Animaliũ, cap. 3. & 4. Quare non educitur è potestate materiæ, sed de nouò creatur. *Ratio secunda.* Insuper vtor ratione D. T. in secundo Sent. Dist. 1. q. 2. Omne, quod est in aliquo genere imperfectũ, oritur ex eo, in quo primò, & perfectè, natura generis reperitur: at omne infra Deum participat ipso esse, & cũ imperfectione est iunctum: quare oportet, vt id omne absolutè ex Deo prodeat, in quo eminenter, & seorsùm ab imperfectione includitur: huiusmodi autem emanatio est Creatio per quam totum in esse constituitur. *Confirmatio.* Confirmatur hæc ratio per Aristotelem, nono Metaphysicæ 17. dicentem: Si prima non essent, nil vtique esset: quod profectò de Deo (omnium consensione) maximè est verum. Quo præassumpto ita argumentor, *Ratio tertia.* Quodcumque ex se non est, sed omne, quod est, absolutè habet ab alio, creari dicitur: omne infra Deum, relatum ad Deum, est huiusmodi, quare dicitur creari. Minor est Aristotelis vt patuit; maior elicitur ex definitione creationis in præcedentibus tradita. *Quarta.* Præterea, quod ex sui conditione absolutè nil supponit, dum producit, creare dicitur: Deus est huiusmodi, quare, &c. Maior patet: Minor ostenditur. Vnumquodque enim vt est, ita operatur; Deus ex nullo penitùs pẽdet; quare producendo nil absolutè supponit, alioquin ex eo modo aliquo penderet. *Quinta.* Præterea, virtuti immensæ actio respondere debet, quę eius virtuti respondeat; Deus est vis immensa; quare producendo eius infinitudinem debet patefacere, hoc fit per creationem, quę immensam facultatem exposcit. Nã si Ars supponit subiectum actu, Natura, potestate: Deus immensus supra Artem, & Naturam constitutus, nil penitùs supponere debet; alioquin Naturæ non præstaret. *Sexta.* Præterea, vtor ratione Aegydij: Deus est Actus purus, ideò absolutè id quod est, producit; est causa prima, & communissima, igitur primum, & communissimum effectum producere debet, huiusmodi est ipsum esse, quare id producit, & propterea creat: patet consequutio, quia producens absolutè id omne, quod extra se est, producit totum, & nil supponit, huiusmodi autem est creatio, ideò primo Cęli 100. dicitur ab eo omnibus tributum fuisse, vt sint. *Septima.* Insuper Agens absolutissimũ supra tempus, & motũ positum, producit opus absolutissimum sine tempore, & motu: Deus est Agens absolutissimum, ideò opus absolutissimum, & vniuersum, non partem solam producere debet: huiusmodi autem est Creatio. Propterea iure optimo inquiunt Academici, *Academici.* Deum magis diligere Mundum, & opera sua, quàm cæteri parentes suos natos, & Artifices sua opera diligant; producit enim opus integrum, nil supponens, cum à cæteris portio sola producatur: adeò vt Artifices plura supponentes, minus sua opera diligant: Parentes pauciora supponentes, magis. Deus nil supponens, maximè diligat. *Octaua.* Præterea, vtor ratione Philoponi contra Proclum, Disput. 9. cap. 11. Omnia, quæ fiunt, ex nihilo fiunt; omnia, quæ intereunt, in nihilum transeũt, igitur cuncta creantur, & propterea datur creatio, & in nihilum deductio. Patet con-

ſequutio ex notitia creationis. Oſtenditur ab eo aſſumptum, quia ſolæ formę fiunt, & intereunt, non materia, nam ea nec fit, nec interit: non compoſitum verum, quia eius vna pars, nempè materia non fit; ſola itaque forma fit, & per eam dicitur compoſitum fieri & interire. Cum itaque cõpoſiti ſola fiat forma, ea ita fit, & interit, vt nil eius antecedat, nilque remaneat, quare ex nihilo fit, & in nihilum tranſit. Soluitur hæc ratio ab aliis vario modo: quidam cum Ariſtotele in ſeptimo Metaphyſicæ, & in primo Phyſi. aiunt: quòd fit eſſe compoſitum, non formam, nec materiam fieri, & interire. Inſuper addunt alij, vt Simplicius in octauo Phyſic. in digreſſ. contra Philoponum, formam non ex nihilo fieri, quia ſemper fit ex aliquo, tanquam ex termino à quo, & materiam præſupponit, ex qua per trãſmutationem educitur. Has ſolutiones euertit Philoponus: nam dicere nõ formas, ſed cõpoſitũ fieri, cum vero pugnat: quia id fit, quod ex non eſſe tranſit ad eſſe: at hoc ſoli formę, primò competit, compoſito autem competit, nõ primò, ſed munere formæ: nos autem affectiones Subiecto primo tribuere tenemur. Id, quod dicitur de termino à quo, ad rem facere non videtur; quoniam forma antecedens penitùs interit, nec ex ea, vt ex parte fit altera. Similiter, quod additur de materia, & eius poteſtate, nullius videtur roboris, nam materia non eſt pars formæ, poteſtas adueniente forma euaneſcit, adeò, vt abſolutè forma ex nihilo fiat, & in nihilum redigatur. Præterea, quòd forma nequeat educi ex poteſtate materiæ, oſtenditur ab eodem Philopono, quoniam præſtantius non æducitur ex ignobiliore, & nil ex eo educitur, in quo non reperitur; forma eſt præſtãtior, quàm materia; & tantum abeſt, quòd in materia reperiatur, vt in ea priuatio & potentia inſint, quæ cum forma pugnant, & ſimul ſeruari nequeunt. Hæc lucidè confirmantur per ea, quę Arte fiunt, Ars enim dicitur forma, & formã parit, quæ nõ ex poteſtate materię educitur, non enim Materia Artificialium, ad eorum formam propenſa eſt, ſed violentia ab Artifice inducitur. Vt itaque per Artem ab Artifice in materiam inducuntur artificioſæ formæ, ita ab vniuerſi opificio, hoc eſt ab vniuerſi cauſarum ſerie, formas rerum natura conſtantium in materiam induci putandum eſt. Præterea, hęc omnia varijs exemplis confirmantur: primò, radij, & lumen ex poteſtate perſpicui non educuntur, ſed à lucido corpore inducuntur. Actiones ſenſibilium, quæ ſine tempore in medio recipiuntur, non per tranſmutationem ex medio educuntur, ſed inducuntur ab agente. Similiter ſpecies intelligibiles, quarum Mens dicitur locus, in tertio de Anima, contex. 6. non ex poteſtate eius per tranſmutationem educuntur, ſed abſolutè ab earum agente inducuntur, vt etiam habitus intellectus, non ex antecedentibus habitibus tanquam ex termino a quò fiunt; neque per tranſmutationem ex Mentis poteſtate educuntur, ſed ex nihilo fiunt, & per obliuionem in nihilum rediguntur. Idipſum patet de productione earum formarum, quæ pro ſui ortu alias ſui generis in materia non ſupponunt: Veluti inſpicimus ex Elementis colorum, ſaporum, odorumque ex partibus, mixta gigni, illis qualitatibus affecta, & in Elementa reſolui eis penitùs deſtituta, adeò, vt abſolutè ex nihilo illæ qualitates fiant, in nihilumque redigantur. Ad hęc accedit, quòd Generationis Definitio, ab Ariſtotele in primo de Ortu, & interitu tradita, hoc ſupponere videtur: dicitur enim Mutatio totius in totum, at non totum fieret, ſi aliquid ſupponeretur eius, quod fit. His, & conſimilibus rationibus nititur Philoponus ſuadere cuncta, quæ fiunt, ex nihilo fieri, & in nihilum redigi.

*Solutio.*

*Euerſio.*

*Confirmatio.*

## *Sententiæ Variæ de Creatione.* *Cap. V.*

*Opiniones variæ de eductione formarũ.*

DE modo, quo formę in lucem prodeant, variæ veterum extitere sentẽtiæ. Nonnulli eas in materia latere, & per transmutationẽ educi existimarunt. Cuius Sententię fuit Anaxagoras. Alij putarunt eas non educi, sed induci, qui in tres tãquam classes sunt distributi. Vel enim supero lumine illustrati, dixerunt, sine medio per Creationem nõnullas à Deo induci, vt quotidie à Deo induci humanas Animas nouerunt Theologi: vel induci putarunt à Deo per Mentem, siue Ideas, Rationes, & Semina, vt putarunt Academici ex quorum sententia Philoponus in primo de Ortu, & interitu, comm. 18. ait, formas non educi ex potestate materię, sed potiùs induci ab vniuersi opificio, hoc est, à serie communium causarum: vel demùm induci putarunt à postrema intelligentia, quam Auicenna datricem formarum nuncupauit.

*Verissima est sententia Theologorum.*

Sententia Theologorum vera est, at ignota Philosophis: nam creatio ad fidem pertinet, quę est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

*Sententia Academicorum.*

Sententia Academicorum principijs Aristotelis non est consentanea, nam renuit sæpè Aristoteles Ideas mentis, & rationes animę. Insuper si Semina ab Anima Mundi infunduntur in materiam, vnde tanta seminum, & formarum varietas prodit? ex vna enim anima nõ prodeunt semina varia.

*Sententia Auicennę.*

Sententia Auicennę longiùs à verò abest. Cum enim ordine quodam dicat Intelligentias se procreare, & ab earum postrema infundi mortalium formas, primò creationis officium Dei proprium, tribuit alijs: deinde formas mortales à postrema Intelligentia ait infundi, cum apertè per transmutationem à proprijs agentibus producantur.

*Opinio tertia.*

Propterea, est opinio tertia quorundam, qui vt Creationem vitent, & Generationem in parte seruent, aiunt, in materia inchoationes quasdã formarum reperiri, quę à proximo agente perficiantur. Quæ sententia vel redigitur in opinionem Academicorum, semina in materia excogitantium, ac ita vt illa est reijcienda: Vel per inchoationes intelligunt gradus formarum, vt in aqua tepida inchoationem caloris inueniri dicimus: quod approbari non debet: quia multæ formæ carẽt gradibus, nec recipiunt magis, & minus. Vel significant formam corporis continuam materiæ, quam nonnulli aiunt esse tanquam initium, & inchoationem propriarũ formarum: quæ sententia falso nititur fundamento, nempè forma corporis reiecta in lib. de materia. Vel demùm per inchoationem solam denotant facultatem materię.

*Opinio Aristotelis.*

Et inde prodit opinio postrema, quę est opinio Aristotelis, per quam dicimus formas non penitùs induci ab agente, nec tanquam omninò, vel in parte latentes educi, sed ab agente per transmutationem ex potestate materiæ educi, quæ potestas aliqua ratione dici potest inchoatio, quia mediat inter non esse penitùs, & actu: & hac consideratione concedi debent inchoationes. Similiter seruantur modo aliquo semina, quia virtus agentis per antecedentes dispositiones, attingens materiam, est tanquam semen propriæ formæ, vt calor dici potest semen formæ Ignis, operãs facultate, & virtute formæ Ignis. Vt de Semine Animalium dixit Aristoteles.

*Quomodo forma ex materia educatur.*

Ex quo patet, quomodo forma, ex sententia Aristotelis dicatur educi ex potestate materiæ, nam agens Physicum suis qualitatib. tanquam instrumentis permutando Subiectum, idque cõgruenter disponendo, formam, quæ potestate in eo reperiebatur, ad actum deducit. Sic dicitur tradere non multitudinem, sed perfectionem, vt ait Auerroes duodecimo Metaphysicæ 18. quoniam non formam seorsùm producit, productamque materiæ tribuit, sed permutando subiectum, eam ex potestate, tanquam inchoatam formam ad actum perducit. At de hoc alibi latiùs sum loquutus.

Ostenditur

## *Ostenditur Aristotelem nouam Creationem non nouisse. Cap. VI.*

SEntentia est D. Tho. in secundo Sent. Dist. prima; nouam creationem rationibus ostendi non posse. Cui addo, eam per principia, & fundamenta Peripatetica minimè posse defendi, sed cum illis manifestissimè pugnare. Quod ostendo; & primò: Creatio euertit communem conditionem efficientis definiti ab Aristotele, igitur aduersatur principijs eius: Consequentia deducitur, quia Creare est agere, ideò debet seruare, non euertere conditionem efficientis. Assumptum patet: quia efficiens vniuersè sumptũ, definitur ab Aristotele in secundo Physic. 29. quòd sit primum principium mutationis, vel quietis. Soluunt nonnulli, asserentes agens esse duplex, vnum Metaphysicum, & supra naturam: Alterum Physicum. Agens Metaphysicum, aiunt esse principium, vnde opus. Agens Physicum, esse principium, vnde motus. Quæ Solutio euertit sententiam Aristotelis: nam si putasset dari Agens Metaphysicum, distinctum à Physico, debuisset in Metaphysica secùs id definire, quod minimè fecit. Sed in quinto Metaphysicæ 17. & nono Metaphysicæ, contex. 2. non secùs causam efficientem definit per esse principium transmutationis, ac id facit in secundo Physicorum. Quod confirmatur, quia potestas efficiendi ex sententia Aristotelis est ad aliquid, & refertur ad potestatem patiendi, nec reperitur id, quod est omnia facere, nisi reperiatur, quod est omnia fieri, & vice versa, vt dicitur in tertio de Anima 17. Ideò in tertio Physic. 18. asseritur eundem esse actum agentis, & patientis. Et Auerroes in primo de Cœlo, 124. potestati agentis ait respondere potestatem patientis. Prætereà, si Aristoteles alium efficiendi modum nouisset, saltem dum loquitur de Materia, vel Mundi productione, & ostendit non esse genita, modum illum indicare debuisset; at oppositum facit; ex eo enim, quòd per transmutationẽ nõ sunt effecta, absolutè colligit, ea non esse facta, sed esse æterna, & ingenita. Quæ consequutio inanis esset, si ex eius sententia inueniretur alius efficiendi modus. Secundò, Creatio, ex sententia Aristotelis euertit conditionem Materiæ; igitur ex eius opinione cõcedi non potest. Assumptum patet ex definitione materiæ, tradita in primo Physic. 82. Dicitur enim primum Subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit, & si quid interit, in id demùm resoluetur: et itaque conditio materiæ, vt sit commune subiectum eorũ, quæ fiunt. Quòd si Aristoteles inquit, ex quo fit aliquid, ait aliquid, tum quia non cuncta absolutè fiunt, tum insuper, quia ea, quæ fiunt, sunt particularia. At soluunt, dicentes esse commune Subiectum eorum, quæ transmutatione, & natura fiunt. Quæ Solutio apud Aristotelem locum non habet: quia si daretur modus productionis per Creationem, præsertim competens simplicibus, peccasset Aristoteles per fallaciam consequẽtiæ: quoniam ex eo quod materia non potest propriè gigni, & ex materia fieri, infert absolutè eam nec fieri, nec interire, & ęternã esse: quod minimè posset inferre, si per eius principia daretur alius productionis modus. Tertiò, creatio ex sententia Aristotelis euertit conditiones effectionis rerum, & propterea euertit se ipsam, quæ effectio dicitur. Assumptum ostenditur: nam quod efficitur, transit ex non esse, ad esse; & dicitur terminus effectionis, non datur terminus sine via, constitutum in esse, sine constitutione, & mutatum sine præcurrente mutatione. Hinc Aristoteles in sexto Physicorum, cumulatè ostendit, omne transmutatum priùs transmutari. Quartò, creatio ex sententia Aristotelis euertit conditionem rei, quæ efficitur: nam conditio eius est, vt primò effici possit. Propterea ita argumentor. Quod Creatur, vel poterat creari, vel non: si non poterat, non crearetur, non enim fit, quod fieri nequit, vt dicitur 3. Metaphysicæ, cap. 4. Si poterat creari, quoniam posse fieri denotat potestatem patientem,

*Arist. non nouisse Creatio. E. Ratio prima.*

*Solutio.*

*Euersio.*

*Confirmatio.*

*Alia confirmatio.*

*Secunda.*

*Solutio.*

*Tertia.*

*Quarta.*

vt posse

*Solutio.* vt posse facere, efficientem: est necesse, vt præcurrat potestas patiens, quæ sine materia non seruatur: quare est necesse, vt materia, & subiectum præcurrat. Ait Scotus, præire potestatem, quam obiectiuam appellat. Sed ea solutio non satisfacit: quonia ex sentẽtia Aristotelis, vt patet ex quinto, & nono Metaphysicæ, omnis potestas, vel efficiendi, vel patiendi est; & omnis potestas patiẽdi ducit ortum ex prima materia, & sine ea seruari non potest. Hac nuper formata ratione vtitur Aristoteles in primo de Cœlo, 136. inquiens, necesse est igitur generabilia, quandoque esse, quandoque non, talium autem eadem potestas est contradictionis, & materia causa est vt sint, & non sint, &c. Idipsum affirmat in cont. 103. inquiens: Amplius autem quod nõ habet principium, ita se habendi, sed non potest aliter se habere priùs per omne æuum, nequit trãsmutari, erit enim aliqua causa, quæ si priùs esset, posset secùs se habere, quod nequit secùs se habere. Si autem priùs ex aliter se habentibus constitutus est Mundus, si quidem semper ita se habentibus & non valentibus secùs se habere, non vtique factus esset: si autẽ factus est, necesse est & ea potuisse secùs se habere, nec semper ita se habere &c. Conspicuè patet ex sententia Aristot. id solum fieri, quod primò potest fieri, & omnem patiendi potentia oriri ex materia. Nec sat esse potentiam obiectiuã, quæ est non repugnantia ex parte obiecti, & præsertim quia potentia, quæ est non repugnantia ex parte obiecti, inanis est sine potestate patiendi, nisi enim adsit potestas patiendi, adest pugna ex parte materiæ, quę dicitur causa, sine qua non, & necessaria, vt patet ex calce secundi Physic. *Confirmatio.* Cõfirmatur: quia ea potestas obiectiua, vel nihil, vel aliquid est: si nihil, pro nihilo cõducere poterit: si aliquid, vel est Substantia, vel Accidens; non Substãtia, quia vel esset Substantia agentis, vel patientis, ac ita, vel esset potestas efficiendi, vel patiendi: non accidens, quia niteretur aliqua Substantia, vel agentis, vel patientis: ac ita, vel agens vel patiẽs esset, vt priùs, & pręsertim, quia omnis potestas nititur aliquo fundamento. Non itaque datur potestas obiectiua, nisi vt *Quinta.* redigitur ad potestatem agentis, vel patientis. Quintò, Creatio destruit primum, & commune principium Naturalium Philosophorum, quod est, Ex nihilo nihil fit, & propterea destruit Naturalem scientiam, & à naturali Philosopho cognosci non potest. At inquiunt, id commune principium intelligi debere de vera generatione compositorum, non de simplicium procreatione. *Solutio.* *Euersio.* Quæ solutio euertitur, ne dum per dicta in præcedentibus, verùm insuper, quia Aristoteles in calce primi Physic. de prima materia loquens, quæ simplex est, ait non posse gigni, nec interire: quia si fieret ex materia, necessariò fieret, & in materiam per interitum resolueretur. Similiter sub initio octaui Physic. formans primam ostensionem pro æternitate motus, manifestat, quòd si vel motor, vel mobile, fierent; per motum, & transmutationem fierent, & trãsmutatio, mobile aliud, & motorem exposcerent, adeò vt ex eo quod materia, motor, & mobile, si fierent; materiam, & motum præsupponerent: infert absolutè esse æterna, quod colligere non posset, si creationẽ cõcessisset, & in parte nouisset. *Sexta.* Sextò, Creatio aduersatur viæ, qua progrediuntur Philosophi pro noscendo modo productionis rerum: Progrediuntur enim ex singulis rerum productionibus, sub sensum cadẽtibus, quæ materiam exposcunt, ideò Aristoteles in primo Physic. 60. 62. 63. ex omnibus *Solutio.* quæ fiunt, colligit materiam necessariò statuendam principium rerum. At soluentes, *Euersio.* aiunt Aristotelem loqui de ortu, ex Natura proxime producente, non autem de emanatione rerum à Deo. Quæ solutio non est Philosopho consentanea: quoniam dum euertitur Sententia aliqua vniuersalis, ex singularibus collecta, afferri debet instantia aliqua aduersus eam, quæ conspicua sit; at Physicus sensu, tanquam principio vtens, nullam afferre valet productionem sub sensum cadentem, quæ materiam non exposcat, quare vt Physicus cogitur fateri necessitatem materiæ. *Septima.* Septimò, Creatio aduersatur naturæ, eique operandi modo, quo Aristoteles putat Deum operari, igitur ab eo non potest concedi. Assumptum ostenditur, primò, quia Deus ex sententia Aristotelis non operatur nisi per mediam Naturam, & non generat nisi Lumine, & Motu: at

Creatio,

Creatio, nec Lumini, nec Motui, nec viribus Naturæ subijcitur. Insuper Creatio exposcit vires Creatoris immensas, quas Aristoteles non nouit, vt distincta consideratione patefeci. Præterea, Creatio noua exposcit modum operandi extrinsecùs liberè, & contingenter: At Aristoteles censet Deum operari cum quadam Naturę necessitate. Præterea, elicitur ex octauo Physico. ab ęterno nil noui fieri posse, quod non sit eiusdem rationis cum antecedentibus, vt contingit de reuolutionibus Cęli, & si quid noui ab æterno prodit, id pendet ex noua aliqua mutatione, in aliquo facta, & per medium aliquid, non autem proxime ex Deo, quare Deus nil denuo creat ex sententia Aristotelis. At Soluunt, dicentes Creaturas nouas prodire ex Deo, veluti animas humanas, pcurrente noua mutatione facta in corpore fœtus, à causis proximis. Hæc solutio à Peripatetico non admittitur: tum, quia sic actio Dei penderet ex mutatione mortalium, & voluntati hominum subijceretur: tum insuper, quia huiusmodi Creatio exposcit distinctam notitiam singulorum hominum, quam Aristoteles Deo competere non existimauit, vt patet ex 12. Metaphysicæ. Demùm ostenditur, Creationem nouam ab Aristotele non concedi, considerando ostensiones varias, quibus ipse vtitur, quę, data noua creatione, inanes penitùs redderentur. Ostendit Philosophus in primo de Cœlo, omne æternum ex vna parte, esse æternum ex altera; quod per nouam creationem euertitur, anima enim denuo creata, seruatur æterna. Insuper in eodem primo de Cœlo ostenditur, omne genitum esse mortale, quod etiam per nouã animę creationem euertitur. At soluentes aiunt, sententiam illam esse veram de propriè genitis, non de creatis. Quę solutio cum principijs Aristotelis apertè pugnat: primò, quia consideranti ostensionem eius, redditur notum, æquè vim habere de cunctis quouis modo incipientibus esse, inquit enim si genitum est immortale, quia cum sit genitum, potest non esse: ponatur quòd non sit, id simul erit, & non erit, apertè patet, rationem hanc vim habere de cunctis quouis modo incipientibus esse, nam etiam id, quod creatur, quatenus est ex se, potest non esse, & præsertim, quia ex sententia noscentium nouam Creationem, Deus extrinsecus cõtingenter operatur. Et confirmatur: quia Aristoteles in primo de Cœlo referens significationes geniti, & ingeniti, ostendit vere ingenitum, & incorruptibile id esse, de quo non est verum dicere, quod aliquando sit, aliquando non sit; & ostendit verè incorruptibile sumptũ pro eo, quod semper erit, reciprocari cum ingenito, quod semper fuit, adeò, vt quod cępit esse, quouis modo cęperit esse, inter genita numeret, cui ait competere non posse ut semper sit. Præterea, si daretur Creatio, euerteretur sententia Aristotelis in primo de Ortu, & interitu, quòd vnius ortus, necessariò sit alterius interitus. Demùm, apprimè damnandus esset Aristoteles, si nouam Creationem nouisset, & rem tanti ponderis nullibi explicasset, immò semper oppositum eius approbasset: inquit enim in primo Physi. 51. nec Litem conficere amicitiam, nec amicitiam Litem, sed requirit tertium, nempè materiam, quam & necessariam, & causam sine qua non appellat in calce secundi Physicorum.

*Octaua.* *Solutio.* *Nona.* *Solutio.* *Decima.*

## *Explicantur nonnulla conducentia pro soluendis aduersis rationibus. Cap. VII.*

VT sententia Aristotelis magis reddatur cõspicua, aduersęq; rationes faciliùs diluantur, operępretium est, primò nonnulla cognitu vtilia explicare, & pręsertim digrediendum est per omnia quę fiunt, vt cõstet modus generationis eorũ: Nã cuncta, quę fieri posse videtur, vel sunt Substantię, vel Accidentia. Si Substãtię, vel simplices, vt formę, vel cõpositę. Si Accidẽtia, vel spiritalia, vel materiata. Si Generatio tribuitur Substãtię cõpositę, ei ꝓpriè Generatio cõpetet: nã id verè gigni dicitur, cui

*Cuncta quæ fiunt.* *De substãtia composita.*

compe-

competunt principia generationis; huiusmodi est compositum. Hinc Aristoteles in primo Physic.declaratis Principijs,colligit omne,quod fit,esse compositum.Et confirmatur: quia id propriè fit, quod est totum cõpletum, & absolutum; huiusmodi est compositum. Si verò generatio tribuitur Substantiæ simplici, considerando materiam, ea nec fit, nec interit, vt patet ex primo Physicorum 82. solùm dicitur subijci Ortui, & interitui, & fieri aliquid, vt paries dicitur fieri albus, loquendo de forma, ea quoque propriè non fit, transit tamen ex non esse ad esse, quod materiæ non cõpetit. Hinc magis fieri dicitur, propriè tamen dicitur terminus ad quem generationis, & à quo interitus. At cum ex non esse transeat ad esse, si quis quæret, num ex nihilo fiat, vtendum est distinctione: nam formam ex aliquo fieri, dupliciter potest intelligi: Vel quòd fiat ex aliquo, tanquam ex parte sui, in quod etiam per interitum resoluatur, quod minimè dicendum est, non enim est necesse, vt gradus aliquis formæ generandæ præcurrat. Hac itaque consideratione, formæ omnes ex nihilo fiunt, & in nihilum transeunt. Et hoc solum ostendunt rationes Philoponi in præcedentibus relatæ. Secundò intelligi potest fieri ex aliquo, vt ita fieri contra distinguitur à Creatione: nam Creatio dicitur ex nihilo, nedum ex nihilo sui, verùm insuper ex nihilo cum relatione ad terminum à quo, & ad Subiectum, quod non competit formis, quæ sunt termini generationis, illæ enim pro aduerso termino habent priuationem, iunctam formæ antecedenti, ac insuper non fiunt sine subiecta materia, & præcurrente transmutatione, qua id, quod est potestate, redigitur ad actum. Dum profertur ea communis sententia, Ex nihilo nihil fit, ea à Philosophis profertur de his, quæ verè fiunt, nempè de compositis, insuper eadem est vera, etiam de forma: quia nõ fit ex nihilo in ea significatione, in qua ex nihilo fiunt ea, quę creãtur. Ex quo constat minus rectè Philoponum arguere veteres Philosophus, dum ait, veteres enunciasse, ex nihilo nihil fieri, cum tamen oppositum sit verum, nempè cũcta, quæ verè fiunt, ex nihilo fieri, verè enim fiunt formæ, quæ ex nihilo sui producuntur. Decipitur Philoponus: quia non in ea significatione Philosophi, & præsertim Peripatetici, eam sentẽtiam enunciarunt, ideò id, quod eis obijcit, ad rem non facit. At loquamur de ortu accidentium, quæ cum sint duplicia, materiata scilicet, & spiritalia: ordiendo à materiatis, de illis id primò dicendum est, quod dictum fuit de substantijs, nempè non formas fieri, sed composita; non enim fit albedo, sed album, vt patet ex septimo Metaphysicæ, & cum formæ etiam modo aliquo fiant, illæ non fiunt ex nihilo, quemadmodum ea, quæ creantur: fiunt tamen ex nihilo sui, vt dictum est de formis Substantiæ: Et hoc nedum est verum de formis accidentium per naturam productis, verùm etiam de prodeuntibus ex Arte; Ars enim Artificiosa constituens, eorum formas, quæ accidentia sunt, per transmutationem ex potestate materiæ educit, sic ex non figurato figuratum; ex non ordinato ordinatum constituit, vt in primo Physic. sępè asseruit Aristoteles. Hæc sola est differentia: quia potestas materiæ, ad formas Physicas, Physica est, & materia ad eas formas dicitur esse procliuis: potestas verò ad formas artificiosas, non Physica, sed violenta est, datur enim potestas, ne dum Physica, sed etiam violenta, vt patet ex secundo Poster. & propterea materia arter constãtium, quamuis dicatur potestate ad formas artificiosas, nõ propterea dicitur facilis, procliuis, & propensa ad eas, latior enim est potestas, quàm facilitas, siue propensio. Formæ itaque artificiosæ non sine congruente termino à quo, & potestate, ac transmutatione Subiecti fiunt, & propterea non dicuntur creari. Est tamen dubitatio de Qualitatibus secundis, quę ex mixtione, & temperamento prodeunt; nam mixtum prædictum Qualitatibus secundis, gignitur ex Elementis, earum expertibus: ac ita pro termino à quo, non habent priuationem iunctam cum forma opposita, veluti album nõ fit ex nigro, nec dulce ex amaro, & sic de cæteris. Soluit hanc difficultatem Simplicius in prima digress. octaui Physic. inquiens, falsum esse, huiusmodi Qualitates non fieri ex oppositis; corpus enim omne est calore præditum, & hoc præsertim dicit Simplicius, quia

*De Simplici.* *Quo formæ fiant ex nihilo.* *Aduersus Philoponum.* *De ortu accidentium.* *De Qualitatibus secundis.* *Simplicius.*

vnà cum Galeno non censet dari Elementa pura, sed eunctà esse permista, secundisq; Qualitatibus prædita. Hæc solutio non satisfacit, nam si darentur Elementa pura, vt plurimi ea dari putant, adhuc ex eis possent cõfici mixta, ac ita nil repugnat, quin generatio huiusmodi qualitatum non sit ex opposita, veluti etiam voluptas nõ semper ex dolore fit tanquam ex termino à quo. Præterea Aristoteles in secundo de Cœlo, dum ostendit Elementa carere figura: & in libro de Ortu, & interitu, dum Elemẽtorum qualitates explicat, ea considerat vt pura, & ex eis mixta confici manifestat. Insuper quamuis omni ex parte non sint pura, non tamen adeò sunt permista, vt quæuis pars eorum sit prædita, vel sapore, vel odore, cum tamẽ ex eorum mixtione sapores, & odores consurgant. Dicamus itaque, productionem secundarum Qualitatum ex mixtione consurgentium, nõ esse terminos primos generationis, vel alterationis, sed terminos primos generationis esse formas mixtorum, alterationis verò tẽperamentum: qualitates autem secundas ex temperamento prodire, & potiùs productionem earum debere dici generationem in parte, quàm propriè alterationem, cum sit mutatio ex non colorato in coloratum. Dum tamen considerantur vt terminus quidam alterationis, dicimus ex Elementis qualitatibus primis præditis, non coloratis, aptis tamen vt ex eis colorata consurgant, fieri colorata; Et propterea, vt non sunt termini per se primi transmutationis, ad quos: ita Qualitates primæ nõ sunt termini per se primi, à quibus, sed secundi, quatenus ex eis per consequutionẽ prodire possunt Qualitates secundæ: & hac consideratione priuatio est iuncta cum aliqua forma antecedente, & nec ex parte termini à quo, nec ex parte Subiecti, earum productio est creatio. Demùm loquẽdo de qualitatibus spiritalibus vt de lumine, & sensibilium actionibus: dico primò, eas non esse verè formas denuò genitas, sed præexistentiũ indicationes, & repræsentationes. Hinc Aristoteles in secundo de Anima dixit, Lumen esse præsentiam lucidi. Creatio autem est rerum principalium, non vmbrarum, & imaginum rerum præexistentium. Addo secundò, ad oblationem illam & repræsentationem, quæ generatio non est, sed imago quędam eius, ea cuncta cõcurrere, quæ pro generatione sunt necessaria, concurrit enim medium non tale, aptum fieri tale, ideò Aristoteles duodecimo Metaphysicæ 22. dixit, pro diei constitutione conspirare tenebras, vt terminum à quo, aerem perspicuum, vt materiam, & lumen tanquam formã. Similiter dixit delatiuum colorum debere esse sine colore, & sic de ceteris. Insuper in secundo de Anima aduersus Democritum dixit: si inane inter nos, & Celum mediaret, nos ea videre non posse, quæ in Cœlo reperiuntur, deesset enim deferens, quod profectò verum non esset, si actiones illæ crearentur. Addo demùm eas, non verè esse generationes, sed tanquam spiritales quasdam rei existẽtis propagationes, & ostẽsiones: & per hæc elucescit, huiusmodi Actiones non creari. At remanet adhuc dubitatio de habitibus Animi, & speciebus, quæ in Anima recipiuntur, quarũ Aristoteles in 3. de Anima, cont. 6. dixit, Animam esse locum, nam habitus ad Qualitatem pertinent, & propterea re vera formæ sunt, quæ gignuntur, & intereunt, nec videntur educi è potestate materiæ per transmutationem. Vt pateat solutio. Primò considerandum est, quemadmodum alibi patefeci, actum intelligendi à specie intelligibili nõ distingui; actum verò sentiendi eatenus à specie sensibili, siue à sensibilium actu distingui, quatenus actio sensibilium non fit sine aliqua spirituum, & instrumẽtorum permutatione, à iudicio distincta. Hinc ad sensum pertinet alteratio quædam, non autem ad intellectum, vt asseritur in septimo Physico. Accipiendum secundò habitus nõ in intellectu, vt in subiecto recipi, sed in parte sentiẽte, & est firma, ordinata, & distincta actionis sensibilium conseruatio, siue Phantasmatum. Addendum vltimò, actum intelligendi, & sentiendi, esse actionem immanentem, vt dicitur nono Metaphysicæ t 7. Actio immanens nulla ratione dicitur Creari. Sed quæres, num actiones sensibilium dicantur educi è potestate subiecti? Respondeo, non verè dicuntur educi: quia non verè gignuntur, nec verè formæ sunt, adumbratè tamen educuntur,

*Euersio.*

*De spiritalibus.*

*De habitibus Animi.*

quia ea vmbra & repræsentatio non sit sine definito subiecto: at formæ, quæ creantur, pro earum productione Subiecto non egent.

## *Dilutio aduersarum Rationum, & Resolutio Difficultatis. Cap. VIII.*

*Diluuntur rationes humana ratione formata.*

EX hactenus declaratis satis conspicuè patere iudico, Creationem esse actionem Dei, ope Naturę nō egentem, supra sensum, humanamq; rationem positam, ignotā Philosophis, & solo Dei beneficio Mentibus rectè affectis patefactam. Patet insuper satis facilè esse Philosophis, rationibus illis respōdere, qbus humana ratione ostendebatur, dari nouā creationem. Id primò ostendebatur, quia Mens extrinsecus accedit: At cum Aristotele supero lumine destituto dicam: Si est immortalis, etiam est ingenita; & si ex vnā, etiam ex altera parte ęterna est, nō autem creatur. Addebatur secundò, vniuersum sub Deo positū, cum imperfectione mixtum ab eo prodire, quod omni ex parte perfectum est. Respondeo cum Arist. in 1. de Cœlo. Mundū non genitū, sed ęternū esse, addo cum eodē Philosopho in eodem 1. de Cęlo, 100. à primo cuncta habere vt sint: & in 12. Metaph. ex Deo cœlum, & vniuersam naturam pendere. At dico, non pendere in genere causæ verè efficientis, sed conseruantis, & pendere ab ęterno, saltem tanquam ex postremo fine. Dicebatur tertiò, cætera sub Deo posita ex se non esse, & id omne, quod habent, ex Deo habere, quo nō existēnte, nihil esset. Hæc ratio si alicuius est roboris, solum ostendit creationem æternam, siue æternam rerum à Deo emanationem, non creationem nouam; Insuper non videtur cogere, quia dicam ego vniuersum pendere ex Deo, non vt ex efficiente, sed vt ex conseruante, vel vt affectio pendet ex eo, cuius est affectio, veluti, cū cœlum sit ęternum, æterna quoque dicitur eius figura, & si Cœlum non esset, ea figura non esset, nec ob id dicitur facta à cœlo, præsupponit itaque Mundus Deum: at non ob id efficitur ab eo. Addebatur quartò, Deum nil supponere: concedo, at non ob id Creat, quia ab eo nil proximè extrinsecus efficitur, nisi Motus Cęli. Dicebatur etiam, Deum esse immensi roboris, primò dico, assumptum esse verū at Philosophis minime notum; Addo secundò, quod quamuis immensi roboris sit, nil tamen proximè efficit nisi motum. Afferebatur ratio Aegydij: cū Deus sit actus purus, absolutè producit id omne, quod est. De hac ratione idipsum dicendum est, quod de præcedēte, vt patet. Dicebatur agens absolutissimum supra tempus, & motum positum, efficere opus absolutissimum, &c. Solutio patet ex dictis, nam cætera modo aliquo supponunt Deum, at non ob id efficiuntur, & Creantur, nam Deus proximè nil extrinsecùs efficit, nisi motū, ex opinione Aristotelis. Afferebatur ratio Philoponi, de qua cumulatè quid sit dicendum in præcedentibus patefeci. Similiter ostensum est, nec sensibilium actiones, nec cætera huius generis, alicuius esse roboris, pro approbanda noua Creatione. Demum generationis definitio Creationem non indicat, sed euertit: quia generatio est transmutatio Subiecti, &c. Creatio nō est huiusmodi, dicitur tamen mutatio totius, in totum, ratione formæ, quæ terminus est generationis, & est totum id, quod res est. Diluuntur profectò à Philosopho rationes aduersæ, at longè faciliùs est animo, supero Lumine illustrato, fundamenta Philosophorum euertere, statim enim quod supra naturam eleuamur, caliginem omnem deceptionis longe repellimus.

*Solutio.*

*F I N I S.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

# DE CREATIONE

## LIBER SECVNDVS.

*Et est de Creatione æterna, quæ æterna emanatio nuncupatur.*

## PROOEMIVM.

PHilosophos proprijs, & sibi Natura insitis viribus, ad nouæ Creationis notitiam eleuari non valuisse, satis cumularè in præcedente libro fuit ostensum: At de Creatione æterna, quæ etiam æterna dicitur emanario, maior est dubitatio: non.n. Philosophi celebres defuerunt, vt Simplicius, Auicēna, Algazel, & alij, qui eā varijs rationibus esse concedendam nixi sint suadere. Propterea D. Tho. in 2. Sen. distin. 1. asseruit: Si conditio creationis non est, vt non esse tempore, anteuertat esse, potest demonstratione patefieri, quod detur. De re itaq; hac tam sublimi, humanoq; ingenio obscura, verba facturus, referam. Primo eorum Sententiam, qui illā dari existimarunt. Patefaciam Secundò sententiam aduersam Principijs Peripateticorum magis esse consentaneam. Perpēdam: Tertiò id, in quo præsertim vis difficultatis est posita, num scilicet æternis sit apta competere causa efficiens? Ac insuper cōsiderabo, an opiniones, quæ inuicem pugnare videntur, aliqua ex parte conciliari valeant? Demùm diluam rationes aduersas.

*D. Tho.*

*Ordo procedendi.*

### *Sententia putantium dari æternam Creationem. Caput Primum.*

QVoniam consensione Sapientū conditio Dei est, vt ex eo pendeant omnia: de quo etiā enunciarunt Philosophi, quòd nulla detineatur inuidia; & existimarunt, illum operari cum quadam naturæ necessitate, constanter, & sine vlla sui mutatione: ideò ea omnia, quæ ex illo prodire valuerunt, ab æterno prodijsse asseruerunt: quam & creationem æternam, & æternam emanationem nuncuparunt. Huius Sententiæ præsertim visus est fuisse Plato, vt dum explicabo eius opinionem patefaciam. Similiter Auicenna ex Intelligentia Prima, manare secundam, & ex secunda tertiam, ac insuper ex intelligentia manare Animā Cæli existimauit, adeò, vt nedum Deo, verùm insuper Menti, & Intelligentijs sub Deo positis, officiū hoc Creandi tribuerit. Aristoteles visus est hoc indicasse 1. Cæli, 100. inquiēs: à primo oībus tributū est esse: & 12. Metaph. 38. Ex Deo pēdet Cælū, & vniuersa natura. Ac insuper in 1. de

*Plato.*

*Auicēna.*

*Aristoteles.*

Cœlo 31. de Cœlo loquens, inquit, Deum, & naturam nil efficere frustra: indicans, etiam Cœlum ex Deo manasse. Cum itaq; nullo supposito, ab ęterno cuncta ex Deo prodierint, iure colligendum est, Aristotelem ęternam hanc Creationem approbasse: *D.Thom.* quam ex opinione Aristotelis approbauit D.Tho. in secundo Senten.distin.1.in prima parte Summæ, q.46.& alibi. Scotus quoque, quamuis in secundo Sent. distin. *Scotus.* prima, q.3. dubitet, an fieri possit, vt Deus aliud à se sine principio tẽporis producat, & inclinet in partem, quod id fieri nequeat; tamen in primo Sen. dist.8.q.5. explicãs opinionem Aristotelis, ait ex eius sententia, Deum esse virtutis immensæ, & Intelligentias oẽs sine medio producere, cętera verò mediantibus illis, adeò, vt Intelligẽtię sub prima positę, ex se formaliter sint necessarię; à Deo autem, tanquam à causa, ex qua pendent. Cum itaque ex Deo sine alterius ope ab ęterno prodierint, & ita prodierint, vt nil sit in eis, quod ex Deo non pendeat; iure ęterna quadam Creatione dicuntur ex Deo manasse. Sic Auicenna in sexto suę Metaphysicæ, Deum ponit creatorem Mundi. *Zimara.* Zimara quoque in quæst. de triplici genere causę, quo Deum vniuersi putat esse causam, ęternam hanc ex Deo emanationem concedit. *Philoponus.* Philoponus idipsum existimat, cum alibi, tum pręsertim in primo de Ortu, & interitu, comm.107.& 112. quo loci ex Sententia Aristotelis ait, Deum vniuersi orbis, non causam efficientem esse, per motum, & transmutationem, sed Opificem, Creatorem, & Conseruatorem. Eandem Sententiam approbauit etiam in calce primi Physic. De Simplicio & Alexandro quid senserint, in progressu patebit.

## *Rationes pro æterna Creatione.* Cap. II.

*Pro Creatione aeterna. Ratio prima.* Peripateticos huius fuisse opinionis, quòd cuncta ab æterno manarint ex Deo, varijs cùm rõnibus, tùm auctoritatibus ostẽdi põt. Prima ratio elicitur ex conditione puritatis, & impuritatis rerũ: omne.n. quod in aliquo genere impurum est, ex eo prodit, in quo seorsum ab omni impuritate reperitur: cuncta sub Deo posita, cũ Deo comparata, sunt impura, & cũ potestate pmixta; ideò ex Deo prodeũt, in quo purissima reperiuntur. Et quoniam quęcunq; ex Deo prodeunt, cũ quadã necessitate naturę ex Peripatieorũ sententia prodire dicuntur; ideò, ab ęterno prodierunt, quia ab æterno prodire valuerunt, & ita prodierunt, vt nil eorum origini antecesserit, ideò iure æterna Creatione Creata dicuntur. *Secunda.* Secundò, hoc ostenditur ex cõditione rerum ex prima causa pendentium: omne enim ex causa pendẽs, vt ex ea pendet, ex se non est, sed ab ea habet vt sit: cuncta sub Deo posita ex Deo omni ex parte pendent, ideò ex se non sunt, sed ex Deo habent id omne, quod sunt; quare Creãtur: quia ex nihilo constituuntur in esse, & nil est in eis, quod non pendeat ex Deo. *Marsilius Ficinus.* Similem ferè rationem format Doctissimus Ficinus, 18. lib. Platonicæ Theologię. capi.1. inquiens: Mundi Moles ex se esse non potest, alioquin ipsa seipsam formaret, & faceret: at formare aliquid, nõ ad corpus pertinet, omne enim agens, facultate aliqua incorporea agit: pendet itaque corporeum omne ex aliquo primo incorporeo, & cum pendeat totum, Creari dicitur, & cum pendeat semper, dicitur ab æterno Creari. *Confirmatio.* Cõfirmatur eadem ratio: quia vnumquodque ex eo pendet, ab eoque habet id omne, quod est, per quod continenter seruatur, & operatur: seruare enim & ad operandum conspirare, agere est, & agere sequitur ipsum esse: At cuncta sub Deo posita, à Deo seruantur: Nisi enim Deus esset, nihil esset, vt cõstat ex nonn Metaph. t7.& ab eo Motus, ac Generatio seruantur ęterna, vt ostenditur in octauo Physico. & eo non operante, cętera operari non valent, vt ex eodẽ octauo elicitur. Quare cuncta à Deo habent id totum, quod sunt, & habent semper, cum Deus sit ipsa ęternitas, consimiliter se habens, pro facultate operans; & proptereà æterna emanatione Vniuersum ex Deo prodijt. *Tertia.* Prętereà exactiùs idipsum ostenditur rationibus sumptis ex conditio-

nibus

tibus primi principij: Nam cōditio principij primi, communis, & principalis est, vt ex eo pendeant omnia, pendeant semper, pendeant maximè; nisi enim pēderent omnia, non esset principium commune; nisi semper, non semper esset principium; & nisi maximè, non esset principium absolutum ac præstantissimum. Deus (consensione omnium Sapientum) est principium primum, commune, & principale; quare cuncta ex eo semper, & maximè pendent, non autem maximè ita penderent, nisi ab æterno ex eo manassent. Et Confirmatur: quia cum Deus sit causa prima, eius debet esse causa, quod primum est, & à cæteris præsupponitur: hoc autem est esse, quare omne, quod est, à Deo ex nihilo constitutum est in esse, & propterea dici debet ab eo æterna emanatione Creatum. Insuper, conditio primi principij est, vt sit ipsum vnum, ipsumq; optimum: quare omne bonum debet esse participatio eius, & nil reperiri debet, quod ex eo non prodierit.

*Quarta.*

Consequutio deducitur: nam si aliquid reperiretur, quod non prodijsset ex eo, id quoque esset primum; ac ita prima essent plura: & si bonū aliquod reperiretur, quod non manasset ex primo bono, bonorum genera essent plura, non connexa, nec conspirantia ad vnum: at cuncta sunt connexa, cuncta seruant imaginē primi boni; cuncta in illud, vt in parentem conspirant, cuncta itaq; ex eo manarūt, ac illud vt parentem quærunt, ab eoque perficiuntur: Inde prodit mutua connexio, mutua dilectio Creatoris, & Creaturę, & mira Prouidētia, & cura, qua Deus suam prolem curat, & seruat. Demùm hęc auctoritatibus varijs confirmantur.

*Quinta.*

Sententia est Aristotelis 9. Metaphysi. 17. nisi darentur Substantię separatæ, nil reperiretur, quod maximè de Deo verum est, ex quo prodeunt cuncta. In primo de Coelo 32. legitur, Deum, & Naturam nil facere frustra, ac ita indicatur Cœlum ex Deo prodijsse. Et in conte. 100. legitur: A primo omnibus tributum fuisse esse, nonnullis clarius; aliis obscurius. Et duodecimo Metaphy. 38. asseritur: ex Deo cœlum, & vniuersam naturam pendere. Cum itaque ex eo pendeant omnia, nullo supposito, iure Creata dici debent.

*Simplicius.*

Hinc Simplicius in calce octaui Physi. affirmat, Substantiam Coeli praeditam esse causa efficiente, & asserit Ammonium id demonstrasse.

## *Rationes euertentes Creationem æternam.*

## *Cap. III.*

*Aduersus creationem æternam.*

Creatio ęterna, dum exquisitè consideratur, eorum videtur esse cōmentū, qui inter Philosophos, & Theologos se medios cōstituūt; qui absolutè nec ritè Philosophi, nec ritè Theologi nuncupari merētur: hi.n. cū ex Theologis Creationē sumant, ex Philosophis ab æterno nil noui produci posse, & Mundū esse ęternū, se medios cōstituentes, Creationē ęternam imaginantur. At quàm longè à vero recedant, facilè per dicenda patebit.

*Ratio prima.*

Primò, id ex eo ostenditur quia Creatio, siue ęterna, siue noua, vim immensam Creatoris exposcit. Aristoteles immensam Dei virtutē non nouit, vt patet ex libro de Virtute Dei.

*Secunda.*

Prętereà, conditio Creationis est, vt per eā res Creanda ex non esse, siue ex nihilo, constituatur in esse, sine transmutatione: hęc ex Philosophorum sententia pugnantia includunt modū, quia aduersantur cōmuni eorum sententiæ, ex nihilo nihil fieri: verùm insuper, quia Creare est efficere; efficiens autem est principium transmutandi aliquid; & hæc pugna, non ex tempore oritur, sed ex conditione absoluta Creationis, & efficientis.

*Tertia.*

Præterea, Philosophi ea concedunt, quæ in aliquo seruari cognoscūnt, at inductione constat, cuncta quę fiunt, ex aliquo fieri, nil apparet fieri ex nihilo, quare Philosophi id concedere non valent.

*Quarta.*

Insuper, quòd nō potest fieri, non potest factum esse, vt asseritur in Rhetoricis: Creatio non potest fieri, quia non datur Creatio noua, ex sententia Philosophorū: quare nec potest facta esse, adeò, vt ab ęterno Vniuersum à Deo creatum fuerit.

*Quinta.*

Insuper, si

Aristoteles Creationem æternam concedendam putasset, variæ eius ostensiones redderentur inanes, veluti illæ, quibus ostendit, Mundum, Materiamque esse ingenita: omnes enim supponunt, non dari alium productionis modum, nisi per trāsmutationem, & motum, qui tamen daretur, si emanatio illa ex non esse rei penitùs ad esse cōcederetur, & apprimè damnandus esset Aristoteles, si æternam Creationem excogitasset, & rem tanti ponderis silentio præterijsset, veluti ipse in secūdo Phys. damnabat veteres Philosophos, qui de Casu, & Fortuna non disseruerunt. *Confirmatio.* Confirmatur hęc ratio: quia Aristoteles in primo de Cęlo, referens significationes latè sumpti Geniti, nullam retulit, ad quam hæc æterna emanatio redigatur. *Solutio.* At inquiunt, Simplicius, & Philoponus, Aristotelem eam æternam emanationē nō nuncupasse Generationem, & ob id, quæ ita manarunt, ingenita nuncupasse. *Euersio.* Hęc Solutio nullius est roboris: tum quia illam explicare debuisset: tum insuper, quia ea quæ manarunt, ab his quæ non manarunt, distinguere debuisset, quod minimè fecit: tum demùm, quia quæuis Creatio, apertè pugnat cum Principijs Aristotelis, vt patuit in præcedentibus. *Ratio sexta.* Præterea, asserere aliquid ab ęterno Genitum, siue Creatum esse, pugnātia includit: Nam si est æternum, est semper, & conditionē habet vt semper sit. Si est Creatum, ex se non est, & quatenus est ex se, potest non esse: si potest nō esse, ponatur, quod non sit, ita, simul erit, & non erit: quemadmodum Aristoteles in primo de Cęlo aduersus Platonē argumentatur. *Solutio.* At inquiunt, posse non esse, non pro eo tempore in quo est, sed quatenus non esse præcessit natura, esse: ac ita aiunt, posse non esse pro eo priore origine, non tempore. *Euersio.* Hæc Solutio apud Aristotelem locum non habet: Nam tunc perinde se haberet, ac si diceremus, aliquid posse non esse, quatenus potuerit non esse: quod reijcit Aristoteles in primo de Cœlo, disputans aduersus Platonē: & præsertim, quia quod competit alicui ex sui natura, semper, & absolutè ei competit: quare si ex sui natura, ea, quæ ab æterno manarunt ex Deo, non sunt: Si ponuntur vt non sint, simul erunt, & non erunt, vt argumentabatur Aristoteles. *Septima.* Præterea, asserere aliquid ab ęterno Creatū esse, pugnantia alio pacto includit: Nam omnis Creatio exposcit aliquid primò Creatum: Si igitur ab æterno humana species (gratia exempli) manauit ex Deo, vel datur aliquis homo primus, qui manauit, vel consimiliter se habet de omnibus: asserere quòd consimiliter se habeat de omnibus, est idem, ac asserere, non Creari: quia homines modo Creari non dicūtur, sed verè Gigni, ex sententia Aristotelis, & præsertim, quia sic vt æterna, ita noua Creatio daretur, quam tamen apertè Philosophus non concedit. Dicere, dari primum Creatum, est euertere emanationem æternam: quia primum, & infinitum mutuò se destruunt: Vel itaque res continenter manant ex Deo, vel non ab ęterno manarunt. Et profectò rationem hanc maximi ponderis esse iudico. *Confirmatio.* Et Confirmatur: quia non potest species aliqua manare ex Deo, quin manet indiuiduum aliquod eius speciei. Si itaque species Leonis ab æterno manauit ex Deo, etiam Leo aliquis manauit, non enim seruatur species sine aliquo indiuiduo: & propterea dabitur Leo primus, & homo primus, quod fieri non posse ostenditur ab Aristotele in tertio de Gener. Animalium, cap. postremo. *Solutio.* Nec satisfacit quorundam Solutio, asserentium, id non sequi: quoniam ea Creatio statuitur æterna non in tempore, & subiecta tempori: *Euersio.* Hoc inquam nullius est roboris: quia ratio absolutè de quauis Creatione vim habet: statim enim quòd dicimus speciem creatam, ponimus indiuiduum aliquod Creatum, & si nullum indiuiduum est Creatum, species quoque non potest dici creata. Vel itaque consimiliter se habet de omnibus, & ita euertitur creatio, vel ponitur primum, & ita euertitur æternitas, & infinitum: Propterea, rectè sensit *Henricus.* Henricus, Quolibeto primo, q. 7. asserens, creaturæ repugnare, fuisse semper: quia creatum pugnat cum æterno. *Octaua.* Præterea, si daretur hæc æterna creatio, tunc potiore ratione, quàm ratione sumpta ex motu, ostendi posset dari genus separatarum formarum: Nam id, quod producendo materiam, non supponit necessario, a materia est solutum: At Aristoteles hac ratione nunquam est vsus. Ex

his

his constat, quòd Creatio non quia noua, reijcitur ab Aristotele, sed absolutè, quatenus Creatio. Ideò Auerroes frequenter Creationem toto genere reijciendam manifestat, veluti in primo Physic. 71. in octauo Physic. comm. quarto, & alibi. Et in secunda Disput. cōtra Algaz. in solutione quinti dubij, preter cętera, hęc profert: Quicunque concedunt Creationem Mundi, eosdem oportet concedere actionem agentis pendere ex priuatione; actio namque agentis apud Philosophos, non est aliud, nisi deductio rei ex potestate ad actum: & demum colligit: oportet itaque esse duorum alterum, aut quod in re effecta non pendeat actio agentis, aut quod pendeat ex priuatione: ex quo sequitur, vt priuatio possit conuerti in esse, & esse in priuationē, & quòd actio agentis sit translatio alterius eorum oppositorum in alterum: quæ omnia falsa sunt in cunctis oppositionibus, &c. Sic Auerroes cum Peripateticis Creationem toto genere reijciendam censuit. Et propterea veriorem puto opinionem Gregorij Arimin. in secundo Sent. Dist. prima, necnon Ioan. Bacc. qui ex sententia Aristotelis negarunt æterna esse producta. Cuius opinionis fuisse puto Alexandrum præclarissimū Peripateticum. Et quicunque æternam illam emanationem approbarunt, vel id fecerunt, vt Aristotelem cum Platone conciliarent, vel quia, vt ait Auerroes, multi qui simul sacerdotum Legibus, & Philosophiæ nauarunt operam, connectentes vtrorumque sententias, ambas peruerterunt: è quorum numero ait fuisse Algazelem, & Auicennam: ideo ab eo nuncupātur Zenodij, hoc est, Philosophi heretici, nam vię Theologorum, & Philosophorum seruandæ sunt sinceræ, & distinctæ, non confundendæ, & permiscendę. Demùm non esse concedendam Creationem ęternam, ita ostenditur. Aeterno vt æternum, repugnat causa efficiens, igitur repugnat Creatio. Consequutio deducitur; quia Creatio omnium consensione est effectio, quòd autem æterno, vt æternum, non competat causa efficiens, ex dicendis patebit.

*Auerroes.*

*Gregor. Ariminensis.*

*Io. Bacc.*

*Nona.*

## *An æternis competere possit causa efficiens?* *Cap. IIII.*

QVoniam vis tota eius difficultatis, an detur ęterna Creatio, præsertim in eo est posita, vt pateat, an ęterna possint esse prędita causa efficiente: ideò accuratè hoc cōsiderādum proponitur, & iure profectò: Nam quatuor hac de re sunt Philosophorū Sētentię. Henricus Quolib. 1. q. 7. censuit creaturę repugnare, fuisse semper. Simplicius verò Philoponus, & cum eis Zimara, insuper D. T. & Occha, aduersę sunt sententię. Durandus medians, ait id repugnare Creaturę mortali, non ęternę. Scotus vtrāq; partem posse probabiliter defendi existimauit. Cum itaque res sit apprimè dubia, pro quauis parte est discutienda. Quod ęternis competere possit efficiens, nititur Zimara ostendere exemplo motus coeli, & luminis, quę æterna sunt, & consensione omnium sunt prędita causa efficiente: nam Aristoteles, in octauo Physic. cōsiderans motum primum, vt æternum, vnum, & continuum, ei tribuit causam efficientem. Præterea, Metaphysicus considerat modo aliquo causam efficientem, & cum abstrahat à motu, & transmutatione, eam causam efficientem considerare debet, quæ sine motu, & transmutatione efficit; huiusmodi est efficiens æternum per emanationem. Hinc Auerroes in primo Physic. comm. primo ait, Metaphysicum considerare causam efficientem modo aliquo. Quod etiam asseruit in Paraphrasi Metaphysicæ, tract. primo indicans causam efficientem æternam sine motu, & trāsmutatione. Idipsum elicitur ex eodem Auerr. 12. Metaphysicæ, comm. 44. dicente, in Intelligentijs non reperiri actionem, nec consequutionem, neq; prouentum, sed solùm causam, & effectum, quatenus id, quod intelligitur, est causa intelligentis: At patet (inquit Zimara) intelligibile esse causam efficientem intelligentis, obiectum enim mouet vt efficiens, quare

*An æterna sint prędita efficiente, opiniones quatuor.*

*Aeterno competere causam efficientem.*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

æternis competit efficiens. Similiter ait Auerroes 12. Metaphysicæ 56. Balneum in anima mouere vt efficiens,& cũ simile reperiatur in Intelligentijs, in eis quoque locum habebit efficiens. Insuper, quòd detur agens. sine transmutatione competens

*Tertia.* æternis, elicitur ex Aristotele 9. Metaphysicæ, cont. 1. dicente, potestatem, & actum ad plura extendi, quàm ea, quæ dicuntur secundum motum: at vbi reperitur potentia & actus, etiam reperitur efficiẽs: quare datur efficiens sine motu. Præterea, cum

*Quarta.* Auerroes sæpè dicat, causam agentem in æternis non præire tempore, apertè indicat,

*Quinta.* æternis competere posse causam efficientem. Hæc omnia comprobantur conspicuo exemplo affectionum, quæ ex internis principijs, vt ex efficiente prodeunt, sine motu tamen, & transmutatione, veluti ex rationali, fluit risibile sine vllo motu, ideò aiũt, si pes ab æterno fuisset in arena, æternum esset vestigium in ea impressum, quod tamen

*Sexta.* à pede effectum iudicaretur. Insuper, æternis competere posse causam efficientem, varijs authoritatibus confirmatur. Auer. in 2. cap. de substantia Orbis, ait nedum motum, verùm etiam Cœlum habere causam efficientem. Et in lib. de substantia Orbis, cap. 5. Necnon in prima Disp. contra Algaz. Et in sol. 11. Dubij ait: Si motus Cœli destrueretur, periret mũdus, & ordo Vniuersi, indicans Mundum, & ordinẽ æternum præditum esse efficiente. Similiter ait Auerroes in lib. de substantia Orbis, finem denotare necessariò efficientem, æternis (consensione omnium) competit finis, quare & efficiens. Insuper, in tertia Disput. in solutione secundi Dubij, inquit: Philosophi non dicunt corpus agere vmbram, quia ab eo non efficitur, nisi latè sumpta affectione, efficiens enim seiungi debet per naturam à re effecta, at corpus cum vmbra nõ ita se habet. Et isti opinati sunt Deum differre à Mundo, & illum efficere. Quare nulla est similitudo inter effectionem Dei, & efficientium nobis præsentium, siue per naturam operentur, siue per voluntatem: immò Deus est agens, & efficiens, dictas causas, deducensque vniuersum ex priuatione ad actum, & cõseruans illud gradu nobiliore, quam competere valeat agentibus nobis præsentibus. Conspicuè Auerroes duplex statuit efficiendi genus, & æternis causam tribuit efficientem, & hæc eadẽ sepè repetit. Et in Sol. 18. Dub. ait: amplius declaratum est à Philosophis, quod finis substantiarum separatarum etiam est forma: nam forma, & finis idẽ sunt in eis, ideò dans finem dat formam, & dans formam est agens, ex quo constat Principium primum esse eorum initium vt formam, vt finem, & vt efficientẽ. Similiter Disp. 14. in sol. primi dubij, inquit: Dicimus Philosophorum opinionem notiorem, rationique magis consentaneam esse alijs duabus: eo quòd agens duplicis generis est. Vnum, ex quo prodit res effecta, ex eoque pendet secundum fieri, non autem dum facta est, vt se habet de ędificatore, & domo. Alterum ex quo prodit actio, & res effecta non est sine actione, & remota actione, remouetur res effecta, & posita, ponitur: quæ secunda actio est prestantior prima, nedum enim producit rem effectam, verùm insuper illam seruat. Insuper in 2. cap. de Substantia Orbis inquit: Ideò videmus Cœlum habere virtutem vnam, nedum mouentem omnia, verùm insuper agentem, & seruantem, vt accidit de corpore hominis, & corpore facto propter finem; finis enim significat causam efficiẽtem necessariò, vt motus motorem: At in genere efficientium, quoddam est prius tẽpore re effecta, vt se habet de contentis sub orbe Lunæ: quoddam est prius natura, nõ tempore, & est orbis, quem sequitur tempus, eique accidit, & efficiens orbem, cum dispositionibus necessarijs pro assequendo fine. Hoc cum nonnulli ignotarint, asseruerunt Aristotelem non tribuere Vniuerso causam efficientem, sed mouẽtem tantum; quod est valdè absurdum: Nam proculdubio efficiens Cœlum est id, quod mouet illud: Quod enim id proprio motu mouet, est illud, quod ei primò dispositiones largitur, per quas motum proprium acquirit; quæ virtus illa est, quam frequenter laudat Aristoteles in lib. de Cœlo, eamque iudicat eminentiorem, præstantioremq; Cœlo.

*Conclusio dictorum.* Ex his, ac alijs innumeris verbis, quæ ab Auerr. varijs in locis proferũtur, luce clarius tria eliciuntur. Vnum est, dari efficiens distinctum ab efficiente Physico. Alterum, id

efficiens

efficiens competere æternis. Tertium, huiusmodi efficiens eminentius, ac præstantius esse efficiente rerum mortalium. At cur in Auerroe moror, cum ipsemet Aristoteles conspicuis verbis sępè idipsum affirmet? nam in primo de Cœlo, contex. 20. ait, rectè videtur Naturam id, quod futurum erat ingenitum, nempè Cœlum, exemisse à contrarijs. Et in contex. 32. ostendens motui Cœli non competere contrarium, inquit, Deum, & Naturam nil efficere frustrà. Et in contex. 100. inde alijs tributum est esse, & viuere, his clarius, alijs obscurius. Insuper in secundo de Cœlo 50. nil, vt contingit, facit natura. Et in secundo de Ortu, & interitu, in contex. 59. inquit: Cum mortalia non valeant esse æterna numero, altero modo compleuit Deus Vniuersum, continuam efficiens Generationem. Et in contex. 51. ait: Sunt igitur & numero æqualia, & genere eadem Principia, quæ & sempiternorum, ac primorum, &c. Et in primo Metaphysicę, prope calcem. Quare qui vt in Animalibus, ita in Natura Intellectum inesse dixit, causam Mundi, vniuersique ordinis, quasi sobrius comparatus cum vetustioribus inania dicentibus, apparuit. Et nono Metaphysicæ 17. Nisi essent substantiæ abiunctæ, nihil esset. Et duodecimo Metaphysicæ 38. Deus est id bonum, ex quo pendet cœlum, & Vniuersa Natura. His, & similibus verbis, frequenter Aristoteles patefacit æterna posse esse prædita causa efficiente. Simplicius sæpissimè id affirmat, vt patet ex calce primi Physic. ex secũdo Physic. in expositione contex. 45. 67. 70. ex octauo Physic. in prima digress. contra Phil. & comm. 101. Insuper, ex primo de Cœlo, comm. 21. 88. Et postremò, id ipsum asseruit Ammonius, in calce primi de Interpretatione, & sæpè Philoponus. Auicenna quoque manifestissimè id affirmauit, cuius Sententia, quæ præsertim colligitur ex nono suæ Metaphysicæ, capitulo quarto, hæc est: Deus intelligens se tãquam causam, producit Primam Intelligentiam, quæ intelligit Primum Principium idq; intelligendo, producit intelligentiam secundam ex nihilo, & eadem prima Intelligẽtia intelligendo se, producit Animã sui Orbis, quę etiã facultate sentiendi prædita est, qua producta, eadẽ Intelligentia prima, quatenus cognoscit se ipsam præditam potestate, & pendentem ex primo principio, per intermediam Animam producit Orbem suum ex materia & forma conflatum; Similiter secunda Intelligentia producit tertiam Animam sui Orbis, & Orbem: Postrema demum Intelligentia, comprehendens principium primum, producit sine medio intellectum agentem, & materiam primam: Intellectus autem agens, compræhendens Principium primum, producit Animam rationis cõpotem, numero multiplicatam, & cum corpore iunctam, & producit animas omnes, & formas mortalium, quæ formæ, cætera producunt, & absoluunt. Sic Intellectus agens dicebatur largitor formarum. De qua opinione multa dicit Auerroes in tertia Disput. Dubij 18. Hæc est Catena insolubilis Auicennæ, qua cuncta ducuntur à primo, connectuntur inuicem, & rediguntur in illud. Sic Auicenna in Cœlo considerabat Deum, Intelligentiam, Animam, & Naturam. Deum dicebat esse finem commune, & solum mouere vt finem, cæteras Intelligentias esse fines proprios, Animas mouere vt efficientes, per intermediam naturam, & propensionem cęli ad motum. Hęc opinio in parte est similis opinioni Academicorum: nam ipsi quoque Naturam ex Anima, Animam ex Mente, & Mentem ex Deo prodire asseruerunt. Ex his constat, quomodo Auicenna etiam ęternis putarit competere causam efficientem. Patet itaque cùm rationibus, tùm auctoritatibus, ęterna posse esse prędita causa efficiente. Ex aduerso tamen Alexander, Gregorius Ariminensis, Ioan. Bacchonus, & alij viri docti, id negarunt: quorum opinioni fauent rationes illę, quibus in pręcedentibus ęterna Creatio euersa est. His accedit: quòd quotiescunque vnum pendet ex alio, & cum eo iunctum est, si illud aliud est ingenitum, id quoque ingenitum iudicatur: veluti si Socrates esset ingenitus, eius quoque ridendi facultas, diceretur ingenita, vt enim dans formam, dicitur dare sequentia formam: ita si forma est ingenita, sequentia formam ingenita iudicari debent. Similiter putandum est se habere de mundo

com-

*Aristot.* *Simplicius.* *Ammonius* *Auicẽna.* *Catena. Auicennæ.* *Academici.* *Opinio aduersa.* *Ratio.*

comparato cum Deo: Propterea vbique Aristoteles Mundum, Materiam, & similia, dicit ingenita.

## Resolutio Difficultatis. Cap. V.

*Primum quod accipitur,* VT tam arduę difficultatis conspicua aliqua resolutio refulgeat, nõnulla apprimè vtilia præaccipienda sunt, quorum vnum est, ęternum du pliciter posse considerari. Primò, vt æternum, principio carens. Secundò, vt continenter fit, vel seruatur, veluti motus cęli æternus continenter fieri dicitur. Distinctio hæc ex se conspicua est, & elicitur ex *Alterum.* Auerroe Disp.3. in Sol. septimi Dubij, & sequentium. Accipiendum secundò efficiẽs esse duplex, vnum denuò, & verè efficiens: Alterum conseruans solum. Distinctio est Auerrois secundo de Cęlo, comm.102. quarto de Cęlo, comm.1. & alijs in locis. Ex quo elicitur alia Distinctio, & est: quod efficiens, vel est prius tẽpore, vel est simul tempore, solùm prius origine, quale est efficiens, conseruans. Elicitur distinctio ex secundo cap. de Substantia Orbis. Addendum tertiò, efficiens esse duplex: vel in idem veniens cum forma, nam formas dicitur modo aliquo rẽ efficere, & constituere: vel à forma distinctum, & rem transferens ex non esse ad esse. Elicitur distinctio ex Paraphrasi Metaphysicę, trac.4. & ex Disp. decima Sol. 10. & 18. Dubij. *Quod colligitur.* Ex his colligo aliquid posse dici factum, & prædictum causa efficiente dupliciter: vel quia sit absolutè translatum ex non esse ad esse: & hoc verè, & absolutè dicitur Genitum: vel quod continenter fiat, & pendeat. Prima consideratione motus cęli non est factus; secunda verò cõsideratione dicitur continẽter fieri: hinc Aristoteles in octauo *Prima conclusio.* Physic. cum dicat motum non esse factum, ei tamen tribuit causam efficientem. His præassumptis, quinque profero Conclusiones: Prima est, Aeterna, vt æterna, carent *Secunda.* causa verè, & propriè efficiente. Altera est, Aeterna etiam, vt æterna, possunt esse p̃dita causa conseruante, quatenus eis huiusmodi causa non aduersatur. *Tertia.* Tertia est, Aeterna, vt continenter fiunt ac innouantur, prædita sunt causa continenter ea effi*Quarta.* ciente, & innouante. Addo quartò, Aeternis competere finem, & causam efficientem, vt efficiens in idem venit cum forma. *Quinta.* Demùm dico, Si æterna Creatio, & emanatio propriè vsurpatur, ea non datur; At si vsurpatur latè per similitudinem, & metaphoram, ita æternam Creationem cum Aristotele cõcedere valemus; quatenus modo aliquo ex Primo principio pendet ab æterno Vniuersum, & nil in eo est, quod in aliquo genere causæ ab eo non pendeat, adeò, vt nil non pendens præsupponatur: hæc tamen non propriè est Creatio: quia non est propriè sumpta effectio. Ex harum *Explicatio primę conclusionis.* Conclusionum explicatione, vniuersæ difficultatis resolutio elucescit. Prima erat, æterna, vt æterna, carere causa propriè efficiente, quæ satis nota est per rationes, quibus æterna Creatio reijciebatur: & præsertim, quia tunc deberet dari primus homo, & primus Leo, qui manasset ex Deo, quod tamen reijcit Aristoteles in lib. de Gener. Animalium, & pugnat cum æternitate, vt patuit. Præterea, si datur æterna Creatio, vel cuncta sine medio ab ęterno manarunt à Deo, vt ex sententia Aristotelis putat D.Thom. & cum eo alij multi: vel quędam, vt solę Intelligentiæ, quemadmodum censet Scotus in primo Sent. Dist.8.q.5. Aut saltem Intelligentia prima, vt putarunt Platonici, & Auicenna. Non est approbandum primum: quoniam res vt per se ad esse se habent, ita se habent ad produci; res per se sunt distincti ordinis, vt dicitur duo decimo Metaphysicę 51. & per varia vario modo seruantur: quare etiam per varios gradus per se pendent, & fluunt: quod enim sine medio fluit ab aliquo, etiam sine medio seruatur ab eo, & ad illud ordinatur. Neque approbanda sunt altera duo membra, alioquin aliud à Deo valeret Creare, largiretur esse absolutè, & nil supponeret, *Explicatio secunda.* quod fieri nequit. Altera Conclusio erat, æterna posse esse prędita causa efficiente, conseruante: quę Conclusio ad duo potest referri, ad fluentia, & ad permanentia. Si re-

Si refertur ad fluentia,conſpicua eſt:nam motus æternus,æternaque generatio,prædita ſunt cauſa æternitatis earum conſeruante,vt in octauo Phyſic.& in primo ac ſecundo de Ortu, & interitu patefacit Ariſtoteles. Si refertur ad permanentia, ſimiliter modo aliquo vera eſt,quatenus dum imaginamur non eſſe Deum, nil cæterorum ſeruari poteſt. At hoc non eſt in genere cauſæ efficientis, ſed finis,formæ, & eſſentialis ordinis,in quo ſine primo non eſt ſecundum. Hinc Ariſtoteles in quinto Metaphyſicæ,cont.6.ait,dari neceſſarium ſine cauſa,& præditum cauſa.Et in octauo Phyſic.15. aduerſus Democritum ait,dari æterna prædita cauſa. Et in comm.46.& 47. manifeſtat à principio æterno,& immobili ſeruari motum,& generationem ęternam. Tertia Concluſio,æterna nimirùm,vt continenter fiunt,eſſe prædita cauſa efficiente,conſpicua eſt: conceditur ab omnibus, & modo aliquo in præcedente includitur; in hac ſignificatione Academici aiunt ſenſibilia mortalia, & motum non eſſe,ſed fieri: intelligibilia verò eſſe, & non fieri; Ideò Simplicius in primo de Cœlo, comm. 100. concilians Ariſtotelem cum Platone, manifeſtat Mundum à Platone dici genitum: quia nō verè eſt,vt intelligibilia,ſed fit,& ideò rectiùs dici ſemper fieri,quàm ſemper eſſe. Similiter quarta Concluſio cōſpicua eſt,æternis ſcilicet competere finem, & cauſam efficientem,vt efficiens in idem venit cum forma,nam formare eſt perficere,& conſtituere rem, quod æternis non repugnat. Hinc Auerroes quarto Cęli, comm. primo ait,æterna non habere efficientem,niſi per ſimilitudinem, nec habere ex quatuor cauſis,niſi formam, & finem:& ſi habuerint aliquid vt efficiens,id nō erit, niſi quatenus eſt forma eius, & conſeruans illud. Et clariùs Diſput.3. in Solut.18. Dubij ait: Declaratum eſt à Philoſophis,quòd dans finem ſeparatis,dat formam;forma enim,& finis in eis ſunt idem,proptereà dans finem,dat formam,dans formam,eſt agēs,ita primum Principium eſt ſeparatorum cauſa,vt forma, finis,& agens, &c. Hac conſideratione etiam in Paraphr. Metaph.tract.4. ait,Intelligentias eſſe ſibi inuicem cauſas in triplici genere cauſæ. Dicebatur Poſtremò, Creationem æternam propriè ſumptam reijciendam eſſe,& ſolùm eſſe concedendam per metaphoram,& ſimilitudinem:quę Concluſio ex duabus partibus conſtat: Prima earum nota eſt, per ea, quæ dicta ſunt aduerſus æternam creationem; Altera ex eo eſt conſpicua, quia conditio Dei eſt, vt ſolus abſolutè ſit primus, ex nullo pendens, & nil aliorum reperiatur, quod ex eo in aliquo genere cauſæ non pendeat, adeò, vt totum abſolutè ex Deo pendere dicatur: & proptereà dicitur manare, & Creari ab eo, non tamen propriè eſt Creatio· quia Creatio & Creare eſt verè efficere: ea autem non eſt verè effectio, nec primum habet. Inſuper non ita dicitur manaſſe ab æterno, vt ab æterno manauerit, & nunc non manet,nec in futurum manare debeat, ſed ſemper conſimiliter manauit, manat, & manabit: quia ſemper conſimiliter pendet. Creationem hanc per Metaphoram ſumptam conceſſit etiam Auerroes in tertia Diſpu.in Sol.13.Dubij,diſputans aduerſus Auic.inquiens: Id verò,quod opinati ſunt Peripatetici,hoc eſt,quòd dicta principia habent miſericordia Dei gradus varios,& connexionem,ex quo infertur, ea pendere vt ex cauſa ex ſe inuicem, & omnia ex primo principio,nec aliud intelligi debet de agente, & re effecta, creatore, & re creata, niſi hoc ſolum. Patet itaque æterna, vt ſunt ęterna, carere cauſa efficiente, niſi efficientis nomine latè vtamus.

*Explicatio tertiæ.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Auerroes.*

Confirmatio

## *Confirmatio dictorum ex auctoritatibus variorum interpretum. Cap. VI.*

AEterna vel solùm per Metaphoram, vel solùm quatenus continenter fiunt, non autem verè, & propriè esse prædita causa efficiente, varij illustres Peripatetici affirmarunt & ab Alexandro ordens, ipse profectò *Alexander.* fuit huius sententiæ. Ideò Simplicius in primo de Cęlo, comm. 88. ait. Neque censet Aristoteles Deum solum esse finem Mũdi, ex quo dubitauit Alexander: sed etiam efficientem; indicat his verbis Simplicius, Alexandrum putasse Deum esse solùm finem Mundi. Lucidius etiam id patefacit postremò comm. octaui Phys. inquiens, Alexãdrũ, aliosque Peripateticos videri existimasse, dari cęli causam vt finem, & mouentẽ, sed non efficientẽ substantię eius, &c. Insuper referens sequentia verba Alexandri, ait: Primus motor est causa efficiens motus diuini corporis, cum sit ingenitum. Indicat itaque Alexander Deum esse causam efficientem motus, at non Cęli, & Mundi, &c. hoc denotant verba Simplicij relata in calce primi Phys. & ex Alexandro deprompta, dum inquit Alexandrũ in cõmẽtarijs Metaphysicę dixisse, id, quod mouetur à primo, esse quintũ corpus, quod etiam mortalia ei subiecta mouet, & eo quidem pacto est causa efficiens: at quatenus cuncta huius primæ causæ desiderio propriam perfectionẽ assequuntur, mouet vt optatum, qua quidem ratione finis erit, &c. Hæc Alexandri verba refert Simplicius, vt patefaciat Deum esse efficientem. At ea (vt patet) solùm indicant esse efficientem motus, *Simplicius.* non autem essentiæ Cœli. Insuper quamuis Simplicius frequenter asserat Deum esse causam efficientem Mundi, tamen non ita videtur statuere esse causam efficiẽtem, vt ab æterno manauerit ex non esse ad esse, sed solùm quia modo aliquo continenter fit, & pendet ex Deo. Hoc elicitur ex digress. 79. contex. octaui Physi. in qua ait: Mundum semper fieri, nunquam esse, cum sit corporeus, sit in motu, nec totus simul. Quod etiam affirmat in primo de Cęlo, comm. 100. Insuper, comm. 129. ait Platonẽ dixisse, Mundum genitum: quia sensibilis, & corporeus est, ab eo quod verè est in ortu cõtinenter constitutus. Insuper nequaquam existimauit Simplicius cuncta, quę in Vniuerso, sunt proximè ex Deo fluere. Sed in primo de Cœlo 36. asseruit Deum ex se cœlestia constituere, per motum verò cœlorum ea condere, quæ sub Luna continentur: nam immobilis causa quæcunque ex se facit, ęterna efficit, Dijsque ęqualia, vt ait *Conclusio.* Plato. Ex his elicio æterna, vt æterna, carere causa efficiente, & solùm ea esse prędita quatenus continenter fiunt, adeò, vt sine pugna dicere valeamus Mundo competere *Conciliũ:* & non competere efficentem causam. Ex quo etiam facilè est elicere Concilium earum opinionum, quæ inuicem pugnare videntur, & præsertim Alexandri, & Simplicij. Auerroem quoque huius fuisse opinionis conspicuè patet ex varijs verbis eius: Nam in Sol. 7. Dubij tertiæ Disp. ait: Si Mundus esset ab ęterno per se ens, non vt mobilis, nam quilibet motus componitur ex nouis partibus, Mũdus nullum haberet efficientem. Insuper in Sol. 8. Dub. ait: Ideò nemo ab ac difficultate liberari potest, nisi supponat Mũdum semper esse iunctum cum priuatione, vt se habet de motu, qui semper eget mouente. Præterea, in Sol. 9. Dub. addit: Philosophi opinati sunt, esse quædam etiam, quorum esse consistit in motu, vt ventus, & similia, & quod cœli, & mortalia sunt huius generis. Et in Sol. 10. Dubij, idem repetens, ait: Radix huius est, quia esse corporum cęlestium est in motu, ideò dans motum, re vera dat esse, mitto alia multa; Ex quibus conspicuè elicitur, Auerroem putasse Mundo competere causam efficientem, vt est in motu, & contitenter fit: vt autem est æternus, solùm competere per Metaphoram, vt in idem venit cum forma, & fine.

## *Latiùs sententia de causa efficiente explicatur, digrediendo per omnes Mundi Partes.* Cap. VII.

SErmo de causa efficiente, extendi potest & ad Mundum, & ad principales partes eius. Hactenus loquuti sumus de Mundo toto, superest vt clarioris explicationis gratia, de principalioribus eius partib. verba faciamus. Conspirantia ad Mundi constitutionē, vel sunt mortalia, vel ęterna: si mortalia, qualia sunt contēta sub Cęlo, ea sunt ęterna specie, & successione, a quibus ordiens: dico. Primò, ea nō proximè ex sententia Aristo. prodire ex Deo: nam vt etiam in Timęo dixit Plato, quę proximè ex Deo prodeunt, ęterna sunt: pendent itaq; ex Deo per intermedias secundas causas, & ideò non ęterna emanatione proximè ex Deo prodierunt. Dico Secundò, hæc mortalia vt continenter fiunt, verè esse prædita causa efficiente, cùm communi, tùm propria: ita Sol, & Homo generant hominē, 2. Physi. 26. Addo Tertiò, hęc mortalia vniuersè sumpta, ac vt sunt ęterna, carere causa efficiente. Ratio est: quia nunquam absolutè transierunt ex non esse ad esse. Hoc demonstrare conatus est Aristoteles in calce tertij de Gener. Animalium, quo loci considerans vires naturæ, manifestauit primum hominem non dari. Et idipsum dicendum de indiuiduis cæterarū specierum: habent tamen causam æternæ conseruationis. Si verò conspirantia ad Vniuersi constitutionem fuerint æterna, ea triplicia sunt: Intelligentię, Cœlum, & Motus: quæ tria profectò varietate quadam sunt prædita. Si loquimur de motu, ipse potest dupliciter considerari. Primò absolutè, & vniuersè, ac ita est æternus, non est factus, nec interibit, ex sententia Aristotelis. Hoc patet ex octauo Physico. in cuius initio cōsiderandum proponit, an motus sit factus, ita vt prius non fuerit: & in progressu ostendit, non esse factum. Sic prima reuolutio non datur. Secundò consideratur secundum partes, vt continenter fit, ac ita habet causam efficientem, & propterea quęritur: an Deus moueat nedum vt finis, sed etiam vt efficiens. Et in calce octaui Phys. ostenditur, motum cœli non posse produci à materiato motore, loquendo de causa efficiente. Transeundo ex motu ad Cęlum, dico Cęlum dupliciter posse considerari: Primò, vt est Substantia ingenita, æterna. Secundò, vt sine motu, & præcedentibus causis, esse, & seruari non potest: nam inquit Auerro. in prima Disp. in Sol. 11. Dubij. Si motus Cœli periret, euerteretur ordo Vniuersi, & Mundus. Prima consideratione caret causa efficiente: Hine Aristoteles in primo de Cœlo, ostendit Cœlum non esse factum. At si consideratur vt conseruatur, & quatenus seruari non potest sine motu: sic dico habere causam conseruantem, & causam efficientem latè, vt efficiens in idem venit cum forma saltem assistente, & fine. Non itaque ex sententia Aristotelis, putandum est, Cęlum ęterna Creatione manasse à Deo, sed solùm ex eo pendere, vt ex motore, fòrma, fine, & causa conseruante.

*De productione mortalium.*

*De Motu.*

*De Cęlo.*

## *An Cœlum ex se sit contingens, & ab alio necessarium, vel ex se necessarium.* Cap. VIII.

APparuit cęlum vt ęternum, carere efficiente, & solùm esse preditū causa conseruante, fine, & motore. At dignum consideratione est, num debeat iudicari ex se contingens, necessariū ab alio, vt rectè notunt. Theologi: vel potiùs ex senten. Aristo. sit ex se, & sui natura necessarium. Quòd ex se sit contingens, ostēditur: tum quia ex alio pendet, & quatenus est ex se, non est, ideò ex se necessarium dici nō pōt: soli .n. Deo id videtur posse competere: Tum quia ait Auer. in 3. Disp. Cęlum semper iungens

*An Cœlū ex se cōtingens sit.*

etiam habere priuationem: Tum insuper, quia inquit Aristoteles 9. Metaphysicę 17. Nisi essent Substantiæ abiunctę, nihil esset: at quod ex se est necessariũ, dempto quouis alio, necessarium est: Tum demùm, quia ait Simplicius primo Cœli 100. Cœlum nõ verè esse, sed continenter fieri, idipsum in suis Disputa. contra Algaz. sæpè repetit *Pro parte aduersa.* Auerroes, vt retuli in precedentibus. Ex aduerso tamen, Cœlum ex opinione Aristotelis videtur esse ex se necessariũ; Primò; quia est expers primæ materiæ, quæ vt ait Auerr. in primo Physic. est semen, & origo cuiuslibet contingentiæ: Præterea, ex se contingens est mortale, nam potest non esse, quod autem ex se mortale est, ab alio nõ potest reddi ęternum, vt ostenditur in 1. de Cœlo: Insuper, necessariò periret, quia quamuis non omne aptum gigni necessariò generetur, omne tamen aptum interire necessariò interit, nil enim interit ex accidenti, sed omne interitui obnoxiũ necessariò interit, vt dicitur 9. Metaphysi. Præterea, omne ingenitum est sui natura necessarium; Cœlum est ingenitum; ergo. Demùm, ait Auer. in secundo Physi. 48. non posse aliquid dici contingens ex parte vnius, & ex parte alterius necessarium: natura.n. contingentis, & necessarij absoluta est. Res itaque est obscura, & opiniones sunt va- *Resolutio.* riæ. Pro cuius resolutione, hac puto vtendum esse distinctione: nam aliquid esse ex se necessarium, dupliciter intelligi potest: Primò, vt illud [ex se] excludit quãlibet causam ex qua pendeat, & hac consideratione, solus Deus est ex se necessarius. Secundò; vt illud [ex se] excludit veram rei productionem, internum principium cõtingentiæ, quod est materia, & modum, quo pendeat contingentem, qua consideratione, cęlum ex se est necessarium, non enim verè est factum, nec materiæ est particeps, & solùm pendet ex opinione Aristotelis cum quadam necessitate naturæ.

## *An separatis Mentibus competat causa efficiens.* Cap. IX.

*De intelligentijs.* Loquuti sumus de collocatis sub Luna, de Motu Cœli, & de Cęlo: superest vt de intelligentijs verba faciamus. Quęritur itaque num Intelligentijs sub Deo positis, competat causa efficiens ex sententia Peripateticorum? Auicenna censuit eas esse prędıtas efficiente, & earum *Auicenna carpitur.* vna manare ab altera, ordine quodam vt dixi. Cuius Sententia iure ab Auerroe damnatur: Nam primò errat, approbans cum Aristotele emanatio- *Primo.* nem æternam, quæ etiam æterna Creatio dicitur, quam in præcedentibus reieci. Secundò errat, cõcedens Creandi munus alijs à Deo, nempè Intelligentijs sub Deo po- *Secundo.* sitis. Tertiò, asserens Intelligentias non proximè omnes pendere ex Deo, sed ordine aliquo, vnam ex altera. Dicamus itaque, Intelligentias omnes proximè, per varios ta- *Tertio.* men gradus participationis, pendere ex Deo, & pendere secus ac Motum, & Cęlum: *Sententia propria.* nam motui, vt continenter fit, verè competit efficiens: Cœlo verò vt est cum motu complicatum: At intelligentijs neutro modo competere potest: cùm supra motum sint constitutæ, sed sunt sui essentia æternæ, & verè sunt, non fiunt; pendent tamen ex Deo proximè in eo genere causę, in quo intelligibile per essentiam est causa intelligentis, & dicitur finis, & forma: finis, quia intelligens ad intelligibile vt ad finẽ cuius gratia dirigitur: dicitur forma, quia intelligibile est perfectio, & forma intelligentis, & pręsertim dum intelligitur per essentiã, vel intelligibilis, vel saltẽ intelligẽtis: quo pacto intelligunt substantiæ abiunctę, ex opi. Aristotelis. Hoc existimauit etiam *Auer.* Auerroes. Hinc duodecimo Metaphysi. 44. ait: ab agente nil prodit nisi quod educit id, quod est potestate ad actum: at Intelligentijs non est potestas, proptereà nec agens, solùm in eis repetitur intelligens, & intelligibile perficiens, & id quod perficitur, nõ enim in eis reperitur prouentus, neque consecutio, neque actio, adeò, vt dicamus actionem vnam sequi agẽtem, sed solùm ibi est causa, vt quòd intelligitur est causa intelligentis, &c. Hæc latius explicat Auerr. in tertia Disputatio. præsertim in

Sol.13.& 19.Dub. Quod si Auer. nonnunquam dixit Intelligentijs competere causam efficientem,profectò denotauit tunc efficiens,vt in idem venit cum forma, & fine,quod conspicuè elicitur ex 3.Dispu.Sol.Dub.18.& ex Paraphrasi Metaphysicæ, tract.4.quo loci ait: Intelligentias esse sibi inuicem causas in triplici genere,& similiter esse causas Cœli: inquit enim soluens Dub.18. Declaratum est à Philosophis, quod dans finem separatis,dat esse; forma enim,& finis in eis sunt idem;quare dans finem dat formam;dans formam est agens, sic primum principium est eorum omniũ principium,vt forma,finis,& agens,&c.Patet itaque Auerroem vsurpare efficiẽtem pro forma,quia forma rem constituit,at sine transmutatione. Quare colligamus,Intelligentijs sub Deo positis competere formam, & finem,efficientem verò non propriè,sed solùm vt in idem venit cum forma. Et hoc est illud efficiens, quod ex sententia Auerrois ad Metaphysic.pertinet.Hinc aliquando inficiatur,aliquando affirmat, efficientem considerari à Metaphysico. Quæ controuersia minus rectè soluitur à Zimara in 1.Physicor.sed solui debet per ea quæ dixi.Insuper addamus.Intelligentias sine medio ex Deo pendere,quia sine medio valent illum intelligere.Et cum solus Deus adequatè Deum intelligat, cęterę Intelligentiæ vel clariùs, vel obscuriùs pro sua facultate illum intelligunt,adeò,vt quod intelligit una,non intelligat alia:& inde apparet distinctio Intelligentiarum,vt explicat Auer.Disput.3.in Sol.18.Dub. Insuper,cum sine medio pendeant ex Deo,etiam dicuntur pendere ordine aliquo,cũ à Deo,tum inter se: pendent enim à Deo ordine aliquo,quatenus distincti,& subordinati sunt gradus,qui intelliguntur ab Intelligentijs,veluti etiam dicitur in Domo Primi parentis mansiones multas reperiri. Insuper,etiam rectè dicitur inferiorem pendere ex superioribus:quia inferior,ne dum intelligit Deum, uerùm insuper cunctas superiores Intelligentias. De his tamen distinctius separato sermone uerba feci.

## *An Plato æternam Creationem, siue emanationem concesserit. Cap. X.*

VT exactè de re aliqua loquamur, quàm utile sit uarias uirorum Sapiẽtum opiniones perpẽdere frequẽter nobis patefecit Aristoteles:ideo de Creatione ex sententia Peripateticorum differẽtes, qui de ea cęteri Philosophi censerint,& pręsertim Plato, considerandum est. Aristot.in 1.Physi.consensione Philosophorum ait:ex nihilo nihil fieri. *Aristoteles.* Quare videntur omnes vno ore Creationem renuisse: quod de vetustioribus apprimè est cõspicuum, cum nil supra corpus excogitarint,corpora autem Creare non valent.Hinc generationem vel dixere esse rei latentis in lucẽ emissionẽ, vel alterationem,vel connexionem variorum corporum,vt atomorum,& similium, vel mixtionem,vel condensationem,& rarefactionem. De solo Platone est dubitatio,& iure profectò:ipse enim formas à corpore secretas nouit,& ab eis cætera prodire,in Timęo,& alibi frequenter asseruit, immò sæpè de creatione mentionem fecit: *De opinione Platonis.* nam in Timęo vnà cum Moyse dixit: In Principio creauit Deus Ignem, & Terram, nomine Ignis denotans Cœlum,quod maximè ex igne constare censuit. Insuper,in septimo de Repub.ait:Ideam boni omnibus omnium rectorum, atq; bonorum causam esse,cum ipsa in loco visibili Lumen creauerit,& luminis auctorem:in ipso vero intelligili regnet ipsa, veritatemq́;, & Mentem protulerit, &c. Insuper in Timæo, inducens Mentem diuinam alloquentem Deos, nempè prima corpora viuentia, inquit, Hæc si à me fiant solo, vitaque donentur,Dijs æquabuntur. His verbis patefacit,quæ ex sola Diuina mente prodeunt, Creari,& esse ęterna,cum fiant sine materia. Insuper apparet,quòd etiam cæteras formas Creati putarit, cum dicat prodire

*Philoponus.* ex Ideis,& esse earum participationem,ea autem profectò Generatio non est. Hinc Philoponus in primo de Gener. & interitu,ait, formas infundi ab Vniuersi opificio: quod videtur dictum ex sententia Platonis. Similiter Auicenna ab Intelligentia postrema formarum datrice, dicebat infundi formas. Quæ Sententia est similis sententiæ Platonis. Propterea Auerr. in duodecimo Metaphysicæ 18. aduersus hos disserens,dicebat,agentem non largiri multitudinem,sed perfectionem: quia non formas inducit,sed per transmutationem ex potestate materiæ educit. Videtur itaque Plato Creationem nouisse:cuius opinio vt in parte explicetur, referendus est ordo productionis rerum. *Explicatio sententiæ Platonis.* Deus ex Platonis sententia supra Mentem positus,caput & Principiū est primæ non participatæ mentis, Ideis non participatis insignitæ:ex non participata Mente prodeunt Mentes participatæ tanquam radij intelligibilis solis: ex Mente per Ideam Animæ prodit Anima rationis particeps,rationibusque prædita,quæ absolutè Anima dicitur,ex qua,tanquam vmbra,& idolo Animæ, prodit vis sentiendi, & nutriendi. Similiter ex Mente per infinitum in ea existens putauit Plato ab ęterno manasse materiam, quæ ab Anima Mundi per Semina in eam effusa redderetur fœcunda, quæ Semina ex virtute nutriente proximè prodeunt: Semen enim ex Anima nutriente proficiscitur:quæ Semina,naturam constituunt,quę est facilitas,& propēsio ad formarum participationē. Hinc Natura dicitur vis Seminaria ab Anima Mundi infusa Materiæ. Demùm conspirantibus Ideis,Rationibus,& Seminibus,prodeūt formæ Materiatæ, quæ participationes Ideatūm, imitationes, & formarum vmbræ dicuntur. Hic est ordo emanationis rerum à Deo,in quem si accuratè inspicimus, & ab emanatione Mentis à Deo ordimur,dicendum est,hanc potiùs esse communicationem,quam Creationem, & esse vmbram communicationis secundæ personæ diuinæ à prima,nempè Filij à Patre. Hinc magna inter Academicos est altercatio, an Mens re distinguatur à Deo,vel potiùs sola ratione. Si secundò consideramus progressum participatarum Mentium, à Mente non participata, ea quoque non est Creatio,sed effluxio quædam,non secùs ac radios dicimus ex sole prodire,quos tamen cum ex luce prodeant,& sint lucis effluxio,nequaquam Creari dicimus. Sequitur Tertiò,productio animarum ex Idea Mentis: nam Dei, & Mentis non datur Idea,sed Animæ, quæ ab æterno dicitur ex Mente manasse: & in hoc tertio gradu consideratur modo aliquo æterna emanatio, quæ æterna Creatio dicitur:nam sine ope Materiæ sensibilis,ex Mente prodeunt Animę,& sine alterius interitu:dico sine ope materiæ sensibilis,quia materia quædam intelligibilis, ab Academicis tribuitur omnibus pręter quā Deo. Dum itaque Anima consideratur, vt aliquid à Mente distinctum,sui conditione perfectum,ex Mente per Ideam,sine materiæ ope prodiens,Creationis conditionem includit. Dum verò consideratur, vt quædam eius participatio, potiùs dicitur ex Mente esse, quàm Creari. Hinc non defuerunt ex Veteribus nonnulli, qui Animas Dei esse portiones asserebant:nam Mentem à Deo non secernebant. Descendendo ad cæteras productiones, illæ nequeunt Creationes dici, cum absoluantur per transmutationem Subiecti,cum interitu alterius,& auxilio Materiæ. Et quamuis dicamus Materiatas Formas ex sententia Platonis induci ab Vniuersi opificio, profectò ab eo inducuntur,vt à communi efficiente: at non sine proprio Semine & Materia: per id solùm manifestatur materiam non includere formas, adeò, vt ex ea prodeant, quemadmodum existimauit Anaxagoras. Per hoc tamen Aristoteles præsertim à Platone dissentit, *Plato minus virtutis tribuit causis proximis,quā Aristot.* quia Plato minus virtutis tribuit causis proprijs,& proximis, quàm tribuat Aristoteles, plus verò communibus,& primis.

Diluuntur

## *Diluuntur Rationes pro æterna emanatione. Cap. XI.*

Satis conspicuè apparuisse puto ex opinione Aristotelis nequaquã dari æternam creationem, siue emanationem, & per ea quæ explicata sunt facilè diluuntur rationes aduersę. Dicebatur primò impurum omne ex puro prodire, & imperfectum ex perfecto. Respondeo, imputum, & imperfectum, pendere quidem ex puro, & perfecto; at non ob id verè effici, vt ea quæ Creantur, verè effici dicantur: Insuper, pendere vt continenter fit, ac ita fieri, non vt est æternum, & demùm fieri, vt efficiens, in idem venit cum forma, & fine: queadmodũ patefeci. Similiter diluitur secunda ratio: nam dicebatur, quod ex causa pendet, ex se non est, sed ab alio habet, vt sit. Respondeo, ex alio habet, vt sit in eo genere causæ, in quo pendet; at ex opinione Aristotelis ex Deo non ita pendent omnia, vt verè facta sint, nec verè habent efficiens, nisi per Metaphoram: ideò solùm per Metaphorã, & similitudinem concessa est æterna Creatio. Afferebantur tertiò rationes, sumptæ ex conditionibus primi Principij, quæ etiam per sæpè repetita sunt, solutę, dicebãtur, conditionem primi principij esse, vt ex eo pendeant omnia, pendeant maximè, pendeant semper. Dicendum, conditionem eius esse, vt cuncta ex illo pendeant, ea ratione & modo, quo apta sunt pendere: At æterna, quàtenus æterna, non verè apta sunt pendere: tanquam ex verò efficiente, sed tanquam ex fine, forma, & agente seruante. Addebatur conditionem primi Principij esse: vt si vnum, & optimum, concedo: & proptereà ex eo cuncta pendent, quæ bona sunt: at pendent, vt eorum conditio ex postulat. Afferebantur demùm nonnullæ Auctoritates. Prima petebatur ex nono Metaphysicæ 17: Nisi Deus esset, nihil esset. Respondeo, hoc solùm indicare cuncta pendere, & seruari à Deo, at non cuncta verè effici: vt si dicerem, nisi daretur Sol, non darẽtur radij eius, cum tamen radij verè à Sole facti non dicantur. Insuper legitur in primo de Cęlo, Deum nil facere frustrà. Respondeo, vsurpari facere, latè, vt denotat conseruari, & pendere quouis modo ex eo, & ex ordine causarum per naturam operantiũ. Addebatur alia Auctoritas ex primo de Cœlo, quia à primo omnibus tributum est esse, &c. Respondeo, id esse verum in genere finis, formę, & conseruantis. Insuper in primo Metaphysicæ commendat eos, qui Mundum à Mente aliqua factum asserebant, quod facit, non asserendo ęternis verè causam efficientem competere, sed cõparando eorum Sententiam cum opinione illorum, qui ex nullo definito principio pẽdere Mundum asserebant, sed cœco casu, & fortè fortuna, factum, vt censuit Democritus. Illi itaque commendantur non absolutè, sed facta comparatione. Insuper cõmendantur non absolutè, sed in parte, vt Vniuerso vnum principium præferunt.

*Diluũtur rationes aduersæ.* *Prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

## *Diluuntur Rationes, quibus ostendebatur æternis causam efficientem competere posse. Cap. XII.*

Supersunt diluendę rationes, quibus ostendebatur, ęternis verè causam efficientem competere: id primò ostendebatur exemplo Luminis, & Motus. At iam dictum est eis non competere efficiens, nisi vt continẽter fiunt, non autem vt sunt ęterna. Nititur Zimara hanc Solutionem euertere: quoniã Cęli motus est vnus, & ęternus, ac absolutè sũptus, dicitur factus ab Intelligentia, & vt ęternus dicitur factus ab Intelligẽtia æterna, secreta à Materia. Et confirmatur: quia Motus quouis modo consideratus,

*Solutio primæ rationis.* *Instantia.*

ratus, est actus Motoris, & Mobilis: actus Motoris verè habet causam efficientem, & Intelligentia efficiens motum, expetit illum vt æternum, non pro vna, vel altera eius parte. Hæc instantia inanis est, quia Aristoteles in octauo Physic. ostendit motum vniuersè sumptum, & motum primum non esse factum, sed fuisse sēper, & semper fore, & intelligētia expetit non motum absolutè ex nō esse, transferre ad esse, sed solùm continenter seruare. Addebatur Motum esse actum Motoris. Respondeo, Motum non esse, sed continenter fieri, & vt fit, esse actum Motoris: at non ita fit, vt absolutè transeat ex non esse ad esse, ita enim non dicitur factus, nec datur motus primus. Afferebatur alia Ratio: quia à Metaphysico consideraru efficiens, cum tamē abstrahat à motu. Zimara vtens hoc fundamento, in varios labitur errores. Primò, minus rectè percipit Sententiam Auerrois, nonnunquam asserētis Metaphysicum considerare efficiētem: cum enim Auerroes in Paraphr. Metaphysicæ tract. primo dicat, Metaphysicum considerare formam, finem, & modo aliquo efficiētem, censuit Zim. illum denotasse propriè sumptum efficientem, qui competat æternis, cum tamen denotauerit efficiētem latè sumptum, vt coincidit cum forma, & fine: quod patefecit inquiēs, & modo aliquo efficientem. Insuper, Zimara secum pugnat, nec sibi constat: nam in soluendis controuersijs primi Physic. ait, dum Auerroes asserit Metaphysicum considerare tria genera causarum, denotare, quòd ea cōsiderat, vt in Deo veniunt, in idem subiecto, non autem quia distinctè consideret efficiens contradistinctum ab alijs causis. In quæst. autem de triplici genere, quo Deus est causa, intelligit efficientem contradistinctum ab alijs causis, & de hoc exponit Auerroem, & vtitur eius auctoritate. Demùm eius Instantia nullius est momēti, quoniam, vt alibi patefeci, Metaphysicus valem omne genus causæ considerare, distincta tamē ratione, ac id faciat Physicus, & considerare valet propriè efficiēs, quod primum est. Vtebatur insuper Zimara auctoritate Auerr. duodecimo Metaphysicæ 44. dicentis: in Intelligentijs reperiri causam, & effectum, vt intelligibile est causa intelligentis: qua cum vtatur, multipliciter errat, primò, quia agens de efficiente æternorum, quæ æterna sunt tria, accidentia, cœleste corpus, & Intelligentiæ, quorum est distincta ratio, ipse omnia confundit. Insup errat, quia ex verbis Auerrois luce clarius elicitur oppositū, negat Auerroes Intelligentias esse productas, ideò ait eis non competere actionem, nec consecutionem, nec prouentum, sed solùm causam, vt intellectum est causa intelligētis. At ait Zimara Intelligibile esse causam efficientē intelligētis, quod verum non est: primò, quia obiectum non est efficiens intelligentis, sed forma, & finis eius, ideò in tertio de Anima, contex. 6. intellectus dicitur locus specierum. Et Auerr. in 3. Disp. in Sol. 18. Dub. manifestat esse formam intelligentis. Et in Sol. 13. Dub. ait: cum prælibatum sit a Philosophis, quòd nulla sit differentia inter scientiam, & scibile, nisi quòd scibile est in materia, scientia minimè, vt est ostensum in lib. de Anima: quare si inuenirētur expertia materiæ, oporteret, quòd eorum substantia esset scientia, aut intellectus, &c. Apertè Auerr. intelligibile asserit esse formam intelligentis. Præterea, quamuis obiecta dicantur nos mouere; in abiunctis intelligentibus per essentiam, non per motionem factam, secùs se habet. Ad id, quod ait Auerroes balneum in Anima mouere vt efficiēs, ac ita se habere de Intelligētijs, dico hoc esse verum per relationem ad motum, intelligentiæ enim sunt finis, & efficiens motus. Afferebatur auctoritas ex Aristolele 9. Metaphysicæ dicente, potentiam, & actum ad plura extendi, quàm ea, quæ dicuntur moueri: At ea ad rem non facit, procul dubio enim actus, & potentia competunt rebus non mobilibus, vt nostræ Menti, ac etiam omnibus Intelligētijs sub Deo positis; omnes enim est actu, & potentia dicuntur compositæ. Insuper actus, & potentia cōpetunt omnibus decem Prædicamentis, non autem motus. Inanis itaque est hæc consecutio actus, & potentia sunt communiora motu, igitur etiam immobilia sunt facta, non enim omnis potentia denotat causam efficientē. At vrgent adhunc per Auerroē dicentem dari efficientem in æternis, nō præcedentem tempore. Quare æterna, etiam

*Euersio.*

*Solutio secunda rationis.*

*Quomodo intelligibile sit cā intelligentis.*

*Quomodo potentia sit latior motu.*

vt æterna, sunt prædita efficiente. Solutio patet ex dictis, nam efficiens competens æternis, vt sunt æterna, redigitur ad formam, & finem. Insuper æternum dupliciter consideratur: Primò, vt absolutè transire debeat ex non esse ad esse per primam aliquam emanationem: & hoc nequaquam æterno competere valet: Secundò, consideratur æternum, vt semper fit, & ita dicitur æternum successione, quod æternũ, vt semper fit, effici dicitur. Aderat instantia sumpta ex effectionibus, & vestigio pedis, quæ soluitur: quia dans formam, dicitur dare consequētia formam; & dum forma non est genita, neque affectio dicitur genita, sed solùm dicitur pendere tanquam à conseruante, veluti si æternus, & non genitus esset Alcibiades, affectio quoque eius non genita diceretur. Similiter de vestigio pedis, dico, supposito pedem æterno tempore in arena fuisse, nec pes, nec arena, nec vestigium dicerentur genita, adeò vt ex non esse trāsiuisse nt ad esse, sed solùm dicere deberemus, vestigium continēter seruari à pede, vt dixit Auerroes de causa grauitatis Terræ in secundo de Cœlo 102. inquiens: Si dixerimus mediũ esse causam grauitatis, melius est dicere, quod sit causa conseruans quietem, quàm efficiens: quia Terra, vt tota, non est genita. Similiter patet solutio cæterarum auctoritatum ex Auerroe deprompτarum, frequēter enim Auerroes seipsum declarat, vt patefeci. At dicebatur, quòd finis denotat efficiens, ideò sumitur efficiens, vt contradistinguitur à fine, non enim idem seipsum significat, sed aliud. Respondeo sat esse, vt saltem distinguantur ratione. Afferebantur demùm verba varia Aristotelis indicantia æternis efficientem causam competere. Quibus respondens, dico, æterna, vt æterna, nunquam ab Aristotele dici genita, vel facta; nō enim nouit Aristoteles alium generationis modum, nisi per transmutationem, & materiam: solùm censuit cuncta ex Deo pendere, quæ cum pendeant ex optimo, ita se habeant, vt rectiùs dispo ni nequeant: At pendent, igitur sunt facta. Consecutio inanis est, quia pendens latius est, quàm factum. Quæ etiam si nonnunquam dicuntur facta, de æternis loquendo, solùm facta dicuntur, vel latè, vt conseruata; vel vt efficiens vsurpatur pro forma, & fine: vel quia continenter fiunt; vel quia tam congruenter sunt disposita, vt per inde se habeant, ac si à peritissimo opifice facta essent; vel demùm approbatur sentētia Anaxagoræ asserentis Mundum genitum, & ex mente pendentem, comparando opinionem eius cum opinione Democriti, & eorum, qui cæco casu, & fortè fortuna Mūdum compositum asseruerunt. At nos in explicando Aristotele loca propria, & principalia inspicere debemus, & per ea explicare cætera. Aristoteles in locis proprijs, vt in octauo Physic. & primo de Cœlo, demonstrauit Motum, Mundum, & Cœlum, non esse facta: quod etiam demonstrauit de Materia in primo Physic. 82. Colligamus itaque Creationem nouam esse supra sensum, supraq; naturam; & ob id ignotam Philosophis, progredientibus ope sensuum, per opera Naturæ; Creationem æternā propriè sumptam pugnare cum ratione; sumptam verò latè, pro modo, quo aliquid pendeat ex primo principio in aliquo genere causæ, concessam fuisse a principalioribus Philosophis. At nos neglectis tenebris, veritatem supero lumine patefactam, amplectentes, cum Moyse constanter asseramus, in Principio Creasse Deum, Cœlum, & Terram: & rationes Philophorum ex sensu depromptas per reuelata principia diluamus; Deoque gratias referamus, qui Mentis nostræ aciem, in eum cōuersam, illustrare dignatus est.

*Quomodo affectiones prodeant.*

*Quomodo finis denotat causā efficientē.*

*Quomodo sit explicādus Arist.*

*F I N I S.*

FRANCISCI

# PICCOLOMINEI

## SENENSIS,

## IN ACADEMIA PATAVINA

### PHILOSOPHI PRIMI.

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium.

## PARS TERTIA.

*Respondens Libris de Ortu, & interitu Aristotelis.*

Serenissimo Vrbinatium Duci, Principi Heroico dicata.

*CVM PRIVILEGIIS.*

VENETIIS, Apud Hæredes Francisci de Franciscis. M D C.

# SERENISSIMO VRBINATIVM DVCI, PRINCIPI HEROICO, ET DOMINO

Colendissimo.

*Franciscus Piccolomineus seruus humilimus perennem felicitatem precatur.*

SVMMOPERE lętari, suisque studijs & vigilijs promptiores nauare operam coguntur omnes, qui disciplinam aliquam profitentur, dum felici sorte euenit, vt inspiciant, animos quoque Principes & Regios, eam excolere & magnifacere, virtus enim in animo sublimi & amplo, sublimior & amplior redditur, splendidius fulget, præclarumque euadit exemplar virtutis Populorum. Studium Sapientiæ profectò ex se est Regium & sublime, cui tu Serenissime Princeps, tam propense animum appulisti: vt meliores horas iam diu ei dicaueris & destinaueris, & humanæ scientiæ studium, cum studio diuinæ sapientiæ tam egregie iunxisti, vt tua Amplitudine Philosophiam in alijs angustam amplifices, tua Pietate eam humi iacentem per Theologiam erigas, tuaque diuinorum imitatione populos tibi felicissime creditos eminenti Iustitia regas, adeo vt simul Deo, tibi, populis, studioque sapientiæ cumulatissimè satisfacias. Ego autem qui per multos ab hinc annos tuam Heroicam conditionem, sum admiratus, multiplici ratione me tibi deuinctum sentio, nam præter id quod a maioribus tuis, & præsertim a felicissima memoria Amplissimi Cardinalis Vrbini, varia & insignia Perusijs recepi beneficia, etiam egre-

giam conditionem tuam venerari teneor, cum studium sapientiæ, cui ego ab ineunte ætate animum deuoui, tam conspicuè extollas, & illustres. Propterea iam diu flagranter optaui signo aliquo, vt mihi liceret, conspicuo, debitum, obseruantiamque meam tibi, & cunctis sapientiæ studiosis conspicuam reddere, & cum modo occasio id faciendi se mihi obtulerit, libentissimè eam arripui, nam Libros editurus in quibus de illis agitur, quæ ab Aristotele in libris de Ortu, & interitu explicantur eos tuæ sublimitati toto animo dicandos, & consecrandos decreui, & præsertim; quia non me fugit Serenitatem tuam me per literas ad hanc inspectricium Librorum editionem ante decennium hortatam fuisse, dum curaui vt libri mei ad scientiam ciuilem attinentes, tuæ amplitudini offerrentur, tibi itaque, vt proximo Sapientiæ Deo, dominoque meo Colendissimo Libros hos ad Studium Sapientiæ attinentes, dico, & appendo. Patauij. kl. Nouembris M D XCVI.

# INDEX PRINCIPALIVM
## CAPITVM LIBRI PRIMI.

*De prima rerum Natura constantium Materia.*


| | | |
|---|---|---|
| PROPONITVR agendum de materia & diuiditur. | Cap. 1. | fol. 1 |
| Viginti quattuor Materiæ nomina. | Cap. 2. | fol. eo. |
| Sexdecim capita indicantia necessitatem Materię. | Cap. 3. | fol. 2 |
| An Materia sit Ens. | Cap. 4. | fol. eo. |
| An Materia prima sit substantia & hoc aliquid. | Cap. 5. | fol. 3 |
| An Materiæ competat actus entis quem entitatiuum appellant, opiniones uariæ. | Cap. 6. | fol. 4 |
| Pro resolutione difficultatis explicantur nonnullæ uoces. | Cap. 7. | fol. eo. |
| Quod Materiæ competat actus entis siue præsentiæ. | Cap. 8. | fol. 5 |
| Euertuntur nonnullæ sententiæ, & rationes aduersæ diluuntur. | Cap. 9. | fol. 6 |
| An potentia sit essentia Materiæ. | Cap. 10. | fol. eo. |
| Ostensio prolatarum Conclusionum. | Cap. 11. | fol. 7 |
| Proponuntur & diluuntur opera varia. | Cap. 12. | fol. 8 |
| Quomodo materia se habeat ad priuationem. | Cap. 13. | fol. eo. |
| An priuatio distinguatur a Materia, & quomodo ad eam se habeat. | Cap. 14. | fol. 9 |
| An Plato & Aristoteles de atrinentibus ad priuationem conciliari possint. | Cap. 15. | fol. 10 |
| De varijs Materiæ notionibus & nominibus eius. | Cap. 16. | fol. eo. |
| De Materiæ circumscriptionibus. | Cap. 17. | fol. 11 |


*De prima rerum Natura constantium Materia.*
*Libri secundi Capita.*


| | | |
|---|---|---|
| De varijs Materiæ conditionibus. | Cap. 1. | fol. 12 |
| An Materia sit nata per se intelligi. | Cap. 2. | fol. 13 |
| Resolutio difficultatis an Materia sit apta per se intelligi. | Cap. 3. | fol. eo. |
| An materia per absolutam Dei potentiam valeat seruari seorsum a forma. | Cap. 4. | fol. 14 |
| Diluuntur aduersæ rationes. | Cap. 5. | fol. 15 |
| An Materia sit una Rationes pro vtraque parte. | Cap. 6. | fol. eo. |
| Resolutio difficultatis per uarias distinctiones & conclusiones. | Cap. 7. | fol. 16 |
| Diluuntur Rationes aduersæ. | Cap. 8. | fol. 16 |
| An Materia sit bona vel mala. | Cap. 9. | fol. 17 |
| An Materia formam appetat. | Cap. 10. | fol. eo. |
| Diluuntur rationes quibus ostendebatur Materiam nō appetere formam. | Cap. 11. | fol. 18 |
| Quomodo forma sit in Materia. | Cap. 12. | fol. eo. |
| An Materia gignatur & intereat. | Cap. 13. | fol. 19 |

An Materię competant inchoationes Formarum. Cap. 14. fol. eo.
Resolutio difficultatis de inchoationibus formarum. Cap. 15. fol. 20

## *De Materia rerum Natura constantium Libri tertij Capita.*

De distinctione materię in materiam totius, & materiam partis. Cap. 1. fol. 21
Quid sit materia totius & partis necnon dubia aduersus eam. Cap. 2. fol. eo.
An Materia sit pars essentiæ & Definitionis. Cap. 3. fol. 22
Resolutio difficultatis an materia sit pars essentię & definitionis compositorum. Cap. 4. fol. 23
An Materiæ competat forma Corporis opiniones uariæ. Cap. 5. fol. eo.
Fundamenta putantium materiam esse corpus. Cap. 6. fol. 24
Opinio putantium materiæ competere formam vnam coæuam, quę substantia sit, & corpus constituat, quã appellant formam corporeitatis. Cap. 7. fol. eo.
De dimensionibus terminorum expertibus coæuis materiæ. Cap. 8. fol. 25
Opinio putantium materiam nulla sibi coęua mole esse præditã. Cap. 9. fol. 26
De mole Materiæ opinio propria. Cap. 10. fol. eo.
Diluuntur aduersæ rationes. Cap. 11. fol. 27
An Materia sit principium indiuidua constituens. Cap. 12. fol. eo.
Rationes pro opinione dicentium materiam esse principale principium indiuiduationis. Cap. 13. fol. 28
De principio Indiuiduationis opinio secunda & tertia. Cap. 14. fol. eo.
De principio Indiuiduationis opinio quarta. Cap. 15. fol. 29
De principio Indiuiduationis opinio quinta. Cap. 16. fol. 30
De principio Indiuiduationis opinio propria. Cap. 17. fol. 31
Diluuntur rationes aduersæ. Cap. 18. fol. eo.
A quo, & cuius gratia sit Materia. Cap. 19. fol. 32
De Materia Mathematicorum. Cap. 20. fol. 33
Euersio relatæ opinionis. Cap. 21. fol. eo.
Quæ sit Materia Mathematicorum. Cap. 22. fol. 34
Diluuntur Rationes aduersæ. Cap. 23. fol. eo.

## *De quattuor primis Qualitatibus Libri vnius Capita.*

Procemium. fol. 35
Conditiones Qualitatum primarum & enumeratio Qualitatum ad tactum attinentium. Cap. 1. fol. eo.
Ex Qualitatibus enumeratis ad tactum pertinentibus quattuor primę eliciuntur. Cap. 2. fol. 36
Dubia aduersus approbationem quattuor primarum Qualitatum. Cap. 3. fol. 37
Diluuntur quinque difficultates primo relatæ. Cap. 4. fol. eo.
Diluuntur tres postremæ difficultates. Cap. 5. fol. 38
Circumscriptiones & nomina primarum quattuor Qualitatum. Cap. 6. fol. eo.
Dubia uaria attinẽtia ad Diuisionem & Definitiones primarum Qualitatum. Cap. 7. fol. 39
Explicantur attinentia ad diuisionem primarum Qualitatum in in agentes & patientes. Cap. 8. fol. 40

Opinio

Opinio propria cur Qualitatum duæ dicantur agere duę pati. Cap. 9 fol. 41
Considerantur Definitiones primarum Qualitatum. Cap. 10 fol. eo.
Diluuntur instantiæ relatæ aduersus definitionē humidi & sicci. Cap. 11 fol. 42
An Qualitates primæ agentes, æquè agant, & patientes æquè patiantur, & num rectè dicantur elementa simplicium corporū. Cap. 12 fol. eo.
De distinctione calidi, frigidi, humidi, & sicci. Cap. 13 fol. 43
Quomodo quattuor primæ Qualitates ex Cœlo pendeant. Cap. 14 fol. eo.


## *De effectione & perpeßione operantium per Naturam Libri vnius Capita.*


Quotuplex sit Tactus. Cap. 1 fol. 45
Dubia nonnulla ad tactū pertinentia proponuntur & diluuntur. Cap. 2 fol. eo.
An Mathematicis competat tactus distinctus a Continuo. Cap. 3 fol. 46
De tactu Physico. Cap. 4 fol. 47
An omne Agens agat per contactum. Cap. 5 fol. eo.
De modo quo Sol distans a nobis nos calefacit. Cap. 6 fol. 48
De modo quo Sol motu nos calefaciat opinio Auerrois, & propria. Cap. 7 fol. 49
An aliquid in se agere ualeat. Cap. 8 fol. 50
Ostenditur nil in se agere posse, mox in dubium reuocatur. Cap. 9 fol. eo.
De Motu Corporum an idem agat in se. Cap. 10 fol. 51
De Motu Animæ & incorporeorum ex sententia Aristotelis. Cap. 11 fol. 52
De Motu Animæ ex sententia Aristotelis. Cap. 12 fol. 53
Diluuntur rationes quibus ostendebatur posse aliquid in se agere & se mouere. Cap. 13 fol. 54
An simile agat in simile. Cap. 14 fol. 55
Resolutio difficultatis an simile agat in simile. Cap. 15 fol. 56
Diluuntur rationes quibus ostendebatur simile agere in simile. Cap. 16 fol. 57
De Resistentia, quid sit, opiniones variæ. Cap. 17 fol. 58
Quid sit Resistentia, opinio propria. Cap. 18 fol. 59
Dubia aduersus ea quæ de resistentia dicta sunt. Cap. 19. fol. eo.
An omne agens agendo repatiatur. Cap. 20 fol. 60
An agens repatiatur opiniones aliorum. Cap. 21 fol. eo.
De Reactione opinio propria. Cap. 22 fol. 61
Diluuntur rationes aduersæ. Cap. 23 fol. eo.
Quomodo per actionem efficientis gignatur compositum & educatur forma opiniones aliorum. Cap. 24 fol. 62
Opinio propria. Cap. 25 fol. 63


## *De Elementis librorum duorum Capita.*


De nomine & conditionibus Elementi. Cap. 1 fol. 64
De diuisionibus & Definitionibus Elementorum. Cap. 2 fol. 65
De numero Elementorum. Cap. 3 fol. 66
Rationes quod Elementa sint quattuor. Cap. 4 fol. eo.
Dubia de numero Elementorum. Cap. 5 fol. 67
An inter Elementa numerandus sit Ignis. Cap. 6 fol. 68


Diluun-

Diluuntur Rationes quibus ostendebatur Ignem non esse nume randum inter Elementa. Cap. 7. fol. eo.
Distributio quattuor primarũ Qualitatũ in quattuor Elementa. Cap. 8. fol. 69
An Aer sui natura sit calidus & humidus. Cap. 9. fol. eo.
Diluuntur Rationes quib.ostẽdebatur aerẽ sui natura frigidũ. Cap. 10. fol. 70
An recte dictũ sit aerẽ esse primo humidũ et Aquã primo frigidã. Cap. 11. fol. 71
An Elemẽta ambas Qualitates exposcant summas Rationes pro vtraque parte. Cap. 12. fol. eo.
Referũtur opiniones varię & resoluitur dubitatio quomodo Ele mentis Qualitates summę conueniant. Cap. 13. fol. 72
An in uniuerso inueniantur Elementa sincera & pura. Cap. 14. fol. 73
De sinceritate Elementorum opiniones uariæ & resolutio diffi cultatis. Cap. 15. fol. 74
Diluũtur rõnes quib.ostẽdebatur dari Elemẽtã omnino sincera. Cap. 16. fol. 75
An Qualitates cõsimiles distinctorũ Elementorum sint eiusdem speciei. Cap. 17. fol. eo.
Quattuor Elementorum quodnam sit pręstantius. Cap. 18. fol. 76
Resolutio difficultatis de præstantia Elementorum. Cap. 19. fol. 77
Cur Aqua non undique terram ambit. Cap. 20. fol. 78
Colliguntur ex dictis uaria vtilia cognitu,& rationes aduersæ di luuntur. Cap. 21. fol. eo.

## *De Elementis libri secundi Capita.*

Proponitur agendum de formis Elementorum & capita opinio num referuntur. Cap. 1. fol. 79
Opinio & fundamenta asserentium grauitatem & leuitatem esse proprias formas simplicium corporum. Cap. 2. fol. 80
Reijcitur opinio putantium grauitatem & leuitatem esse formas Elementorum. Cap. 3. fol. 80
Opinio & fundamenta dicentium quattuor primas Qualitates es se formas Elementorum. Cap. 4. fol. 81
Ostenditur Qualitates primas non esse formas Elementorum. Cap. 5. fol. 81
Reijciuntur solutiones quib.Gręci utuntur pro seruanda sua opi nione. Cap. 6. fol. 82
Quæ sint formæ Elementorum opinio propria. Cap. 7. fol. 83
Solutio aduersarum Rationum. Cap. 8. fol. 84
An formę Elementorum recipiãt Magis & Minus adferuntur Ra tiones pro utraque parte. Cap. 9. fol. eo.
Opiniones uariæ & euersiones quarundam. Cap. 10. fol. 85
Opinio propria de intẽsione & remissione formarum substãtiæ. Cap. 11. fol. 86
Diluuntur aduersæ rationes. Cap. 12. fol. 86
De mutua Elementorum permutatione. Cap. 13. fol. 87
Elementa non æquè facile inuicem omnia permutari. Cap. 14. fol. 88
An omnia Elementa sine medio sint apta inuicem permutari. Cap. 15. fol. 88
An Elementa communi Qualitate iuncta facilius inuicem permu tentur,& quomodo ex duobus contrarijs fiat tertium. Cap. 16. fol. 89
De motu secundum locum Elementorum & uniuerse de motu grauium,& leuium. Cap. 17. fol. 90
De motu grauium & leuium opiniones uariæ. Cap. 18. fol. 90

A quo

A quo proxime moueantur grauia & leuia opinio propria. Cap. 19. fol. eo.
Explicatio secundæ Conclusionis quod lis sit posita in verbis. Cap. 20. fol. 92
De modo quo Elementa mouentur. Cap. 21. fol. 93
Quomodo Elementa primo origine cum genita fuerint ex se moueantur opinio propria. Cap. 22. fol. 94
Quæ sit resistentia in motu Elementorum per quam mouentur definito tempore. Cap. 23. fol. eo.
Proponuntur uariæ difficultates attinentes ad resistentiam & proportiones motuum. Cap. 24. fol. 95
Explicatur sententia propria pro diluẽdis instantijs aduersus sententias Aristotelis de proportionibus motuum. Cap. 25. fol. 96

## *De Mixtione libri vnius Capita.*

Proponitur de Mixtione agẽdũ & nomina nonnulla explicãtur. Cap. 1. fol. 98
Conditiones Mixtionis & miscibilium. Cap. 2. fol. eo.
An detur mixtio ex quattuor Elementis. Cap. 3. fol. 99
Diluuntur rationes quibus euertebatur Mixtio. Cap. 4. fol. 100
Quid sit Mixtio. Cap. 5. fol. 101
Quomodo Elementa seruentur in mixto opinio prima. Cap. 6. fol. eo.
Opinio secunda quomodo Elementa seruẽtur in mixto, eiusdemque euersio. Cap. 7. fol. 103
Opinio tertia de modo quo Elementa seruantur in mixto. Cap. 8. fol. eod.
De modo Elementa seruantur in mixto opinio propria. Cap. 9. fol. 104
Proponuntur dubia varia ad mixtionem pertinentia. Cap. 10. fol. 106
Agitur de interno termino ad quem mixtionis. Cap. 11. fol. eod.
Quomodo ex uarijs formis Elementorũ & ex varijs actibus gigni possit noua mixti forma. Cap. 12. fol. 107
An mixtum omne fieri debeat ex quattuor Elemẽtis & num mixta misceri ualeant. Cap. 13. fol. 108
An dentur mixta grauiora uel frigidiora Elemẽtis & cur quędam cum difficultate miscentur. Cap. 14. fol. 109
An detur mixtum æquale penitus. Cap. 15. fol. eod.
Resolutio difficultatis de mixto æquali. Cap. 16. fol. 110
Diluuntur rationes aduersæ. Cap. 17. fol. 111
An temperamentum sit qualitas vna & forma vna. Cap. 18. fol. eod.

## *Considerationis multitudinis formarum in eadem indiuidua substantia Capita.*

Rationes pro parte quod unica sit. Cap. 1. fol. 113
Rationes pro multitudine formarum. Cap. 2. fol. eod.
De numero graduum formarum quæ in eodem seruari valent. Cap. 3. fol. 114
De numero formarum in eodem indiuiduo opiniones aliæ. Cap. 4. fol. 115
Proponuntur & diluũtur tria dubia ad ea quę dicta sunt pertinentia. Cap. 5. fol. 116
Diluuntur rationes cum multitudine formarum pugnantes. Cap. 6. fol. 117

FINIS.

# INDEX
# SINGVLARVM RERVM
## ET SENTENTIARVM, QVAE IN HOC TERTIO VOLVMINE EXPLICANTVR.

### A


*Abstractio fit, cum prius abstrabitur a posterioribus, sed non econuersa. de pr.mat.lib.3.cap.20.l.24.* 33
*Abstractio a forma indiuidui quomodo fiat.de prima materia li.3.c.18.lin.28.* 32
*Abstractionis scientia, & namen non competeret Mathematica nisi abstraheret a materia, quæ est substantia.de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.26.* 33
*Abstrahens a substantia dicitur uersari in eo quod non est, cum esse accidentis sit substantiæ harere. de pr.mat.lib.3.c.20.l.29.* 33
*Actio sumitur dupliciter.lib.5.de mat.rerum nat. cap.4.f.2.l.12.* 47
*Actio physica duplex lib.5.de mat.rerum nat.ca.4. f.2.l.13.* 47
*Actio late sumpta duplex lib.5.de mat.rerum nat. cap.4.f.2.l.15.* 47
*Actio & resistentia per unum variantur lib.5. de mat.rerum naturalium, c.19.f.2.l.11* 59
*Actio agentis duplex lib.5.de mat.rerum naturaliũ cap.22.l.23.* 61
*Actio efficientis quomodo gignat compositum opinio propria lib.5.de mat.rerum nat.cap.25.per totum.* 63
*Actio efficientis quomodo gignat compositum opiniones variæ lib.5.de mat.rerum nat.cap.24.per totum.* 62
*Actio motus & luminis duplex lib.4.de mat.rerum nat.cap.14.l.46.* 44
*Actio non est obiectum sensus, sed forma, lib.2.de elem.c.6.l.29.* 83
*Actio duplex lib.5.de mat.rerum naturalium c.15.f.2.l.1.* 56
*Actio materiata duplex lib.5. de mat.rerum naturalium cap.15.l.4.* 36
*Actio immanens dupliciter sumitur lib.5.de mat.rerum naturalium, cap.13.l.1.* 55
*Actio spiritalis tria habet lib.5.de mat.rerum naturalium c.23.f.2.l.1.* 62
*Actionis nomẽ quadrupliciter sumitur lib.5.de mat.rerum nat.c.2.l.8.* 60
*Actiones qualitatum primarum duplices. de quat. pr.qual.c.10.f.2.l.13.* 41
*Actus pertinet ad esse rei, & ad quid, non autem potentia. de pri.mat.lib.3.cap.3.f.2.l.27.* 22
*Actus mixtionis tria requirit lib.de mix.cap.2.f.2. l.13.* 98
*Actus essentiæ duplex. de pr.mate.lib.1.capitol.7. lin.24.* 5
*Actus an denotet essentiam. de pr.mat.lib.1.cap.7.l.27.* 5
*Actus sunt differentiæ oppositæ, mutuo se destruentes.de pr.mat.lib.2.c.11.l.pen.* 18
*Actus diuisio.de pr.mat.lib.1.c.7.l.20.* 5
*Accidens ut accidens, est alteri inhærere, idest substantiæ, sed non ut est aliquid absolutè. de prima mat.lib.3.c.23.l.5.* 35
*Accidẽs pro suo esse absoluto necessario expascit materiam, sed pro esse terminato, exposcit subiectum, quod actu sit. de pr.mat. lib.3.cap.8. f.ie. 2.lin.13.* 25
*Accidentis esse est substantiæ hærere.de pr.mat.l.3. cap.20.l.29.* 33
*Accidentia quomodo sint principium, & non principium indiuiduorum. de pri.mat.lib.3.cap.18. lin.47.* 32
*Accidentia quẽadmodum non possunt esse sine substantia, ita nec sciri, de pr.mat.li.3.c.20.li.27.* 33
*Accidentia quomodo exposcant subiectum. de pri. mat lib.3 cap.8.f.2.l.13.* 25
*Accidentia Metaphysicus docet definienda per substantiam, de prim.mate.lib.3.capitolo 20.fol.2. lin.2.* 33
*Accidentia propria indiuiduorum, sine quibus indiuidua non existunt, sunt nobis notiora & proximiora.de pr.mat.lib.3.c.17.l.9.* 31
*Accidentia non includunt materiam ex qua constant.de pr.mat.lib.1.c.12.l.22.* 8
*Accidentia sola quare dicantur esse in subiecto. de pr.mat.lib.1 c.16.l.41.* 11
*Accidentium forma uocatur subiectum, in consideratione primæ materiæ, de pr.mat.lib.1.cap.16. lin.41.* 11
*Aer an natura sit calidus et humidus lib.1.de elem. cap.9.per totum f.2.* 69
*Aer cur calidus lib.1.de elem.c.9.f.2.l.3.* 69
*Aer an primo humidus lib.1.de elem.capi.11.per totum.* 71
*A. qualitatem contrariorum in duobus considerari lib.de mix.c.16.l.26.f.2.* 110

Aeternum duplex. de pr.mat.lib.2.cap.13.f.2.linea 11. 19
Aeterna, quæ mortalibus præstant, quæ sit. de pri.mat.lib.2.f.2.l.20. 19
Affectio ex potentia an distinguatur a suo fundamento. de pr.mat.lib.1.c.10.l.10. 7
Affectio quomodo sit accidens, & qualitas. de pr.mat.lib.1.c.10.l.26. 7
Affectiones corporis sunt magnum, & paruum. de pr.mat.lib.3.c.6.f.2.l.6. 24
Affectiones Mathematicę cum materia repugnant. de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.21. 33
Affectiones nonnullæ, quę proprietates dicuntur, ita materiam, sicut formas sequuntur. de prim.mat.lib.3.c.10.l.5. 26
Et partim esse idem cum fundamento, partim distingui. de pr.mat.lib.3.c.10.l.7. 26
Affectiones duæ principales sequuntur materiam. de pr.mat.lib.3.c.10.f.2.l.3. 26
Affectiones materiæ sunt duæ, potentia, & moles, de pr.mat.lib.3.c.10.f.2.l.3.& 49. 26
Et quę sit prior. ibid.
Affectiones materiæ quæ. de pr.mat.lib.2.cap.1.f.2.l.6. 12
Agens an agat in simile lib.5.de mat.rerum nat.c.8.per totum.f.2. 50
Agens duplex lib.5.de mater.rerum natur.capit.5.lin.10. 48
Agens primum unum, proximum multiplex, ut de materia dicitur. de pr.mat.lib.2.cap.8.fac.2.lin.6. 16
Agens an agat per contactum lib.5.de mat.rerum nat.c.4.f.2.per totum. 47
Agens omne an agendo repatiatur lib.5.de mat.rerum naturalium c.20.per totum. 60
Agens quid. de pr.mat.lib.1.c.3.l.3. 2
Agentis actio duplex lib.5.de mat.rerum nat.capit.22.l.23. 61
Agentia, & patientia composita ex duobus constare lib.5.de mat.rerum nat.c.22.l.3. 61
Agere in se dupliciter posse intelligi lib.5.de mat.rerum nat.cap.8.l.20.f.2. 50
Aliquid, & hoc aliquid, sex modis usurpari. de pri.mat.lib.1.c.5.l.3. 4
Anima quomodo insit corpori lib.5.de mat.rerum nat.cap.13.f.2.l.43. 55
Anima quomodo est in corpore lib.5.de mat.rerū naturalium, c.13.f.2.l.43. 55
Anima, quia est forma, est illa quæ constituit differentiam unius indiuidui ab altero indiuiduo. de pr.mat.lib.3.c.17.f.2.l.22. 31
Anima est una, & talis per suam unicam formam. de pr.mat.lib.3.c.17.f.2.l.24. 31
Anima motus multiplex lib.5.de mat.rerum nat.cap.12.f.2.l.23. 53
Animal primo denotare animam, quæ est forma, secundo compositum, de prim.mat.lib.3.capit.4.lin.11. 23
Animal duplex temperamentum habet lib.de consid.mult.for.cap.5.f.2.l.42. 116
Antiperistasis quot fiat conditionibus. de effect.& perpess.c.13.l.9. 55
Appetitus quotuplex. de prima materia, libro secundo, cap.10.fac.2.l.23. 17
Appetitus materiæ duplex. ibid.l.34.
Appetitus materiæ quid, & unde prodeat. de pr.mat.li.2.c.10.f.2.l.48. 17
Appetitum esse motum intelligi de motu animario. de pr.mat.lib.2.c.11.l.5. 18
Appetere aliquid dupliciter contingere. de pr.mat.lib.2.cap.11.f.2.l.34. 18
Aqua puteorum cur hyberno tempore uideatur tepida lib.5.de mat. rerum naturalium. capitu.13.f.2.l.2. 55
Aqua cur non undique terram ambiat li.1.de elem.cap.20.per totum. 78
Aqua an primo frigida lib.1. de elem.capit.11.per totum. 71
Aqua & cinis cur non misceantur lib.de mix.capit.14 f.2.l.5. 109
Aqua, & terra unum orbem constituunt lib.1.de elemen.cap.21.in princ.f.2. 78
Arithmetica cur prior, simplicior, & certior. de pr.mat.lib.3.cap.22.f.2.l.7. 34
Arithmetica prima inter mathematicas. de prima mat.lib.3.cap.21.f.2.l.12. 33
Arithmeticus quid consideret pro eius principijs. de pr.mat.lib.3.cap.21.f.2.l.17. 33
Aristot. quomodo dederit, regulas de proportione motuum lib.2.de elem.cap.25.l.15. 96
Arist. tribuit mixtionem qualitatibus ob sex lib. de mix.cap.10.l.28. 106
Arist. & Plato in quinque dissentiunt de motu animę lib.5. de materia, rerum nat.c.12.lin.25. 54
Aristot. & Plato conueniunt in sex de motu animę lib.5. de mat.rerum nat.c.12.l.13. 54
Arist. quid intelligat per id quod generatur, de pri.mat.lib.1.capit.4.ad fi. 3
Ars an conficiat mixta lib. de mixt.capit.13.f.2.lin.32. 108
Artis medendi principia quæ de quat.pr.qual. ca.2.ad fin.l.12. 37
Arte mixta confici dupliciter intelligitur lib. de mix.c.13.f.2.l.32. 108

B

Bonum quadruplex, Metaphysicum, Physicum, Morale, & Diuinum, de prima materia lib.2.c.9.l.19. 17
Bonum quale in materia consideretur. de pri.mat.lib.1.c.4.ad fi.l.8. 3
Bonum ex se quid. de pr.mat.lib.1.c.4.l.3.& fac.2.l.7. 3
Bonum, & Ens reciprocantur. de pri.mat.lib.1.c.4.l.5. 3
Boni conditio libro quinto, de mat.rerum naturalium c.25.f.2.l.3. 63

Cali-

C

Calidum dicitur dupliciter lib.4.de mat.rerũ nat.cap.13.l.10. 43
Calidum usurpatur dupliciter lib.1.de elem.ca.17. f.2.l.32. 75
Calidum pro substantia calida multiplex est specie lib.1.de elem.c.17.f.2.l.33. 75
Calidi, frigidi, humidi, & sicci distinctio lib.4. de mat. rerum nat.c.13.per totum. 43
Calor, & frigus, humor, & siccitas, sunt quattuor primæ qualitates, ad tactum pertinentes de quat. pr.qual.c.2.f.2.l.20. 36
Calor quomodo definiatur.de quat.pr.qual.cap.10. lin.6. 41
Calor apud nos eget aliquo communi conseruante. lib.1.de elem.c.10.f.2.l.15. 70
Calor omnis est eiusdem speciei lib.1. de elem.c.17. f.2.l.44. 75
Caro denotat formam, hæc caro formam cum materia.de pr.mat.lib.3.c.1.l.29. 21
Caro aliud est, & aliud esse carni.de pr.mat.lib.3.c. 1.l.31. 21
Caro est forma & materia extrinseca indiuidui, & sic accidens de pr.mat.lib.3.c.18.l.27. 32
Caro hæc, hoc cœlum, & similia particularia denotant formam in materia, & primo formam, secundariò materiam de pr.mat.lib.3.capit.17.f. 2.l.33. 31
Causæ uariæ cur aqua non ambiat terram undique lib.1.de elem.c.20.l.35. 78
Causæ sex cur elementa sint prædita duabus qualitatibus, lib.1.de elem.c.8.l.9. 69
Chaos quid.de pr.mat.lib 3.c.10.f.2.l.23. 26
Cinis & aqua cur non misceantur, lib.de mix.c.14. f.2.l.5. 109
Cœlum est elementum primum lib.1.de elem.ca.1. f.2.l.50. 64
Cœlum quare rectius dicatur subiectum.de pr.mat. lib.1.c.16.l.46. 11
Cœlum non habet uere materiam lib.5.de mater.rerum naturalium c.23.l.3.f.2. 61
Cœlum dicitur forma, hoc Cœlum forma, cum materia.de pr.mat.lib.3.c.1.l.27. 21
Coexistentia quibus competat.de pr.mat.lib.1.c.7. lin.15. 5
Cognitio materiæ necessaria. de pr.mat.lib.1.cap. 1.l.1. 1
Cognitio duplex libro quinto, de mat.rerum naturalium c.13.f.2.l.50. 55
Comparatio quadruplex quomodo forma prior in subsequente contineatur lib.de cont.mul.for.c.5. f.2.l.16. 116
Comparatio materiæ cum forma.de pr.mat.lib.2.c. 1.f.2.l.11. 12
Composita agentia & patientia ex duobus constare lib.5.de mat.rerum naturalium c.22.l.3. 61
Compositio ex quibus partibus constet. de pr.mat. lib.3.c.1.l.20. 21
Compositionis nomen duplex.lib.de mixt.capito.1. lin.13. 98
Compositionis gradus quinque lib.de mixt.capit.1. lin.14. 98
Compositum quare dicatur natura.de pr.mat.lib.3. cap.1.f.2.l.1. 21
Compositum datur ex actu & potentia.de pr.mat. lib.1.c.11.f.2.l.11. 7
Compositum forma est.de prim.mat.lib.3.capit.1. lin.fi. 21
Compositum omne per formam est, & hoc aliquid. de pr.mat.lib.3.c.17.l.41. 31
Compositum includit materiam sensibilem, quatenus est apta recipere qualitates sub sensum cadentes.de pr.mat.lib.3.c.21.l.5. 34
Compositum dici illud aggregatum ex materia, & forma.de pr.mat.lib.2.c.11.l.13. 18
Compositi unius numero quare una dicatur forma, & una materia. de prima mat.lib.3.capitol.17. lin.24. 31
Conditio boni lib.5.de materia rerum naturalium, cap.25.f.2.l.3. 63
Conditio miscibilium lib.primo de elemen.cap.14. f.2.l.10. 73
Conditio elementi lib.de mix.c.7.l.23. 103
Conditiones pro mutua permutatione lib.2.de ele. c.13.l.18. 87
Conditiones pro elementi constitutione lib.1. de elem.c.1.l.13. 64
Conditiones elementi relati ad mixtũ lib.1.de elem. c.1.l.12. 65
Conditiones materię quæ. de pr.mat.lib.2.c.1.f.2. l.6 12.& l.2. 13
Conditiones elementi corporei relati ad mundum lib.1.de elem c.1.l.1. 65
Conditiones tres elementi uniuerse sumpti lib.1.de elem.c.1.l.14. 64
Conditiones mixtionis & miscibilium lib.de mixt. c.2.per totum.f.2. 98
Conditiones primarum Qualitatum.de quat.primis qual.c.1.per totum.f.2. 35
Considerandi modus per quem peruenitur ad priuationem, qualis. de prim.mat.lib.1. cap.14.fac.2. lin.44. 4
Constitutio mixti & mixtionis quattuor requirit lib de mix.c.2.f.2.l.18. 98
Contactus duplex lib.5.de mat.rerum nat.capit.5. lin.4. 48
Contra mouere & mouens non esse idem lib.5.de mat.rerum nat.c.20.l.16. 60
Contraria omnia subiectum exposcere. de pr.mat. lib.3.c.6.f.2.l.7. 24
Contrariorum æqualitatem in duobus cõsiderari lib. de mix.c.16.l.26.f.2. 110
Corpus omne uel Physicum est, vel Mathematicum, vel Artificiosum. de prima materia lib.3. c.6.l.43. 24
Corpus Physicum est compositum formatum per se in loco, sub sensum cadit, per se aptum intelligi:

*materia autem econtrario se, habet de pr.mat.li. 3.c.6.l.45.* 24
*Corpus in superficies, lineas, & puncta resolui, de pr.mat.lib.3.c.6.f.2.l.1.* 24
*Corpus prædicamenti substantiæ quomodo sit vniuocum, de pr.mat.lib.3.c.11.l.31.* 27
*Corpus omne, vel est in prædicamento substantię, vel quantitatis, de pr.mat.lib.3.c.6.l.36.* 24
*Corpus pro genere Prædicamenti substantiæ sumptum. de pr.mat.lib.3.c.7 f.2.l.6.* 24
*Corpus physicum principium cęterorum corporum. de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.9.* 33
*Corpus mathematicum si esset substantia, quid sequeretur, de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.10.* 33
*Corpus Phsisicum principium mathematici, de pr. mat.lib.3.c.21.f.2.l.11.* 33
*Corpus quomodo animam habeat lib.5. de mat. rerum naturalium c.13.f.2.l.43.* 55
*Corpus absolute non gigni, sed fieri hoc vel illud corpus de pr.mat.lib.3.c.10.f..l.12.* 26
*Corporis affectiones quæ. de pr.mat. lib.3.cap.6.f.2. l.6.* 24
*Corpora sola moueri lib.5. de mat.rerum nat.ca.12. l.4.f.2.* 52
*Creationis distinctio an generatione lib.5. de mat.rerum nat.c.25.f.2.l.11.* 63
*Curandi modi sumuntur ex quattuor primis qualitatibus, de quat.pr.qual.c.2. ad fi.l.5.* 37

*D*

*DEfinitio quid, de pr.mat.lib.1.c.7.l.6.* 5
*Definitio, esse rei, quid res est, & forma idem significant. de pr.mat.lib.3.c.4.l.4.* 23
*Definitio mixtionis lib.de mix.c.5.l.5.* 101
*Definitio mixtionis dupliciter explicatur libro de mix.c.5.l.5.* 101
*Definitio, & quid res est, dicitur ab vno, de pr.mat. lib.3.c.4.l.15.* 23
*Definitia, & quid res est, primo denotat formam partis, secundo compositũ ex materia, et forma. ibid.*
*Definitio tactus lib.5. de mat. rerum nat.cap.1.f.2. lin.9.* 45
*Definitio tactus Arist. non est redundans duplici causa. lib.5. de mat.rerum nat.c.2.f.2.l.20.* 45
*Definitio resistentiæ lib.5. de mat. rerum nat.c.18. lin.47.* 59
*Definitio mixtionis integra lib.de mix.c.5.l.21.* 201
*Definitio temperamenti lib.de mix.c.5.l.31.* 101
*Definitio elementi lib.1. de elem.c.2.l.18.* 65
*Definitio potentiæ agentis lib.5. de mat.rerum nat. cap.9.l.16.* 51
*Definitiones & diuisiones elementorum lib.1.de elemen.c.2.per totum.* 65
*Definitiones mathematicæ solam explicant formam de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.18.* 33
*Definitiones & diuisiones elementorum capit.2.per totum.* 65
*Definitiones formæ dicuntur, de pr.mat.lib.3.c.1.f. 2.l.23.* 21



*Demonstrationes, & definitiones formam rei respicere, de prima materia, libro 3.capitu.21.fac.2. l.19.* 33
*Differentia inter essentiam rei materiatæ, & formæ solutæ a materia. de pr. mat.lib.3.capitu.3.fac.2. l.21.* 22
*Differentiæ duodecim materiæ a priuatione, de pr. mat.lib.1.c.14.l.4.* 9
*Differentiæ indiuiduantes quomodo sint accidentia, de pr.mat.lib.3.c.2.l.32.* 22
*Dimensio interminata essentia est materiæ. de prim. mat.lib.3.c.10.f.2.l.44.* 26
*Dimensio materialis, & formalis quæ. de pr.mat.li. 3.c.10.f.2.l.7.* 26
*Dimensiones prædicamenti quantitatis an competant materiæ. de pr.mat.lib.3.ca.8.f.2.l.3.* 25
*Dispositio est principium, per quod quis facile agat, vel patiatur, de pr.mat.lib.1.c.10.l.15.* 7
*Dispositio vniuersi pro mixtione lib. de mix.capit.3. lin.5.* 100
*Distinctio generationis an creatione lib.5. de mat.rerum nat.c.25.f.2.l.11.* 63
*Distinctio calidi, frigidi, humidi, & sicci lib.4. de mat. rerum naturalium c.13.per totum.* 43
*Diuisio resistentiæ lib.5. de mat.rerum naturalium c.18.l.2.* 59
*Diuisiones, & definitiones elementorum lib.1.de elemen.c.2 per totum.* 65
*Diuisiones, & definitiones elementorum, c.2.per totum.* 65

*E*

*EFficiens non operatur ultra suum gradum lib. 5.de mat.rerum nat.c.15.l.38.* 57
*Efficiens duplex lib.de mix.c.3.f.2.l.9.* 99
*Efficientis actio quomodo gignat compositum opinio propria lib.5.de mat.rerum nat.c.25. per tot.* 63
*Efficientis actio quomodo gignat compositum opiniones variæ lib.5.de mat.rerum nat.c.24.per totum.* 62
*Elementum quid lib.1.de elem.c.2.l.18.* 65
*Elementum triplex lib.1. de elem.c.1.l.13.* 64
*Elementum nullum secundum se totum sincerum li. 1.de elem.c.14.l.9.* 73
*Elementum primum est Cælum lib.1. de elem.ca.1. f.2.l.50.* 64
*Elementum consideratur dupliciter lib.1. de elem. c.2.l.14.* 65
*Elementũ ignis quid sit li.1. de elem.c.7.f.2.l.7.* 68
*Elementi conditio lib.de mix.c.7.l.23.* 103
*Elementi uniuerse sumpti tres conditiones lib.1. de elem.c.1.l.14.* 64
*Elementi corporei relati ad mundum conditiones li. 1.de elem.c.1.l.1.* 65
*Elementi conditiones relati ad mixtum lib.1. de ele. c.1.l.12.* 65
*Elementi nomen quid, lib.de ele.c.1.l.6.* 64
*Elementi definitio. de pr.mat.lib.1. capitu.17.ad fi. l.11.* 12

*Elementum tertium poſſe fieri ex duob. cõtrarijs dupliciter lib. 2. de elem. c. 16. f. 2. l. 29.* 89
*Elementum totum dupliciter cõſiderari lib. de mix. c. 4. l. 5.* 100
*Elementa quomodo moueantur lib. 2. de elem. c. 21. per totum.* 93
*Elementa tot ſunt, quot orbes lib. 1. de elem. cap. 2. l. 40. f. 2.* 65
*Elementa quot lib. 1. de elem. c. 3. per totum.* 66
*Elementa ſimplicium corporum an rectè qualitates primæ dicantur, de quat. pr. qualit. capit. 12. f. 2. l. 25.* 42
*Elementa ut ſunt in uniuerſo permixta non habent ambas qualitates lib. 1. de elem. c. 13. f. 2. l. 34.* 72
*Elementa an pura in uniuerſo inueniantur lib. 1. de elem. c. 14. per totum.* 73
*Elementa quod ſint quattuor probatur ex Ariſtot. lib. 1. de elem. c. 4. per totum. f. 2. l. 1.* 66
*Elementa contraria dupliciter conſiderantur lib. 2. de elem. c. 15. l. 2.* 89
*Elementa communi qualitate prædita, an facilius permutantur lib. 2. de elem. c. 16. per totum.* 89
*Elementa demuntur demptis primis qualitatib. lib. 2. de elem. c. 8. l. 11.* 84
*Elementa in uniuerſo eſſe mixta lib. 1. de elem. cap. 10. f. 2. l. 3.* 70
*Elementa cur ſint prædita duabus qualitatibus cauſæ ſex lib. 1. de elem. c. 8. l. 9.* 69
*Elementa conſiderari tripliciter lib. 2. de elem. c. 1. l. 7. f. 2.* 79
*Elementa per tria conſtituuntur lib. 2. de elem. ca. 1. f. 2. l. 22.* 79
*Elementa duo contraria gignere tertium, lib. 2. de elem. c. 14. l. 19.* 88
*Elementa an omnia ſine medio poſſint permutari li. 2. de elem. c. 15. per totum.* 88
*Elementa partes ſinceras habere lib. 1. de elemen. c. 14. l. 12.* 73
*Elementa triplicem terminum habent lib. 2. de elem. c. 13. f. 2. l. 35.* 87
*Elementa facile inuicem permutari lib. 2. de elem. c. 14. per totum.* 88
*Elementa, quomodo æqualia lib. 2. de elem. cap. 13. l. 29.* 87
*Elementa gignere mixta noua lib. de mix. capitu. 3. l. 21.* 100
*Elementarum uniuerſitates cur non miſceantur lib. de mix. c. 3. f. 2. l. 29.* 99
*Elementa quomodo ſeruentur in mixto opinio propria lib. de mix. c. 9 per totum f. 2.* 104
*Elementa habent duo diſtincta elementa libro 5. de mat. rerum nat. c. 13. l. 5. f. 2.* 54
*Elementa an poſſint miſceri lib. de elem. c. 3. l. 2.* 99
*Elementa cur permutentur lib. 2. de elem. capit. 13. l. 6.* 87
*Elementa quid optent primo lib. 2. de elem. capi. 13. lin. 8* 87
*Elementa ſingula prædita ſunt duab. qualitatibus li. lib. 1. de elem. capitu. 8. l. 9.* 69
*Elementa primo ex ſe moueri lib. 2. de elem. cap. 21. linea 24. fac. 2.* 93
*Elementa dici ſincera dupliciter lib. 1, de elem. cap. 15. fac. 2. lin. 32.* 74
*Elementa cum conſiderentur pura, & non pura, an nomen eorum dicatur de illis uniuoce, uel æquiuoce lib. 1. de elem. capitu. 16. lin. 34.* 75
*Elementorum quod ſit præſtantius lib. 1. de elem. c. 18. per totum.* 76
*Elementorum motus lib. 2. de elem. c. 17. per tot.* 90
*Elementorum formæ an recipiant magis, & minus lib. 2. de elem. capitu. 9. fac. 2. per totum.* 84
*Elementorum diuiſiones, & definitiones lib. 1. de Elem. c. 2. per totum.* 65
*Elementorum duplex medium permutationis lib. 2. de elem. c. 15. f. 2 l. 40.* 88
*Elementis cur una qualitas prima competat, tum alia lib. de elem. 1. c. 8. f. 2. l. 12.* 69
*Ens primo competit prædicamento ſubſtantiæ, cæteris uerò poſt ipſum, de pr. mat. lib. 1. c. 9. f. 2. l. 31.* 6
*Ens, eſſe, & actus ſunt ab uno, de pr. mat. lib. 1. c. 6. l. 27.* 4
*Ens, eſſe, eſſentia exiſtens, exiſtere, exiſtentia: ſubſiſtens, ſubſiſtere, ſubſiſtentia: inexiſtens; inexiſtere, inexiſtentia: coexiſtens, coexiſtere, coexiſtentia, quos ſignificationes habeant, de pr. mat. lib. 1. c. 7. f. 2. l. 3. & ſeq.* 4
*Ens per actum & potentiam diuiditur, de pr. mat. lib. 1. c. 4. l. 9. 3. & c. 6. f. 2. l. 7.* 4
*Ens quomodo fiat lib. 5. de mat. rerum naturalium, c. 25. f. 2. l. 18.* 63
*Ens, & eſſe quomodo ſint ab uno. de pr. mat. lib. 1. c. 9. f. 2. lin. 22.* 6
*Ens, & eſſe dupliciter uſurpari, de pr. mat. lib. 1. ca. 7. f. 2. l. 7.* 4
*Et quomodo differant inter ſe, ibid.*
*Ens actu diuidit Ariſt. in decem prædicamenta, de pr. mat. lib. 1. c. 9. f. 2. l. 10.* 6
*Ens, & bonum reciprocari. de pr. mat. li. 1. c. 4. l. 5.* 3
*Ens poteſtate dupliciter uſurpari, de pr. mat. lib. 1. c. 4. ad fi.* 3
*Entis & uox Entis variæ ſignificationes. de pr. mat. lib. 1. c. 4. l. 10.* 3
*Eſſe in cauſis eſt eſſe poteſtate, & futurum, non autẽ propria rei eſſentia, de pr. mat. lib. 1. c. 7. l. 5.* 5
*Eſſe rei, quid res eſt, forma, & definitio pro eodem uſurpantur, de pr. mat. lib. 1. c. 4. l. 2.* 23
*Eſſe, & non eſſe ſunt termini maximè diſtantes. de pr. mat. lib. 1. c. 14. l. 5.* 10
*Eſſe præſtantius dupliciter contingit lib. 1. de elem. cap. 19. l. 8.* 77
*Eſſe, & unum numero reciprocantur, de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 8.* 31
*Eſſe diſtinctæ, uel eiuſdem ſpeciei contingit dupliciter, libro primo de elemen: capitulo 11. fac. 2. l. 39.* 75
*Eſſe ad non eſſe tranſit, ſed non ſemper econuerſo. niſi cum iuncta eſt potentia & priuatio, de prim. mat. lib. 1. c. 14. l. 7.* 10

Essentia quid. de pr.mat.lib.1.c.6.l.23. 4

Essentia duplex, & actus eius. de pr.mat.lib.1.c.7. l.24. 5

Essentia deducitur ab esse, & est eo minus communis, de pr.mat.lib.1.c.7.f.2.l.11. 4

Essentia & quidditas idem. de pr.mat.lib.1.c.7.f.2. l.pen. 4

Essentia in solis causis non seruatur nisi potestate. de pr.mat.lib.1.c.7.l.4. 5

Essentia omnis est forma, & nomine formae denotatur. de pr.mat.lib.3.c.4.l.27. 23

Immo & essentia materiae denotatur nomine formae. ibid.

Essentia semper iunctam habet existentiam. de pr.mat.lib.1.c.9.l.40. 6

Essentia totius consurgit ex materia partis & forma. de pr.mat.lib.3.c.2.l.11. 22

Essentia non seruatur sine existentia. de pr.mat.lib.1.c.7.l.11. 5

Essentia est posita in indiuisibili, lib.5. de mat. rerum nat. c.24.l.26. 63

Essentia rei per definitionem explicatur. de pr.mat. lib.1.c.7.l.5. 5

Exemplar diuinitatis expers quare materiam Platonici appellent. de pr.mat.li.1.c.6.f.2.l.12. 4

Existentia quid denotet. de pr.mat.lib.1.c.7.l.8. 5

Et quid sit, ibid.l.9.

Existentia quot modis accipiatur. de pr.mat.lib.1. c.9.l.39. 6

Existere, et unum numero reciprocantur. de pr.mat. lib.3.c.17.l.8. 31

Existere in uniuerso primo & proprie competat acti, qui forma est. de pr.mat.lib.3.c.18.l.9. 32

F

Finis duplex. de pr.materia, libro 2. capitulo 9. lin.30. 17

Finis duplex, lib. de mix.c.3.f.2.l.16. 99

Finis cui mixta inseruiunt est triplex, lib. de mixt. c.3.f.2.l.23. 99

Finis internus mixtionis duplex, lib. de mix.cap.11. lin.15. 107

Forma quid. de pr.mat.lib.2.c.1.f.2.l.11. 12

Forma substantiae dupliciter consideratur, lib.2. de elem.c.10.f.2.l.6. 85

Forma dicitur totum id quod res est, materia pars, ut aliqua ratione nihil. de prima mat.lib.2.c.1. f.2.l.25. 12

Forma est actus. de prima materia, lib.1. capitulo 7. l.32. 5

Forma in materia indiuiduum constituit, quae sic actu existit. de prima materia, libro 3. capit.18. l.25. 32

Forma in indiuiduo existens, dicitur actu existere, ibidem.

Forma quomodo constituat unum et numero, et specie & genere, ibid.l.32. 32

Forma substantiae primo, & praesertim indiuiduum constituit, accidens uera extrinsecus. de prima materia libro 3. capitulo 17.f.2.l.5. 31

Forma constituitur hoc aliquid, de pr.mat.lib.3.ca. 17.l.39. 31

Forma an appetat materiam. de pr.mat.lib.2.c.11. f.2.l.33. 18

Forma accidentium uocatur subiectum in consideratione prima materia, de prima mat.lib.1.cap. 16.l.41. 11

Forma est uniuersa natura compositi, de pr.mat.lib. 3.c.4.l.21. 23

Forma partis quae. de prima mat.lib.3. capitulo 1. lin.9. 21

Forma totius dupliciter consideratur, de pr.mat.lib. 3.c.1.l.10. 21

Forma pro essentia rei frequenter usurpatur. de pri. mat.lib.3.c.1.f.2.l.2. 21

Forma denotat essentiam, rationem materiae & priuationis ibid.

Forma per animam nisi daretur, quid sequeretur, de pr.mat.lib.3.c.17.f.2.l.25. 31

Forma quomodo fiat aliquando ex nihilo, de prima mat.lib.2.c.4.f.2.l.31. 20

Forma quomodo fit in materia, de pr.mat.lib.2.cap. 12.per totum. 18

Forma substantialis corporis cum sua materia non datur, de pr.mat.lib.3.c.7.l.8. 25

Forma dicitur actus: materia vero omnino potentia, de pr.mat.lib.1.c.6.f.2.l.8. 4

Forma iuncta cum materia, si est partis, est altera pars compositi, si totius, est essentia totius, de pri. mat.lib.3.c.2.l.11. 22

Forma partis, & totius quae, de pr.mat.lib.3.cap.2. lin.11. 22

Forma sola ea est, quae ex se diuisionis est expers, & alteri competere non potest, de pr.mat.lib.3.cap. 17.f.2.l.10. 31

Forma dicitur ratio, & quid erat esse, de pr.mat.lib. 3.c.4.l.4. 23

Forma est principale principium indiuidui. de prima materia lib.3.cap.17. per totum, sed clarius ad fi. 31

Forma quare indiuiduationis sit principium principalissimum, de prima materia, libro 3.cap.17. lin.26. 31

Forma est causa, quod indiuiduum sit unum & continuum, de prima materia lib.3. capitulo 17.f.2. lin.17. 31

Forma quomodo, & per quid sit una numero. de pr. mat.lib.3.c.18.f.2.l.9. 31

Forma indiuiduo duplex, extrinseca, & intrinseca, extrinseca uocatur accidentalis, ut caro, intrinseca substantialis, ut anima, de prima materia lib. 3.c.18.l.27. 32

Forma, & priuatio est prima oppositio, & una constituens terminos generationis, & interitus. de quat.pr.qual.c.5.in fi. 38

Forma, definitio, quid est, & nomen, idem modo aliquo denotant, de pr.mat.lib.3.c.1.f.2.l.24. 21

Forma est principale bonum bono Physico. de prima mat.lib.2.c.9.l.22. 17

*Forma secundum se considerata per varios gradus abstractionis, constituit varios gradus uniuersalium, considerata autem cum materia constituit indiuiduum, de pr.mat.lib.3.c.17.in fi.* 31
*Forma mixti quomodo consurgat ex varijs formis, lib.de mix.c.12.f.2.* 107
*Forma mixti absolute est una facultate tot quot sūt illæ ex quib.consurgit, lib.de mix.c.9.l.6.* 105
*Forma mixti & temperamentum distinguuntur, lib. de mix.c.1.f.2.l.19.* 98
*Forma est obiectum sensus non actio, lib.2. de elem. c.6.l.29.* 83
*Forma est quidditas hominis, non congregatū ex materia & forma, de pr.mat.lib 3.c.3.f.2. l.pen.* 22
*Formæ essentia est actus, materiæ verò potentia, de pr.mat.lib.2.c.11.l.28.* 18
*Formæ totius approbatio ab Auctore, de pr.mat. lib.3.c.1.l.18.* 21
*Formæ varietas potius est causa uarietatis materiæ, quam vice versa, de pr.mat. lib.3.cap.17.fac.2. lin.19.* 31
*Formæ & materiæ distinctio in eam totius & partis, in quibus formis habeat locum, de pr.mat.lib. 3.c.2.l.6.* 22
*Formæ propriè conuenit diuisio, numerus, & differentia, sed non materiæ, de pr.mat. lib.3.c.17.f.2. l.3.* 31
*Formæ cum materia comparatio, de pr.mat. lib.2.c. 1.l.21.cum seq.* 12
*Formæ nomen cui competit, competit etiam definitio, de pr.mat.lib.1. c.7.l.32.* 5
*Formam reperiri in alio potestate sex modis intelligitur.lib.de mix.c.9.l.39.* 105
*Formam in materia denotant hæc caro, hoc cælum, & similia particularia, hoc est primo formam, secundario materiam, de pr.mat. lib.3.cap.17.f.2. lin.33.* 31
*Formæ elementorum an recipiant magis & minus. lib.2.de elem.c.9.f.2. per totum.* 84
*Formæ variæ quomodo in vnum nectantur, lib. de con.mult.for.c.5.* 116
*Formæ educuntur ab agente ex materia per transmutationem, & quomodo, de pr.mat. lib.2.c.14. f.2.l.6.* 19
*Formæ a materia solutę ex se sunt formæ totius, de pr.mat.lib.3.c.2.l.10.* 22
*Formę materiatæ sunt trium graduum, lib.2. de elemen. c.10.f.2.l.41.* 85
*Formę plures an ualeant esse eiusdem indiuidui, lib. de con.mult.for.c.1.* 113
*Formarum inchoationes, an materiæ competant. de pr.mat.lib.2.c.4.f.2.l.7.* 19
*Formas elementorum non esse primas qualitates, lib.2.de elem.c.5.per totum f.2.* 81
*Frigidi, calidi, humidi, & sicci distinctio, lib.4.de mat.rerum nat.cap.13.per totum.* 43
*Frigus quomodo definiatur, de quat.pr.qual.cap.10. lin.7.* 41
*Frigus sequitur humorem crassum & aqueum non aereum, lib.1.de elem.c.10.f.2.l.48.* 70
*Fundamentum fabricę orbis est subiectum primum quod prima nuncupatur materia. de qual.prim. qual.in proœm.l.1.f.2.* 35

G

*GAleni opinio de termino ad quem, mixtionis. li. de mix.c.11.f.2.l.8.* 106
*Genera & species significare quale, de pr.mat. lib.3. c.1.l.24.* 21
*Genera & species sunt formę totius, de pr.mat.l.3. c.1.l.24.* 21
*Generatio quid, de pr.mat. lib.1.c.6.f.2.l.2.* 4
*Generatio rerum habet quinque modos, lib. de mat. rerum naturalium, c.24.l.5.f.2.* 62
*Generatio mixtorum similium partium duplex, lib. de mix. c.11.l.28,* 107
*Generatio physica rerum tria requirit, lib.5.de mat. rerum naturalium, c.25.l.3.* 63
*Generatio maxima est omnium transmutationem, de pr.mat.lib.1.c.14.l.3.* 10
*Generationis termini maxime distantes, & oppositi, sunt esse & non esse. de pr.mat. lib.1.cap.14. lin.5.* 10
*Generationis distinctio a creatione, lib.5. de mat.rer. nat.c.25.f.2.l.11.* 63
*Generationis principia duo. de pr.mat. lib.1.cap.3. ad fin.* 3
*Genus prædicamenti substātiæ corpus est uniuocum. de pr.mat.lib.3.c.7.l.2.* 25
*Geometriæ prima principia quæ, de pr.mat. lib.3.c. 21.f.2.l.15.* 33
*Geometriæ quid competat, de pr.mat.lib.3. c.22.f. 2.l.6.* 34
*Gradus quinque in vniuerso considerati, ex sententia Platonis, de pr.mat. lib.1.c.4.l.38.* 3
*Gradus compositionis quinq; li.de mix.c.1.l.14.* 98
*Gradus motus quattuor, lib.5. de mat.rerum nat.c. 12.f.2.l.15.* 53
*Grauitas & leuitas ex Auer. dupliciter sumitur, li. 2.de elem.c.2.l.12.* 80

H

*HArmonia an sit vna lib. de mixt. capit. 18. linea 12.* 112
*Hęcceitas quæ secundum Scotum, de pr.mat.li.1.c. 1.f.2.l.20.* 1
*Hęcceitas quibus competat, de pr.mat. lib.3.c.16. ad fin.* 31
*Hoc aliquid est indiuiduum substantiæ, de pr.mat. lib.3.c.17.l.40.* 31
*Homo, ens homo, & vnus homo, idem est.de pr.mat. lib.3.c.17.l.16.* 31
*Humidum octuplex.lib.4. de mat.rerum nat.c.13. lin.26.* 43
*Humidum quadruplex, lib.4. de mat. rerum nat.c. 13.l.26.* 43
*Humidi & sicci definitiones ueræ. de quat.pr.qual. c.10.l.9.41.& c.11.per totum.* 42

Hami-

Humidi, frigidi, calidi & sicci distinctio li. 4. de mat. rerum nat. cap. 13. per totum. 43

Humor duplex lib. 1. de elem. c. 11. l. 22. 71

I

IDea quid sit, de pr. mat. lib. 2. c. 2. ad fi. f. 13.

Idearum interiu non respondet, de pr. mat. lib. 2. c. 2. ad fin. 13

Ideæ nomen formam denotare, de pr. mat. lib. 2. c. 2. ad fin. 13

Idem an agat in se, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 8. l. 9. fac. 2. 50

Ignis elementum quid sit, lib. 1. de ele. c. 7. f. 2. l. 7. 68

Ignis an sit elementum, lib. 1. de elem. c. 6. per tot. 68

Ignis agit ut calidus, ut ignis, et ut elementum, lib. 2. de elem. c. 6. l. 40. 83

Inchoatio ad quæ referatur, de pr. mat. lib. 2. cap. 15. lin. 2. 20

Inchoationes formarum, an materiæ competant, de pr. mat. lib. 2. c. 4. per totum. 19

Et quomodo, ibid. & c. seq. per totum.

Indiuiduatio quid sit, de pr. mat. lib. 3. c. 18. l. 16. 32

Indiuiduationis principium quale, ubi sex enumerantur opiniones, de prima materia, libro 3. c. 13. usque ad c. 19. ubi c. 17. opinio ponitur propria. 28. usque ad 32

Indiuiduum quidnam sit ex sententia Porphirij, de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 14. 31

Indiuiduum species duplex, de prima materia, lib. 3. c. 12. l. 7. 28

Indiuiduum duas habet considerationes, unitas, s. & multitudo sub specie, de prima mat. lib. 3. cap. 18. f. 2. l. 2. 31

Indiuiduum quare sic dicatur, de pr. materia, lib. 3. c. 17. f. 2. l. 8. 31

Indiuiduum non cõstituitur per materiam, de prima mat. lib. 3. c. 18. l. 36. 33

Indiuiduum substantiæ per hoc aliquid designatur, de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 40. 31

Indiuiduum solum re uera est, uniuersale autem actu per intellectum constituitur, de pr. mat. lib. 3. cap. 18. lin. 5. 32

Indiuidui principale proprium quale, de pr. mat. lib. 3. c. 17. f. 2. l. 6. 31

Indiuiduum de duobus dici, de composito, et de principio eius, ibid. l. 7.

Indiuiduum speciei proprie dici indiuiduum, de pr. mat. lib. 3. c. 12. l. 6. 28

Indiuidua ad materiam relata dici accidentia, de pr. mat. lib. 2. c. 8. f. 2. l. 11. 16

Indiuidua numero differentiis diuisione multiplicari, & differentiis accidentium, de pr. mat. lib. 3. c. 17. f. 2. l. 3. 31

Indiuidua omnia, vel sunt forma, uel eam includunt, non autem includunt materiam, de prima mater. lib. 3. c. 17. f. 2. l. 13. 31

Indiuidua quomodo inter se distinguantur forma, & materia, de prima materia, libro 3. c. 18. l. 41. 32

Indiuidua sunt accidentia, & differentiæ materiæ totius, de pr. mat. lib. 3. c. 2. l. 15. 22

Indiuidua sola in uniuerso subsistunt, & reperiuntur, de pr. mat. lib. 3. c. 18. f. 2. l. 10. 31

Indiuiduorum propria accidentia, sine quib. indiuidua non existunt, et ad materiã pertinent, sunt nobis notiora & proximiora, de pr. mat. lib. 3. c. 17. lin. 10. 31

Infinitum formæ aduersatur, de prim. mat. lib. 3. c. 8. f. 2. l. 18. 25

Imperium grauium & leuium duplex. lib. de mixt. c. 17. l. 8. 118

Intelligi per se dupliciter accipi, de pri. mat. lib. 2. c. 2. l. 3. 13

Intelligibilis seu Mathematicorum materia, quæ sit, de pr. mat. lib. 3. c. 20. l. 10. 33

Et quid sit. ibid. l. 13.

L

LOcus mixtionis, lib. de mix. c. 3. f. 2. l. 36. 99

Longitudo, latitudo, & profunditas, quare non sint substantia, sed accidentia, de pr. mat. lib. 3. c. 6. f. 2. l. 8. 24

M

MAgnitudini in materia nil est contra, de prim. mat. lib. 3. c. 8. f. 2. l. 27. 25

Magnum & paruum sunt corporis affectiones, de pr. mat. lib. 3. c. 6. f. 2. l. 6. 24

Et sunt contraria, ibid.

Materia quid, de prima mat. lib. 1. c. 6. f. 2. l. 25. 4. & c. 12. f. 2. l. 2. 8. & c. 17. per tot. ubi propria definitio. 12

Materia quare non egeat forma, ut sit, sed ut sit actu, de pr. mat. lib. 1. c. 6. f. 2. in fi. 4

Materia totius constituitur per differentias, & accidentia indiuiduãtia, de pr. mat. lib. 3. c. 2. l. 14. 22

Materia ad formam relata priuationem includit, de pr. mat. lib. 2. c. 13. ad fin. 19

Materia intelligibilis non est substantia, de pr. mat. li. 3. c. 20. usque ad c. 22. 33. & 34.

Materia purus est actus entis, & pura potentia ad formam, de prima mat. lib. 1. c. 9. f. 2. l. 21. 6

Materia prior origine, forma uero dignitate, de pr. mat. lib. 1. c. 9. f. 2. l. 26. 6

Materia quare mala, turpis, & fœmina ex accidenti, de pr. mat. lib. 2. c. 1. in fi. 13

Materia an sit natu per se intelligi et quõ, de pr. mat. lib. 2. c. 2. per tot. & c. 3. per totum. 13. & 14

Materia est simplex & principium primum, de pr. mat. lib. 2. c. 3. f. 2. l. 7. 13

Materia cognitione incomplexa non est aptu per se intelligi, de pr. mat. lib. 2. c. 3. l. 9. 14

Materia cognitione cõplexa potest manifestari tam per prædicata relata, quàm absoluta, dicẽdo quòd sit ens, uel substantia, ibid. l. 12.

Materia an ualeat seruari per absolutam Dei potentiam seorsum a Forma, de prim. mat. lib. 2. c. 4. per totum. f. 2. 14

*Materia prima rerum natura constantium, an sit una vel multiplex, opiniones variæ referuntur. de pr.mat.lib.2.c.6.f.2, per totũ.15. & c.7. per tot.ubi 7.ponit conclusiones, & c.8.* 16
*Materia est origo multitudinis indiuiduorum.de pr.mat.lib.2.c.6.f.2.l.24.* 15
*Materia prima duplex, Cœli,s.& mortalium, de pr.mat.lib.2.c.6.f.2.l.13.* 15
*Materia arte constantium non appetit formam eorũ cum sit violenta.de pr.mat.li.2.c.10.f.2.l.48.* 17
*Materia est principium secundarium, causa sine qua non, & origo non indiuidui, sed multitudinis, & distinctionis naturæ speciei ab ea indiuidui, de pr.mat.lib.3.c.18.ad fi.* 32
*Materia quot & quib.modis cognoscatur, de prima mat.lib.2.c.3.f.2.l.3. cum seq.* 13
*Materia se habet ad formam potestate; & dicitur esse potestate.de pr.mat.lib.1.c.9.f.2.l.13.* 6
*Materia quomodo differat a priuatione.de pr.mat.lib.1.c.7.f.2.l.11.* 4
*Materia appetit formam ut finem, cuius gratia, compositũ ut finem cui.de pr.mat.lib.2.c.11.l.11.* 18
*Materia non est in loco per se, nisi per accidens, de pr.mat.lib.1.c.4. in fi.* 3
*Materia quomodo dicatur ens infra ens, & non ens. de pr.mat.lib.1.c.4.per totum.* 3
*Materia quomodo sit substantia, de prim.mat, lib.1.c.5.f.2.l.3.cum seq.3.*
*Materia natura est.de pr.mat.lib.1.c.5.f.2.l.10.* 3
*Materia conditio magis in nostra mente verificatur. de pr.mat.lib.1.c.1.f.2.l.7.* 1
*Materia non est formale corpus, sed essentialis effusio, materiata dimensio, & indefinita moles, tanquã Chaos inane, & sedes formarum, necnon formalium magnitudinum.de pr.mat. lib.3.c.10.f.2.l.15.* 26
*Materia proxima non est una, nisi per formam accidentalem extrinsecus, intrinsecus uerò per formam substantialem.de pr.mat.li.3.c.18.l.27.* 32
*Materia pro subiecto accepta, dupliciter consideratur.de pr.mat.lib.1.c.16.f.2.l.4.* 10
*Materia accepta pro subiecto in prima notione, i.pro absoluto dicitur ens substantia, bona, & una. de pr.mat.lib.1.c.16.f.2.l.7.* 10
*Materia in secunda notione accepta,s.cum relatione ad aliud, quattuor modis consideratur, de pr.mat.lib.1.c.16. l.6.* 11
*Materia non est quid, de pr.mat.lib.1.c.5.f.2.l.7.* 3
*Materia & subiectum quid habeant commune inter se, & in quid differant.de pr.mat.lib.1.c.16. l.26.* 11
*Materia recipiendo formam transit in subiectum. de pr.mat.lib.1.c.16.l.29.* 11
*Materia quauis notione accipiatur, si format substantiam, dicitur materia, si uerò accidens, dicitur subiectum, ex propria sententia. de pr.mat. lib.1.c.16.l.40.* 11
*Materia ob varietatem formarum varia etiam nomina suscipit. de pr.mat.lib.1.c.16.l.41.* 11
*Materia proprie est substantia mox cæterorum prædicamentorum, de pr.mat.lib.1.c.16.l.43.* 11
*Materia quare definiatur per subiectum. & dicatur subiectum primum.de pr.mat.li.1.c.16.l.49.* 11
*Materia dici potest ens, & non ens, & infra ens, & principium entis & medium inter non esse penitus, & esse acta.de pr.mat.lib.1.c.4.l.36.* 3
*Materia cum sit ens, intelligi debet de ente per naturam non autem rationis, de pr.mat. lib.1. cap.4. lin.51.* 3
*Materia nullum prædicamentum actu, sed potestate omnia. de pr.mat.li.1.c.4.ad fi.l.2.* 3
*Materia eadem numero cum priuatione, quatenus eadem est subiecto, de pr.mat.li.1.c.4.ad fi.l.6.* 3
*Materia quod totum appetat, de pr.mat.lib.1.c.4. ad fi.l.8.* 3
*Materia proxima denotatur per propria accidentia indiuiduorum, de pr.mat.lib.2.c.8.f.2.l.11.* 16
*Materia est una multiplex, nec una, nec multiplex, de pr.mat.lib.2.c.8 ad fi.* 16
*Et quomodo sit una genere, & differat ab eo, ibid.*
*Et multis modis potest dici una numero, ibid.*
*Materia an sit bona uel mala, de pr.mat. lib.2.c.9. per totum.* 17
*Materia negatione cognoscitur, & quomodo, de pr.mat.lib.1.c.17.f.2.l.7.* 11
*Materia an prædita sit partibus, de pr.mat. lib.3.c.11.f.2.l.5.* 27
*Et an sit in loco, ibid.*
*Materia an sit principium indiuidua constituens. de pr.mat.lib.3.c.12.per totum.* 27
*Materia ob duplex genus formarum, substantiæ, s.et Accidentium, duo sortitur nomina, quorum alterum uocatur materia quatenus ad formam substantiæ refertur, alterum uero subiectum, quatenus ad formam accidentium ex propria sententia, de pr.mat.lib.1.c.16.l.38.* 11
*Materia an gignatur & intereat, de pr.mat. lib.2.c.13.per totum.* 19
*Materia dicitur omnino potentia, forma uero actus, de pr.mat.lib.1.c.6.f.2.l.8.* 4
*Materia quare per subiectum definiatur, et dicatur subiectum primum, de pr.mat.lib.1.c.16.l.49.* 11
*Materia antequam recipiat formam, dicitur materia potestate, accepta uero forma, dicitur materia actu, de pr.mat.lib.1.c.16.f.2.l.5.* 11
*Materia actu vocatur subiectum, de pr.mat.lib.1.c.16.f.2.l.6.* 11
*Materia appellatur potentia, forma actus. de prima mat.lib.1.c.11.f.2.l.7.* 7
*Materia quomodo sit hoc aliquid, de pr.mat.lib.1.c.5.f.2.l.27.& seq.* 3.& 4
*Materia noscitur a nobis per Analogiam, & aliquã relationem, non autem per eius essentiam, de pr.mat.lib.1.c.12.l.40.* 8
*Materia partis est pars ipsius quid est, de pr.mat. lib.3.c.3.f.2.l.12.* 22
*Materia & forma dicuntur partes essentiales compositorum, de pr.mat.lib.3.c.3.f.2.l.16.* 22

Materia

*Materia est pars rei universalis, & decem prædicamentarum. de pr. mat. l. 3. c. 3. f. 2. l. 20.* 22

*Materia an sit ens, uel non ens, ubi opiniones ponuntur, cum distinctione. de pr. mat. lib. 1. c. 4. per totum. f. 2.* 3

*Materia dicitur secundarium principium, & causa sine qua formæ nec existere, nec multæ numero esse possunt. de pr. mat. lib. 3. c. 18. l. 12.* 32

*Materia quattuor modis circumscribitur, seu desinitur. de pr. mat. lib. 1. c. 17. f. 2. l. 2. & seq.* 11

*Materia quid. de pr. mat. lib. 1. capit. 8. l. 4. & f. 2. l. 4. & 8.* 5

*Materia necessario enumeranda inter interna principia generationis. de pr. mat. li. 1. c. 3. ad fi.* 3

*Materia in prima notione quomodo per negationem cognoscatur, exemplis declaratur. de pr. mat. li. 1. c. 16. f. 2. l. 10. & seq. & c. 17. l. 6.* 11

*Materia non suscipit divisionem, nec numerum, nec differentiam, sed forma. de pr. mat. lib. 3. c. 17. f. 2. lin. 3.* 31

*Materia quomodo se habeat ad potentiam. de pr. mater. lib. 1. c. 10. cum seq. f. 2.* 6

*Materia quomodo se habeat ad privationem. de pr. mater. lib. 1. c. 13. f. 2. cum seq.* 8

*Materia refertur ad formas per potentiam. de pr. mat. lib. 3. c. 11. l. 18.* 27

*Materia proxima, seu individui duplex, extrinseca, & intrinseca, extrinseca vocatur accidentalis, & est caro intrinseca substantialis, & est illa, quæ causat animam, seu formam. de pri. mat. lib. 3. c. 18. l. 27.* 32

*Materia sensibilis dicitur compositum ex materia & forma. de pr. mat. lib. 3. c. 21. l. 5.* 34

*Materia nec quid, nec quale est, nec cæterorum prædicamentorum. de pr. mat. lib. 1. c. 11. f. 2. l. 15.* 7

*Materia sensibilium quotuplex. de pr. mat. li. 1. c. 1. f. 2. l. 23.* 1

*Materia propria sensibilium quæ. de prima mat. li. 1. c. 1. f. 2. l. 25.* 1

*Materia forma substantialis, quæ proprie dicitur materia, in quinque gradus dividitur. de pr. mat. lib. 1. c. 1. f. 2. l. 27.* 1

*Ex sententia tamē propria additur alius gradus. ibi.*

*Materia prima quadruplex. de prim. mat. lib. 1. c. 1. f. 2. l. 30.* 1

*Materia prima quot modis sumatur. de pr. mat. li. 1. c. 1. f. 2. l. 33.* 1

*Materia mortalium sub instituto Authoris. de pr. mat. lib. 1. c. 1. in fi.* 1

*Materia vigintiquatuor habet nomina. de pr. mat. lib. 1. c. 2. f. 2. per totum.* 1

*Materia proxima optat illam formam, pro qua est parata, materia vero prima, & communis æque omnes respicit. de pr. mat. lib. 2. c. 11. l. 16.* 18

*Materia an appetat formam secundum se, an ex accidenti. de prima mat. li. 2. c. 11. l. 25.* 18

*Materia an sit principale principium individuationis, ubi sex enumerantur opiniones. de pr. mat. lib. 3. c. 13. per totum, usque ad c. 19. ubi c. 17. ponitur opinio propria. 28. usque ad 32.*

Pars Tertia.

*Materia bona ex accidenti bono Physico. de pr. mat. lib. 2. c. 9. l. 23.* 17

*Materia bona ex se bono Metaphysico, cum ipsa sit ens per se & substantia. ibid. l. 26.*

*materia an appetat formam, & quomodo. de pr. mat. lib. 2. c. 10. f. 2. per totum.* 17

*materia cur cognitu difficilis, de pr. ma. li. 1. c. 1. l. 4.* 1

*materia quot modis sumatur. de pr. mat. lib. 1. cap. 1. lin. 10.* 1

*Et quotuplex. ibid. l. 15.*

*materia intelligibilium duplex. de pr. mat. lib. 1. c. 1. l. 17.* 1

*materia Mathematicorum, intelligibilis nuncupata, duplex. de pr. mat. lib. 1. c. 1. l. 20.* 1

*materia intelligibilis separatarum mentium sub Deo ordinatarum improprie dicitur. de pr. mat. lib. 1. c. 1. l. 24.* 1

*materia formarum separatarum duplex. de pr. mat. lib. 1. c. 1. l. 28.* 1

*materia quomodo intelligatur esse corpus. de prim. mat. lib. 3. c. 11. l. 4.* 27

*materia quomodo divinis cāpetat, ex Academicorum sententia. de pr. mat. lib. 1. c. 1. f. 2. l. 12.* 1

*materia appetit formam appetitu Physico. de prim. mat. lib. 2. c. 11. l. 4.* 18

*materia partis an sit pars essentiæ & definitionis. de pr. mat. lib. 3. c. 4. per tot. 22. & c. 4. per totū.* 23

*materia totius omnium consensu est extra essentiam rei. de pr. mat. lib. 3. c. 3. f. 2. l. 4.* 22

*materia partis est pars essentiæ cum sit pars formæ totius. de pr. mat. lib. 3. c. 3. f. 2. l. 15.* 22

*materia intelligibilis seu Mathematicorum quænam sit. de pr. mat. lib. 3. c. 22. per totum.* 34

*materia cuius sit origo. de pr. mater. lib. 2. c. 13. f. 2. lin. 1.* 19

*materia a quo, & cuius gratia, seu propter quid sit, de pr. mat. lib. 3. c. 19. f. 2. per totum.* 32

*materiam quomodo probatur ab Aristot. esse principium demonstrationis. de pr. mat. lib. 3. capit. 22. l. 12.* 34

*materia sensibilis dicitur quatenus ad compositum relata, est apta recipere qualitates sub sensum cadentes. de pr. mat. lib. 3. c. 21. l. 5.* 34

*materia non est id quod materiam exposcit, de prim. mat. lib. 3. c. 6. f. 2. l. 3.* 24

*materia partis quid, de pr. mat. li. 3. c. 1. per tot.* 21

*materia totius quid, de pr. mat. lib. 3. c. 2. f. 2. per totum.* 21

*materia duplex, sensibilis, s. et Mathematicorū, quæ dicitur intelligibilis. de pr. mat. lib. 3. c. 20. l. 1.* 33

*materia non est corpus attinens ad Prædicamentum Quantitatis, neque ad Prædicamentum Substantiæ, quia primum est accidens, alterum compositum, de pr. mat. lib. 3. c. 6. l. 40.* 24

*materia an sit corpus, opiniones variæ. de pr. mat. lib. 3. c. 5. 6. usque ad c. 12. & in c. 10. ponit opinionem propriam, 23. usque ad 27.*

*materia quare appetat formam in secunda notione, quatenus iuncta est privatio, de pr. mat. lib. 2. cap. 11. f. 2. l. 8.* 18

*Materia una cum forma a creatore Deo concreta. de pr.mat. lib.3.c.29.in fi.* 33

*Materia & priuatio idem numero, & distinguitur tantum specie, hoc est forma & ratione. de pri. mat.lib.3.c.1.f.2.l.5.* 21

*Materia sensibilis quid, ex D.Tho. & alijs. de prim. mat.lib.3.c.20.l.17.* 33

*Materia quare dicatur Chaos, uacuum, magnum, paruum, & indefinita moles. de pri.mat.lib.3.c. 8.f.2.l.12.* 25

*Materia est potestate omnia prædicamenta. de prim. mat.lib.1.c.12.l.16.* 8

*Materia quomodo pura potentia ad formam, & quomodo purus actus entis. de pr.mat.lib.1.cap.9.f. 2.lin.19.* 6

*Materia an diuidatur in materiam totius, & partis, & quomodo. de pr.mat.lib.3.c.1.per totum.* 21

*Materia an appetat formas insufficientes. de pr.mat.li. c.11.f.2.l.16.* 18

*Materia intelligibilis seu Mathematicorum quæ sit. de pr.mat.lib.3.c.20.l.10.* 33

*Et quid sit. ibid.l.13.*

*Materia definitio ex propria opinione. de pri.mat. lib.1.c.17.ad §.* 12

*Materia Cæli definitio. ibid.*

*Materiæ circumscriptio seu definitio per negationem qualis. de pr.mat.lib.1.c.17.f.2.l.9.* 11

*Per communem potentiam, & priuationem, ibidem l.19.*

*Per Analogiam. ibid.l.24.*

*Per conditiones, affectiones, & effecta eius, ibidem l.5.* 12

*Materia & substantia est origo transmutationis et motus. de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.26.* 33

*Materia quomodo dicatur una numero. de pri.mat. lib.3.c.17.l.13.* 31

*Materia est indiuidua per formas indiuiduas, non autem ex se. de pr.mat.lib.3.c.17.f.2.l.1.* 31

*Materiæ examinatio per quatuor quæstiones, s. an sit, quid, qualis, & propter quid. de pr.ma.c.1. lin.8.* 1

*Per quid sit examinatio a c.6. usque ad fi. primi li.*

*Per quale a c.1. secundi libri usque ad c.19. tertij libri.*

*Per propter quid a c.19. tertij libri usque ad finem.*

*Materiæ an competat moles sibi coæua, referuntur opiniones, demum opinio propria. de pr.mat.lib.3. c.9.& 10.per totum.* 26

*Materiæ cognitio necessaria. de pr.mat.li.1.c.1.l.1.* 1

*Materiæ an competant inchoationes formarum. de pr.mat.lib.2.c.4.per totum.* 19

*Materiæ conditiones enumerantur. de pr.mat. li.2. c.1.in fi.* 13

*Materiæ notiones quinque sub duobus capitib. contentæ. de pr.mat. lib.1.c.16.l.16.* 11

*Materiæ dantur duæ primæ notiones, subiectum, s. & materia. de pr.mat.lib.1.c.16.l.24.* 11

*Materiæ an competat forma una communis, ei coæua, per quam corpus constituatur, quod sit genus Prædicamenti substantiæ. de prima mat. lib.3. cap.7.per totum.* 24

*Materiæ a priuatione differentiæ duodecim. de pr. mat.lib.1.c.14.f.2.l.4.* 5

*Materiæ quibus rationibus competat actus entis. de pr.mat.lib.1.c.8.per totum.* 5

*Materiæ competere actum entitatiuum. de pr.mat. lib.1.c.6.f.2.l.24.* 4

*Materiæ unitas qualis. de pr.mat.li.2.c.7.ad fin.* 16

*Materiæ proximæ multæ sunt, sed materia pr. est una pro absoluto. de pr.mat. lib.2.c.8.f.2.l.3.* 16

*Materiæ comparatio cum forma. de pr.mat. lib.2.c. 1.f.2.l.11.* 12

*Materiæ an competat actus entis opiniones variæ. de pr.mat. lib.1.c.6. per totum.* 4

*Materiæ quid competat. de pr.mat.li.1.c.7.l.17.* 5

*Materiæ affectiones sunt duæ, potentia & moles. de pr.mat.lib.3.c.10.f.2.l.3.& 49.* 26

*Et quæ sit prior. ibid.*

*Materiæ intelligibilis conditiones quæ. de pr.mat.li. 3.c.21.f.2.l.1.* 34

*Materiæ nomen esse ab uno, & ad uaria extendi. de pr.mat.lib.3.c.2.l.28.* 22

*Materiæ essentia est potentia formæ verò actus. de pr.mat.lib.2.c.11.l.28.* 18

*Materiæ competit esse seorsum a suis causis. de pr. mat.lib.1.c.9.f.2.l.5.* 6

*Materiæ affectiones quæ. de pr.mat.lib.2.c.1.f.2. lin.6.* 12

*Materiæ necessitas ex quot capitibus probetur. de pr.mat.lib.1.c.3.per totum.* 2

*materiæ uaria nomina quæ. de pr. mat. lib.1.c.16. per totum.f.2.* 10

*materiæ essentia est principium accidentium secundũ fieri, non secundum essentiam. de pr.mat. lib.1.c. 12.l.23.* 8

*materiam seruari seorsum a Forma, an contradictionem includat. de pr.mat.li.2.c.4.f.2.l.9.* 14

*materiam quare Platonici constituant infra ens. de pr.mat.li 1.c.6.f.2.l.10.* 4

*materiam Platonici appellant exemplar diuinitatis expers. de pr.mat. lib.1.c.6.f.2.l.11.* 4

*materiam considerans, considerat omne genus causæ. de prim.mat. lib.3.c.21.l.1.* 34

*materiam vere cælum non habet, li.5. de mat. rerum nat.c.23.l.3.f.2.* 61

*materiam quare in definitione indiuidui sumpsit Arist. de pr.mat.lib.3.c.18.l.20.* 32

*mathematica nisi abstraheret a pr.mat. quæ absurda sequerentur. de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.36.* 33

*mathematica in solis uersatur accidentibus, adeo ut nec confuse substantiam consideret. de pr.mat.lib. 3.c.21.l.12.* 34

*mathematica quomodo sint priora ratione sensibilibus, de pr.mat.lib.3.c.23.l.26.* 35

*mathematica scientia quare dicatur disciplinaria. de pr.mat.lib.3.c.21.l.26.* 34

*mathematica dicitur scientia ex abstractione, & certissima. de pr.mat. lib.3.c.21.f.2.l.25.* 33

*mathematica quare dicatur scientia certa, de pr.mat. lib.3.c.21.f.2.l.27.* 33




Mathe-

Mathematica non considerat substantiam, & principia interna & latentia, quia hoc pertinet ad physicum, sed quantum. de pr.mat.li.3.c.21.f.2.lin.28. 33

Mathematica dicuntur ex abstractione, & quare. de prima mat.lib.3.c.21.l.19. 34

Mathematicæ quomodo dicãtur scientiæ certissimæ, et incertissimæ.de pr.mat.lib.3.c.22.f.2.l.20. 34

Et cur dicantur de abstractione. ibid.

Mathematica sunt pars Philosophiæ inspectricis latè sumptæ. de pr.mat.lib.3.c.23.f.2.l.32. 34

Mathematicæ parant nobis viam ad contemplanda diuina, quæ sunt de abstractis. de pr.mat.lib.3.c.22.f.2.l.27. 34

Mathematica accidentia materiata considerant, non considerato subiecto.de prim.mat.lib.3.c.22.f.2.lin.28. 34

Mathematicæ quare per solam formam demonstrãt, & definiunt.de pr.mat.li.3.c.21.f.2.l.19. 33

Mathematicus abstrahit a materia, quæ substantia est, & eius est officium.de pr.mat. lib.3.c.21.f.2. [illegible] 33

Mathematicus versatur in quanto, ut quantum est, non ut est.de pr.mat.lib.3.c.23.l.3. 35

Mathematicus an abstrahat a substantia, de pr.mat. lib.2.c.20.per totum. 33

Mathematicus abstrahit a materia sensibili, idest ex composito ex materia & forma. de prima mat.li.3.c.21.l.4. 34

Mathematicus imaginatione secernit quantitatem a subiecto.de pr.mat.lib.3. c.21.l.25. 34

Mathematicus considerat quantitatem seorsum ab omni substantia.de pr.mat.lib.3.c.21.in fi. 34

Mathematicorum materia quæ sit. de pr.mat. lib.3. c.20.l.10. 33

Et quid sit. ibid.lin.13.

Mathematicorum materia dicitur intelligibilis. de pr.mat.lib.3.c.20.l.2. 33

Mathematicorum affectiones cum materia pugnare.de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.31. 33

mathematicis non competit tactus. lib. de mat.rerũ nat.c.3.f.2.l.4. 46

medium est multiplex, lib.1.de elem.c.5.l.3. 68

medium duplex,lib.de mix.c.15.l.14.f.2. 109

medium permutationis elementorum duplex, lib.2. de elem.c.15.f.2.l.40. 88

medium duplex,lib.1.de elem.c.19.f.2.l.3. 77

membra Cerui non differre a membris Leonis, nisi quia anima unius differt ab anima alterius. de pr. mat.lib.3.c.17.f.2.l.20. 31

Idem de membris Platonis & Socratis dicendum, nisi quia anima unius differt ab aïa alterius. ibid.

metaphysica quare dicatur prima Philosophia.de pr. mat.lib.3.c.21.l.11. 34

Et versatur in substantia priore consideratione, & magis abstracta.ibid.

metaphysica considerat abstracta vel per se, vel abstractione facta per eam, eueniente ex perfectione cognitionis,non autem ex imperfectione prout Mathematica. de prim.mat.lib.3.c.23.l.14. 35

metaphysica ex accidentibus & substantia elicit notiones cõmuniores.de pr.mat.lib.3.c.23.l.15. 35

metaphysica versatur in substantia sensibili abiuncta, & supra sensum posita.de pri.mat.lib.3.cap. 23.l.20. 35

metaphysicus non valet abstrahere accidens a substantia,sed docet,accidẽtia esse definiẽda per substantiam.de pr.mat.lib.3.c.20.f.2.l.1. 33

miscibilia propriè quattuor lib. de mix.c.2.l.12. 99

miscibilia quid, lib.de mix.c.2.l.2. 99

miscibilium & mixtionis conditiones lib.de mixt.c.2. per totum f.2. 98

miscibilium conditio l.b.1. de ele.c.14.f.2.l.10. 73

mixtio quadrupliciter consideratur lib.de mixt.c.2. f.2.l.4. 98

mixtio varia nomina habet lib.de mix.c.1.l.9. 98

mixtio an detur lib.de mix.c.3.per totum. 99

mixtio requirit diuisionem miscibilium.lib.de mix. c.3.f.2.l.35. 99

mixtio ad substanciam proprie pertinet lib.de mix. c.1.f.2.l.21. 103

mixtio quid lib.de mix.c.2.l.2. 99

mixtio differt a cõpositione lib.de mix.c.2.l.4. 99

mixtio quid lib.de mix.c.5.per totum. 101

mixtio tribuitur ab Arist.qualitatibus lib.de mix. c.10.l.28. 106

mixtionis actus tria requirit lib.de mix.cap.2.f.2. lin.13. 98

mixtionis conditiones, & miscibilium lib.de mix.c. 2.per totum f.2. 98

mixtionis & mixti constitutio quattuor requirit li. de mix.c.2.f.2.l.18. 98

mixtionis locus lib.de mix.c.3.f.2.l.36. 99

mixtionis nomen tripliciter sumitur, lib.de mixt.c. 1.f.2.l.7. 98

mixtionis finis internus duplex lib.de mix.cap.11. lin.15. 107

mixtionis definitio dupliciter explicatur lib.de mix. c.5.l.5. 101

mixtionis definitio integra lib.de mix.c.5.l.21. 101

mixtionis munere omnia reuoluuntur in Deum.lib. de mix.c.3.f.2.l.25. 99

mixtionem facilem quæ reddant lib.de mix.c.2.f.2. lin.17. 98

mixtum æquale dari probatur ex propria opinione lib.de mix.c.16.f.2.l.32. 110

mixtum an debeat fieri ex quattuor elementis opiniones variæ,lib.de mix.c.13. per totum. 108

mixtum non habet quinque formas,lib. de mix. c.8. f.2.l.20. 104

mixtum fieri ex unico vel duobus elementis dupliciter intelligitur,lib.de mix.c.13.l.12. 108

mixtum æquale an detur, li.de mix.c.15.per totum. fac.2. 109

mixti & mixtionis constitutio quattuor requirit, lib.de mix.c.2.f.2.l.18. 98

mixti forma quomodo consurgat ex variis formis. lib.de mix.c.12.f.2. 107

*Mixti forma absolute est una, facultate tot quot sunt illa ex quibus consurgit, lib. de mix. c. 9. l. 6.* 105
*Mixti forma & temperamentum distinguuntur. li. de mix. c. 1. f. 2. l. 19.* 98
*mixta dupliciter considerantur, lib. 1. de elem. c. 19. f. 2. l. 36.* 77
*mixta noua gigni ex elementis, lib. de mix. cap. 3. linea 21.* 100
*mixta grauiora uel frigidiora elementis, an dentur, lib. de mix. c. 14. per totum.* 109
*mixta confici arte dupliciter intelligitur, lib. de mix. c. 13. f. 2. l. 32.* 108
*mixta an misceri ualeant, li. de mix. c. 13. l. 28.* 108
*mixta an conficiantur arte, lib. de mix. c. 13. f. 2. lin. 32.* 108
*modi quattuor circumscribendi materiã. de pr. mat. lib. 1. c. 17. f. 2. l. 2. & seq.* 11
*modi quinque generationis rerum, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 24. l. 5. f. 2.* 62
*moles ab interitu immunis. de pr. mat. lib. 3. c. 8. f. 2. l. 26.* 25
*moles requiritur pro quouis subiecto & contrario caret. de pr. mat. lib. 3. c. 8. f. 2. l. 26.* 25
*moles materiata est subiectum primum. de pr. mat. lib. 3. c. 11. l. 5.* 27
*monstra, imbecillitates, senium, & alia mala unde proueniant. de pr. mat. lib. 2. c. 9. l. 15.* 17
*morborum differentiæ sequuntur quattuor primas qualitates, de quat. pr. qual. c. 2. ad fi. l. 4.* 37
*motor duplex lib. 5. de mat. rerum nat. cap. 10. f. 2. lin. 6.* 51
*motor duplex, lib. 2. de elem. c. 17. l. 18.* 90
*motor duplex, li. 5. de mat. rerum naturalium, c. 20. lin. 16.* 60
*motus duo tantum, lib. 5. de mat. rerum naturalium, c. 22. f. 2. l. 8.* 61
*motus gradus quattuor, lib. 5. de mat. rer. nat. c. 12. f. 2. l. 15.* 53
*motus uerus duplex, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 12. f. 2. l. 20.* 53
*motus animæ multiplex, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 12. f. 2. l. 23.* 53
*moueri an sua forma contingit dupliciter, lib. 2. de elem. c. 19. l. 15.* 92
*moueri et contramouere non esse idem lib. 5. de mat. rer. nat. c. 20. l. 16.* 60
*mundus dupliciter consideratur, li. 1. de elem. c. 19. f. 2. l. 6.* 77

N

*Natura est substantia. de pr. mat. lib. 1. c. 5. f. 2. lin. 10.* 3
*Natura vigilatur, lib. 5. de mat. rerum nat. cap. 1. linea 1.* 45
*Negatio quare dicatur absolute non ens. de pr. mat. lib. 4. c. 13. l. 21.* 9
*Negatio communior quam priuatio. de pr. mat. lib. 1. c. 13. l. 23.* 9
*Nomen elementi quid, lib. 1. de elem. c. 1. l. 6* 64
*Nomen cõpositionis duplex. lib. de mix. c. 1. l. 11.* 98
*Nomen denotat confuse id quod definitio explicat. de pr. mat. lib. 3. c. 4. l. 8.* 23
*Nomen denotat idem quod definitio, & quid res est. de pr. mat. lib. 3. c. 4. l. 4.* 23
*Nomen mixtionis tripliciter sumitur lib. de mix. c. 1. f. 2. l. 7.* 98
*Nomen actionis quadrupliciter sumitur, libro 5. de mat. rerum nat. c. 20. l. 8.* 60
*Nomine grauium & leuium quid denotetur, li. 2. de elem. c. 17. l. 12.* 90
*Nomina varia mixtionis, lib. de mix. c. 1. l. 9.* 98
*Nomina compositorum ab uno esse, & ordine naturæ primo denotare formam, secundo compositum. de pr. mat. lib. 3. c. 4. l. 9.* 23
*Numeri accidentia dicuntur. de pr. mat. lib. 3. c. 21. f. 2. l. 13.* 33

O

*Obiectum sensus non est actio, sed forma, lib. 2. de elem. c. 6. l. 29.* 83
*Obiectum se habet ad obiectum sicut sensus ad sensum. de quat. pr. qual. c. 5. l. 12.* 38
*Obiectum intellectus, quidditas materiata. de prim. mat. lib. 2. c. 1. f. 2. l. 21.* 16
*Oleum cur non misceatur, lib. de mix. 14. l. 30.* 109
*Opinio asserentium grauitatem et leuitatem esse formas simplicium corporum, lib. 2. de elem. c. 2. per totum.* 80
*Opinio dicentium quattuor primas qualitates esse formas elementorum, libro 2. de elem. c. 4. per totum.* 81
*Opinio propria de intensione et remissione formarũ, lib. 2. de elem. c. 11. per totum.* 86
*Opiniones variæ de numero graduum formarum indiuidui, lib. de consid. mult. for. cap. 3. fac. 2. per totum.* 114
*Opinio propria de formis elementorum, lib. 2. de elem. c. 7. per totum. f. 2.* 81
*Opinio propria elementorum quod præstantius, lib. 1. de elem. c. 18. f. 2. l. 45.* 76
*Opinio propria de motu grauium & leuium, c. 19. f. 2. per totum.* 91
*Opinio propria de numero graduum formarum indiuidui, lib. de cons. mult. for. c. 4. f. 2. l. 39.* 115
*Opinio propria de sinceritate elementorum, lib. 1. de elementis, c. 15. f. 2. l. 30.* 74
*Opinio propria quomodo primæ qualitates è cœlo pendeant, lib. 4. de mat. rerum nat. c. 14. l. 33.* 44
*Opinio propria quomodo elementa primo origine moueantur, lib. 2. de elem. c. 22. per totum.* 94
*Opinio propria quomodo elementa seruentur in mixto, lib. de mix. c. 6. per totum f. 2.* 101
*Opinio propria quomodo radij solis nos calefaciant. c. 7. per totum. f. 2.* 49
*Opinio propria quomodo actio efficientis gignat compositum, lib. 5. de mat. rer. nat. c. 25. per totum.* 63

*Opinio Galeni de termino ad quem mixtionis. lib. de mix. c. 11. f. 2. l. 8.* 106

*Opinio propria quid sit resistentia, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 18. per totum.* 59

*Opinio propria quomodo elementa seruantur in mixto, lib. de mix. c. 9. f. 2.* 104

*Opinio propria de termino aliquem mixtionis, lib. de mix. c. 11. f. l. 15.* 107

*Opinio propria cur aqua non ambiat terram condique lib. 1. de elem. c. 20. l. 35.* 78

*Opinio propria de reactione lib. 5. de ma. rerum nat. c. 22. per totum.* 61

*Opiniones uariæ an temperamentum sit qualitas una lib. de mix. c. 18. per totum. f. 2.* 111

*Opiniones uariæ de motu grauium & leuium c. 18. per totum.* 90

*Opiniones uariæ an mixtum debeat fieri ex quattuor elementis lib. de mix. c. 13. per totum.* 108

*Opiniones uariæ quomodo actio efficiens gignat compositum lib. 5. de mat. rerum naturalium c. 24. per totum.* 62

*Opiniones uariæ de sinceritate elementorum lib. 1. de elem. c. 15. per totum.* 74

*Opiniones uariæ de præstantia elementorum lib. 1. de elem. c. 18. per totum.* 76

*Opiniones uariæ de formis elementorum lib. 2. de elem. c. 1. f. 2. l. 28.* 79

*Opiniones uariæ an formæ elementorum recipiant magis & minus, lib. 2. de elem. c. 10. per totũ.* 85

*Opiniones uariæ quid sit resistentia, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 17. per totum.* 58

*Oppositio prima, constituens communes terminos generationis & interitus, est una, & est forma et priuatio. de quat. pr. qual. c. 5. ad fi.* 38

*Orbibus cœlestibus uel mouere, lib. 5. de mat. rerum nat. c. 4. f. 2. l. 23.* 47

*Ordo uniuersi qualis secundum Platonem, & qualis secundum Arist. de prima mat. lib. 1. c. 4. l. 38. & seq.* 3

*Ordo ad potentiam & priuationem qualis, de prima mat. lib. 1. c. 14. f. 2. l. 44.* 9

*Ordo Potentiæ & Priuationis. de pr. mat. lib. 1. cap. 14. f. 2. l. 28. & 44.* 9

*Origo senij, et aliarum conditionum ex materia prouenit. de pr. mat. lib. 2. c. 1. in fi.* 13

*Ortus & interitus ad quid referatur. de pr. mat. lib. 1. c. 13. f. 2. l. 3.* 19

*Ortus & interitus magis competit formæ quã priuationi. de pr. mat. lib. 2. c. 13. f. 2. l. 3.* 19

**P**

*PArtes sunt totum potestate quod formam denotat. de pr. mat. lib. 3. c. 22. f. 2. l. 3.* 34

*Patientia & agentia composita ex duobus constare. lib. 5. de mat. rer. nat. c. 22. l. 3.* 61

*Philosophia prima uersatur in substantia sensibili abiuncta, & supra sensum posita. de pr. mat. lib. 3. c. 23. l. 20.* 35

*Philosophiæ partes tot esse quot substantia. de prim. mat. lib. 3. c. 20. lin. 31.* 33

*Physicus quare definiens corpora Physica per solam materiam & formam, non dicatur abstrahere a materia sensibili. de pr. mat. lib. 3. c. 21. l. 7.* 34

*Piper unde habeat uim calefaciendi, lib. 5. de materia rer. nat. c. 10. l. 22.* 52

*Plato, & Arist. de attinentibus ad priuationem, quomodo concilientur. de prim. mat. lib. 1. cap. 19. per totum.* 10

*Plato & Arist. conueniunt in sex de motu animæ, lib. 5. de mat. rer. nat. c. 12. l. 13.* 54

*Plato & Arist. dissentiunt in quinque de motu animæ, lib. 5. de mat. rer. nat. c. 12. l. 25.* 54

*Potentia quid. de pr. mat. lib. 1. c. 10. l. 13.* 7

*Potentia ad motum duplex, lib. 2. de elem. cap. 17. linea 2.* 90

*Potentia dupliciter sumitur, lib. de mix. c. 6. fac. 2. linea 24.* 103

*Potentia agens quid, lib. 5. de mat. rerum nat. cap. 9. l. 16.* 52

*Potentia quare nunquam deserat materiam. de pr. mat. lib. 1. c. 12. l. 14.* 8

*Potentia triplex, reducibilis tamen ad duplicem, de pr. mat. lib. 1. c. 6. f. 2. l. 12.* 4

*Potentia pro absoluto considerata semper est in materia. de pr. mat. lib. 1. c. 12. l. 9.* 8

*Potentia pro absoluto est essentia materiæ, quæ ab actu non destruitur, sed perficitur, et ex eis unum per se constituitur. de pr. mat. lib. 2. cap. 11. f. 2. lin. 14.* 18

*Potentia sui essentia datur, sicut datur actus purus, qui essentia est actus. de pr. mat. lib. 1. c. 11. fac. 2. lin. 11.* 7

*Potentia communis materiæ uana, quod sit eius essentia, quibus rationibus probetur. de pr. mat. lib. 1. c. 11. per totum.* 7

*Potentia cur sit prior priuatione. de pr. mat. lib. 1. c. 14. f. 2. l. 38.* 9

*Potentia communis sequitur conditionem materiæ, non autem formam aliquam, sed communem, & sic est indefinita ad formas. de pr. mat. lib. 1. c. 10. l. 5.* 7

*Potentia & affectio an distinguatur a sua fundamento. de pr. mat. lib. 1. c. 10. l. 10.* 7

*Potentia quomodo se habeat ad materiam. de prim. mat. lib. 1. c. 10. f. 2. per totum.* 6

*Potentia materiæ duplex. de pr. mat. lib. 1. c. 10. f. 2. lin. 4.* 6

*Potentia non numeratur pro principio a materia distincta. de pr. mat. lib. 1. c. 14. l. 30.* 10

*Potentia quomodo includat priuationem. de pr. mat. lib. 1. c. 12. f. 2. l. 4.* 8

*Potentia tria significat. de pr. mat. lib. 1. c. 12. f. 2. linea 22.* 8

*Potentia & actus qua oppositionis specie opponantur. de pr. mat. lib. 1. c. 12. f. 2. l. 8.* 8

*Vbi opinio propria. ibid. l. 22.*

*Potentia communis materia, antecedens formis & dispositionibus, intrinsecus, & pro absoluto considerata, est natura & essentia materiæ. de prim.*

ma-

materia libro primo, capitulo 10. linea 28. 7
Et quibus rationibus probetur. c. seq. per totum.
Potentia communis considerata extrinsecus pro superaddita relatione ad obiectum, & considerata secundum formam, et modum denominationis, distinguitur ab essentia absoluta materiæ, et est eius affectio, ibid. l. 29.
Potentia propria ex dispositione consurgens, est qualitas, & accidens, & solum dici potest essentia materiæ; ut ad huiusmodi formam relata. ibid. lin. 32.
Potentia materiæ dici potest substantia, & essentia materiæ, qualitas eius, affectio, & relatio. ibid. lin. 34.
Potentia, considerata cum superaddita relatione, non competit materiæ, nisi in secunda eius notione. ibid. l. 40.
Potentia considerata pro esse absoluto, semper competit materiæ; & semper servatur. ibid. l. 41.
Potentia intrinsecus est essentia materiæ, sed extrinsecus distinguitur ratione, & redigitur tanquam principium ad prædicamentum, ad quod refertur, de pr. mat. lib. 1. c. 12. l. 24. 8
Potentia & actus quomodo dicantur eiusdem generis. ibid. l. 25.
Potentia quomodo intelligatur, non distincta a suo fundamento. ibid. l. 31.
Potentia quomodo usurpatur pro absoluto. ibid. lin. 35. & seq.
Et quomodo probetur. ibid.
Potentia omnis respicit aliud. ibid. l. 36.
Potentia omnis definitur per id ad quod refertur. ibid. l. 36.
Potentia futurum denotat. ibid.
Potentia quomodo sit essentia materiæ. de pr. mat. li. 1. c. 10. f. 2. per totum. 6
Potentia formis separatis dupliciter competit. de pr. mat. lib. 1. c. 1. l. 29. 1
Potestate quod est, non est pro obiecto, sed pro subiecto. de pr. mat. li. 1. c. 12. l. 12. 8
Prædicamentum omne dividitur per actum & potentiam. de pr. mat. lib. 1. c. 12. l. 18. 8
Prædicamentum quantitatis, quare secundo loco positum. de pr. mat. lib. 1. c. 11. f. 2. l. 17. 7
Prædicamenta per formam constituuntur. de prim. mat. lib. 1. c. 9. f. 2. l. 10. 6
posterius quomodo non possit abstrahi a suo priore. de pr. mat. lib. 3. c. 23. f. 2. in princ. 34.
posterius non potest esse principium sui prioris. de pr. mat. lib. 3. c. 21. f. 2. l. 11. 33
principale principium individui id statui debet, quod primi per eius nomen denotatur. de pr. mat. lib. 3. c. 17. f. 2. l. 34. 31
principale principium quale statui debeat. de prim. mat. lib. 3. c. 17. f. 1. l. 22. 31
principium motus duplex, lib. 2. de cæ. c. 17. l. 16. 90
principium individui quodnam sit. de pr. mat. lib. 3. c. 18. l. 35. 32
principium mortalium origine primum, debet esse æternum. de pr. mat. lib. 2. c. 13. f. 2. l. 20. 19
principium agendi vel patiendi non est accidens, & qualitas rei, sed natura et essentia eius. de prim. mat. li. 1. c. 10. l. 14. 7
principium individuationis quale, ubi sex enumerantur opiniones. de pr. mat. lib. 3. c. 13. usque ad c. 19. ubi c. 17. ponitur opinio propria. 28. usque ad 32.
principium existentiæ, & unius numero reciprocantur. de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 8. 31
principia sunt pro se unum numero, ut in universo existunt. de pr. mat. lib. 3. c. 18. l. 8. 32
principia mortalium propria et proxima, sunt mortalia, secus si communia & remota. de pr. mat. lib. 2. c. 13. f. 2. l. 19. 19
principia existentiæ secundum accidens sunt proximiora, & notiora nobis. de pr. mat. lib. 3. cap. 17. linea 9. 31
principia rerum duo, Deus scilicet & materia, bonum & malum. & quomodo intelligatur. de pr. mat. lib. 2. c. 9. l. 4. 17
principia Arithmetica quæ. de pr. mat. lib. 3. c. 21. f. 2. l. 17. 33
principia prima Geometriæ quæ. de pr. mat. li. 3. cap. 21. f. 2. l. 15. 33
principia communia decem prædicamentorum constituuntur per actum & potentiam, hoc est formam, & materiam. de prim. mat. lib. 3. cap. 2. linea 49. 23
principia existentiæ etiam esse individuationis principia. de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 6. 31
principia existentiæ quotuplicia. de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 8. 30
principia existentiæ secundum se quotuplicia. de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 15. 31
principia generationis duo. de prim. mat. lib. 1. cap. 3. ad fin. 3
principia individuationis sunt accidentia, & tempus, & quattuor genera causarum, de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 25. 31
principia per eorum opera & effectus circumscribi. de quat. pr. qual. c. 10. f. 2. l. 11. 41
principia individuationis tot sunt, quot sunt principia existentiæ individuorum. de prim. mat. lib. 3. c. 17. l. 2. 31
principia rerum, quæ secundum Academicos. de pr. mat. c. 1. lib. 1. f. 2. l. 9.
principia existentiæ secundum se externa sunt efficiens, & finis, interna autem materia & forma. de pr. mat. lib. 3. c. 17. l. 16. 31
privatio quotuplex, seu quot modis accipiatur, vel quot habeat significationes. de pr. mat. lib. 1. c. 13. f. 2. l. 3. cum seq. 8
privatio quid sit. ibid. l. 19.
Et quomodo differat a negatione. ibid. l. 20.
privatio intimior materiæ, proximior conditioni eius, & est conditio necessario requisita pro materia, ut appetat formam. de pr. mat. li. 2. cap. 13. ad fin. 19
privatio quomodo sit in ratione potentiæ. de pr. mat. lib. 1. c. 12. f. 2. l. 4. 8

*Priuatio an aliquo modo dici possit forma, qualitas, & affectio aliqua, an uero sit absoluta absentia. de pr.mat.lib.1.c.13.l.25.* 9
*Et quot sint isti modi. ibid.*
*Priuatio priuationis an detur. de pr.mat.lib.1. c.13. lin.40.* 9
*Priuatio dupliciter consideratur. de pr. mat. lib.1. c.14.l.42.* 9
*Priuatio an distinguatur a materia, & quomodo ad eam se habeat. de pr. mat. lib.1.c.14. f.2. per totum.* 9
*Priuatio quomodo sit principium generationis, & interitus. de pr.mat.lib.1.c.14.l.1.* 10
*Priuatio quomodo ad potentiam & materiam se habeat. de pr.mat.lib.1.c.14 f.2.l.27. & 41.* 9
*Priuatio ex se est non ens. de mat.pr.lib.1.c.4.l.3.* 3
*Priuatio quare dicatur per se, non ens, ex accidenti ens. de pr.mat.lib.1.c.13.l.24.* 9
*Priuatio non sequitur formam, sed comitatur potentiam. de pr.mat.lib.4.c.11.l.14.* 27
*Priuatio communis datur, sicut in materia communis potentia. ibid.*
*Priuatio a materia differt duodecim modis. de prim. mat.lib.1.c.14.f.2.l.4.* 9
*Priuatio duplex. de pr.mat.lib.1.c.14.l.33.* 10
*Priuatio an bonum appetat. de pr.mat. lib.2.c.10. ad fin.* 18
*Priuatio & forma statuuntur termini proprij generationis, & interitus. de prima mat. lib.1.c.14. linea 8.* 10
*Priuatio & forma est oppositio prima, quæ consideratur in materia, ad quam cætera rediguntur. ibid.l.9.*
*Priuatio necessaria est pro appetitione formæ. ibid. lin.10.*
*Priuatio statuitur terminus a quo generationis, & ad quem interitus. ibid.l.11.*
*Priuatio ad duo referri potest, ad generationem scilicet, & ad rem genitam. ibid.l.13.*
*Priuatio dum refertur ad generationē dicitur principium eius per se, dum uero refertur ad rem genitam, dicitur principium ex accidenti. ibid.l.14.*
*Priuatio quatenus est principium ex accidenti, etiā participare dicitur priuationi per se. ibidem, linea 20.*
*Priuatio & ad formam, & ad materiam redigitur. de pr.mat.lib.1.c.14.l.24.* 10
*Priuatio pro absoluto non distinguitur a materia. de pr.mat.lib.1.c.14.l.27.* 10
*Priuatio numeratur pro principio a materia distincto, sed non potentia. ibid.l.28.*
*Priuatio ad ortum concurrit modo proprio & distincto, ut terminus a quo, potentia autem non separatur a materia, ibid.l.29.*
*Priuationis eam potentia ordo, de pr.mat.li.1.c.14. f.2.l.28. & 44.* 9
*Priuationes & potentiæ quomodo sint æternæ pro præterito, & non pro futuro tempore. de pr.mat. lib.2.c.11.f.2.l.29.*
*Potentia, & priuationis ordo. de pr.mat.lib.1.c.14 f.2.l.28. & 44.* 9


Q


*QVale ad formam pertinet. de pr.mat.lib.3.c.1. lin.24.* 21
*Qualitas an tantam resistat quantum agit lib.5. de mat.rerum nat.c.19.f.2.l.27.* 59
*Qualitas competens duobus elementis an sit eiusdē speciei lib.1.de elem.c.7.per totum.* 75
*Qualitatis secundæ speciei subiectum frequenter est substantia. de pr.mat.lib.1.c.16.l.12.* 7
*Qualitates primæ an recte dicantur Elementa simplicium corporum. de quat.pr.qual.c.12.f.2.linea 25.* 42
*Qualitates primæ ob earum diuersa munera diuersimode nuncupari lib.2.de elem.c.8.l.2.* 84
*Qualitates primas non esse formas elementorū. lib. 2.de elem.c.5.per totum.f.2.* 81
*Qualitates nouæ an gignantur, lib.2. de elem. c.16. f.2.l.37.* 89
*Qualitates primæ quattuor, sunt illa principia, quæ a Physico comprobantur, & M. dico usui traduntur. de quat.pr.qual. c.2. ad fi.l.11.* 37
*Et sunt principia Artis medendi, ibid.*
*Qualitates ad tactum pertinentes, quænam sint origine primæ. de quat.pr.qual. c.2.l.3.f.2.* 36
*Qualitates mortalium comparatæ cum Qualitatib. cæli, dicuntur secundæ, illę uero primę. de quat. pr.qual.c.5. ad fin.l.31.* 38
*Qualitates primę non sunt origine una prior altera, licet dignitate calor antecellat. de quat. pr. qual. cap.5 in fi.* 38
*Qualitates primę an æque agant & patiantur. de quat.pr.qual.c.12. per totum.* 42
*Qualitates primæ quotuplices, de quat.pr.qual.c.1. in prin.f.2.* 35
*Qualitates primæ quattuor sunt causa mortis, uitæ, somni, uigiliæ, iuuentutis, senectutis, sanitatis, & morbi. de quat.pr.qual. c.2. ad fi.l.8.* 37
*Qualitates ad tactum pertinentes, quot numero sint. de quat.pr.qual.c.1.l.10.* 36
*Qualitates primæ quę. de quat.prim.qual. cap.1. in princ.* 35
*Qualitates inhærentes primo subiecto quę. de quat. pr.qual.in procem.f.2.l.11.* 35
*Qualitates, quę ad tactum pertinent, primę dicuntur. ibid.l.12.* 35
*Et quęnam sint. ibid.*
*Qualitates primæ sunt de forma substantia, eiusque instrumenta, de quat.prim.qual.in procem. f.2. linea 12.* 35
*Qualitates primæ sunt causa elementorum. de quat. pr.qual.in procem. f.2.l.13.* 35
*Sunt instrumēta communia omnium effectionum, & perpessionum. ibid. l.14.*
*Sunt pro cognitione ualde necessaria, prout etiam pro rerum productione. ibid.l.15.*


Qua-

Qualitates primæ quomodo è cælo pendeant, lib.4. de mat.rerum nat.c.14.f.2.per totum. 43

Qualitatum primarum diuisio.& definitio.de quat. pr.qual.c.6.per totum. f.2. 38

Qualitatum primarum nomina quæ. de quat. prim. qual.c.6.l.11. 39

Qualitatum primarum definitiones per quod genus causæ sint traditæ,& an sint veræ.de quat. prim. qual.c.7.f.2.l.10. 39

Qualitatum primarum diuisio in agentes & patientes,an sit vera.de quat.pr.qual.c.7.per totum. 39

Qualitatum primarum varietates quæ. de quat.pr. qual.c.8.per totum. 40

Qualitatum primarum duę cur dicantur agere, & cur aliæ duæ pati, ex propria sententia. de quat. pr.qual.c.9. per totum. 41

Qualitatum primarum definitiones,seu circumscriptiones,quæ. de quat.pr.qual.c.10.per totum. 41

Qualitatum primarum actiones duplices. de quat. pr.qual.c.10.f.2.l.13. 41

Qualitatum primarum contrarietates sunt agens, & patiens.de quat.pr.qual.c.5.in fin. 38

Qualitatum primarum ad tactum pertinentium,oppositiones,& differentia quæ.de quat. pr.qual.c. 1.l.11. 36

Qualitatum primarum officium quale. de quat.pr. qual.c.1.f.2.per totum. 35

Qualitatum præstantia quæ. de quat.pr.qual. c.5.in prin. 38

Qualitatum primarum conditiones quæ. de quat.pr. qual.c.1.f.2.per totum. 35

Qualitatibus primis demptis demuntur etiam elementa.lib.2.de elem.c.8.l.11. 84

Qualitatis prædicamentum quarè secundo loco positum.de pr.mat.lib.1.c.11.f.2.l.17. 7

Quantum consideratur à mathematico, & est eius subiectum.de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.28. 33

Quod generatur quid denotet ex Arist.sententia. de pr.mat.lib.1.c.4.ad fi. 3


R


RAdij Solis quomodo calefaciant. lib.5.de mat. rerum nat.c.6.f.2.per totum. 48

Rarum & densum dupliciter vsurpari. de quat.pr. qual.c.1.l.32. 36

Rebus per naturam duo competunt.lib.5.de mat.rerum nat.c.18.l.27. 59

Regressus a priuatione ad habitum non dari,quomodo intelligatur.de pr.mat.lib.1.c.14.l.32. 10

Regula de proportione motuum quomodo data ab Arist.l.2.de elem.c.25.l.15. 96

Relatio ad aliud quattuor modis consideratur.de pr. mat.lib.1.c.16.l.7. 11

Requisita pro motu elementorum.c.22.lib.2.de ele. f.2.l.3. 98

Requisita ad motum quinque lib.2.de elem.c.23.linea 21. 95

Res quomodo proprie dicantur similes,lib.5.de mat. rerum nat.c.14.l.14. 56

Resistentia quæ fit in motu elementorum, lib. 2. de elem.c.23.per totum.f.2. 94

Resistentia duplex,lib.2.de elem.c.23.l.3.f.2. 94

Resistentia omnis non prodit ex medio,li.2. de elem. c.23.l.33. 95

Resistentia interna duplex, lib.2.de elemen.c.23. linea 42. 95

Resistentia & actio per nouem variantur, lib.5. de mat.rer.nat.c.19.f.2.l.11. 59

Resistentia omnis est actio, sed non est contra, lib.5. de mat.rerum nat. c.18.l.49. 59

Resistentia definitio, lib.5. de mat.rerum nat.c.18. lin.47. 59

Resistentia diuisio,li.5.de mat.rer.nat.c.18.l.2. 59


S


SAcerdotes Aegyptij quare operam nauabant Mathematicæ.de pr.mat.lib.3.cap.22.f.2.linea 29. 34

Scientia ex abstractione non dicitur,dum a posterioribus fit abstractio,cum sit etiam alijs scientijs commune.de pr.mat.lib.3.c.21.f.2.l.31. 33

Scientiæ quomodo abstrahant a principio indiuiduationis.de pr.mat.lib.3.c.18.l.28. 32

Scientiæ quomodo abstrahant a forma.ibid.

Scientiæ unde dicantur abstrahere.de prim.mat.lib. 1.c.7.l.9. 5

Et quomodo abstrahant a singularibus. ibid.l.10.

Scientiæ abstrahunt ab indiuiduis,quæ sunt differentia,seu accidentia. de pr.mat.lib.3.c.2.l.15. 22

Senex cur si reciperet oculum iuuenis uideret,ut iuuenis,lib.2.de elem.c.10.l.2. 86

Senij,et aliarum conditionum origo unde.de pr.mat. lib.2.c.2.in fin. 13

Sensus vt se habet ad sensum, ita obiectum ad obiectum.de quat.pr.qual. c.5.l.12. 38

Sensus obiectum non, sed actio est forma,li.2. de ele. c.6.l.29. 83

Siccitas quomodo definiatur. de quat.pr.qual. c.10. l.9.41.& c.11.per totum. 42

Sicci,humidi,frigidi,& calidi distinctio,li.4.de mat. rer.nat.c.13.per totum. 43

Simile an agat in simile, 5. lib.de mat.rer.nat. c.14. per totum. 56

Simile est multiplex 5.lib. de mat.rer.nat. cap.14. lin.6. 56

Singulare constituitur per materiam, uniuersale per formam.de pr.mat.lib.3.c.13.l.9. 28

Singulare est illud solū quod re vera existit & actu est,uniuersale uerò per intellectum actu constituitur. de pr.mat.lib 3.c.18.l.5. 32

Singulare & uniuersale opponuntur.de pr.mat.lib. 3.c.13.l.6. 28

Singularia quomodo dicuntur materia uniuersalis. de pr.mat.lib.3.c.2.l.33. 22

Solis radij quomodo calefaciant,lib.5.de mat.rerum nat.c.6.f.2.per totum. 48

*Species & genera sunt formæ totius. de pr. mat. lib. 3. c. 1. l. 24.* 21
*Speciei secundæ qualitatis subiectum frequenter est substantia. de pr. mat. lib. 1. c. 10. l. 12.* 7
*Subiectum recte dicitur a materia in actu, & ab ea denominatur. de pr. mat. lib. 1. c. 16. f. 2. l. 8.* 11
*Subiectum denotat id quod formatum est, & proximius est formæ accidentium ibid. l. 8.*
*Subiectum dicitur ab actu, quia actu est. de pr. mat. lib. 1. c. 16. l. 46.* 11
*Subiectum primum prima nuncupatur materia, & vice versa. de quat. pr. qual. in proœm f. 2.* 35
*Subiectum primum debet esse extensum, & qualitatibus ornatum. de quat. pr. qual. in proœm lin. 8. fac. 2.* 35
*Subiectum notius est materia, cum actu fit. de prim. mat. lib. 1. c. 16. l. 48.* 11
*Subiectum secundæ speciei Qualitatis frequenter est substantia. de pr. mat. lib. 1. c. 10. l. 12.* 7
*Subiectum positum in definitione materiæ, quare dicatur notius materia ipsa. de pr. mat. lib. 1. c. 16. lin. 48.* 11
*Subiectum quid magis denotet. de pr. mat. lib. 1. c. 16. f. 2. lin. 7.* 11
*Subiectum in rebus naturalibus non habens formã, primo considerari, deinde negationem, postea potentiam, ultimo priuationem. de pr. mat. lib. 1. c. 14. f. 2. l. 44.* 9
*Subiectum respicit facta, & præsentia, materia vero futura, ex Themistio. de prim. mat. lib. 1. c. 16. lin. 28.* 11
*Sed contrarium tenet Auctor. ibid. l. 49.*
*Subiectum prius prædicato. de pr. mat. lib. 1. c. 8. f. 2. lin. 1.* 5
*Subiectum absolute primum quale sit. de pr. mat. lib. 3. c. 10. f. 2. l. 5. 26. & c. 11. l. 5.* 27
*Subiectum & materia quid habeant commune inter se, & in quid differant. de pr. mat. lib. 1. capit. 16. lin. 26.* 11
*Substantia, frequenter est subiectum secundæ speciei qualitatis. de pr. mat. lib. 1. c. 10. l. 12.* 7
*Substantia quomodo sit unum numero. de pr. mat. lib. 3. c. 12. l. 18.* 28
*Substantia est causa accidentis in genere materiæ & subiecti, non autem formæ. de pr. mat. lib. 3. c. 23. lin. 6.* 35
*Substantia dicitur quid. de pr. mat. l. 1. c. 5. f. 2. l. 7.* 3
*Substantia dupliciter accipitur. de pr. mat. lib. 1. c. 5. f. 2. l. 14.* 3
*Substantia prior cognitione accidentibus cognitione distincta & absolutè perfecta. de pr. mat. lib. 3. c. 23. l. 12.* 35
*Substantia diuiditur in materiam, formam, & compositum. de pr. mat. lib. 1. c. 1 f. 2. l. 7.* 7
*Substantiæ formæ dupliciter consideratur lib. 2. de elem. c. 10 f. 2. l. 6.* 85
*Substantiæ indiuiduum per hoc aliquid designatur. de prim. mat. lib. 3. c. 17. l. 40.* 31
*Substantijs primis demptis, ut in prædicamento substantiæ omnia aboleri. de pr. mat. lib. 3. cap. 18. lin. 1.* 32
*Subsistentia quibus competat, & quibus inexistentia. de pr. mat. lib. 1. c. 7. l. 14.* 5

T

*Tactus Physicus an sit lib. 5. de mat. rerum nat c. 4. l. 4.* 47
*Tactus non competit mathematicis lib. 5. de mat. rerum nat. c. 3. f. 2. l. 4.* 46
*Tactus verus quattuor requirit lib. 5. de mat. rerum nat. c. 1. l. 26.* 45
*Tactus definitio lib. 5. de mater. rerum nat. c. 1. f. 2. lin. 9.* 45
*Tactus duplex lib. 5. de mat. rer. nat. c. 1 l. 10.* 45
*Tactus per metaphoram quadruplex lib. 5. de mat. rerum nat. c. 1. l. 10.* 45
*Tactus magnitudinum triplex lib. 5. de mat. rerum nat. c. 1. l. 17.* 45
*Tactus cœlestis duplex lib. 5. de mat. rerum nat. c. 1. l. 19.* 45
*Tactus Physicus duplex lib. 5. de mat. rer. nat. cap. 1. lin. 23.* 45
*Termini generationis maxime distantes, & oppositi, sunt esse, & non esse. de prim. mat. lib. 1. c. 14. lin. 5.* 10
*Temperamentum consurgens ex primis qualitatib. consideratur dupliciter lib. de mix. cap. 16. f. 2. linea 9.* 110
*Temperamentum duplex lib. de mix. c. 18. l. 31.* 112
*Temperamentum, & forma mixti distinguuntur lib. de mix. c. 1. f. 2. l. 19.* 98
*Temperamentum an sit qualitas una & forma una lib. de mix. c. 18. per totum. f. 2.* 111
*Temperamentum quid lib. de mix. c. 5. l. 31.* 101
*Temperamentũ triplex lib. de mix. c. 16. f. 2. l. 4.* 110
*Temperamentum duplex habet animal lib. de con. mul. for. c. 5. f. 2. l. 42.* 116
*Temperamenta, ætates, & regiones respondent, primis quattuor qualitatibus. de quat. pr. qual. ca. 2. ad fi. l. 6.* 37
*Terra cur a Platone dicatur antiquissima lib. 1. de elem. c. 19. l. 28.* 77
*Terra cur sedes hominum lib. de elem. 1. c. 19. f. 2. lin. 10.* 77
*Terra cur antiqua mater lib. 1. de elem. cap. 19. f. 2. lin. 17.* 77
*Terra, & aqua unum orbem constituunt lib. 1. de elem. c. 21. in principio f. 2.* 78
*Terra omnium vilissima lib. 1. de elem. c. 19. in fine. fac. 2.* 77
*Terminus triplex consideratur in elementis lib. 2. de elem. c. 13 f. 2. l. 35.* 87
*Themistij controuersia de potentia materiæ, an eidem competat uel, ne quomodo soluitur. de prim. mat. lib. 1. c. 10. l. 35.* 7
*Totum ex quibus partibus constet. de pr. mat. lib. 3. c. 1. l. 20.* 21

# INDEX.

*Totum formam denotat. de pr.mat. lib.3. c.22. f.2. lin.3.* 34
*Transmutatio omnis duos requirit terminos, a quo, & ad quem, de pr.mat.lib.1.c.14. l.2.* 10
*Transitus non datur ex omnino non esse, ad esse. de pr. mat. lib.1.c.14.l.7.* 10

*V*

*VEntrei hyeme & vere natura calidißimi sunt lib.5.de mat.rer.nat. c.13.f.2.l.7.* 55
*Vita dicitur immanens. & quomodo? lib.5. de mat. rer.nat.c.13.l.9.* 55
*Vnitas generis & speciei formam sequitur. de pr. mat.lib.3.c.17.l.37.* 31
*Vnitas materiæ qualis sit. de pr.mat. lib.2. capit.7. ad fi.* 16
*Vniuersale uel nil est, uel posterius, nil est actu subsistens, posterius autem, ut abiunctum per intellectum.de pr.mat.lib.3.c.18.l.6.* 32
*Vniuersale constituitur per formam, singulare per materiam. de pr.mat. lib.3.c.13.l.9.* 28
*Vniuersalia composita prædicantur directe de contentis sub eis. de pr.mat.lib.3.c.2.l.51.* 22
*Vniuersum in quinque gradus distribui secundum Platonem. de pr.mat.lib.1.c.4. l.38.* 3
*Sed Arist. per actum, & potentiam totum diuidit materiam nuncupando non ens actu, ens potestate, & ens per se, non ens ex accidenti, ob iunctam priuationem ibid. l.45.*
*Vnum numero quotupliciter consideretur. de pr.mat. lib.3.c.12.l.2.& seq.* 28
*Vnum quadruplex. de pr.mat. li.3.c.12.f.2.l.3.* 27
*Vnum numero duplex. de pr.mat.lib.3.c.12.l.2.* 28
*Vnum numero quidnam sit. de prim.mat.lib.3. c.17. l.13.* 31
*Vnum multipliciter accipitur. de pr. mat. lib.2.c.7. lin.2.* 16
*Vnum numero multiplex. ibid.l.4.*
*Voces, ens, esse, essentia, existens, existere, existentia, subsistens, subsistere, subsistentia, inexistens, inexistere, inexistentia, coexistens, coexistere, coexistentia, quot habeant significationes. de pr.mat. lib.1. c.7.f.2.l.3 & seq.* 4
*Voces ut constituunt harmoniam considerari dupliciter lib.de mix.c.18.l.12.* 112

FINIS.

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De prima rerum Natura constantium materia.

## LIBRI TRES.

### *Proponitur agendum de Materia, & diuiditur.* *Cap. I.*

*Materiæ cognitio necessaria è Physico.*

*Materia cur cognitu difficilis.*

MATERIA vt pro rerum mortalium esse, ita pro cognitione apprimè est necessaria, & quoniam humilis & tenuissima est, ideò sui natura & conditione est tenebricosa, & obscura: Insuper quia est indefinita, inconstans, mendax, & animis eam indagantibus modo vario personatam se offert, ideò variarum difficultatum variarumq; opinionum eis præbet occasiones; De quibus ego verba facturus, ne confusioni eius, confusionem aliam superaddam, sequar ordinem Quæstionum: & Primò perpendam attinentia ad Quæstionem, an sit. Secundò, ad quid. Tertiò, ad qualis. Demùm ad propter quid sit. Consideraturus itaque primò, an materia sit, ab eius multiplici significatione, & distinctione ordiar, vt conspicuè pateat, de qua sit sermo. Materiæ nomen id omne significat, ad eaque extenditur, quæ potestatem includunt, alteri subijciuntur, & ab altero modo aliquo perficiuntur: & quoniam huiusmodi conditiones nedum competunt corporibus, verùm etiam cæteris à corpore solutis sub Deo positis. Propterea duplex statuitur materiæ genus: vnum sensibilium, alterum intelligibilium. Materia intelligibilium, quæ etiam dicitur materia intelligibilis, duplex est: vna Mathematicorum; altera Diuinarum Mentium sub Deo ordinatarum: Materia Mathematicorum, quę ab Aristotele in septimo Metaphysicæ 35. & in octauo Metaphysicæ 15. nuncupatur materia intelligibilis, est duplex, continuum, vt dicitur in tertio de Anima, contex. 11. & partes, vt elicitur ex se primo Metaphysicæ, & ex secundo Poster. quo loci dimidium duorum angulorum rectorum, cum sit pars, dicitur materia. Non me latet plurimos Latinorum de hac Mathematicorum materia longè secùs sentire, qua de re non est hic disputandi locus. Materia intelligibilis separatarum Mentium sub Deo ordinatarum, minus propriè, & solùm per Metaphoram Materiæ nomine denotatur, & ab Aristotele propriè loquente, nullibi materia dicitur, quamuis Scotus putet eam denotari 12. Metaphysicæ 49. At non rectè sentit: à Theologis tamen & Academicis, latiùs vtentibus materiæ nomine, frequenter separatis formis materia tribuitur, & hæc præsertim duplex est: nam quia conditio materiæ est potentia, ideò vt potentia ita materia eis competit: Potentia eis competit dupliciter, primò, ad esse, secundò, ad intelligere; vt pertinet ad esse, quoniã recedunt à primo principio, ideò eis vt entia sunt, non repugnat eminentior gradus perfectionis, quæ non repugnantia, cum sit quædam potentia, denotatur nomine materiæ, & quo magis à primo principio recedunt, eo magis materiatæ iudicãtur & in eo quod nõ est, mixtæ. Secundò eis competit potentia ad intelligere, quatenus intelligũt

*Materiæ diuisio.*

*Materia intelligibilis duplex.*

*Materia formarum separatarum duplex.*

aliquid supra se, à quo perficiuntur. Hi duo materiæ modi cum principijs Peripateticorum minimè pugnant: Hoc tamen verũest, quòd minus propriè ex sententia Aristotelis, quàm ex sententia Theologorum separatæ Mentes dici debent Materia præditæ; Primò, quia ex sententia Theologorum, magis pendent ex primo principio, ab eoq; absolutè recipiunt esse, cum ex se non sint; Secundò, ob modum intelligendi, nil enim intelligũt separatæ Mentes ex sñia Arist. nisi per essentiam, & sine varietate penitùs, non sic ex sententia Theologorum; *Materia nostra Mẽtis.* De nostra aũt Mente, magis est verum, quòd seruet materiæ conditionem, quia Locus est intelligibilium, vt dicitur in 3. de Anima, cont. 6. Academici quoque, cunctis sub Deo positis tribuunt materiam, & rerum principia, quæ dicunt esse infinitum, terminum, & vnitionem, vt patet ex Philebo. Hinc Plotinus in suis libris de materia, etiam superis competere materiam demonstrauit. *Academicorum sententia.* Cõsiderarũt autem Academici in Diuinis modo vario materiam: Nam primò, Mens relata ad Deum, vt ab eo perficitur, materia dicitur. Secundò, Anima cum perficiatur à Mente, dicitur materia Mentis. Tertiò, in Mente pro Idearum constitutione consideratur infinitum vt terminabile proprijs terminis Idearum. Quartò, in Anima pro constitutione rationum, considerarunt infinitum vt terminabile terminis variarum rationum. Affirmarunt tamen materiam competere Menti, & Mundo intelligibili, modo eminentissimo, & intelligibili: Animæ rationali mediæ, modo medio, & rationali: *Scotus.* Demùm Mundo sensibili & corporeo, modo infimo, & sensibili. Scotus considerauit modum quendam materiæ: quem Hecceitatem nũcupauit, competentem cunctis, præter quàm Deo: de qua in consideratione Principij indiuiduationis aliquid dicam.

*Materia sensibilium.* Ex aduerso, materia sensibilium etiam prædita est varijs gradibus: Nam datur Materia Cœli & mortalium: ea cœli, dicitur subiectum & materia motus, vt legitur in 8. Metaphysicæ, cont. 12. & 12. Metaphysicæ, cont. 10. Materia mortalium, vel est Materia accidentium, & dicitur subiectum eorum, vel formæ substantialis, & hæc propriè dicitur Materia, vt patet ex primo de Ortu & Interitu, cont. 24. Quæ adhuc in quinq; gradus distribuitur, & sunt materia prima, quatuor Elementa, Mixta imperfecta, vt vapores, Mixta perfecta consimilia, & demùm Membra, his addere possumus gradum sextum, & sunt res completæ, & corpora Physica suo ordine constituentia Vniuersum. *Materia prima quadruplex.* Insuper Materia prima, pro primo gradu sumpta, quadruplex est, vt dicitur ab Arist. in quarto de Cœlo, 37. & dicitur quadruplex ob quatuor primas eius potentias, quæ ad quatuor primas formas Elementorum referuntur. *Tres notionis materiæ gradus.* Demùm huius primæ materiæ tres sunt notionis gradus. Primò enim consideratur pro suo esse absoluto. Secundò cum potestate & relatione ad formas, quas est apta recipere. Tertiò, vt eis formata est: *Institutum auctoris.* Institutum meum est, de hac prima mortalium materia loqui, cum enim materię nomen sit ab vno, & de hac primò & magis propriè dicatur, & reliqui gradus sint materiæ munere huius, ideò de hac præsertim est agendum, & sermo de ea, facultate & virtute est sermo de omni materia.

## *Vigintiquatuor Materiæ Nomina.* *Cap. II.*

QVONIAM Materia incertæ & indefinitæ conditionis est, & nullum habet proprium actum & formam, ideò nullo certo & definito nomine, sed varijs & indefinitis denotatur. *Materia.* Hæc Primò dicitur Materia, tanquam mater rerum. *Subiectum.* Secundò, Subiectum: quia formæ & transmutationi subijcitur. *Mater.* Tertiò, Mater, fœmina, & nutrix, primo Physic. 80. & 81. ob priuationem ei iunctam, ob formæ eductionem ex ea, & eius conseruationem. *Locus.* Quartò, noncupatur a Plat. in Timęo Locus, non quidem corporum, sed materiatarum formarum. *Sylua.* Quintò, à Stoicis per Metaphoram dicebatur Sylua. *Medium.* Sextò, ab Aristotele in primo Physic. 56. dicitur medium, non quidem per compositionem ex extremis, sed per negationem, priuationem, & potestatem. Septimò, in 3. Phys. 27.

dicitur

dicitur Panſpermium, hoc eſt, commune ſeminarium. Octauò, dicitur Chaos 12. Metaphyſicæ, cont. 9. & hoc eſt Anaxagoræ vnum, nimirùm Chaos. Nonò, dicitur mixtio, in eodem contex. & hæc erat Empedoclis Mixtio, hoc eſt Mundus ſphęrus, in quo cuncta ſine pugna includuntur. Decimò, in primo de Ortu & Interitu dicitur Genus, quod explicat Philoponus, comm. 57. & 108. & Alexander in quæſt. naturalibus manifeſtauit, quòd quamuis dicatur genus, differt tamen à genere. Vndecimò nuncupatur Commune & Vacuum, vt elicitur ex primo de Ortu & Interitu. 31. & 33. ex 4. Phyſ. 59. & ex Plotino En. 2. lib. 4. cap. 10. Nuncupatur duodecimò à Plat. in Timęo Magnum & paruum, vt etiam dicitur in primo Phyſ. 80. Decimotertio à Pythagora nuncupabatur binarius, & par, denotantia indefinitam eius conditionem. Decimoquartò ab eodem Platone in Sophiſta, & ab Ariſt. in primo Phyſic. 79. & in primo de Ortu & Interitu, dicitur non ens, quatenus eſt infra formam, & non ens actu. Decimo quintò ab Academicis dicitur Sinus informis, & exemplar diuinitatis expers. Decimoſextò ab Aegyptijs (referente Simplicio in primo Phyſ. 65.) dicebatur fex vitæ, quia eſt infra vitam & in eam fit vltima reſolutio. Similiter ab eiſdem ænigmaticè dicebatur Aqua. Decimoſeptimò ab Emped. dicebatur Vlophies, hoc eſt molle quiddam & aptum fieri cuncta, vt elicitur ex ſecundo Phyſ. 83. Decimooctauò à Plat. nuncupabatur Pandeches, hoc eſt cuncta continens, vt elicitur ex ſecundo de Ortu & Inter. cont. 4. Decimononò à Plotino in lib. de Materia. cap. 5. dicebatur Alteritas, cum ſit nec quid, nec quale, &c. & ſit indefinitum quid, quod terminatur, dum conuertitur in ſuum Principium. Vigeſimò, dicitur Elementum: nam Elementi nomen dicitur propriè de primis internis Principijs, præſertim autem de Materia, vt dicitur in ſeptimo Metaphyſicæ, contex. 69. Vigeſimoprimò, dicitur infinitum, quia indefinita eſt, & origo infiniti. Hinc Ariſtoteles ſolùm concedit infinitum poteſtate, quod oritur ex Materia, vt patet ex tertio Phyſ. Vigeſimoſecundò, dicitur Potentia, quia ea eſt eſſentia materiæ, vt ſuo loco patebit, & omnis potentia formabilis modo aliquo, nuncupatur Materia. Vigeſimotertiò, ob eius neceſſitatem, ac etiam quia multa neceſſariò eam ſequuntur, vt interitus & imbecillitates, abſolutè dicitur Neceſſarium, & cauſa ſine qua non, vt patet ex calce ſecundi Phyſ. Demùm per Metaphoram dicitur Chameleo, & Proteus. Et cũ tot ſint eius nomina, principalia tamen ea duo ſunt, Materia, & Subiectũ: & à veteribus abſolutè nomine Naturæ, Entis, & Subſtãtiæ denotabatur.

*Pãſpermiũ. Chaos. Mixtio. Genus. Cõmune, & Vacuum. Magnum et paruum. Binarius & par. Non ens. Sinus informis. Fex vitæ et Aqua. Vlophies. Cuncta continens. Alteritas. Elemẽtum. Infinitum. Potentia. Neceſſariũ. Chamęleo, et Proteus.*

## *Sexdecim capita indicantia neceßitatem Materiæ.*
## *Cap. III.*

VARIA ſunt quæ nobis Materiæ neceſſitatem indicant & patefaciunt, quæ in ſexdecim prima capita redigi poſſe puto. Primò, enim refulget neceſſitas materiæ, ex conditione agentis; nam agens definitur ab Ariſtotele in 5. & in 9. Metaphyſicæ, cont. 2. per eſſe principium tranſmutandi aliud, id autem quod tranſmutatur ab agente Phyſico, vel eſt materia, vel non ſine ea. Secundò, eadem elicitur ex conditione tranſmutationis, quæ cum ſit accidens, eget Subiecto: cum ſit operatio tranſiens, eget eo in quo recipiatur: & cum ſit actus rei permutabilis, eget eo quod permutatur, & Materia. Tertiò, elicitur ex conditione eius quod poteſt gigni, omne enim quod gignitur, primò debet poſſe gigni; potentia per quam res dicitur poſſe eſſe, & poſſe gigni, eſt potentia patiendi, quæ ad materiam pertinet. Quartò, refulget ex conditione rei genitæ, omne enim quod gignitur, compoſitum eſt ex principijs internis generationis eius, quæ ſunt forma & materia: nam ex nihilo per naturam nihil fit, id autem ex quo inexiſtente res fiunt, materia eſt. Quintò, refulget ex conditione rerum, quatenus aptæ ſunt interire, interitus enim, imbecillitates, & diminutiones ex materia prodeunt, & illam nobis

*Ex cõditione agentis. Ex cõditione tranſmutationis. Ex cõditione eiusquod poteſt gigni. Ex cõditione rei genitæ. Ex cõditione rei aptæ interire.*

*Ex cōditione corporū & sensibilium.*
*Ex cōditione terminorum transmutationis.*
*Ex cōditione prīcipiorum generationis.*
*Ex aeternitate generationis.*
*Ex mutua mortalium actione, & perpessione.*
*Ex multitudine indiniduorum sub eadem specie.*
*Ex absolutione graduum vniuersi.*
*Ex inductione per omnia q̄ fiunt.*
*Ex contingentia.*
*Ex cōditione boni.*
*Ex cōditione actus.*

patefaciunt. Sextò, refulget ex conditione corporum, contradistincta ab ea separatorum, & ex conditione sensibilium, contradistincta ab ea intelligibilium, sensibile enim omne in materia est, vt dicitur in primo de Cœlo, & corpus sine aliqua materia non subsistit. Septimò, elicitur ex conditione terminorum transmutationis, qui termini cum sint oppositi, requirūt commune Subiectum, quod materia est, circa quam variantur, manente materia. Octauò, ex conditione principiorum generationis, nam tot requiruntur principia, quot sunt subiecta pro rerum ortu, sola contraria sine communi subiecto sunt satis, vt legitur in primo Physic. 51. quare necessaria est materia. Nonò, elicitur ex æternitate generationis, nam generatio seruatur æterna, quia vnius interitus alterius est generatio: hoc autem pendet ex conditione materiæ, quę cum sit æterna, & non valeat sine forma seruari, exuens vnam formam, induit alteram, vt patet ex primo de Ortu & Interitu. Decimò, ex mutua mortalium actione, & perpessione, nisi enim corpora sub Cœlo posita prædita essent communi Subiecto, non vicissim agerent & paterentur, vt dicitur in primo de Ortu & Interitu 43. Vndecimò, ex multitudine indiuiduorum sub specie, quæ minimè seruari potest sine Materia, vt legitur in duodecimo Metaphysicæ 49. & in primo de Cœlo. Propterea in quinto Metaphysicæ, cont. 12. definitur vnum numero, quod sit id, cuius materia est vna. Duodecimò, ex absolutione graduum Vniuersi, cum enim detur actus purissimus, detur actus iunctus cum potentia, est necesse vt etiam detur potētia immunis ab omni actu, quæ sola est materia: & cum dentur gradus supremi & medij, etiam est necesse vt detur gradus infimus. Decimotertiò, patet necessitas inductione, progrediendo per omnia quæ fiunt, & perpendendo singulos modos quibus res fiunt, vt patet ex primo Physic. 62. & 63. Decimoquartò, ex conditione contingentiæ, fortunæ, & destitutionis ordinis, quæ ex sola Materia prodire valent: nam quamuis contingentia primò refulgeat in Dei libertate, & modo aliquo in libertate hominis, ea tamen quæ ex passione pendet, ex Materia oritur. Decimoquintò, elicitur ex conditione boni: nam bonum sui natura fœcundum est, & aptum participari, propterea debet dari locus, fœmina, & sinus informis, aptus recipere, formam, & participare. Decimosextò, elicitur ex conditione actus, formæ, & perfectionis, cum enim detur actus, debet dari potentia ei respondens, cum detur forma & perfectio, est necesse vt detur formabile, & aptum perfici. Ex his conspicuè elicitur necessitas Materiæ, ac insuper elicitur eam necessariò esse numerandam inter interna principia generationis, quæ sunt duo termini, & Subiectum. Aristoteles in primo Physic. non demonstrauit materiam esse, vt minus rectè existimauit Auerroes: nemo enim ex veteribus Philosophis eam est inficiatus, & ex se adeò patet, vt ostensione non egeat: solùm Aristoteles in eo primo Physic. demonstrauit eam necessariò inter Principia generationis esse numerandam, vt Græci interpretes rectè sentiunt, & suo loco patefaciam.

## *An Materia sit ens? Cap. IIII.*

*Sentētia veterū de Materia.*
*Plato.*
*Quod sit nō ens.*
*Ratio prima.*
*Secunda.*

MATERIAM confusè sumptam in Vniuerso reperiri conceditur ab omnibus, dubium tamen est, an debeat dici Ens, adeò vt ens tanquam generatio ab vno de ea dicatur? Veteres putarunt Materiam verè, absolutè, & solam esse ens, substantiam, & Naturam rerum. Plato in Sophista eam dicit non ens. Aristoteles se medium constituit, inquiens, quod est non ens actu, ens potestate, non ens ex accidenti ob adnexam priuationem, ens secūdum se, vt dicitur in primo Phys. 79. Quòd Materia sit non ens, ostēditur primò: quia quod nullum est decem Prædicamentorum, est non ens, vt inquit Auer. in 1. Phys. 25. & dicūtur ab Arist. lib. 5. Metaphysicæ contex. 14. ea ex se esse, quæ significant figuras Prædicamentorum; at materia ex 7. Metaph. cont. 8. ex se nullum est decem Prædicamentorū, quare est non ens. Insuper, quod est potestate, non est, vt dicitur ab Auer. 4.

Meta-

Metaph.cont. 15.& iure:nam potentiam iunctam habet priuationem; Materia autem potestate esse dicitur. Præterea, in 1.Physi.cont.66.& 66. dicitur eadem numero cum priuatione, quæ ex se est non ens: Insuper, quod sui natura appetit bonum, non est ex se bonum, quia appetitus iũctam habet priuationem; materia ex se bonum appetit ex 1.Physic.81. quare non est bona, & propterea non ens, cum ens & bonum reciprocentur. Demùm, quod generatur siue substernitur generationi, non est, neque est in loco, ex 5.Physic. cont. 8.huiusmodi est materia, quare, &c. Ex aduerso quòd sit Ens patet, cum sit pars entium, pars substantiæ, subiectum, principium, per se, & sit potestate in quam diuiditur Ens, dum secatur per actum, & potentiam. Pro conspicua resolutione difficultatis, accuratè considerari debent singulæ significationes Entis, & non Entis, ex quarum varietate ortum ducit vniuersa dubitatio, & quoniam quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur alterum, & significationes non Entis, sunt magis conspicuæ, ideò ab eis ordiar, & ex eis eliciam significationes Entis. Voce non Entis duodecim denotari posse inuenio: nam consideratur non Ens vel compositione orationis, & dicitur falsum, cui opponitur Ens pro vero sumptum; de hoc Aristot.in 1. Poster.dixit, quod non est, non posse sciri. Vel consideratur non Ens simplex, & seorsum ab oratione, & hoc vel est supra Ens, & huiusmodi est Deus: qui est supra Ens pendens, cui opponitur ens ex eo pendens propria forma & actu præditum. Vel est infra huiusmodi Ens, qualis est Materia, cui opponitur id omne, quod supra Materiam est positum. Vel quartò, est non verè Ens, sed Vmbra potiùs, quæ dicitur fieri, non verè esse: sic vmbræ corporum sunt non entia, quibus opponitur Ens sumptum pro principali, cuius sunt vmbræ, veluti apud Platonem mortalia, vt sunt vmbræ & imitationes Idearum, dicebantur non entia. Quintò, vsurpatur non ens, pro contradistincto ab ente, dicto per denominationem de composito, cum enim ens sit nomen concretum, propriè compositum denotat, & frequenter apud Aristotelem pro composito vsurpatur. Sextò, vsurpatur pro alteritate, vt apud Platonem in Sophista, veluti lignum est non ignis, in qua significatione, de solo Deo non dicitur: cum ipse solus sit omnia. Septimò, vsurpatur pro non ente ex accidenti contradistincto ab ente per se, ita Materia ex accidenti est non ens, ob priuationem ei iunctam, vt patet ex 1. Physic. Octauò, pro contradistincto ab ente simpliciter, quod est substantia, ita accidens non dicitur ens, nisi quia entis. Nonò, pro non ente actu, veluti Materia frequenter dicitur non ens. Decimò, pro nihilo, Veluti legitur in primo de Cœlo 100.extra Cœlum nihil esse. Vndecimò, pro deprauatione & recessu, vt vitium, & malum dicitur non ens, bonum verò & virtus, ens. Duodecimò, pro corpore quod sub sensum non cadit: nam vbi est aer, dicimus nihil esse, & nos nihil inspicere. Ex multiplici entis, & non entis significatione patet Materiam dici posse & ens, & non ens, & infra ens, & principium entis & mediũ inter non esse penitùs, & esse actu, vt addidit Auerr. Ex Sententia Platonis quinque in Vniuerso considerantur gradus: Primò, Deus, qui est supra ens, & Principium entis. Secundò, Mens & Ideæ quæ dicuntur verè entia, & Mens suprema dicitur eminentissima entis vnitas. Tertiò, anima quæ mediat, & partim est, quia est æterna, partim fit, quia mouetur, & est participatio Ideæ. Quartò composita mortalia, quæ solùm dicuntur fieri, quia per naturæ semina producuntur, non autem esse, cum sint tenues & variabiles vmbræ idearum. Infima est Materia quæ verè non est, cum expers sit actus, nec fit, sed omnibus quæ fiunt sedem exhibet, hinc dicitur exemplar diuinitatis expers & infra ens. Aristot.autem secùs loquitur: nam neglectis Ideis vniuersam seriem constituentium vniuersum per actum & potentiam diuidit, & materiam nuncupat non ens actu, ens potestate, vt legitur in primo de Ortu & interitu 22. insuper ens per se, non ens ex accidenti, ob iunctam priuationem, vel legitur in 1.Physic. Ex his patet, quomodo ea quæ gignuntur, cum fiant ex materia, partim ex ente, partim ex non ente fiant. Insuper patet resolutio principalis difficultatis, an scilicet materia sit ens, vel ne, nam vtrunque dici potest, & cum sit ens, non est ens rationis, sed per naturam cõstitutum,

*Tertia.*
*Quartá.*
*Quinta.*
*Quod materia sit ens.*
*Significationes non Entis.*
*Pro falso.*
*Supra ens.*
*Infra ens.*
*Vmbra.*
*Pro non cõposito.*
*Pro alteritate.*
*Pro non ente ex accidente.*
*Pro contra distincto ab ente simpliciter.*
*Pro non ente actu.*
*Pro nihilo quod nec ẽ, nec esse põt.*
*Pro deprauatione.*
*Pro corpore, quod sub sensum non cadit.*
*Sententia Academicorum.*
*Aristoteles*

*Diluuntur rationes aduersę.* & naturæ nomine denotatum. At instabatur: quia nullum est decem Prædicamentorum? Respondeo nullum est actu, sed omnia potestate, & ad ea redigitur tanquam principium. Addebatur, quod est potestate, non est. Respondeo, ens potestate vsurpari dupliciter, pro Subiecto, & pro Obiecto: pro Subiecto est, at non pro Obiecto potestatis. Insuper, Materia dicebatur eadem numero cum priuatione. Respondeo, esse eandem numero, non absolutè, sed quatenus est eadem Subiecto: nam priuatio in ea est. Dicebatur: quia materia appetit bonum, ideò non est bona, & propterea non ens. Respondeo eam appetere id bonum, quod est forma & actus, & ideò sui conditione non est forma, nec formam includit. Demùm addebatur: id quod generatur, non est, nec est in loco. Respondeo, per id quod generatur Aristotelem eo loci denotare subiectum cum priuatione termini ad quem, acquirendi, quod vt eo priuatum non est, nec est in loco, cum eo careat, nec actu sit, insuper materia non est in loco per se, est tamen in eo ex accidenti, vt pars compositi, quemadmodum ex primo de Ortu & interitu, elicitur.

## *An materia prima sit substantia & hoc aliquid? Cap. V.*

*Quod materia non sit substantia.* APPARVIT quomodo materia & ens, & infra ens, & non ens, dici possit: sequitur considerandũ, an sit substantia & hoc aliquid. Dum primò quæritur an sit substantia, rationes se offerunt pro vtraque parte. Quod non sit substantia ostenditur, quia omne quod fit, ex sui negatione fit, substantia fit, igitur debet fieri ex non substantia. At fit ex Materia, igitur materia non est Substantia. Hinc Aristoteles in septimo Metaphysicæ, context. 8. ait, Materiam non esse quid, hoc est, non esse substantiam. Ex aduerso, si materia non

*Quod sit substantia.* esset substantia, tunc substantia fieret ex non substantia, & non substantia esset prior quã substantia, quæ tanquam absurda dereliquit Aristoteles in primo Physic. 52. Et Confirmatur, quia natura est substantia, materia autem natura est. Sic itaque Aristoteles nonnunquam inficiatur, aliquando affirmat materiam esse substantiam, nonnunquam etiam se medium constituit, vt in primo Physic. contex. 79. inquiens materiam propè, & quodammodo esse substantiam, inquiens propè, denotat modo aliquo me-

*Solutio.* diare. Dubitatio soluitur duplici distinctione, prima est, Substantiæ nomen dupliciter vsurpatur, vel pro Substantia composita directè posita in Prædicamento substantiæ, vel pro contradistincto ab accidente: materia non est substantia in prima significatio-

*Simplicius.* ne, sed est principium eius. Hinc Simplicius in primo Physic. exponens contex. 52. inquit propriè substantiam esse compositum: materiam autem & formam esse principia eius, & potiùs esse substantiales quam substantias: vt etiam non sunt corpora, sed corporales, quemadmodum dicebat Eudemus. Dum verò Substantia vsurpatur pro ente contradistincto ab accidente, vtendum est altera distinctione, & dicendum substantiam esse duplicem, vnam potestate, alteram actu, materia est ea substantia, quæ est potestate, forma verò actus est. Hinc Aristoteles in primo de Ortu & interitu, contex. 12. ait: materia potestate est hoc, & ens, absolutè autem neque hoc, neque ens: rationes aduersæ solùm ostendunt materiam non esse substantiam actu, vel compositam, hinc dicitur propè substantiam, quia est potestate, & modo aliquo Substantia, vt contradi-

*An materia sit hoc aliquid.* stinguitur ab accidente. Quærebatur insuper, an sit hoc aliquid? Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, contex. 4. id inficiatur, cum enim Plato in Timęo dixerit de Ideis & Materia rectè dici pronomina demonstrantia, inquit Aristoteles id esse verum de materia accidentium, quæ est compositum actu, non de prima rerum materia. Insuper id quod est hoc aliquid, debet esse quid, nam hoc aliquid, includit quid. Materia non est quid, vt dicitur in septimo Metaphysicæ, context. 8. quare non est hoc ali-

quid

quid. Ex aduerſo in primo Phyſic. 66. comparans materiam cum priuatione, inquit, materiam magis eſſe hoc aliquid. Pro Solutione accuratè conſiderandum eſt: Apud Ariſtotelem hoc aliquid, & aliquid, ſex modis vſurpari, & nonnunquam denotare præſtantiam, nonnunquam diminutionem: Nam Primò, vſurpatur vt contradiſtinguitur à ſimpliciter, quod vt dicitur in primo de Ortu & Interitu, contex. 11. duo denotat, nempè principale, & vniuersè; Et inde oritur duplex acceptio ipſius, hoc aliquid: vna pro accidente, per quam dum homo fit albus, dicitur fieri non ſimpliciter, ſed aliquid; altera pro parte, vt dum non vniuerſum corpus curatur, dicimus nō ſimpliciter, ſed aliquid eius curari. Tertiò, vſurpatur pro ſubſtantia contradiſtincta à cæteris Prædicamentis, vt in tertio Phyſic. contex. 3. & in 7. Metaphyſicæ cont. 7. dum materia dicitur non quid, nec quale, &c. Quartò, magis propriè vſurpatur pro indiuiduo ſubſtantiæ, per ſe ſubſiſtente, contradiſtincto ab Vniuerſali, vt in Prædicamento Subſtantiæ. Quintò, vſurpatur pro quolibet exiſtente, contradiſtincto à nihilo, de quo dicimus, quod non nihil, ſed aliquid eſt. Sextò, pro permanēte & æterno, vt apud Platonem in Timęo dicentem pronomina oſtenſiua competere his quæ permanent, vt Materiæ & Ideis. Dum dicimus aliquid, magis denotamus imperfectionem, dicendo verò quid, vel hoc aliquid, potiùs perfectionem. Et his patet, quomodo Materiæ competat, vel non competat, vt ſit aliquid, vel hoc aliquid.

*Aliquid, et hoc aliquid, ſex modis vſurpatur.*

## *An Materiæ competat actus Entis, quem entitatiuum appellant? Opiniones variæ. Cap. VI.*

DECVRSIS attinentibus ad quæſtionem, an Materia ſit, ſequitur vt de attinentibus ad quid ſit, verba faciamus: inter quæ primò conſiderandum occurrit, an Materiæ actus aliquis competere valeat? Qua de re tres ſunt opiniones principales: Vna veterum Philoſophorum, putantium Materiam eſſe id totum quod res eſt: nam eam ſolam putarunt Subſtantiam, cætera iudicarunt accidentia: nomine autem Entis, Subſtantiam intelligebant, adeò, vt Materiæ competeret actus & eſſendi, & exiſtēdi, & per ſe ſubſiſtendi. Hæc opinio à Pythagora, Platone, & Ariſtotele reiecta eſt. Propterea opinio altera huic aduerſa eſt D. Thomæ & multorum illum ſequentium, qui inquiunt, Materiam eſſe puram poteſtatem, expertem cuiuslibet actus, cùm eſſendi, tùm exiſtendi, & actum omnem pondera ex forma, vt inquit D. Tho. in prima parte, q. 66. In quolibet. q. 3. & alibi, & ob id nec ei putat in Dei Mente reſpondere Ideam, nec eam poſſe per ſe intelligi, nec per abſolutam Dei potentiam ſine forma ſeruari, nec eſſe diſtinctum terminum Creationis, ſed ſolùm cum forma concretá fuiſſe. Eidem ſententiæ adhærere videtur Auicenna ſecundo tract. Metaphyſicæ, cap. 4. Similiter Auerr. duodecimo Metaphyſicæ, contex. 14. inquiens: Vniuerſitatem Materiæ, nō habere eſſe extra Animam, & non intelligi niſi per priuationem. Vtuntur etiam qui huius ſunt ſententiæ varijs auctoritatibus ex Ariſtotele deprompitis, & præſertim, quia in ſeptimo Metaphyſicæ, contex. 8. ait, Materiam non eſſe quid, nec quale, nec quantum. & in primo Phyſic. 82. eſſentiam Materiæ nuncupat potentiam. Et in primo de Ortu & Interitu, ait, non eſſe actu, ſed potentia. & ob id in primo Phyſ. 69. ait intelligi per Analogiam. & in decimo Metaphyſicę, cōtex. 24. per negationem, quæ indicant Materiæ nullum competere actum. Idq; oſtenditur rationibus: & primò, omnis eſſentia vel eſt actus purus, vel pura potentia, vel aliquid ex eis compoſitum: materia non eſt actus purus, cum id pertineat ad formam: non compoſitum, cum ſit ſimplex. quare eſt pura potentia. Præterea, quæcunque ſunt ab vno, ita ſe habent, vt cum primò competant vni, per id mox competunt cæteris; ens, eſſe, & actus ſunt ab vno, vt patet ex quarto Metaphyſicæ: Quare primò competūt vni, & per id alijs, id primum nil aliud eſſe poteſt,

*An materia competat aliquis actus?*

*Opinio prima.*

*Euerſio.*

*Opinio ſecunda.*

*Auicenna.*

*Ratio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.* præter formam, vt etiam dicitur in secundo de Anima, contex.7, quare materia ex se, nil eorum est, sed omne habet a forma. Confirmatur per definitionem generationis, quæ ob mutationem formæ dicitur mutatio totius in totum. Hinc D. Thom. in primo Physi. 79. inquit, vt potentia ad Qualitatem non est aliquid extra genus Qualitatis, ita potentia ad esse substantiæ non est aliquid extra genus substantiæ, non igitur potentia materiæ est affectio aliqua superaddita essentiæ eius, sed materia sui substantia est potestas ad esse substantiæ, &c. Sic ens diuiditur per actum & potentiam, & cum forma sit actus, materia dicitur omnino potentia. Eiusdem quoque opinionis *Io. Bacc.* fuit Ioan. Bacc. 2. Sent. Dist. 12. quæst. 1. Artic. 1. & 2. Quol. quæst. 9. Platonici etiam id- *Academici* ipsum sentire videntur, cum materiam constituant infra ens, quia est infra actum, & *Scotus.* appellent exemplar diuinitatis expers. Scotus in secundo Sent. dist. 12, & septimo Metaphysicæ quæst. 5. se medium constituit. Pro cuius opinionis notitia considerandum, quòd ipse vnà cum Henrico, triplicem excogitauit potentiam, vnam agendi, alteram patiendi, tertiam, quam non repugnantiam ex parte obiecti esse dixit, & potentiam obiectiuam nuncupauit. D. Thom. eam redegit ad potentiam agendi. Inquit enim potentiam esse triplicem, vnam patiendi, alteram agendi ex parte agentis, tertiam agendi ex parte obiecti apti produci, ac ita cum Aristotele omnem potentiam ait esse, vel agendi, vel patiendi. His præassumptis, ait Scotus, cum omni potentiæ respondeat actus, potentiæ obiectiuæ respondet actus entitatiuus, per quem obiectum dum extra suas causas reperitur, actu esse dicitur, non amplius per potestate, & in serie rerum est collocatum, adeò, vt illi actui in Dei Mente respondet Idea, & per eundem materia fit apta ex se intelligi, & ei non repugnat, vt per Dei absolutam potentiam seruetur seorsum à forma, & in Mundi creatione actus ille fuit terminus creationis materiæ, distinctus à termino creationis formæ. Quòd autem Materiæ huiusmodi actus competat, *Ratio.* patet: quia Materia est ens per se, est substantia, est pars compositi, est Subiectum, ex sententia Aristotelis ingenitum, non natum interire, & actu est id, quod est, quatenus includit esse suum seorsùm à causis, & non est potentia, vt obiectum & Materia, sed vt Subiectum natum formari forma: & ob id rectè enunciauit Alexander, Materiam non egere forma, vt sit, sed vt sit actu.

## *Pro resolutione difficultatis explicantur nonnullæ voces. Cap. VII.*

QVONIAM resolutio propositæ difficultatis exposcit cognitionem variarum Vocum, ideò ab earum explicatione ordiar. Inueniuntur hæ Voces, Ens, Esse, Essentia, Existens, Existere, Existentia, Subsistens, Subsistere, Subsistentia, Inexistens, Inexistere, Inexistentia, Coexistens, Coexistere, Coexistentia. De quarum significationibus cum varia dican- *Ens & Esse.* tur à varijs, ego id solum proferam, quod approbandum existimo. Ens & Esse, Græcè ὄν, καὶ εἶναι, denotant id primum per quod res sunt & vsurpantur dupliciter, nimirùm pro vero, hoc est, pro reperiri in rerum natura, & pro genere latissimo, quod est ab vno. Differunt autem, quia ens est concretum, denotans id quod est. Esse autem *Essentia.* est tanquam ratio & formalitas eius; Hinc differre esse, est differre ratione, vt Materiam Philosophus ait differre à Priuatione τῷ εἶναι. Essentia, Græce οὐσία, deducitur ab esse, & est minus communis eo, Nam esse, vt dixi nonnunquam vsurpatur pro esse in natura rerum, & constituit Problema de accidente, quod non competit essentiæ, essentia enim significat id quod res est, hoc est, naturam & conditionem rei propriam, *Essentia & quidditas idem.* seorsùm ab illis, quæ ex accidenti cum ea nectuntur: & hęc est ea, quæ per definitionē explicatur. Adeò, vt essentia, & id quod res est, quod quidditas dicitur, in idem veniant. Ideò approbandam non puto opinionem Auerrois, Zimaræ, & similium, dicentium

tium materiam esse partem essentiæ, non autem quidditatis: nam essentia rei, & id quod res est, in idem veniunt. Similiter veram non puto multorum opinionem, dicentium, essentiam rerum seruari posse in earum causis, quamuis seorsùm nullum inueniatur indiuiduum, id inquam non probo: quoniam esse in causis, est esse potestate, & futurum, non autem est propria rei essentia, quæ per Definitionem explicatur: Definitio enim est rerum existentium extra animam secundum communem earum, vt rectè in primo Natur. quæst. docet Alexander. *Essentia nō seruatur in solis causis, nisi potestate.* Existentia, adhuc est vox magis contracta: nam denotat concretum ex essentia, & eo esse quod verum dicitur: adeò, vt sit essentia contracta per singularia, quæ existunt. *Existentia.* Hinc sententiæ dicuntur abstrahere à particulari existentia, cum abstrahant à conditionibus singularium, considerando solam essentiam in eis existentem: quæ tamen essentia, non seruatur sine existentia. Hinc demptis primis substantijs, nil aliorum seruari potest, vt dicitur in Prædicamento Substantiæ. *Essentia nō seruatur sine existentia.* Demùm datur subsistentia, quæ substantijs competit per se subsistentibus, cui respondet inexistentia propriè competens accidentibus, quorum esse est alteri inhærere. Datur etiam coexistentia competens illis, quæ sunt eiusdem gradus, & simul nectuntur, vt partes coexistunt & totum constituunt. *Subsistētia, & inexistētia, coexistētia.* Materiæ proculdubio competit vt sit in ordine rerum, eique competit esse & essentia, de qua quæritur, an sit eadem cum potentia eius. Insuper ei competit existere in composito, in eoque inexistere, & subijci formæ, non autem subsistere absolutè. Explicatis cæteris vocibus, superest vt de Actu loquamur: *De Actu.* Diuiditur Actus ab Aristotele in secundo de Anima in primū, & secundum, hoc est, in formam & operationem. Quæ Diuisio non est præsentis considerationis. Insuper, Diuiditur Actus, in Actum essentiæ, & Actum inexistentiæ: Actus inexistentiæ est Actus essentię complicatus cum conditionibus indiuiduantibus: Actus dicitur: Vel essentiæ quæ est natura propria & conditio cuiusuis rei, quæcunque ea sit, vel Materia, vel aliud quoduis. Et de huiusmodi essentia latè sumpta, dubium est, an nomine Actus denotari valeat: & quod valeat, ita ostendo. Omne quod ex se non est, sed pendet ex alio, vt pendens, dicitur transisse ex potentia ad actū: at præter Deum omnia sunt huiusmodi, quare, &c. *Omnem essentiā posse dici Actū.* Et quamuis Materia ab Aristotele dicitur ingenita, tamen ita ei competit Actus suæ essentiæ, ac si producta esset: Confirmo efficacissimè: quia cui competit nomen formę & speciei, competit nomen Actus, omnis enim forma Actus est, sed cuilibet essentiæ competit nomen formæ & speciei, quod colligo ex Aristotele in primo Physic. cont. 60. & 66. dicente, Materiam & Priuationem esse vnum numero, distingui autem forma, & specie: & per formam ait se intelligere rationem explicantem quid res ea sit, quæ formalitas sępè dicitur. *Ratio. Cōfirmatio.* Idipsum confirmo per Themist. in primo Physic. in Digress. de Materia, dicentem quod materia res quędam est in se, & existit Actu; Græcè καὶ ὑπάρχουσα ἐνεργείᾳ. *Themistius* Conspicuè Themistius essentię absolutę materię tribuit nomen actus. Et hęc de vocum significationibus.

## *Quòd Materiæ competat Actus entis siue præsentiæ.*
## *Cap. VIII.*

EXPLICATIS vocibus, constanter affirmo, Materiæ conuenire actū entis siue pręsentiæ: quod varijs rationibus ostendo. *Materię cōpetere actū entis.* Prima ratio elicipotest ex Definitione Materię, hunc in modum. Materia est primum Subiectum ex quo inexistente res fiunt, & in quod vltimò resoluuntur, ex primo Physic. 82. *Ratio prima.* Cum sit Subiectum primum antecedens formę & composito, eam considero vt Subiectum primum est: & quęro, vel tunc est aliquid absolutum, non pendens ex forma, vel ne: si non, minimè esset Subiectum: nam quod

non

non est, non est Subiectum, & præsertim, quia Subiectum in primo Physic. dicitur prius Prædicato: si sic, ea igitur est aliquid absolutum nō pendens ex forma, per quod actu inter ea quę sunt numeratur. Hinc Aristoteles in primo Physic. 66. inquit, Materiam numerabilem esse.

*Secunda.* Insuper, Materia est id ex quo elicitur forma, & quod constituitur pars compositi, non autem subijceretur transmutationi pro eductione formæ, nec esset Elementum, & pars Substantiæ, nisi esset absolutum aliquod in genere entium. Hinc Aristot. in primo Physic. 66. dixit, Materiam esse propè, & quodam modo Substantiam, & magis hoc aliquid, quàm sit Priuatio.

*Tertia.* Præterea, Materia est id, in quod vltimò ea, quæ intereunt, resoluuntur. Quæro de hoc vltimo, vel habet proprium entis & Substantiæ gradum, non pendentem ex forma, vel ne; si non habet; non fieret resolutio compositi in illud per destructionem formæ, sed periret totum esse eius: si autem habet, falsa erit Sententia aduersa, putantium totum id, quod Materia est, pendere ex forma.

*Quarta.* Præterea, omnis transmutatio exposcit Subiectum manens idem sub vtroque termino, Subiectum enim dicitur medium, quod actu neutrum est extremorum, potestate vtrumque. Materia est Subiectum transmutationis, debet itaque manere eadem sub vtroque termino, non maneret autem eadem, nisi ei competeret esse aliquod proprium, non pendens ex terminis.

*Quinta.* Præterea, cum dicant Materiæ seorsùm à forma nullum competere esse actu, sed solùm potestatem, quæro de hac potentia, vel est potestas sumpta pro Obiecto, vel pro Subiecto: non pro Obiecto, ita enim nil esset: nam quod est potest ate, non est, vt dicitur in 4. Metaphysicæ; cōm. 1 54 Si autem est potestate pro subiecto, omnis talis potentia nititur fundamento, quod cum pro suo esse actu sit, potestate est aliud, ne in potentijs detur progressio in infinitum. Insuper, hoc ens potestate, cum sit membrum in quod ens diuiditur, dum secatur per actum & potentiam, non potest esse potestate ens, sed actu: alioquin non contineretur sub ente, qui actus nil aliud esse potest, nisi actus per quem sit, & in vniuerso existat.

*Sexta.* Demùm, cum Materia dicatur vna numero, æterna, ingenita, non apta interire, apta numerari inter ea quæ sunt, sit prædita affectionibus varijs, sit fundamētum relationis, denotetur per prædicata absoluta, dicendo quod sit ens, & substantia, proculdubio est necesse vt propria aliqua essentia sit prædita, non pendente ex forma, per quam actu inter ea, quæ sunt, reperiri dicatur. Hanc Veritatem frequenter patefecit

*Aristoteles.* Aristoteles cum eam dixerit esse Naturā, esse Bonam per se, Malam ex accidenti, perinde se habere ac matrem, & magis esse hoc aliquid, quàm sit Priuatio.

*Themistius.* Themistius lucidissimè id affirmat, cum in primo Physic. digrediens in attinentibus ad Materiam, dicat: Materia primò res quædam est in se, & existit actu, mox Materia aliorum intelligitur esse.

*Alexāder.* Alexander etiam frequenter id affirmat: nam in primo Natur. qq. cap. 24. inquit. cum Materia sui ratione sit ens, & permaneat, seruans sui naturam, recipit formam eius quod generatur: non enim possibile est manere, & subijci alicui, quod sui natura non est. Hinc Materia non eget forma vt sit, sed vt sit actu.

*Simplicius.* Simplicius in primo Phys. 56. inquit: Subiectum actu est subiectum, non potentia, & in secundo de Anima, exponens cont. 2. ait: Materia dicitur potestate, non quia sit potestate Materia, sed Substantia est potestate, nec ceu vnquam actu futura, manet enim semper quod verè est.

*Philoponus* Philoponus tam lucidè tribuit Materiæ hunc actum, vt nil lucidius dici possit: nam in primo de Ortu & Interitu, cōm. 50. inquit: Materia simpliciter est ens, & hoc modo generatio est ex ente. Cum autem dico actu ens, quod est in existentia intelligendum est, quoniā Materia potestate alia existens, actu est materia. Idipsū cōfirmat, cōm. 54. Insuper, latissimè id affirmat in 11. Disp. contra Proclum; nam cap. 7. inquit, nil dari informe penitùs, adeò, vt non sit actus aliquis: & tunc de Materia loquitur.

*Ammonius* Ammonius similiter hunc actum materiæ tribuit, & inquit Materiam esse corpus, & dimensiones ad eius essentiam pertinere. Colligamus itaque, Materiæ Actum competere, de quo

*Greg. Ari.* Greg. Arim. 2. Sent. Dist. 12. q. 1. rectè enunciauit, Materiam esse actu in genere eorum quæ sunt, potestate verò in genere formabilium.

Euertuntur

*Euertuntur nonnullæ Sententiæ, & rationes aduersæ diluuntur.*

*Cap. IX.*

QVICVMQVE aduersæ opinioni sunt addicti, vt vitent aduersas rationes, inquiunt, Materiam esse quidem, at ei non competere actum essentiæ, qui ad formam pertinet neque existentiæ, quæ competit composito. Insuper, inquit Iauellus septimo Metaphysicæ, q. quinta, Materiam anteire futuræ formæ, non quia ex se modo aliquo sit actu, sed per formã præcedentem, nec eam simpliciter esse, sed in composito, & distingui à forma, nõ quia vtrique competat proprium esse, & sint duo supposita, sed quia vnum negatur de altero. *Iauellus.* Verùm hæc & similia nullius sunt roboris, iam enim conspicuè pateseci, Materiæ proprium esse competere, distinctum ab eo formæ, & prius eo, cui nomen actus optimè congruit. *Euersio.* Nam dum dicimus, Materia non est forma, id quod non est forma, vel est aliquid, vel nihil. si nihil, ea quæ gignuntur, ex nihilo fient: si aliquid, vel id pendent ex forma, vel ne; si pendet, falsò Materia ab Aristotele in secundo de partib. Animal. cap. primo diceretur prior origine forma; si non pendet, habet igitur materia proprium aliquid, ex forma non pendens, per quod actu inter ea quæ sunt reperiri dicetur, & ob id ab Aristotele in primo Physicorum dicitur numerabilis. Confirmatur; quia cùm forma, tùm materia, prædita sunt propria vnitate, propria natura, quare & proprio esse, quorum vnum est æternum, aliud mortale. *Cõfirmatio.* Et si id verum esset, quòd materia anteiret futuræ formæ, per formam antecedentem, tunc magis Materia diceretur corrũpi per interitum formę, per quam est, quàm per interitum Priuationis, contra Aristotelem in primo Physic. 82. Insuper, si Materia secundum totum id quod est, penderet ex forma, ea non posset considerari notione prima & absoluta seorsùm à quauis forma: quia ita non esset. Præterea tunc forma largiretur esse Materiæ, quod verum nõ est: nam vt rectè in secundo de Anima inquit Themistius, forma largitur esse Composito, non autem Materiæ: quia Materia vt sit, non eget forma. *Themistius.* Demùm, inquit Aristoteles in septimo Metaphysicæ, contex. octauo. Materiam esse id quod superest seiunctis omnibus formis. & in quarto Physi. contex. 15. inquit: Cum enim remoueantur termini & affectiones à Sphęra, nil relinquitur præter Materiam: quare secretis imaginatione formis omnibus, adhuc superest natura propria Materiæ, quæ non superesset, si ex forma penderet. Zimara Theor. 15. inquit, Actum entis posse dupliciter vsurpari: vel prò grado quodam entis, vel pro actu respondente potentiæ obiectiuæ, qui sit idem cum actu existentiæ, per quam Materia in Composito prædita sit distincta existentia ab ea formæ. *Zimara.* In prima significatione conceditur, non in secunda; Quoniam Actus existendi à forma est. Decipitur profectò cum hæc dicat; tum quia existentia latè sumpta, non semper à forma est, vt in præcedentibus pateseci. *Euersio.* Hinc Themistius & Alexander eam tribuunt Materiæ, cum dicant eam ὑπάρχον. Tum insuper, quia concedens Materiæ gradum per quem sit, cogitur concedere id, quod respõdet potentiæ obiectiuæ, quatenus est extra suas causas; huiusmodi autem est actus entis, siue præsentiæ. Tum demùm, quia inane est id, quod addit de Existentia; nam Existentiæ nomen apud varios in varia significatione vsurpatur. *Existentia.* Ex Sententia Scoti Existentia est proprietas quędam ipsius essentię, vt Risibilitas Hominis; quemadmodum affirmat tertio Sent. Dist. 3. q. 6. adeò, vt essentia semper iunctam habeat existentiam, & simul oriantur & pereant; & propterea errat Zimara, qui negans à Materia existentiam, contra Scotum, vtitur nomine Existentię non in ea significatione, in qua ea vtitur Scotus, sed potiùs in qua ea vtitur D. Tho. qui (vt elicitur ex secundo contra Gentes, cap. 52.) Existentiam adeò secreuit ab essentia, vt putarit rei posse competere essentiam, sine existentia. His explicatis; superest vt aduersas rationes diluamus. *Diluuntur rationes aduersæ.*

Nonnulli

Nonnulli reijcere nituntur actum præsentiæ & entis: quia ex sententia Aristotelis, non datur potentia obiectiua, cui Actus ille respondet. Quæ ratio inanis est penitùs: nam quòd concedi debeat potentia non repugnantiæ ex parte obiecti, nemini est dubium: solùm dubitatio est, num redigatur ad potentiam agentis, vel patientis: & sat est quòd Materia ita se habet, vt ei competat esse seorsùm à suis causis. Afferebatur Sententia Aristotelis in septimo Metaphysicæ, dicentis Materiam nec quid, nec quale, nec quantum esse. *Scotus.* Scotus soluens, ait Aristotelem loqui non ex propria Sententia, sed ex opinione antiquorum. Quæ euasio est inanis: quia veteres putarunt Materiam esse quid, & vniuersam essentiam. Insuper Aristoteles alibi quoque eandem sententiam profert, vt in 3. Physic. dum ens acta, diuidit in decem Prędicamenta, & in decimo Metaphysicæ, dum Materiam ait negatione cognosci. Propterea dicamus, quòd Materia non est quid, &c. Quoniam Prędicamenta constituuntur per formam, cuius Materia est expers, & ad quam est potestate, & dicitur esse Potestate, non vt Obiectum, quia ita non esset, sed vt Subiectum, non autem esset Subiectum, nisi primò absolutè esset aliquid. Quòd autem cognoscatur & per Analogiam, & per Negationem, mihi non obest: nam etiam Deus vtroque eorum modorum noscitur. Materia autem ita noscitur, quia caret actu formali, qui est ratio per quam res per se noscuntur. Insuper instabatur: quia omnis essentia vel est actus purus, vel pura potentia &c. Respondeo, Materia est pura potentia ad formam, est purus actus entis: quatenus non est complicatus cum alio actu: & demùm, est vtrunq; simul, quatenus est purus actus entis, & pura potentia ad formam. *Materia est purus actus & pura potentia.* Addebatur, quia ens & esse sunt ab vno, ideò debet primò vni competere, & per illud alijs. Respondeo, Ens & esse, dici ab vno varia consideratione: nam vel cōsideramus ens, & esse formale: hoc primò competit formæ, & per eam cæteris. Si consideramus esse absolutè & extra causam, hoc primò in mortalium ordine competit materiæ. Hinc Aristoteles in secundo de partibus animalium, cap. primo ait, materiam esse priorem origine, formam verò dignitate. Addo insuper, quod quamuis ens, & esse, sint ab vno, quatenus includūt ordinem quendam, non propterea vel materia est causa per quā forma fit id quòd est, nec vice versa. Ideò *Simplicius.* Simplicius in primo Physic. exponens, cont. 50. inquit, neque ens à substantia defluit in cætera Prędicamenta, neque per eam cæteris competit, sed primò competit Substantiæ, cæteris verò post ipsam: vt etiam ordo non proficiscitur à primo ad secūdum, vt per primum secundo insit, sed vtriq; & singulis competit æquè cōmunis ordo &c. Ratio sumpta ex definitione Generationis leuis est: nam per Generationem & interitum dicitur mutari totum, quatenus mutatus forma, per quam Compositum est id totum quod est, considerando essentiam propriam eius. Neque etiam obest Sententia, D. Tho: quòd potentia sit essentia materiæ, vt ex sequentibus patebit. Similiter, quamuis Plato Materiam dixerit non ens, non ob id inficiatur esse huiusmodi actum: dixit enim Materiam esse infra ens, quia est infra formam, ait tamē quòd ea solum est non ens, pro alteritate, vt patet ex Sophista. Immò in Phędone manifestauit Materię & Ideis rectè cōpetere pronomina demonstrantia, cum semper maneant & seruentur.

## *An Potentia sit essentia Materiæ?* Cap. X.

CVM apparuerit Materiæ actum aliquem competere, quomodo potentia ad eam se habeat, nunc se offert considerandum; Ad cuius considerationem vt distinctiùs progrediamur, primò considerandum est, in Materia duplicem reperiri potentiam: Vnam communem competentem Materiæ ex sui conditione ante quam vlla aliena affectione sit prædita, per quam sui natura & conditione dicitur facilis & apta subijci formis: Alteram proximam & propriam, pro definita forma, consurgentem ex dispositionibus, formę *Duplex potentia materiæ.*

recipiendæ

recipiendæ congruentibus. De hac nulla est dubitatio, omnes enim consentiunt hanc esse accidens & qualitatẽ superadditam Materiæ, varietati obnoxiam. Dubitatio est de prima, quæ Materiam comitatur; eique est coæterna. Ex quo elicio, falsam esse quorundam Sententiam, qui inquiunt, potentiam omnẽ ex forma aliqua anteceden te consurgere: nam potentia communis, indefinita ad formas, sequitur Materiæ conditionem, non autẽ formam aliquam, & præsertim, quia sumitur in diuisione entis per actum & potentiam: vna autem differentia opposita, non sequitur alteram. Insuper, cum sit potentia cõmunis, deberet sequi formam aliquam communem, quæ tamen in materia non reperitur.

*Non omnis potentia sequitur formam.*

Prætereà, considero magnã esse litem, an affectio & potentia, distinguatur à suo fundamento: ẽ multi asserunt distingui, tum quia est accidens per se, quod de Subiecto dicitur & ostenditur, tum insuper, quia ab Aristotele statuitur secũda species Qualitatis, cuius Subiectum frequenter est Substantia. Opinionem tamen aduersam veriorem puto: Nam potentia Definitur, quòd sit principiũ agendi, vel patiendi, quod principiũ non est accidens & qualitas rei, sed natura & essentia eius: Dispositio autem solùm est principium, per quod facile agat vel patiatur. Confirmatur per Aristotelem, qui in 7. Phys. necnon in 5. Metaph. numerans species Qualitatis, de Potentia nullum fecit verbum. Hinc Alexander referente Auer. in 7. Phys. potentiam à suo fundamento non secreuit: veluti nec Auic. teste eodem Auerr. in calce primi de Ortu, & interitu. Confirmatur: quia principium agendi vel patiendi, quo est prius, eo magis nomine principij honestari meretur: Cum itaq; ea, quæ sunt, nisi necessitas vrgeat, multiplicari non debeant, nec vlla necessitas nos cogat statuere potentiam à suo fundamento distinctam, colligamus eam pro absoluto in idem cum suo fundamento venire, & solùm distingui extrinsecùs per superadditam relationem, vt latiùs patefeci in secundo gradu Moralis Philosophiæ.

*An potẽtia distinguatur à suo fundamento.*

Et quia ex aduerso dicebatur, Affectionem esse accidens, quod de Subiecto dicitur, & ostenditur. Respõdeo, esse accidens & Qualitatem secundum modum denominationis, & distingui secundum formam, ob superadditam relationem, & ob id dicitur sequi formam, & interna principia speciei.

*Diluuntur rationes aduersæ.*

His præassumptis, tres statuto Conclusiones. Prima est: Potentia communis Materiæ, antecedẽs formis & dispositionibus, intrinsecùs & pro absoluto considerata, est natura, & essentia Materiæ.

*Prima conclusio.*

Altera est: Potentia ea communis considerata extrinsecùs pro superaddita relatione ad obiectum, & considerata secundum formã & modum denominationis, distinguitur ab essentia absoluta Materiæ, & est eius affectio.

*Secunda.*

Tertia assertio est: Potentia propria, ex dispositione consurgens, est Qualitas & accidens, & solũ dici potest essentia Materiæ vt ad huiusmodi formam relatæ.

*Tertia.*

Ex quibus elicio, potentiam Materiæ sine vlla controuersia dici posse Substantiam, & essentiam materiæ, Qualitatem eius, affectionem, & relationem. Insuper, elicio solutionem apparentis controuersiæ in Themistio: nam in digressione de prima Materia inquit: Potentiam non competere Materiæ nisi in secunda eius notione, & adueniente forma euanescere potentiam, & Materiam transire in Subiectum. Oppositum enunciauit in Paraphrasi, contex. 82. inquiens, Potentiam Materiæ semper seruari, & per aduenientem formam minimè destrui: Nam prima sententia est vera de potentia considerata cum superaddita relatione. Altera verò de potentia pro esse absoluto.

*Controuersia in Themistio diluitur.*

## *Ostensio prolatarum Conclusionum.* Cap. XI.

QVAMVIS prolatæ Conclusiones per ea quæ præassumpsi, satis sint conspicuæ, vt tamen veritas splendidior fulgeat, in earum comprobatione & præsertim primæ immorabor. Quòd Potentia Materiæ coæua, sit eius essentia, affirmauit Aristoteles in primo Phys. 82. quo loci ostensurus essentiam Materiæ esse æternam, dixit Materiam secundum potẽtiam non gigni nec interire. Simplicius id exponens inquit: Materiæ essentiam esse potentiam ac posse: Materia enim est substantia per potentiã: & quando adest Actus,

*Cõfirmatio primæ Conclusionis.*

potentia Materiæ remanet, nec permutatur in actum, ne materia pereat, quæ per potentiam Substantia est. Eadē sententia varijs confirmatur rationibus, & primò: *Ratio prima.* Omnis essentia vel est purus actus, vel pura potentia, vel compositum ex vtrisq;. Materiæ essentia nec est purus actus formalis, nec aliquid compositum, vt patet, quare est pura potentia, quæ cum sit gradus, & modo aliquo differentia entis, dici potest actus entis, *Cōfirmatio.* & præsentiæ. Confirmatur per Aristotelem qui in 2. de Anima, cont. 2. cum substantiā secasset in Materiam, Formam, & Compositum, Materiam dixit esse potentiam, Formam verò actum, & vt actus est ipsamet essentia formæ, ita potentia Materiæ, non au *Regula Aristotelis.* tem accidens ei superadditum. Præterea vtor Regula Arist. t 2. Metaph. 35. 8. Physic. 37. Si datur compositum ex duobus oppositis, & datur vnum eorum seorsùm, dabitur & alterum: at datur compositum ex actu & potentia, & datur actus purus, qui sui essen *Ratio tertia.* tia est actus, igitur datur & id, quod sui essentia est potentia. Præterea, si hæc communis potentia coæua Materiæ de qua est sermo, esset Qualitas, & accidens eius, (vt nonnulli aiunt) falsa redderetur Sententia Arist. 7. Metaph. cont. 8. absolutè dicentis, *Quarta.* Materiam nec quid, nec quale esse, ita enim esset qualis. Præterea, falsa esset Græcorum Sententia, primum quod recipitur in materia, esse quantitatem, & ob id Prædi *Quinta.* camētum Quātitatis secundo loco fuisse explicatum, ita enim Qualitas antecederet. Præterea, falsa redderetur Sententia Aristotelis 8. Metaphysicæ 15. dicentis, ex Materia & forma per se fieri vnum: quia materia est Potentia, forma autem Actus, ita enim *Sexta.* non per se, at per aliud, nempè per Qualitatem ex Materia & forma vnum fieret. Præterea, omnis mortalium Qualitas ad aliquem sensum pertinet, & vel prima vel secunda est: hæc potentia Materiæ, quæ à nonnullis dicitur Qualitas, nullo sensu percipitur, & nec prima, nec secunda Qualitas est, vt patet, quare omninò est explodenda: & præsertim, quia penitùs videtur superuacanea, cum sine ea cuncta seruentur, quæ ad or *Septima.* tum & interitum rerum pertinent. His accedit, quòd qui potentiam Materiæ aiunt esse Qualitatem, sibimet aduersantur, cum mox dicant, eam opponi Actui oppositio *Conclusio.* ne priuatiua: at Qualitas nec Priuatio est, nec priuatiuè opponitur. Vera est itaque prima assertio, quod Potentia communis, sit essentia Materiæ. Quæ etiam fuit opinio *Plato.* Platonis, qui in Timæo asseruit, Potentiam nunquam à Materia seiungi, in eaque ser *Plotinus.* uari, etiam adueniente forma, quod latissimè in libro de Materia patefecit Plotinus. *Auerroes.* Auerroes vario modo potentiam considerans, varia de ea enunciauit: nam in 3. tract. Paraphrasis Metaphysicæ, dixit eam esse vmbram, hoc est, affectionem Materiæ. Aliquando, esse relationem, & accidens varietati obnoxium, vt in primo Physic. 70. Aliquando, Differentiam & Substantiam, vt in primo cap. de Substantia Orbis, inquiens Naturam primæ Materiæ esse naturam potentię, adeò, vt Potentia sit Differentia Substantialis: & ideo nullam habere formam propriam, & naturam actu existentem, sed eius Substantiam collocatam esse in posse. &c. Nuncupatur ab Auerr. potentia Materiæ differentia, quia est gradus, & modus Entis, & vt ens nonnunquam dicitur genus, ita gradus eius dicuntur differentiæ. Cæteræ Assertiones vt conspicuę, dimittuntur.

*Aduersus Zimaram.* Ex his elicio minus rectè sensisse Zimaram, qui asseruit, Potentiam esse essentiam Materiæ non in prima, sed in secunda notione, quatenus in sola secunda notione potentiā includit. Hoc inquam verum non est: quoniam potentia semper includitur in Materia, quauis notione concipiatur, nil enim concipi potest seorsùm à sua essentia, & hoc ostendo: quia Materia in prima notione est ens, quare vel est Actus, vel Potentia: non Actus, quia pertinet ad formam, per Aristotelem in t 2. Metaphysicæ, quare est Potentia. Sed ipse errauit, quia Potentiam considerauit non pro absoluto, & fundamento, *Dubitatio.* sed cum superaddita relatione. Sed quęret aliquis: dum dicimus, Materia est potestas, vt inquit Aristoteles in secundo de Anima, contex. 2. qualis nam iudicari debeat ea *Solutio.* enunciatio? Respondeo, dum potestas profertur in recto, enunciatio est per se, in primo modo, quia Prædicatum est essentia Subiecti: nam affectio & accidens non dicuntur in recto, Dum vero enunciatur in obliquo, & cum denominatione, adeò


vt ab.

vt obtineat locum affectionis, enunciatio erit per se, in secundo modo. Si verò consideretur Potentia proxima consurgens ex accidente disponēte materiam, ita erit accidens ex accidenti Materiæ competens.

## *Proponuntur & diluuntur dubia varia.* Cap. XII.

POTENTIAM distingui ab essentia Materiæ, Varij varijs nituntur ostendere rationibus: quarum ego potiores quàm breuissimè referam, & diluam. Dubitatur primò; Quia nulla notione potest aliquid seorsùm à sua essentia concipi: Materia in prima notione potentiam non includit, vt in digress. inquit Themistius, quare potentia non est eius essentia. Et Confirmatur: Quia Materia est ens absolutum, Potentia relatum: Materia est vna, Potentia multiplex. Et demum, quod est Potentia, non est, vt asseritur ab Auer. quinto Metaphysicæ, comm. 15. Materia autem per se est. Solutio patet ex distinctione Potentiæ consideratæ & pro absoluto, & cum superaddita relatione: pro absoluto, semper includitur in Materia, & est vna, & æterna vt materia, & cum sit gradus entis, etiam dicitur aliquid absolutum, & solum extrinsecùs relatum. Et dum dicimus, id, quod est potestate, non est: verum est, dum consideratur pro Obiecto, at non pro Subiecto: immo pro Subiecto, necesse est vt primo absolutè sit aliquid, mox potestate sit aliud. Hinc Themistius, comm. 81. primi Physic. asseruit, potentiam nunquā deserere Materiam. At occurrit secunda Dubitatio, quia si Potentia non differt ab essentia, cum Materia sit potestate omnia Prædicamenta, vt dicitur in septimo Metaphysicæ, contex. 8. igitur Potentia ad Qualitatem, erit essentia & Substantia Materiæ, & ita potentia ad reliqua Prædicamenta: & cum omne Prædicamentum diuidatur per Actū & Potentiam, in omni Prædicamento reperietur essentia Materiæ, vt pars eius Prædicamenti, quod maximè videtur absurdum. Respondeo per duo fundamenta: Primum elicitur ex Aristotele in octauo Metaphysicæ, contex. 11. dicente, Accidentia non includere Materiam ex qua cōstent, hoc enim solùm competit Substantijs Compositis, sed in qua recipiantur, adeò vt essentia Materiæ sit principium accidentium secundum fieri; non secundum essentiam. Alterum fundamentum est, Quia quamuis Potentia intrinsecùs sit essentia Materiæ, extrinsecùs tamen (vt dixi) distinguitur ratione; & redigitur tanquam principium ad Prædicamentum ad quod refertur, & ita Potentia & Actus dicuntur eiusdem generis. Alia Dubitatio elicitur ex nono contex. 3. Physic. quo loci ostendit Aristoteles, Potentiam distingui à suo fundamento duplici ratione. Primò: Quia si Potentia esset eadem suo fundamento, tunc res mouerentur vt actu est, cum moueatur vt est potestate. Secundò: Quia eadem vni tertio, sunt eadem inter se, & quia vni competunt potentiæ ad opposita, illæ potentia erunt eædem; idem inter se; veluti potentia ad sanitatem erit eadem potentiæ ad ægritudinem: quod est absurdum. Soluitur: Quia Aristoteles tunc considerat potentiam extrinsecùs, & cum superaddita relatione, nam considerat mobile, vt mobile est, & ideò inquit, non esse idem simpliciter, & secundum rationem, indicans, quòd quamuis simpliciter hoc est pro absoluto, sint idem. tamen distinguuntur ratione. Dubitatur insuper: Quia asserere potentiam vsurpari pro absoluto, est pugnantia proferre: nam potentiam omnis respicit aliud, & Definitur per id, ad quod refertur: Potentia enim futurum denotat. Respondeo. Cum essentia rerum lateant, & præsertim ea Materiæ, & desint nomina earū propria, frequenter eas circumscribimus per connexa notiora veluti essentiam materię dicimus potentiā, denotando fundamentum & absolutū, per id nomen quod relationē præ se fert; & id efficere etiā cogimur quia Materia à nobis noscitur per Analogiā, & per aliquā relationē. Quòd autem id nomen frequenter vsurpetur pro absoluto, patet veluti, dum Ens diuidimus per Actum & Potentiam: ac insuper, dum Materiam in recto dicimus Potentiam: & dum asserimus ex Actu & Potentia per se fieri vnum? At dubi-

Marginal notes: *Prima Dubitatio.* — *Cōfirmatiō.* — *Solutio.* — *Secunda.* — *Solutio.* — *Tertia.* — *Solutio.* — *Quarta.* — *Solutio.*

*Quinta.* dubitatur adhuc: Quia Priuatio distinguitur à Materia, quæ tamen est in ratione potentiæ. Insuper Materia Definitur, quòd sit primum principium, ex quo inexistente res fiunt, & in quod resoluuntur. Quæ Definitio, nequaquam competit Potentiæ, vt patet.

*Solutio.* Solutio est conspicua: nam Potentia includit Priuationem, dum consideratur cum superaddita relatione: & Definitio Materiæ competit potentiæ consideratę pro fundamento, & pro absoluto, non cum superaddita relatione, quæ variatur, & multiplicatur.

*Sexta.* Demùm Dubitatur: Cum Potentia, & Actus dicantur inuicem opponi, qua oppositionis specie opponantur?

*Opinio quorundam.* Nonnulli aiunt opponi non per Relationem, sed per Priuationem & Habitum: nam potentia priuatio est ipsius actus, idque ostendunt: quoniam relata sunt simul natura, & non se mutuò destruunt, potentia est origine prior actu, & ab actu destruitur, nec simul sunt. Insuper quamuis potentia referatur ad actum, non propterea, vice versa, actus dicitur potentiæ actus.

*Euersio.* Hęc sententia non est approbanda: Primò, Quia priuatio & potentia sunt duo distincta, & priuatio est terminus à quo generationis, potentia verò ad Materiam & Subiectum pertinet: quare cum actui per priuationem opponatur Priuatio,

*Ratio.* est necesse vt Potentia à Priuatione distincta, modo alio opponatur.

*Aristoteles* Prætereà, conspicuè Aristoteles in secundo Phys. 26. inquit Materiam & formam esse ad aliquid. Et profectò Materia per potentiam refertur ad formam, & ita dicitur quòd alterius formæ altera est Materia. Cōfirmatur per Auerr.

*Auer.* qui in primo Physic. comm. 7. inquit: Si Potentia esset essentia Materiæ, tunc Materia intrinsecùs & sui essentia Relatio esset, indicans potentia referri ad aliud, dum consideratur non pro solo absoluto, sed cum superaddita Relatione,

*Opinio propria.* Propterea, dicamus Potentiam tria denotare. Primò essentiam fundamenti; ac ita non opponitur actui, sed ex eis per se fit vnum ex octauo Metaphysicæ 15. Secundò, dum superadditur externa Relatio, dicitur præsupponere Priuationem obiecti, & ita pertinet ad Priuationem, non propria sui ratione, sed ratione eius quod præsupponit. Tertiò, ratione propria denotat relationem, & ad actum refertur, dum considerant tanquam perfectibile natum actu perfici.

*Diluuntur rationes aduersæ.* Rationes aduersæ facilè diluuntur. Instabatur primò, quia non sunt simul, sed se destruunt. Respondeo; actus & potentia perinde se habent ac perfectio & perfectibile, quæ inuicem referuntur, & perfectio pręsens refertur ad præsens perfectibile, & cum eo est simul, futura verò cum futuro. Similiter actus & potentia pro fundamento non se destruunt, sed seruatur & perficitur potentia adueniēte actu, solùm variatur: quia primò erat potentia ad futuram formam, mox verò ad pręsentem. Addebatur, quòd actus non dicitur potentię actus. Respondeo hoc esse falsum, quia vt perfectio perfectibilis, ita actus potentiæ dicitur actus, & cum ea per se nectitur, his accedit quod Aristoteles in quinto Metaphysicæ, context. 20. conspicuis verbis hanc difficultatem dissoluit, inquiens; Quęcunq; secundum numerum, & potentiam dicuntur ad aliquid, omnia sunt ad aliquid, eo quod ipsum quod sunt, alterius dicuntur, sed non eo quod ad illud aliud dicatur, &c. conspicuè Aristoteles potentię tribuit relationem, & instantiam ab his excogitatam dissoluit.

## *Quomodo Materia se habeat ad Priuationem?*
## *Cap. XIII.*

*Quinq; explicanda.* CVm apparuerit quomodo materia se habeat ad potentiam, sequitur vt consideremus quomodo se habeat ad Priuationem. Pro cuius exacta notitia quinque se offerunt explicanda. Primò, quotuplex sit priuatio. Secundò, quid sit. Tertiò, quomodo se habeat ad Materiam & Potentiam. Quartò, quomodo sit Principium. Demùm an iure Aristoteles tribuat Platoni, quod Materiā à Priuatione non secreuerit. A Primo ordiens Aristoteles in quinto Metaphysicę, context. 27. varias refert Priuationis significationes.

Nam

Nam datur primò Priuatio ex parte generis; Vel ab vno, vt Intelligentia Saturni dicitur priuata perfectione Dei: quia ei ratione entis non repugnat maior perfectio; Vel vniuoci remoti, vt lapides dicuntur cœci: quia videre non repugnat substantiæ. Similiter Planta dicitur cœca, quia ei vt viuens est, non repugnat videre; Vel generis vniuoci proximi vt talpa dicitur cœca, quia ei vt est animal, non repugnat videre, & hoc ei proximiùs competit quàm Plantæ. Insuper datur Priuatio in specie, vt Homerus dicitur cœcus. Et hæc Priuatio triplex est: vel exacta priuatio, vel diminutio, vel deprauatio, vt rectè declarauit Auerroes 3. Cœli, 35. Insuper priuatio considerari potest, vel in prima materia, & ea est Priuatio indefinita, confusa, vniuersè & indefinitè respiciens formas omnes materiatas, coæua materiæ, eiusque conditionem sequens: vel consideratur in subiecto proximo & proprio, & ea definita est, sequens dispositionem requisitam pro forma, quæ incipit & desinit. Insuper, priuatio considerata in Subiecto proximo, vel antecedit formæ, & hæc iuncta est cum potentia, vel formam sequitur, à qua ad formam saltem eandem numero, non datur regressus. Demùm hæc Priuatio in Subiecto proximo, vel est formæ ad Substantiam pertinentis, vel accidentis: propriè, & præsertim ea dicitur Priuatio, quæ est formæ ad Substantiam pertinentis, vt enim hæc est propriè & præsertim forma, & præsertim materiæ respondet, ita eius opposita præsertim & propriè est Priuatio. Cum apparuerit quotuplex sit Priuatio, considerandum occurrit, quid sit. Et sumendo Priuationem vniuersè, dico, quod est absentia formæ in subiecto nato eam recipere. Differt Priuatio à negatione: quia negatio solùm remouet, nil ponit, hinc absolutè dicitur non ens. Priuatio verò remouet formam, consignificat tamen Subiectum, & ideò dicitur per se non ens, ex accidenti autem ens; negatio est communior quam Priuatio de quo enim vera est Priuatio, etiam est vera negatio, & non vice versa. Cum Priuatio sit absentia formæ, quæritur, an modo aliquo dici possit forma, qualitas, & affectio aliqua, vel iudicari debeat absoluta absentia? Breuibus dico, Priuationem propriè & per se, esse absentiam, modo tamen aliquo dici posse formam & Qualitatem, & id contingere quinque modis, Primò secundum modum denominationis: nam per priuationem tanquam per dispositionem denominatur subiectum, & dicitur nudum & cœcum, vt dicitur in quinto Physic. contex. 9. Secundò, quia Priuatio proxima & propria, nectitur cum forma antecedente, vt lignum dicitur priuatum forma ignis, cuius Priuatio cum forma ligni nectitur. Tertiò, quia Priuatio propria alicuius, considerata in Subiecto proximo est complicata cum affectionibus, vel disponentibus Subiectum pro futura forma, vt priuatio formæ ignis in ligno arido, vel aduersis formæ, vt cœcitas in Subiecto actu. Quartò, quia iuncta summoperè est cum potentia eique est affinis; potentia autem dum consideratur vt affectio denominans Subiectum, est modo aliquo Qualitas. Demùm, quia Priuatio frequenter vsurpatur pro forma deteriore, secundum quam significationem Aristoteles in secundo Physic. 15. dixit, Priuationem esse modo aliquo formam & naturam. Ex his elici potest Solutio difficultatis motæ à Simplicio, in primo Physic. Num detur Priuatio Priuationis? Simplicius absolutè id negat, quod tamen penitùs inficiari non debemus: Nam Priuatio consideratur dupliciter. Primò, per se, vt Priuatio est; secundò, vt modo aliquo est forma: dum ea consideratur per se, eius non datur Priuatio, quoniam omnis Priuatio est formæ: At dum consideratur vt modo aliquo est forma Materiæ, quoniam cuiuslibet Materiatę formę consideratur Priuatio, etiam priuationis modo aliquo erit Priuatio.

*Priuatio antecedens & sequens formam.*

*Quid sit priuatio.*

*Differentia à negatione.*

*An Priuatio sit forma.*

*Solutio.*

*An detur Priuatio Priuationis.*

## *An Priuatio distinguatur à Materia & quomodo ad eam se habeat? Cap. XIIII.*

PRIVATIO adeò cum Materia est iuncta, vt nonnulli putarint eam in idem cum Materia venire: & Aristoteles Platoni tribuit, quòd putarit à Materia minimè distingui. Propterea in primo Physic. laborat pro assignando discrimine: & ex varijs contextibus duodecim præcipuæ *Duodecim differentiæ Materiæ à Priuatione* differentiæ eliciuntur, quarum prima sumitur ex modo loquendi: nam *Prima.* de omni Priuatione rectè dicimus, ex hoc fit hoc, non autem de omni Materia. Insuper, de eadem Priuatione sæpè vti valemus duobus loquendi modis, dicendo, ex hoc fit hoc, & hoc fit hoc, vt ex immusico fit musicus, & immusicus fit musicus, nō autem de eadem materia. Demùm modus loquendi in obliquo magis congruit Priuationi, quæ est terminus à quo generationis, modus verò loquendi in recto, magis congruit *Secunda.* Subiecto & Materiæ, quæ subijcitur & permanet. Altera differentia est: quia priua- *Tertia.* tio est opposita formæ, non Materia. Tertia, quia Priuatio interit adueniente forma. Subiectum verò & Materia remanet, & redditur pars compositi. *Quarta.* Quarta differentia est, quia Materia est magis hoc aliquid, quàm Priuatio: nam remanet & est pars com- *Quinta.* positi, cui competit, vt sit hoc aliquid. Quinta, Materia est principium geniti per se, *Sexta.* Priuatio ex accidenti. Sexta, Materia est magis apta numerari inter ea quæ sunt, *Septima.* quàm Priuatio. Septima, Materia & priuatio distincto modò conspirant ad rerum *Octaua.* ortum, Priuatio vt terminus à quo, Materia vt Subiectum. Octaua, Materia sui na- *Nona.* tura formam appetit, non Priuatio. Nona, Materia est tanquam Mater & benefica, Priuatio machinatur maleficium, nam statim quod in aliquo imaginamur priuationem formæ eius, imaginamur eius interitum. *Decima.* Decima, Materia est mala, fœmina, & turpis ex accidenti, Priuatio, autem per se, immo est ipsamet turpitudo. *Vndecima.* Vndecima differentia est, quia Materia ex se æterna est, & solùm interit ex accidenti ob interitū Priuationis, Priuatio verò ex se sentire dicitur, quatenus variatur non per aliud, sed per sui conditionem. *Duodecima.* Duodecima, Materia est Ens, & Substantia ex se, Priuatio, solum ex accidenti, vt materiam denotat in qua est. Hæ sunt differentiæ, quæ ex primo Physic. eliciuntur, quæ vt clariores reddantur, considerandum est, quomodo priuatio *Vide pro his expositionē 62. cont. 1. Physic.* ad potentiam, & materiam se habeat: Pro cuius explicatione dicendum primò reperiri essentiam materiæ, quæ est potentia, quatenus potentia est gradus & modus entis. Secundò, huic fundamento additur relatio ad formam, ex qua relatione consurgit potentia extrinsecùs considerata, necnon priuatio quædam vniuersa potentia quidem vt valens recipere, priuatio verò vt carens: & quia non diceretur carere nisi esset nata recipere, ideò potentia antecedit, quam comitatur Priuatio, adeò vt Priuatio pro suo esse absoluto non distinguatur à Materia, sed solùm consurgat conditio propria, & distinctio, dum materia refertur ad formam. Afficitur mox materia affectionibus varijs congruentibus varijs formis, ex quibus consurgat Potentia propria, & proxima, necnon proxima & propria priuatio huius vel illius formæ, quæ potentiæ & priuationes incipiunt & desinunt. *Cur potentia sit prior.* Potentia autem statuitur prior Priuatione, tum, quia magis indicat essentiam Materiæ, tum insuper, quia affirmat & ponit aliquid, Priuatio verò remouet. *Dubitatio.* At dubitatur: quia potentia semper præsupponit priuationē, quod enim *Solutio.* est potestate, priuatum est: quare Priuatio antecedit. Respondeo, Priuatio & potentia ita se habent, vt vnum exposcat aliud, secundum originem tamen conditio propria potentiæ antecedit, & id quod ab ea præsupponitur, est potiùs negatio, quàm priuatio. Primò enim consideratur Subiectum non habens formam, & valens eam recipere, & cum non habeat, & valeat recipere, dicitur deinde priuatum, adeò vt negatio antecedat, cui succedit potentia, mox consurgit Priuatio. Explicato quomodo

priuatio

priuatio ad Materiam se habeat; sequitur cōsiderandum, quomodo sit principium generationis & interitus. Qua de re breuibus dico, transmutationem omnem exposcere duos terminos, à quo, & ad quem: & cum generatio sit maxima omniū transmutationum, ideò terminos exposcit maximè distātes & oppositos: maxima distantia & oppositio est inter esse, & non esse, & propterea Aristoteles in quinto Physi. ait, eam versari inter contradictoria: At quia non esse, & esse, sunt termini nimiùm communes, nec ex omni non esse, datur transitus ad esse, sed ex eo non esse, cui iuncta est Potentia & Priuatio, ideò iure Priuatio & forma statuuntur termini proprij generationis, & interitus. Et recta ratione id fit: nam hæc est oppositio prima, quæ consideratur in Materia, ad quam cæteræ contrarietates rediguntur, & priuatio necessaria est pro appetitione formæ. rectè itaq; Priuatio statuitur terminus à quo generationis, ad quem verò, interitus. Quæ Priuatio ad duo potest referri: primò, ad generationem, vt transmutatio est, secundò, ad rem genitam: dum refertur ad generationem, dicitur principium eius per se, nam tanquam terminus eam constituit, & sumitur in eius definitione: dum verò refertur ad rem genitam, dicitur principium ex accidenti, tum quia eius est principium, vt accidit Materiæ & necessaria est pro dispositione Materiæ: tum insuper, quia non remanet in re genita, nec eius est pars: Sed instabit aliquis: si Priuatio est principium ex accidenti, quomodo est necessarium, cum omne ex accidenti dicatur posse non esse, vt legitur in primo Poste. necnon in primo, & in 8. Physi. Respondeo, id quod est secundum accidens, quatenus tale est, posse non esse, at si particeps fuerit eius quod est per se, etiam reddetur particeps necessitate: Priuatio vt est secundum accidens, potest non esse, quatenus res genita ex ea non constituitur: at quia vt dixi modo aliquo est per se ideò etiam dicitur principium necessarium. Priuatio partim redigitur ad formam, partim ad Materiam; ad formam, vt in secundo Physic. t 5. quatenus modo aliquo disponit & format Materiam; ad Materiam verò, vt in primo Physic. dicitur eadem numero cum ea, quatenus est necessaria, vt sit apta recipere formam, & pro absoluto non distinguitur à materia. Priuatio numeratur inter principia tanquam distinctum aliquod, non autem potentia, quoniam Priuatio ad ortum concurrit modo proprio & distincto ab alijs, nempè vt terminus a quo, Potentia verò non secùs ac Materia, & ideo non numeratur pro principio à Materia distincto. Sed oritur Dubitatio, quia Aristoteles in Postprædicamentis ait, à Priuatione ad habitum non dari regressum: quare male statuitur terminus à quo generationis. Soluitur per duo fundamenta: primum est, quia Priuatio est duplex, vna in Subiecto in actu, vt cæcitas: Altera in prima Materia, & in Subiecto in potentia: prima euertit actum & facultatem: altera solùm actum, & supponit facultatem: prima potest esse terminus ad quem, interitus: at non à quo ortus. Altera è contrario est terminus à quo ortus, non autem ad quem interitus: ideò prima dicitur Priuatio post formam. Altera antecedens formæ. Alterum fundamentum est, quia a priuatione antecedente formę, non dicitur dari regressus ad eam formam, sed progressus, non enim recuperat subiectum formam, quam prius habuerit, & amiserit, sed eam recipit, quam non habuit, & ad quam est potestate.

*Quō Priuatio sit principium generationis et interitus.*

*Cur ortus et interitus versetur inter contradicentia.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Priuatio et ad formam & ad Materiam redigitur.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

## *An Plato & Aristoteles de attendentibus ad Priuationem conciliari possint. Cap. XV.*

INVEHITVR frequenter in Platonē Aristoteles in primo Physi. tum quia Materiam à Priuatione non secreuit, tum insuper, quia Priuationem pro tertio distincto principio non numerauit. An autem iure id fecerit, considerandum occurrit. Plotinus En. 4. lib. 4. cap. t 3. & sequentibus asserit ex sententia Platonis, & propria, Materiam non distingui à Priuatione, & Aristotelem carpit, quia in primo Physic. dixit Materiam esse numero

*Plotinus.*

vnam

vnam, cum priuatione, specie verò, & ratione distinctâ. Insuper addit, adueniente forma, priuationem non euanescere, sed seruari, cum seruetur potestas, & materia. Missas facio rationes eius, quia re vera leues sunt, & vnicuique licet in eo illas legere.

*Euersio.* Errat tamen Plotinus primò: non distinguens Materiam à Priuatione, quorum distinctio in præcedentibus est explicata. Secundò, perperàm asserit Priuationem seruari adueniente forma, nam terminus à quo, non simul manet cum eo ad quem, cum in oppositi, & præsertim quia termini transmutationis necessariò distinguuntur à Subiecto, cum vnum oppositum non valeat recipere aliud. Insuper, errat, quia considerabat Priuationem vniuersè sumptā, semper cum Materia iunctam, cum potiùs debuisset considerare priuationem illam, quæ aduenienti formæ opponitur, & proximum principium generationis constituit. Præterea eam communem Priuationem cum negatione confundebat, cum tamen negatio sit Priuatione communior, vt vnà cum Alexandro, Themistius, & Simplicius declararunt. Demùm minus rectè Platonem tuetur, & Aristotelem carpit, quoniam dum accuratè Platonis sententiam consideramus, inspicimus illum Materiam à Priuatione secreuisse, & litem inter illum & Aristotelem potius esse de verbis, quàm de Sententia: Nam Plato in Phędone, constituens terminos Ortus & Interitus, non secùs ac Aristoteles ait, cuncta fieri ex contrarijs, & contraria constituit terminos transmutationis, quæ omnia contraria in formam & priuationem rediguntur tanquam in necessarios & per se terminos ortus & interitus. Præterea, distinctiùs idipsum in Lyside patefacit, in quo Dialogo referens requisita pro appetitione, ea non secùs ac Aristoteles in primo Physic. 81. asserit esse tria. Appetibile, appetens, & oppositum appetibilis, quod Priuatio est: adeò vt conspicuè patefaciat necessitatem Priuationi, & distinctionem eius à Materia. Præterea in Phędone, Materiam ait esse hoc aliquid, & permanens, non autem ait esse priuationem, hinc Aristoteles in primo Physic. 80. inquit, Platonem despexisse priuationem, quia machinatur maleficium, numerasse autem materiam, quia est tanquam mater; quibus verbis fatetur Platonem distinxisse priuationem à Materia, neglexisse tamen proprium & distinctum modum quo ad generationem conspirat, quia videtur malefica. Re vera itaque Plato & Aristoteles non dissentiunt, nisi per modum loquendi, nam Aristoteles distinctiùs Materiam & priuationem explicauit, & priuationem numerauit inter Principia, quod non fecit Plato. nam Plato in Philebo, numerando principia non seorsùm numerauit priuationem, sed dixit ea esse infinitum, denotando Materiam priuatione affectam, & terminum, denotando formam: demùm conciliantur: quia materia & priuatio pro absoluto non distinguuntur, sed solùm consurgit distincta ratio & formalitas, dum materia refertur ad formam, vt explicans primum Physicorum patefeci.

*Litem inter Platonē & Aristotelē ī verbis esse positam.*

*In expositio ne cont. 62.*

## *De varijs Materiæ notionibus & nominibus eius. Cap. XVI.*

VT distinctiùs ad Materiæ descriptiones descendamus, de varijs eius notionibus primò agendum est; omne subiectum primò in se est aliquid absolutum, mox refertur ad aliud. Quare Materia, quæ Subiectum est, dupliciter potest considerari: primò in se, & per prædicata absoluta, secundò cum relatione quadam, vt vnà cum Alexandro, Themistius, & Simplicius in primo Physic. affirmarunt. Dum consideratur notione prima, ei competunt prædicata absoluta, & dicitur ens, substantia, bona, & vna, vt hæc conuertuntur cum ente, & est essentia quædam consimilis: in qua notione, etiam ei competit actus entis, & potentia sumpta pro absoluto, quæ est eius essentia. Nonnulli inficiuntur hac prima notione Materiam dici vnam, & bonam: quia hæ sunt affectiones constituen

*Notiones materiæ.*

*Notio absoluta.*

*Sententia quorundā.*

tes

tes secundũ modum per se: in prima autem notione solùm Materiæ competunt prædicata per se in primo modo. At errant, cum enim ea prædicata reciprocentur cum ente, vt prima notione materia est ens, ita est vna, & bona: Ratio aduersa soluitur, tum quia illæ non sunt propriè affectiones, sed potiùs modi entis: tum insuper, quia in prima notione ei competunt nedum prædicata primi, verùm etiam secundi modi per se, dummodo fuerint absoluta. Secundò, consideratur materia cum relatione ad aliud, & hoc fieri potest quatuor modis. Primò, per negationem, dum refertur ad decem Prædicamenta, per actum constituta, & dicitur nec quid, nec quale, &c. vt asseritur in septimo Metaphysicæ, contex. 8. Et hic modus satis est iunctus cum prima notione, quatenus de materia in prima notione veræ sunt negationes, vt Alexander & Themistius affirmarunt: tamen quoniam hoc non fit sine aliqua comparatione & relatione, ideò modum hunc numeraui pro primo includente relationem. Secundò, consideratur Materia cum Priuatione communi, sequente conditionem suam, quatenus est nata consimiliter recipere formas omnes eiusdem gradus. Tertiò, consideratur cum Priuatione propria consurgente ex dispositionibus prædefinita forma. Quartò, vt actu formis varijs est insignita. Quinque itaq; sunt notiones Materiæ, sub duobus capitibus contentæ, quorum vnum est absolutum, alterum cum aliqua comparatione & relatione iunctum. Nonnulli viri docti inficiantur Materiæ competere notionem primam absolutam, cum putent id omne quod est, habere ab alio: At decipiuntur: iam enim patuit materiam ex sui natura esse aliquid absolutum, & propterea notione absoluta concipi potest, vt Græci interpretes concordes asseruerunt. Alij inficiantur in prima notione ei competere potentiam; Qui etiam errant, nam in prima notione est ens, igitur vel actus, vel potentia: non actus, quare est potentia, summendo potentiam pro absoluto, & pro gradu entis. Cum autem Materiæ duæ sint primæ notiones, sententia fuit Themistij in primo Physic. ob eas formata fuisse duo nomina, Subiectum scilicet, & Materiam, quæ id habent commune, vt relationem includant: differunt tamen, quia Materia respicit futura, & competit Materiæ, dum refertur ad recipiendam formam; Subiectum verò denotat iam facta, & competit Materiæ formatę, adeò, vt Materia recipiendo formam, transeat in Subiectum. In prima autem notione, neutrum horum nominum ei propriè competit, cum ambo nomina denotent relationem, à qua prima notio materiæ est immunis: ea tamen notione rectiùs dicitur Subiectum, quia hoc nomen non respicit futura, sed iam facta, & præsentia. Hęc est legitima sententia Themistij, vt legenti Græca eius verba redditur notum, quam tamen Hermolaus Barbarus perperàm est interpretatus. Et eiusdem sententiæ fuit Alexander, vt refert Simplicius in primo Physic. 56. Simplicius tamen, ea de re secùs sentit: inquit enim Materiam in prima notione rectiùs dici Materiam, dum verò refertur ad formam, vel futuram, vel præsentem, rectiùs dici Subiectum, vel potestate, vel actu. Hæc fuit sententia Græcorum. Putarem tamen ego, formata fuisse ea duo nomina, non ob varias notiones Materiæ, Materia enim quauis notione concipiatur, semper rectiùs dicitur Materia, sed formata fuisse ob duplex genus formarum, quod in ea recipitur, nimirùm Substantiæ, & Accidentium: nam Substantiæ est Materia, Accidentium verò Subiectũ. Hinc sola accidentia propriè & absolutè dicuntur esse in Subiecto. Hoc confirmo: quia Materia parata est ob formam, & ideò ob varietatem formarum vario nomine denotatur. Hinc Aristoteles in primo de Ortu & Interitu, contex. 25. dixit, propriè materiam esse Substantiæ, mox cæterorum Prædicamentorum, & ob eandem rationem, Cœlum rectiùs dicitur Subiectum, cum sit actu, quàm materia. confundunt tamen ea nomina, & vnum frequenter pro altero vsurpatur. Propria autem eorum significatio distincta est: & quia Subiectum est notius, cũ actu sit, ideò Materia per Subiectum definitur, & dicitur Subiectum primum. Recedo itaque à Themist. Primò, quia non puto formata ea duo nomina ob duas notiones Materiæ, sed ob duplex genus formarum, in quod dirigitur. Secundò, quia puto in quauis notione

*Euersio.* *Actio cum relatione quadruplex* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Sententia quorundã.* *Euersio.* *Aliorum opinio.* *Euersio.* *Themistius.* *Error interpretis.* *Simplicius.* *Sententia propria.* *Cõfirmatio.* *Recessus à Themistio.*

tione semper ei magis congruere nomen Materiæ, quàm Subiecti, etiam dum considerātur vt forma, & ob id veram non puto sententiam illam Boetij approbatam a Themistio, eam non dici Materiam præsentis formæ, sed Subiectum, nā definitur Materia quòd sit id ex quo inexistente res fiunt. Et propterea antequam recipiat formam, dicitur eius Materia potestate, cum verò eam susceperit, fit eius Materia actu. Tertiò, dissentio, quia in prima notione minimè propriè puto posse dici Subiectū, sed rectiùs Materiam, quia Subiectum magis denotat id quod formatum est, & proximius est formæ accidentium, a qua materia in prima notione magis distat. Hinc Aristoteles decimo Metaphysicæ, non de Subiecto, sed de Materia inquit, quod negatione cognoscitur, quæ cognitio per negationem satis est iuncta primæ notioni Materiæ, nam de materia seorsùm a relatione ad formas considerata, veræ sunt negationes, nedum decem Prædicamentorum, sed etiam priuationis, & potentiæ relatæ, vt etiam vnà cum Alexandro affirmat Themistius. Et dum dicimus de Materia in prima notione veras esse negationes, non ex eo inferendum est Materiam esse negationem, hoc enim falsum est, vt docet Aristoteles in septimo Metaphysicæ, contex. octauo, sed solùm inferendum est de materia ex sui natura veras esse negationes aliorum, veluti dicendo Materia non est sui natura Qualis, & non est sui natura non Qualis, nam si sui natura esset Qualis, vel non Qualis, non posset cum altero eius opposito seruari, sic est media per negationem.

## *De Materiæ circumscriptionibus. Cap. XVII.*

*Quatuor modi circūscribēdi Materiam.*

EXPLICATIS varijs Materiæ notionibus, sequitur vt de eius Definitionibus, siue potiùs circumscriptionibus verba faciamus. Quatuor sunt præcipui modi, quibus Materia apta est circumscribi: primus est, per negationem: alter per potentiam & communem priuationem, tertius per Analogiam & Metaphoram, quartus, per nomina, ex varijs eius conditionibus sumpta. Dum primò consideramus quid Materia non sit, oritur circumscriptio per negationem, de qua inquit Aristoteles in calce decimi Metaphysicæ, Materiam negatione cognosci, & in septimo Metaphysicæ, cont. 8. eam circumscribens, inquit esse id, quod nec quale, nec quantum, nec aliquod cæterorum Prædicamentorum est, & considerandum quòd extrema ea sunt, quę rectè per negationem cæterorum definiuntur; extrema autem sunt, Deus, & Materia; ideò hæc duo præsertim definiuntur negatione: id tamen ita fit, vt loquendo de Deo, pateat præstantia eius, quia de eo addimus, quòd sit aliquo eminentius: nam dicimus, Deus non est Elementum, sed aliquid eminentius, non cœlum, non Angelus, sed aliquid supra hæc. De Materia verò indicamus imperfectionem, quia subintelligimus vel addimus, quòd sit aliquid humilius, dicendo quod sit infra, & potestate: sic dicimus quòd sit id vltimum, quod remanet, remotis imaginatione cunctis formis, & vt legitur quarto Physic. contex. 15. cum ex sphęra terminus & affectiones remoueantur, relinquitur nil præter Materiam.

*Modus primus per negationem.*

*Modus secūdus per cōmunem potentiam.*

Definiri potest secundò, per communem potentiam & priuationem, & tunc dicitur commune subiectum aptum fieri omnia, quòd sit medium inter non esse penitùs, & esse actu, vt asseruit Auerroes in primo Physic. 70. & 78. Quòd sit Subiectum indefinitum, aptum a forma recipere terminos. Quòd sit exemplar Diuinitatis expers, eiusque capax, vt Plato enunciauit.

*Modus tertius p Analogiam.*

Tertiò, inquit Aristoteles in primo Phys. 69. Materiam nosci per Analogiam, hoc est per similitudinem variarū rationum, quæ Analogia ex varijs peti potest: Plato in Timęo eam desumpsit ex Loco, inquiēs: quòd Materia est Locus, qui nunquam interit, & omnibus, quæ fiūt, sedem exibet: Insuper, eam sumpsit ex nutrice, ex fœmina, & ex alijs. Aristoteles in primo Physic. eam sumpsit ex Materia rerum, quę arte constāt, inquiens, Materiam esse id Subiectum, quod

per-

perinde se habet ad ea quæ natura constant, ac Materia Arte constantium, ad artificiosa: Sic analogia peti potest ex Silua, ex fece, & ex alijs similibus. Definitio autem ex Analogia deprompta dicitur tradita per Metaphoram: quia primò considera- *Modus quartus.* tur ratio, secundò Analogia, tertiò commutata proportio, quartò Metaphora. Demum circumscribitur per conditiones, affectiones, & effecta eius, & præsertim per transmutationem. Sic definitur in primo Physic. 82. quòd sit subiectum primum ex quo inexistente ea fiunt, quæ gignuntur, & in quod vltimò per interitum resoluuntur. In secundo autem Physic. 28. definitur per solum Ortum, dicendo, esse id ex quo fit aliquid, cum insit, & iure definiri potest per solum Ortum, dimittendo interitum: quia Ortus est id, quod ex se optatur à natura, non interitus. Aristoteles in quinto Metaphysicæ, contex. 4. definiens Elementum, inquit: esse id ex quo res primò *Elementū.* componitur, & est in ea indiuiduum specie, in aliam speciem. Quæ Definitio distincta ratione & primæ Materiæ, & quatuor corporeis Elementis competit, non autem soli primæ Materiæ, vt censuit Scotus, nec solis corporeis Elementis, vt putauit Card. Contraneus in lib. de Elementis. Insuper, definitur ab Aristotele in primo de Ortu & interitu 54. quòd sit commune Subiectum oppositorum, se habens vt genus. Dum tamen eam consideramus vt commune & necessarium principium generationis rerū, non recedendo ab Aristotele, ita definiendam putarem. Materia prima, est primum *Definitio* Subiectum, ex quo inexistente res Physicæ fiunt, & in quod vltimò resoluuntur Dei *propria.* Prouidentia paratum, pro æterna eorum successione, quæ numero æterna seruari nequeunt. Materia autem Cœli est Subiectum simplex, non egens forma vt actu sit, vi- *Materia* tam recipiens à separato motore, terminatum figura orbiculari, natum moueri sem- *Cœli.* per in orbem.

*Finis Primi Libri.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## De prima rerum Natura constantium Materia.

## LIBER SECVNDVS.

### *De varijs Materiæ conditionibus.* Cap. I.

*Affectiones materiæ. Porphyrius.*

DECVRSIS principalioribus capitibus eorum, quæ attinent ad quæstiones simplices Materiæ, explicanda modò se offerunt attinentia ad quæstiones compositas, de quibus vt distinctiùs agamus, referendæ sunt primò affectiones variæ eius, & conditiones. Porphyrius in lib. de occasionibus, has esse inquit affectiones Materiæ, vt sit incorporea, vitæ expers, informis, permutabilis, infinita, impotens, verum non ens, imago molis, appetitio substantiæ, stans, non in statu, & similes. Vt autem distinctiùs conditiones & affectiones eius intueamur, comparare ea debemus cum forma: cum enim inuicem referantur, & Materia noscatur per formam, per mutuam comparationem clariùs refulgent:

*Comparatio Materiæ cũ forma.*

Forma est gradus Entis supremus, Materia infimus; ea actus, hæc potentia. Forma alteri inest, aliudque sibi subijcit, Materia subijcitur & substernitur. Forma est perfectio, & terminus, Materia id quod perficitur & terminatur. Forma opponitur priuationi, Materia est media, & seruatur cum vtrisque. Forma cum sit terminus generationis variatur, Materia seruatur eadem. Forma est contraria formæ, Materia nulli est contraria, sed campus est litis, & contrarietatum. Insuper quia Forma est Actus, origo est effectionis, Materia potentiæ & perpessionis, & ob id Forma valet mouere facultatem cognoscendi, eamque formare, Materia nec mouere, nec formare valet, & propterea dicitur ignota, & sensum fugiens, cum tamen omne sensibile sit in Materia, vt dicitur in primo de Cęlo, & obiectum intellectus sit quiditas Materiata, quòd propterea euenit, quia etiam facultas, hominis cognoscens est cum corpore, & Materia iuncta. Insuper, Forma est cornu copiæ, bonum, & optabile, Materia semper est cornu inopiæ, & tanquam fœmina id optat & quærit à quo perficiatur. Forma ita est pars corporis Physici, vt aliqua ratione sit totum, dicitur enim totum id quod res est, Materia contra, ita est pars vt aliqua ratione sit nihil, nil enim propriæ naturæ rei adest, antequam adueniat forma, vt dicitur in secundo Physic. contex. 11. Hinc etiam in secundo Physic. 31. Materia dicitur pars, Forma vero compositio, & totum.

*Pars est totum.*

Insuper, Forma & actus est verè vnum, & vnius causa, vt dicitur in secundo de Anima contex. 7. Materia verò est binarium, potestate multiplex, & multitudinis origo. Præterea, Forma est finis, cuius gratia parata est Materia, Ex aduerso, Materia dicitur causa sine qua non, necessaria pro fine, ordinataque in illum. Forma est differentia contrahens, Materia verò tanquam genus quod contrahitur. Formæ non repugnat seorsùm à Materia seruari, vt patet de seiunctis formis, Materiæ autem repugnat. Formæ formosum ordinem in Vniuerso constituunt,

ſtituunt, Materia informis, expers diſtincti ordinis, ſubiacet; Cum autem materia huius ſit conditionis, iure optimo ob priuationem ei iunctam redditur origo ſenij, imbecillitatis, multitudinis, infiniti, interitus, vitij, mali, turpitudinis, monſtri, contingentiæ, caſus & fortunæ, obliuionis, & inſcitiæ, & hæc competunt Materiæ: quia cum ſit infima eorum quæ ſunt, complicata eſt cum Priuatione, & non ente, & propterea vt ex ſe eſt ens, ita eſt initium ortus, ſubiectum formæ, Natura, & pars Compoſiti; ob non eſſe verò cum ea iunctum, eſt origo ſenij, interitus, & malorum, & ob id Ariſtot. in 1. Phyſ. 81. dixit Materiam malam, turpem, & fœminam ex accidenti, non autem per ſe vt male putarunt, qui eam à Priuatione non ſecreuerunt.

*Cur materia origo imbecillitatis?*

## *An Materia ſit nata per ſe intelligi?* Cap. II.

CVM Materia ſine ſenſu ſentiri, & adulterina cognitione dicatur percipi, vt legitur in Timęo, iure de ea quæritur, an ſit apta per ſe intelligi? Et quoniam eſſe aptum per ſe intelligi cõtingit dupliciter, vel quia valeat ſuo Phantaſmate Mentem mouere, vel quia ſaltem propria notione eam valeat formare, adeò vt iudicium Mentis in eã deſinat; de vtraque notione eſt dubitatio. Qua de re tres ſunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Veteres putantes materiam primam eſſe vniuerſam rerum eſſentiam, & eſſe actu, etiã putarunt eam poſſe mouere & formare Mentem: ſed quoniam eorum ſententia à Pythagora, Platone, & Ariſtotele, iam diu exploſa eſt, ideò ea neglecta, opiniones alias perpendamus. D. Thomas putat eam nullo pacto eſſe aptam per ſe intelligi. Scotus ſe medium conſtituit, inquiens, eam non poſſe mouere ſuo Phantaſmate Mentem, ſed propria notione illam formare, in quam deſinat iudicium Mentis. Cuius Sententia varijs rationibus ab eius aſſeclis confirmatur: & primo: Quod per ſe eſt, natum eſt per ſe intelligi, Materia per ſe eſt, quare eſt nata per ſe intelligi: Minor patet ex præcedentibus. Maior oſtenditur, quia res vt ſe habent ad eſſe, ita ad cognitionem, ex 2. Metaphyſicæ. Hinc ens ſtatuitur obiectum Mentis. Præterea, quod non eſt aptum per ſe intelli-
gi, non accipitur in eorum Definitionibus quæ per ſe intelliguntur, non enim id quòd 1
eſt per ſe, pendet ex eo quod eſt ex accidenti: at Materia ſumitur in Definitionibus re- 2
rum natura conſtantium, quæ per ſe intelliguntur, igitur ea quoque eſt apta per ſe intelligi.
Inſuper, id de quo vera ſunt prædicata, nata per ſe intelligi, eſt aptum per ſe in- 3
telligi: de Materia vera ſunt hæc prædicata, quod ſit ens, ſit ſubſtantia, quę nata ſunt per ſe intelligi, quare ea quoque debet iudicari talis.
Præterea, Materia ſuo proprio no- 4
mine denotatur, definitur, attinet ad ſcientias inſpectrices, quæ ei non competerent, niſi eſſet apta per ſe intelligi.
Demùm, quod in Deo modo diuino includitur, na- 5
tum eſt per ſe intelligi, nil enim in Deo eſt, quod per ſe intelligi non ſit aptum, cum Deus ſit eminentiſſimè intelligibilis; Materia in Deo includitur, cum recedat à non gradu entis, & Deus includat vniuerſam eius quod eſt latitudinem. Et addebat Scotus in ſecundo Senten. diſtinctione duodecima Materiæ in Dei Mente, Ideam reſpondere; Idea enim vel eſt obiectum in eſſe cognito, vel ratio cognoſcendi, vel ratio per quam cætera imitari valent eſſentiam Dei in definito gradu, & quouis modo vſurpetur, ſemper competit Materiæ Idea. Confirmatur eadem ſententia auctoritate Themiſtij, aſſerentis, in primo Phyſicorum, materiam ſecreta omni forma poſſe notione prima intelligi, quamuis cum difficultate. Ex aduerſo autem ratio, auctoritas, & experientia oppoſitum nobis patefaciunt; nam quamuis conceſſerim Materiæ competere actum præſentiæ, & eius quod eſt, illum tamen non iudico eſſe talem, vt valeat propria notione formare Mentem, quod oſtendo, & quoniam ab omnibus Academicis, & Peripateticis conceditur, Materiam non eſſe

*Per ſe, intelligi, dupliciter.*
*Opiniones tres.*
*Prima veterum.*
*Secunda D. Thom.*
*3. Scoti.*
*Rationes pro opinione Scoti.*
*Scotus.*
*Themiſt.*
*Rationes pro parte aduerſa.*

aptam mouere Mentem, quia hoc est officium formæ, in eo solo versabor vt ostendã, quòd non valeat per se propria notione mentem formare, adeò vt in eam per se desi-

*Ratio 1.* nat iudicium Mentis; Et primò: quod est proprium formæ, non est tribuendum materiæ; at formare propria notione mentem est proprium formæ, quod ostendo: quia recipi in alio, terminare, & formare aliud, est proprium formæ, hinc Aristoteles in ter

*Ratio 2.* tio de Anima, contex. sexto, dixit Mentem esse locum formarum. Confirmatur, quia sicut sensus in secundo de Anima, dicitur suscipere species sine Materia, ita longè magis Mens, non Materiam, sed species dicitur recipere, cum magis à Materia abstrahat. Ideò Aristoteles in tertio de Anima 38. manifestans quomodo Anima fiat omnia, inquit, Non lapis in Anima est, sed eius forma, ideò Mens dicitur species specierum, & sensus species sensibilium, vt manus organum organorum, conspicuè Aristo. formã non materiam ait formare Mentem. Hic actus ad formam pertinens, dicitur ratio intelligendi & cognoscendi, & quidditas materiata constituitur per se obiectum Mentis. Præterea, Aristot. in contex. nono, tertij de Anima, loquens de aptis intelligi à Mente, numerat carnem, & esse carnis, compositum scilicet & formam, non autem numerat Materiam. Insuper, in tertio Physicorum cap. de infinito, infinitum dicitur secun-

3 dum se ignotum, at Materia est quoddam indefinitum, termino carens, & origo in-

4 finiti, quare ne dum ex se est ignota, verùm insuper est origo inscitiæ cæterorum. Præterea, cognoscere aliquid per se, est cognoscere quid est, quare vt res se habet ad quid est, ita putandum est se habere ad cognitionem: Materia non est pars, sed vehiculum

5 ipsius quid est, vt asseritur in calce secundi Physic. quare ea non est apta per se intelligi, sed esse vehiculum formarum, quæ per se intelligi aptæ sunt. Præterea Plato in Ti-

*Plato.* mæo & Academici omnes, inficiantur materiam per se intelligi; Platonem sequitur Aristoteles, qui nunquam dixit eam intelligi per se, sed vel esse ignotam, vel intelligi per negationem, vel per Analogiam. Græci interpretes id ipsum affirmant: & quãuis Themistius asseruerit Materiam posse appræhendi notione prima seorsùm ab omni relatione, non ob id dixit eam ita per se intelligi, vt notione propria valeat formare mentem, sed solùm quatenus per prædicata nonnulla communia, quę sunt ab vno,

*Materia Ideam non respondere.* circumscribi valet. Præterea id quod dicitur à Scoto, quòd Materiæ in Dei mente Idea propria respondeat, verum non puto: nam Ideæ nomen denotat speciem, quæ forma est. Hinc Plato magnus Idearum assertor & propugnator, & cum eo Academici omnes, non Materiæ, sed solùm formæ approbarunt Ideas, & Aristoteles quoque in 2. Physicor. 28. Ideam redegit ad formam inquiens, formam, & exemplar constituere vnum genus causæ. Et confirmatur: quia Idea est quid completum, & definitum, soli rei perfectæ & in specie constitutæ competens, qualis non est Materia. Demùm Ideæ sunt verè intelligibilia; Materia autem à Platone solùm adulterina notitia vix percipi dicitur.

## *Resolutio difficultatis, an Materia sit apta per se intelligi. Cap. III.*

*Modi quib. Materia no scitur. Per negationem. Per priora prædicata, communia, et absoluta.*

PRo exacta resolutione propositæ difficultatis, prænoscendi sunt modi, quibus Materia cognoscitur: qui hunc in modum rediguntur in ordinem. Materia cognoscitur vel per negationem, vt dicitur in decimo Metaphysicæ vigesimoquarto, vel per positionem & affirmationem, qui secundus modus vel ei competit sine relatione, vel cum relatione: si sine vel id fit per priora, vel per posteriora; per priora principia nosci non potest, cum sit simplex, & principium primum, solùm id fieri potest per prædicata communia, & absolutè dicendo quòd sit Ens vel Substantia. Si noscitur per po-

posteriora, ea vel sunt composita vel operationes; si composita, noscitur per eorum resolutionem; si fuerint operationes, Transmutatio dicitur nos ducere in notitiam Materiæ. Si verò noscitur per relationem, ea vel est pura & simplex relatio, sic materia noscitur per formam ad quam refertur: Si verò non fuerit simplex relatio, sed similitudo plurium rationum, tunc nosci dicitur per Analogiam, quæ Analogia ex varijs accipi potest, vt ex loco, ex silua, ex matre, ex fœmina, ex Protheo, & similibus præsertim tamen & aptissimè sumitur ex arte constantibus, vt patefecit Aristoteles in primo Physicorum 69. Ex his colligo varios esse modos quibus materia apta est cognosci. Insuper pro resolutione difficultatis duas profero Conclusiones. Prima est, Materia cognitione incomplexa nō est apta per se intelligi, nec ita, vt mouere valeat, nec ita, vt valeat formare Mentem, terminando actum intelligendi. Altera est, Materia cognitione complexa nedum manifestari potest per prædicata relata, verùm etiam per absoluta, dicendo quòd sit ens, & substantia, & hoc indicauit Themistius in sua digressione, vt dixi in præcedentibus. Prima assertio conspicua est per dicta in calce præcedentis cap. & eam frequenter approbauit Auerroes, & præsertim in primo Physicorum 69. in 12. Metaphysicæ, 14. & alibi, Nec difficile est rationes aduersas diluere. Dicebatur primò, Materiam esse aptam per se intelligi, cum sit per se ens. Respondeo, per se natū intelligi, duplex esse, Vel per se, hoc est, per prædicata absoluta, ei per se cōpetentia; non per aliud, & ita concedo Materiam nosci, & hoc ōstēdit ratio, Vel per se, quia valeat formare mentem, & esse per se terminum actus intelligendi, & ita nego Materiam per se intelligi. At addebatur, vt res se habet ad esse, ita ad cognitionē. Concedo: Materia est ens absolutum & per se, ideo per prædicata absoluta cognoscitur, at non est ens qui sit actus formalis, ideò non potest nosci eo cognitionis genere, qui huiusmodi actui congruit, est ens cui repugnat existere seorsùm ab actu & forma, ideò ei repugnat ita nosci. Dicebatur secundò, quod non est aptum per se intelligi, non accipitur in eorum definitione, quæ per se intelligi apta sunt. Respondeo, in eis non accipi vt principale & primò declarans, sed vt iunctum cum eo; ideò inquit Arist. in secūdo Physicorum conte.vlti. Materiam accipi in Definitione, tanquam vehiculum Definitionis. Addebatur, materiam suo nomine denotari, definiri, ingredi scientias. Respondeo, hæc ei competere modo illi consentaneo & iam explicato. Præterea, etiam inane, & infinitum denotantur nomine, definiuntur, & considerantur in scientijs, cum tamen non sint. Insuper dicebatur: omne, quod includitur in Dei mente, est aptum per se intelligi. Respondeo, esse aptum per se intelligi, vt in ea includitur, in ea autem sunt Materiata sine Materia, Contraria sine Oppositione, Mortalia modo Diuino, inchoata cum perfectione, & demùm secundum eminentiam, non autem in Dei Mente locum habet distincta Materiæ Idea, vt patefeci. At dicet aliquis, cum Materia noscatur per prædicata absoluta, & ea sint apta per se intelligi, est necesse, vt etiam Materia sit apta intelligi per se. Respondeo, ea prædicata absoluta, non sunt vniuoca, & ob id non sunt natura vna in cunctis eadem, sed sunt ab vno, quorum conditio propria in cunctis est varia, & in talibus primò appræhendimus principale, & per illud cum quadam translatione cognoscimus alia, & propterea nec Ens, nec Substantia sunt toto genere nata per se intelligi, & cognitioni absolutæ materiæ semper antecedit cognitio aliqua cum relatione, ob quam dicitur nosci per aliud.

*Per posteriora composita.*
*Per transmutationē.*
*Per resolutionem.*
*Per Analogiam.*
*Conclus. 1.* 2
*Diluuntur rationes aduersæ.*
*Solutio 1.*
*Solut. 2.*
*Solutio aliorum.*

## *De Materia per absolutam Dei potentiam valeat seruari seorsùm à Forma? Cap. IIII.*

*Non est dubitatio per Aristo. an ma seruar i ri valeat si ne forma.* VT distinctè percipiamus attinentia ad propositam difficultatem, prę no
scendum est, hac re ex Sententia Arist. nullam esse dubitationem: ip-
se enim solùm nouit modum operandi Dei per intermedias secundas
causas,& per naturam, de quo omnes consentiunt, non posse materiã
seorsùm à forma existere,& seruari:non autem nouit modum alterum
operandi absolutum,de quo rectè Theologi inquiunt,quæ potest facere Deus per cau
*De quo sit dubitatio.* sas secundas,potest & sine eis, & de hoc est dubitatio. Insuper,dum hoc quæritur,
præsupponitur Deus immensi roboris, & cum valeat efficere omnia quæ sub poten-
tiam cadunt,de hoc tantum est dubitatio, an dicere Materiam seruari seorsum à for-
ma includat contradictionem,nec ne? nã si includit contradictionẽ,non cadit sub po
tentiam:Si verò eam non includit, inferendum erit per absolutam Dei potentiam id
posse fieri,& de hoc solùm, per principia Peripatetica disputare valemus, an includat
contradictionem,vel ne? Qua de re duæ sunt opiniones,D. Tho. existimat id include-
*D.Thomas.* re contradictionem:Scotus verò ob actum entitatiuum quẽ ei tribuit,id renuit,& ob
*Scotus.* id asserit per absolutã Dei potẽtiam posse seruari seorsum à forma. Pro qua opinione
*Ratio 1.* variæ & hæ præsertim possunt afferri rationes. Et primò: Magis pẽdent accidentia ex
Substantia & suo Subiecto,quàm materia ex forma;sed ea in Sacramento Altaris ser
uantur sine Subiecto,quare & Materia sine forma.Accidentia magis pendent,quia ac
2 cidentis esse est alteri inhærere,tũ insuper,quia sunt posteriora Substantia.Confirma-
tur:quia absolutum distinctum & prius alio, potest sine controuersia seruari seorsùm
3 ab eo; materia comparata cum forma est huiusmodi; Insuper,quodcunq; Deus effi-
cit per intermedias causas secundas, potest efficere sine eis, dum non sunt essentia il-
4 lius; at forma est causa secunda,quæ non est essentia Materiæ,quare &c.Prętereà,ab-
lata forma à Materia,cui altera non succedat,vel Materia iuterit,vel seruatur,non est
dicendũ qđ intereat,quia est æterna,& pręsertim,quia si interiret, vel transiret in ni-
hil,vel in aliquid,non in aliquid,quia est simplex,si in nihil, hoc fieri non potest ꝑ na-
turam,sed solùm per absolutam Dei potentiam, & nos supponimus Deũ velle serua-
5 re Materiã:si alterum eligis,id est qđ volumus.Prætereà,quod Deus sine medio valet
creare,etiam sine medio valet seruare, sine intermedia forma creauit materiã, quare
6 sine ea valet illam seruare.Insuper,quæcunq; ex accidenti connectuntur valent secer-
ni;Materia & forma nectũtur ex accidẽti,qđ ostẽdo: nam q̃ sibi exposcunt genus ali-
quod,etiam exposcunt speciem & definitum indiuiduum, at Materia nullam sibi defi
nitã formã exposcit,quare nec formã.Qđ.n.contingenter se habet ad singularia, con-
*Scotus.* tingenter ẽt se hẽt ad speciẽ,& genus eorũ, his vel similib.rationib.Scotus in 2. Sent.
d.12.q.2.asserit,ꝑ absolutã Dei potentiã posse materiam seruari sine forma;Eiusdem
*Philopon.* opinionis visus est fuisse Philoponus,qui exponens cont.51.primi Physic.inquit,Quã-
quã Materia nunquam sit sine forma,tñ ea est natura prior,nam Materia sublata, au-
fertur forma,non vice versa, valemus.n.cogitatione secernere formas à Materia & in-
telligere eã subsistere cũ nõ egeat Subiecto vt sit, forma aũt neq; cogitatione põt ꝑ se
subsistere,& esse sine materia:& si particulares res Deus produxit,constat, qđ tunc p̃-
*Alexãder.* existebat Subiectũ.Idipsum quoq; videtur asserere Ale.in j.de Aĩa c.2. Ex aduerso tñ
*Sententia aduersa.* actus p̃sentię materię,nõ videtur tãti momẽti;vt ob illũ materię nõ aduersetur serua-
ri sine forma,& qđ id cõtrouersiã includat,oñdo,& primò,seruari seorsùm ab altero,
*Ratio 1.* est illud actu existere sine altero,actu aũt existere est munus formę, & ĩcludit formalẽ
*Instantia.* actũ.Propterea Auer.2.Phy.12.& 3.Cęli 29.dixit,Si Materia existeret sine forma, qđ
*Solutio.* nõ est actu,esset actu, Est instãtia de Cęlo,qđ est corpus simplex,& subsistẽs.Soluitur,
q̃a cęli Materia varia est,nã est Materia actu, proportione rñdens Elemẽtis cõpositis,

in

in Cœlo enim inueniuntur iuncta, quæ in mortalibus sunt seiuncta. Præterea, si Ma- Ratio 2.
teria existeret seorsùm à forma, ea esset natura aliqua absoluta & completa definitæ
speciei, & non esset: esset quidem, quia quæ in vniuerso subsistunt, sunt Indiuidua
alicuius speciei: at Materia cum sit potestate, est solùm inchoatio quædam, & non
est quid, nec quale, nec quantum, cum tamen omne quod in vniuerso est aptum seor-
sum existere, aliquid eorum sit. Præterea, tunc Materia esset, & nō esset Materia: esset
quidem per asserentes eā seruari: non esset aūt, quia vt inquit Auer. in 8. Phys. cōt. 4. si 3
materia esset immunis ab omni forma, non posset esse Subiectū motus & mutationis,
quod est proprium Materię, nam potentia proxima per antecedentem formam cōsti-
tuitur. Præterea, vtor ratione Arist. in primo de Ortu & interitu 27. Si Materia reperi 4
retur seorsùm à forma, ea esset in loco, & nō esset: non esset, quia mole careret: esset au
tem, quia quod generatur ex ea, in loco est. Insuper, ea esset extensa, & non extensa: es 5
set extensa, quia vt legitur in 4. Phys. 15. Materia est effusio & extensio quędam, distin
cta à magnitudine, quæ superficie & terminis circumscribitur. & est tanquā inane qd
dam, vt elicitur ex eodem 4. Phys. 79. & 81. Ex aduerso non esset extensa: quia non es
set quanta, & ita daretur interuallum, sine interuallo, dimensio, sine dimensione, tan-
quam separabile vacuum: ideò inquit Arist. in primo de Ortu & interitu 39. illud aūt,
cuius hæc sunt extrema, materia est, quæ sine affectione non valet existere, neque sine
forma. Et re vera imaginari nō valeo, quid nā esset hæc Materia seorsùm à forma, & Conclusio.
quomodo existeret. Hinc inter miracula Dei nunquam hoc legitur, vt Materiam sine
forma seruauerit: Quæ sit tamen absoluta veritas, Deus scit, cui me subijcio.

## *Diluuntur aduersæ rationes.* Cap. V.

RATIONES, quibus ostendebatur Materiam posse sine forma seruari, facile diluuntur. Dicebatur primò, Accidentia magis pendere ex substantia. *Solutio primæ rōnis.* Respondeo, ea magis pendere secundum esse absolutè, at non secundum actum existendi, qui est proprius formæ. Insuper, accidentia pendent ex substantia in genere materiæ, non formæ, Deus potest supplere sua potentia munera Materiæ, at non formæ, cum hoc fieri nequeat sine controuersia. At addebatur, quòd accidentis esse est alteri inhærere. Respondeo, debere inhærere alteri quo necessario eget, nisi aliud eminentiori virtute suppleat attinentia ad id, seruando accidentia sine Subiecto, quibus per se competit, vt sint apta alteri inhęrere. Addebatur absolutum & prius posse sine altero seruari, quod non attinet ad essentiam eius. Respondeo, materiam considerari posse & secundum esse absolutè, & secundum actum existendi, prima consideratione est prior, altera est posterior forma, *Diluitur 2.* ideò non eget forma vt sit, sed vt actu existat. His addo non semper vnum absolutum & modo aliquo prius, posse seruari sine alio, nam animal sine aliqua eius specie, & species sine aliquo indiuiduo seruari non potest: & vt repugnat dari genus sine aliqua specie, ita repugnat actu existere Materiam, quæ dicitur genus, sine forma quę est eius species. Addebatur ablata forma à Materia cui altera non succedat, vel Materia seruatur, vel ne. Respondeo, hanc rationem petere in principio: nam hoc est id, de quo est dubitatio, an possit forma aboleri, cui altera non succedat? *Solutio 3.* At dices, forma per Dei potentiam potest in nihilum redigi, vt ex nihilo potest creari. Respondeo redigere formam in nihilum, est vna quoque in nihilum redigere Materiam eius, quod diuinæ potentiæ non aduersatur, vt enim concreata fuit materia cum forma, ita vnà in nihilū redigi potest. Addebatur id quod Deus sine medio valet creare, etiā sine medio valet seruare. Respondeo, sine medio Deus constituit esse Materiæ, at per mediam formam ei tribuit, vt actu existat in vniuerso. *Solutio 4.* Dicebatur, Materiam cum forma ex accidenti nectti. Rñdeo, in rōne includi deceptionē à seiūctis ad coniuncta, non. n. sequitur, Locus 5

potest esse sine hoc definito corpore,& sine illo,igitur absolutè sine corpore;nam Materiam exposcere formam contingit dupliciter: vel definitè, vel indefinitè sumptam, non exposcit formam definitè sumptam, sed indefinitè, veluti etiam species vt sit in Vniuerso; non exposcit aliquod definitum particulare,cum tamē particulare aliquod exposcat indefinitè sumptum. Afferebatur sententia Philop. quam ego missam facio; quia multa dicit de prima Materia,& præsertim in disputationibus contra Proclum; quæ ego valdè dubia iudico, ne dicam falsa.

## *An Materia sit vna? Rationes pro vtranque parte, Cap. VI.*

DVM principale latet,ea quoque obscura sunt, quæ cum eo nectuntur: Quæri de Materia solet,an sit vna,vel multiplex?& si est vna, quomodo sit vna? Dubitatio est de materia prima rerum natura cōstantium. Qua de re opiniones variæ sunt,nōnulli enim eas putant innumeras,alij vnā, nonnulli plures vna. Innumeras eas dixere Democritus, Leucippus, &
*Opinio Democriti & Anaxagoræ.* Epicurus,qui Materiam putarūt innumeras Athomos. Similiter Anaxagoras,qui Materiam dixit innumera mixta similium partium, in Chao confusè inclusa, plures & finitas existimauit. Empedocles, qui quatuor corporea Elementa dixit Materiam rerū.
*Opinio Empedoclis.* Similiter Parmenides constituens ignem & Terram, vnā asseruere. Hesiodus, qui Terram; Thales,qui Aquam; Diogenes qui Aerem;Heraclitus,qui Ignem;Anaximāder qui intermedium quoddam asseruit esse Materiam. *Opinio 3.* Sed quoniam horum Sententiæ iam sunt explosæ,quid senserit Arist.perquiramus. Philosophi, qui Aristotelē præcesserunt,materiam Cœli ab ea mortalium non secreuerunt,Arist.fuit primus qui referente Porphyrio in lib. de abstinentia ab esu carnium, eam existimauit distinctam, nunc autem sermo est de Materia mortalium,quæ primo intuitu videtur non vna,sed
*Dubitatio prima materia mortalium an sit vna.* multiplex: Primò,quia Materia refertur ad formam,& alterius formæ altera est Materia,vt dicitur in secundo Phys.26.at formæ sunt multæ,quare etiam Materiæ. Prętereà,ad mouendum & agendum non satis est vnum,sed pro variarum rerum ortu plura requiruntur efficientia:quare neque ad patiendum satis est vnum. Deducitur con-
*Quod non, ratio prima* sequutio,tum quia inuicem referuntur,tum insuper,quia agens agit in contrarium,& patitur à contrario,vni autem vnum est contrarium. Prætereà,si Materia esset vna nu-
*Secunda.* mero,cuncta quæ ex ea fierent,essent vnum numero:deducitur consequutio per Ari-
*Tertia.* stotelem in 5.Metaphysicæ,12.dicentem,vnum numero id esse,cuius Materia est vna.
*Quarta.* Insuper vnum non est origo multitudinis, Materia est origo multitudinis indiuiduorum, quare non est vna numero. Maior patet, quia quod pendet ex vno, vt vnum est,etiam dicitur esse vnum. Minor est Arist.12.Metaphysicæ,49.& primo Cœli,91. di-
*Quinta.* centis,omnia cum Materia iuncta,vel esse plura,vel esse apta multiplicari. Confirmatur,quia vnum numero non potest in multis reperiri,Materia reperitur in multis, nedum numero, sed etiam specie,& genere distinctis, materia enim est principium om-
*Sexta.* nium decem Prædicamentorum, vt asseritur in 12. Metaphysicæ. Prætereà, si omniū esset eadem Materia,tunc ex quouis posset fieri quoduis, quod falsum asserit Arist.in primo Phys.disputans contra Anaxagoram. His & similibus rationibus posset aliquis
*Rationes quod vna sit* suspicari,materiam non esse vnam. Ex aduerso Arist.in primo Phys.50.Materiam asserit vnam,inquiens,ad patiendum satis esse vnum,& si duæ essent primæ materiæ,duæ essent primæ contrarietates,quod est absurdū. Prætereà, in primo de Ortu & interitu
1 43.inquit,hoc rectè dixit Diogenes,nisi ex vno essent omnia,non inuicem agerent &
2 paterentur. Prætereà, quæ inuicem permutantur, prædita sunt communi Subiecto,
3 mortalia inuicem permutantur, quare commi Subiecto prædita sunt. Maior patet:

quia

quia pro permutatione requiritur Subiectum aliquod manens idem sub vtroque termino. Insuper si Materię mortalium essent multæ, vel essent subordinatæ, vel distinctę 4
penitùs: si subordinatæ, omnis ordo exposcit vnum primum: Si distinctę penitùs, nulla earum essent absolutè prima, sed solùm in aliquo genere. Confirmatur: quia omnis 5
distinctio est per actum, & formam, Materia autem potestas est. Præterea, si primę Materiæ essent plures, vel cuncta ex quauis earum gigni possent, vel quædam ex vna, alia 6
ex altera fierent; si primum, tunc altera erit redundans; si alterum eligis, nulla earum erit commune principium. Insuper, vt se habet de prima contrarietate attinente ad 7
Materiam, ita de Materia se habere putandum est, omnis enim prima contrarietas Subiectum vnum exposcit; contrarietas prima, in quam cæteræ rediguntur, vnica est, forma & priuatio: quare etiam prima Materia iudicanda est vna. Demùm, vt se habet 8
de primo agēte, ita de primo patiente putandum est se habere: primū agens est vnum, in quo cuncta dicuntur includi actu, hoc est virtute producendi, quare similiter primum patiens statui debet vnum, in quo cuncta sint potestate: ideò Stoici & Manichęi hæc duo dixere prima principia rerum, Materiam, & Deum.

## *Resolutio difficultatis per varias Distinctiones, & Conclusiones.* Cap. VII.

DVM quæritur, an Materia prima mortalium natura constātium sit vna? prænoscendū, quod Vnum multipliciter vsurpatur. Nam primò datur Vnū numero, specie, genere, & Analogia, vt legitur in 5. Metaphysicę. *Vnum multipliciter.* Insuper Vnum numero etiam est multiplex, & pręsertim triplex. Primò per negationem, quia non sit numero multiplicatum. Secundò per priuationem, quia sit priuatum distinctione secundum numerum. Tertiò, per affirmationem, & hoc est duplex, vel per denominationem, quod competit composito, vt Cęsar est vnus numero, vel vt vnum contra distinguitur à quauis multiplicatione & distinctione, & hoc est duplex, vel actu, vt forma, vel potestate, vt ait Auer. 12. Metaphysicæ cont. 11. His præassumptis, vniuersam difficultatem septem Conclusionibus dissoluendam puto. *Vnum numero multiplex.* Prima est, si consideratur Vnum numero actu & per denominationem, materia nec vna, nec multiplex est, ita enim vnum est compositum, quod per formam est numero & actu vnū. Hæc assertio est Arist. in primo Phys. 69. dicentis, Materia non ita vnum Principium est, nec ita ens, vt hoc aliquid, nempè compositum. *Septem Cōclusiones. Prima.* Secunda assertio est, si Materia consideratur prima notione, per prędicata absoluta & per ea, 
quę illi competunt seorsum à relatione, Materia est Vna per affirmationem, & per se, 2
Sumendo vnum vt conuertitur cum Ente. Hęc assertio conspicua est per dicta sub initio quarti Metaphysicæ, nam Materia cum per se sit ens, & substantia, per se quoque Vna iudicari debet. Tertia assertio, si materia consideratur cum relatione ad decem 3
Prædicamenta, quia nil eorum est, etiam est vna per negationem, quatenus est expers multitudinis & varietatis pendentis ex formis decem Prædicamentorū. Quarta assertio, si Materia consideratur cum relatione, & cum communi priuatione & potētia, ea 4
est vna per priuationem quatenus est priuata varietate formarum, quas apta est recipere: & hæc est illa Vnitas, similis vnitati generis, vt dixit Arist. secundo Metaphysicę, cont. 7. ita. n. potentia tanquam genus, refertur ad genus materiatarum formarum.
Quinta assertio est, si Materia consideratur extrinsecùs cum superadditis relationibus, 5
tot sunt Materiæ, quot formæ ad quas refertur: & quia primò refertur ad quatuor formas Elementorum, ideò Arist. 3. Cęli 37. dixit, quadruplicem esse Materiam primam. Et in primo de Ortu & interitu, cont. 29. asseruit, Materiam esse numero vnam, ratione non eandem. Sexta assertio, dum Materia consideratur vt formarum varietate or- 6
nata,

nata,ita totuplex est, quotuplices sunt formæ quibus distinctè formatur.Hinc Aristo-
teles in 2.Physic.26.dixit alterius formæ alteram esse materiam, adeò vt hac conside-
ratione Materia ex se vna sit; ex accidenti verò,hoc est per formas, sit multiplex.Po-
7 strema assertio est,Materiam omnem esse vnam secundum Analogiam,adeò vt Cęli,
Mortalium,& Arte cōstantium Materia,sit eadem secundum Analogiam,& propte-
reà Aristo.in 1.Physi.69.asseruit,Materiam nosci per Analogiam. At cum Materia va-
rijs modis apparuerit Vna,iure quæritur,num eius Vnitas sit aliquid solùm in Anima,
vel etiam extra Animā? Auer.12.Metaph.14.& cum eo Zimara asseruit solùm reperiri
in Anima, secùs ac se habeat de genere, cuius Vnitas secundum affirmationem extrà
Animam in speciebus reperitur. Verùm cum apparuerit Materiam modis varijs esse
vnam, dum quæritur,qualis sit eius Vnitas,interrogatio non vna est,sed multiplex,&
distinctione est vtendum.Nam si loquimur de Vnitate,quæ conuertitur cum ente, &
de multitudine externa, ex potentijs & formis prodeunte, ita est aliquid extra ani-
mam, vt conspicuum est. At dum loquimur de Vnitate per priuationem,& negatio-
nem,quoniam ei solùm competit vt per Animam confertur cum alio, quod vel non
habet, vel eo caret,ita solùm in anima reperitur,ita tamen,vt non repugnet naturæ &
conditioni eius.

*Qualis sit vnitas Materiæ.*

*Auerroes.*

*Sententia propria.*

## *Diluuntur rationes aduersæ.* *Cap. VIII.*

*Diluitur prima ratio*

ELVCIDATA veritate, facile est,rationes aduersas diluere. Instaba-
tur primò:Formæ ad quas Materia refertur sunt multæ,& alterius for-
mæ altera est Materia:quare Materię multæ sunt.Respondeo, Materiæ
proximæ multæ sunt,Materia autem prima est vna pro absoluto,& fun
damento,multiplex extrinsecùs,& ratione,vt patefeci. Addebatur ad
agendum non satis esse vnum.Respondeo,agens primum esse vnum, proximum verò
2 multiplex,vt etiam Materia.Insuper agens respondet potentiæ Materiæ, quæ multi-
plex est,ideò proxima agentia sunt multa. His accedit, quod maior competit distin-
ctio agenti:quia est forma, & actus,quam patienti.Inferebatur,si materia esset vna nu
3 mero,omnia essent vnum numero. Respondeo, non sequi quia dum dicimus Vnum
numero id esse,cuius materia est vna. Denotatur materia proxima prædita accidenti-
4.&5. bus propriis indiuiduorum,quorum collectio in alio eadem non reperitur. Addeba-
tur vnum numero,non esse originem multitudinis, nec posse in multis numero distin-
ctis reperiri.Dicendum cum Auerroe duodecimo Metaphysicæ,com.decimoquarto,
id esse verum de vno numero actu,non de eo quod potestate est, & est vnum per ne-
gationem & priuationem,quod etiam valet esse origo multitudinis, ob multiplicem
facultatem,ad varias formas.Inferebatur,ita ex quouis, posset fieri quoduis. Respon-
6 deo,id contingere non proximè,sed è longinquo,non per vnam, sed per multas trans
mutationes. Ex declaratis colligo primò, materiam esse vnam, Materiam esse mul-
tiplicem, & eam nec vnam nec multiplicem esse.Colligo secundò, Materiam esse vnā
genere, vt asserit Aristoteles secundo Metaphysicæ cont. septimo, quod verum, est,
quatenus materia est simillima generi, differt tamen à genere, vt declarauit Alexan-
der,secundo naturalium quæst. capit.vigesimosexto,& cum eo Auerroes duodecimo
Metaphysicæ,duodecimoquarto.Colligo tertiò,materiam non vno,sed multis modis
posse dici vnam numero.

*Quæ colligantur ex dictis.*

An

## *An Materia sit bona vel mala?* Cap. IX.

CVM materia ex se sit ens,& substantia,iure de ea quæritur,an sit bona, vel mala,formosa,vel deformis? Plotinus vnà cum Stoicis & Manicheis asseruit materiam esse eãdem cum priuatione,& ex se malam.Ideò asse ruerunt relati Philosophi duo esse prima rerum principia, tanquã duos exercituum duces.Deum & materiam, bonum,& malum, ex quorum mutua pugna variæ prodirent victoriæ,& superante Deo effunderentur bona,vincen te materia,affluerent mala,quam pugnam dixere Mundo coqua,de qua loquitur Phi loponus in disp.contra Proclum,Simplicius in epictetum cap. 32.D.Thomas 3.con tra Gent.c.15.Auerroes 3.disp.contra Alga. in fol.12.dubij. Quæ sententia partim falsa, partim vera est:falsa quidem, tum quia materia ex Deo pendet , non autem est principium absolutè primum,contradistinctum à Deo,tum insuper quia ea non est ip sum malum,sed ex accidenti mala est,nempè ob adnexam priuationem,tum demum, quia materia vt ex accidenti est mala,ita etiam ex accidenti est causa malorum.Vera autem quatenus mala prodeunt ex imbecillitate materiæ & ex permixtione eius cũ non Ente,siue cum priuatione,& inde prodeunt monstra,imbecillitates,senium,inte ritus, & similia.Cum enim non valeat exactè accipere ordinem , prodeuntem ex supe ris principijs, est origo inordinationis,& mali. Propterea pro resolutione propositæ difficultatis an materia sit bona vel mala,accipiẽdũ est bonum esse quadruplex,Meta physicum,Physicum,Morale,& Diuinũ.Materia non est bona bono diuino,huiusmo di enim est Fides, Spes, & Charitas. Non bono morali, id enim vel virtus est, vel ex ea prodit. Si loquimur de bono Physico, huiusmodi est forma , & perfectio composi torum per naturam,de quo bono loquendo,Forma est principale bonũ,& est bonum secundum formã,materia est bona ex accidenti,quatenus est prædita forma,ex se au tem nec bona est secundum formam,nec mala,est tamen bona secundariò,quia vtilis est & necessaria pro constitutione compositi.Demùm si loquimur de bono Metaphy sico,quod reciprocatur cum eo quod est,quia materia ex se est ens,& substantia ex se etiam bona est, & vt est infima in ordine eorum quæ sunt,ita est infima in ordine bo norum.Verùm instabit aliquis;Omne includens conditionem boni, includit condi tionem finis;materia non includit conditionem finis,quia finis est forma,vt dicitur in secundo Physicorum;quare nec boni.Respondeo,finem esse duplicem;vnum princi palem,& huiusmodi est forma;alterum non principalem,sed ordinatum in principa lem,& huiusmodi sunt requisita pro fine , quæ optantur pro fine principali , & omne quod optatur , quatenus optatur , obtinet conditionem finis, & id quod optatur ob aliud,includit conditionem eius boni,quod vtile dicitur.Et progrediendo per notio nes materæ , dicendum est , materiam in prima notione consideratam per prædicata absoluta,esse per se bonam,vt bonum reciprocatur cum ente:Consideratam cũ nega tione decem Prædicamentorum,non esse bonam secundum formam: Consideratam tertiò,cum priuatione,esse malam ex accidenti,nempè ob priuationem:Demùm con sideratam cum forma,esse bonam ex accidenti,ex se verò esse vtilem & necessariam. Et quoniam materia partim est ens , partim non ens , ob priuationem , vt est ens , est causa boni , & constitutionis compositorum : vt verò non ens,est ori go detrimenti & malorum , quæ tamen mala per Dei proui dentiam diriguntur in bonum , veluti interitus in ortum rerum.Ex his quoque patet,quo modo materia iudicari de beat formosa,& deformis.

*Plotinus. Sententia Manichæorum.*

*Quomodo falsa.*

*Quomodo vera.*

*Resolutio. Bonum qua druplex.*

*Instantia.*

*Solutio.*

*Considerantur notiones variæ.*

## *An Materia formam appetat?* Cap. X.

ASSERITVR in primo Physic.8 1. Materiam appetere formam, vt tur-
pe pulchrum, & fœmina marem. Quæ Sentētia cum sit dubia, discutien-
*Quod non appetat. Ratio 1.* da proponitur. Videtur materiam non posse appetere formā. Primò,
quia non cognoscit, inquit autem Aristoteles in 3. de Anima, Plantas
non appetere, quia non cognoscunt. Præterea, asseritur in eodem 3. de
2 Anima, appetitum esse quendam motum appetentis, materia non mouetur tendēdo
in aliud, cum sit omninò potestate. Tertiò, vel eam appetit quam habet, vel qua caret:
3 non quam habet, quia ea non eget, non qua caret, quia non est, & non cognoscitur à
materia. Insuper, vel cunctas æquè appetit, ac ita vel omnes simul, vel nullam recipiet,
4 vel vnam appetit magis quàm alteram, at non apparet quam magis appetere debeat,
& præsertim quia est immunis ab omni dispositione. Demùm, si materia formam ap-
5 petit, vel eam appetit per se, vel ex accidenti: non per se, quia in prima notione dum
consideratur seorsùm à priuatione, eam non appetit, sed solùm eam appetit vt priua-
ta: si ex accidenti, hoc aduersatur Aristoteli in primo Physic.8 1. Insuper, tūc esset prin-
*Quod formam appetat.* cipium generationis ex accidenti. Ex aduerso Aristoteles in primo Physic.8 1. ait mate-
riam appetere formam, idque ostendit: nam in transmutatione naturali, per quam for-
ma acquiritur, debet aliquid intrinsecùs reperiri, quod formam appetat, id autem vel
est priuatio, vel forma, vel materia; non priuatio, quia opponitur formæ, & euertitur
per formam, & nil secundum se optat sui interitum: non forma, quia appetitus expo-
scit indigentiam, forma autem non eget seipsa, quare materia ea est, quę sui conditio-
*Resolutio.* ne formam optat. Et pro resolutione difficultatis præaccipio appetitum esse multipli-
cem, & singulis rerum gradibus gradum proprium appetitionis competere. Vt tamen
ad rem facit, appetitus est duplex, vnus sequens proximè cognitionem, alter ex cogni-
*Appetitus duplex.* tione non prodiens; primus dicitur animarius, alter Physicus; primus materia non cō-
petit, loquendo autem de Physico, hic est duplex, vel enim sequitur formam, & dici-
tur ὁρμή, siue propensio, quo appetitu, grauia appetunt locum inferum, leuia superum
vel non sequitur formam, sed conditionem & naturam rei ordinatæ in aliquem finē,
quo appetitu materia formam appetit, quatenus sui conditione in eam dirigitur, vt in
*Auicenna.* finē & optimè parata est pro ea facilisque est ad illam recipiendam. Auicenna, & cū
eo nonnulli, negarunt materiam appetere formam, & dixerunt, eam solùm ordinata
esse in formam, & aptam eam recipere: verùm ij verba mutarunt more Stoicorum,
non sententiam, ordo enim ille & promptitudo pro recipienda forma, siue facilitas, ea
*Appetitus materiæ est duplex.* est quæ nomine appetitus latè sumpti denotatur. Insuper considerandum, quòd appe-
titus materiæ duplex est, vel materiæ communis & primæ, vel proximę, primus absolu-
tè sequitur conditionem communis materię, vt dixi: alter verò sequitur formam ante-
cedentem & dispositionem pro subsequente veluti menstrua appetunt formam fętus,
& lignum aridum ignis. Ex quo elicio conspicuè nonnullos decipi, qui distinctione nō
*Error quorundam.* vtentes, absolutè aiunt appetitum materię prodire ex forma antecedente, nam id so-
lùm est verum de appetitu proximæ materiæ. Demùm, animaduertendum, ꝙ quam-
uis proximè non omnis appetitus sequatur cognitionem absolutè, tamen appetitus
omnis eam præsupponit, nisi proximè & sine medio, saltē è longinquo, & per media:
nam appetitus Physicus præsupponit eminentissimam Dei cognitionem, cuius subli-
*Materia arte constantium nō appetit formā eorum.* mi Prouidentia cuncta in suum proprium & proximum finem diriguntur, & per illū
in postremum. Hic appetitus formarum competit materiæ Physicorum corporū, non
autem materiæ eorum quæ arte constant, & inde oritur, quòd generatio Physicorum
dicitur secundum naturam, ea verò arte constantium, violenta, vt rectè considerauit
*Quid sit appetitus materiæ.* Auerroes, decimo Metaphy.com. 1. & 11. Verùm adhuc quæret aliquis, hic appetitus
materiæ quid nam est, & vnde prodit? Respondeo, appetitus materiæ non est pro-
priè

priè motus, ſed facilitas & promptitudo, vt per transſmutationem ab efficiente educa
tur forma & conſtituatur compoſitum, ſequens propriam conditionem materię; hic
appetitus apprimè eſt iunctus cum naturali potentia materiæ, adeò vt ab ea ſola ratio
ne diſtinguatur, nam quatenus materia includit naturalem poteſtatem ad formam, di
citur eam appetere, propria ratio potentiæ antecedit, quoniam materia propterea di-
citur appetere, quia per naturam ſuam eſt poteſtate ad eã formã, non autem contra.
Hic appetitus dicitur oriri ex priuatione, non quia priuatio ſit cauſa principalis appe-
titum producens, non enim abſentia producit per ſe aliquid, ſed quia eſt conditio ne-
ceſſariò requiſita in appetente: ex ſe autem ſequitur conditionem propriam materiæ
tamquam affectio eius. At quæritur adhuc, cum omnia quærant bonum, & dirigantur *Num pri-*
in bonum, num priuatio etiam bonum quærat? Ariſtoteles in primo Phyſicorum 80. *uatio bonũ*
priuationem aſſerit maleficam, & cont. 81. negat eam appetere formam, alioquin ap- *optet.*
peteret ſui interitum. Reſpondeo, Ens omne vt ens, optare bonum, priuatio ex ſe non *Solutio.*
eſt ens, ideo ex ſe non optat bonum, ſed eſt malefica, quia eſt interitus, & non eſſe
eius cuius eſt priuatio, & cum ſit ens ex accidenti, nempè ob materiam, quam conſi-
gnificat, ita ex accidenti & ob materiam appetit formam, & bonum, non eſt autem
abſurdum, aliquid optare ſui interitum ex accidenti.

## *Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur materiam non appetere formam. Cap. XI.*

SPLENDORE elucidatæ veritatis, conſpicuè redduntur ſolutiones
aduerſarum rationum. Inſtabatur primò, cum materia non cogno-
ſcat, non poteſt appetere. Solutio iam patet, non enim appetit ap- *Solutio pri*
petitu animario, ſed Phyſico. Addebatur ſecundò, appetitum eſſe *ma inſtãtia*
motum. Reſpondeo id eſſe verum de appetitu animario, & de illo *Solutio 2.*
ſententiam eam profert Ariſtoteles in tertio de Anima: quid autem ſit appetitus
materiæ, iam patefeci. Inſtabatur tertiò, quia materia vel appetit formã quam habet,
vel qua caret. Reſpondeo appetere vtramque, nam appetit pro facultate ſeruare eam *Solutio 3.*
quam habet, & apetit perfici ab ea, quam non habet, cum ad eam recipiendam ſui
natura apta ſit. Sed dicet aliquis: cum materia ſit ordinata pro cõpoſito cuius eſt prin *Dubitatio.*
cipium, potiùs compoſitum, quàm formam videtur optare. Reſpondeo, eam appetere *Solutio.*
formam vt finem, cuius gratia, compoſitum verò vt finem cui. inſuper dicitur appete
re formam, quia ex ea pendet perfectio compoſiti, & præter materiam in compoſito
ſola forma reperitur, quæ dicatur poſſe appeti à materia. Inſtabatur deinde: quia, ma
teria vel cunctas formas æquè appetit, vel vnam magis quàm alteram. Reſpondeo ma *Solutio 4.*
teriam proximam non æquè ſe habere ad formas oppoſitas, ſed proximè eam formam
optare, pro qua eſt parata: Materiam verò primam & communem, eas ęquè, & non
æquè reſpicere: non æquè ſecundũ inſtitutum naturæ, quæ præſertim optat id quod
eſt melius: æquè autem ſecundum conditionem & conſtitutionem materiæ, quę non
magis pro vna, quàm pro altera eſt parata & ordine facilitatis frequenter facilius reci
pit viliorem, & hoc intelligi debet de formis eiuſdem gradus: nam formas diſtinctorũ
graduum, vt ordinatæ ſunt, ita appetuntur, primò enim appetuntur formæ Elemento
rum, mox cęterorum ſequentium. Demùm inſtabatur, quia ſi materia formã appetit,
vel eam appetit ſecundum ſe, vel ex accidenti, Ariſtoteles hac de re non videtur ſibi *Solutio 5.*
conſtare: nam in cont. 81. primi Phyſic. t. ait, materiam ſui natura appetere formam; *Controuer-*
mox inquit, quod eam appetit vt fœmina, & turpis, ſed ea eſt fœmina & turpis ex ac- *ſia in Ari-*
cidenti ob priuationem ei iunctam, quare ex accidenti appetit. Confirmatur; quia *ſtotele.*
oſtenſum eſt, eſſentiã materiæ eſſe potentiam, eſſentiã formę actũ potiùs, & actus ſunt
differentiæ oppoſitę, mutuò ſe deſtruẽtes, quare vna ſecundum ſe non appetit alterã.

Reſpon-

*Solutio.* Respondeo in appetitu formæ duo considerantur, vnum est appetens, alterum conditio requisita pro appetitu, appetens sui natura est materia, quæ appetit vt materia, vt apta perfici, vt potentia, ideò Aristoteles 8. Metaphysicę 15. inquit, quærere cur ex materia & forma, siue ex potentia, & actu fiat vnum, nihil est quærere, id enim eis competit propria conditione: quia vnum est actus, alterum est potentia: si verò loquimur de conditione requisita pro appetitu, ea est priuatio, vt dicitur in primo Physicorum 81. & à Plat. in Lyside, adeò vt materia sui natura & conditione formam appetat, verùm non sine priuatione; Hinc oritur, quòd materia appetit formam non in prima, sed in secunda notione, quatenus in secunda notione consideratur cum priuatione. Ex quo patet, Aristotelem non secum pugnare: nam primò loquens de appetente, ait materiam sui natura formam optare; mox explicans conditionem requisitam, ait, vt turpe pulchrum, & fęmina marem. Insuper elicio potentiam sumptam pro absoluto, esse essentiam materiæ, cum enim materia appetat sui essentiam, & appetat quia est potentia, colligitur essentiam eius esse potentiam sumptam pro absoluto, quæ ab actu non destruitur, sed perficitur, & ex eis per se vnum constituitur. Sed occurrit alia Dubitatio, & est, an materia appetat formas infinitas? ex vna parte videtur eas appetere, quia successione recipere valet formas infinitas: ex aduerso id videtur falsum, quia tunc simul in ea reperiretur infinitus numerus potentiarũ, & priuationũ, quod infinitum renuitur ab Aristotele. *An materia appetat formas infinitas? Solutio.* Respõdeo, materiã appetere formas infinitas dupliciter posse intelligi; vel successione, & ita infinitas appetit, quatenus successione innumeras est apta recipere; vel simul, adeò vt simul ei cõpetant infinitæ potentiæ & priuationes, & tũc vtendum est altera distinctione, & dicendũ, habere potẽtias infinitas simul dupliciter posse intelligi; vel sine distinctione in quodam communi facultate inclusas; vel distinctas; secundo modo eas non habet, in fundamento enim naturæ hoc est in prima cõmuni materia, nil est distinctum: sed eas habet modo primo, non secùs ac species dicitur includere sub se facultate innumera indiuidua, ea autẽ cõmunis facultas ad innumeras formas, redigitur mox ad actum, successione recipiendo distinctas dispositiones pro distinctis formis. Ex his elicitur solutio dubitationis propositæ ab Auer. 1. Cęli; 120. nam quæritur quomodo priuationes & potentiæ sint æternæ pro præterito, & non pro futuro tempore? *Solutio dubitationis ppositę ab Auerroe.* Solutio est, quia potentia & priuatio communis & indefinita, omni ex parte est æterna, illæ autem quæ intereunt sunt priuationes, & potentiæ proximę, quę vt intereunt, ita etiam oriuntur per ortum dispositionum materiæ. Sed pulchra superest soluenda Dubitatio, & est: cum materia appetat formam, & foemina marem, num vice versa forma appetat materiam? *Num forma appetat materiam.* Respondeo, appetere aliquid, cõtingit dupliciter, vel vt finẽ, vel pro fine: æger vt finem optat sanitatem, pro fine verò medicamenta. Forma appetit materiam nõ vt finem, sed pro fine, hoc est pro suimet conseruatione: dico cõseruatione, quia forma quæ non est, cum non sit, non potest appetere, ea autem quæ est, appetit sui conseruationem.

## *Quomodo forma sit in Materia? Cap. XII.*

CVm materia appetat formam, eamque recipiat, quæritur quo pacto deinde forma sit in materia, num per se, vel ex accidẽti, & si per se, in quo modo dicendi per se, ei competat? Mouit hanc difficultatem Alexander in primo Nat. quæst. cap. 26. *Alexãder.* & cum ostendisset formam non esse in materia, in primo modo dicendi per se, nec, vt accidens in Subiecto, colligit esse in ea in secundo modo dicendi per se, vt par & impar insunt numero. *Dubitatio.* Quæ sententia videtur dubia: tum quia secundum modum dicendi per se, constituunt accidentia propria, qualis non est forma relata ad materiam: tum insuper, quia non magis materia sumitur in Definitione formæ, quàm è contrario, cum inuicem referantur,

immo

immò magis materia cognoscitur per formam, quàm vice versa: cum potentia cognoscatur per actum. Propterea difficultatem soluens, dico, modos omnes dicendi per se, præditos esse latitudine quadam, & nonnulla principaliùs, alia minus principaliter ad eos redigi. Dum loquimur de modo, quo forma sit in materia, solùm secundum quandam similitudinem, & minus propriè, dicere valemus esse per se. Insuper, addo hac de re varias, & præsertim quinque formari posse enunciationes, quæ etiam modo vario sunt per se. Nam primò dicere possumus materia est apta formari, & hoc pertinet ad secundum modum per se, quia ea facultas est veluti proprietas sequens naturam materiæ, vt facultas ad ridendum sequitur conditionem hominis. Secundò dicimus, materia est actu formata, & hic est tanquam actus facultatis, & secundi modi per se, vt dum dicimus, Homo ridet, & redigitur ad modum secundum, vt actus eius. Tertiò dicimus, materia actu existit per formam, & pertinet ad primum modum per se, quia forma est ratio, per quam materia actu existit. Quartò dicimus, forma est apta inesse materiæ, & quoniam materiatæ formæ pro suo esse pendente ex materia, in genere materiæ, & materia est prior origine, & pars Definitionis earum, ideò modo aliquo redigitur ad primum modum per se. Si autẽ forma non penderet ex materia, redigeretur ad secundum, vt dicendo Intelligentia Saturni est apta esse in orbe Saturni. Quintò dicimus, forma est in materia, quæ enunciatio intelligi potest dupliciter. Primò vt sit tanquam actus præcedentis enunciationis, & redigitur ad eundem modum. Secundò vt indicetur formam esse in materia sine vllo medio, veluti dicimus, corpus esse in loco, & colorem in superficie per se; in corpore autem per mediam superficiem, quia ex sententia Themistij est modus alius per se, secundum quem valemus quærere, an forma sit in materia per se, hoc est, sine vllo medio, vel per medias alias dispositiones, & formas? His quinque Enunciationibus addi potest sexta, dicendo, ex materia & forma fit vnum, quæ est per se in secundo modo, quatenus ex eis aptum esse consurgere vnum, est tanquam affectio sequens conditionẽ earum, vt elicitur ex 8. Metaphy. t. 15. Sic itaque distincta consideratione modo vario forma est per se in Materia.

*Quinque cõclusiones.*

1 2 3 3 5 6

## *An Materia gignatur, & intereat?* Cap. XIII.

SENTENTIA est Aristotelis in primo Physicorum octuagesimosecundo, materiam partim gigni, partim non gigni, dum enim consideratur secundum potentiam, hoc est, secundum suam essentiã, nec fit, nec interit. Dum verò consideratur vt iunctam habet priuationem, ob eam gigni & interire dicitur, variantur enim particulares priuationes seruata essentia absoluta materiæ. Quòd autem nec fiat, nec intereat, ostendit, quoniam omne quod fit ex materia gignitur, & quod interit, in materiam resoluitur, quare si materia oriretur & interiret, fieret ex ipsamet materia, & ita esset antequam fieret, & in eandem resolueretur, ac ob id esset corrupta, antequam corrumperetur, & dum esset corrupta, etiam esset, quod includit contradictionem. Hinc Philosophi veteres id omne quod pro materia sumpserunt, dixerunt esse immune ab Ortu, & interitu. Ea tamen, quæ præsertim sententiam hanc reddunt dubiam, hæc sunt: Et primò ea, quæ inuicẽ referuntur, videntur esse eiusdẽ conditionis. Nã Oppositorum eadẽ est ratio, materia & forma inuicem referuntur, & forma oritur & interit, quare & materia. Præterea, Sententia est Aristotelis tertio Cœli 61. æternorum æterna, mortalium mortalia esse principia, materia est principium mortalium; quare interitui est obnoxia. Tertiò asseritur 10. Metaphy. æterna præstare mortalibus, quare si materia esset æterna, dignitate præstaret formæ, quæ mortalis est. Quartò, æternum & necessarium, non videtur posse

*Ostensio quòd materia nõ fiat.*

*Rationes aduersæ.* *Prima.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.*

esse origo contingentiæ,& varietatis; materia est origo contingentiæ & inconstantiæ; quare non videtur æterna. Demùm, cum materia magis pendeat ex forma, quàm ex

*Ratio 5.*

priuatione; & formæ magis propriè cõpetũt Ortus & interitus, quàm priuationi; cur Aristoteles potiùs dixit materiam gigni & interire per priuationem, quam per formã?

*Pro resolutione accipitur.*

Pro resolutione difficultatis accipio primò Ortum & interitum vel referri ad absolutã Dei potestatem, vel ad modum operandi Naturæ; si referatur ad primum, cum Theologis dicimus, materiam in mundi creatione vnà cum forma à Deo fuisse creatã, quã
1 creationem Philosophi nõ cognouerunt, cum solùm per opera naturæ progressi sint,
2 Considerando autem modum operandi Naturæ, quæ semper pro rerum ortu materiam præsupponit, dicimus cum Philosophis, materiam nec oriri, nec interire posse.
3 Accipio secundò, æternum esse duplex, vnum supra ortum, alterũ infra ortũ,& subiectum ortui: æternum supra ortum, est præstantius mortali; id verò quod est infra ortum,& subiectum ortui, est vilius. Ex his elicio solutiones aduersarum rationũ. Dicebatur primò inuicem relata esse eiusdem cõditionis, &c. Respondeo, Materia prima refertur ad vniuersum genus formarũ, quod æternum est, Materia proxima refertur ad formam propriam,& vtrumque incipit & desinit. Addo secundò, etiam æternum posse referri ad mortale per mutationem factã in re mortali, vt Creator ad creaturas.

*Diluuntur rationes aduersæ & primò. Prima.*

2 Addebatur secundò, principia mortalium esse mortalia, dico propria & proxima non communia & remota, immò principium origine primum ex quo cuncta prodeũt, debet esse æternum. Dicebatur æterna præstare mortalibus. Dico æterna supra ortum,
3 non subiecta ortui, insuper æterna actu, vt diuina. His addo cum Aristotele in primo Nicomachiorum, rem non ob id esse nobiliorem, quia æterna vel diuturnior sit, æternitas solùm est signum præstantiæ rei, quæ actu sit, immò malum quo est diuturnius, eo est deterius, malum autem vt malum, est non ens. Addebatur quartò, æternum
4 non esse originem contingentiæ. Respondeo, id esse verum de æterno actu, & supra ortum posito, non de æterno potestate, & ortui subiecto; hoc enim perennis varietatis & contingentiæ origo est. Demùm dubitabatur, cur Aristoteles potiùs dixerit materiam gigni & interire per particulares priuationes, quàm per formam? Respondeo, iure id ab Aristotele fuisse dictum, nam priuatio intimior est materiæ, proximior est conditioni eius,& est conditio necessariò requisita pro materia, vt appetat formam,& cum materia ad formam referatur, materia ita relata, priuationem includit, & propterea cont. sexagesimo,& sexagesimosexto, primi Physic. materia & priuatio dicuntur idem numero,& dum variatur priuatio, etiam variatur conditio proximæ materiæ. De forma autem secùs se habet, forma enim est & constituit aliud re vera & absolutè à materia distinctum, ideò vt per priuationem materia fit, & interit, ita per formam fit & interit compositum.

## *An Materiæ competant inchoationes Formarum?*
## *Cap. XIIII.*

QVONIAM communi veterum Philosophorum cõsensione, ex nihilo nihil fit. Propterea vt seruaretur formas rerum non fieri ex nihilo, suspicati sunt multi, necessariò in materia insita esse semina quædam & tanquam rudimenta, & inchoationes formarum, quæ ei essent coæterna, quarum absolutio esset deinde generatio formarum. Id autem esse necessarium ostenditur: cum enim formæ per transmutationem ab agente educantur ex materia, vel in ea insunt, vel ne; si non insunt, non possunt educi, & si educerentur ex nihilo fierent, nam materia & potentia, quæ antecedunt, non

*Dari inchoationes formarum.*

sunt

sunt pars eius: si autem insunt, illæ dicentur inchoationes formarum, quæ generantur. Neque sentiendum est cum Philopono in primo de Ortu & interitu, dicente, formas induci ab Vniuersi opificio, hoc est, ab ordine communium causarum, per Ideas primæ causæ, vel cum Auicenna asserenre eas induci ab Intelligentia assistente Mundo mortali: quam datricem formarum nuncupabar, ea enim non vera generatio, sed potiùs creatio quædam formarum esset, ex mareria non pendētium; aduersus quam sententiam rectè dixit Auer. t 2. Metaphysicæ 18. agentem non largiri multitudinem, sed perfectionem, & in 7. Metaphy. 31. enunciauit, quod idem est agens disponens & inducens formam. Cum autem multi de necessitate huiusmodi inchoationū consenserint, dissenserunt de modo, & præsertim in quinque classes sunt distributi? Anaxagoras per Metaphoram nuncupans materiam Chaos, dixitque in ea confusè mixtas reperiri formas omnes mixtorum consimilium, quarum generatio nil aliud esset, nisi earundem ab agente in Lucem eductio. Quæ sententia à Platone primò, mox ab Aristotele in primo Physicorum reiecta est. Propterea est secunda opinio Academicorum, qui constituentes ordinem Idearum Mentis, rationum animæ, seminum Naturæ, & formarum materiæ, dixere inchoationes formarum esse semina coæua materiæ, à Mundi Anima in eam infusa. Quæ sententia est dubia: tum quia Aristoteles eam seriem inficiatur, tum quia semina ex Anima prodeuntia, solùm sunt viuentiū, cum tamen, non omnia quæ gignuntur, sint vita prædita: tum demùm, quia Anima Mundi à Deo distincta, redundans & superuacanea est, vt suo loco patefeci. Tertia opinio est quorundam interpretum Aristotelis, qui aiunt materiæ coæuam esse formā quandam communem, & genericam, quam nuncupant formam corporis ad substantiam pertinentem, quæ cum sit forma communis, & generica, est tanquam inchoatio cæterarum formarum, non secùs ac genus dicatur inchoatio specierum. Quæ opinio reijcietur p ea, quæ de huiusmodi forma suo loco dicemus. Propterea est opinio quarta, quorundam asserentium materiæ insita, & coæua esse initia quædam, & tanquam rudimenta singularum formarum, secundum speciem, quæ initia essent tanquam primi gradus formarum producendarum. Quæ opinio etiam explodenda videtur, tum quia non omnis forma est prædita gradibus, sed nonnullæ in indiuiduo sunt positæ, quia vt formæ inuicem pugnant, & mutuò se expellunt, ita earum initia, tum demū, quia ita genus non esset mutatio totius in totum, vt dicitur in primo de Ortu & interitu. Præterea est opinio quinta nonnullorum, asserentium ipsamet materiam, & naturam eius, esse inchoationem formarum, adeò vt quemadmodum puer viri, ita materia formæ inchoatio sit. Quæ opinio etiam est apprimè dubia: nam si id esset, tunc ea quæ gignuntur essent simplicia, dum enim inchoatum absoluitur, non fit compositio, sed perfectio, vt dum puer fit vir. Præterea inchoatio non est Subiectum eius, cuius est inchoatio, vt Puer viri, materia autem est subiectum formæ. Demùm inchoatio est eiusdem conditionis cum eo, cuius est inchoatio ar materia contradistinguitur à forma, & distinctæ est conditionis? Res itaque valdè est dubia & perplexa.

*Aduersus Philoponū.*

*Auicenna.*

*Sententiæ variæ.*

1

2

3

4

5

## *Resolutio difficultatis de inchoationibus Formarum. Cap. XV.*

Vt pateat propositæ difficultatis resolutio, triplici distinctione vtendum puto. Prima est, inchoatio ad duo referri potest, vel ad compositum perfectione præditum, quod propriè dicitur gigni; vel ad eius perfectionem, quæ forma est, & terminus ad quem generationis. Altera est, si inchoatio refertur ad formam, ea vel propriè est inchoatio, adeò vt sit gradus aliquis formæ, vel est inchoatio latè sumpta, &

*Prima distinctio.*

2

extensa ad omnem antecedentem dispositionem. Tertia distinctio est, si inchoatio
3 vsurpatur latè, ea vel est dispositio indefinita & communis, vel est definita, & propria
*Tres conclusiones.* illius formæ, quæ educenda est. His præassumptis tres profero Conclusiones. Prima
est, si consideratur inchoatio compositi, Natura & essentia materiæ est inchoatio eius,
1 cum sit parata pro eo, & reddatur pars eius, ita lapides sunt inchoatio ædificiorum,
2 quæ assertio ex se conspicua est. Altera est, si referatur inchoatio ad formam, & vsurpetur propriè pro aliquo antecedente gradu formæ, coæuo materiæ, inchoatio vt inanis reijcienda est. Quæ Conclusio in præcedenti cap. ostensa est. Et confirmatur: quia materia
3 simplicissima est & penitùs potestate. Tertia Conclusio: si inchoatio formæ vsurpetur latè, ea aliqua consideratione concedi debet: nam huiusmodi inchoatio potest esse duplex, vel communis, coęua materiæ, vel propria, incipiens & desinens. Inchoatio communis adhuc est duplex, vel molis, vel sequentium formarum: inchoatio molis, tanquam affectio quædam materiæ, est effusio conditionis eius, in qua recipitur dimensio, vt dicitur in 4. Phys. cont. 15. de qua suo loco verba faciam: inchoatio ceterarum formarum est communis potentia & promptitudo ad eas recipiendas, quæ dicitur inchoatio quatenus mediat inter non esse penitùs, & esse actu in materia, quæ potestate est: dicitur media, & agens, deducens eam potentiam ad actum, dicitur largiri non multitudinem, sed perfectionem. Inchoatio autem proxima & propria, est ea dispositio, quæ inducitur ab agente & incipit ac desinit: de qua vera est sententia Auerrois, quòd idem est agens, disponens, & educens formam, nam ea dispositio est tanquam semen formæ producendæ. Ex his patet; inchoationes partim approbandas, partim reijciendas esse; patet insuper, qua significatione vera sit ea opinio, quòd materia sit inchoatio formarum, ea.n. eatenus approbanda est, quatenus potentia modo aliquo dicitur inchoatio, quæ potentia pro absoluto est essentia materiæ. At superest diluenda principalis dubitatio, quę erat, quomodo formæ non fiant ex nihilo, si nil earũ antecedit? Pro responsione dicto primo cum Arist. in 1. Phys. & 7. Metaphys. id quod
*Solutio principalis difficultatis.* verè fit, esse compositum ex materia & forma, eique propriè competere principia generationis, & de eo absolutè dicimus non fieri ex nihilo, sed antecedere materiam, tanquam inchoationem eius. Addo secundò, formam quoq; modo aliquo fieri, quatenus est terminus ad quem generationis, qui primò non erat, & deinde est, & cum ita fiat, partim fit ex nihilo, quatenus nil eius antecedit, & per interitum in nihilum sui trãsit: partim non fit ex nihilo, eo modo quo ea quę creantur, & eius ortus contradistinguitur à creatione, cum ex parte subiecti, tum ex parte termini à quo: ex parte subiecti, quia pro creatione non requiritur subiectum, per cuius transmutationẽ ab agẽte producatur forma, vt requiritur pro generatione. Ex parte autem termini à quo, quia pro creatione non reperitur terminus a quo, qui sit forma antecedens, cui iuncta sit priuatio sequentis, ob quod semper generatio vnius est interitus alterius, non enim creatio
*Dubitatio.* vnius est alterius destructio. At vrgebit adhuc aliquis, quomodo forma poterit educi
*Solutio.* ex materia, si nec tota, nec eius portio in ea præexistit? Respondeo, forma dicitur educi, non quia præfuerit actu, sed quia præfuit potestate, & educitur ab agente quatenus vna cum materia ab agente denuò producitur, accidentia possunt à qualitate aliqua simili sine antecedente dispositione produci, vt calor à calore, frigus à frigore, formæ autem substantiales educuntur per intermedias antecedentes dispositiones, quæ sunt tanquam semina earum, quæ accidentia disponentia agunt virtute agentis principalis, non secùs ac genitura, quæ in 2. de Gen. Animalium dicitur formare fœtum facultate infusa ab eo, ex quo defluxit: ac ita patet, cuncta pro ortu requisita, per eminentissimam Dei Prouidentiam optimè fuisse disposita, cui soli Honor & Gloria.

*Finis Secundi Libri.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Materia rerum Natura constantium,

## LIBER TERTIVS.

### *De distinctione Materiæ in materiam totius, & materiam partis.* Cap. I.

*Materia est Chaos vetustiss.*

INTER varias quæ ex materia, tamquam ex vetustissimo Chao prodeunt difficultates, eà accurata consideratione digna est, per quam in dubium vertitur, an approbanda sit distinctio materiæ in materiam totius & partis? de qua duo sunt consideranda; Primum, an ea distinctio approbanda sit? Alterum, quęnam sit materia totius? Et quoniam materia refertur ad formam, & per eam noscitur, ideò de distinctione formæ in formam totius & partis est differendum, ab eaque ordiendum.

*Quæ sit forma partis. Forma totius.*

Forma partis est altera pars compositi, vt Anima Animalis; cui respondet materia partis, quæ est altera pars, ex qua conflatur Animal. Forma totius dupliciter cõsiderari potest, vel comparando vniuersalius, cum minus vniuersali, qua comparatione vniuersalius veluti genus dicitur totum, & forma totius: vel comparando essentiã rei, cum his quæ sunt præter essentiam. Et quia essentia tota consurgit ex forma & materia; ideò hoc consurgens dicitur forma totius, cui respondet materia totius, includens accidentia indiuiduantia, quæ sunt præter essentiam; à quib. scientiæ abstrahunt.

*Approbatio formæ totius.*

Hæc distinctio cum formæ, tum materiæ à nonnullis approbatur, ab alijs negligitur. Propterea ego primò nitar ostendere eam esse approbandam, mox aduersas rationes diluam. Elicitur hæc diuisio ex Aristotele in secundo Physicorum, 31. qui enumerans varietates formarum, ait: & totum, & compositio, & species, si totum, & compositio denotant formam, ea nil esse potest præter formam totius: nam totum denotat propriè constitutum ex partibus integrantibus, veluti ex membris; compositio verò ex essentialib. quæ præsertim cõponi dicũtur. Similiter in 5. Metaphys. totum dicitur denotare formã.

*Cõfirmatio.*

Et confirmatur: quia genera & species per Aristotelẽ in Prædicamento Substantiæ significant Quale: at Quale ad formã pertinet, quare species & genera sunt formæ.

*Ratio.*

Et quia sunt cõposita, & non sunt forma partis, igitur sunt forma totius; quod ostenditur: quia forma partis non prædicatur de composito, non. n. homo est anima, genus aũt & species prædicantur de contentis sub eis, quare sunt forma totius.

*Confirmatio ex primo de Cęlo.*

Præterea, Arist. 1. Cęli, 92. inquit, qui dicit Cęlum, dicit formam, qui hoc Cęlum, formam cum materia. Similiter caro denotat formam, hæc caro formam in materia, at caro, Cęlũ, & similia, sunt totũ, & cõpositio quædã.

*Ex tertio de Anima.*

Quod confirmatur: quia Arist. in 3. de Anima, cont. 9. inquit, quod aliud est caro, & esse carnis, quia caro est cõpositũ. At in 1. de Cęlo 92. ait, quod Caro est forma, quare cõpositũ quoq; forma est. Præterea, in 2. Phys. cõt. 11. inquit, cõ-

*Ex primo Physic.* *Ex primo de Ortu & interitu.* *Ex quarto Metaphysi.* *Ex Auerr.*

positum dici naturā ob formam, non autem compositū diceretur natura, nisi id quoq; esset forma. Insuper, frequenter forma vsurpatur pro essentia rei, adeo vt etiā essentia, & ratio materiæ, & priuationis, nomine formæ denotentur, quod patet ex 1. Physicorum 60. & 66. contextib. in quib. Aristoteles ait, materiā & priuationem esse idem numero, distingui specie, hoc est, forma & ratione. Præterea, hanc formam totius conspicuè denotauit Aristoteles in primo de Ortu & interitu, dum loquens de accretione, dixit, id quod crescit seruari idem secundum formam, variari secundum materiam, denotans per formam essentiam rei existentem in particularibus extensam cū magnitudine, per materiam verò signatas & definitas partes. In eadem significatione etiam in quarto Metaphysicæ disputās aduersus Heraclitum, dixit, res Physicas variari secundum quantum, seruari secundum quale, denotans per quale formam totius & essentiam. Eadem distinctio, & forma totius conspicuè elicitur ex Auer. & Græcis expositoribus Auer. in secundo Physic. 29. dixit, genus esse formam communem, cū tamen genus sit compositum. Et in primo de Cœlo cont. 92. ea forma totius ad Cœlum pertinens ab eo dicitur cœlitas, & in 5. Metaphysicæ vnà cum Aristotele ait, totum denotare formam, partes verò materiam. Simplicius in 5. Physic. 11. de hac forma totius loquens, ait, ignis forma in cunctis qualitatibus est, & in substantia quæ subijcitur qualitatibus, adeò vt constitutum ex forma, & materia formam nuncupet. Et in secundo Physicorū com. 11. idipsum quoque asseruit. Alexander quoque eādem totius formā conspicuè comprobauit, ideò in primo Nat. qq. cap. 3. inquit: Animal rationale, mortale, si cum materiatis circunstantijs & differentijs sumatur, cum quibus subsistit, quæ alterius alteræ sunt, Socratem constituit, & singulares homines: si autem sine his sumeretur, commune fieret, cuius communis ait esse definitiones, quæ etiam formæ dicuntur. In hac significatione forma, definitio, quid est, & nomen, idem modo aliquo denotant. Hæc autem etiam de composito dicuntur, cuius essentia est forma totius, de qua Aristoteles 7. Metaphysicæ 60. dixit, quod AB. non est A. & B. sed totum simul, inquit enim & syllaba non est Elementa, nec idem b. & a. nec caro, ignis, & Terra, dissolutis, enim, hæc non amplius sunt. Elemēta verò sunt & ignis, & Terra, Est igitur aliquid syllaba non solùm Elementa vocalis & consonans, sed & alterum aliud aliquid &c. Plato quoque hanc formam totius approbauit: nam in appendice Legum inquit non nisi verissimè Animal secundum Naturam, tunc affirmamus, cum vna animæ corporisque constitutio, vnam suo concursu formam parit: id ipsum elicitur ex Philebo dum pro principijs statuit infinitum, terminum & vnitionem, constat itaque cū conspicuè dentur forma totius, & patris, & forma referatur ad materiam, quòd concedere cogimur materiam totius, & partis.

*Simplicius.* *Alexāder.* *Plato.*

## *Quid sit materia totius, & partis, necnon dubia aduersus eam. Cap. II.*

*Quid sit materia totius. Scotus.* *Euersio.*

CVm apparuerit concedendam esse materiam totius & partis, & constet quid sit materia partis, inquirendum superest quid sit materia totius? Solertissimus Scotus, in 2. Sent. dist. 3. q. 6. concedens materiā totius, inquit eam esse hecceitatem, quæ est postrema realitas, vel formæ, vel materiæ, vel cōpositi cōtrahens naturam essentiā speciei ad esse indiuidui, ac indiuiduū constituēs in esse subijcibili, quæ est extra essentiā & quid est speciei, & ab eo statuitur principiū indiuiduationis. Quæ sententia mihi videtur apprimè dubia, vt latiùs patefaciā in consideratione principij indiuiduationis: nam in forma nil includitur quod sit extra essentiā, cū forma statuatur essentia simplex. Præterea, materia totius in eis tātum debet reperiri, in quib. seruatur distinctio formę totius ab ea partis.

At huiusmodi distinctio non habet locū in abiunctis, in eis.n.non consideratur forma partis,quare nec inerit materia totius; At Scotus illā hecceitatē cunctis tribuit præter quam Deo. Præterea minus rectè realitas vnius oppositi denotatur nomine alterius; materia,vt potentia,opponitur formę,quę actus est,quare minus rectè realitas formæ, denotatur nomine materiæ. Propterea dicendum puto,distinctionem formę & materiæ in eam totius & partis, solùm habere locum in formis materiatis, & compositis ex materia & forma, & hoc denotauit Arist. in primo de Cœlo 92. inquiens,hoc esse verum de formis cum Materia iunctis,quod aliud est caro,& hæc caro,ideo in 3.de Anima cont.9.dixit,in nonnullis hoc est in seiunctis à materia,carnem & esse carnis,idem esse: formæ itaque à materia solutæ,non sunt forma partis,cum non constituant compositum, sed ex se sunt totum & forma totius,in iunctis verò cum Materia,forma partis est altera pars compositi, forma totius est essentia totius,consurgens ex materia partis,& forma,excludens omne quod est præter essentiam:Materia autem totius constituitur per differentias, siue accidentia indiuiduantia, quæ sunt præter essentiā à quibus scientiæ abstrahunt.Hoc conspicuè elicitur ex decimo Metaphysicæ cont.25.quo loci Arist.loquens de distinctione maris à fœmina, inquit,differre secundum materiā, quia differunt per accidentia contrahentia ad esse marem vel fœminam, quæ constituunt materiam totius. At dubitatur aduersus hanc sententiam.Primò,quia huiusmodi materia erit accidens,nam sunt differentiæ indiuiduales contrahentes naturā communem ad esse indiuidui, nō secùs ac differentiæ generi additæ illud contrahāt ad esse speciei, ex quo duo prodeunt absurda,primum,quod materia totius substantiæ sit accidens:alterum,quod materia sit differentia contrahens,forma verò sit ea quæ contrahitur,cum tamen conditio contrahentis sit,vt sit actus,contracti verò, vt sit potentia. Præterea Vniuersale est sola forma communis in materia existens, non compositum.Hinc forma dicitur fundamentum vniuersalis. Præterea Aristot.in primo Physic. 82. definiens materiam,ait,esse primum subiectum, ex quo inexistente res fiunt, & in quod vltimò resoluuntur:quæ definitio nequaquam competit materiæ totius.Pro solutione accipio materiæ nomen esse ab vno, & ad varia extendi, & cum primò & propriè competat vni, non est necesse, vt mox cæteris competat cum omnibus conditionibus,sat est,vt competat cum nonnullis;vt patet de materia Mathematicorū,& dum definitur,inspicitur illud quod primum est.Ex his elicio solutiones.Dicebatur primò, differentias indiuiduantes esse accidentia. Respondeo,dum forma totius sumitur pro vniuersali contradistincto à singularibus,tunc singularia dicuntur materia eius quatenus in eis existit,& sine eis reperiri non potest,dum verò cōsideratur essentia tota contradistincta ab eo quod est præter essentiam,sic materia sunt differentię illæ materiatę indiuiduantes,quæ seruant conditionem materię:Primò,quia vt materia partis est extra essentiam formæ partis,ita hæ sunt extra essentiā formæ totius: Præterea,quia sine illis essentia rei materiatæ non subsistit. Insuper,quia dispositiones subiecti ad materiā rediguntur,quatenus illam disponunt, & materiam proximam cōstituunt,& cum sint materia secundum aliquam similitudinem, non est absurdum quod sint accidentia. Addebatur,quòd contrahere est officium formæ.Respondeo,contrahere,& constituere varietatem essentiæ,est officium formæ;at contrahere ad esse indiuidui,& constituere varietatem indiuiduorum, etiam competere potest materiæ sine qua multitudo indiuiduorū non seruatur,veluti affirmauit Arist.decimo Metaphysicæ,25.de distinctione maris à fœmina. Addebatur vniuersale esse solam formam. Respondeo,vniuersale sua prima significatione esse solam formam partis, secunda autem significatione esse solam formam totius,includere tamen materiam partis, hoc nos docuit Ari.in 7.Metaphysicæ, cap. decimo,inquiens, vniuersale ex vniuersali forma & materia constare, singulare verò ex singularibus. Hinc Ari.12.Metaphysicæ,post cont.18.actū & potentiam,hoc est,formam & materiam constituit cōmunia principia decem Prędicamentorum,& nisi vniuersalia essent composita, non prædicarentur directè de cōtentis sub

*Sententia propria.*

*Dubitatio.*

*Pro solutione iacitur fundamentum.*

*Elicitur solutio.*

*Aristot.*

eis. Dicebatur Definitionem materiæ non competere materiæ totius. Respondeo, Definiri tunc materiam pro principali & primo ab vno, quæ Definitio competit materiæ totius secundum quandam similitudinem, vt patefeci.

## *An Materia sit pars Essentiæ & Definitionis? Cap. III.*

*Dubitatio.* QVONIAM approbata est in præcedentibus forma totius, quæ includit Materiam partis, ideò hæc alia emergit dubitatio, an Materia partis sit pars Essentiæ, & Definitionis rerum ex Materia constantium? Dubitatio est de sola Materia partis, quoniam Materia totius, omnium consensione est extra essentiam rei. Insuper nomine essentiæ denotatur id, quod res est, quod per Definitionē explicatur, & ab Aristotele, dicitur οὐσία, φύσις, τὸ εἶναι, τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ λόγος.

*Opiniones quattuor.* De proposita difficultate quatuor sunt opiniones. Vna veterū, asserentium materiam solam esse id, quod res est, & vniuersam essentiam rerum: quæ opinio iam est reiecta. Alia est quorundam, qui penitùs renuūt Materiam esse partem ipsius quid est; cuius opinionis fuit Zimara. Nonnulli inquiunt eam esse partem, non tamen principalem, vt Scotus. Quidam demùm se medios constituunt, & aliqua ratione asserunt, alia renuunt eam esse partem.

*Materiam esse partem ipsius quid est.* Quòd materia sit pars ipsius quid est, & essentiæ, ostenditur: Primò, quia forma totius est essentia rei, materia partis (vt patuit) est pars formæ totius, quare est pars essentiæ. *Ratio 1.* Præterea, pars Definitionis est pars essentiæ; materia partis est pars Definitionis compositorum, quare est pars essentiæ. *Ratio 2.* Tertiò, quia partes compositi essentiales, sunt pars essentiæ; materia autem & forma dicuntur partes essentiales compositorum. *Ratio 3.* Quartò, ea ex quibus per se fit vnum, sunt partes essentiæ eius; ex materia & forma per se fit compositū, ex 8. Metaphysicæ, 15. quare &c. *Ratio 4.* *Ratio 5.* Præterea, quod est pars rei Vniuersalis, est pars essentiæ, Vniuersale enim essentia est; *Ratio 6.* Materia est pars rei Vniuersalis, & decem Prædicamentorum, ex 12. Metaphysicæ. Demùm, quia hæc est differentia inter essentiam rei Materiatæ & formæ solutæ à materia, ea enim est particeps, hæc expers materiæ. Id ipsum confirmatur auctoritate, quia *Arist.* Arist. ob id Platonem carpit, quoniam Plato Hominem dicebat Animam, & rerum essentias, Ideas, ipse autem asserit esse compositum, & ob id in 7. Metaphysicæ inquit, Hominem non esse sine carnibus, indicans Materiam esse partem Essentiæ rerum.

*Rationes pro parte aduersa.* Ex aduerso, dicentes formam partis esse id totum quod res est, varijs vtuntur rationibus: *Ratio 1.* & primo, id solum pertinet ad esse rei, & ad quid, quod est actus, non quod est potentia, actus autem ad formam pertinet: hoc conspicuè enunciauit Philosophus in secundo Phys. cont. 11. inquiens, potestate caro aut os, non habet adhuc sui ipsius naturam, ante quàm recipiat formam: quam Definientes dicimus quid est caro, aut os. *Ratio 2.* Prætereà, id est totum quid est rei, per quod distinguitur à cæteris, quæ id non sunt; at distinctio solùm est per actum & formam. *Ratio 3.* Præterea, Aristoteles in secundo Physicorum 28. definiens formam, ait, quod est ratio ipsius quid erat esse, quod sæpe alibi confirmat: *Ratio 4.* Definitio autem debet cum Definito reciprocari. Insuper, id est vniuersa rei essentia, quo præsente, res tota est, & absente, tota abest: hoc competit formæ partis, ob quam Arist. in primo de Ortu & interitu, 22. dixit ortum & interitum esse mutationes totius in totum, cum tamen sola mutetur forma, non materia. *Ratio 5.* Confirmatur, quia quod non est quid, nec quale, nec quantum, non valet esse pars essentiæ rerum, quæ sunt vel quid, vel quale &c. at materia ex 7. Metap. nō est quid, nec quale, quare &c. *Auerr.* Hinc Auer. 7. Metaphysicæ, 21. inquit, formam esse quidditatem Hominis, non congregatum ex materia & forma, & propterea forma ab Aristotele dicitur Endelechia, hoc est, actus & compræhensio vniuersæ perfectionis. *Cōfirmatio.* Insuper, cum formæ à Materia solutæ sint es-

sentia vniuersa, non debemus id inficiari de formis materiatis. Hoc indicauit Aristot. in calce secundi Phys. inquiens, Materiam ingredi Definitiones tanquam Materiam Definitionis, hoc est, tanquam vehiculum ipsius quid est, & in 7. Metaphysicæ cap. 10. legitur, carnem & ossa partes esse totius vt materiam, non autem esse partes formæ & rationis, & in 3. de Anima, cont. 9. asseritur in complicatis cum materia carnem, & esse carnis differre, esse autem carnis dicitur totum id quod est caro, & est sola forma, Caro autem includit materiam: Iure optimo itaque suspicati sunt nonnulli, materiam non esse partem essentiæ, & ipsius quid est: Non defuere nonnulli, qui conati sunt opiniones pugnantes conciliare, à quorum sententijs referendis & reijciendis supersedendum censui. *Aristot.*

## *Resolutio difficultatis, an materia sit pars Essentiæ, & Definitionis compositorum. Cap. IIII.*

PRo conspicua elucidatione propositę difficultatis, quatuor præaccipienda puto. Primum est, apud Aristotelem esse rei, quid res est, formam, & Definitionem, pro eodem vsurpari: hinc forma in secundo Phys. 28. dicitur ratio, & quid erat esse. Addo secundò, nomen idipsum denotare, quod Definitio & quid res est, vt asserit 4. Metaphysicæ 11. quo loci legitur nomina id significare, quod per Definitionem denotatur, & cont. 28. additur, ꝙ ratio, quam significat nomen, est Definitio; idipsum dicitur in primo Phys. cont. quinto ex quo elicitur, quod nomen confusè id denotat, quod Definitio distinctè explicat. Accipio tertiò, nomina compositorum esse ab vno, & ordine naturæ primò denotare formam, secundò compositum, quamuis secundum vulgarem vsum, contra se habeat hoc asseritur ab Arist. 8. Metaphysicæ contex. 7. dicente, Animal primò denotare Animam, secundò compositum, idipsum asseritur ab Auerr. 4. Metaph. com. 14. & in Paraphrasi Metaphysicę tractatu secundo. Ex quo elicio, cum nomen compositi sit ab vno, & nomen idipsum denotat quod Definitio, & quid res est, necessariò etiã Definitio, & quid res est, erit ab vno; & primò dicitur de forma partis, secundò de composito ex forma partis & materia. Accipio quartò, formam vsurpari dupliciter, & pro forma partis, & pro ea totius, vt patefeci, & idipsum dicẽdum est de Materia. His præassumptis, quæ omnia ex Aristotele conspicuè eliciuntur, tres profero conclusiones. Prima est: Essentia & id quod res est, in prima significatione nullam includit materiam: patet, quia est forma partis. Hoc asseritur ab Aristotele in secundo Physi. 11. dicente, formam esse vniuersam naturam compositi. Et in octauo Metaphysicæ cont. 7. affirmante, Animã esse id, quod est Homo in prima significatione. Altera conclusio est: essentia, & quid est, in secunda significatione, includit materiam partis, secundariò tamen & denominatam per formam, hoc patet: quia ea secunda significatione denotatur forma totius, includente etiam materiam partis, quale est vniuersale. Addo tertiò, materiam totius nullius essentiæ esse partem, cum sit aliquid præter essentiam rei. Ex his elicio primò, omnem essentiam esse formam, & denotari nomine formæ, vel partis, vel totius, immo etiam essentia Materiæ ab Aristotele in primo Physicorum 60. & 66. denotatur nomine formæ, dicente, Materiam esse vnam numero cum priuatione, & differre specie, hoc est forma, & ratione. Insuper, elicio solutiones rationum pro vtraque parte relatarum, & controuersiarum in Aristotele apparentium.

*Primum assumptum.* *Alterum.* *Tertium.* *Quartum.* *1. Cõclusio.* *2. Cõclusio.* *3. Cõclusio.* *Elicitur 1.* *Elicitur 2.*

## *An materiæ competat forma corporis? Opiniones variæ.*
## *Cap. V.*

*De mole materię opiniones quatuor.* MAGNA inter viros sapientes est controuersia de mole & dimensionibus materiæ. Qua de re quatuor præcipuè sunt opiniones. Nonnulli enim putāt materiam sui essentia esse corpus simplex. Alij, non ex se esse corpus, præditam tamen esse forma substantiali corporis ei coæua. Quidam vtrumque inficiantur, aiunt tamen, eam esse præditam dimensionibus terminorum expertibus. Nonnulli demùm aiunt Materiam nec corpus esse, nec præditam forma corporis, nec dimensionibus ei coæuis, sed in rerum ortu & interitu cuncta variari præter materiam: adeò vt semper fiat resolutio vsque in primam Materiam. Hæc sunt opinionum capita singulatim perpendenda. Et ordiendo à primo,

*Opinio putantium materiam esse corpus.* Existimarunt veterū plurimi, Materiā sui essentia esse simplex corpus. Ex quorum numero fuerunt Democritus, Leucippus, & Epicurus, qui eā dixere atomos, siue indiuisibile corpus: Insuper Anaximander, qui eam iudicauit corpus infinitū. Similiter Stoici, Cynici, Cirenaici, & post eos Pericles, Lydus eam simplex corpus asseruerunt, non

*Philopon.* tamen infinitum. Philoponus in Disputationibus contra Proclum, Disput. 11. ex propria sententia asserit, latissimeq; ostendere nititur, Materiam esse corpus simplex: ideò inquit corpus, vt corpus, mutari non posse, sed mutationibus subijci, & vt dātur Qualitates substantiales, ita ait dari substantiales Quantitates, quod ostendit: quia id sine quo corpus intelligi nequit, est essentia eius; absq; dimensionibus corpus intelligi nequit, quare sunt eius essentia. Hæc est opinio eius propria, quamuis in libro de Ortu

*Simplicius.* & interitu ex Sentētia Aristotelis secùs loquatur. Simplicius quoque existimauit, Materiam sui essentia corpus esse, nam in primo Physicorum exponens cont. 69. cum ex opinione Stoicorum & Periclis Lydi, asseruisset Materiam esse corpus, eamque reiecisset, nititur deinde sententiam illam tueri, quòd corpus sit, inquiens, molem esse duplicem, materialem vnam, alteram formalem, & ait Materiam esse molem Materialē; Explicans deinde huiusmodi molem, inquit, eam non esse corpus ex se subsistens, tribus dimensionibus præditum, sed potiùs remissionem quandam, intensionem, & indefinitionem incorporeę indiuiduæque naturæ, nequaquam trina dimensione formali-

*Porphyri.* ter impressam ac definitam: quæ autem huiusmodi moles sit, explicat per verba Porphyrij in secundo libro de materia, referentis sententiam Moderati, & dicentis, eam esse quātitatem informem, indiuiduam, figuræ expertem, susceptricem tamen formæ, figuræ, diuisionis, qualitatis, cæterorumque huius generis: Insuper eandem molē nuncupauit Plato omnicapacem, informem, inuisibilem effluxum, mente comprehendendam. Hanc aiunt Pythagoram & Platonem nuncupasse quantum, non vt formam quantam, sed quantum per priuationem, dissolutionem, extensionem, & separationē,

*Conclusio.* tanquam fecem & vitam extremam, ac dimensionem & molem Physicam. Sic itaque Materia ex sententia Philoponi, est quantum formale, ait enim nil dari informe penitùs: ex sententia Simplicij, Porphirij, Ammonij, Moderati, est quantum materiale. Et quamuis Simplicius in primo Physicorum hanc sententiam explicans, dicat, se explicasse opinionem alienam de Materia, quę sua non sit, tamen in quarto Physicorum contex. 16. eandem confirmat: & in quinto Physicorum com. nono ait, corpus non per se vt corpus, sed vt tale corpus. Et in primo Physicorum dixit, nedum Cœlum, sed etiam Materiæ corpus, esse æternum; Ex sententia itaque Simplicij Materia est corpus Materiale tanquam effusio & extensio quædam, capax corporis formalis, & valdè eius opinio differt ab ea Auerrois, qui negauit materiam esse corpus, præditam tamen esse dimensionibus ei coęuis, quæ accidentia sint & formæ. Ex quo constat primò errare nonnullos dicentes, opinionem Simplicij esse eandem cum opinione Auerrois: Elicio secundò, minus rectè hæc duo opinionum capita à nonnullis con-

fundi, nimirùm materiam esse corpus, & esse præditam forma corporis, nam valdè differunt.

## *Fundamenta putantium Materiam esse corpus.* *Cap. VI.*

VARIARVM rationum, quæ pro opinione asserentium materiam esse corpus afferri possent, has esse potiores existimo; Cum materia cognoscatur per transmutationem, id est materia, quod cum non varietur, subijcitur cunctis transmutationibus; huiusmodi autem est corpus; materia itaque corpus est. Hinc Aristot. in primo de Ortu & interitu dixit corpus non fieri vt corpus, sed vt hoc, vel illud, quod etiam in tertio de Cœlo confirmauit cont. 29. Insuper, definitur Materia in primo Phys. 82. quod sit subiectum primum; huiusmodi est corpus, id enim quod non est corpus, non est subiectum transmutationum, & cuncta, quæ gignuntur & pereunt, fiūt ex corpore, & in corpus resoluuntur. Præterea, ex non corpore non consurgit corpus; at ea quæ gignuntur sunt corporea; igitur principium aliquod eorum debet esse corpus; huiusmodi nō est forma; quare est materia, forma enim per materiam extenditur & redditur quanta. Consimilem rationem format Aristoteles in primo de Ortu & interitu, inquiens, id quod generatur est in loco, igitur & illud ex quo fit. Quartò ve... ratione Simplicij, in quarto Physicorum exponentis cont. 15. Quod est capax magnitudinis debet esse extensum, & dimensio quædam; materia est capax formalis magnitudinis; debet itaque esse effusio & extensio aliqua, vt enim locus non reciperet corpus & magnitudinem, nisi esset dimēsio quędam, ita materia nisi esset effusio, & dimensio, formalem magnitudinem non reciperet: Et hoc videtur asseruisse Aristoteles in quarto Phys. 15. inquiens, quatenus locus est distantia magnitudinis, videtur esse Materia, hæc namque diuersa est à magnitudine. Præterea, inquit Arist. sub initio secundi de Ortu & interitu, Primò dari materiam, Secundò ei competere qualitates primas, Tertiò, ex eis consurgere Elementa, quare per Aristotelem id est materia, quod subijcitur primis Qualitatibus, id autem corpus est. Et confirmatur, quia Arist. in secundo de Ortu & interitu, concedit Elementa posse dici æqualia secundum materiam, quatenus æqua portio materiæ singulis competit, id autem seruari non potest, nisi materia quantum aliquid sit. Est itaque materia sui essentia effusio, moles, & extēsio quædam; Hinc Ammonius in Prędicam. cùm Quantitatis, tùm Qualitatis, ait, vt dantur Qualitates ad Substantiam Elementorum attinentes, ita dari dimensiones, & Quantitates, quę sint essentia materiæ; Et ob id ipsum Hesiodus enūciauit in rerum origine primò extitisse Chaos, hoc est, susceptaculum, & effusionem, Chaos autem erat materia, vt interpretatur Aristot. in 12. Metaphysicæ cont. 9. Similiter ex sententia Platonis in Timęo, materia locus est, hoc est effusio, & extensio quædam indefinita, quæ magnum & paruum ab eodem nuncupabatur: quæ omnia indicant materiam esse corpus aliquod, ex cuius participatione cætera omnia reddantur corporea & materiata. Hæc opinio quamuis aliquid veri includat, dubia tamen videtur, primò, quia omne corpus vel est in Prædicamento Substantiæ, vel Quantitatis; materia non est corpus attinens ad Prædicamentum Quantitatis, quia id est accidens, neque attinens ad Prædicamentum Substantię, quia id compositum est, cuius principium est materia, principium autem distinguitur ab eo cuius est principium. Prętereà, omne corpus vel Physicum est, vel Mathematicum, vel Artificiosum: materia non est corpus Artificiosum, vt patet: non Mathematicum quia id est accidens: non Physicū, quia id est compositum, est formatum, est per se in loco, cadit sub Sensum, per se est aptum intelligi, quæ pugnant cum conditione materiæ. Prętereà, corpus vt corpus, non valet iudicari primum & irresolubile, qualis iudicatur materia,

*Marginalia:* *Ratio 1.* — *Ratio 2.* — *Ratio 3.* — *Ratio 4.* — *Arist.* — *Ratio 5.* — *Ratio 6.* — *Ammoni'.* — *Hesiod's.* — *Plato.* — *Dubitatio.* — *Ratio prima pro parte aduersa.* — *Ratio 2.* — *Ratio 3.*

*Aristot.* materia, corpus enim in superficies, lineas, & puncta resoluitur. Hinc Arist. in primo de Ortu & interitu, 29. inquit: At verò neque puncta, neque lineas statuendum corporis esse materiam, sed illud cuius hæc vltima sunt; Ex quo hæc elicitur ratio, id quod materiam exposcit, non est materia; magnitudo materiam exposcit, vt dicitur loco relato, & in cont. 31. eiusdem primi de Ortu & interitu; quare magnitudo non valet esse materia; Confirmatur: quia affectiones corporis sunt magnum & paruum, quæ sunt duo contraria; omnia autem contraria Subiectum exposcunt. Hinc iure Arist. in septimo Metaphysicæ cont. 8. inquit; attinentia ad corpus, nempè longitudinem, latitudinem, & profunditatem, non esse Substantias; sed Accidentia; Et propterea minus rectè Ammonius asseruisse videtur, dari dimensiones quæ Substantiæ sunt. Et longè magis videtur errasse Philoponus, dum in disputationibus contra Proclum; asseruit materiam esse simplex corpus, idq; corpus esse formale, ita enim moueret Sesum, per se esset in loco, at ea quæ fierent essent accidentia, quia aduenirent Enti actu, & ex ea & forma non per se fieret vnum; Dubia itaque valde est ea sententia, quòd materia sit corpus. Rationes autem pro ea relatæ, quid roboris habeant, suo loco patebit.

*Ratio 4.* (margin)

## *Opinio putantium materiæ competere formam vnam coæuam, quæ substantia sit, & corpus constituat, quam appellant formam corporeitatis.* Cap. VII.

CVm apparuerit apprimè dubiam esse sententiam putantium materiam esse simplex corpus: Propterea alij reperti sunt, qui cum putarint materiam non esse corpus, existimarunt tamen materiæ competere formam vnam communem, ad substantiam pertinentem, ei coæuam, per quam corpus constitueretur, ex materia & hac prima, communique forma conflatum, quod corpus nonnulli dixerunt esse genus Prædicamenti Substantiæ, Cuius opinionis fuerūt Auicēna, Magnus Albertus, Suessanus, M. Antonius Ianua, & alij nonnulli Philosophi celebres, eamque necessariam putarunt: Primò, vt per eam tanquàm per inchoationem materia appeteret proprias formas; insuper constitueretur, communis quædam priuatio communisque forma, quæ fient principia communia, & æterna cuiuslibet ortus & interitus, nam sententia Arist. est in primo Phys. oportere principia semper manere, idque approbauerat priùs Plato, inquiens, si principia perirent, ortus & interitus non seruarentur æterna. Insuper, materia & forma inuicem referuntur, & alterius materiæ altera est forma, vt dicitur in 2. Phys. 26. quare vnius cōmunis materiæ, vna esse debet communis forma, quæ pro omnium generatione sit necessaria. Confirmatur: quia oppositorum eadem est ratio; Quare cum potentia materialis, & actus materiatus inuicem opponantur, vt datur vna communis potentia, ita dari debet vnus communis actus materiam perficiens, eique coæuus, & præsertim, quia æternitas magis congruit formæ, quæ præstantior est, quàm materiæ. Insuper in omni genere causę ad vnum primum necesse est deuenire, quare in genere materiatarum formarum, necesse est ad vnam primam, & communem materiatam formam deuenire. Insuper nisi hæc communis forma daretur, formæ, quæ gignuntur & pereunt, ex nihilo fierent, & in nihilum redigerentur. Insuper, agens non largiretur perfectionē formarum, sed multitudinem, quod aduersatur Auerr. in 12. Metaphysicæ 18. Prętereà, ea forma, cui nil est cōtrarium, non perit, orta enim inter contraria versatur, formæ corporis in materia prima nil est contrariū, quare non perit, & æterna est, ita Aristot. in primo de Cęlo colligebat Cęlum non gigni, nec interire, quia motui eius contrarium non competit, & in tertio de Cęlo 29. negat omnia posse gigni, quia corpus gigni non potest, alioquin daretur vacuū separatū. Et in primo de ortu & interitu, 33. inquit

*Auicenna.* (margin)
*Cōfirmatio.* (margin)

inquit in mutua permutatione Elementorū seruari idem cōmune corpus ;& in cont.
40.addit corpus vniuersale non gigni.Prætereà,genus Prædicamenti Substantiæ cor-
pus est,quod cum sit vniuocum, est necesse vt per vnam communem formam consti- *De sentētia*
tuatur,quæ alia esse non potest præter formam corporis,materiæ coæuam. Nitunrur *Auerr.*
nonnulli ostendere Auerr.fuisse huius opinionis,at quia ex primo Physi. 53.ex lib.de
Substantia Orbis,& ex Epitome Metaphy.tract.2.c.postremo, lucidissimè oppositum
colligitur,ideò in reijciendo errore conspicuo,morari nolo.Hæc opinio cū Arist.tum
rationi aduersatur. Aris.primò, quia nunquam indicauit huiusmodi formam dari, & *Reijcitur*
valde esset diminutus,si putasset eam dari,& nullibi eam explicasset. Prætereà, perpe- *forma Sub-*
ràm definiuisset materiam in 1.Physi.82.inquiens,esse subiectum primum,ex quo in- *stantialis*
existente res per se fiunt,& in quod vltimò resoluuntur,nam concessa hac corporis for *corporis*
ma coęua materię, ea definitio non materiæ , sed composito ex ea & forma corporis *coæua ma-*
competeret,vt consideranti redditur notum.Prætereà,conspicuè Arist. in calce primi *terię.* *Ratio 1.*
Phys.inter formas à materia secretas,ad Metaphysicum attinentes,& formas morta- *Ratio 2.*
les attinentes ad Physicum,nullam formam ponit mediam , inquit.n.de principio se- *Ratio 3.*
cundum formam,hoc est,de forma à materia secreta siue vna,siue multiplex sit , pri-
mi Philosophi officium est verba facere,de Physicis autē,& mortalibus formis,in sub-
sequentibus differetur,&c.Adeò vt solùm numeret formas à materia secretas,& mor
tales,ex quarum genere non est forma corporis.Et confirmatur:quia si datur huiusmo *Ratio 4.*
di forma,vel est considerationis Physicæ,vel Metaphysicæ;non Metaphysicæ,quia non
est abiūcta,sed materiata ; non Physicæ, quia non est natura, cum nō sit finis genera-
tionis,& principium alicuius motus.Insuper,vtor ratione,qua vtitur Aristo.sub initio *Ratio 5.*
primi de Ortu & interitu,aduersus veteres, statuētes materiā vnā aliquod Elemento-
rū:Si materia coęuā haberet formā,& esset corpus actu; omnis transmutatio esset acci
dentium,id.n.quod in Subiecto recipitur,qđ actu sit,est accidens.At soluunt,dicētes *Solutio.*
formas subordinatas posse in eodē reperiri, vt in viuente reperiuntur formæ mixtorū, *Euersio.*
& Anima.Hęc solutio nō satisfacit,tū quia forma ęterna nō parat pro mortali,tū quia
formę parantes pro subsequēte,recipiunt magis & minus,qđ non cōpetit formę cor-
poris,tū demū,qa cęterę formę nō sunt coęuę materię,propriæ eius,& rō recipiēdi re
liquas,vt forma corporis,quæ reddit cæteras formas quātas, & aptas diuidi. Pręterea, *Ratio 6.*
vtor rōnibus Aris.in 5. Phys.cont.8.ostendentis generationē non esse motū,inquit.n.
qđ mouetur est in loco,qđ generatur,hoc est subiectum generationis,non est in loco,
at si esset corpus,p se esset in loco.Insuper inquit,id qđ mouetur,est, nempe actu, qđ
generatur ,hoc est subiectū generationis,non est,s.actu, at si esset corpus,esset actu,&
generatio motus esset.Prætereà,perpendo reliqua Pręđicamenta , nullū reperitur ge- *Ratio 7.*
nus generalissimū eorū,qđ per vnā cōem formā constituatur, distinctā ab ea specierū,
veluti non datur vna prima cōis forma Qualitatis,Quātitatis, Relationis, & cæterorū,
distincta à formis specierū,quare similiter nō dēt dari vna cōis forma corporis consti-
tuens genus generalissimū Substātiæ,distincta à formis specierū eius.Hinc Aris.in 1.de
Ortu & interitu,cont.40.inquit,Quantū vniuersale nō gignitur,vt nec Animal,quod
nec Homo,nec aliqđ singularium fit,indicās perinde se habere de corpore , ac de cæte-
ris Animalib.q̄ colliguntur ex singularib.& seorsùm ab eis nec sunt,nec seruātur.Præ- *Ratio 8.*
tereà,si daretur huiusmodi forma corporis,corpus non esset genus Prædicamēti Sub-
stantię,qđ ostēdo: qa est sent.Aris.in calce 10.Metaph.ęternum & mortale non sunt
eiusdē generis.Insuper Aris.sub initio 2.de Ortu & interitu, constituēs ordinem inter *Ratio 9.*
principia generationis,primā statuit materiā , eā sequi ait contrarietates Qualitatum,
mox Elemēta,de hac corporis forma nullum facit verbum, vt nec alibi. Insuper,cum *Ratio 10.*
omnis forma Substantialis ex se sit indiuidua, quomodo hæc sola quæ nedum est for-
ma Substantiæ,verùm insuper æterna,erit per se apta diuidi,& erit origo diuisionis cę
terarū ? & præsertim cū omne diuisibile sit mortale,& diuisio sit via ad interitū,& nul
la alia æterna forma reperiatur quæ diuidi possit.Prætereà,Elemēta verè possent ex se *Ratio 11.*

moueri,& possent moueri in vacuo, quia diuiderentur in formam Elementi mouentē & corpus actu,mobile,& resistens quod tamen aduersatur Arist.Insuper,si id esset,Phy
*Ratio 12.* sicus vtens medio transmutationis, non posset resoluere vsque in primam materiam, sed solùm in compositum ex ea & forma corporis,quia huiusmodi compositum nun-
*Ratio 13.* quam variaretur.Insuper,euerteretur ratio Arist.in calce 8. Physi. ostendentis motores Coeli esse à materia solutos,nam in cont.78 loquens de formis materiatis, inquit maius corpus diutiùs seruari & moueri,corpus autem minus seruata proportione minus seruari,quæ regula redderetur falsa,si daretur forma corporis materiata, & æterna,tam diu.n.seruaretur pars, quàm seruatur totum. His & consimilibus rationibus conspicuè ostendi potest,huiusmodi formam esse commentum quoddam,& conspicuè pugnare cum ratione & sententia Arist. Rationes aduersæ posteriùs diluentur.

## *De dimensionibus terminorum expertibus coæuis materiæ. Cap. VIII.*

CVM apparuerit materiam nec corpus esse, nec esse prædită forma corporis sibi coæua, sequitur vt videamus, an ei competant dimensiones prædicamenti Quantitatis,terminorum expertes,eique coæuæ? Auer.
*Auerr.* vir acri iudicio præditus,varijs in locis,præsertim tamen in cap.de Substantia Orbis, cum putarit materiam nec corpus esse,nec præditam forma corporis,existimauit ei necessariò huiusmodi indefinitas dimensiones competere: quod varijs rationibus comprobari potest;Et primò, cum natura per gradus ex imper
*Ratio 1.* fecto ad perfectum progrediatur, pro prima rerum origine necessarium est commune Subiectum, extensione & dimensionibus præditum, vt diuidatur in partes, terminis circumscribatur,reddatque ea quæ recipit quanta,& apta diuidi,nam id quod dimensionum est expers, non valet cætera ex accidēti reddere quanta.Hinc materia dicitur
*Reijcitur instantia quorūdam.* Chaos,vacuum,magnum & paruum, & indefinita moles; Nec obest id,quod dicitur, accidentia exposcete Subiectum quod actu sit, id enim verum est de accidentibus terminatis,nam accidentia inhærent materiæ,& terminos recipiunt à forma,& ob id accidens pro suo esse absoluto solùm necessariò exposcit materiam; pro esse autem ter-
*Ratio 2.* minato exposcit Subiectum,quod actu sit. Confirmatur eadem opinio,quia sententia fuit primò Pythagoræ,mox Platonis, demùm Aristotelis infinitum aduersari formæ, consentaneum autem esse materiæ,& ex materia oriri,vt patet ex 3.Physi.materia autem non esset origo infiniti nisi coæuam haberet quantitatem & molem,finitum enim & infinitum sunt affectiones Quantitatis,vt asseritur ab Arist.in 1.Physi.Insuper,con
*Ratio 3.* firmatur eadem opinio ratione,qua frequenter consueuit Arist. vti pro indagādo propria conditione rerum.Nam id est materia,quo materiata à non materiatis distinguūtur,at distinguuntur mole, & extensione,materia itaq; est rudis indefinitaque moles.
*Ratio 4.* Demùm,id quod requiritur pro quouis Subiecto rerum, & contrario caret, non permutatur in rerum interitu & ortu; huiusmodi autem est moles,nam frustrà moles in-
*Cōfirmatio.* teriret,vt reficeretur,natura enim nil facit frustra. Insuper, omne quod fit,ex contrario fit,magnitudini in materia nil est contrarium, & quemadmodum Animal vt dicitur in 1. Physic. non fit ex Animali,quia iam est,ita nec Quantum ex Quanto. Hinc Aristoteles in primo de Ortu & interitu 33 .inquit, accretionem fieri adueniente aliquo quanto, quoniam non acquiritur noua moles, nisi adueniat noua materia. Hæc opinio approbatur à varijs, & satis consona est rationi, & experientiæ, tamen est du-
*Opinio vertitur in dubium.* bia, tum quia compositum per se, quale est compositum ex materia, & forma Substantiæ,debet anteire compositum ex accidenti,tum insuper,quia vt Substantia quouis modo dicitur prior accidente, in 7.Metaphysi.cont.quarto, ita forma Substantiæ

debet

debet esse prior accidente, tū tertiò, quia nulla materiata forma & diuisibilis, videtur posse esse æterna, vt patuit in præcedentibus tum demum, quia definitio materiæ tradita in 1. Physi. 82. non primæ materiæ competeret, sed congregato ex materia, & huiusmodi indefinita mole; Et confirmantur hæc omnia, quia Arist. in primo de Ortu & interitu, 22. dereliquit tanquam conspicuè absurdum, dari Ens potestate, expers cuiusque actus Substantiæ, cui competeret aliquis actus cæterorum Prædicamentorum, in quod absurdum illi labuntur, qui sunt huius opinionis.

## *Opinio putantium materiam nulla sibi coæua molle esse præditam.* Cap. IX.

DIVVS Tho. interpres egregius Arist. existimauit materiam nec esse actū aliquem, nec vllum sibi coæuum actum exposcere, sed in ortu & interitu rerum, semper fieri resolutionem vsq; in primam materiam; Eiusdē opinionis visus est fuisse Plotinus, qui in lib. de materia, dixit, in rerū ortu formā secum deferre molem sibi congruentem. Confirmatur hæc opinio primò, quia definitur ab Aris. Gener. in primo de Ortu & interitu, quòd sit permutatio totius in totū, nullo superstite sensibili. Insuper, quia accidens exposcit subiectum, quod actu sit. Tertiò, quia nulla forma materiata & diuisibilis valet esse æterna. Quartò, quia materia primò & propriè est materia Substantiæ, mox accidentium; vt in primo de Ortu & interitu, quare non valet primò esse materia dimensionum. Quintò, quia ea moles indefinita ad prædicamentum quantitatis attinere non poterit, cum sit æterna. Sextò, materia, nec quid, nec quale, nec quantum est, sed omnia hæc potestate, quare non habet molem sibi coæuam, quia ad eam nō esset potestate; omne.n. ad quod materia est potestate, est mortale, potentia namq; materiæ ad opposita est, vt patet ex 9. Metaph. Verùm hæc quoq; opinio dubia est. Primo, quia corpus fieri non potest vt in præcedentibus apparuit, quare est coæuum materiæ, sine ortu & interitu. Præterea, cum nec materia, nec forma sint corpora, constitutum quoq; ex eis nō posset reddi corpus, non.n. ex non quanto fit quantum, vt ex punctis non fit linea, nec ex lineis corpus, contrarium.n. fit ex suo contrario tanquam ex termino à quo, at nō tanquam ex parte. Prætereà, si formæ in materia non quanta reciperentur, non redderentur quantæ, & diuisibiles; formæ.n. sunt diuisibiles, & quantæ ex accidenti; & omne quod ex accidenti est tale, reddi debet tale per id, quod primò ex se tale est, nam huiusmodi ex se tale debet antecedere, quoniam id, quod accidit, posterius est eo, cui accidit, vt legitur in secundo Phy. in calce cap. de casu & Fortuna. Demùm, nisi materia coæuam haberet molem, esset apta diuidi in partes, nec ex se esset origo multitudinis, omne enim quod diuiditur, ob Quantitatem diuiditur, Est itaq; hæc opinio satis dubia, quanti autem roboris sint rationes pro ea relatæ, ex dicendis patebit.

*Marginalia:* D. Thom. — Plotinus. — Ratio 1. — Ratio 2. — Ratio 3. — Ratio 4. — Ratio 5. — Ratio 6. — Euersio. — Ratio 1. — Ratio 2. — Ratio 3. — Ratio 4.

## *De mole Materiæ opinio propria.* Cap. X.

CVM de mole materiæ singula quatuor principalia capita satis dubia apparuerint, vt de re obscura proferam, quod sentio, non polliceor me nouam allaturum sententiam, sed eam distinctè explicaturum, quam Aristotelis & plurimorum Græcorum puto fuisse opinionē, Pro cuius elucidatione accipio primò, vt rerum formas, ita materiā, sequi affectiones nonnullas, quas proprietates appellant, tanquam vmbras earum. Accipio secundò, (vt alibi patefeci,) affectiones partim esse idem cum fundamento, par-

*Marginalia:* Opinio approbanda. — Primum quod accipitur.

tim distingui; sunt idem pro esse absoluto, distinguuntur autem extrinsecùs,& secundum propriam formalitatem, ac rõnem. His præassumptis, dico, materiam sequi duas principales affectiones, quarum vna est potentia ad materiatas formas; altera autem est effusio essentialis, materiata dimensio, siue indefinita extensio, non euertens simplicitatem materiæ; & hoc est Subiectum absolutè primum, in quo mox recipiuntur formæ per quas primum illud Subiectum terminis circumscribitur, & tunc dicitur affici quantitate formali, & magnitudine, ex trina dimensione constituta, & quoniã hoc habet à quouis Substantiæ forma, idcò quęuis materiata forma dicitur constituere corpus, & omne compositum à forma habet, vt formaliter corpus sit, dum corpora inuicem permutatur, seruatur materiata dimensio, insuper seruatur corpus in genere. At corpus formale, definitum & terminatum, variatur, idcò dixit Aristo. corpus absolutè non gigni, sed fieri, hoc, vel illud corpus, adeo, vt nec detur forma corporis coæua materiæ nec dimensiones formales & indefinitæ, quæ accidentia sint eidẽ coæua, nec materia sit formale corpus, sed essentialis effusio, materiata dimẽsio, & indefinita moles, tanquam Chaos inane, & sedes formarum, nec non formalium magnitudinũ: hoc conspicuè ex Aristotele elicitur, nam in quarto Physi. cont. 15. inquit, quatenus locus videtur esse interuallum magnitudinis, eatenus videtur esse materia, hæc namq; distincta est à magnitudine, cum contineatur sub forma, definiaturq; ab ea &c. adeò vt eo loci Arist. conspicuè distinguat interuallum siue effusionẽ materiæ à magnitudine formali, quam recipit, quam effusionem frequenter nuncupauit nomine vacui, veluti in primo de Ortu & interitu, inquiẽs, Si materia seruaretur seorsùm à forma, daretur separabile vacuum, ideò Plotinus dixit à nonnullis materiam dici vacuum, & in 12. Metaphy. cont. 9. Arist. inquit, Chaos denotans susceptaculum, nil aliud esse, nisi materiã; Ita seruatur id quod dicitur ab Aristotele in secundo de Ortu & interitu, Elementa posse dici æqualia, quatenus æqualem materiæ portionem participant. Hæc fuit sententia Porphyrij & Moderati, referente Simplicio, in 1. Physico. in exp. cont. 69. nam Porphyrius referens sententiam Moderati, dixit: Quoniam aliqua Mens, ratioq; cum voluisset (vt Plato inquit) ortum rerum in materia constituendum esse, secreuit ab ea per priuationem quantitatem, cum priuauerit eam cunctis rationibus & formis, materiam autem nuncupauit quantitatem informem, indiuiduam, figuræ expertem, capacem tamen formæ, figuræ, diuisionis, qualitatis, cæterorumque huius generis: insuper eandem molem nuncupauit Plato omnicapacem, informem, inuisibilem, mente comprehendendam, &c. Conspicuè Porphyrius cum Platone, & Moderato, ait materiam esse indefinitam effusionem, hac consideratione seruatur vera sententia Ammonij in prædicamentis, dicentis, dari dimensionem, & molem, quæ Substantia sit. Hanc fuisse opinionem Simplicij ex dictis in præcedentibus conspicuum est, ideò in 4. Phys. com. 16. dixit, materiam esse dimensionem quandam materiatam, & indefinitam, quę nõ sit forma, quantum & magnitudo, sed dispersio, effusio, & infinitudo quædam. Insuper, eod. com. inquit, Alexandrum multa dixisse vt materiatam dimensionem à magnitudine secerneret, tamen hæc videri confundere & in vnum redigere, adeò vt Alexandro tribuat, ipsum quoq; putasse materiatam molem esse à formali magnitudine distinctam. Sententia Auer. de dimensionibus interminatis, materiæ coæuis, dum rectè explicatur, non differt à comprobata sententia, nam dimensio interminata considerata tanquam affectio materiæ, intrinsecùs, & pro suo esse absoluto, est essentia materiæ, & essentialis eius effusio, extrinsecùs tñ, & pro superaddita propria formalitate, est accidens ad quantitatem pertinens, quod per superuenientẽ formã terminos & perfectionem recipit. Scio tamen, asseclas Auerr. longe secùs eius opinionem explicare; Sic itaque principalium auctorum, & interpretum sententiæ satis rectè conciliantur; Et cum duæ sint affectiones materiæ, potentia, & moles, quæritur quęnã earum sit priorẽ Puto dicẽdũ, effusionẽ, & dispersionem antecedere. Rõ est: quia materia nõ esset apta recipere formas, nisi esset dispersio & effusio quędam essentialis. At dubitabit aliquis, quia

*Materiam sequuntur duæ principales affectiones.*

*Dimensio siue effusio materialis, & dimẽsio formalis.*

*Plotinus.*

*Porphyrius.*

*Alexand.*

*Auerr.*

*Quæ affectio materia sit prior?*

*Dubitatio.*

quia Arist. in primo Physic. disputans aduersus asserentes ens esse vnum & infinitum, inquit, si est infinitum, non est vnum, quia includit Substantiam, & Quantitatē, at per hanc opinionem materia statuitur vnum simplex & indefinitum. Respondeo, infinitum actu & per denominationem, non est vnum, infinitudo autem materiata & essentialis effusio, est vnum & simplex. Sed adhuc instatur: quia Arist. in 3. Phy. loquens de infinito, inquit, nil diuidi in partes nisi quantū sit, at per hāc opinionēm, materia cum sit effusio, diuidi poterit sine quantitate. Respondeo nil diuidi actu, nisi quantum, materia autem quamuis sit effusio, solùm potestate est diuisibilis: hinc Porphyrius eam dicebat indiuisibilem, redditur autem diuisibilis actu per quantitatem superuenientem.

*Solutio.*

*Aliq dubitatio.*

*Solutio.*

## *Diluuntur aduersæ rationes.* Cap. XI.

QVAMVIS ex hactenus declaratis satis cōspicuè eliciantur solutiones rationum, cum approbata sentētia pugnantium, clarioris tamen cognitionis gratia, potiores earum quàm breuissimè diluam. Ostendebatur c. 6. materiam esse corpus, rationes illæ pro eo vim habent, vt ostendāt materiam esse effusionem, & materiatam molē, vt patefeci, ea est Subiectum primum, inuariabile secundum essentiam, cætera quæ ei superueniunt, quamuis seruari possint genere, numero tamen variantur, vt ex dictis patet; At instabatur, quia omne corpus vel est Substantia vel Accidens, corpus autem quod est Substātia, compositum est. Respondeo, id esse verum de corpore actu & formali, de quo etiam vera sunt cætera, quæ eo loci adduntur, non de effusione, & materiata mole. Afferebātur c. 7. rationes pro forma corporis, coæua materiæ, quæ exigui sunt roboris, nam primò ea forma nō requiritur vt sit inchoatio formarum, quia pro eo sat est potentia materiæ, vt suo loco patefeci. Similiter non requiritur pro constituenda communi priuatione, quia priuatio non sequitur formam, sed comitatur potentiam, & quemadmodum in materia consideratur communis potentia, ita communis priuatio, nec pro ortu debet dari forma communis æterna, quia forma est principium, vt terminus à quo, vel ad quem; termini autem variantur. Addebatur vnius communis materię, vnā deberi esse communem formam. Respondeo, materiam referri ad formas per potentiā, & vt se habet de potentia, ita se debet habere de forma, potentia non est vna numero, & communis, sed vna genere. Addebatur in omni genere esse deueniendum ad vnum primum. Respondeo in genere formarum absolutè, deueniendū est ad vnam primam formam absolutè, quæ Deus est; in genere formarum materiatarū, attinentium ad Prędicamentum Substantiæ id primum debet esse vnum, non numero, sed genere, vt in reliquis Prædicamentis. Dicebatur, ꝙ nisi ea communis forma daretur, formæ fierent ex nihilo, & agens non largiretur perfectionem, sed multitudinem. Hoc persolui, dum loquebar de inchoationibus formarum, nam potentia est inchoatio cuius perfectio est forma & actus. Addebatur, corpus non gigni, quia caret contrario. Respondeo, ea materiata effusio non gignitur, corpus ad Quantitatem & ad Substantiam pertinens non gignitur genere, omnis enim forma Substantiæ dat materiæ vt sit corpus, at variatur numero, & tanquam terminata proprio termino. Dicebatur corpus prædicamenti Substantiæ esse vniuocum, & egere forma vna per quam constituatur. Hæc ratio quæ à nonnullis maximi fit negligenda est, nam genus vniuocum, vt est vnum, ita exposcit formam vnam; at est vnum genere, & si ea ratio alicuius esset roboris, necesse esset omne genus constitui per formam vnam, quod tamen in nullo Prædicamentorum seruatur, vt consideranti notum est. Demùm afferebantur rationes pro dimensionibus interminatis, ex sententia Auerrois, quæ rationes, & sententia quid veri includant, patet ex rectiore explicatione eius opinionis. Rationes pro opinione

*Diluuntur rationes 6. cap.*

*Diluuntur rationes 7. cap.*

*Ratio quę à nonnullis plurimi fit, negligenda penitus.*

*Diluuntur rationes pro dimensionibus interminatis.*

 D.Tho-

D.Thome relatæ, per ſæpe dicta ſalutæ ſunt,& præſertim quoniā ego cum D.Th.exiſtimo cuncta quæ in compoſito reperiuntur præter eſſentiā materiæ permutationi eſſe obnoxia.Inſuper generatio dicitur mutatio totius,quia dū mutatur poſtrema differentia,variatur totum: vltima enim forma eſt totum id,quod res eſt,vt dicitur in ſeptimo Metaphyſi.43.Sed duæ ſuperſunt diluendæ difficultates, vna eſt,an materia cum ſit materiata moles,prædita ſit partibus? Altera an ſit in loco? De prima,videtur prædita partibus,omnis enim effuſio partes habet inuicē diſtantes. Inſuper, vt totum ad totū,ita pars ſe habet ad partē;ſed tota materia eſt prior tota formali mole, vt Subſtātia Accidente,quare partes ſunt priores partibus formalis molis.Rňdeo, materiā habere partes poteſtate,non actu, habere partes eſſentialis & materialis effuſionis,non formalis molis; Et dum dicitur vt totum ad totum,&c.Reſpondeo,materiam totam antecedere ſecundum eſſe abſolutè, at non ſecundum eſſe formaliter quantū, & idipſum dicendum de partibus veluti corpus eſt prius albedine ſecundum eſſe abſolutè, at non ſecundū eſſe formaliter album. De altera difficultate,dū quæritur, an materia ſit in loco? Ariſ.hac de re videtur ſecum pugnare:nam in 5. Phyſi. 8.oſtendens generationē non eſſe motum,inquit;quod mouetur eſt in loco,quod generatur nēpè materia,& Subiectum generationis,nō eſt in loco.In primo autem de Ortu & interitu,27. inquit; id quod gignitur,neceſſariò eſt in loco,quare & materia,ex qua gignitur.Pro ſolutione cōſiderandum,ꝗ dum quæritur,an materia ſit in loco? id poteſt intelligi dupliciter:vel an ſit in loco vt eſt pars compoſiti; vel an ſi ſeorsùm exiſteret,eſſet in loco: in prima ſignificatione dicendum eſt,eam eſſe in loco ex accidēti, & id tribus modis; primò,quia per formalē molem in ea exiſtentē,ſecundò,quia per compoſitum, quod per ſe eſt in loco;tertiò,per Qualitates mouentes ſecundum locum dicitur vel ſurſum vel deorsùm eſſe ſecundum naturā,ſiue præter naturam.Ariſt.in 5.Phyſi.negat eā eſſe in loco per ſe; in primo de Ortu infert eam eſſe in loco niſi per ſe,ſalrē ex accidenti. In altera ſignificatione, an materia ſeorsùm ſubſiſtens eſſet in loco, inquit Scot. in 2. Sent.ſi materia ſeorsùm à forma conſideraretur extra vniuerſum minimè eſſet in loco quia extra Mundū locus non eſt,at ſi intra conſideraretur, ea non eſſet in loco per circumſcriptionem,ſed per Definitionem,vt etiam ſeparatæ formæ. At quia iam pate feci,quòd aſſerere materiam exiſtere ſeorſum à forma includit contradictionem,propterea dicendum puto,ꝗ materia ſecundum propriam condirionem conſiderata, potiùs dicenda eſſet locus dimenſionum formalium,& inane, vt à Platone & ab Ariſto. dicitur,quàm in loco:nam quod eſt in loco,debet ambiri,indefinito repugnat vt ambiatur; Inſuper cum ſit tanquam vacuum,repugnat vacuo eſſe in loco, alioquin vnū interuallum eſſet in alio. Quare dicamus,ꝗ putare materiā exiſtere ſeorsùm à forma, variæ ſequuntur contradictiones,quarum vna hæc eſt,quòd ſimul non eſſet in loco,& eſſet in loco: primò non eſſet in loco,quia non eſſet: inſuper quia eſſet tanquam inane,cui repugnat eſſe in loco,vt etiam repugnat conditioni indefinitæ & non terminatæ,cum locus ſit terminus ambiens, ex aduerſo eſſet in loco quia quod ſit ex ea in loco eſt,vt argumentatur Ariſt.in 1.de Ortu & interitu.

*Prima dubitatio, an materia ſit prędita partibus.*

*Solutio.*

*An materia ſit in loco.*

*Solutio.*

*Sent. Scoti.*

*Opinio propria.*

## *An Materia ſit Principium indiuidua conſtituens?*
## *Cap. XII.*

QVAMVIS indiuidua ſint proxima ſenſib.& primò à nobis cognoſcantur,quod tamen principale principium ſit, per quod conſtituātur,ſummopere latet, qua de re loquuturus, accipio primò vnum eſſe quadruplex,numero,ſpecie,genere,Analogia,ſiue potiùs ab vno & ad vnū.Horū quatuor vnū numero eſt maximè vnū,& cętera includit.Inſuper accipio tanquam notū,vnum ſpecie,& genere per formā conſtitui,vniuerſale,n.formam deno-

*Vnum quadruplex.*
*Vnū genere & ſpecie per formam cōſtituitur.*

denotat,& ex ea elicitur,hinc qui dicit Cœlum,Carnem,& similia vniuersalia,formā denotat,vt asseritur 1.de Cœlo 92.Tertiò considerandum,quod vnū numero vsurpatur & latè,& propriè,latè,dum ea quæ sunt vnum Subiecto,dicuntur vnum numero, vt in primo Physic.66.materia & priuatio vnum numero dicuntur,indiuiduum autē siue vnū numero propriè,adhuc est duplex, vel speciei,vt Alcibiades,vel generis, vt hoc animal,hoc corpus,præsertim tamen indiuiduum speciei,est propriè indiuiduū: Dubitatio est de quolibet indiuiduo,præsertim tamen de eo speciei.Quod indiuiduū est duplex,vel indefinitum,cōstituens enunciationem particularem, vt quidam Homo,vel definitum,& hoc tribus modis indicatur, vel nomine proprio, vel propria circumscriptione,vel pronomine ostensiuo. Insuper,vnum numero,vel consideratur in formis abiunctis, vel in compositis materiatis, dubitatio est de his, nam de abiunctis conspicua est sententia Aristotelis, in eis non differre naturam speciei ab ea indiuidui, & seipsis,sine medio esse id quod sunt, vt constat ex septimo Metaphysicæ,41.8. Metaphysicæ cont.vltimo,& 3.de Anima,cont.9.Similiter in primo de Cœlo,92.legitur in solis iunctis cum materia Cœlum & hoc Cœlum distingui. Hoc autem vnum numero materiatum adhuc est duplex, vel compositum ad substantiam pertinens, vt Alcibiades, vel compositum ex substantia & Accidente, vt hoc album. Dubitatio est de substantia,quod propriè & præsertim vnum numero dicitur, in qua considerantur vna numero forma,vna numero materia, & vnum numero compositum,de quo cōposito est sermo.De huiusmodi indiuiduo loquendo, considerandum est, quòd cum in se sit vnum,etiam est distinctum à quouis alio,& non est aptum vt tale est,competere pluribus.Demùm accipiendum est vnius rei plura posse esse principia, & causas, vt legitur in secundo Physicorū,ideò etiam indiuiduationis principia, & causæ possunt esse plures.At dubitatio est de principali,& potissima. Quæritur itaque,quodnam sit principale principium constituens postremum indiuiduum materiatæ substantiæ?

*Vnum numero.*

*Indiuiduū speciei duplex.*

*Conclusio.*

## *Rationes pro opinione dicentium, Materiam esse principale principium indiuiduationis. Cap. XIII.*

De principali principio indiuiduationis, sex sunt opiniones principaliores,nonnulli enim id tribuunt materiæ alij modo cuidam materiæ, qui dam Quantitati,nonnulli simul materiæ & Quantitati,quidam congregato ex accidentibus,quæ nuncupantur indiuiduantia,nonnulli demū formæ. Quicumque id materiæ tribuunt, rationibus & auctoritatibus satis validis & conspicuis vtuntur.Et primò Singulare,& vniuersale opponuntur ex sententia Aristotelis in secundo cap.primi Poster.quare principale principium constituens Singulare,debet opponi principali principio constituenti Vniuersale;at Vniuersale constituitur per formam;quare Singulare per materiam,oppositam formæ per relationem, & vt potentia opponitur actui; hoc videtur denotasse Aristot. in primo de Cœlo 92.inquiens,circulum denotare formam solam, hunc vero circulum formā cū materia.Præterea id statui debet principium indiuiduationis,quod est multitudinis, & infiniti est origo,indiuidua enim multa & indefinita sunt, multitudo autem & infinitum ex materia prodeunt, tum ex sententia Pythagoræ, denotantis materiam per binarium,& numerum parem,quæ sunt semina multitudinis & infiniti, tum ex sententia Platonis nuncupantis materiam magnum & paruum,hoc est indefinitū quoddam & binarium;tum demùm,ex sententia Aristotelis asserentis in 3.Physic. infinitū ex sola materia prodire,& ob id solùm dari infinitum potestate,hinc in primo de Cœlo 92.inquit,omnem formam in materia existentem vel esse numero multiplicem,vel esse posse,& 12.Metaphys.49.ait:si plures essent primi motores,materiam includerēt.

*De principio indiuiduationis opiniones sex.*

1 *Quod materia sit principium.*

*Ratio 1.*

*Aristoteles.*

*Ratio 2.*

Præte-

*Ratio 3.* Præterea, idest principale principium indiuidui, quo posito, indiuiduum secernitur à conditione speciei, & quo dempto, aufertur ea distinctio; at hoc materiæ competit, nam ex sententia Aristotelis in tertio de Anima, nec non in 7. & 8. Metaphysicæ, in

*Ratio 4.* seiunctis à materia, ea non distinguuntur. Quartò, cum indiuidua inter se distinguantur vel primo & præsertim distinguuntur forma, vel materia; non forma, quia quę di-

*Cõfirmatio.* stinguuntur forma, distinguūtur specie, & essentia; quare distinguuntur materia, quod non contingeret, nisi ea esset principium indiuiduationis. Et confirmatur per Aristotelem in 10. Metaphysicę 25. dicentem, marem à fœmina distingui non specie, sed materia; at si mas per materiam & corpus distinguitur à fœmina, longè magis per ea distin

*Auerr.* guentur inter se indiuidua. Hinc Auer. in prima disp. contra Algaz. in sol. 7. & 8. difficultatis, conspicuè asserit, indiuidua ab inuicem distingui materia, & ob id asserit, quòd si Animæ seruarentur post interitum Hominum, esset necesse, vt in vnam venirent.

*Ratio 5.* Quintò, id conspicuè elici videtur ex Definitione Indiuidui, nam in quinto Metaphysicæ cont. 12. Definit Indiuiduum quod sit id, cuius materia est vna, ex quo hęc elicitur ratio, id est principale principium Indiuidui, per quod Definitur; at Definitur per

*Arist.* materiam, quare ea est principale principium. Hoc asseritur ab Aristotele in septimo Metaphysicæ cont. 28. dicente, omnis iam talis forma in his carnibus & ossibus, Callias est, & Socrates, distincta quidem per materiam. Et in cont. 35. vltima materia singulare est, & 3. Metaphysicę 11. legitur: Multitudo vel est rerum differentium forma,

*Alexãder.* vel Quantitate; Eiusdem opinionis visus est fuisse Alexander: nam in primo Nat. qq. cap. 3. inquit: Animal rationale si cum materiatis circumstantijs sumatur, Singulare constituit, sine eis verò Vniuersale. Idipsum repetit cap. 25. & in primo de Anima, ca. 25. ait: dum speciem Hominis abdicatis materię appendicib. excipimus, nil aliud quā communem hominem intuemur, quippè quòd singularium Hominum differentia à

*Rationes ad uersæ.* materia proficiscitur. Hæc opinio dubitatione non caret: Nam indiuiduū est id, quod non est aptum competere alijs, est non distinctum à se, & distinctum à quouis alio: hoc

*Ratio 1.* non potest ex materia oriri, ea enim nec vnum constituere valet, nec distinctionem, cū

*Ratio 2.* sit communis cunctis mortalibus, & expers cuiuslibet distinctionis. Præterea, principale principium huius debet esse conditionis, vt cum ex se sit tale, cætera sint talia mu nere eius; materia, & eius partes non sunt ex se indiuiduæ, non natæ subijci alijs, & se-

*Ratio 3.* paratis à materia, sine materia competit conditio indiuidui. Demùm si per materiam constitueretur indiuiduum, ea scientia, quæ abstraheret à materia, abstraheret etiam à conditione Indiuidui; at hoc non accidit, nam Aristoteles in septimo Metaphysicæ trigesimoquinto, inquit, dari singularia Mathematica, quæ cum sint seiuncta à materia, ea appellat singularia intelligibilia.

## *De Principio Indiuiduationis opinio secunda & tertia.* Cap. XIIII.

*Principiū esse Quantitatem.*
*Ratio 1.*
*Ratio 2.*

Existimarunt nonnulli principium Indiuiduationis non materiam, sed Quantitatē esse, idque nituntur ostendere. Primò, quia distinctio indiuiduorum non potest constitui per differentias essentiales, illę enim constituunt, & distinguunt species, quare constitui debent per accidentales, accidentium autem origine primum est Quantitas, per eā itaque primò constitui deber. Præterea, id primò constituit indiuiduum, per quod materia in partes diuiditur, & sine quo distinctio, & multitudo indiuiduorum non seruatur: huiusmodi autem est Quantitas. Demùm frequenter Aristoteles conditionę in-

*Ratio 3.* diuiduorum circumscribit per quantum, veluti in 4. Metaphysicę 22. inquit mortalia fluere secundum quantum, hoc est, secundum conditionem singularem, seruari verò secun-

ſecundum quale,hoc eſt,ſecundum cõditionem communem.Nec deſunt alij,qui ter- *Opinio 3.*
tiam enunciantes ſententiam,inquiunt accidentia cuncta,ſingulorum propria,& præ
ſertim quantitatem eſſe principium Indiuiduationis:hinc ea dicuntur accidentia indi-
uiduantia.Ratio eſt:quia ſi ſolam quãtitatem inſpicimus,ea eſt apta in partes diuidi , *Ratio 1.* *Porphirius*
pluribusque formis ſubijci . Confirmatur auctoritate Porphyrij, qui circumſcribens
ſingularia,dixit eſſe ea,quæ ex accidentibus conſtant, quorum collectio non valet ea-
dem in alio reperiri, & in ſecundo Poſter.inquit Philoſophus,ſub eadem ſpecie mul- *Ariſtot.*
tas reperiri differentias,ad eſſentiam non attinentes, quæ ſunt accidentia indiuiduan-
tia:ideò eo loci inquit Philoponus id fuiſſe dictum , quia indiuiduum eſt congrega- *Philoponus*
tum ſecundum accidens . Præterea , illud eſt principium indiuidui,per quod indiui- *Ratio 2.* *Ratio 3.*
duum vnum differt ab altero;at differunt,non per eſſentiam,ſed per accidentia,ea ita
que ſunt principium indiuidui. Inſuper,id eſt principium indiuidui à quo abſtrahunt
ſcientiæ,quarum officium eſt abſtrahere ab indiuiduis; at abſtrahunt non à materia , *Ratio 4.*
nec à forma,ſed ab accidentibus;ea itaque ſunt principium indiuiduorum. Præterea ,
id eſt principiũ indiuidui, quod ſingulare ſuperaddit naturæ ſpeciei; at ſuperaddit ſo-
lùm accidens. Hinc Boetius in Porphyrium dixit,ſpeciem denotare vniuerſam eſſen- *Boetius.*
tiam indiuidui , & indiuiduum nil addere niſi accidens . Hę duæ opiniones apprimè *Euerſio.*
dubiæ videntur, non enim indiuiduum Subſtantiæ poteſt primò per accidentia con-
ſtitui,quod oſtendo;Et primò,Vt genus Subſtantiæ ſe habet ad genus Accidentiũ,& *Ratio 1.*
ſpecies ad ſpeciem , ita indiuiduum ad indiuiduum,vt genus & ſpecies Subſtãtiæ ſunt
priora genere & ſpecieb. Accidentium,vt dicitur in 7.Metaphyſ.cont.4.quare indiui-
duum quoq; Subſtantię,iudicandum eſt prius indiuiduis Accidentiũ,prius autem nõ *Ratio 2.*
conſtituitur per poſterius.Inſuper,accidentia indiuidua redduntur per Subiectum, &
albedo vnius partis niuis,eſt numero vna, quia Subiectum eſt numero vnum , quare
non poteſt Subiectum reddi vnum numero per eius Accidentia. Præterea,inquit Phi *Ratio 3.*
loſophus in Prædicamento Subſtantiæ,indiuidua eius eſſe Subſtantias primas, & cæ-
tera vel eis accidere,vel de eis dici,Subiectum autem eſt prius his quæ illi accidũt, vt
dicitur in 1.Phyſic.Pręterea,vt Pręedicamentum ſe habet ad Pręedicamentum,ita indi
uiduum ad indiuiduum; Pręedicamentum Subſtantiæ eſt prius origine Prædicamẽtis *Ratio 4.*
Accidentium;quare indiuiduum Subſtantiæ antecedit origine indiuidua Accidentiũ,
& non poteſt per ea conſtitui.Præterea,inquit Themiſtius in 3.de Anima, quòd aliud *Ratio 5.*
eſt indiuiduum,& eſſe indiuidui,vt Socrates,& eſſe Socratis, Socrates includit Acci-
dentia,eſſe eius illa excludit & ſolùm includit principale principium indiuidui,& cum
eſſe Socratis non ſit Accidens,ſed prima Subſtantia,abſurdum eſt dicere Accidẽs eſſe
principale principium indiuidui.Præterea,aſſeritur in 2.Phyſ. omne ſecundum Acci- *Ratio 6.*
dens eſſe poſterius eo,quòd eſt ſecundũ ſe,& redigi ad id prius,quod eſt ſecundũ ſe;at
Accidentia cum Subſtantia conſtituunt compoſitum ſecundum Accidẽs,
quare expoſcunt aliquid prius ſecundum ſe , id autem eſt in-
diuiduum,quod dicitur prima Subſtantia;quare id
non conſtituitur per aliquod Accidens,
ſed per aliquam Subſtantiam
antecedentem .

Demùm Accidentia, & præſertim terminata Quantitas, quæ *Ratio 7.*
ab eis ſtatuitur principium principale indiuidui,va-
riantur,ſeruato indiuiduo eodem;quare
ea non ſunt principale prin-
cipium Indiui-
duorum .

De

## *De Principio Indiuiduationis opinio Quarta. Cap. XV.*

*Opinio 4. D. Thom.* OPINIO quarta est D. Dhomæ & multorum qui eum sequuntur, & inquiunt, nec solam materiam, nec solam Quantitatem, sed materiā quātam esse Principium indiuiduationis. Hoc elicitur ex D. Tho. in quinto Metaphysicæ exponente cont. 12. & latius in 3. parte Summæ, q. 77. art. 2. quo loci inquit, Conditio indiuidui est, vt nequeat in pluribus esse: quod dupliciter contingere potest; primò, quia non sit natum in aliquo esse, veluti formæ immateriatæ ex se subsistunt, & indiuiduæ sunt; secundò, quia quamuis sit natum esse in aliquo, non tamen valet esse in pluribus, vt formæ materiatæ Substantiarum, & Accidentium, quæ ita sunt in aliquo, vt nequeant esse in alio, veluti hæc albedo. Vt pertinet ad primum, materia est principium indiuiduationis singularum formarum in ea existentium: cum enim uiusmodi formæ exposcant Subiectum, & recipiantur in materia, quæ non est in alio, similiter nec forma ei inhærens poterit esse in alio. Vt verò pertinet ad secundum, Quantitas est indiuiduationis principium, ideo enim aliquid aptum est esse in vno solo, quia id ex se indiuisum est, & diuisum ab omnibus alijs, diuisio autem competit Substantiæ per Quantitatem, ac ita Quantitas est quoddam indiuiduationis principium, quatenus formæ numero distinctæ, sunt in varijs partibus materiæ; & ob id Quantitas ex se includit quandam indiuiduationem; Possumus enim imaginari plures lineas eiusdem speciei, differentes positione, quę ad Quantitatem pertinet, &c. Ex his elicitur conspicua sententia D. Tho. quam nonnulli recentiorum sibi vt propriam arrogarunt. Pro cuius opinionis cōfirmatione ea afferri possunt, quæ in præcedentibus pro opinione putantium vel materiam, vel Quanti-

*Cōfirmatio.* tatem esse principia indiuiduationis, relata sunt. At vt aduerso vt per ea fundamenta

*Euersio.* confirmatur, ita per aduersas rationes rejicitur, & præsertim per eas quibus ostensum est, accidentia non posse statui principia indiuiduationis. Quibus addo, quòd cum hi

*Ratio alia.* duo statuant principia indiuiduationis, vel ea æquè sunt prima, vel vt non æquè; non enim Substantia & Accidens iudicari valent principia æqualiter, & eiusdem gradus.

*Euasio.* Si alterum eorum est prius, nos id quęrimus, & de eo est dubitatio. At inquit D. Tho. indiuiduorum duas esse conditiones, quæ per ea duo constituuntur, adeò vt neutrum sit principium adęquatum, sed ambo simul. Contra statim, quòd de forma materiata

*Euersio.* dicimus non esse aptam esse in alio, & competere alijs, indicamus esse indiuiduam, & quia hoc habet à materia, ea sine Quantitate poterit esse principium indiuiduationis. Præterea, ratio D. Tho. videtur leuis, cum dicit huiusmodi formas per materiam non posse esse in alio, quia materia non est in alio, nam in statia est de loco, qui non est in alio loco, & tamen corpus, quod in eo est, valet in alio reperiri. Præterea, quod addit de Quantitate, quòd ex se habet indiuiduationem, videtur pugnare cum eius sententia, quia si seclusa materia seruatur conditio indiuidui, materia nō erit principium necessarium eius. Insuper, quia Iuniorum nonnulli aiunt eam fuisse opinionem Auer-

*Auerroem. non fuisse eius opinionis.* rois, conspicuè elicitur eos decipi, ex secundo de Anima 63. quo loci inquit Auerroes, per Hominis Phantasiam, quam ipse vim cogitandi appellat, apprehendi indiuidua decem Prædicamentorum, & expoliari intentionem particularem à sensibilibus communibus & proprijs, eamque collocari in facultate memoriæ, &c. cōspicuè Auerroes his verbis indicat seruari conditionem indiuidui seorsùm ab omnibus accidentibus, quod non contingeret, si per accidentia constitueretur: hinc Auerr. in primo de Anima, 63. & 90. in secundo de Anima 60. & alibi, ait distinctionem & constitutionem indiui-

*Ratio alia.* duorum ex forma pendere. Præterea, illud censeri debet principium indiuiduationis, quod cum ex se sit tale, cætera per illud indiuidua redduntur, at materia Quanta non

*Cōfirmatio.* est huiusmodi, vt conspicuum est. Et confirmatur, quia ex sententia D. Thom. Quanti

tas non præcurrit,sed sequitur formam,cum itaque forma indiuidua sit ante Quantitatem,non valet per sequentem Quantitatem indiuidua reddi. Prætereà,materia cum fit communis,non valet esse principium indiuiduationis,nec quantitas interminata, tum quia est communis,tum insuper,quia non cōceditur à D.Tho.neque terminata: quia formam indiuiduatam sequitur,quare nec materia quanta statui potest huiusmo di Principium. Et confirmatur:quia si id esset,indiuiduum substantiæ non ad solum Prædicamentum substantiæ pertineret,quia includeret Accidentia pertinētia ad alia Prædicamenta,quod est absurdum,vt enim substantiæ non pendet ex alijs Prædicamentis,ita indiuiduum Substantię, quod est Substantia prima, ex alijs pendere non debet:non itaque materia, nec materia Quanta, vel materia alijs accidentibus coarctata,valet esse principale principium indiuidui. *Alia ratio.* *Cōfirmatio.*

## *De Principio indiuiduationis opinio Quinta: Cap. XVI.*

SCOTVS, ingenio perspicacissimo præditus in 2. Sent. Dist. 3.q.6. loquens de principio indiuiduationis,inquit, non propriè sumptam materiam,sed modum materiæ,quem & materiam totius, & hecceitatem appellat,statuendum esse commune & adæquatum principium indiuiduationis.Pro cuius explicatione considerandum est, ex opinione eius primò origine dari naturam speciei,quæ sit specie vna, non formaliter sed pro fundamento,quæ reddatur vna formaliter per differentiam constituentem speciem,quę natura ab eo dicitur vnitas maior vnitate generis,minor vnitate formali speciei, quale est Animal in Homine,& color in albedine.Insuper imaginatur dari vltimam realitatem formæ,materiæ, & compositi, primò diuersam à quauis essentia eorum, quæ sit tamquam actus contrahens naturam eorum ad postremam realitatem indiuidui:quā postremam realitatem ait nuncupari materiam,quia est extra essentiā speciei, & rem constituit aptam subijci,vt differentia specifica constituit rem aptam formaliter prædicari. Et quamuis hæc vltima realitas comparata cum forma speciei, sit quidā actus, eam contrahens,tamen non dicitur forma,sed materia, quia est præter essentiam rei, nec reddit eam aptam prædicari,sed solùm subijci,adeò vt ei repugnet diuisio in plures partes aptas subijci,quæ cum sint propria materiæ,ideò nomine materiæ denotatur,non quidem partis, sed totius,quæ cōtradistinguitur ab essentia cuiuslibet rei sub Deo existentis,siue sit forma,siue materia partis,siue compositum. Vtitur pro comprobanda hac opinione duplici ratione. Prima est,quia vt Vnitas vniuersè sumpta,sequitur Ens vniuersè sumptum,& cū eo reciprocatur,ita aliqua Vnitas aliquod Ens,quare maxima Vnitas,qualis est ea indiuidui,sequi debet naturam speciei, contrahendo illam,hæc autem est illa vltima realitas,quæ hecceitas dicta est. Secunda, omnis differētiā redigi debet ad aliqua primò diuersa,quare differentia indiuiduorum ad primò diuersa redigi debet,ea non sunt natura speciei,quæ in varijs reperitur, non natura materiæ partis,communis multis,non accidentia,nec negationes,vt conspicuū est,quare erunt entitates positiuæ contrahentes naturam materię,formæ,& compositi,quę hecceitates & materia totius nuncupantur,distinctæ formaliter ab eis quæ contrahuntur, & hanc ait Scotus denotasse Aristotelem in 5.Metaphysicæ,cont.12.inquientem,vnū numero id esse,cuius materia est vna,& in 12.Metaphysicæ 49.asserentem actum primum nempè Deū immunem esse à materia:nam Deum solum huius materię expertē existimauit.Ego consentio cum Scoto, dari materiam, & partis & totius,vt suo loco patefeci;dissentio tamen primò,quia eam Vnitatem mediam inter Vnitatem speciei, & generis cōmentum iudico. Secundò,quia materiam totius non puto esse hecceitatem,

*Opinio 5.* *Sententia Scoti.* *Ratio 1. Scoti.* *Ratio 2.* *Consensio cum Scoto, et dissensio.*

tem, ſed omne quod eſt præter eſſentiam compoſiti. Tertiò, eam materiam totius, non
puto competere cunctis ſub Deo poſitis, ſed ſolùm compoſitis. Quartò, quia non
puto eam eſſe principale principium indiuiduationis. Demùm; non exiſtimo Ariſtotelē
*Prima diſſenſio.* in 5. & 12. Metaphyſicæ per materiã denotaſſe illam hecceitatem. Vt pertinet ad
primum, ea diſtincta Vnitas ſuperuacanea videtur, quoniam ante aduentum differentiæ
ſpecificæ, ſemper ea Vnitas pertinet ad genus, & generica eſt, quia Vnitas formam
ſequitur, inter gradum formæ genericæ, & ſpecificæ non datur medium: ſolùm dicere
valemus, quòd vt materia conſiderari poteſt pro ſuo eſſe abſoluto, & eſt vna, & pro
eſſe relato ad quatuor primas formas Elementorum, & eſt quadruplex, vt aſſeritur, tertio
Cœli 37. ita gradus genericus conſiderari poteſt pro ſuo eſſe abſoluto, pro quo
eſt vnus, & pro eſſe relato ad ſpecificas differentias, & eſt totùplex, quot ſunt differentiæ,
& modo quodam medius: at hæc eſt diſtinctio, & ordo non abſolutus, ſed rationis,
*Secunda diſſenſio.* qua ſola conſideratione ea Scoti ſententia approbari poteſt. Vt pertinet ad ſecundum,
nempè quod materia totiùs non ſit relata hecceitas, oſtenditur primò, quia materia
totius refertur ad formam totius, & ab ea contradiſtinguitur forma totius, quę ab
Ariſtotele in 2. Phyſic. dicitur totum, & compoſitio eſt vniuerſa eſſentia compoſiti,
quare materia totius eſt id omne, quod competit compoſito, & eſt præter eſſentiam
eius: huiuſmodi autem non ſunt illæ poſtremę realitates competentes nedum compoſito,
verum etiam materiæ & formæ, ſed ſingula accidentia, & conditiones indiuiduantes.
*Cõfirmatio.* Confirmatur: quia forma totius denotat totum quoddam, & perfectum, præſupponens
partes varias, hoc competit ſoli compoſito, non autem materiæ, & formę. Inſuper,
alienum à vero puto, quòd prima rerum materia conſtet ex materia partis, & forma
totius. Similiter, ſimplices rerum formæ, ita enim in compoſito triplex eſſet forma
totius, triplexque materia, & præter eas forma quarta partis, & materia quarta partis.
Inſuper, materia non eſſet Subiectum primum, vt dicitur in primo Phyſ. 82. ſed aliud
includeret, nempè hecceitatem, per quam redderetur apta ſubijci, dicendo, hęc materia
eſt materia, cum tamen numquam dicatur hæc materia, niſi vt includit proprias diſpoſitiones.
Similiter, forma partis non valet includere aliquid, quod ipſius formę materia
ſit, ita enim forma eſſet materia ſuimet, & materia rectiùs diceretur forma, quàm
materia, quia propriè materia eſt eius eſſentia, quæ eſſentia dicitur forma totius: hæc
autem abſurda videntur: Inſuper, conſpicuè Ariſtoteles in 8. Metaphyſicę, cont. 8. inquit,
idem eſſe Animam, & eſſe Animæ, quod minimè verum eſſet, ſi Anima includeret
*Tertia diſſenſio.* materiam totius. Loquēdo de tertio, ſatis lucidè patet ex ſententia Ariſtotelis, materiam
totius non competere cunctis ſub Deo poſitis, & Deum ſolum ab ea eſſe immunem;
nam frequenter ait in omnibus à materia ſeiunctis, in idem venire naturam
ſpeciei & indiuidui, adeò vt in eis idem ſit caro & eſſe carnis; veluti etiam de Anima id
protulit in 8. Metaphyſicæ, cont. 8. Inſuper, in 1. de Cœlo 92. inquit. In ſolis conflatis
ex materia & forma, carnem & eſſe carnis diſtingui. Similiter, Cęlum, & eſſe Cęli, ſiue
Mundum, & eſſe Mundi, & explicans quæ ſit hæc materia, per quam diſtinguuntur,
non ait eſſe hecceitatem, ſed corpora ſenſibilia, ſuo ordine mundum conſtituentia.
Inſuper cum Philoſophus in 12. Metaphyſicę oſtendat motorem cœli eſſe abiunctum,
& à materia immunē, quærit deinde in cont. 43. an huiuſmodi motor ſit vnus,
vel plures, & ait eſſe plures, omneſque eſſe abiunctos, & à materia ſolutos ob eandã
rationem, hoc eſt, quia ſemper mouētur, adeò vt non primum ſolùm, ſed motores omnes
conſimiliter ſtatuat expertes materiæ, & de omnibus aſſerit, quòd idem eſt eſſentia,
& id cuius eſt eſſentia, ſimiliter in 8. Phyſ. oſtendens Philoſophus motores Cœli
eſſe materia ſolutos, de propriè ſumpta materia loquitur, non autem de illa hecceitate,
& proptereà cum in 12. Metaphyſicę 49. tanquã conſpicuè abſurdum derelinquat,
primum motorem eſſe materiatum, non denotauit hecceitatē (vt cenſuit Scotus) ſed
*Elicitur aliud.* eam materiam à qua in 8. Phyſicorũ, & in eodem 12. Metaphyſicę demonſtrauerat
eſſe ſeiunctum. Ex quo etiam patet, quòd cum in quinto Metaphyſicæ cont. 12. inquit

Philoſo-

Philoſophus vnum numero eſſe id cuius materia eſt vna, nomine materiæ non deno-
tauit hecceitatem competentem etiam ſimplicibus formis ſub Deo poſitis, ſed eã per
quam ſæpè dixit in compoſitis ex ea diſtingui conditionem indiuidui, ab ea ſpecierũ,
huiuſmodi autem eſt materia propriè ſumpta, quæ eſt altera pars compoſiti vt ex rela
tis, & ex his eluceſcit etiam veritas & ratio quartæ & quintæ diſſenſionis.

## *De Principio indiuiduationis opinio propria. Cap. XVII.*

CVM relatæ opiniones ſatis dubiæ apparuerint, pro reſolutione, duas *1. Concluſ.*
profero aſſertiones. Prima eſt, quot ſunt principia exiſtẽtiæ indiuiduo-
rum, tot eſſe principia indiuiduationis. Altera eſt, cum forma ſit princi- *2. Concluſ.*
pale principium exiſtentiæ rerum, etiam eſt principale principium indi-
uiduationis. Pro explicatione primæ, accipio ea, quæ propriè exiſtũt in-
diuidua eſſe, & proptereà quæ ſunt Principia exiſtentiæ, etiã eſſe principia indiuidua- *Explicatio*
tionis. Confirmatur, quia vt Eſſe & Vnum reciprocantur, ita exiſtere, & vnum nume- *primę.*
ro, principium exiſtentiæ, & vnius numero. Principia exiſtentiæ ſunt duplicia, quędam
ſecundum accidens, alia ſecundum ſe. Principia ſecundum accidens ſunt proximiora, *Principia*
& notiora nobis, & ſunt accidentia propria indiuiduorum, ſine quibus indiuidua non *exiſtẽtiæ 2.*
exiſtunt, & ad materiã pertinent, cum ſint præter eſſentiam, & ſint diſpoſitiones mate-
riæ: hoc principiũ vt nobis notius, explicauit Ariſt. in 5. Metaph. contex. 12. inquiens,
vnum numero eſſe id, cuius materia eſt vna; materia autem dicitur vna numero per di *Ariſt.*
ſpoſitiones eius. Id clarius expreſſit Porphyr. in lib. Vniuerſalium inquiens, indiuiduum
eſſe id, quod ex accidentibus conſtat, quorum collectio in alio eadem non reperitur, *Porphyr.*
de qua differentia indiuiduorum per accidentia mentionem fecit Ariſto. in 2. Poſter.
Principia exiſtentiæ ſecundum ſe, etiam ſunt duplicia, vel externa, vel interna, externa
ſunt efficiẽs, & finis, vnà cum tempore conſpirante ad indiuiduorum productionem,
vnius. n. numero vnum numero eſt efficiens, in eodem numero tempore pro eodẽ nu-
mero tempore pro eodem fine. Hinc Ariſt. in 5. & 8. Phyſi. pro motu numero vno, di- *Principia*
xit requiri vnum numero efficiens, vnum numero tempus, & vnum numero finẽ, ſiue *exiſtentiæ*
terminum qui acquiritur. Principia eſſentiæ & exiſtentiæ interna ſunt materia, & for- *ſecundũ ſe.*
ma, per quæ cum res ſint, etiam ſunt vnũ, idem. n. eſt Homo, Ens Homo, & Vnus Ho-
mo, vt aſſeritur ſub initio quarti Metaph. Hinc vnius numero compoſiti, vna dicitur
numero materia, & vna numero forma. Ex his patet, principia indiuiduationis eſſe, &
accidentia, & tempus & quatuor genera cauſarum. Dicebatur ſecundò, Formam eſſe *Colligitur*
principium principaliſſimum, pro cuius notitia animaduertẽdum, quòd quamuis cau- *principiũ.*
ſæ externæ, ſint cauſæ principaliores & dominantur internis, & ob id abſolutè nuncu- *Formã eſſe*
pantur cauſæ; tamen pro rei conſtitutione internæ principatum obtinẽt, cum compo *Principiũ*
ſita ex eis conſtituantur, & ideò id ſtatui debet principale principium indiuidui, quod *principaliſſimum.*
principalius & intimius illud conſtituit; huiuſmodi ſunt, primò forma, ſecundariò ma *Ratio 1.*
teria; quare forma ſtatui debet principaliſſimum principium indiuiduationis. Quod
confirmatur, quia cum vnum numero ſit mox vnum, ex quinto Metaphyſicæ, id ſta- *Ratio 2.*
tui debet principale principium eius, cui maximè competit ratio, & conditio vnius; hu
iuſmodi autem eſt forma, nam vt aſſeritur in 2. de Anima, conte. 7. cum Ens & vnum
dicantur multipliciter, id quod maxime eſt tale, actus & forma eſt. Confirmatur: quia
vt ſe habet vnitas generis, & ſpeciei ad ſuum principium, ita vnitas numeri ad ſuũ; at *Ratio 3.*
vnitas generis, & ſpeciei formam ſequitur, quare & ea numeri. Inſuper, conſpicuè Ari- *Ratio 4.*
ſtoteles in 2. de Anima, contex. 2. inquit, per formam conſtitui hoc aliquid: at hoc ali-
quid eſt indiuiduũ Subſtantię, vt aſſeritur in Prædicamento Subſtantiæ. Hinc Simpli-
cius illũ cont. exponens, ait: omne cõpoſitum & formã eſt, & hoc aliquid. Quod etiam *Simplicius.*

lucidius protulit in 1.Physic.com.82.inquiens, Materiam esse indiuiduam, non ex se, sed per indiuiduas formas, quemadmodum etiam formatur ab eis. Nam indiuidua numero differentia, diuisione multiplicantur, & differentijs accidentium: at nec diuisio, nec numerus, nec differentia sunt propria materiæ, sed formarum, &c. His verbis indicat Simplicius formam Substantiæ primò & præsertim constituere indiuiduum; Accidentia verò extrinsecùs. Confirmatur, quoniam id est principale proprium indiuidui, quod est terminus generationis eius, termino enim constituitur id, cuius est terminus; huiusmodi autem est forma. Insuper, indiuiduum per id præsertim est indiuiduũ, per quod nec diuidi, nec multiplicari aptum est; per materiam & molem est aptum diuidi, & multiplicari; sola forma ea est, quæ ex se diuisionis est expers, & alteri competere non põt, non.n. Anima Socratis vllo pacto est apta alteri indiuiduo competere. Pręttereà, id statui debet principale principium, quod in omnibus seruatur, & locum habet; huiusmodi est sola forma, cuncta.n. indiuidua vel sunt forma, vel eam includunt, non autem includunt materiam, vt patet de formis à materia seiunctis, de quib. Arist. in 8.Metaphysicæ cont.vlt.ait, quod statim sunt id, quod sunt, & in eis seruatur natura indiuidui sine materia. Id ipsum comprobatur auctoritate plurimorum illustrium Peripateticorum, nam Auer.10.Metaphy.com.1.& t.de Anima, 90.inquit, formam esse causam, quòd indiuiduum sit vnum, & continuum. Et in 2.de Anima, 60.ait melius esse putare varietatem formæ esse causam varietatis materiæ, quàm vice versa. Et in 1. de Anima 53.inquit, membra Cerui non differre à membris Leonis, nisi quia Anima vnius, differt ab Anima alterius, quare similiter membra Platonis non differunt principaliter à membris Socratis, nisi quia Anima vnius differt ab Anima alterius. Prætereà, in Paraphrasi de partib. Animalium, lib.3.cap.de Corde, ait ostenditur Animam esse vnam, quia quod est vnum, est tale per suam vnicam formam, est.n. vnum per id quod est, habet autem esse per formam suam, & nisi daretur hæc vna forma, non reperiretur in animali vno aliquid per quod tale animal possit vnum appellari, nisi per aliquid posterius suo esse, quod est ipsa materia. Nã si partes Animæ essent tres, & quælibet earum esset distincta Subiecto, vt opinati sunt Plato, Hippocr.& Galen. principia membrorum essent tria, & indiuiduum non esset vnũ nisi per corpus, vt quę sunt vnà per ligamenta, quod maximè est absurdum. conspicuè asserit & ostendit Auer. principale principium indiuidui esse formam, quod patefecit Arist. in 1.de Cęlo 92. inquiẽs, hanc carnem, hoc Cęlum, & similia particularia, denotare formam in materia, hoc est, denotare primò formam, secundariò materiam: id autem statui debet principale principium indiuidui, quod primò per eius nomen denotatur, materia autem est causa secundaria, & causa sine qua non, vt etiam ipsius esse rerum. Nam forma secundum se considerata, per varios gradus abstractionis constituit varios gradus Vniuersaliũ, considerata autem cum materia, constituit Indiuiduum, & hoc est id, quod denotauit Alexander in 1.Nat.qq.cap.3.& in 1.de Anima cap. 25.

*Ratio 5.* *Ratio 6.* *Ratio 7.* *Conclus. 2.* *Auerr.* *Arist.* *Alexand.*

## *Diluuntur rationes aduersæ.* *Cap. XVIII.*

*Primum quod accipitur.* Vt aduersæ rationes conspicuè diluantur, pręaccipienda sunt nonnulla, & primò animaduertendum est, in indiuiduis duo considerari, primò est vnitas & esse eorum; alterum est multitudo sub specie; primũ est principale, & necessarium; alterũ minus principale, & nõ necessarium, nã ẽt sine multitudine seruatur indiuiduum; primum pendet ex forma, alterũ ex materia, vnà cum quantitate, ea.n. origo est indefinitę multitudinis, vt cõstat ex 3.Phys. *Alterum.* Accipio secundò, Indiuiduum dici de duob. de cõposito per denominatiõnẽ, & de principio compositi per originem & causam: cõpositum primò, & pręsertim est vnum per formam. Sed videndum est quomodo forma, & per quid sit vna numero. *Tertium.* Ideo accipio tertio, in vniuerso sola indiuidua subsistere, & reperiri, hinc dicebat Aristo-

Aristoteles in Prædicamento Substantiæ, demptis primis Substantijs, cuncta aboleri; & Auerroes duodecimo Metaphysicæ vigesimoseptimo, vigesimooctauo, & in secundo, de Ortu & interitu vigesimonono, inquit, solum indiuiduum re vera esse, adeò vt statim quòd aliquid in vniuerso actu existit, statim fit singulare: vniuersale autem constituitur actu per intellectum abstrahentem ab existentia in vniuerso, & ob id Aristoteles in proœmio de Anima, context. octauo, dixit, Vniuersale vel nil esse, vel posterius, nil est actu subsistens, posterius autem est, vt abiunctum per intellectum. Hoc præassumpto, dico, principia esse vnum numero per se, vt in vniuerso existunt, & quia existere in vniuerso propriè & primò competit actui, qui forma est, ideò ei primò competit vnum, vt asseritur in secundo de Anima contex. septimo, & per eam competit composito, at quia id non valet tribuere composito sine materia, ideò materia dicitur principium secundarium, & causa sine qua formæ nec existere, nec multæ numero esse possunt. Et ita non est ponenda noua realitas in forma, contrahens naturam speciei ad eam indiuidui, vt censuit Scotus, sed est eadem realitas formæ considerata vt in Vniuerso existēs, nec per alteram realitatem ab ea formę compositum est vnum numero. Sic itaque indiuiduatio est conditio sequens existentiam rei in Vniuerso, & præsertim formæ, secundò materiæ, & per hæc competens composito. At instabatur per Aristotelem in quinto Metaphysicæ 12. dicentem, vnum numero id esse, cuius materia est vna. Respondeo, Aristotelem sumpsisse materiam in Definitione indiuidui; Primò, quia per materiam denotauit etiam accidentia indiuiduantia, ad materiam pertinentia, quæ sunt principium nobis notius; Secundò, quia considerauit indiuiduum vt particeps multitudinis, quæ ex materia oritur; Tertiò, quia considerauit indiuiduum vt contradistinctum à specie, quæ distinctio solùm competit materiatis, nam in abiunctis in idem veniunt; Quartò, quia Aristoteles explicare voluit propriam formalitatem, per quam forma indiuiduum constituit, nam forma vt in materia, constituit indiuiduum, quę sic actu existit. His accedit (vt cōsiderauit Simplicius.) ꝙ materia proxima non est vna, nisi per formam Accidentalem extrinsecùs, intrinsecùs verò per formam Substantialem. At instabatur, quia scientiæ abstrahunt à principio indiuiduationis, cum tamen nō abstrahunt à forma, quare forma non videtur principium indiuiduationis. Respondeo, scientias abstrahere à forma vt actu existēte in Vniuerso, & ita abstrahere ab indiuiduatione, quāuis non abstrahat à forma pro suo esse absoluto. Insuper instabatur: quia forma est fundamentum Vniuersalis. Responsio patet; nam forma vario modo sumpta constituit vnum., & numero, & specie, & genere, vnum numero non constituit sine propria materia, vt Vniuersale, & ob id dicitur fundamentum vniuersalis, & præsertim, quia abstractio ex forma fit. Addebatur, id esse principium indiuidui, quo posito, indiuiduum distinguitur ab vniuersali, & quo dempto, non distinguitur, hoc autem materię competit. Respondeo, per materiam non constitui indiuiduum, id enim etiam sine materia seruatur, sed constitui distinctum à specie, & multiplicatum. Insuper id de materia verum est, vt de causa sine qua non, & secundaria. Dicebatur, indiuidua inter se vel distingui forma, vel materia: non forma, quia constituit distinctionem speciei; igitur materia, vt asseritur ab Aristotele decimo Metaphysicæ, vigesimoquinto. Respondeo, ea primò, & præsertim distingui forma, non quidem absolutè sumpta, sed vt existente in Vniuerso, & quia id ei non competit sine propria materia, ideò id materiæ tribuitur, vt denotetur id per quod contradistinguitur à forma absolutè sumpta, constituente speciem. Afferebantur rationes pro parte asserentium accidentia esse principium indiuiduorum. Quæ diluuntur, tum quia per ea extrinsecùs constituuntur, & tamquam per notiora nobis circumscribuntur, tum insuper, quia attinent ad materiam, & ad existentiam, nam considerare formam, vt in Vniuerso existit, est eam considerare cum huiusmodi accidentibus. Similiter ex dictis elicitur solutio rationum pro opinio-

*Quid sit, Indiuiduatio.* *Instantia.* *Solutio instantiæ.* *Alia instātia diluitur* *Solutio alterius.* *Solutio alterius.* *Solutio alterius.* *Quomodo accidentia sint & non sint Principium.* *Solutio rationum pro opi. D. Th.*

opinione D. Thomę relatarum, nam materia est principium secundarium, causa sine qua non, & origo non indiuidui, sed multitudinis, & distinctionis naturæ speciei ab ea indiuidui. Rationes pro parte Scoti relatæ, mihi non obsunt, nam concedo indiuidua differre, per aliquid primò, & ex se distinctum, id verò assero præsertim esse formam, vt actu existentem Vniuerso, secundariò verò materiam, & hæc duo inuicem in proprio genere sunt causæ: nam materia formaliter indiuiduatur per formam, forma verò non est indiuidua sine materia ex qua est educta, forma itaque principale principium est.

## *A quo, & cuius gratia sit Materia? Cap. XIX.*

*Sententia veterum.* HACTENVS apparuit an sit, quid sit, & qualis sit materia, superest modo considerandum, à quo, & cuius graria sit? qua de re breuibus, & lucidè agens, assero consensisse veteres Philosophos, Materiam esse ingenitam, & æternam, & ob id carere causa efficiente. Ratio huius consensionis est, quia solam nouerunt generationem per transmutationem, & materiam; creationem non cognouerunt; huiusmodi autem generatio non valet materiæ competere, vt conspicuum est: & ob id vnanimes, enunciarunt, ex nihilo nil fieri. Ita asseruerunt materiam gigni non posse, alioquin fieret ex materia, & esset antequam fieret. At cum de eius æternitate consenserint, dissenserunt tamen: quia nonnulli materiam principium absolutè primum existimarūt, ex nullo pendens, ex quo detrimenta & mala prodirent, ex quorum uumero fuerunt Academicorum nonnulli, vt Atticus, eius asseclæ, & Plutarchus, vt ei tribuit Ficinus in Plotin. *Manichæi.* En. secundo, libro quarto, cap. secundo. Insuper, Manichæi referente Philopono, in dispu. 3. contra Proclum, & Simplicio in Epict. capit. trigesimosecundo, nec non D. Thom. tertio, contra Gentes cap. & Auerr. contra Algaz. dispu. 3. in solut. duodecimę dub. Hi Deum & materiam duo prima principia putarunt, quorum Deus esset ipsum bonum, & bonorum origo, materia ipsum malum, & principium malorum, & ob id inuicem pugnare, & ex imperio vnius, vel alterius, dixere in Vniuerso bona vel mala prodire. Similiter Democritus, Leucippus, & Epicurus, materiam, quam Athomos *Democrit⁹. Leucippus. Epicurus. Plato.* putarunt, dixere ex nullo pendere, à nulloque dirigi. Ex aduerso Plato, & Aristoteles materiam ex Deo pendere, ab eoque dirigi existimarunt: & quòd ex Deo pendeat, in genere finis cōsentiunt, Deus enim est communis omnium finis, cuius gratia sunt omnia, & cui cuncta inseruiunt, nam materiæ duplex est finis, vnus proximus, & est forma, alter remotus, & est Deus: materia enim parata est vt perenni generatione formas recipiat, constituat composita, & inde prodeat Mundi absolutio qui Dei Gloriā enarrat. An autem materia ex Deo pendeat in genere causæ efficientis, lis est. Nam efficiens est duplex, vnum conseruans, alterum absolutè transferens ex non esse ad esse. Existimat Arist. Deum esse causam materiæ conseruantem, nam per Cœli motum, & lumen seruat ordinem Vniuersi, & ortum ac interitum, sine quibus materia non esset. Hinc legitur in nono Metaph. ꝙ nisi darentur formæ à mole seiunctæ, nil esset: At inficiatur Deum esse causam transferentem materiam absolutè ex non esse ad esse, vt *Plato.* latiùs patefeci in libro De æterna Creatione. Plato autem id magis asserere videtur, nā quamuis materiam, & Animam statuat æternam, in ea tamen æternitate ordinem originis considerat, ex cuius Sententia Principaliores Academici aiunt, ex Diuina Mente Ideis insignita, prodijsse Animas, & præsertim eam Mundi, rationibus decora-

decoratas, ex Anima autem prodiisse materiam, seminibus fœcundam, per quæ primò constituerentur quatuor simplicia corpora, quæ Elementa nuncupantur, & hanc emanationem æternam, nonnulli æternam creationem appellant, quam originis ordinem per ideas, rationes, & semina, Aristoteles non approbat. Adeò, vt constanter hoc colligere valeamus, materiam ex Deo pendere; nam dicere quòd ex nullo pendeat, desipere est, ita enim Principium absolutè primum non esset vnum, & materia non appeteret formam vt bonum, res enim ob id bonum optant, quia ex ipso bono pendent. Insuper non obtemperaret communi motori, nec in finē quē expetit efficiens, sui natura conspiraret, ea enim cum efficiente non pugnant, quæ ex eo pendent, & præsertim nō est principium primū, cum Deo pugnans, eique oppositum, quia Deo nil est cōtrariū, vt legitur in duodecimo Metaphysicæ. Absoluta autem veritas hæc est, materiam vnà cum forma in Vniuersi productione à Creatore Deo cōcreatam fuisse, cui Honor & Gloria in sæculorum sæcula. *Absoluta veritas.*

## *De Materia Mathematicorum.* *Cap. XX.*

QVAMVIS principale institutum meum sit de Materia Sensibili loqui, cumulatioris tamen doctrinæ gratia, etiam de ea Mathematicorum, quæ intelligibilis nuncupatur, verba faciam. Frequenter affirmat Aristoteles Mathematica includere materiam veluti in tertio de Anima contex. vndecimo, inquiens, rectum esse vt simum, quia est cum continuo, & in contex. nono, eiusdem, affirmat aliud esse magnitudinem, & esse magnitudinis. Hinc in septimo Metaphysicæ trigesimoquinto, & trigesimonono, insuper in octauo Metaphysicæ cont. decimosexto. Materiam secat in Sensibilem, & Intelligibilem, adeo vt omnes de hoc consentiant dari materiam Mathematicorum, quam intelligibilem appellant: verùm quæ sit huiusmodi materia, summoperè dissentiunt. Magnus Albertus in quinto Metaphysicæ tractatu tertio, & cum eo D. Thom. in secundo Physicorum, Aegidius, Gandauensis, Scotus, in sexto Metaphy. quæst. prima, & alij multi viri celebres, existimant materiam intelligibilem Mathematicorum esse Substantiam priorem mole, & qualitatibus sub sensum cadentibus: considerant enim hunc ordinem: primam statuunt materiam primam, quam origine sequi aiunt formam substantiæ, tertiam constituunt Molem, quartam Qualitatem sub Sensum per se primò cadentem. Congregatum ex prima materia, & forma substantiæ asserunt esse materiam intelligibilem, quæ nullo sensu, sed sola Mente comprahenditur, siue illa forma substantiæ sit forma corporeitatis, vt censet Magnus Albertus: siue sit forma alia, per quā corpus constituitur, vt putat D. Tho. nil refert. Materiam verò sensibilem inquiunt esse corpoream substantiam Qualitatibus Sensibilibus præditam, & ab hac abstrahere aiunt Mathematicum. Prçcipua fundamenta huius opinionis hæc sunt. Et primò, Sententia est Arist. in 5. Metap. prius posse abstrahi à posterioribus, at nō vice versa: moles cōsiderata à Geometra est posterior cōgregato ex materia prima, & forma substātiali: quare non valet Mathematicus ab ea abstrahere. Insuper Substantia est prior cognitione Accidentibus, ex 7. Metaphy. contex. 4. quare Accidentia seorsùm à Substantia nequeunt sciri, res enim, vt se habent ad esse, ita ad cognitionem. Præterea, si Mathematicus abstraheret à Substantia, tunc versaretur in eo quod non est, quia Accidentis esse est Substantiæ hærere, & abstractio eius esset Mēdacium, quia Molem Mente apprehenderet secùs ac sit. Confirmatur per Aristotelem in 4. Metaphysicæ, conte. quarto, dicentem, tot esse Philosophiæ partes, quot Substantiæ, indicans omnem Philosophiæ partem in Substantia versari. Præterea, Metaphysicus magis valet abstra-

*Proponitur agēdum de materia Mathematicorum.*

*Dari materiam Mathematicorum consentiūt omnes.*

*Quid sit, opinio Alberti.*

*Fundamenta.*

*1. Fund.*

*2. Fund.*

*3. Fund.*

*Cōfirmatio.*

*Alia ratio*

abstrahere, quàm Mathematicus, cum sit scientia suprema, & tamen non valet abstrahere Accidens à Substantia, sed docet Accidentia esse definienda per Substantiam, & q eorum esse sit Substantiæ hærere. His itaque ac consimilibus rationibus suasi viri docti, asserunt Mathematicum nequaquam abstrahere à Substantia, sed eam in suis definitionibus aliquo trium modorum includere, vel confusè vel distinctè illam explicando, vel sumendo definitiones à Metaphysico; qui per Substantiam definit.

## *Euersio relatæ opinionis:* *Cap. XXI.*

ASSERERE Mathematicum non abstrahere à Materia, quæ substãtia sit, est conspicuè pugnare cum ratione, & cõditione Mathematicarum
*Euersio prioris opinionis.* scientiarum. Conspicuè Philosophus in 12. Metaphy. 44. inquit, nullam Mathematicarum scientiarum considerare Substantiam, prçter Astronomiam, quæ considerans Molem, & motum Cœlorum, solùm confu
*Ratio 1.* sè in eius consideratione Substantiam includit. Insuper, in vndecimo Metaphysicæ
*Ratio 2.* cap. tertio, legitur, Mathematicum, cæteris derelictis, solam considerare Molem &
*Ratio 3.* continuum. Insuper, Philosophus in secundo de Anima cont. tertio inquit; corpus Physicum esse principium cæterorum corporum; at si corpus Mathematicum esset Substantia, id iudicandum esset principium corporis Physici, quia esset prius, non autem corpus Physicum esset principium Mathematici, non enim posterius est princi-
*Ratio 4.* pium sui prioris. Præterea, Arithmetica est prima inter Mathematicas, in qua nume-
*Ratio 5.* ri, qui sunt Accidentia, seorsùm ab omni Substantia considerantur. Idipsum lucidissimè elicitur ex Mathematicis contemplationibus, nam si consideramus prima principia Geometriæ, ea sunt puncta, ex quorum fluxu imaginantur prodire lineas, & ex fluxu linearum superficies, superficiarum denique corpora, nulla excogitata Substantia.
*Ratio 6.* Similiter Arithmeticus vnitates principia constituit simpliciores punctis. Præterea, considerando Definitiones Mathematicas, solam formam eas explicare inspicimus, vt patet ex secundo Physicorum 68. Hinc per solam formam dicuntur Demonstrare
*Ratio 7.* & Definire. Insuper, lucidius adhuc id patet considerando affectiones Mathematicorum, quæ nedum excludunt materiam, verùm insuper cum ea pugnant. Inquiunt Mathematici corporis in infinitum augeri, & imaginatione mathematica dicimus corpora rarefieri & densari in infinitum; hæc autẽ pugnant cum materia, quæ substantia sit,
*Ratio 8.* cum dentur termini omnium coniunctorum cum ea. Insuper, Mathematica dicitur abstrahere à motu; dicitur scientia ex abstractione, & certissima, quæ ei non competerent nisi abstraheret à materia, quç est Substantia. Nam dicitur abstrahere à motu, nõ quia non valeat considerare motum, vt quantum, sed quia abstrahit à materia, & Substantia, quæ est origo transmutationis & motus. Dicitur certa, quia non considerat Substantiam, & principia interna & latentia, sed solùm Quantum, quod non ita certum est Physico indaganti Substantiam & latentiora principia. Similiter, si solum abstraheret à posterioribus, non diceretur scientia ex abstractione, id enim commune est omni scientiæ, vt prius à posteriore valeat abstrahere, nam etiam Physicus Definiens Quantum, id non Definit per posteriora. Hinc Aristoteles in secundo Physicorum decimooctauo, absolutè inquit Mathematicum abstrahere quantum à Subiecto; Subiectum autem est id, quod prius est, vt dicitur in primo Physicorum quinquagesimosecundo. Demùm, nisi Mathematica abstraheret à prima materia, & suo prio-
*Ratio 9.* re, hæc sequerentur absurda. Primò, ei non competeret id exquisitum & exactum,
*Primum absurdum.* quod communi consensione ei tribuitur, id enim ei solum competit, quia abstrahit à materia, quæ inconstantiæ est origo; Hinc planum dicitur tangere sphæram
*Secundum absurdum.* puncto, quod verum est, dum seorsùm à materia consideratur, non autem dum est iunctum materiæ. Secundò, tunc Mathematicus consideraret omne genus causæ; sen-

tentia

tentia enim fuit Alexandri, approbata ab Auerr. in ſecundo Phyſic. quòd conſiderans materiam, conſiderat omne genus cauſæ. Tertiò, tunc non abſtraheret à materia ſenſi bili, nã Geometra conſiderans ſuperficies terminatas & figura præditas, id conſiderat quod præſupponit materiam ſenſibilem nempè compoſitũ ex materia & forma, quare nititur conſiderare materiam ſenſibilem, nam quamuis id compoſitũ non includat Qualitates ſub ſenſum cadentes, tamen dicitur includere materiam ſenſibilem, quia eſt apta eas recipere; Hinc quamuis Phyſicus definiat corpora Phyſica per ſolam materiam, & formam, tamen non dicitur abſtrahere à materia ſenſibili, vt patet ex ſecundo Phyſic. 19. Quartò, redderetur falſa ſententia prolata ſub initio ſexti Metaphyſicæ, quod dempta Metaphyſica, Phyſica eſſet prima Philoſophia, nam ea eſt prior Philoſophia, quæ Subſtantiam conſiderat, priore & magis abſtracta conſideratione, id autem competeret Mathematicæ. Ex his elicio, Mathematicum in ſolis accidentibus verſari, & in ſua conſideratione nec diſtinctè, nec confuſè Subſtantiam includere, quod etiam Academici in Mathematicis maximè verſari, affirmant, vt elicitur ex ſexto, ac ſeptimo Dialogo de Rep. Platonis; Hinc Simplicius Platoni magis, quàm Ariſtoteli addictus, in primo de Anima, exponens primum contextũ, Mathematicæ diſciplinæ ab his, quæ propriè & præcipuè appellantur ſcientiæ, ſuperantur, eo quod nullam ſpeculantur Subſtantiam, nec principia propria ex veris cauſis eliciunt. Latiùs hac de re loquitur in 3. de Anima 35. inquiens, Mathematicas dici ex abſtractione, quia accidentia ſeorsùm à ſubſtantijs conſiderant. Idipſum affirmat Themiſtius in primo de Anima, explicans cont. 16. Alexander in prooemio Priorũ ait, Geometram ſeparatim de linea, tanquam de natura quadã, quæ per ſe ſit, ſeparatim de plano & ſolido diſſerere, quorum tamen nihil abſque Phyſico corpore valet exiſtere. Euſtratius in ſexto Nicomachiorum idipſum nedum affirmat, ſed etiam oſtendit, inquiens, Mathematicũ imaginatione ſecernere Quantitatem à Subiecto, & propterea dici ſcientiam Mathematicam, hoc eſt, diſciplinariam, quia ea quæ nequeunt eſſe ſine Subiecto, diſciplina tamen & cogitatione noſtra ita abſtrahuntur, vt ſine Subiecti alicuius intellectione etiam definiantur, vt patet ex definitione Lineæ & Circuli, & clariùs ex definitione numerorum, in qua nil numeratum ſuſcipitur. Colligamus itaque, conſenſione Platonis, Ariſt. & principalium interpretum, Mathematicum conſiderare Quantitatem ſeorsùm ab omni Subſtantia.

*Tertium abſurdum.* *Quartũ abſurdum.* *Quid eliciatur.* *Academici.* *Simplicius.* *Themiſtius.* *Alexand.* *Euſtratius.* *Concluſio.*

## *Quæ ſit Materia Mathematicorum?* *Cap XXII.*

CVm Materia Intelligibilis non ſit Subſtantia, conſiderandum ſupereſt, quidnam ea ſit? Zimara Theor. 7. inquit eſſe Quantitatem ſeiunctam à Qualitatibus Senſibilibus. Quæ ſententia vera non eſt: quoniam Quantitas eſt res conſiderata, vt teſtatur Ariſt. 11. Metaphyſicæ, cui debet materia competere. Propterea, cum Ariſt. dicamus, huiuſmodi materiam eſſe continuum, & partes; De continuo id aſſeritur in tertio de Anima 11. nam explicãs Philoſophus, quomodo rectum ſit vt ſimum, hoc eſt includat materiam Mathematicam, inquit, cum continuo enim eſt; Hoc approbauit etiam Alex. in 7. Metaphyſicę, com. 30. inquiens, interuallũ Circuli, quem intellectus à materia ſecreuit, eſt materia intelligibilis huiuſmodi Circuli. De partibus, quòd ſint materia Mathematicorum, aſſeritur ab Ariſtotele ſeptimo Metaphyſicæ, 39. necnon in ſecundo Poſteriorum, quo loci explicans exemplo Mathematico, quomodo materia ſit principium demonſtrationis, pro principio vtitur hoc, quod dimidium duorum rectorum ſit angulus rectus, dimidium autem pars eſt; hæ dicuntur materia per quandam Metaphoram & ſimilitudinem. Continuum dicitur materia, quatenus includit potentiam, vt termi-

*Zimara.* *Euerſio.* *Sẽtentia vera.* *Alexand.*

netur

netur figura aliqua,insuper vt diuidatur & origo sit multitudinis & infiniti,quæ omnes sunt conditiones materiæ.Partes etiā seruant cōditionē materiæ,tū quia sunt potestate totum,& ex eis totum consurgit,quod formam denotat, vt asseritur in secundo Phys.& quinto Metaphysicæ,tum insuper,quia in partibus fulget diuisio,multitudo,& quædam indefinita conditio. Hæ duæ materiæ ita se habent, vt prima includat secundam,non vice versa.Insuper Geometriæ vtraque competit, Arithmeticæ vna tātùm,nempè partes;Hinc Arithmetica dicitur prior,simplicior,& certior.Insuper,quia materiā sequitur infinitū, iō asserit Geometra cōtinuū esse aptū crescere & diuidi in infinitū.Arithmeticus verò ait,numerū in infinitū crescere.Præterea,quia cōtinuū est discretum,& infinitū,sequitur materiam,ideò asseritur ab Aristotele in procemio tertij Phys.infinitum primò apparere in continuo,nam quia continuum est aptum diuidi in infinitum,ideò numerus ex eo prodiens,est aptus in infinitum crescere. Ex quo refulget conspicua solutio cuiusdam difficultatis,quæ varios turbauit:cum enim affectio prius priori competat & infinitum sit affectio Quanti, consentaneum rationi videtur,vt prius competat discreto,quod prius est.Soluitur quia discretum dupliciter consideratur.Primò,ex parte suæ simplicitatis;Secundò, vt materiæ est particeps: prima consideratione discretum est prius, cum sit simplicius: secunda verò est posterius,nā continuum magis est materiatum,& quia infinitum sequitur materiam,ideò primò apparet in continuo.Ex his quæ de materia Mathematicorum dicta sunt varia elicere valemus,scitu digna,nam primò refulget causa quomodo sine controuersia Mathematicæ dici possint scientiæ certissimæ & incertissimæ, sunt certissimæ ex parte nostri,quia sunt de solis Accidentibus & communibus Sensibilibus sub sensum cadentibus:insuper,includunt exactum & exquisitum notitiæ genus,quatenus à materia abstrahunt, quæ inconstantiæ & varietatis est origo;Ex aduerso , sunt incertissimę, secundum naturam absolutè,quatenus Accidentia considerant ex Substantia pendentia,ignorata Substantia.Insuper,patet ratio,cur dicatur ex abstractione, & dicantur nos parare ad diuinorum contemplationem,sunt enim non de abstractis,sed ex abstractione, quia accidentia materiata considerant non considerato Subiecto,in quibus cum exerceamut,reddimur aptiores ad contēplanda abiuncta & Diuina,& ob id sacerdotes Aegyptiorum eis nauabant operam. Præterea,ob eandem rationem Mathematicæ modò dicuntur Philosophiæ partes,vt ab Aristotele sub initio sexti Metaphysicæ,modo reijciūtur extra limites Philosophiæ:sunt pars Philosophiæ inspectricis latè sumptæ, pro quauis rerum contemplatione: excluduntur autem à Simplicio in tertio de Anima, 35.& ab Alexandro in procemio Priorum , quatenus Philosophia Theorica propriè sumpta,est de substantia,& rebus Diuinis,in quibus non versantur Mathematicæ.

*Quomodo Arithmetica prior.*

*Solutio cuiusdam difficultatis.*

*Quæ eliciātur ex dictis.*

## *Diluuntur rationes aduersæ.* Cap. XXIII.

OSTENSO Mathematicas ab ea materia abstrahere,quæ Substātia est, superest vt aduersas rationes diluamus;Quarū præcipua hæc erat;quia posterius non potest abstrahi à suo priore.Zimara Theor. 7. inquit, id solum esse verum,dum prius includitur in Essentia & Quidditate posterioris;Substantia autem non ita se habet ad Quantitatem, cum sit distincti generis.Hęc solutio non satisfacit, tum quia Aristot. in septimo Metaphysicæ cont.quarto absolutè inquit,Substantiam esse priorem Accidentibus cognitione, tū insuper,quia cum necessariò ingrediatur distinctam definitionem Accidentium,obtinet conditionem eorum,quæ pertinent ad rei essentiam. Hinc in eodem Theoremate considerans fortè leuitatem eius solutionis,addit,id debere intelligi de cognitione distincta & exacta.Quæ solutio vera est:Nam quamuis Mathematicæ in suo genere sint perfectione preditæ, absolutè tamen sunt scientiæ apprimè imperfectę. Addebatur, quòd

*Solutio primę rationis*

*Euersio.*

*Solutio secūdę rationis.*

quòd tunc Mathematicus versaretur in eo quod non est,& eius abstractio esset mendacium.Respondeo,aliud est,non considerare aliquid vt Ens, & aliud versari in non Ente:de Mathematico verũ est primũ , at non alterum,versatur enim in quãto quod est,id tamen non considerat vt est,sed vt Quantum.Insuper inhęrere alteri est in rõne accidentis cum hac reduplicatione vt est accidens, at non vt est aliquid absolutè & pręsertim quia substantia est eius causa non in genere formæ , sed Materiæ & Subiecti, à quo Mathematicus abstrahere valet; Nec ob id ea consideratio est mendacium, tum quia ea est abstractio cum præcisione, considerando vnum,derelicto altero,non cum compositione,dicendo id posse reperiri seorsùm ab altero:tum insuper, quia nil Quanto tribuitur, quod ei non competat. Addebatur, quòd euerteretur sententia Arist.dicentis,Substantiam esse priorem cognitione Accidentibus. Soluitur, quia id verum est de cognitione distincta & absolutè perfecta. Dicebatur Metaphysicam magis posse abstrahere,cum tamen non definiat Accidens sine Substantia. Respondeo magis posse abstrahere abstractione prodeunte ex perfectione;hinc considerat abstracta;& ex Accidentibus,& Substantia elicit notiones communiores,veluti Entis, boni & similes,non autem magis abstrahit abstractione prodeunte ex imperfectione cognitionis,qualis est ea Mathematicorum,quæ imbecilitatem denotat, non facultatem & vires.Instabatur insuper,quia tot dicuntur esse Philosophiæ partes,quot Substantiæ. Soluitur primò, quia Aristot.tunc loquitur de partibus primæ Philosophiæ , ea enim versatur cum in Substantia sensibili,tum in abiuncta,& supra sensum posita.Insuper ea sententia,vera est de principali & magis propriè dicta Philosophia, qualis non est Mathematica. Verùm adhuc instare aliquis posset,quia Aristot. 13. Metaphysicę cap. 2.inquit,Mathematica esse priora ratione sensibilibus,quod verum non esset,si Mathematicus abstraheret à Substantia, non enim accidens est prius ratione Substãtia. Solutio colligitur ex eodem cap.nam inquit Philosophus,Mathematica esse priora ratione,vt albedo est prior Homine albo,nam pars dicitur prior toto, & ob id Quantitas est prior Quanto sensibili,vt albedo Homine albo : insuper, est prior,quatenus Quantum antecedit Sensibile proprium,non autem quia Substantiam priorem consideret. Cur autem Quantitati competat vt considerari modo aliquo possit non considerato Subiecto,ratio affertur ab Aristotele in septimo Metaphysicæ,34.& in secundo Physicorum,dicente,Mathematica esse vt rectum,formas Physicas vt simum, quod certã & definitam materiam in sui ratione includit, & ob id sine ea definiri nequit; At de his hactenus. Deo Laus.

*Solutio alterius rationis.*

*Dilatio postrema rationis.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

*Finis Librorum de Materia.*

# FRANCISCI
# PICCOLOMINEI
# SENENSIS,

## De quatuor primis Qualitatibus;
## LIBER VNUS.

### *PROOEMIVM.*

*Fundamentũ fabricæ.*

FVNDAMENTVM admirabilis Fabricę huius mortalis orbis, omnium conſenſione id eſt, quod Subiectum primum, primaque nuncupatur Materia, quæ eatenus eſt conſtans & firma, quatenus eius eſſentia nec fit, nec interit; abſolutè tamen omni mutationum generi ſedem prebet, adeò vt de ea enunciare valeamus, quòd ſit fundamentũ cõſtans & firmum perennis inconſtantiæ & permutationis mortalium. Hoc primum Subiectum, vt ſit fundamẽtũ congruens, præditum eſſe debet effuſione aliqua, & extenſione, ob quam in partes diuidi, varijs ſubijci formis, & terminis vnicuique conſentaneis claudi valeat. Cui fundamento Quanto, & extenſo, accidunt ac hærent Qualitates illæ, quæ ad tactum pertinent, & primæ dicuntur, nẽpè calor, frigus, humor, & ſiccitas, quæ parant pro Subſtantiæ forma, eiusque mox ſunt inſtrumenta. Harum beneficio primò conſtituuntur Elementa, mox per eaſdem ea inuicem permutantur, modoque vario miſcentur, demùm ſunt inſtrumenta communia omnium effectionum & perpeſſionum, quibus mortalia corpora per naturam ſunt obnoxia: & quoniam vt pro rerum productione, ita pro cognitione ſunt apprimè neceſſariæ, ideò accuratè ſunt conſiderandæ; De quibus ego verba facturus, perpendam primò, quę & quot numero ſint? mox quomodo circumſcribantur, diuidantur, ac inter ſe diſtinguantur? & demùm, quæ pro earum diſtincta cognitione iudicabo requiri, vnà com Ariſtotele explicare conabor.

*Officia primarũ Qualitatum.*

*Declarãda de Qualitatibus.*

### *Conditiones Qualitatum primarum, & enumeratio Qualitatum ad tactum attinentium. Cap. I.*

QVAERTVR quot, & quæ ſint Qualitates primæ, & communes corporum natura conſtantium? Pro quarũ inuentione vt pateat quid quęramus, earum conditiones ſunt referendæ. Quæruntur primæ Qualitates, non abſolutè, ſed mortalium; non primæ dignitate, ſed origine; Hæ cum ſint Qualitates primæ, expoſcunt primò vt ſint communes cunctis mortalibus, alioquin non abſolutè, & in omnibus primæ eſſent. Inſuper, expoſcũt vt conſtituant in ſuo genere prima ſenſibilia corpora, adeò vt ſint eorum differentiæ

*Conditiones primarum Qualitatũ.*

quatenus

quatenus ſenſibilia ſunt;& quoniam ad ſenſum pertinent,ideò expoſcunt tertiò,vt re ſpondent Senſui origine primo,qualis eſt Senſus tactus. Prętereà,debent eſſe aptę ef ficere & pati, alioquin officia permutationum non exequerentur. Demùm cum ſint primæ & communes,debent illis tribus conditionibus eſſe prædita,quibus ex ſenten tia Ariſtotelis in primo Phyſ.42.prima generationis principia conſtituuntur,nempè, vt in materia Qualitates alias priores non habeant,ex quibus fiant; non fiant ex ſe viciſſim, adeò vt vna cotrarietas ex alia pendeat; & ex eis reliquæ omnes mortalium Qualitates prodeant.Et quoniam (vt dixi) huiuſmodi Qualitates ad tactum attinere debeant,ideò pro earum inuentione differentiæ Qualitatum principales ad tactum pertinentes ſunt numerandæ.Ariſt.in ſecundo de Ortu & interitu,cont.8. ſeptem numerat earum oppoſitiones,nempè calidum,frigidum,humidum,ſiccum,graue, leue; aſperum, lene,durũ,molle,lubricum,aridum,craſſum & tenue. At dubitatio, eſt quia prætermiſit rarum & denſum,quarũ oppoſitionem numerauit in ſecundo de partibus Animalium,cap.t.necnon ſub initio octaui Metaphyſicæ;& præſertim hac de re dubitare debemus,quia in8.Phyſ.cont.55.inquit,rarum & denſum eſſe principia omnium affectionum, nam graue leue; molle durum; calidũ & frigidum; raritates videtur eſſe & dẽſitates quædam &c.Cum autem ſint principia,maximè numerari debent. Id ipſum aſſeruit Plato in 10.de Legibus,inquiens,Magnum paruum,rarum & denſum,ſe qui mox calorẽ,& cæteras affectiones. Prætereà, enumeratio videtur diminuta, quia pretermittitur acutum & obtuſum,quæ ab Occllo Pythagoreo inter Qualitates ad tactum pertinentes numerantur. Pro ſolutione accipio non fuiſſe curę Ariſtoteli in ſecundo de Ortu & interitu abſolutè differentias omnes ad tactum attinentes numarare,ſed principaliores. Et quatenus pertinet ad difficultatem primam de raro,& dẽſo, Ariſt.ſecum pugnare videtur,quia in 8.Phyſ.55.inquit, rarum & denſum eſſe principia cæterarum affectionum;in ſecundo autem de partibus Animalium,cap.primo ait, rarũ& denſũ non eſſe Qualitates primas,ſed ſequi primas.Zimara ſoluens, ait Ariſtotelem in octauo Phyſicorum non ex propria,ſed ex veterum opinione fuiſſe loquutũ, veteris enim pręſertim materiæ condenſatione & rarefactione res fieri aſſerebant. Ea tamen ſolutio mihi dubia eſt,quoniam abſolutè inquit Ariſt.ea eſſe principia,non autem dici ab alijs.Similiter Plato,vt dixi,eandem ſententiam protulit, qui tamen non cenſuit res fieri condenſatione & rarefactione;& facile profectò eſſet ea via ſoluere cõtrouerſias omnes,aſſerendo Philoſophum non ex ſententia loquutum.Propterea ſecus ſoluens,dico,rarum & denſum dupliciter vſurpari; vel pro ſecundis Qualitatibus ſequentibus alias,in qua ſignificatione Ariſtoteles in ſecundo de partibus Animaliũ dixit ſequi Qualitates primas; vel vt denotant ſitum partium, & ſequuntur motum partium in loco;& quoniam motus ſecundum locum in 8.Phyſicorum oſtenditur primus omnium motuum,ideò iure denſum & rarum dicuntur principia aliarũ affectionum;Hanc ſolutionem elicio ex Ariſtotele,qui in ſeptimo Phyſicorum contex.10.ait, omnis motus ſecundum locum,congregatio quædam eſt & ſegregatio. Et in octauo Phyſicorum 76.ait,congragatio& diſgregatio motus ſecundum locum ſunt. Et pro lucidiore ſolutione dicendum eſt, vel conſideramus ordinem,quo Qualitates pẽdent ex Cœlo,vel quo ex primis prodeunt ſecundæ: ſi ordinem primum conſideramus,rarum & denſum ſunt primę affectiones,quia cœlum operatur Lumine & motu,quibus rarefacit corpora ſublimiora,& denſa reddit remotiora, quod cum efficiat, calefacit, cæteraſque Qualitates producit. Et hanc ſolutionem ego profectò veriſſimam puto; Ariſtoteles in 8.Phyſicorum conſiderabat cætera,vt ſequuntur motum ſecundum locum,quem oſtendit primum; in ſecundo autem de partibus Animal. conſiderat non cauſas communes,ſed proprias. Altera dubitatio de acuto & obtuſo ſoluitur,quia nõ ſunt ſenſibilia propria tactus,ſed communia,ad figuram pertinentia; modò autem cõſiderantur ſenſibilia propria ſenſus tactus. Prætereà non inuicem agunt, non ſunt principia

*Qualitates ad tactum pertinentes quot numero ſint?*

*Dubitatio de raro & denſo.*

*Dubitatio de acuto & obtuſo.*

*De raro & denſo.*

*Zimara.*

*Euerſio.*

*Opinio propria.*

*Dubitatio de acuto obtuſo.*

principia aliorum affectionum,& conſpicuè pendent ex alijs, ideò iure ab Ariſtotele prætermittuntur.

## *Ex Qualitatibus enumeratis ad tactum pertinentibus Quatuor primæ eliciuntur. Cap. II.*

EX Qualitatum genere, ſeptem enumeratæ oppoſitiones cum ad tactum pertineant cęteris origine antecedunt;ideò ex eis illæ elici debent, quæ abſolutè ſint origine primæ. Graue & leue non debent ſtatui primæ, tum quia non inuicem agunt,tum inſuper,quia pendent ex calido,frigido,& alijs,tum demum, quia non ſunt principia cæterarum. Tenue & craſſum etiam reijci debent, nedum quia vt ait Galenus in primo de Elem.capit. 9. nec agunt,nec patiuntur,verùm inſuper, quia vt ait Ariſt.tenue redigitur ad humidũ. craſſum verò ad ſiccum. Lubricum inſuper & aridum derelinqui debent, quoniam inuicem non agunt, ac etiam quia lubricum ad humidum redigitur, cum ſit humidum aliquid paſſum,vt oleum; aridum verò,ſiue friabile ſit exactè ſiccum, adeò vt in puluerem diſſoluatur. Inſuper,competunt huiuſmodi affectiones non ſimplicibus corporibus,ſed mixtis: hinc oſſa & ligna dicuntur arida, pix & oleum lubrica. Idipſum dicendum eſt de duro & molli,non enim inuicem agunt;& durum ad ſiccum, molle verò ad humidum redigitur,vt vnà cum Ariſt.affirmat Galenus in primo de Elemẽtis cap.9. Aſperum quoque & lene prætermitti debent;primò,quia re vera non ſunt Qualitates, ſed denotant poſitionem partium, ex eaque prodeunt, vt dicitur in Prædicamento Qualitatis;ſecundò,quia non inuicem agunt, vt dixit Galenus; tertiò, quia vt conſiderauit Alex.lene per naturam pendet ex humido, aſperum verò ex ſicco,& ob id primæ Qualitates dici non merentur;cæteris itaque oppoſitionib.reiectis,ſuperſunt Calor,& frigus,Humor & ſiccitas,quę ſolę primarum conditiones includere videntur,& ob id iure optimo ſtatuendę ſunt primæ.Hæc namque ad tactum pertinent,maximè omnium illum mouent;ſunt cões mortaliũ omniũ;primò in materia recipiuntur, non ſuppoſita alia Qualitate,nec earum vna in materia ſupponit alteram,ſed ęquè primò aptæ ſunt in ea recipi.Ex his prodeunt Elementorum conſtitutiones, mixtiones, temperamenta,ortus,interitus,accretiones, coctiones, & huiuſmodi aliæ mutationes ſecundum naturam, nec vna earum ad alteram redigitur.Cum itaque non prodeant ex alijs Qualitatib.non mutuò ſe conſtituant: & ex eis pendeant cæteræ omnes mortalium Qualitates:& huiuſmodi conditiones non competant alijs, colligendum eſt, has ſolas illas eſſe,quæ mereantur dici primæ. Hinc iure Pythagoras,quem ſequutus eſt Ocellus Lucanus eius diſcipulus, has quatuor eſſe dixit Qualitates primas: mox Hippocrates idipſum approbauit, ideò Galenus in primo de Naturalibus capitulo ſecundo inquit, Hippocrates primus omnium, quorum fama ad nos peruenit, demonſtrauit quatuor eſſe omnes Qualitates, quæ mutuò in ſe agerent;& miſceri eas mutuò totas per totas primus nouit,& principia demonſtrationum, quas Ariſtoteles poſteà pertractauit, ſcripta apud eum priorem inuenias: Inſuper idem Galenus primo Methodi, capitulo ſecundo, inquit Ariſtotelem rationum Hippocratis de natura interpretem eſſe, primumque Hippocratem calidum, frigidum, humidum, ſiccum, adinueniſſe;. Ariſtotelem tamen oſtenſionibus eius inuenta comprobaſſe; Quæ Galeni ſententia reſpondet verbis Ariſtotelis in ſecundo de Ortu, & interitu, dicentis, alij enim ſupponentes vtuntur quatuor primis Qualitatibus,& non dicunt, quare tales, & tot ſint. Plato quoque in Tjmęo, eaſdem innuens Qualitates, dixit, Generationis nutricem, nempè primam materiam,

*Reijcitur graue & leue.* *Tenue & craſſum.* *Lubricũ & aridum.* *Durum & molle.* *Aſperũ & lene.* *Approbantur quatuor primæ Qualitates.* *Pythagoras.* *Hippocrates.* *Galenus.* *Plato.*

materiam,ignitam & humefactam; Terræ insuper & aëris formam suscipientem, passionesque harum pedissequas perpetientem, omniformem videri. Hos sequutus est Arist. in secundo de Ortu & interitu rationem superaddens. Galenus in præfatione libri de Natura Humana, has quatuor esse Qualitates primas ostendit, tum quia morborum differentiæ has sequuntur, tum quia modi curandi sumuntur ex eis, tum tertiò, quia temperamenta, ætates, & regiones eis respondent, aliæ enim sunt calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ siccæ. Idipsum priùs asseruit Arist. in secundo de partibus Animalium, cap. 2. inquiens, has esse causas mortis, vitæ, somni, vigiliæ, iuuentutis, senectutis, sanitatis, & morbi. Similiter eadẽ veritas confirmatur: quia hę sunt Qualitates illæ, quæ pro esse rerum mortalium sunt necessariæ, à quib. Cœlum est immune, & quas primò lumine & motu producit. Insuper hæc sunt illa principia, quæ à Physico comprobantur, & tribuuntur Medico, de quibus præsertim verum est, Conclusiones Physicas esse principia Artis Medendi. Et iure sunt quatuor, nam pro mixti constitutione vna oppositio materiam parat, altera permutat & format: præterea humor maximè conducit ad facilè recipiendum, siccum ad retinendum, calor ad formandum, frigus magna ex parte ad contemperandum, adeò vt simul pateat necessitas harum Qualitatum, & eximia Naturæ Ars, Deique Prouidentia. *Galenus.* *Aristot.*

## *Dubia aduersus approbationem Quatuor primarum Qualitatum. Cap. III.*

NOn adeò est conspicua approbata veritas de numero quatuor primarum Qualitatum, quin variæ difficultates eam obumbrent, tenebricosamque reddant: nam octo præsertim sunt quæ pariunt difficultatẽ. Primò enim grauitas & leuitas duplici ratione videntur his antecedere: Prima est, quia nisi priores essent, errasset, & ordinem peruertisset Arist. qui in libris de Cœlo prius egit de graui & leui, mox in libris de Ortu & interitu, de quatuor approbatis Qualitatibus; ordo namque respondet Naturæ rerum, & priora, primò sunt consideranda. Altera ratio est, quia vt motus se habet ad motum, ita principium eius ad principium: Latio est prior alteratione, ex 8. Phys. quare principia lationis sunt priora principijs alterationis: grauitas & leuitas sunt principia lationis, quatuor approbatæ Qualitates alterationis, quare grauitas & leuitas absolutè priores sũt. *Prima dubitatio de graui & leui.*

Altera dubitatio est: quia si primæ Qualitates essent quatuor, duę essent primæ oppositiones, quod reijcit Arist. in primo Phys. 56. inquiens, contrarietatem primam vnicã esse, & in omni genere vnicam esse contrarietatem primam, & si plures essent contrarietates primæ, etiam plures essent primæ materiæ, quod est absurdum. *Secunda dubitatio.* Tertia dubitatio est, quoniam ea quæ fiunt ex alijs, non sunt prima: quatuor relatæ Qualitates fiũt ex alijs, quod ostendo per Aristotelem in primo Phys. 50. asserentem, solam priuationẽ & formam esse oppositionem primam, & non fieri ex alijs, cæteras verò ex alijs fieri. Confirmatur: quia calor sequitur motum, Lumen, & raritatem; frigus opposita; siccitas à Lumine, & à calore producitur; humiditas ab oppositis. *Tertia dubitatio.* Quartò, quæ fiunt ex se inuicem, non debent prima iudicari, ex primo Phys. 42. huiusmodi sunt Qualitates enumeratę, humor enim & siccitas sequuntur calorem & frigus, inquit enim Arist. in principio quarti Meteorum, calorem & frigus humectare, desiccare, dura reddere, & emollire, & in quinto de Gen. Animalium c. 3. inquit, calorem per se reddere corpora dura, per calorem enim humor in vapores transit. Confirmatur, quia earum quatuor Qualitatum duæ dicuntur efficientes, duæ patientes, at efficiens est prius patiente, ex 3. de Anima, 19. & actus absolutè est prior potentia ex 9. Metaphysicæ, quare nõ omnes sunt æquè primæ. *Quarta dubitatio.* Quinta dubitatio est, quoniã dantur Qualitates his priores, veluti Lux, & Lumẽ, perspicuũ, & opacũ, densum & rarũ. Hę sunt Qualitates cõmunes Cœlo, *Quinta dubitatio.*

Cœlo,& mortalibus,non pendentes ex quatuor enumeratis,sed potiùs vice versa; & non sunt Qualitates secundæ,cum non pendeant ex alijs; quare illæ potiùs sunt iudicandæ primæ. Dubitatur sextò,cum dentur Qualitates primæ & secundæ,quæ earum debent iudicari præstantiores,& dignitate priores? Septima dubitatio est,cum dentur Qualitates secundæ,num valeant competere simplicibus corporib. vel tãtùm mixtis? Postrema dubitatio est,cum dentur Qualitates primæ corporum mortalium, num & dentur Qualitates primæ cœlestium corporũ? & si dantur, quãnam statui debeant?

*Sexta dubitatio.* *7. Dubitat.* *8. Dubitat.*

## *Diluuntur quinque difficultates primò relatæ.* *Cap. IIII.*

DIFFICVLTATES propositæ dignæ profectò omnes sunt consideratione, nonnullæ tamen earũ per dicta in præcedentibus solutæ sunt. Nam quæruntur modò principia trãsmutationis mortalium, nõ primæ absolutè,vt in 1.Physi.sed propinquiora,nec quæritur oppositio primæ absolutè,qualis est priuatio,& forma; sed prima inter qualitates,ad tactum pertinentes.Insuper non quæruntur principia prima principalia,sed organica,q̃ ita se habeant,vt inuicẽ agant,& vnũ ad alterũ non redigatur,quo præassumpto, conuertar ad solutiones. Instabatur primò; quia vel grauitas & leuitas sunt priores, vel Arist.ordinem peruertit.Respondeo,grauitatẽ & leuitatem dupliciter cõsiderari posse; vel secundum originem,& ita sequuntur quatuor primas Qualitates, vt dicitur in 2. de partib.Animalium cap. 1. vel considerantur vt circumscribunt naturam Elementorum & sunt principia lationis eorum & ordinis Vniuersi: & quoniam Elementa per grauitatem & leuitatem primò Mundum suo ordine cõstituunt,mox per primas Qualitates inuicem permutantur,ideò iure Arist.ordinem seruans prius in libris de Cœlo differuit de Grauitate & leuitate; mox in libro de Ortu & interitu,de quatuor primis Qualitatibus; & quamuis latio in Vniuerso absolutè sit prior, in his tamen quæ fiunt, est postrema origine,vt in 8.Phys.asseritur, primò enim Elementa per quatuor Qualitates gignuntur,mox per grauitatem & leuitatem mouentur secundum locum,& demùm prætereunda fuit huiusmodi oppositio ob rationes in præcedentib.relatas. Instabatur secundò: quia contrarietas prima vnica est &c. Respondeo,id esse verũ de contrarietate prima absolutè,quæ constituit communes terminos ortus & interitus,quæ in 1.Physic. quærebatur,nunc verò quæruntur contrarietates primæ inter Qualitates tangibiles; illa erat contrarietas primæ materiæ,hæ verò sunt contrarietates simpliciũ corporum, & consideratur hic ordo: prima oppositio absolutè est formæ & priuationis; sub hac Qualitates constituuntur,quæ diuiduntur in agentes & patientes; agentium primæ sunt calor & frigus, patientiũ autem humor & siccitas. Dicebatur tertiò, has quatuor Qualitates fieri ex alijs. Respondeo,eas permutari quidem & resolui in formam & priuationem, vt dixi,at nego eas fieri ex alijs antecedentibus Qualitatibus ad tactum pertinentibus.Cõfirmabatur: quia calor sequitur Lumen, motum,& raritatem.Respondeo,per duo fundamenta.Primũ est,quia illæ non sunt Qualitates mortalium,ad tactum pertinentes,inuicem agentes,de quibus est sermo. Alterum est, q̃ sequuntur ea non tanquam causas proprias,& per se primò, sed tanquam causas communes,& sequuntur vel per se,non primò,vel ex accidẽti.Erat quarta dubitatio,quia fiunt ex se inuicem.Respondeo,Actionem primarum Qualitatum esse triplicem. Vel enim est per se, & prima,vt calor calefacit. Vel per se non prima, sed primam sequẽs. Huiusmodi actio præsertim refulget in mixtorum constitutione,& tendit in finem vlteriorem,& præstantiorem, in quem per communẽ naturã primæ Qualitates diriguntur. Vel tertiò est ex accidenti, sic explicatur sententia Aristo. in quinto de Generat. Animalium cap. 3. dicentis, Indurat igitur, tum calor, tum frigus, nam euenit,vt ab vtrisque humor euaporetur, scilicet à calore per se, à frigore ex accidenti, vna enim

*Qua principia quærantur.* *Soluitur prima dubitatio de grauitate & leuitate.* *Solutio 2.* *Solutio 3.* *Solutio 4.*

cum calore humor ſecernitur &c. in hac caloris actione conſideratur primò excalefa-
ctio,quæ eſt actio per ſe, & propria; hanc ſequitur humoris in vaporẽ conuerſio,quæ
eſt per ſe ,at non proxima & propria , ſed ſequens eam : hanc conuerſionem in vapo-
rem ſequitur ſecretio diſſimilium,quæ fit ex accidenti , vt dicitur in ſecundo de Ortu
& interitu,cont.8.Sequitur inſuper connexio inter ſe,vt partium humidarum adinui-
cem,ſimiliter aridarum remanentium adinuicem,quod etiam ex calore pendet per ſe
quidem , at ſecundariò deſiccatio partis remanentis eſt ex accidenti , adeò vt in toto
actionis caloris progreſſu,nonnulla per ſe & primò fiant, alia per ſe ſecundariò, non-
nulla penitùs ex accidenti,qua conſideratione varia Ariſt.dicta explicantur, & appa-
rentes controuerſiæ componuntur.Confirmabatur dubitatio,quia agentes ſunt prio-
res patientibus.Rñdeo eſſe priores dignitate,at non origine , nec adeò vt vna in mate-
ria alteram præſupponat , & ex ea pendeat. Oriebatur quinta dubitatio ex Lumine, *5. Dubitat.*
perſpicuo, & raro.Reſpondeo,inſtantiam eſſe inanem,quia non ſunt Qualitates agen
tes,ad tactum pertinentes,& cum ſint communes cęlo,minus ad rem faciunt,quia q̃-
runtur Qualitates primæ,propriæ mortaliũ;Lux Cęli eſt Qualitas eminenter includẽs
Qualitates mortalium, & præſertim calorem ; Lux mortalium nõ eſt prima Qualitas,
nec ſimplicibus cõpetit,& ſequitur mixtionẽ,& cõbuſtionem,vt aſſerit Auct.4.Cęli
32.& in lib. de Senſu & ſenſili. Similiter opacum & perſpicuum in mortalib.ſequun-
tur Qualitates primas,nec inuicẽ agunt.De raro & denſo in præcedentibus verba feci.

## *Diluuntur tres poſtremæ difficultates.* *Cap. V.*

DIGNA eſt cõſideratione,nec explicatu facilis dubitatio ſexto loco pro-
poſita,quæ verſabatur inter Qualitates primas & ſecundas,& quęreba *De præſtan*
tur , quæ earum dignitate pręſtent ? Aiunt nonnulli,qualitates primas *tia Quali-*
vt origine,ita dignitate ſecundis præſtare,id oſtendũt primò,quia cau *tatum.*
ſa æquiuoca dicitur præſtantior re effecta,vt Lux calore;Qualitates pri *Opinio quo*
mæ ſunt cauſa ęquiuoca ſecundarum, quare ſunt etiam dignitate priores.Cõfirmant *rundam.*
idipſum,quia nil agit vltra gradum ſuæ dignitatis; quare cum ſecũdæ prodeant ex pri
mis ; non valent eis dignitate præſtare. Ego tñ partem aduerſam veriorem puto , idq́;
oſtendo primò auctoritate Ariſto.qui in ſecundo de Ortu & interitu,contc.7.inquit, *Opinio pro*
Obiectum viſus eſſe natura prius quatuor Qualitatibus,& per natura prius,non deno *pria.*
tauit prius origine,id.n.conſpicuè eſt falſum,ſed dignitate,dignius.n.ab Ariſt. frequen
ter dicitur natura prius.Confirmatur,quia vt Senſus ſe habet ad Senſum , ita Obiectũ
ad Obiectum ; ſed tactus dignitate eſt poſtremus; igitur Qualitates primæ ad tactum
pertinentes,ſunt ignobiliores Qualitatibus ſecundis , quæ attinent ad cæteros Senſus
præſtantiores.Præterea,inquit Ariſto.in 8.Phyſi.in 2.de partibus Animalium, origine
priora in eodem,eſſe dignitate poſteriora; Qualitates quatuot in mortalibus ſunt ori-
gine primæ; igitur ſunt dignitate poſtremæ,magiſque materiæ proximæ. Præterea,vt
ſe habent propriæ mixtorum formæ ad formas Elementorum,ita Qualitates ſecundæ
propriæ mixtorũ ad primas proprias Elementorum , ſed formæ mixtorum,omniũ con
ſenſione dignitate præſtant formis Elementorum , quare ſimiliter Qualitates eorum
præſtant qualitatibus primis Elementorũ. Demùm , cum Materia ordine aliquo reci-
piat formas,ſemper in eodem formarũ genere formæ antecedentes ſunt imperfectio-
res,& cõparatæ cum ſequẽtib.ſunt tanq̃ materiæ proximæ earum. Ratio aduerſa per
duo fundamenta diluitur . Primum eſt, quia non vna prima Qualitas, ſed conſpiratio *Diluitur ra-*
omnium quatuor eſt cauſa ſecundarum Qualitatum,vt multi Homines ducũt nauim, *tio aduerſa*
& operantur vltra vires vnius.Alterũ eſt,quoniã pro conſtitutione ſecundarũ Qualita-
tũ conſpirant ẽt cauſæ cõmunes,nempè Cęlum lumine & motu,ac inſuper cauſę pro-
ximæ principales & dirigentes , nempè formæ Subſtantiales ; hinc primæ Qualitates

*Alex.*

non sunt causæ adæquatæ pręstantię secundarũ:& hæc ratio elicitur ex Alexandro 2. nat.qq.c.3.

*De septima difficultate.*

Erat septima Dubitatio, an Qualitates secũdæ solis mixtis cõpetant? Soluitur, quia Qualitas secunda dupliciter vsurpatur; vel propriè, & est ea, quæ consurgit ex temperamento, idque insequitur, & hæc solis mixtis competit; vel vsurpatur latiùs pro quauis Qualitate sequente primas, in qua significatione leuitas, raritas, & perspicuitas Elementorum dici possunt Qualitates secundæ, quatenus insequuntur non tẽperamentũ, sed connexionem duarum primarum Qualitatum, quod genus secundarum Qualitatum competere potest simplicibus corporibus. De his quoque secundis Qualitatibus quæri põt, an sint præstantiores primis? Et probabiliter vtraq; pars defendi põt, præsertim tñ hoc approbandum videtur, q̃ sint præstantiores: nam grauitas & leuitas proximiùs inseruiunt naturæ Elementorum, pro motu secundum locum & ordinem Vniuersi; latio autem est præstantior alteratione; & ordo Vniuersi est præstantior generatione & interitu. Similiter, perspicuũ inseruit pro Lumine, & est cõmune et cœlo, à quo absunt Qualitates primæ; & demùm sunt generatione posteriores, quare dignitate sunt priores. Demùm quærebatur, quænam sint Qualitates cœlestis corporis?

*De Qualitatibus Cęli.*

De quibus loquens breuissimè, dico, septem Cœlo competere Qualitates, quarum princeps & dux est Lumen, eminenter & vnitissimè includens quatuor Qualitates primas Elementorũ: sequuntur mox raritas, respondens calori; densitas frigori; perspicuitas humori; opacitas siccitati; sextò sequitur color non distinctùs à lumine, sed est ipsum lumen vario modo receptum, & per varia nobis oblatum, qui colores proportione respondent Qualitatibus mixtorũ inanimorũ; septima Qualitas est figura propria, cõpetens Cęlo, quia viuens est, sola.n. viuentia sunt prædita figura propria, adeò vt Cœlo cõpetant Qualitates supra primas mortaliũ positæ. Insuper Qualitates respondentes primis, respondentes secundis inanimorum, & rñdentes Qualitatibus viuentium, quæ Qualitates in Cœlo non ita se habent, vt vna pẽdeat ex altera, ideò omnes seruant modo aliquo conditionem primarum: soli colores præseferunt imaginẽ secundarum, cum prodeant ex Luce, & lumine, nam sunt vel Lux corporis vario modo Lucidi, vel Lumen receptum in corpore magis vel minus denso & perspicuo, vt de his latiùs in lib. de Cęlo.

*Conclusio dictorum.*

Ad principale itaq; institutum rediens, & prolixè dicta paucis perstringens, assero primò comparando Qualitates Cœli cum illis mortalium, illas primas, has omnes modo aliquo secundas dici posse. Dico secundò, q̃ dum quæritur prima oppositio constituens communes terminos generationis & interitus mortaliũ, ea est vna, nempè forma, & priuatio. Addo tertiò, quòd dum quærimus contrarietatẽ primarum Qualitatum simplicium corporum ad tactum pertinentium, ea versatur inter Qualitates agentes & patientes, mox agens diuiditur in calorem, & frigus, patiens verò in humorẽ & siccitatem: Et hæ statuendæ sunt Qualitates primæ, quæ si inuicem comparantur, nulla est origine prior altera, dignitate autem calor cæteris antecellit.

## *Circumscriptiones & nomina primarum quatuor Qualitatum. Cap. VI.*

*Prima Diuisio primarũ Qualitatum.*

QVATVOR primæ simplicium corporum Qualitates, prima sui diuisione in agentes & patiẽtes diuidũtur, calor.n. & frigus magis formare & agere; humor verò & siccitas potiùs recipere & pati videntur; Elicitur hæc diuisio ex fine, ex Definitione earũ, & ex experientia, cũ.n. his Qualitatibus confici debeant mixta, pro quorũ constitutione necessaria est actio & passio, ideò iure earũ duę debuerunt esse efficientes & formantes, duę verò recipientes & patientes. Quod secundò patet experientia, inductione enim constat, (vt dicitur in principio quarti Meteorum) calorẽ, & frigus, & quę consimilis, & quæ distincti sunt generis, terminare, connectere, permutare, humectare, arefacere, dura vel mollia red-

dere;

dere; arida verò, & humida, tum ipsa secundum se, tum communia corpora quæcunque constant ex vtrisque terminari, & cæteras quas diximus affectiones pati. Tertiò id ipsum elicitur ex earum Definitione, nam vt ait Arist. in secundo de Ortu & interitu, cont. 8. & repetit sub initio quarti Meteorum. Calidum est, quod congregat ea, quę sunt eiusdem generis; si autem ea secernit, quæ sunt distincti generis, id efficit ex accidenti, dũ. n. ea connectit quæ sunt eiusdē generis, accidit vt ea secernantur, quę sunt distincti generis; Frigidum verò est, qđ consimiliter nectit, & eiusdē & quæ distincti generis sunt, nectere autem est agere. Ex aduerso humidum caret termino proprio, facilè terminatur alieno; siccum suo termino terminatum, difficilè terminatur alieno; facilè autem, & difficilè terminari, passionem denotant. Hæ primæ Qualitates in agentes & patientes distributæ, varijs nominibus denotantur. Nam primò nuncupantur communi nomine Qualitates ad tactum pertinentes; At insuper in secundo de Ortu & interitu, cont. 8. dicuntur primæ contrarietates, primæq; differētiæ tangibiles. Præterea, in secundo de partibus Animalium cap primo nuncupantur materiæ, inquit. n. Philosophus, humiditas, siccitas, caliditas, & frigiditas, materia corporum sunt compositorum; materia autem dicuntur, quatenus ex eis consurgit temperamentum; seruantur in mixto & Elementi conditionem in parte seruant, quod compositum mox est materia formæ mixti, adeò vt omnes dũ considerantur vt partes temperamenti, & referuntur ad mixti formam, seruent cōditionem materiæ: dum verò inuicem duæ illę oppositiones cōparantur, quod fit ab Arist. in principio quarti Meteorũ, duæ dicuntur materiæ, & pati; reliquæ autem formæ, & agere. Quartò, ab Aristo. in secundo de partibus Animalium, cap. 2. nuncupantur principia Elementorum; Ratio, quia ex earũ connexione Elementa consurgunt, circumscribũt eorum formas, eaq; reddunt corpora sub sensum tactus cadentia. Quintò, dicuntur Elementa, vt patet ex secundo de Ortu & interitu, cont. 16. Ratio est, quia sunt principia in suo genere prima, & interna. Sextò, nuncupantur sub initio quarti Meteorum causæ Elementorum. Ratio est, quia modo aliquo constituunt simplicia corpora, eaq; tanquam instrumenta reddunt apta vt misceantur. Septimò, dicuntur affectiones Elementorum, in 2. de Ortu & interitu, 22. Ratio est, quia sunt accidentia Elementorũ propria, attinentia ad tertiam speciē Qualitatis; Ideò in 5. Metaph. cap. 14. legitur, caliditas, frigiditas, & reliquę huiusmodi sunt passiones, siue affectiones, per quas corpora alterantur. Octauò, nuncupantur instrumenta: cum enim sint affectiones Elemētorum, sunt instrumenta eorum, per quæ inuicem permutantur, & mixtum constituunt. Demùm, quatenus materiam proximè parant pro forma Elementi, dici possunt dispositiones eius: Sic itaque ob varia earum officia, nominibus varijs denotantur.

*Calidum et frigidum.*

*Humidum & siccum.*

*Nomina primarũ Qualitatũ.*

## *Dubia varia attinentia ad Diuisionem & Definitiones primarum Qualitatum. Cap. VII.*

DIVISAE fuerunt Qualitates primę in agentes & patientes, suisq; Definitionibus circumscriptæ: At cum ex diuisione, tum ex circũscriptionibus, variæ, & arduæ emergunt difficultates. Ex diuisione primò, quoniam Qualitates illæ omnes sunt formæ ex materia pendentes, quæ vt formæ agunt, vt autem pendēt ex materia ex accidenti patiuntur; Omnes itaque & agentes & patientes sunt. Confirmatur: quoniã omnes generant simile, omnes agendo repatiuntur, omnes in mixti constitutione agunt, patiuntur, remittuntur, & ad mediocritatem redigũtur. Augetur Dubitatio, quoniã male asseriũ videtur, vnam oppositionē agere, alteram pati, quia vna oppositio non contrariatur alteri, cũ tamen per se omne agens agat in contrarium, & patiens patiatur à contrario; à non contrario autem non patitur, nisi ex accidenti, vt asseritur in 1. Physi. 43. Et quæ sunt

*Dubitatio de diuisione in agentes et patiētes.*

ex accidenti in ſcientijs prætereunda ſunt. Præterea, ſi calor ab Ariſtotele dicitur agere, quia humectat, longè magis humor aget cum per ſe, & magis humectet. Præterea, Ariſt. non videtur ſibi conſtare, ſed pugnantia dicere: nonnunquam enim ait, primarum Qualitatum duas agere, duas pati; nonnunquam omnes agere, vt in mutua Elementorum permutatione; nonnunquam omnes agere & pati, inquiens, omne agens agendo repati, & vice verſa, vt accidit in conſtitutione temperamenti; nonnunquam omnes ait eſſe materiam, cuius proprium eſt pati; nonnunquam omnes nũcupat differentias, & formam, cuius proprium eſt agere. Eſt itaque diuiſio Qualitatum in agentes & patientes apprimè dubia. Nec leuiores difficultates prodeunt ex earum Deſcriptionibus. Nam primò dubium eſt, quales ſint Definitiones illæ num ſolùm explicent nomen, vel etiam eſſentiam? & ſi eſſentiam explicant, per quod genus cauſæ ſint traditæ? & præſertim dubitare cogimur, quoniam Philoſophus eas tradens, accipit quæ ſunt ex accidenti, prætermittit q̃ ſunt per ſe, calidi enim per ſe eſt calefacere, frigidi refrigerare, cætera ex accidenti efficiunt. Præterea, ex contrarijs contraria prodeunt: Ariſtoteles autem tum calori, tum frigori tribuit congregare, & præſerim hoc eſt dubium, quia caloris proprium eſt rarefacere, & ſecernere, non congregare. Præterea, Ariſtoteles nedum prætermittit quæ ſunt per ſe, & accipit quæ ſunt ex accidenti, verùm inſuper accipit falſa, calor enim nedum ſimilia nectit, verùm etiam diſſimilia, nã à calore in ventriculo varij cibi in vnam Chyli eſſentiam conuertuntur. Similiter Pharmacopolæ Inſtrumento caloris varia & diſſimilia in vnum redigunt, veluti etiam pix & cera per calorem liquefacta connectuntur, & Animal ex varijs conflatum præſertim per calorem formatur, & vnum redditur. Similiter, etiam dubium id eſt; quod de frigido dicebatur, quod omnia nectat cùm ſimilia, tùm diſſimilia: nam frigidi aliquando eſt ſecernere, vt hiberno tempore à frigore compriměte exprimuntur lachrymæ. Similiter à frigore extinguente calorem incraſſantem genituram, fit ſecretio partis aqueæ ab aërea, vt dicitur in ſecundo de Gener. Animalium, capitulo ſecundo. Præterea, inſtat Auerr. in 4. Meteorum aduerſus Definitionem ſicci, inſtantia ſumpta ex igne, qui cum ſit apprimè ſiccus, eſt tamen partium tenuiſſimarum, & à continente vt à fornace & à Cœlo facillimè figuram recipit. Similem difficultatem propoſuit Philoponus de cinere, qui ſiccus eſt, & partium tenuiſſimarum. Præterea, adhuc Ariſtoteles videtur errare, quia quod competit vni, tribuit alteri, nam connectere officium eſt humoris, vt dicitur in ſecundo de Ortu & interitu 49. Ariſto. autem id tribuit calori, & frigori. Præterea, cum Qualitatum duæ dicantur efficere, duæ pati, dubium eſt, an efficiens æquè ſint efficientes, ſimiliter patientes æquè tales ſint? Demùm, illa etiã quæ dicta ſunt de nominibus huiuſmodi Qualitatum, difficultate non carent: appellantur enim Principia, affectiones, differentiæ, Elementa, & materiæ, quæ voces pugnantia includunt: nam ſi ſunt principia, antecedunt; ſi affectiones, ſequuntur, & accidunt; ſi ſunt differentiæ, & formæ, non ſunt materiæ. His accedit, quòd perperàm ab Ariſtotele nuncupari videntur Elementa; nam Galenus in primo, de Elemen. capitulo ſexto, aduerſus Athenæum differens, ait primas Qualitates Senſibilium corporum poſſe quidem dici principia eorum, at non Elementa, quoniam conditio Elementi eſt, vt ſit eiuſdem generis cum eo, cuius eſt Elementum, adeò vt corporum corporea debeant eſſe Elementa. Propterea Qualitates ſunt quidem Elementa temperamenti, at ſimplicium corporum non Elementa, ſed principia ſunt. Hæc profectò ſatis conſpicuè ſententiam Ariſtotelis, vel euertere, vel ſaltem dubiam reddere videntur,

*In dubium vertuntur deſcriptiones.*

*Inſtantia Auerr.*

*Dubia atti-nentia ad nomina.*

## *Explicantur attinentia ad diuisionem primarum Qualitatum in agentes, & patientes. Cap. VIII.*

QVALITATVM quæ in Vniuerso reperiuntur, nonnullæ solùm agunt, non autem patiuntur, nisi per metaphoram, vt Lumen. Quedam solū patiuntur, recipiendo perfectionem, non interitum; vt perspicuum Coeli. Quædam patiuntur etiam cum interitu, vt perspicuum mortalium. Quædam agunt, & patiuntur, non quidem adinuicem, sed ab alio, & in aliud, vt graue & leue, patiuntur, quia ab alio fiunt, & per aliud intereunt, insuper agunt, quatenus sunt principia motus secundum locum. Nonnullæ demùm vicissim agunt, & patiuntur, & hæ sunt quatuor primæ Qualitates, quæ sunt principia alterationis mortalium, quæ in præcedentibus vnà cum Aristotele in agentes, & patientes diuisæ fuerunt. Et pro solutione aduersarum rationum considerandum est, viros sapientes de propositis difficultatibus varia dixisse. Galenus in primo, de naturalibus facultatibus, cap. 3 ait, Aristotelem pugnantia protulisse, inquit enim. Cur igitur Aristoteles in lib. de Ortu & interitu quatuor Qualitatib. vtitur: in Meteorologicis, Problematis, atque alibi, solum duabus? Nam si quis in Animalibus & Stirpibus calidum & frigidum magis agere, siccum verò & humidum minus dixerit, fortasse etiam Hippocratem habebit, qui sibi subscribet, si pari modo in omnibus, nō arbitror id cōcedet, non modò Hippocrates, sed nec Aristoteles, si eorum quæ in lib. de Ortu & interitu nō simpliciter ac nudè, sed cum demōstratione nos docuit, meminisse velit, &c. His verbis tria indicat Galenus: primò Aristotelem secū pugnare, secundò diuisionem illam Qualitatum veram esse in solis viuentibus ob calorem vitalem, tertiò de illis esse veram non absolutè, sed facta comparatione. Sententiam Galeni approbandam nō putò. Primò enim controuersiam proponere debuisset non inter dicta in varijs libris, sed inter ea, quæ in eodem lib. enunciantur, nam in eodem secundo libro de Gen. & interitu, Aristoteles vtrumque tribuit Qualitatibus his primis, nimirùm quòd duæ agant, duæ patiantur, & quòd omnes agant & patiantur, vt patefeci in præcedenti capit. Insuper dico, Aristotelem non secum pugnare, & cum Galenus asserat sententiam eius esse veram solùm de viuentibus, errat; absolutè enim etiam in simplicium productione calor & frigus magis agunt, vt sensu conspicuum est. Prætereà, de omni mixto verum est quòd calor & frigus sunt principia permutantia, coquentia, formantia, connectentia, & secernentia, è contrario autem humor & siccitas materiam parant pro recipiendis permutationibus ex calore & frigore prodeuntibus. An autem sentētia Aristotelis debeat intelligi absolutè vel facta comparatione, ex dicendis patebit. Proptereà Marsilius in secundo de Ortu & interitu, quem multi Latinorum sequuntur, inquit, sententiam Aristotelis veram esse, non per solam relationem ad viuentia, vt ait Galenus, vel ad mixta, sed absolutè: nam ordo in actione & passione Qualitatum primarum est, vt calor maximè agat, frigus minus, adhuc minus humor, minimè omnium siccitas: de passione & resistentia contra se habet, omnes itaque agunt, & patiuntur; at duæ magis agunt, duæ magis patiuntur. Auerroes in 3. suarum Collectionum cap. 31. inquit, Qualitates patientes habent vt plus patiantur, quàm agant: agentes, vt plus agant, quàm patiantur. Quæ opinio etiam non est approbanda. Primò, quia Aristoteles definiens, & diuidens Qualitates, loquitur non de actione vniuoca, per quam calor calefacit, & humor humectat, sed de æquiuoca, per quam calor terminat, connectit &c. Hi autem considerant actionem vniuocam. Prætereà, Aristoteles non considerat actionem vnius contrarij in aliud, quod faciunt isti; sed vnius contrarietatis in alteram. Prætereà, Aristoteles absolutè ait, duas Qualitates agere, duas pati; nō autem ait magis, vel minus agere, vel pati: quæ instantiæ etiam vim habent aduersus Galenum. Philoponus in secundo de Ortu & interitu, soluens huiusmodi ambiguitatem

*Qualitatū varietates.*

*Opinio Galeni.*

*Tria Galeni dicta.*

*Euersio.*

*Marsilius.*

*Auerroes.*

*Euersio.*

*Philopon.*

tem inquit, in mutuã Elementorum permutatione Qualitates omnes agere, omnesq́; pati; in mixti autem constitutione duas agere, duasq́ue pati. Philoponum sequuntur
*Lud. Boc.* Lud. Boccaf. in quarto Meteorum, & secundo de Ortu & interitu, necnõ Pompona-
*Pomponatius.* tius in quarto Meteorum, & addit Lud. Boccaf. in secundo de Ortu & interitu, quòd cum id sit verum in mixti constitutione, etiam in eo est verum non absolutè, sed cum comparatione, quatenus duæ magis agunt, duæ magis patiuntur, & est verũ per relationem ad sumpta in Definitione earum Qualitatum, Auerr. similiter in primo com.
*Suess.* 4. Meteorum pro solutione vtitur eadem duplici relatione, nempè ad mutuã permutationem, & ad constitutionem mixti. Suessius quoque eiusdem fuit sententiæ: ideò in secundo de Ortu & interitu dixit, Qualitates has omnes in ordine Vniuersi pati, quia à Cœlo formantur & terminum recipiunt, omnes agere in Sensum tactus, omnes agere, & pati in mutua permutatione: at in cõstitutione mixti, duas agere, duas pa-
*Cõfirmatio.* ti. Confirmatur hæc solutio, quoniam Philosophus ostendens, quòd duę agunt, ait eas desiccare, humectare, connectere, secernere, hæc autem efficiunt in mixtorum constitutione, non in mutua permutatione, hinc aqua sola à calore nec incrassatur, nec ter-
*Euersio.* minum recipit. Includit profectò relata opinio varia iure optimo approbanda, non tamen omni ex parte videtur vera. Nam primò aduersatur conspicuis verbis Aristotelis sub initio Quarti Meteorum de humido & sicco dicentis, tum ipsa secundum se, tũ communiter ex vtrisque concreta corpora terminari, & cæteris affectionibus affici. Similiter de calido & frigido inquit, in singulis apparet caliditas & frigiditas, tum quę similium, tum quæ dissimilium sunt partium terminare, connectere, &c. Conspicuè Philosophus suam sententiam profert vniuersalem, eamque asserit veram, & de simplicibus, & de concretis. Præterea, Philosophus id approbat per Definitiones, & non est putandum eas Definitiones illis competere solùm cum relatione ad mixtum, & præsertim, quia in secundo de Ortu & interitu Philosophus, datis illis Definitionibus, refert statim Qualitates ad simplicia corpora. Insuper nisi illæ Qualitates ex se haberent vt facilè, vel difficilè terminarentur, non possent hoc tribuere mixtis. His accedit, quòd id quod omnes agant, omnesque patiantur, nedum eis competit in mutua permutatione, verùm insuper in constitutione mixti, quod patet, cum ex earum mutua
*Solutio.* actione & passione temperamentum consurgat. At qui partem tuentur aduersam, nituntur has instantias diluere, inquiunt enim Ludouicus, & Pomponatius, Aristotelẽ ea verba de sicco & humido protulisse, quod tum secundum se, tum concreta ex vtrisque illis passionibus afficiantur, quoniam non omnes eis competunt, dum simplicia sunt, sed quædam earum tantùm; non enim humor aquæ à calido condensatur: at in
*Euersio.* mixti cõstitutione eis competunt omnes. Hæc solutio inanis est, quoniã per eam non vitatur, quin Aristoteles dixerit eas affectiones per huiusmodi Qualitates etiã competere simplicibus: & quamuis non competant omnes, id parùm refert; sat est, id esse ve-
*Instantia de Igne.* rum ob affectiones, quæ illis competunt. Præterea, Philoponus, Auerroes, & Ludouicus, nituntur instantiam soluere de igne, qui cum sit siccus, est partium tenuissimarum & facilè recipit alienos terminos. At si Aristoteles definiret Qualitates cum relatione ad mixti constitutionem, ea dubitatio non faceret ad rem, quoniam ignis est, corpus simplex: & tamen illi alia ratione, & via nituntur soluere, quare vel male soluunt, vel secum pugnant. Præterea, Definitio humidi manifestè competit humori aeris, & aquæ: quare si solùm definirentur Qualitates per relationem ad mixti constitutionem; Definitio non reciprocaretur cum modo considerandi Definitum, sed latior esset.

Opinio

## *Opinio propria cur Qualitatum duæ dicantur agere, duæ pati. Cap. IX.*

VT de re ardua proferam quod sentio, pro lucidiore solutione quatuor enuncio. Primum est, dum Qualitatum duæ dicuntur efficere, & duæ pati, non comparatur vna Qualitas cum sibi opposita, sed vna Qualitatum oppositio cum altera, ideò vna earum dicitur alteram permutare. *Quatuor cõclusiones. 1. Conclus.*

Alterum est, dum Qualitatum duæ dicuntur agere, duæ verò pati, non consideratur actio Vniuoca, qua calor calefacit, humor humectat, sed æquiuoca, hoc patet ex Aristotele, qui de æquiuoca id explicauit, qua calor consimilia nectit, frigus & consimilia & dissimilia. *2. Conclus.* Tertiò dico sententiam Aristotelis veram esse cum de simplicibus, tum de mixtis, præsertim tamen apparere, & veram esse de mixtis, quia sunt capacia omnium earum affectionum, & in mixtis magis refulgent actiones primarum Qualitatum æquiuocæ. *3. Conclus.* Quartò addo hæc debere intelligi, & esse vera per se, & inspiciendo id, in quod per principale naturæ institutum illæ Qualitates sunt ordinatæ, nã regulæ, & Definitiones intelligi debent per se; ex accidenti enim potest secùs eueni re, vt dum humor extinguit calorem, & Qualitates patientes resistendo superant efficientes. *4. Conclus.* Ex his elicio, sine controuersia dici Qualitates omnes agere, Qualitates omnes pati, & Qualitatum duas agere, duas pati, comparando vnam contrarietatem cum altera, considerando actionem æquiuocam, & id, quod est per se. *Quid elicia tur.* 1 Elicio insuper, Aristotelem non secum pugnare, cum varia proferat, ob varias comparationes. 2 Demùm colligo, rationes aduersas facilè dilui. 3 Dicebatur primò qualitates has omnes esse formas, & omnes agere, quod concedo facta comparatione inter Qualitates contrarias adinuicem. Addebatur, formam solùm ex accidenti pati, & formam per se solùm agere in contrarium, & ea quæ sunt ex accidenti, esse prætereunda in scientijs, & Definitionibus. *Diluuntur rationes aduersæ.* Respondeo, formam non pati per se absolutè vt forma est, sed vt materiata, adeò vt pati ei competat per se ratione superadditi. Addebatur, contrarium per se solum agere in contrarium, vna autem oppositio non contrariatur alteri. Respondeo, id esse verum de actione prima, non de sequente eam, de qua loquitur Aristoteles: nam pro hac fat est ea oppositio, quæ versatur inter actum & potentiam, inter formans, & aptum formari, quæ oppositio locum habet in eis duabus oppositionibus inuicem comparatis. At de Qualitatum primarum diuisione hactenus, descendamus ad earum Definitiones.

## *Considerantur Definitiones primarum Qualitatum. Cap. X.*

QVATVOR primæ Qualitates communi Definitione circumscribi possunt, quòd sint Qualitates ad tactum pertinentes, efficientes, & patientes, alias in materia non supponentes, nec aptæ in pauciores redigi, constituentes prima corpora tactu sensibilia, ex quibus cæteræ Qualitates prodeunt, quæ secundæ nuncupantur. *Communis circumscriptio.* Hæ seorsùm Definitionib. proprijs etiam circumscribuntur, dicendo, Calor est Qualitas prima efficiens, primò competens igni, apta ea nectere, quæ sunt similium partium. *Circumscriptiones propriæ.* Frigus est Qualitas prima efficiens, primò competens aquæ, apta connectere, tum quæ similium, tum quæ dissimilium sunt partium. Humor est Qualitas prima patiens, primò competens aëri, carens terminis proprijs, facilè apta terminari alienis. Siccitas est Qualitas prima patiens, primò competens Terræ, facile suis terminis circumscripta, egrè recipiens alienos. Aristoteles circumscribens has Qualitates, id quod singulis est cõmune, vt notũ præ- *Aristot.*

termi-

termisit. Similiter non assumpsit cui Elemento primò cōperant, quia hoc ei non inser uiebat, & alibi erat manifestandum, solùm id sumpsit, quod ei conducebat vt ostenderet duas esse efficientes, duas patientes, aduersus quas Descriptiones varias attuli instantias; Pro quarum solutione considerandum primò occurit, qualesnam iudicandæ sint illæ Descriptiones? Auerroes in secundo de Ortu & interitu cont. 9. inquit, has non esse re vera descriptiones, sed tanquam sermones explicantes nomen, & addit nomina Græca earum Qualitatum magis denotare actionem, & passionem. Errat profectò Auerroes, tum quia si Græca earum Qualitatum no mina consideramus, non magis actionem, & passionem denotant, quam Latina, vel alia: tum insuper, quia illæ Descriptiones mira arte sunt traditæ, prætereundo communia & nota, accipiendo magis propria & latentia. Et quoniam Qualitates, cum sint principia quædam, per earum opera debent circumscribi; Ideò considerandum actionem earum esse duplicem, vnā propriam & vniuocam, alteram sequentem propriam & æquiuocam; prima est finis proximus, & proprius, altera remorior, in quem per communem naturam actio propria dirigitur; actio prima nil occulti patefacit, actio secunda magis conditionem earum manifestat, magisque instituto Aristotelis inseruiebat, ideò iure per eam Qualitates circumscripsit. Instabatur primò Aristotelem prætermittere ea quæ sunt per se, apparuit prætermitti vt conspicua, nil occulti patefacientia. Addebatur ea accipere, quæ sunt ex accidenti, apparuit per relationem ad vlteriorem finem non esse accidentia. Nam calor per propriam sui naturam per se primò appetit sui cōseruationem, per naturam suæ speciei primò appetit simile generare, at per naturam communem Vniuersi, antecedentia ad sequentia dirigentem, & vlteriorem finem experentem, appetit alia per quæ definit Aristoteles. Addebatur, ex contrarijs prodire cōtrarium. Respondeo id esse verum de actione prima, & propria, sic ex calore calor, ex frigore pendet frigus; non de actione sequente primam, de qua sat est vt modo aliquo sint varia, & fiat modo opposito, veluti calor calefaciendo & rarefaciendo similia nectit. Frigus verò cōdensando, & congelando nectit similia & dissimilia. Addebatur, Aristotelem falsa proferre, quia calor etiā dissimilia nectit. Respondent Ludouicus Boccaf. & Pomponatius, Aristotelem inspexisse id quod fit vt plurimùm: sed hi viri grauissimi definitiones ab Aristotele traditas nimium leues reddunt: exposcunt propriè sumptæ descriptiones, vt quæ in eis accipiuntur, cōpetant omni, soli, & semper, adeò vt tota circumscriptio cum re circumscripta reciprocetur. Propterea, secùs soluens, dico, sententiam Aristotelis per se esse semper veram, inspiciendo institutum communis naturę, & finē vlteriorem; falsam tamen nonnunquam ex accidenti, quod nil refert, quia consideranda sunt ea quæ sunt per se. Et pro notitia animaduertendum, calorem ita nectere con similia, vt nitatur ea quæ sunt dissimilia in vnam naturam redigere, quæ talia reddere non valet tamquam excrementa secernere, hoc seruatur in coctione alimentorum, in confectione Theriacæ, Mitridati, & similium. Euenit tamen nonnumquam, vt calore ex accidenti connectantur dissimilia, vt dum per decoctionem Mel redditur tenacius, adeò vt amigdalas detineat, pro qua retentione demùm conducit etiā congelatio à frigore facta. Pix & cera dum liquescunt, connectuntur tum ex accidenti, quia partes magis tenues dissoluuntur & remanent tenaciores, tum insuper, quia ambo ea corpora lentore sunt prædita, & ob id sunt in parte similia. Similiter diluuntur instantiæ de frigore secernente, nam id nonnumquam fit ex accidenti, quia per se comprimendo, & congelando, ex accidenti partes magis tenues vitantes compressionum extrudit, veluti etiam ex accidenti secernit ea, quæ per calorem fuerant coniuncta, & modo aliquo permixta, & cōsimilia reddita, vt accidit de genitura, lacte, pure, sanguine & similibus, nam à frigore extinguitur calor geniture, & eorum quæ aëreo quodam spiritu iuncta erant & consimilia redita, quo calore extincto, spiritus, & humor tenuis vitantes compressionem à frigore prodeuntem dissoluuntur & remanet humor crassus, & aqueus; Hoc docuit Aristoteles in quinto de Generat. Animalium, cap. 3. inquiens:

Indurat

*Consideranda pro solutione.* *Actiones Qualitatū duplices.* *Soluuntur instantiæ.* *Lud. Bocc.* *Pomponatius.* *Euersio.* *Solutio propria.* *De calore.* *Instātiæ de frigore.* *Aristot.*

Indurat tum calor tum frigus, nam euenit vt ab vtrisque humor in vaporem vertatur, scilicet à calore per se, à frigore ex accidenti, vnà enim cum calore humor seiungitur, nullus enim humor sine calore est, sed frigus non modò indurat, sed densat etiam; calor verò laxat, rariotaque reddit &c. quæ sententia de calore explicata est in præcedentibus, de frigore dico ab eo per se extingui calorem, & corpora comprimi, reliqua fieri ex accidenti. Sed oritur dubitatio, quia si calor & frigus per se agunt in humidum, & siccum, igitur calor ignis agit in siccum ei iunctum, & calor aëris in humidum, & sic de reliquis, nam quòd est per se, est de omni, id autem falsum est. Respondeo, has actiones æquiuocas non esse per se & primas, sed fieri per primas. Cum autem calidũ non in se agat seipsum calefaciendo, etiam non agit in suam vel humiditatem, vel siccitatem. Insuper calor, & frigus agunt in omne humidum, & siccum sibi non consentaneum. *Dubitatio.* *Solutio.*

## *Diluuntur instantiæ relatæ aduersus Definitionem humidi, & sicci.* Cap. X I.

SOLVTIS difficultatibus ad calorem & frigus attinentibus, diluendæ supersunt instantiæ relatæ aduersus Definitiones humidi & sicci. Erat instantia de igne, spiritu, puluere, & similibus, quæ cum sint sicca, carēt termino proprio, & facilè recipiunt alienos. Auerr. respondens, inquit Elementa media cum sint humida, carere terminis densitatis & raritatis, hinc magis & densari & rarefieri possunt, extrema verò adepta esse vltimos terminos, nam ignis summè rarus, terra summè densa est. Hæc solutio approbanda non videtur. Primò, quia ea summa raritas ignis, & densitas terræ potius sequuntur calorem & frigus, quàm siccitatem. Insuper, saltem ignis potest condensari, & terra rarefieri, & secundum hoc, non erant terminata. Præterea, hi sunt termini interni, sequentes formam substantialem Elementorum; Aristoteles loquitur de externis attinentibus ad figuram, ac ita Definitionis voces sumerentur æquiuocè. Philoponus soluens, ait puluerem, cinerem, & huiusmodi consimilia sicca, terminari quodam proprio termino, nam ex eis fit cumulus. Similem solutionem tradit Ludouicus Buccaf. inquiens ignem sua conditione præditum esse figura quadam propria Pyramidis; & si alienam in fornace recipit, id ei competit ex accidenti, vt nititur tendere sursùm. Similiter soluit Pomponatius, qõ. 7. & addit ignem non exactè fornacis figuram recipere. Hæc solutio approbanda non est. Primò, quia ignis cum sit Elementum, ex se caret propria figura, vt asseritur in secundo de Cœlo, & ea Pyramidis nequaquam est figura propria ignis, sed eam recipit, vt nititur tendere sursùm. Præterea, quæ facilè diuidũtur, facilè terminantur alieno termino ex quarto Cœli, conte. 4. ignis cum sit tenuissimarum partium, facilè diuiditur; quare facilè alieno termino terminatur, hinc facilè & exactissimè recipit intimam Cœli figuram, quam non seruat, sed inde repulsus eam dimittit. Similiter puluis & cinis, alienam figuram vt facilè recipiunt, ita facilè amittũt. Propterea, secus soluens, duo præaccipio: vnum est, tenue, vt tenue, redigi ad humidũ, vt asseritur ab Aristotele in 2. de Ortu & interitu, contex. 10. ignis autem cum sit subtilium partium, tenuissimus est, vt dicitur in primo Metaphysicæ, contex. decimotertio. Hoc subindicauit etiam Auerroës in principio Paraphrasis quarti Meteorum, inquiens, ignem esse mollem & tenuissimum, nuncupauit illum mollem ob partium tenuitatem. Accipio secundò, quòd prius dixi, Definitiones præsertim esse veras in mixtorum constitutione. His præassumptis, dico, de Elementis obscuriùs, de mixtis clariùs eas Definitiones esse veras. Addo ignem, puluerem, & similia, recipere & non seruare figuras alienas, non quia sicca sint, sed ob tenuitatē, quæ participat conditionem humidi, vt apparuit. Addebatur, quòd nectere & copulare est officium humoris, *De humido & sicco.* *Auerr.* *Euersio.* *Philopon.* *Lud. Boc.* *Pomponatius.* *Euersio.* *Solut. propria.*

non caloris, vel frigoris. Respondeo, id esse officium humoris, vt glutinis & copulæ; caloris verò & frigoris, vt disponentis copulam.

## *An Qualitates primæ agentes æquè agant, & patientes æquè patiantur? & num rectè dicantur Elementa simplicium corporum? Cap. XII.*

*An Qualitates æquè agant et patiantur?* EX eo quòd Qualitatum duæ dicuntur agere, duæ pati, oriebatur dubitatio, an agentes æquè agant, & patientes ęquè patiantur? De qua difficultate breuibus, & lucidè loquens, dico. Vel cõsideramus actionē primam inter Qualitates cõtrarias, similiter passionē, vel actionem, & passionem secundam, quæ versatur inter duas oppositiones. Si primã considerarnus, vel absolutè inspicimus id quod possunt, vel quod citiùs, & potentiùs possunt; si consideramus quod possunt, dicendum, omnes æquè agere, quia omnes valent simile producere, & cunctos gradus suæ intensionis efficere. Similiter omnes æquè pati, quia omnes sunt aptæ à contrario penitùs destrui. At si consideramus quæ *De actione prima.* citiùs id efficiant, & in distantius agant, dico calorem maximè agere, secũdò frigus, tertiò humorem, quartò siccitatem, vt sensu constat. At si consideramus actionem *De actione secunda.* secundã & passionē inter duas agentes, & duas patientes, dico duas per se solùm ag. re, duas solùm pati, & attinentia ad earum Definitiones æquè illis competere, vt enim calor nectit similia, ita frigus cùm similia, tùm dissimilia: & vt humor facilè terminatur termino alieno, ita siccitas proprio: attinentia enim ad Definitiones æquè competunt Defi-*Dubia de nominibus.* nitis, supposita eorum æqualitate. Supersunt modo diluendæ difficultates ad nomina Qualitatum attinentes, nam dicebantur materiæ, affectiones, principia, & differentiæ: ex quibus tres prodeunt controuersiæ; prima quia antecedent; erunt simul, & sequen-*Solutio.* tur; secunda erunt substantiæ & accidentia; tertia, erunt formæ & materiæ. Respondeo, has non esse cõtrouersias, quia veræ sunt de Qualitatibus, distincta ratione, nam antecedunt vt disponentes, sunt simul formantes, sequuntur vt affectiones. Insuper, sunt differentię, & formæ circumscribentes formam substantię, ac etiam constituentes Corpus Sensibile sensu tactus, vt tale est: absolutè autem sunt accidentia, sunt materię temperamentorum, & sequentium Qualitatum. Sed id superest considerandum, *An sint Elementa?* an rectè nuncupentur Elementa Simplicium corporum? Hac de re consentiunt Aristoteles, Plato, & Athenęus, qui omnia interna, & prima principia nuncuparunt Elementa. Ita Aristoteles frequenter in 1. Physic. prima interna principia nuncupat Elementa. Et in secũdo de Ortu & interitu cont. 3. & 16. Qualitates primas quatuor nuncupat Elementa corporum. Similiter Plato in Timęo, figuras, quas statuebat interna *Simplic.* principia simplicium corporum Elementa eorum appellat. Propterea refert Simplicius ex Eudęmo in procemio Phys. Platonem primùm nũcupasse interna prima principia nomine Elementi, & Aristotelem sequutum fuisse illum; Elementa autem corpora non absolutè sunt Elementa, quia non sunt absolutè prima, sed solùm prima in-*Galenus.* ter corpora. Ex aduerso tamen Galenus in primo de Elementis cap. 4. & 6. disputans contra Athenęum negat materiam, & formam esse Elementa compositorum, sed ait debere dici principia: similiter negat, Qualitates esse Elementa Simpliciũ corporum, vel mixtorum, sed solùm principia. Ratio eius est: quia conditio Elementi est, vt sit eiusdem generis & ordinis cum his, quorum est Elementum, adeò vt Qualitates Qualitatum, & Corpora Corporum sint Elementa; non autem Qualitates corporum, vel materia & forma compositorum, sed principia vt nuncupabantur à veteribus (referente Aristo. in primo Phys. 48.) At fundamentum Galeni nulla ratione comprobatũ est. Propterea cum Platone, & Aristo. dicamus, Elementa rectè dici, de omni principio

intrin-

intrinsecus constituente,& præsertim de materia, vt dicitur in 7.Metaphysicæ, cõt. 60.est origine prior,nam &(vt inquit Arist.in 5.Metaphys.)conditio Elementi est, vt sit primũ,sic literæ dicuntur Elementa Grammaticæ, & orationis, quamuis non sint orationes.Ad id quod ait Galenus,Elementa debere esse eiusdem ordinis,& generis cum his quorum sunt Elementa.Respondeo, sat esse, ut ad idem Prædicamentum referantur,nã accidens non rectè diceretur Elementum Substantiæ, nisi ut circumscribit formã Substãtię,nec Substantia accidentis. Primæ itaq; Qualitates primò dicuntur Elementa Tẽperamentorum.Secundò Elementorũ corporeorũ,ut circumscribunt formam Substantiæ eorum,ac ut sunt eorum differentiæ, reddentes ea tangibilia Sensu tactus,& magis ex opinione Galeni deberent dici Elementa, quia putat esse formas Elementorum,quam ex sententia Aristotelis secus sentientis.

## *De Distinctione calidi, frigidi, humidi, & sicci.* Cap. XIII.

QVatuor apparuere prima Qualitatum capita,at sub singulis multæ uarietates locum habent.Primo .n. quęlibet earum vsurpatur velpro sola Qualitate,vel pro concreto,vt cõsiderauit Galenus in primo de Tẽperamentis,c.7.& 1.Aphorismorum,inquiens,usurpari & pro Substãtia,hoc est pro cõposito,& pro Qualitate.Similiter Auer.in 5.Metaphysicæ, t 4.ait nomina denominatiua primò formam,secundò cõpositum denotare,idipsum Arist.in 8.Metaphys.cont.7.dixit de Animali,quod primò Animam, secundò compositum denotat.Insuper diuiduntur secundò per actum & potentiam,ut ea diuisit Arist.in 2.de partib.Animalium,c.3.& Galenus in 3.de Temperamentis,c. vlt.sic ignis actu est calidus.Piper potestate;Et cõsiderandum, quòd calidum potest dici dupliciter,vel efficiendi,ut Piper,& calx,vel patiendi,vt teda,pix,& quæ citissimè incenduntur.Tertiò diuiduntur,quia vel absolutè sunt talia, & hoc competit solis Elementis, dum considerantur vt sinceta, ita enim exposcunt ambas Qualitates summa,vel sunt talia per comparationẽ.Et hoc pręsertim contingit trib.modis. Vel .n. comparatio fit in cõmuni genere mixtorum,& sic quod est supra æquale,denominatur in eo genere tale absolutè,ut calidum,inter mixta,vel humidũ. Vel fit cõparatio in genere proximo, vt in genere Animaliũ, in quo genere quod excedit medium cõpetens animalib.dicitur absolutè tale,vt Leo absolutè calidus formica frigida.Tertiò fieri potest cõparatio in specie,vt comparando Platonis Temperamentum,cũ eo Arist.vel absolutè, uel cũ relatione ad medium congruens Homini, ita datur calidũ absolutè,calidum in communi genere mixtorum,calidum in genere proximo,& calidũ in postrema specie, & quod dixi de calido, de cęteris etiam Qualitatib.intelligi debet.De his comparationib. multa dicũtur à Galeno in primo de temperam.c.6. & in 3.c.vlt.necnon ab Arist.in 2.de pattib.Animalium,c.2.At prætermissis cæteris uarietatib.consideremus eas,quas in humido actu cõsiderauit Arist.in 2.de Ortu & interitu,14.quę ad cæteras etiam Qualitates extẽdi possunt.Quadruplex statuit Arist. humidum.Nam primò datur humidum vniuersè sumptum,quod ab Arist.fuit definitum.Secundò datur humidum proprie, & est id, quod humiditate sibi per naturam propria,præditum est,secundum uniuersam Substãtiã,vt aqua.Tertiò datur humidũ solùm extrinsecus,& humore alieno,quod vdũ dicitur, ut irroratæ frondes. Quartò datur humidũ intus humore alieno,& dicitur madidum,ut spongia, aquã includens imbibitam.Hęc sunt capita principalia ab Arist.indicata,quę Philoponus resoluit in quinque. At si exactiùs capita distinctionum consideramus, non recedentes ab Aristotele,in octo capita ea resoluemus,ita dicentes; Humidum vsurpatur uel pro communi genere,uel pro specie ab alijs speciebus distincta:pro communi genere Definitum primò fuit communi Definitione,& est primum caput: Si usurpatur in specie, Vel est humidum humore naturali, vel alieno, vel utroque: si alieno, uel solùm intrin-

*Diuisio 1.*

*Diuisio 2.*

*Diuisio 3.*

*Humidũ quadruplex.*

*Octuplex humidum*

intrinsecus eo est prǣditum,uel solùm extrinsecùs,vel intus & extra,& ita habemus quatuor capita.Si fuerit humidum humore naturali,uel est tale solùm intus, ut Coclea,vel solum extra,ut Dactili fructus,vel intus & extra,vt Limachia,& iam prodire septem capita,quibus pro octauo additur,humidum humore cùm alieno,tùm naturali,ut cerebrum puerorum; Hæ varietates in humore satis sunt conspicuæ, ideò Aristoteles eas humori tribuit, considerari tamen possunt etiam in cæteris Qualitatibus,quatenus omnis Qualitas & secūdum naturam,& aliena esse potest, & ualet intus & extra competere.In calore tamen præsertim ea varietas refulget,per quam distinguitur in calorem Cęlestem, Vitalem,& Elementarem.Calor viuentium diuiditur in influentem siue infusum a Corde,& calorem temperamenti. Calor Elementaris in igneum cum sicco iunctum,& aereum. Verum hæ distinctiones tribuuntur calori ob connexa cum eo ex accidenti,per se enim omnis calor,qui actu est calor, est eiusdem speciei specialissimæ.

## *Quomodo quatuor primæ Qualitates ex Cœlo pendeant. Cap. XIIII.*

*Arist.*

QVatuor relatæ,& explicatæ Qualitates,quamuis in hoc mortalium orbe in genere Qualitatum sint origine primæ,relatæ tamen ad Cœlū, primæ non sunt,sed ex alijs facultate & origine prioribus pendent: est enim Cęlum inter corpora prima parens,primū alterans,fouens, & seruans contenta sub eo.Ideò Arist.in primo Meteorum dixit, necesse mortalem orbem superis lationibus esse continuum, ut omnis eius virtus inde gubernetur,& in capitulo tertio asseruit,hoc mortale corpus, potentia calidū,frigidum,humidum,& siccum fieri,& esse actu, per motum & immobilitatem.Quare cum concedatur ut cætera ad corpus attinentia,ita primas quatuor. Qualitates ex Cęlo pendere,de modo est dubitatio,& opiniones sunt uariæ.Vetustiorum Philosophorum nonnulli,è quorum numero fuit Parmenides, duo statuerunt principia prima,Calidū,& Frigidum:Cęlum dixere ignē,& calidum, frigus putarunt esse priuationem caloris competentem collocatis sub Cęlo,ideò dum hæc à Cœlo nō calefiunt,inspicimus frigore sua conditione torpere. Academici asseruere cęlū ex eminentijs Elementorum constare,ac ita Qualitates omnes includere,per quas seruaret Qualitates mortalium.Sed quoniam Peripateticorum firma & constans opinio est, cęlum esse immune a Qualitatibus mortalium,ideò cum eis careat, dubiū est quomodo in mortalias eas effundere & seruare valeat? Cōfugerunt plurimi ad proprios cęlorum & stellarū influxus,quorū Sententia in lib.de cęlo cumulatè à me reiecta est. Propterea Io.Picus,Vir omni ex parte Illustris,lib.3.contra Astronomos,c.4.inquit Si quis quærat a me frigiditatem ne cęlum faciat per se,an ex accidenti? Respōdebo, siquidem quæras quid seipso faciat cęlum, nulla media causa, fieri ab illo per se tantum calorem,cæteras Qualitates ex accidenti, ueluti calor ipse ex accidenti refrigerat,si uerò quid tamquam uniuersalis causa cum secundarijs causis agat, agere illum per se,tàm caliditatem,quàm frigiditatem,tàm siccitatem,quàm humiditatem,adeò ut non minus cùm aqua generet aquam,quàm cum igne ignem, nec magis posset sine illo,aqua aquam, quàm ignis ignem generare. Id ipsum ferè per uaria uerba dicitur à Reuerendissimo Episcopo Casertæ, libro decimoquarto Euersionis, Sectione undecima.Hæc opinio mihi dubia est. Primò, quoniam causa communis ad omnia uniuerse tantùm conspirare debet, non autem ad unum per se, ad reliqua ex accidenti. Præterea, efficiens tunc aliquid efficit per se, dum id efficit cum sui reduplicatione; at Cœlum Lucidum, & motum, ut Lucidum, solū illustrat,ut motum,solùm contenta sub eo nectit, uel seiungit, non autem per se primò calefacit.

*Quomodo primæ qualitates ex Cœlo pendeant.*

*Opinio prima Parmenidis & aliorū veterū Academic. Opinio aliorū, & præsertim Peripateticorū. Ioan. Picus Mirādulanus.*

*Episcopus Casertæ. Euersio.*

Syrenius

Syrenius vir doctus lib. 3. de Fato, c. 49. inquit, ex Cœlo per se nullam quatuor Qualitatum prodire, immò nec illuminationem, quia lucidum non illuminat, nisi eius radij repercutiantur. Addit a Cęlo, Lumine, & motu, contenta sub eo seruari, & in Lumine & motu esse Qualitates omnes per se, ut in instrumento, nullam tamen earum Qualitatum per se Cœlum generare posse, quia generationes sunt causarum particularium; Cœlum autem est causa communis, quę nisi per particulares determinetur producere quicquam non ualet. Hæc opinio præter id, quod dicebatur de productione caloris, eadem fere est cũ opinione Ill. Io. Pici, & considerando eam quatenus differt, Primò minus rectè dici puto Lucidum per se illuminare, nam dum aliquid prodit ex propria alicuius forma, & cum eius reduplicatione, dicitur per se ex eo prodire, at illuminare prodit ex forma lucidi, & cũ eius reduplicatione, nam Lucidum illuminat, quia Lucidũ, quare per se; quòd si requiritur repercussio, id parùm refert, quia repercussio non tradit formam, per quam medium illuminetur; etiam color ut videatur exposcit Lumen, tamen dicitur per se uisibile, nec repercussio illa est, quæ illuminat, sed radius repercussus. Præterea dicere ęquè ex Lumine & Motu prodire Qualitates experientiæ & auctoritati aduersatur, inquit Aristoteles in primò Meteorum, & in 2. de Cęlo, Motum Cęli calefacere; non ita ait refrigerare. Insuper asserere eas Qualitates esse per se in Lumine & motu, ut in instrumẽtis, ueluti formę omnes sunt in forma Cęli, & corpora in corpore Cęli, & Motus in Motu Cęli, & fructus in semine: Cęlum tamen nullam earum Qualitatum per se generare posse, hoc inquam varia includit summoperè dubia. Nam esse aliquid in aliquo per se, vt in instrumento, uerum est, quando in eo, cuius est instrumentũ, per se est, ut in causa principali, & propterea negare Qualitates esse in Cęlo per se ut in causa principali, & asserere eas esse in motu & lumine Cęli per se, vt in instrumento, est pugnãtia proferre. Propterea dicere esse per se in aliquo ut in instrumento, est loqui non propriè, quoniã esse per se, non ad instrumentũ, sed ad causam principalẽ pertinet, & pręsertim quia si in eis per se essent, ut in instrumento per se, etiã producerentur ab illis, veluti ignis calefacit, nõut ignis, sed vt calidus inquit Arist. in lib. de Sensu & Sensili, & calor per se calefacere dicitur, quamuis sit instrumentũ ignis. Demùm asserere Qualitates ex accidenti pendere ex Cęlo, est asserere mundum mortalem, & ordinem eius ex accidenti pendere ex eo, nam eatenus pendet quatenus Lumine & Motu calefit, humectatur, & reliquis Qualitatib. afficitur. Propterea, pro lucida resolutione præsentis difficultatis, tres profero Conclusiones. Prima est. Nulla primarum Qualitatũ per se primo à Cęlo producitur. Altera est. Omnes quatuor Qualitates per se secundariò ex Cęlo pendent. Tertia est. Comparatis inuicem Qualitatib. primò & principaliter ex Cęlo pendet calor. Prima Conclusio ostenditur, quoniam nulla primarum Qualitatũ uel Lumine cęli, uel Motu sit, cum eius reduplicatione. Confirmatur, quia huiusmodi Qualitates per se primò fiunt a simili, quare non à Cęlo, quod est expers earũ. Insuper id ostenditur, quoniam causa communis non per se primò producit aliquid propriũ, sed solùm id quod est commune; cœlum est causa communis. Ostenditur secunda, nempè per se secundariò ex cœlo pendere. Ratio est, quoniam causa communis producit contenta sub communibus, per se secundariò, commune enim primò communia inspicit, mox contenta sub eis. Insuper, cęlum est ob mortalia non prima intẽtione, sed secundaria, & ideò secundariò etiam producit, vel seruat Qualitates primas eorum. Preterea ut Qualitatum primarum duplex apparuit actio, vna prima, altera sequens primam; ita Motus & Luminis actio, est duplex, una prima, & proxima, altera eam sequens, hæc tamen sequens non ita est præstantior, vt ea primarum Qualitatum, quoniam non ita principaliter Cœli diriguntur in mortalia, ut Elementa per quatuor Qualitates diriguntur in mixta. Tertia conclusio erat. Ex cęlo, comparatis inuicem primis Qualitatibus, primò & præsertim pendere calorem. Ratio est: quoniam calor proximiùs ex Lumine, & motu pendet, est Qualitas dignitate prior, vitalior,

Syrenius. Euersio. Opinio propria. 1. Cõclusio. 2. Cõclusio. 3. Cõclusio.

purgans cætera, ea eleuans & cum Cœlo connectens; insuper secernit ea quæ distincti sunt generis, quod conducit pro ordine Vniuersi; pendent ex eo etiam cæteræ Qualitates, sed minus principaliter, per varias distãtias, & mensuras, adeò ut Cœlum Lumine & Motu, nedum vnà cum calore tanquam communis causa producat calorem, & cum frigore frigus, uerùm insuper ipsum quoque etiam sine calore & frigore valeat has, & alias Qualitates seruare & producere, non tamen per se & primò, sed modo a me explicato. Hanc veritatem optimè patefecit Alexander in 2. Nat. qq. c. 3. inquiens; Materiam mortalium sui ratione Qualitatibus carens, sineque figura existẽs à potentia, quæ à Diuinis corporibus manat, cum sit sine actu corpus, formatur, & figuratur, adeò vt id eius, quod proximius est Cęlesti corpori, plus diuina potentia participans formetur caliditate, & siccitate: hę namque sunt primæ ab illis in corpora mortalia prodeuntes passiones &c. Sic manifestat Qualitates ordine aliquo ex Cęlo pendere, ita seruatur distantiam à Cœlo dare frigus, grauitatem, & quietem, propinquitatem verò opposita. Similiter verum redditur id, quod dicitur locum seruare locata, & esse tanquam formam eorum. Nam Locus secundum naturam in definita quadam a Cœlo distantia est constitutus. At de primis Qualitatibus hactenus. Cætera, quæ explicanda supersunt, patebunt in Elementorum consideratione. Deo Laus in sæculorum sæcula.

*Alexãder.*

FRAN-

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

## De effectione, & perpessione operantium per Naturam,

## LIBER VNVS.

### *Quotuplex sit tactus.* *Cap. I.*

QVONIAM Natura, tanquam sedula Dei famula, nũ- *Natura ui-*
quam ignauo ocio torpet, sed uigilanter pro facultate o- *gilans.*
peratur, operando perficitur, eaque præclara efficit ope-
ra, quæ natura constare dicuntur, propterea huiusmodi
opera indagantibus, necessarium est exactè prænoscere,
quid sit efficere, & pati, & cætera cuncta, quæ cũ his iun-
cta, & complicata sunt, & quoniam effectioni antecedit *De tactu.*
tactus, ideo ego à tactu ordiar, mox attinentia ad effe-
ctionem, & perpessionem pro facultate perpendam. De
tactu considerabo primò, quotuplex sit, deinde quid sit
tactus Physicus, qui instituto nostro inseruit. Tactus usurpatur dupliciter, uel per Me- *Tact⁹ per*
taphoram, vel propriè: tactus per Metaphoram dictus, extenditur etiam ad incorpo- *Metapho-*
rea, & dicitur tactus uirtutis, qui est quadruplex; vel enim incorporeum sua virtute *ram qua-*
tangit incorporeum, ut dicimus Deum tangere superas Mẽtes; vel incorporeum tan- *druplex.*
git corpus, vt intelligentia mouens Cœlum, dicitur tactu uirtutis Cœlum tangere. Si
militer conuitia dicuntur nos tangere. Vel è cõtrario corpus tangit incorporeum, vt
accidit dormientibus, & delirantibus, vel demùm corpus sua uirtute tãgit corpus, vt
Sol Terram tangit. Hic itaque est tactus virtutis, qui ad rem nõ facit. Alter est tactus *Tact⁹ ma-*
magnitudinum, qui triplex est, Mathematicus, Cœlestis, & mortaliũ Physicorũ cor- *gnitudinũ*
porum. Tactus Mathematicus est duarum magnitudinum à sensilibus Qualitatibus, *triplex.*
imaginatione secretarum, quarũ ultima sint simul. Tactus cęlestis est duplex, vel Cę-
lorum inter se, uel Cęli, & mortalium, pro quo tactu requiritur, ut eorum ultima sint
simul, at insuper si contactus fuerit Cęlorum adinuicem, superius potest mouere in-
ferius, at non uice uersa, ita primum mobile secum ducit motu diurno cæteros orbes.
Præterea mutuò sibi impartiuntur munera propria, & præsertim Lumen, ut rectè sen
sit Simplicius primo Cœli, vigesimoquarto, & secundo Cœli nono. Si uerò consi-
deramus tactum Cœli, & mortalium, Cœlum mouet mortalem orbem, in eumque
sua munera effundit, at non uice uersa, non enim æterna egent muneribus morta-
lium. At demùm si loquimur de contactu magnitudinis Physicorum mortalium, hic
duplex est, uel cum iudicio, uel sine, tactus cum iudicio cõpetit solis Animalibus mu-
nere Sensus tactus, de quo agitur in secundò de Anima, & ad rem non facit; tactus si-
ne iudicio etiam inanimis competit. Pro quo constituendo, ex sententia Aristotelis *Pro uero*
in primo de Ortu, & interitu, quatuor requiruntur. Primò, ut magnitudines tangen- *tactu qua-*
tium distinctæ sint, alioquin non se tangerent, sed continuæ essent. Secundò, ut *tuor requi-*
*runtur.*

partium positione sint prædita. Ratio est: quia eorum vltima debent esse simul, id simul ad locum refertur, ideò illis competit quibus & positio competit, & locus. Tertiò requiritur, vt vltima sint simul, & hæc tria sunt communia omni tactui magnitudinum, Requiritur quartò, vt inuicem agant & patiãtur, & hoc est proprium tactus mortalium. Ratio huius quartæ conditionis est, quia dum inuicem agunt, nedum se tangunt contactu magnitudinum, verùm etiam contactu virtutis. Insuper, tunc intimius se tangunt, cum virtus etiam per interna effundatur. Demùm hoc additur, vt

*Definitio tactus.* tactus mortalium, a tactu cęterorum secernatur, & id quod est eius proprium afferatur. Ex his elicitur definitio tactus: nam si tactus magnitudinum latè sumatur, tunc cum Arist. in 5. Phys. dicimus, tangere esse distinctarum magnitudinum positione prę ditarum vltima esse simul. Et quamuis in 5. Phys. Philosophus solùm dicat vltima esse simul, tamen cætera, quæ addidi, includuntur, & subintelliguntur, quæ in primo de Ortu, & Interitu explicantur. At si definire volumus tactum mortalium, quem Philosophus Physicum appellat, dicendum erit, tangere est distinctarum magnitudinum, positione prędiταrum vltima esse simul, cum mutua actione, & passione.

## *Dubia nonnulla ad tactum pertinentia proponuntur, & diluuntur. Cap. II.*

*Dubita. 1.* EX dictis in præcedente capite de tactu mortalium, nonnullæ emergunt difficultates. Nam dubitatur primò, quia Definitio tactus videtur redundans; dicitur in ea tactum esse distinctarum magnitudinum positione præditarum. Hoc videtur redundans, quia magnitudo omnis videtur cõstare ex partibus præditis positione. Præterea si vltima sint simul, includitur, quòd magnitudines sint distinctæ, alioquin esset vnũ,

*2. Dubit.* non simul, ideò sat esset dicere, quod ultima sint simul. Secundò dubitatur, quia non videtur requiri pro tactu mutua actio, posterius .n. non requiritur pro priore; actio autem sequitur tactũ; quare nõ constituit illum. Tertiò dubitatur, quia Arist. in quin-

*3. Dubit.* to Physicorum cont. vigesimooctauo, ait, omnia continua se tangere, nõ contra, nam maior initio includit minorem; at in continuo vltima partium non sunt simul, sed

*4. Dubit.* unum; Quartò dubitatur, an omne tangens tangat tangens, adeò ut omne tangens

*5. Dubit.* tangatur, uel detur tangens, quod non tangatur? Quinta dubitatio est, cum tactus dicatur multipliciter, an dicatur æquiuocè, vel ab uno, & ad unum? Demùm cum tactus

*Solutio primæ difficul.* dicatur multipliciter, de quo primò, & præsertim dicatur? De prima difficultate dico, potuisse Aristotelem breuius definire, dicendo ea se tangere, quorum vltima sint simul, ac inuicem agunt, & patiuntur: nam hæc supponunt cætera, tamen dum seorsum singula explicãtur, Definitio cõsurgit clarior, & distinctior, & propterea Definitio non debet iudicari redundans. Et ad instantiam de particula, positionem habentium, dico non esse redundantem, duplici de causa: Primò, quia magnitudo etiam dicitur de motu, & tempore, quibus positio, & locus non competit, Secundò, quia quamuis in linea, superficie, & corpore, consideretur positio partium, tamen ea positio non est essentia eorum, sed est tanquam affectio, & propterea cõsiderari potest essentia absoluta eorum nõ considerata positione, at dum considerantur, ut se tangẽtia tunc necessariò positionem, & locum sibi optant, & ideò in Definitione tactus accipi debuit. Ex quo etiã elicitur solutio alterius difficultatis, quæ proponi posset, & est, ad quod Prædicamentum pertineat tactus? nam dico attinere ad Prædicamentum positionis, quia ita poni ut vltima sint simul, positione denotat, positio autem locum sup-

*Solutio secundæ dif.* ponit, & seruat relationem quandam ad locum. Dubitabatur secundò, quia non uidetur pro tactu requiri mutua actio. Respondeo, eam pro tactu absolutè non requiri, & præsertim pro tactu Mathematico, abstrahẽte a Qualitatib. Sẽsibilibus, requiri tamen

men pro tactu Physico, ut contradistincto ab aliis, & tanquam considerato in ordine ad actionem, ut fit hoc in loco, unà cum Aristotele. Et dum instatur, quia est aliquid posterius. Respondeo primò, non esse aliquid posterius contactu virtutis, & interno, quia contactus virtutis absoluitur per mutuam actionem. Addo secundò, dum tactus consideratur, ut relatus ad actionem, tunc actio est tangentis finis, & ideò iure sumitur in Definitione. Tertia Dubitatio erat, quia etiam continua se tangunt. Respondeo, continua se tangunt eminenter, at non per formam propriam *Solutio tertia diffic.* tactus, contradistinctam à continuo; & ut se tangunt eminenter, ita ultima sunt simul eminenter. Erat quarta dubitatio, an omne tangens, tangat tangens? Arist. inquit, quòd non: dum enim tangens agit, & non repatitur, dicitur tangere, & non tangi; ita Intelligentia mouens Coelum, tangit sua uirtute illud, & non tangitur. Similiter Coelum tangit mortalem orbem, & non tangitur. Respondeo, si tactus consideretur pro eo solo, quod ultima sint simul, ita dico tangens necessariò tangi: nam cum ultima sint simul, utriusque est eadem ratio, & propterea dicitur contactus, quia unà, & reciprocè se tangunt, ita Coeli, & Mathematica, & Physica mutuò tanguntur, & tangunt: Intelligentia solùm per Metaphoram dicitur tangere, non enim habet ultima, quæ sint apta esse simul cum ultimis magnitudinum, nisi per Metaphoram. At si nos consideramus tactum Physicum cum actione, ita tangens potest tangere, & non tangi, nec tangens refertur ad tangens, sed ad tangibile. *Solutio quartæ diffic.*

Pro solutione quintæ difficultatis, considerandum, quòd omnis uox, uel est uniuoca Græcè Synonima, uel dicitur multipliciter; si dicitur multipliciter, nonnunquam *Solutio quintæ diffic.* communi significatione dicitur æquiuoca, in qua lata significatione Porphyrius in Vniuersalibus dixit: Si quis decem genera rerum nuncupet entia, æquiuocè nuncupabit, non uniuocè; Et in eandem significatione Aristoteles in Antepredicamentis definiuit æquiuoca; Nonnunquam uerò æquiuocum usurpatur pressiùs, pro specie vocis multipliciter dictæ. Vox enim dicta multipliciter, uel dicitur cum proportione, uel sine: si cum proportione, ex ea consurgit Vox Analoga, posita in similitudine rationum, ad quam etiam Metaphora redigitur, uel dicitur sine proportione, & tunc uel æquo primò, sorte fortuna significat varia, & dicitur æquiuocum à casu, uel varia significat ordine quodam, & dicitur ab uno, vel ad vnum, vt Ens, sanum, & similia. Hanc duplicem æquiuoci assumptionem, explicauit etiam Alexander in quarto Metaphysicæ commen. secundo, inquiens, naturam entis Aristoteles alio in loco *Alexand.* communiùs sub æquiuocis statuit, hic autem accuratiùs ab æquiuocis discrepare ait. Philoponus etiam in primo de Generat. & interitu, ait Aristotelem in Antepredicamentis latè sumpsisse æquiuoca, & locasse sub eis ea etiam quæ sunt ab vno, nunc au- *Philoponus.* tem exactiùs uoces seiungere. Elicitur itaque distinctio ex ipso met Aristotele, qui aliquando uocem omnem multipliciter dictam nuncupat æquiuocam, ut dixi; aliquando verò æquiuocum asserit speciem vocis multipliciter dictæ, ut patet ex primo Moralium Nicomachiorum, capitulo sexto, & ex primo de Ortu, & interitu capitulo de tactu. His præassumptis, dico, nomen tactus dici multipliciter, at non æquiuocè, sed ab vno. Etiam quæritur de quo primò, & præsertim dicatur? Respondeo aliud est tactum esse eminentiorem, & esse magis propriè dictum; tactus eminentissimus, est incorporeorum, cui subijcitur tactus Coelorum, at tactus Physicus mortalium, cum mutua actione est magis propriè dictus, quia nomina imponuntur reb. nobis proximis, & notioribus, mox transferuntur ad alia.

An

## *An Mathematicis competat tactus, distinctus à continuo. Cap. III.*

APparet Mathematicis non posse competere tactum. Ratio est, quia tactus exposcit positionẽ partium; positio nõ est sine loco; Mathematicis locus nõ cõpetit, vt ait Arist. in 4. Phys. cont. quinto, & 13. Meth. Quod etiã ostẽdo ratione, quia esse in mente nõ est esse in loco; Mathematica imaginatione & mente secernuntur a Subiecto; quare nõ sunt in loco, & dum sunt in loco, etiam iuncta sunt cũ corpore Physico, & Physica dicuntur. *Mathematicis non competere tactum.* Confirmatur: quia quę sunt in loco, uel sunt sursùm, uel deorsùm, & in eo vel sunt secundum, vel præter naturam: at cum Mathematica non includant graue, & leue, nec secũdum, nec præter naturam, possunt esse in loco: & cui nulla competit differentiarum, etiãm generis competere non potest, cum nil sit in genere, quod non sit in aliqua specie. Præterea concesso, Mathematicis tactum competere, *An in eis tactus distinguatur a cõtinuo.* dubium adhuc est, an tactus eorum distinguatur à cõtinuo? uidetur enim non distingui, quoniam statim quòd imaginamur duo indiuisibilia simul, etiam imaginamur vnum fieri, cum indiuisibilia nec se tangant, nec consequenter in continuo se habeant.

*Solutio primæ diffic.* De prima difficultate dico, Mathematicis competere tactum, & propterea frequenter apud Mathematicos de tactu sermo est, veluti dum inquiũt sphęram tangere Planum pũcto; & ad instantiam, quia eis non competit locus, respondeo, Mathematica posse quidem considerari non considerato loco, cum locus non sit eorum essentia, at dum considerantur ut se tangentia, tunc positionem, & locum includunt confusè, nõ distinctè; secundum imaginationem, nõ secundum existentiam. *Arist.* Hęc nos docet Arist. qui in quarto Physicorum, 76. inquit: Si cubum seiungatur à cæteris omnibus, & neque graue, neque leue sit, occupabit tamen æquale interuallum, & in eadem erit, & loci, & vacui parte æquali sibi, &c. Insuper in primo de Gen. loquẽs de tactu, contex. 44. inquit, Mathematicis ut tactum, ita locum competere, nam hæc ei cõpetunt per imaginationem, statim enim quòd imaginamur cubum in aere, imaginamur per distantiam sibi ęqualem secernere partes aeris ab inuicem, ita imaginamur circulum vnum collocatũ propè alterum. Et ad instantiam, quia nec secundum, nec præter naturam erit in loco. Respondeo, prius posse ratione, & imaginatione secerni à posteriore; esse in loco est prius quàm in eo esse secundum, uel præter naturam, id enim sequitur molem, hoc verò grauitatẽ, & leuitatem eius; & quia Mathematicus abstrahit à graui, & leui, & non abstrahit à mole, ideò potest imaginari magnitudinem esse in loco, non considerando an in eo sit secundum, vel pręter naturam. Ita etiam Cœlestes orbes se tangunt, cũ tamen propriè, & per se non sint in loco.

*Solutio alterius diffic.* Dubitabatur insuper, an tactus Mathematicus distinguatur à continuo? *Auer.* Asserit Auer. in quinto Physicorum, 20. 22. 30. 39. in Mathematicis contigua esse cõtinua, nõ autem in Physicis, quoniam Mathematicus abstrahit à Substantia & Qualitatibus eius, & propterea dum imaginatur duo indiuisibilia simul, quia non ea imaginatur, tanquam ultima corporum distinctæ naturæ, & conditionis, ideò statim imaginatur reddi vnum. *Euersio.* Hęc Sentẽtia nequaquam est vniuersè vera, frequenter enim utitur Mathematicus contactu, distincto à continuo, veluti dum inquit, sphęram tãgere Planum puncto, & circulos se tangentes, ac reuolutos vertere mutuò se in oppositum, vt ait Arist. in principio suarum Mechanicarũ. *Euclides.* Similiter Euclides, 3. Elem. def. 2. & 3. tactum ponit à continuo distinctum, cum dicat circulum tãgere circulum, non enim circulus continuatur cum circulo, quia ut legitur in quinto Metaphysicę, cont. octauo, & in decimo Methaphysicę, cont. primo, cõtinua sunt quorum motus est vnus: at duorum circulorum se tangentium motus nõ unus, sed oppositus est. Dico itaque sentẽtiam Auerrois esse veram vt plurimùm, veluti, dum imaginamur lineam vnam, suo termino tãgere alteram, imaginamur etiam ob similitudinẽ

linearum eas continuari, similiter superficies, & solida. At dum imaginamur figuras absolutas, & solida eis prædita, ob proprios figurarum terminos, imaginamur etiam vltima eorum esse simul, & non fieri vnum, nam plura indiuisibilia simul posita, ut est ex se, vnum fiunt, at quatenus sunt vltima distinctorum solidorum, propria figura terminatorum conseruantur distincta.

## *De tactu Physico.* *Cap. IIII.*

LOquuti sumus de tactu Mathematico, superest vt de Physico loquamur, de quo primo occurrit considerandum, an sit? secundò, an duo solida valeant se sine medio vllo tangere? Quantum pertinet ad primum, apparet tactum Physicum non dari, quia vt Physica se tangāt, eorum vltima debent esse simul: at non videntur posse simul esse, quia si sunt simul, sunt in eodem loco; indiuisibilia non sunt in loco. *An tactus sit.* Oritur hæc dubitatio, quia Aristot. in quinto Phisicorum, 22. inquit: Simul esse dicuntur secundum locum, quæcunque in vno loco sunt primo; mox declarans tactum, ait, ea se tangere, quorum vltima sunt simul: quare per esse simul id denotat, quod dicitur simul loco: indiuisibilia autem non esse in loco patet, cum locus tantùm sit corporum. Prætereà regula est, inter duo indiuisibilia mediare continuum aliquod, cuius sint termini; at si duo indiuisibilia essent simul, euerteretur ea regula, & indiuisibilia consequenter se haberent. Quod confirmatur: quia imaginor Axem mundi transeuntem per intimam superficiem Orbis Lunæ, & extimam ignis, & quæro, vel ea linea eodem puncto secat vtramque superficiem, vel distincto: si eodem puncto, ita vltima erunt vnum, & continuata: si distincto, tunc non se tangent, quia inter duo puncta eiusdem lineæ mediat portio lineæ. Respondeo, tactum Physicum à continuo distinctum dari, quia corpora uel sunt vnius, vel dinstinctæ naturæ: si sunt vnius naturæ, continuantur, ita portio aquæ, alteri iuncta, ob naturam consimilem continuatur eum ea, similiter portio aeris, cum altera eius portione: at si fuerint naturæ distinctæ, etiam eorum vltima seruabuntur distincta, adeò ut distinctio tactus à continuo sequatur distinctionem conditionis rerum, & naturæ earum. Instabatur, quia indiuisibilia non sunt in loco. Respondeo, ea includere positionem, & esse in loco saltem ex accidenti. Insuper esse in loco, quia simul adæquantur, nec seorsùm vnum ab altero ponitur. Addebatur inter duo indiuisibilia mediare continuum. Respondeo, id esse verum de indiuisibilibus in eodem continuo consideratis: at dum considerantur vt termini distinctorum corporum, secùs se habet: nam vt corpora, ita ætermini eorum possent consequenter se habere. Afferebatur ratio ex Mundi Axe sūpta. Cui respondens, dico: si punctum refertur ad Lineam transeuntem, id fit eodē pūcto: si ad superficies perforatas, fit puncto distincto, adeò vt punctum vnum lineę trāseuntis nectatur cum duobus superficierum, veluti etiam vnum instans temporis potest constituere duo instantia naturę, vt elicitur ex octauo Physicorum, cont. 65. Altera dubitatio est obscurior, an inter duo solida necessariò mediet aliquid? Arist. in secū do de Anima con. 113. inquit, inter ea semper aquam mediare, vel aerem. Quod ostēdit: quia si duo solida iuncta mergantur in aqua, & mox educantur, apparet inter ea humor, qui sine aqua esse nō potest, quare similiter in aere putandum est, mediare aerem. Id confirmatur communi quadam ratione: quia si duo plana, & solida corpora sine medio se tangerent, eleuetur vnum eorum, & seiungatur ab altero, tunc vel dabitur vacuum, vel motus sine tempore. Quod deducitur: quia dum vnum ęquè eleuatur, & secernitur ab altero, aer ingrediēs in locum medium, vel priùs reperitur propè extrema, quàm in medio, vel ęquè simul: si cōceditur primum, tunc dum est in locis extremis, medium erit vacuum; si cōceditur alterum, dabitur motus sine tempore. Huic difficultati

*Solutio.* *An inter duo solida mediet aliquid.* *Solutio.*

tertiam speciem Qualitatis pertinet. Accipiendũ est secundo loco actionem esse duplicem, vnam primam, alteram ex prima prodeuntem, veluti Sol prima actione illuminat, secunda verò calefacit: dum asserimus omne agens agere per contactum, de actione prima id debet intelligi. Addo tertiò, contactum duplicem, vnum virtutis, quo intelligentiæ tangunt Orbes, alterum magnitudinis, si agens fuerit incorporeũ, id erit verum de tactu virtutis; si corporeum, de tactu magnitudinis. Dico quartò, dum asserimus agens agere per contactum, id non ita intelligi debet, vt solùm pars tangens agat, nam totum dicitur agens integrum, & virtute totius agit pars tãgens; sed ita debet intelligi, vt totum quod est agens integrum, agat per mediam partem tangentem. Demùm est accipiendum, quòd agens est duplex, vel sine medio, vel per medium tunc agens vt est agens, ita est tangens: si est agens per medium, tangit per medium: si est agens sine medio, etiam sine medio tangit: hoc nos docet Arist. in primo de Ortu, & interitu, 78. His præassumptis, dico omne agens sub Deo positum, siue spiritale, siue corporeum, siue mediatum, siue immediatum, agere in aliud per tactum. Ratio est: quia per actionem debet aliquid permutari; nil autem permutatur, nisi adsit permutans, vel virtus eius, virtus autem adesse non potest, nisi saltem adsit deferens illam, & proptereà est necesse, vt patiens vel tangatur à primo agente, vel saltem a deferente virtutem eius, Hoc esse verum de actione corporum patet, cũ eorum virtus necessariò egeat Subiecto. Similiter esse verum de actione spiritali, patefecit Arist. in 2. de Anima 74. damnans Democritum existimantem si inter nos, & Cœlum mediaret vacuum, exquisitissimè videri cũcta, quamuis minima quæ in Cœlo essent: nam ex aduerso inquit Arist. per vacuum nil videri posse, quia non adesset deferens vel actiones, vel radios visus, adeò quòd si inter nos, & Solem mediaret vacuum, Sol nequaquam in nos ageret, nec in nos effunderet radios suos; Quamuis Plotinus secùs sentiat. Ex his elicio primò, veritatem eius sententiæ quòd omne agens agit per tactum. Elicio secundò, quomodo vera sit ea sententia, de qua Alexander, Simplicius, & Auerroes multa dicunt, Nil agit in extremum, nisi agat in medium. nam ea sententia vera est de actione prima, quæ potest seruari sine secunda, non de secunda prodeunt ex prima, quoniam actio secunda semper primã supponit: at præter eam exposcit subiectum aptum, vt in eo producatur, ita radij solis non reperiuntur in aere, nisi & in igne, & omnibus intermedijs corporibus reperiantur: at calor ex lumine prodiens, in Cœlo non producitur, sed solùm apud nos, quia Cœlum non est capax eius. Similiter Torpedo piscis producit primam actionem, & est agitatio, quæ non attingeret manum piscatoris, nisi deferretur per rete: at stupor qui est actio secunda, non in rete, sed in manu producitur, quia non id, sed manus est capax eius, ita Simplicius in 2. de Cęlo, conr. 2. respiciens actionem primam, rectè dixit nil agere in extremum, nisi agat in medium. Nec errauit Alexander, qui inspiciẽs actionem secundam, id inficiatus est, ut refert Simplicius in 2. de Cęlo, 29. Elicio tertiò, solutiones aduersariorum difficultatum, nam incorporea tangunt tactu virtutis, Sol, Stellæ, Lapis Herculeus, Ambra, non agunt in extremum, nisi actio prima deferatur per medium, quamuis deinde actio secũda in eo solo appareat, quod est capax eius. De mixtis in se agentibus dico, si fuerint penitùs similium partium, nequaquam in se agere, si autem fuerint partium dissimilium, vt viuentia, & caro in parte putris, tunc non dicuntur continua, sed contigua, & colligata: ideò Arist. in 1. de Ortu, & interitu, 78. inquit: confusum vnumquodque, & vnum existens non patitur. Et Auer. in 4. Phys. 44. ait continuum est vniforme, & com. 48. addit; cum res eiusdem generis fuerint continuatæ, non agunt, sed cum fuerint contiguæ, & Aristot. 8. Phys. 30. inquit, nullum continuum mouere se, & considerandum quòd corpus potest esse continuum ex parte magnitudinis, non ex parte virtutis, vt caro in parte calida, in parte frigida, & cum ex parte virtutis non sit continua, potest pars calida in frigidam agere.

*Alterũ assumptum.* *3. Assumptum.* *4. Assumptum.* *5. Assumptum.* *Solutio.* *Elicitur ex dictis 1.* *Elicitur secundò.* *Simplicius.* *Alexand.* *Tertiũ q̃ dicitur.*

De

## *De modo, quo Sol diſtans à nobis, nos calefacit. Cap. VI.*

*Radij quo modo calefaciunt. Ariſt. in ſecundo de Cęlo.*

DIctum eſt Solem tangendo per intermedia, per quæ effundit radios ſuos, nos calefacere; at quia de modo magna eſt dubitatio, ideò vtile iudico in eius explicatione aliquantulũ immorari. Difficultatẽ pariũt verba Ariſtotelis in ſecundo de Cœlo, cont. 42. quæ hæc ſunt: Eorum quę ſurſum ſunt, vnũquodque in ſphęra fertur, adeò vt ipſa non incendantur, aerem autem ſub ſphęra in orbem motu collocatum, neceſſe eſt cũ illa fertur incaleſcere, & hac maximè qua Sol exiſtit infixus, proprereà accedente Sole, & oriente, & ſuper nos exiſtente, gignitur calor, &c. & in primo Meteorum cap. 4. inquit. Vt itaque fiat æſtus, & calor, ſatis eſt etiam ſola latio Solis. Velocem enim oportet illam eſſe, & non longè diſtare, latio aſtrorum velox quidem eſt, diſtat tamen: ea autem Lunæ deorsùm eſt, & proxima nobis, verùm eſt tarda; illa autem Solis ambo hæc ſatis habet. Fieri autem magis cum Sole ipſo caliditatem rationi eſt conſentaneum ſumente ſimile ex ijs, quę apud nos fiũt. Etenim hic, cũ ferũtur corpora, proximus aer mirũ in modũ incaleſcit, & iure hoc accidit. Vehemẽter enim latio ſolidi diſgregat illũ ob hanc itaque cauſam pertingit ad hunc locum caliditas; inſuper quia ignis aerem ambiens ſpargitur motu frequenter, & fertur vi deorsùm, &c. Hæc profert Philoſophus, vt pateſaciat à Cęlo, & pręſertim à Sole mortalem orbem calefieri. At difficultate nõ carent:

*Dubitatio prima.* Primò, dubium eſt, quomodo Sol ab aere diſtans, & motu ſuo intermedia non mouens, valeat illum calefacere? nam ſi aer motu calefit, ille non eſt motus Solis, ſed primi Mobilis, & proximè nõ tribuitur mortali Orbi per Solem, ſed per Lunam, quare vel primo mobili, vel Lunæ id tribuendum fuit.

*Altera dubitat.* Prætereà dubium eſt, cur Philoſophus productionem caloris Solis motui tribuerit, non lumini, & radijs, cum tamen experientia conſtet, lumen maximè calefacere, quod conſiderantes, iure officium calefaciendi poſſemus tribuere Soli, cũ maxime ſit Lucidus; & id quod auget difficultatẽ, eſt, quia in cont. 42. ſecundi de Cœlo, inquit: Calor autem ab ipſis, & lumen gignitur attrito aere ab illorum latione, natus enim eſt motus incẽdere ligna, lapides, & ferrũ, quibus uerbis, nedum calorem, verùm etiam lumen ex motu prodire affirmat, quod apprimè eſt dubium.

*Tertia dubitatio.* Tertiò dubium eſt, quia Ariſt. in primo Meteorum, cap. 4. inquit De calore, qui à Sole fit, magis quidem ſecundum ſe, & diligentiùs in ijs quę de Sẽſu conuenit dicere, calidum enim paſſio quædam Senſus eſt, ob quam autem cauſam fit, cum ea non ſint calida, dicendum & nunc, &c. At cũ Philoſophus polliceatur ſe id facturum, in lib. de Senſu, & ſenſili, in eo id minimè ſeruare uidetur; dubitatio eſt obſcura, & inuoluta: interpretes uaria dicunt.

*Alexander.* Alexãder (referente Simplicio) ſecũdo Cœli 29. dicebat, poſſe agens agere in extremũ, & non in mediũ, dũ mediũ eius actionis nõ eſt capax, ut patet exemplo Torpedinis,

*Themiſtius.* Themiſtius obijcit Alexandro, inquiens exẽplum non eſſe ſimile, quia rete patitur, & agitatur à piſce.

*Auer.* Similiter Auerroes ei obijcit, quia mouens motu loci, non mouet extremum; niſi moueat medium, cum latio ſit motus primus, & præſertim Alexander uidetur dignus repræhenſione; quoniam (vt refert Simplicius) dicebat, Cœlum conterere Elementa; at Sol ſuo motu non ualet conterere aerem, cum motu ſibi proprio nõ moueat intermedia corpora.

*Simplic.* Simplicius duas dat ſolutiones. Vna eſt ex Sole corporeo prodire radios corporeos, qui per Cœleſtum orbes uſque ad terrã extendantur, & tranſeundo per poros aeris, eo tranſitu interceptum aerem, terendo, & conglobando, calorem producere. Altera eius ſolutio eſt, confugiendo ad influxus Cœli, quibus ſanitates, ægritudines, diuitias, paupertates, artes, frigora, colores, & ſimilia ait produci.

*Euerſio.* Vtraque Simplicij ſolutio conſpicuè pugnat cum principijs Peripateticorum, quòd radij ſint corpora, materiæ expertia, à multis Academicis dicitur. Lucillus ſecundo Cęli, 44. & Lucem, & radios,

& Lumen esse corpora tenuissima affirmat, quæ meare valeant, perinde ac venti per loca non admodum solida, & densa. At Simplicius hoc dicens, primò pugnat cũ Aristotelẽ, qui in secundo de Anima, sexagesimonono, & septuagesimo, & latius in libro de sensu & Sensili ex instituto affirmat, radios non esse corpora, nec moueri. Deinde aduersatur sibimet, tum quia in secundo de Anima cum Aristotele asserit radios non esse corpora, tum insuper, quia inquit radios meare per poros aeris, cum tamẽ in aere ex sententia Aristotelis non sint pori; ac insuper ipsemet in sexto Physicorum vigesimotertio, inquit Lumen esse corpus, & extendi vsque ad centrum; ne sphęræ sint imperfectæ, ac ita non per poros meare ait, sed per vniuersum corpus medium. Similiter in secundo de Anima, exponens cont. 69. negat radios meare per poros, sed ait vniuersum aerem illuminare, ut etiam sentiunt Academici, qui Lumen esse corpus immateriatum affirmãt, & ideò meare per alia corpora, prętetquam per terrea, ut maxime distantia à natura, & conditione eius. Pręterea, aduersatur Sensui, & Rationi, cum dicat illuminatum aerẽ reddi densiorem, lumen enim calefacit, & attenuat corpora. Altera solutio sumpta ex influxibus, etiam aduersatur Aristoteli, qui solo lumine, & motu censet Cœlum in mortalia agere. Præterea, ad rem non faciunt, quia dubitatio est de motu Solis, quomodo valeat calefacere distantem aerem. Nonnulli recentiorum inquiunt, morem esse Aristotelis, ante explicationem suæ sententiæ loqui ex opinione aliorum, communis erat Mathematicorum sententia, radios esse tenuissima, corpora, & sphęrica, quę motu velocissimo interceptum aerem tenerent, ac ita calefacerent, & illustrarent. Confirmant hanc sententiam: quia Aristoteles in primo Meteorum, cap. quarto, inquit: De caliditate autem, quam præbet Sol, magis per se, & accuratiùs in ijs quæ de sensu &c. At in ijs quę de sensu, de solo calore à lumine genito, sermo est. Insuper Arist. loquitur de calore, qui propè nos fit, qui proculdubio a solo lumine efficitur; significauit itaq; Philosophus calorem a radijs genitum, quem dixit fieri motu, quia de radijs loquitur, ac si corpora essent, vt aliorum erat opinio, & ideò etiam dixit fieri, nedum calorem, verùm etiam lumen attrito aere. Hanc opinionem non puto veram: Primo, quia non est rationi consentaneum, quòd Arist. eo loci per motum solis denotet motum radiorum solis, quos supponat corporeos, & de illis radijs nullam faciat mentionem, sed solùm de magnitudine, & velocitate Solis. Præterea consueuit Arist. loqui, ex aliorum sentẽtia in locis alienis; & dum nil refert pro causa assignanda quouis modo se habeat: at liber de Cęlo non est locus alienus considerationis radiorum Solis, & pro assignanda causa productionis caloris, adeò refert supponere eos esse corporeos, vel non corporeos, quòd si non fuerint corporei, vt re uera non sunt, causam nequaquam assignasset, & dubitationem solùm falsa solutione soluisset. Præterea apertè Philosophus existimat motu Cœli produci calorem; Si itaque vi, & efficacia Luminis, ut per unam causam, & motu uniuersi Cœli, vt per alteram, calor producitur, minus rectè Aristoteles eos duos modos in unum redegisset, & quod est deterius, prætermisisset causam potiorem, per quam Sol calefacit, quæ est, quoniam lucidissimus est, & debuisset de multitudine Stellarum Firmamenti, & vario aspectu Planetarum mentionem facere. His accedit, quòd in re difficili assẽrere contextum esse deprauatum, vel Philosophum loqui ex sententia aliorum, est difficultatem non diluere, sed subterfugere. Fundamenta etiam huius opinionis leuia sunt; nam dum inquiunt in libro de Sensu, & Sensili Aristotelem de solo calore esse locutum, qui ex lumine pendet, & ob id per motum denotasse vehementem actionem radiorum, perinde ac si corpora essent, & suo motu id efficerent, Respondeo, in eo libro, neque etiam de huiusmodi calore Aristotelem verba fecisse, sed inquit id se declarasse in libro de Anima, inquit enim: Vt demum est de lumine, in illis quòd sit color perspicui secundum Accidens, quando enim inest aliquid igneum in perspicuo, præsentia illius lumen est; priuatio verò tenebræ, & cætera. Dicamus itaque Aristotelem in primo Meteorum proposuisse conside-

*Opinio altera.*

*Euersio.*

*Euertuntur fundamenta.*

*Solutio.*

randum, quomodo cum Cœlum non sit calidum, calefacit: in his autem, quæ de Sensu ait esse agendum de calore secundum se, ut de re Sensili. Vel asseramus Aristot. in primo Meteorum significasse, quòd consideratio generationis illius caloris magis pertineret ad librum de Sensu, sed quoniam eius explicatio erat necessaria pro explicandis incensionibus Meteorologicis, propterea fuit coactus præuenire, & eo in loco id declarare, quod mox in libro de Sensu, ut antea declaratum non repetit, sed solùm ait, se alibi de Lumine egisse. Ad aliam confirmationem, dum inquiunt in primo Meteorum loqui de calore, qui propè nos sit, qui calor non à motu, sed à lumine fit, quare per motum uim luminis corporei significauit. Respondeo, hoc minimè esse uerum: quoniam Philosophus eo loci tenebatur loqui de calore, quo incenduntur Meteorologica, quæ non propè terram, sed in sublimi incenduntur. Et quamuis Aristoteles dicat de calore, qui propè nos est, tamen ita loquitur, quia comparat locum incensionum cum Cœlo, & sphæra ignis, ideò inquit etiam fieri calorem per detrusionem partium ignis: his accedit, quò ille calor genitus à motu etiam ad nos attingit.

## *De modo, quo Sol suo motu nos calefaciat, opinio Auerrois, & propria. Cap. VII.*

Auerr. AVerroes in secundo de Cœlo, ac relata, & reiecta opinione Alexandri, referens suam, inquit: Cum Cœlum agat in mortalem Orbem, & sit præditum varijs orbibus, id tamen considerari debet tanquam corpus vnum ligatum varijs ligamentis non corporeis, & quod agat in Elementa non per intimam suam faciem, sed per uniuersam suam altitudinem, & præsertim per partẽ eius densiorem, ueluti conspicimus corpus maius operari potentius, quamuis exigua sui parte tãgat, quoniá partes omnes vna ad agendum conspirant, & ea pars magis agit, cui competit vis maior, quamuis non tangat externa corpora in quæ agit, uelutì dicimus, Cor Hominis maximè calefacere manum, supra thracem positam. Cum itaque Cœlum sit corpus unum, Sol sit Stellarum maxima & lucidissima, maximè dicitur agere, ac ob id iure Arist. id tribuit Soli; Et ad difficultatem, dum dicitur, agens agere per tactum, concedit id Auerroes, & inquit, Cum Cœlũ sit corpus unum, sat est quòd tangat per infimam partem eius.

Considera- In hac solutione considerandũ primò, quòd etiam Alexander id dixit, quamuis carpa-
tur senten- tur ab Auerroe, sed nouit id non esse satis: nam inquit Simplicius, & asserit Alexan-
tia Auerr. der rationi esse consonum, per partes Cœli tanquam unius corporis actionẽ fieri. At adhuc eadem remanet dubitatio, quoniam dum aliquod corpus per aliquam sui partem, operatur, semper ea pars principalis in partes medias agit effundendo per eas uires suas: At sol suum motum non effundit per inferiores Orbes, motus enim quo incenditur aer, est motus Firmamenti, qui defertur per intermedios Orbes, non autem Solis, ut principalis partis, sed potiùs Lunæ, proximè mouentis mortalia: & rationes quas Auerroes, attulit aduersus Alexandrum, etiam uim habent aduersus sententiam suam. Res itaque est satis obscura, & aliorum sententiæ apprimè dubiæ. Qua de re,

Opinio (vt dicam quod sentio) tres profero. Conclusiones: Prima est, Aristotelem per mo-
propria. tum Cœli, quo mortalia calefiunt, denotasse motum diurnum, quem frequenter
Conclusio 1. motum totius appellat, cum eo uniuersum, excepta Terra, moueatur. Addo secundò, iure optimo officium calefaciendi tribuisse Soli. Demùm, dico, iure id
Conclusio 2. officium tribuisse potiùs motui, quàm lumini. Prima conclusio est, nota, cum so-
Conclusio 3. lum motus totius sit uelocissimus, & per cuncta media effundatur. Hinc in primo Meteorum, capitulo tertio, ait; Lato primo Eelemento, nempè Vniuer-

ſo Cœlo in orbem, & corporibus quæ in eo ſunt, nempè Stellis, id quod inferioris Mundi illi proximum eſt, motu diſgregatum incenditur, & calorem efficit. Dicebam ſecundo loco, munus calefaciendi iure tribui Soli; Ratio eſt, quia radijs Solis eleuantur vapores, & halitus, qui per radios eleuari, ex eis pendentes ſequuntur motũ diurnum eorum, ideò dicuntur moueri motu Solis; Hoc elicio ex Ariſtotele, qui in ſeptimo capitulo primi Meteorum loquens de Cometis, inquit; quando igitur per Stellam aliquam facta fuerit huiuſmodi concretio, neceſſe eſt, vt appareat eandem latione moueri Cometam, qua fertur Stella. Cum autem conſtiterint per ſe, tunc temorari, & retardari videntur: huiuſmodi autẽ eſt latio Mundi, qui circa Terram eſt, &c. Hic locus verè dignus eſt conſideratione, ex eo enim elicitur motum, quo reuoluuntur halitus eleuati, eſſe diurnum; ac inſuper eos ſequi Stellam a qua eleuantur, cum autem magna ex parte eleuentur a Sole; ideò ſequi dicuntur Solem, vt motum motu diurno. Addebam tertiò, Ariſtotelem præſertim fuiſſe loquutum de calore ex motu prodeunte, non autem ex lumine, & ratio eſt; Prima, quia loquebatur de incenſione, qua in ſublimi fiunt Meteorologica, ea autem fit per motum, cum radij ſolum propè terram vim conſpicuam habeant: Altera ratio eſt: quia motus antecedit, & defert corpus lucidum, lumen autem in ſecundo de Anima 69. dicitur præſentiã corporis lucidi. Tertia eſt: quia etiam lumen operatur cum motu attenuando, & permiſcendo partes halituum, adeò vt cum primò, tum proximè calor ex motu pendeat, lumen autem cum ſit præſentia, & repræſentatio lucidi, dicitur motum ſequi, ideò in primo Meteorum capitulo tertio dixit, fieri magis cum Sole ipſo caliditatẽ, rationi eſt conſentaneum, & in ſecundo de Cœlo 42. ait, æſtum a Sole fieri aſcendente, oriente, & ſupra nos exiſtente, &c. includens, & denotans vnà cum motu Solis, etiam lumen, quod Solem ſequitur. Ex his elicitur Solutio difficultatis, & notum redditur quomodo Sol non agit in extremum, niſi per medium, cum radij eius per Vniuerſum extendantur, & ſequantur motum diurnum eius; vapores autem ſequuntur radios Solis, vt cauſam eorum. At inſtabit aliquis; quia per ea quæ dixi ſolùm aſſignatur ratio, cur Solem ſequantur duplices halitus, non autem quomodo aer: Reſpondeo, motu præſertim excalefieri, & incendi halitus eleuatos. Addo ſecundò, Ariſtotelem conſideraſſe ſublimem aeris regionem, tanquam halitum ſiccum, & fomitem incenſionis, infimam vero, vt halitum humidum, & aquam diſgregatam ambientem Terram, vt patet ex primo Meteorum capitulo tertio, & quarto. At vna adhuc ſupereſt dubitatio & eſt, quomodo attrito aere, gignatur nedum Calor, verùm etiam Lumen? De Calore id patet: De Lumine adhuc dubium remanet. Alexander (referente Simplicio) dixit eam generationem ſolùm ad calorem eſſe referendam, non ad Lumen, feciſſe tamen mentionem de Lumine, quia multi putabant ex Lumine oriri calorem; at hoc non reſpondet verbis Ariſtot. non enim ait ex Lumine calorem oriri, ſed vtrumque ſequi attritionem aeris. Propterea dicamus Ariſtot. de lumine feciſſe mentionem duplici de cauſa. Prima eſt, quia in aere attrito, & attenuato exactiùs lumen recipitur. Altera eſt, ut denotet lumen ſequi motum, eſſe præſentiam lucidi, & vnà cum motu per Vniuerſum effundi; Tertia addi poteſt, quia incendendo halitus, etiam lumen producit per mediam incenſionem.

*Declaratio.*

*2. Conclus.*

*Declaratio.*

*3. Conclus.*

*Inſtantia.*

*Poſtrema Dubiatio.*

## *An aliquid in ſe agere valeat?* Cap. VIII.

EXplicatis illis, quæ ad notitiam tactus pertinebant, expedit modò, vt
cominus ad declarandam effectionem, eique oppoſitam perpeſionem
accedamus, de qua hoc primo conſiderandum occurrit, An agens a-
gat in ſimile, vel in contrarium? Qua de re breuibus vnà cum Ariſt. di-
*An agens agat in ſimile? Solutio.* co, agens per ſe, & proximum, partim eſſe ſimile, partim cõtrarium.
Nam in fine actionis ſimile eſt, cum inſtitutum agentis ſit reddere pa
tiens ſibi ſimile, in principio autem dico poſſe conſiderari dupliciter vel actu, ſiue ſe-
cundum formam, vel poteſtate, ſiue ſecundum materiam: actu eſt contrarium, & ex
contrarietate conſurgit pugna, & actio, potentia verò ſimile, quia contrariorum ea-
*An idem agat in ſe?* dem eſt materia. At cũ hęc ſit reſolutiõ difficultatis, occurrit tamen hęc dubitatio, An
idem in ſe agere valeat? Philoſophus in 8. Phy. à cont. 40. oſtendit nil ſine diſtinctio-
ne motoris, & mobilis poſſe mouere, ſe quod etiã affirmat in primo de Ortu & interi
tu cont. 48, & 87. aduerſus quã ſententiam variæ occurrunt difficultates, quæ eã red-
dunt obſcuram. Vt autem paratiores ad difficultatis reſolutionem accedamus, acci-
*Primum quod accipitur.* piendum primò eſt in hac cõſideratione, nomine actionis denotari vniuersè effectio-
nem omnem, pertinentem ad quatuor genera permutationum competentium Sub-
*Alterum.* ſtantiæ, Qualitati, Quantitati, & Vbi. Accipiendum ſecundò, dum quærimus an idem
in ſe agere poſſit? per idem, non denotari idẽ ſpecie, vel genere, vel analogia, de qui-
3. bus dubium non eſt, quod in ſe agere poſſunt, ſed idem numero. Accipiendum ter-
tiò, aliquid in ſe agere, poſſe dupliciter intelligi, vel primò, & per ſe, vel ſecundò & ex
accidenti, non eſt dubium an ex accidenti, conſtat enim Animam mouendo corpus
4. ex accidenti mouere ſe: dubium eſt, an id contingat, per ſe, & primò. Quartò accipien-
dum, actionem, & motum poſſe accipi, & propriè, & per Metaphoram, propriè com
petunt corporibus, per metaphoram transferuntur etiam ad incorporea, ut ad Intel
ligentias Cœli, quæſtio eſt de propriè ſumptè actione, & perpeſſione, quia tamen
Plato dixit, Animam ſe mouere, cumulatioris explicationis gratia, etiam de motu
5. Animæ aliquid dicam. Demùm accipiendum eſt, dum aſſerimus aliquid ſe mouere,
vel in ſe agere, id poſſe, dupliciter intelligi, vel quòd ſe moueat ſine diſtinctione par-
tis mouentis, & motę, vel cum earum diſtinctione: dubium eſt, an ſine partium diſtin-
*Concluſio. Ordo ſeruandus.* ctione aliquid valeat in ſe agere? Quęritur itaque, an idem numero ſine diſtinctione
partis mouentis, & motæ, valeat ſe per ſe mouere, aliquo genere motus? In hac diffi-
cultate ita progredior: Explicabo primò ſententiam Ariſtotelis, & fundamenta; Se-
cundò referam dubia; Agam tertiò de motu corporum; Quartò de motu animæ;
Demùm dubia ſoluam.

## *Oſtenditur nil in ſe agere poſſe, mox in dubium reuocatur.* Cap. IX.

PHiloſophus in primo de Ortu, & interitu, quadrageſimooctauo, inq̃t.
Si ſimile ageret ĩ ſimile, idẽ ageret in ſe, quod ſi eſſet, nil reperiretur ĩ
Vniuerſo expers mutationis, quod apprimè eſt abſurdum. Deducitur
*Ratio 1.* Cõſequentia, quia ſi ſimilitudo eſſet ratio agendi, maximè ſimile ma
ximè ageret; at idẽ ſibimet eſt maximè ſimile; quare maximè in ſe a-
*Idem ſibi maximè ſimile.* geret. Et quoniã cui cõpetit ratio agẽdi, cõpetit & actio; oĩa in ſe age-
rẽt, & cũcta mutationi eſſent obnoxia. Quòd idẽ ſit maximè ſimile, Patet: quoniã ſi-
militudo eſt q̃dã cõnexio, & vnitio, quę ĩ vno numero, exactiſſimè ĩcluditur. Pro hac

deductione

deductione considerandum, quòd similem consequentiam format Arist. in Rhetoricis, inquiens: Si simile esset iucundum simili, idem maximè sibimet esset iucundum nam maior vnitio eminenter minorem includit, veluti etiam in quinto Phys. 28. legitur, omnia continua se tangere, & se tangentia consequenter se habere, non autem vice versa, veluti etiam habitus dicitur dispositio, non è contrario. Confirmatur eadem sententia, quòd idem non agat in se, quia terminus à quo actionis, & occasio, est contrarietas; terminus verò ad quem, quo præsente desinit aliquid moueri, est similitudo: at in eodem non reperitur terminus à quo, sed solùm finis, igitùr non potest seruari motus, & actio, alioquin esset inanis. *Confirmatio.* Præterea argumentatur Arist. in 8. Phy. post cõtex. 40. si aliquid in se ageret, idem ad idem esset actu, & potestate, quod est absurdũ cum actus, & potentia sint differentiæ oppositæ, prodeuntes ex principijs distinctis. *Ratio 2.* Præterea, id ipsum Philosophus ostendit progrediendo per species motus, & ducẽdo ad absurda, nam si idem se moueret, quia genus non seruatur sine aliqua specie, idem feret, & feretur, docebit, & docebitur, sanabit simul, & sanabitur, eadẽ sanatione. *Ratio 3.* Insuper eandem sententiam confirmare valemus per definitiones potẽtiarum, traditas à Philosopho in quinto Metaphysicæ, 17. & 9. Metaph. 2. Definitur potentia agens, quòd sit principium permutandi aliud, quatenus aliud; patiens verò, quòd sit principium, per quod permutetur ab altero, vt alterum est. *Ratio 4.* Ex his patet conditionẽ agentis & patientis esse, vt distinguantur, id autem quod est conditio alicuius, etiã est de omni, considerandum tamen, quòd dum in Definitionibus dicitur alterum, vt alterum id nõ habet vim reduplicationis, alioquin omne alterũ pateretur, & ageret, in quod uis alterum, quod falsum est, vt dicitur ab Aristotele in primo de ortu, & interitu, 49. sed habet vim conditionis necessariò requisitæ, & rationis, ob quam cum in parte sit simile, in parte varium, permutetur ab alio, vel dicamus, per alterũ denotari, nõ quod uis alterum, sed potestate simile. Præterea materia, & efficiens non ueniunt in idem numero, vt patet ex 2. Phys. 70. quare nec principium agẽdi, & patiendi. *Ratio 5.* Colligit itaque Philosophus in 8. Phys. hoc solo modo posse aliquid se mouere, ut id quod ex se mouetur, constet ex parte mouente, & parte mota: & in primo de Ortu & inter. colligit agentia, & patientia differre forma, & actu conuenire materia, & potestate. Ar varia ex aduerso occurrunt, quæ sententiam Aristotelis reddũt obscuram. *Rationes aduersæ.* 1. Primò Elemẽta sine distinctione agentis, & patientis, videntur motu secundum locum mouere se, de quibus ait Auer. 4. Cœli. 22. formam Elemẽtorum ut forma, mouet, ut in materia, mouetur. 2. Præterea, diuiditur operatio 9. Metaphysicæ 16. in immanentem, & transeuntem, immanens manet in agẽte, vt visio, intellectio, & similia, quare per eas agẽs aget in se. 3. Tertiò, hoc patet ex Antiperistasi, dum calor hyeme repulsus ab ambiente frigore, & frigus æstate repulsum ab ambiente calore, se perficiunt, quod non contingeret nisi agerent in se: ita uirtus coniuncta reddit se potentiorem, & aqua excalefacta se refrigerat. 4. Quartò idipsum ostenditur, considerando cum Democrito, & Epicuro motum Atomorum se mouentium, cum Theologis motum Angelorum, à se motorum, cum Platone Animam se mouentem, cum Arist. in secundo de Gen. Anim. ca. 3. Mentem extrinsecùs accedentem, quæ ob id mox cap. 4. aduena dicitur, & cum Pythagora considerando transitum Animarum per varia corpora. 5. Præterea, Sententia Arist. dubia est, ob facultates animi nostri cognoscentes, vis enim imaginandi imaginatur se, Mens se intelligit, in inuentione idem est addiscens, & docens, quod tamen Arist. in 8. Phys. absurdum iudicat, & cum Anima sentiens sit essentia vna, Sensus tamen extrinsecus mouet communem, & hic Phantasiam. 6. Demùm confirmatur dubitatio, quoniam Arist. in 8. Phys. cont. 40. non absolutè colligit absurda sequi, si dixerimus idem agere in se, sed solùm ea sequi, dum motor fuerit vniuocus, quare de agente æquiuoco id non iudicauit absurdum.

## *De motu corporum, an idem agat in se?* Cap. X.

*De motu corporum. Agens vniuocum, & æquiuocũ.*

Patefacta difficultate eius considerationis, an idẽ in se agat, progrediendo ad eius solutionem occurrit, primò agendum de motu corporum; Qua de re loquens Scotus in secundo Sent. Dist. 2. q. 9. & 10. Gregorius Arim. 2. Sent. dist. 6. q. prima, Art. 3. necnõ Gandauẽsis, in 8. Phy. in quæst. de motu grauiũ, & leuium, aiunt motorem esse duplicẽ, vnũ vniuocum, ut calidum calefaciens, alterum æquiuocum, ut vinum inebrians: si fuerit vniuocum, non valet in se agere: at si fuerit æquiuocum, valet. Hanc resolutionem eliciunt ex Aristotele in octauo Physicorum 40. contrahente sententiã suam ad motorem vniuocum, vt dixi, rationem varietatis assignant, quia absurdum est idem relatum ad idem, eodem modo esse actu, & potentia; at modo vario, nequaquam est absurdum, potest enim aliquid esse actu per virtutem producendi formam, potentia uerò ad recipiendam eam: id confirmat Scotus, per Animalia, quibus cõpetit potentia efficiendi & recipiendi accretionem, actum sentiendi, imaginãdi, & intelligendi. Similiter aqua feruens includit uirtutem producendi frigus, & illud recipiendi. Eandem sententiam explicat Scotus in primo Sent. dist. 3. q. 7. Gandauẽsis pro ea confirmanda hac vtitur ratione: quia si ex accidenti potest aliquid se mouere, igitur idem potest includere facultatem producendi, & recipiendi, & non inuicem pugnãt: nam quæcunque inuicem pugnant, nec per se, nec ex accidenti iungi possunt, si autem non pugnant, poterit aliquid agere in se, & mouere se. Hanc sententiam approbandã non puto, quod colligo ex Definitione potentiarum, ut patuit. At respondet Gregorius Arim. eas Definitiones debere intelligi de alterante, non de mouente motu loci. Alij inquiunt, potentiam semper respicere aliud, si non re, saltem ratione distinctum, vt accidit, dum aliquid est actu virtutis, potentia ad formam. At vtraque Solutio reijcienda videtur. Et primo prima, quia si id cõtingeret ratione efficientis æquiuoci, huiusmodi efficiens nedum habet locum in latione, verùm etiam in alteratione, vt Piper potẽtia est calidum, & actu virtutis aqua feruens facultate producendi frigida; & potentia, & sic de multis. Præterea Aristotelis in Metaphysica vt debuit, & illi scientiæ congruit, latissimè sumpsit voces, & pro sua latitudine eas explicauit, ideò nono Metaphysicæ contex. primo ait, latiùs extendi actum, & potentiam ipso motu, & nono Metaph. conr. secundo, absolutè colligit nil posse à se pati, & in quinto Metaphysicæ, context. 17. principium illud transmutandi alterum, nuncupat absolutè principium motus, mutationis, & quietis. Altera quoque solutio non est approbanda, quoniam actus & potentia, quæ sunt origines agendi, & patiendi, rediguntur ad materiã, & formam, vt inquit Philosophus in 12. Metaphysicæ, materie autẽ, & forma, absolutè, non sola ratione distinguuntur, Præterea sola distinctio rationis non est satis pro constituendi principijs oppositis transmutationis materiatæ, qualia enim sunt principia, talis effecta, & econtrario. Præterea Aristoteles in octauo Physicorum post contex. quadragesimũ, sepè colligit hoc solo modo contingere idem mouere se, ita vt cõstet ex parte mouente, & parte mota: quæ conclusio ex horum sententia redditur falsa, quia etiam modo alio aliquid posset mouere se. Ideò Græci putant formari ibi ab Aristotele rationem à sufficienti modorum enumeratione, cum destructione cæterorum modorum, colligendo illum vnum solum modum: ex horum autem sententia Aristoteles rationem formasset imperfectam, & nullius roboris. Insuper si eorum opinio vera esset, euerteretur vniuersus progressus Arist. in octauo. Phy. quo nos deduxit ad motores immobiles: Nam ad eos nos deducit iacto hoc fundamento, omne quod mouetur moueri ab alio, re distincto; At si contingere posset, ut aliquid se moueret, euerteretur id fundamentum, & rueret omne quod niteretur eo: nam dicerem ego

*Gand.* *Euersio.* *Solutio.* *Euersio.* *Græci.*

ex

ex sententia Scoti, Gregorij, & Gandauensis, Cęlum mouere se, nec egere externo motore, Elementa egent motore externo, vel vt generentur, vel vt remoueatur impedimentum; at Cœlum ob nullam ex his causis eo eget, quare valebit se mouere sine distinctione motoris, & mobilis, ac ita euertetur vniuersa ratio Aristotelis. Prætereà inquiunt, quòd nil se moueat, non esse verum de motore æquiuoco, addo pro minore, sed Aristoteles loquitur de motu loci, cuius motor est æquiuocus, quare id principium non inseruiet Aristoteli, nec faciet ad rem, non enim verum de eo erit, de quo ibi est sermo. Prętereà extat locus pulcherrimus in primo de Ortu, & interitu, cont. 73. vbi Philosophus disputans contra Democritum dicentem, Atomos ex se descendere, inquit. Amplius autem quid est, quod mouetur? Si enim aliud, Atomos patietur, si autem ipsa se, aut diuidua erit, & per vnum mouebit, per aliud mouebitur, aut secundum idem contraria ei inerunt, &c. loquitur de motu loci, cuius motor ex horum sententia est æquiuocus, & tamen absurdum iudicat ex se moueri, ueluti etiam in 8. Physic. 32. & in primo de Ortu, & interitu 87. inquit nullum continuum mouere se, hoc est nil consimile. Demum hoc redditur conspicuum perpendendo singula exempla, & fundamenta, quibus illi vtūtur, cuncta .n. potiùs eis aduersantur, quàm faueant. Inquiunt primò aliquid posse esse actu per uirtutem, potestate autem ad formam; at quæcumque his duobus prædita sunt, etiam cōstant ex principijs distinctis, ex quib. ea prodeant. Et ratio est; quia continere uirtute est eminentius, quàm continere forma, propterea quæ uirtutem includunt, nequaquam per idem principiū sunt in potentia ad formam, potentia enim respicit perfectionem, non degenerationem eius, ueluti Elementa a forma habent principium efficiendi, a materia patiendi; similiter Piper a forma habet uirtutē calefaciendi à materia vt calefiat, ita animalia per distincta principia includunt potentiam, ut sint maiora, & uirtutem augēdi de aqua se refrigerante, nec non de sensibus, & Mente, in postrema parte quid sit dicendum, patebit. Ad confirmationem Gandauensis, quia si ex accidenti potest aliquid se mouere, non omninò pugnant actus, & potentia, adeò vt nequeant eidem competere. Respondeo, iure ex accidenti posse aliquid in se agere, non autem per se, & primò. Ratio uarietatis est, quia dum ex accidenti aliquid se mouet, id pendet ex principijs distinctis, adeò vt vnum actionis, alterum passionis sit origo, quod conceditur ab Aristotele. At dum dicimus per se primò aliquid mouere se, non seruatur distinctio principiorum, ideò non concedit, veluti si anima mouet se mouendo corpus ex quo pendet, id non est absurdum, nam seruatur distinctio principiorum actionis, & passionis quæ non seruaretur si diceremus animam per se primò mouere se. Demùm confirmatur horum sententiam aduersari principijs Aristotelis, nam Aristoteles in octauo Physicorum eleuans nos ad primum, quod se mouet, vult id primum esse compositum, & constare ex parte per se mouente, & parte per se mobili. At si aliquid, ut hi putant, posset se mouere sine principiorum distinctione non id compositum, sed hoc esset statuendum, primum se mouens, ut censuit Plato, quare Philosophus conclusionem collegisset penitùs inanem. Colligamus itaque sententiam illam pugnare cum opinione Aristotelis, & loquendo de motu corporum, nequaquam contingere posse, ut idem moueat se, sine distinctione principij efficientis, & patientis.

*Confirmatio Gandauensis reijcitur.*

*Confirmatio uerioris sententiæ.*

*Conclusio.*

## *De motu Animæ, & incorporeorum, ex sententia Aristotelis.* Cap. XI.

*Sententia Arist. cur sola corpora moueãtur.*

DE incorporeorũ motu, multa à Theologis Scholasticis dicuntur, quæ ego missa faciam, & pauca quędam ex uarijs, quæ mihi occurrũt dicenda, eaque breuissimè referam. Sententia est Arist. expertia corporis per se moueri non posse. Ratio eius sententię est, quia passio, & potentia ex materia prodit, vt dicitur 9. Metaphysicæ cont. 2. in primo de Ortu, & interitu 55. 77. in primo de Cęlo 103. 136. & alibi. Cum itaque passio prodeat ex materia, & prædita materia sint corpora, iure sola corpora patiuntur, & mouentur. *Ratio 1. Ratio altera.* Altera ratio est; quoniã omne mobile habet partes, ut ostenditur in 6. Physicorum cont. 7. 32. 87. nam omne quod mouetur, vt moueatur, partim debet esse in termino à quo, partim in termino ad quem, dum enim solùm est in termino a quo, non cepit moueri, dũ solùm in termino ad quem, dicitur motũ, vt itaque moueatur, partim in uno, partim in altero esse debet, quare habet partes, quas habere non potest, nisi includat materiã quantam: incorporea non habent partes, ideò non mouentur, & hæc ratio præsertim habet uim de motu secundũ locum. *Ratio tertia.* Tertia ratio elicitur ex cont. 88. sexti Physicorũ, quæ huiusmodi est. Si indiuisibile moueretur tẽpus in quo moueretur constaret ex indiuisibilibus; nã semper in ipso nunc, mutatũ esset, moueretur autem numquam, adeò quòd & tẽpus, & motus, quæ mobili respondent, ex indiuiduis constarent; eiusdem enim est rationis in ipso nunc moueri, & indiuisibile moueri, ut dicitur in contex. 90. at consequens est absurdum; quare similiter absurdum est indiuisibile moueri per se, nam si mouetur, solũ mouetur ex accidenti, ut colligit Aristoteles. *Ratio quarta.* Prætereà, Aristoteles in primo de Anima, post cont. 38. idipsum latissimè ostendit, inquit enim: omne quod mouetur est in loco; Anima nõ est in loco. Similiter incorporeũ nullũ in loco est, quare nõ mouetur. Prætereà, omne quod per se mouetur, vel mouetur secundũ, uel præter naturam, & si uno motu mouetur secundum, opposito mouebitur pręter naturam, & si in vno loco quiescit per naturam, in alio requiescet præter naturam, quorũ oppositorum nullum cõgruit Animę, & incorporeis, quare nec motus. Prætereà, Si Anima ex se mouetur, poterit ad libitũ è cõrporibus egredi, in eaque ingredi, ac ita poterunt per naturam mortui reuiuiscere, & animę se ut amicus amicum visitare, quæ tamen principijs Aristotelis sunt aduersa. *Aduersus Platonem.* Demùm quia Plato dixit Animam numerum se mouentẽ, Aristoteles ita argumentatur: omnis motus, vt motus, remouet mobile è sua natura, & constitutione, quare si Anima est sui essentia motus, remouebit se ipsam è sua essentia, & cõstitutione, quod absurdum est dicere, quare, &c. Cum hęc sit sententia Aristotelis perpendamus, quid de ea dixerint Scotus, & D. Th. *Scotus.* Inquit Scotus, in 2. Sent. Dist. 2. q. 9. nil prohibere indiuisibilia moueri, quid ostendit per motum sphęræ super Planum: nam sphæra puncto tangit planum, & quamuis fortè apud nos exactè sphęricum, exactè planum non detur, id tamen nil refert, sat enim est, quod si daretur, tangeret planum puncto, & supra id moueri posset. Quod confirmat, quia si Cubum, vel linea per aerẽ moueretur, primum punctum Lineæ, & anterior superficies Cubi, per interuallum continuatum transibit, quare nil prohibet indiuisibilia continuatè moueri. Auctoritati Aristotelis respondet Scotus, inquiens, illum non absolutè negare indiuidua moueri, sed solùm asseruisse non ita moueri, ut continuatio motus pendeat ex eo indiuisibili, nam tunc penderet solùm ex interuallo, non ex mobili. *D. Thom.* D. Thom. uidens motum illum ab Aristotele declaratum non posse Angelis cõpetere, in primo Sent. Dist. 37. in prima parte Summæ, q. 53. & Quol. 9. & 11. imaginatus est aliud genus motus per Metaphorã dictum, ex indiuiduis conflatum, & aliud tempus similiter, ex indiuiduis cõstitutum, motum angelorum mensurans, optimè enim nouit ex sententia Aristotelis, mobile,

motum,& tẽpus sibi mutuò respõdere. Quicquid sit de absoluta veritate nota Deo, proculdubio horum sententiæ aduersantur principijs Arist.à quibus se non recedere profitentur.Quod ostendo;quoniam Aristotelis in primo de Anima, absolutè iudicat absurdum,Animam posse moueri, alioquin posset ad libitum ingredi in corpora, egredi,& meare per varia corpora:non cõsiderat Aristoteles à quo motus habeat, ut sit continuus,sed absolutè an incorporea moueri possint.Cum itaque id quod sequitur ex sentẽtia Aristotelis sit absurdũ,& id similiter sequatur posita opinione Scoti, & D.Thom.inferendum est, eorum opinionem pugnare cum opinione Aristotelis.Præterea Aristoteles in sexto Physicorum,86.ait,indiuisibilia solùm ex accidenti moueri posse;at ex horum sententia ea per se, & non ex accidenti tantùm mouentur. Insuper,in cont.89.ostenditur indiuisibile non posse moueri,quia mobile prius transit locum se minorem,quàm æqualem, indiuisibile non valet transire locũ se minorem;quare primò transibit æqualem,quod si conceditur, tunc interuallũ per quod mouetur,ex indiuisibilibus constabit,cuius oppositum inquit Philosophus se demõstrasse.Hæc ratio absolutè ostendit indiuisibile moueri nõ posse. Præterea,euerteretur progressus,& sententia Aristotelis in 8.Physicorum absolutè ostendentis, nil se mouere posse,& primum se mouens cõstare necessariò ex duobus: at ex horum sententia primum se mouens poterit esse simplex,ac etiam primum mouens nõ necessariò erit immobile.Præterea aduersus Scotum ita argumẽtor. Si Aristoteles id solùm ostenderet,quòd motus indiuisibilium non est continuus ratione mobilis,igitur male absolutè colligeret,indiuisibilia solùm moueri posse ex accidenti. Præterea, ratio formata in cõt.89.& supra relata,absolutè ostendit indiuisibile nõ moueri, alioquin interuallum ex indiuisibilibus constaret. Præterea,non quærit Philosophus in sexto Physicorum per quid motus sit cõtinuus,sed absolutè an indiuisibile moueatur,quare si Aristoteles id solùm ostenderet,quod illum ostẽdere putat Scotus, Conclusio, nec instituto,nec ostensioni Aristotelis respõderet.Insuper,erraret Philosophus à secundum quid, ad simpliciter,esset enim idem,ac si diceret, motus indiuisibilium nõ est continuus ob mobile,igitur indiuisibilia non mouentur.Præterea,alia quoque ratione aduersatur Aristoteli,nam Aristoteles in quinto Metaphysicæ 18.in secundo, de Gener.& inter. 62.motum ait continuum ratione mobilis:at si uera esset sentẽtia Scoti,Aristoteles nec integram, nec necessariam causam continuationis motus assignasset.Similiter sententia D.Tho.uidetur cum ea Aristotelis pugnare: nam primò multiplicat res sine necessitate,immò multiplicat tempora,cum tamẽ Aristoteles in quarto Physicorum afferat,tempus nõ posse esse plus vno.Præterea si motus,& tempus ex indiuisibilibus constarent,nec tempus illud esset tempus, nec motus ille esset motus:deduco consequentiam,quoniam uel sunt cõtinua, uel ne: si sunt continua, igitur falsum est quod cõstent ex indiuisibilibus,non .n. ex eis consurgit continuum: si nõ sunt continua, ille motus nõ erit motus,quoniam motus est actus imperfectus: actus autem imperfectus tendens ad perfectionem, non est sine continuo. Similiter tempus est mensura moræ,& conseruationis rerum;mora est cõtinuum aliquod,quare etiam tempus debet esse cõtinuum. Præterea semper tempus est mensura alicuius primi motus,qui sit cõsimilis,& æternus;at huiusmodi motus, cuius hoc excogitati tempus sit mensura,cuius sit,nec constat,nec assignare potest,ut consideranti redditur notum.Præterea,Aristoteles in cõt.88. argumentatur à destructione consequentis,hunc in modum.Si indiuisibile moueretur, daretur tempus & motus cõstituta ex indiuisibilibus; cõsequens est absurdum, quare & antecedens. Econtrario D.Thom. arguit à positione antecedentis, dicendo, sed indiuisibile mouetur, igitur & tempus, & motus eius ex indiuisibilibus constant. Ex quo patet apertè,illum pugnare cum Aristotele. Ad instantiam Scoti de sphæra reuoluta, uel ducta supra Planum,& de anteriore superficie Cubi, dico, ea moueri (ut dixit Aristoteles) solùm ex accidenti ad motum corporis, ac vt pertinet ad ea, continenter dicuntur mutata,

*Ratio 2.*

*Ratio 3.*

*Ratio 4.*

*Aduersus Scotum.*

*Aduersus D.Thom.*

ta, non autem mouentur, at ſi per ſe mouerentur, dicerentur mutata ſine antecedente mutatione.

## *De motu Animæ, ex ſententia Ariſtotelis. Cap. XII.*

*Tres interpretũ Scopi.*

PRo motu incorporeorum conſideranda occurrit opinio Platonis, & perpendendum, an cum ea Ariſtotelis conciliari poſſit, qua de re, tres ſunt interpretum Scopi. Nonnulli nituntur eos conciliare, vt Simplicius, Cardinalis Beſſarion, & alij. Nonnulli negligunt cõcordiam, & tuentur Platonem, negligendo Ariſtotelem, ut multi Academicorũ, & cum eis Macrobius. Ego exiſtimo illos non idem ſentire & Ariſt.

*Sententia Platonis.* magis Phyſicè magiſque propriè loqui. Plato Deum conſiderauit tanquam Centrũ, ex quo cuncta ducerentur. Mentem ſiue non participatam, ſiue participatam, dixit eſſe immobilem Circulum: dixit Circulum, quia pendet ex Centro, ac in id conuertitur; dixit immobilẽ, quia indiuiduè per Ideas operatur, & intelligit abſque vlla eius varietate: ſolùm dicitur moueri, quatenus ex ſe excitatur ab eſſe ad agere. Ei ſuccedit Anima rationalis, quæ dicitur circulus ex ſe mobilis, cui quarto ſuccedunt corpora mota ab alio. Anima per rationes diuidue operatur, ex una alteram inferendo, & ex una in alteram progrediendo, eaſque connectendo & ſecernendo; & ob id rationalis

*Quatuor grad' motuum.* dicitur. Ex Platonis Sententia (ut rectè etiam cõſiderauit Simplicius in tertio Phyſicorũ cont. 8.) quatuor conſiderantur gradus motus. Nam primò cõſideratur motus inordinatus materię, quę per potentiam excitatur ad generationem, de quo Plato in Timæo mentionẽ facit. Alter eſt motus Mentis, quæ ex ſe excitatur ab eſſe ad agere. Tertius eſt motus actionum Animæ per rationes. Poſtremus eſt motus corporum ab

*Verus mot' duplex.* Anima. Primi duo nõ ſunt verè motus, ideò prætermittuntur. Verus autem motus dicitur duplex, vnus primus, & eſt motus Animæ, cui reſpõdet primum tempus, quod eſt terminus æternitatis, in quod deſinit æternitas. Alter eſt motus ſecundus, cui etiã ſecundum tempus reſpõdet, nempè corporum. Motus Animæ eſt multiplex, de quib

*Plato.* loquens Plato decimo de Legibus, inquit, Vniuerſa ergo quæ in Cœlo ſunt, quæ in Terra, & quæ in Mari, ſuis motibus anima ducit, quorum nomina ſunt uelle, cõſiderare, curare, cõſultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odiſſe,

*Simplici'.* diligere, & cætera. Simplicius hos motus cõſiderans, dixit Platonem ſolis uerbis ab Ariſtotele diſſentire, Plato enim latiùs ſumpſit motum, & eos nuncupauit motus, quos Ariſt. non motus, ſed principia motus nuncuparet, ideò in ſexto Phyſicorum cõt. 32. inquit, moueri animam, cum ſit indiuidua, quia nõ corporeo mouetur motu,

*Theophraſtus.* ſed vult, intelligit, iudicat, cõtemplatur, quod cõfirmat auctoritate Theophraſti qui in primo naturaliũ, dixit, Appetitũ, ardoremque Animi, & cupidinem, corporeos eſſe motus, & ex corpore ducere ortum: iudicia autem, & ſpeculationes, nõ tranſeunt in alterum, ſed in ipſa Anima ſunt actus, & perfectiones. Idipſum cõfirmat auctorita

*Strato. Ariſto.* te Stratonis Lampſaceni, diſcipuli Theophraſti, qui dixit Animæ actiones eſſe motus. Plato itaque latiùs, Ariſt. preſſiùs uſus eſt nomine motus: immò Ariſtoteles quoque nonnumquam actiones Animæ nuncupauit motus, & Phantaſiam definiens, dixit eſſe motum à Senſu factum, & dum quæritur, an motui animæ cõpetat Definitio motus, tradita ab Ariſtotele in tertio Phyſicorum? Reſpõdet Simplicius in 8. Phyſic. 44. cõuenire motui animæ Definitionem motus ab Ariſtotele primo traditam, quòd ſit actus eius, quod eſt poteſtate: non alteram, quòd ſit actus mobilis. In ſexto autem Phyſicorum 32. ait, poterit etiam aſſignata deſcriptio motus competere motib. Animæ, aut cunctis, aut pluribus includentibus aliquid potẽtię. Rationi Ariſtotelis, quòd ſi aliquid ſe moueret, idem eſſet actu, & potẽtia. Reſpõdet Simplicius in octauo Phyſicorum, 44; inquiens, re uera ſimplex nõ erit ſe ipſo mobile; at anima prædita eſt va-

rijs rationibus quarum nonnullæ cum sint actu, mouent alias, quæ sunt potestate, sic
idem homo in inuentione, discens, & docens esse dicitur. Hæc Simplicius. Alij nõ so-
liciti de concordia, & adhærentes Platoni, nituntur opinionem eius a calumnijs Pe-
ripateticorum vendicare. Ideò inquit Macrobius in secundo de Somnio Scipionis; *Macrobi' damnans Arist.*
Censet Aristoteles se probare nil se mouere, at non probat. Insuper, asserit Aristote-
les dari vltimũ in motu, quod moueatur, & aliud non mouet, quod non est verum, nul
lum.n.corpus moueri potest secundum locum, quod non è loco repellat aliud. Addit
tertiò, dum Anima se mouet, ea est actio sine passione, vt Sol Lucet, calet ignis. Cui *Marsilius Ficinus.*
simile profert Marsilius in Conuiuio Plat. inquiens, Anima se mouet nõ transitiuè,
sed absolutè, vt dum dicimus Deus stat, Sol per se lucet, nam tẽporalis discursio ex se
ipsa competit Animæ, &c. Proculdubio de nonnullis ad motũ Animæ attinentibus, *Sententia propria.*
Plato, & Aristoteles non dissentiunt: at dicere, quod absolutè consentiant, vt censet
Simplicius, est conspicuus error. Consentiunt profectò de his Sex. Primò, quia am- *Sex de quibus Plato, & Arist. cõsentiunt*
bo asserunt in mouentibus, & mobilibus non dari progressum in infinitum; sed ve-
niendum esse ad primum, vt dicitur à Plat. in 10. de Legibus, & ostenditur ab Aristo-
tele in octauo Physicorum. Secundò, ambo consentiunt, primo non mouente, cæte-
ros motores mouere non posse, ordinatorum enim, secundum essentiam, posterius
nõ operatur sine priore. Tertiò, ambo inquiunt mouere se, esse proprium uiuentium;
quod dicitur à Platone in Phædro, ab Aristotele autem in secundo de Cælo. Quar-
tò, ambo aiunt primum ex mobilibus mouere se, & se mouens esse principium inter
ea, quæ mouentur. Quintò; consentiunt, quia ambo inquiunt Animam non ita
moueri, ut mouentur corpora. Demum, ambo dicunt non moueri Animam ex
loco ad locum, nisi iuncta alicui corpori, ex Aristotele hoc patet, ex Platone simili-
ter: quia semper constituit Animam alicui uehiculo iunctam. At cum de his consen-
tiant, dissentiunt deinde. Primò, quia Arist. inquit: primum se mouens esse Corpus *Quinque de quibus dissentiũt.*
uiuens, Plato ait, primum se mouens esse Animam. Secundò dissentiunt, quia consi-
derando motus Animæ per Metaphoram dictos, non eodẽ modo illis se mouet ani *Primum.*
ma ex sententia Arist. ut ex sententia Platonis. Ratio uarietatis est, quia Plato ani- *Secundũ.*
mæ tribuit rationes, Ideis respondentes, ob quas cum nobiscum iuncta per externa
Obiecta fuerit excitata, magis ex se ualet sentire, & intelligere, quã ex sentẽtia Arist.
qui rationes eis non esse insitas existimauit. Hinc in primo de anima 65. inquit, non
animam sentire, uel intelligere, sed hominem per animam: ob eandem rationem, ex
sententia Platonis anima iuncta uehiculo aereo, uel æthereo, ualet sentire quod effi-
cere non ualet, ex sententia Arist. putantis pro obeundis huiusmodi muneribus ne-
cessaria esse instrumenta propria. Tertiò differunt in explicãdo modo, quo anima sit *Tertium.*
principium ueri motus animalium. Nam ex sententia Platonis anima ob rationum
distinctionẽ ualet magis ex se ad motum excitari, & mox sine corporeis instrumẽtis
mouere corpora, quàm ex sententia Arist. Hinc Plato Animas uehiculis iunctas, ad li
bitum moueri existimat, quamuis ei non competant instrumenta corporea, quod ta-
men non ualet efficere ex sententia Arist. qui pro motu animantium necessaria iudi
cat instrumenta, ut patet ex tertio de anima necnon ex lib. de motu Animaliũ. Quar- *Quartum.*
tò dissentiunt: quia Arist. putat Deum proximè mouere Coelum, & esse proximum
principiũ motus eius, ut declaraui in libro, de Cęlorũ motoribus: Plato nec Deum,
nec Mentem proximè mouere censuit, sed Animam in tertio gradu posita, ob distin
ctionem rationum. Quintò dissentiũt, quia Plato putat Animas ex se excitari ad mo- *Quintum.*
tum in orbem, & ex se in orbem mouere, & ideo iunctas stellis, eas mouere in orbem,
ut etiam Elementa corporea, quæ iudicauit prædita Anima: mouere autem mortalia
motu progressiuo, & recto ob oppositas propensiones corporum. At ex sententia A-
rist. animæ nullus respondet motus proprius, & ideò ualet quouis motu mouere cor-
pus. Ex his elicio primò, errare Simplicium, & eos qui Arist. cum Platone de omni- *Ex dictis elicitur 1.*
bus cõsentire affirmant, nam ex distinctis Principijs, & medijs, uaria effecta prodeũt.

Insuper

2 Insuper minus rectè ait Simplicius, Definitionem vnam motus cõpetere motui ani-
mæ, non alteram, cum illæ duę Definitiones reciprocentur, & solũ distinguãtur, qua-
3 tenus vna est per terminos magis Metaphysicos, altera per magis Physicos. Tertiò a-
pertè Simplicius aduersatur Arist. dicenti motum ab eo Definitum solùm cõpetere
quatuor Prędicamentis, quæ sunt cõposita ex actu, & potentia; cum ipse Definitionẽ
transferat ad animam, & eius motum, nam sentire, & intelligere ad ea quatuor Prędi
4 camenta non pertinent. Quartò ab Arist. recedit, dum ostẽdens quomodo anima ex
se moueatur, ait, id ei competere ob varias rationes animæ insitas, cum Arist. eas nõ
tribuat animæ, sed asserat eam esse penitùs potestate. Insuper si ea distinctio rationũ
esset satis, male Arist. in 8. Phys. colligisset pro cõstituendo motu esse necessarium,
ut primum se mouens ex duobus essentia distinctis cõstet, nam dicere esse unum du-
plici ratione preditum, ac ita uniuersa doctrina Arist. in octauo Phys. euerteretur. Prę
*Ratio magni momenti.* terea, cum Plato dicat animã se mouere, & ex eo in 10. de Legib. colligat esse immor
talem, quęro, vel se mouere competit soli animę Hominis, uel etiam illis iumentorũ,
& ferarũ? Si soli animæ Hominis, tunc cętera animalia nõ se mouerent, nec eorum a-
nima esset principium motus, nam inquit Plato in phędro, animam propterea moue
re aliud, quia primò se mouet, secundus enim motus pẽdet ex primo. Si autem etiam
cæteræ animæ se mouent, etiam animę murium, & ranarum erunt immortales. Hæc
instantia maximi est roboris, & plurimũ turbauit varios Academicos, adeò ut in va-
*Diluũtur instantię Macrobij.* rias iuerint sententias, quas ut alibi a me relatas, & reiectas, nunc missas facio. Ea e-
tiam, quæ a Macrobio obijciuntur Arist. leuissima sunt; nã quòd Arist. ostenderit nil
se mouere; patet ex 8. Phys. quo in loco etiam patefeci, quomodo detur ultimum mo
uens in corporibus, nam datur ultimum in ordine essentiali; Insuper, datur ultimum
ob condensationem & reciprocationem corporum mutantium locum, & sibi mutuò
locum concedentium. Demùm, id quod addunt, asserere animam ex se moueri, esse
idem ac dicere solem ex se lucere, ex se calere ignem, & Deum stare, minimè uerum
puto; Nam dum dicimus Solem ex se lucere, indicamus affectionem Soli competen-
tem, non includentem actionem, & passionem; at dicere animã mouere se, indicamus
actionem cum passione iunctam, & est idem, ac dicere, Solẽ illũstrare se, ignem se ca-
lefacere, quod nemo diceret; nam si daretur motor mouẽs sine mobili, daretur unum
relatorum sine altero. Similiter, dum dicimus Deum ex se stare, indicamus Deum nõ
*Conclusio.* esse aptum moueri, non autem ei tribuimus actionem sine patiente, vel contra. Colli-
gamus itaque ex sententia Arist. nil siue corporeum, siue incorporeum, in se agere, &
se mouere actione distincta ab essentia.

## *Diluuntur rationes, quibus ostendebatur posse aliquid in se agere, & se mouere. Cap. XIII.*

*Diluitur Ratio 1.* DEcursis cæteris, superest modò ut rationes aduersas diluamus. Instaba-
tur primò, quia Elementa sine distinctione motoris, & mobilis dicun
tur mouere se. Hac de re uerba feci in quęst. de motu grauium, & le-
uium; nunc breuibus dico, instantiã esse leuem, quia in Elementis re-
periuntur duo distincta principia, quę sunt origines agendi, & patien
di, & hoc indicauit Auer. inquiens: formam ut formã mouere, & esse principiũ agen-
*Instantia.* di, vt verò est in materia, moueri, quia materia est origo passionis. At instabit aliquis,
quia Elementum mouetur, vt est mobile, est mobile ut subiectũ motum, est subiectum
*Solutio.* ut est actu, est actu per formã, quare forma per se patitur, & subijcitur motui. Respon
deo, mobile eatenus primò, & per se moueri, quatenus est potestate, quę oritur ex ma
teria; & quamuis Subiectum motus debeat esse actu, non tamen actus est origo passio
nis, sed aliquid ex accidenti motum, & necessariò requisitum, vt subiectum sit actu.

Erat

Erat instantia secunda de actionibus immanētibus. Respondeo, actionem immanentem vsurpari dupliciter, uel pro eadem cum essentia, vt separata se intelligere dicuntur, de qua nō est dubitatio, cum sit sine distinctione, & passione, vel pro distincta ab essentia agentis, de qua loquens, dico, non ob id dici immanentem, quia nō exposcat principia agendi, & patiendi distincta, sed solùm quia in alienum subiectū non trāsit, nec opus remanet effectum, sed ipsamet actio finis est pendens ex agente, pro esse, & conseruatione, & hoc patet progrediendo per omnia opera, quę actionis nomine denotantur, veluti saltare, canere, sunt actiones immanentes, cum tamen earum principia efficientia, & patiētia sint distincta: similiter, uita dicitur immanens quatenus in viuente seruatur, Animamque insequitur, cum tamē Anima principium uitæ, & corpus recipiens eam, sint distincta. At erat instantia de actu uidendi, intelligendi, imaginandi, similiter ratiocinandi, quo aliquis in se scientiam parit. De his multa dicūtur à D. Tho. & asseclis eius, qui inquiunt, Animā vt formatam specie Obiecti producere iudicium, ex se autem illud recipere. Scotus in primo Sent. Dist. tertia, quęst. 7. soluit per distinctionem actus formalis, & uirtutis, reiectam in pręcedentibus. Lud. Boccaf. putat actionem pendere ex Obiecto, passionem pertinere ad potentiam, uel actionem ab intellectu agente produci, passionem recipi in possibili. De his non est hic disputādi locus, propterea breuibus dico, duplicem posse fieri comparationem: Vnam inter Obiectum, & facultatem cognoscentem, secundum quam Obiectum mouet, facultas uerò mouetur: Alteram inter facultatem & actum iudicandi Obiectum, & tunc facultas agit iudicando, Obiectum uerò iudicatur: quòd si huiusmodi iudicium manet in iudicante, id accidit, quia actus Obiecti, & facultatis est unus & idem, ut dicitur in 2. de Anima, & quia iudicium respicit Obiectum, quod tendit in facultatem animæ, ideò ex accidenti solùm facultas in se agit, quatenus iudicat Obiectum mouens animam, absolutè tamen iudicium ex parte iudicantis solùm exposcit fundamentum actionis. His accedit, quòd anima nil recipit ut subiectū, nisi concurrat Materia, ideò Memoria exposcit congruens temperamentum, adeò ut facultas sit origo iudicandi, seruans uerò vt Subiectum sit compositum: si autem facultas aliqua, & pręsertim Mens se iudicat, id facit ex accidenti, per eius opera, & iudicando alia, ut elicitur ex tertio de Anima. Ad id de inuentione, per quam ratio parit scientiam in se. Respondeo, semper seruari distinctionem Obiecti, & facultatis ut duorum principiorum actionis, & passionis. Insuper, dum ratiocinamur ex uno, inferimus aliud, & Mens est actu ratione principij, potentia verò ratione Conclusionis. Erat tertia dubitatio de Antiperistasi, de qua inquit Hippocrates in libro de Natura fœtus; hyeme per pluuias condensari partes externas Terræ, & ob prohibitam transpirationē, internas calefieri, ut patet de fimo. At ea ratio uidetur leuis: quoniam etiam ubi externæ partes pluuijs non densantur, at sub domibus, & locis coopertis id ipsum accidit. Prętereà de uisceribus Terræ, & fimo non uidetur par ratio, quia in fimo inest putredo, quæ non reperitur in antris & cauitatibus Terrę. Dicebat Epicurus, ex relatione Lucretij,

*Dilnitur Ratio 2.*

*De actu uidendi.*

*D. Thom. Scotus. Lud. Boccaf.*

*Solutio propria.*

*De antiperistasi. Hippocrates.*

*Epicurus.*

*Frigore cum premitur porro omnis Terra, coitque.*
*Et quasi cocrescit, fit scilicet in coeundo.*
*Exprimat in puteos si quem gerat ipsa calorem &c.*

At si id esset, tunc reliqua partes terræ remanerent frigidiores, cuius oppositum sensu constat. Insuper addebat,

*Frigidior porrò in puteis æstate fit humor,*
*Arescit, quia Terra calore, & semine si qua*
*Forte vaporis habet, propere dimittit in auras &c.*

Hoc etiam non satisfacit: quia nulla facta mutatione densi, & rari partium Terræ continentium aquam, similiter aqua redditur frigidior. Prætereà, æstiuo tempore plus aquæ gignitur in uisceribus Terræ, quàm hyberno, quod non accideret,

*Galenus.* ſi tunc vapores in aerem prodirent. Galenus in tertio de Simplic. Medicamentorum facultatibus, c.8. videtur dicere, aquam puteorum hyberno tempore nobis potius videri, quàm re vera eſſe tepidam, ob aerem, & noſtri corporis conſtitutionem; at non propterea inficiatur, hyberno tempore aliquantulum eſſe calidiorem, quàm æſtiuo, vt perperàm nonnulli ei tribuunt, ſed ſolum putat tunc videri calidiorem, quàm ſit, alioquin aduerſaretur rationi, experientiæ, Hippocrati, & Ariſtoteli, cuius ſententię ſe ſubſcribit in 1. Aph. in expoſ. Aph. 15. Ventres hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, &c. quo etiam loci inquit id accidere, quoniam ut ait Ariſt. calor internus per

*Solutio.* frigus ambiens tendit ad centrum, & unitur; æſtate uerò ad ſimile exit. Dicamus itaque, in antiperiſtaſi pro caloris, uel frigoris accretione, multa conſpirare. Primò, ſimile internum nectitur cum externo ſimili, derelinquendo intrinſecùs contrariũ. Secundo, id contrarium à contrario ſecretum remanet ſincerius, magis iunctum, ac ita potentiùs operatur, & intenſiùs apparet: Hæc ſunt potiora, & principaliora; Conducunt mox & alia, nam æſtate externi meatus calore ambientis aperiũtur, & internus calor ob id facilè euaporat, ueluti contra hyberno tempore obſtruũtur meatus, & calor ob prohibitam transpirationem creſcit. Præterea, & quartò, accidit nõnunquam ab externo calore conſumi, & extrahi humorem internum, cuius eductionem, & conſumptionem ſequitur interni caloris conſumptio, interitum autẽ caloris ſequitur frigus. Quintò, his accedit, quòd ab ambiente contrario repercutiuntur actiones cõtrarij incluſi, ac ita quodam modo geminantur, & potẽtiores redduntur pro deſtructione contrarij ſecum permixti, adeò ut ſemper primò, & per ſe contrarium agat in contrarium, quam actionem ſequitur quædã perfectio agentis ex accidenti, ut patet per

*Inſtantia.* ea, quæ conſpirare dixi. At dicet aliquis, adhuc non uidetur ſoluta dubitatio, quia nil agit vltra propriũ gradũ, quomodo itaque per antiperiſtaſim contrariũ incluſum red-

*Solutio.* ditur gradu intenſius? Reſpondeo, frequenter non reddi intenſius, ſed uideri, quatenus primò erat cum contrario iunctum, non quidem per ueram mixtionem, ſed per iuxta poſitionem, & compoſitionem, mox remanet ab eo ſeiunctũ. Quod ſi accidat, etiam reddi intenſiùs ſecundum gradum, id fit ex accidenti, quatenus deſtructionem unius ſequitur conſtitutio alterius. Inſtabatur quarto loco per motum Animæ, Ange-

*De motu Animæ.* lorum, & Atomorum. De Atomis Ariſtoteles abſolute negat, & dari, & poſſe moueri, vt patet ex primo de Gener. & interitu. De alijs multa dicunt Theologi Scholaſtici: At ex opinione Ariſt. dico, vt nata eſſe in loco, non mutant locum, niſi per lationem, ita non nata eſſe in loco, & nata ſolùm ex accidenti alicubi eſſe, ſine vllo motu & tranſmutatione alicubi eſſe, vel non eſſe. Sic Ariſtot. in ſecundo de Anima, ſeptuageſimo, de lumine loquens, ait eſſe, & non eſſe in medio perſpicuo, ſine eius latione, & ſolùm per præſentiam, & abſentiam corporis lucidi; Hoc modo Mens dicitur extrinſecus accedere, ut etiam aperta feneſtra dicimus lumen extrinſecùs ingredi. Simili modo & ratione inquit Ariſtoteles, in primo de Cœlo; 111. & 112. multa eſſe, & non eſſe ſine ortu, & interitu, Tetigit in parte hanc ſolutionem Simplicius, in ſexto Phyſicorum trigeſimoſecundo, inquiens, haud tamen Anima dicitur eſſe in corpore, ueluti in loco, & uaſe, ſed habitudine quadam, quare ut ſeparetur, non eget alio corpore, quod ſecundum locum moueatur, ſat enim eſt ineptitudo corporis ad non recipiendum ſplendorem Animæ, & hoc eſt Animam ſeparari, &c. Erat quinta dubitatio de Phantaſia, & Mente ſe cognoſcentibus, & de facultatibus Animæ, quarum una mouet alteram. Hæc dubitatio per dicta in præcedentibus eſt ſoluta, nam cognitio eſt duplex; Vna per eſſentiam, qualis eſt ea Dei, quæ expers eſt diſſimilitudinis, & paſſionis; Altera eſt cum quadam paſſione, & ob id ſemper adeſt diſtinctio per ſe cognoſcibilis, & cognita, Mens, & Phantaſia ex accidenti ſe cognoſcunt noſcendo alia, vna facultas mouet aliam ob varietatem inſtrumentorum, & quatenus una eſt formata ſpecie obiecti, altera includit potentiam ad illam. Addebatur ſextò, Ariſtotelem contrahere ſuam ſententiam ad motorem uniuocum,

Hac

Hac de re multa dixi in 8. Physicorum exponens cont. 44. ideò nunc breuibus dico; si sequimur Auerroem, per motorem vniuocum, debemus intelligere motorem propriè dictum, contradistinctum a motore dicto per Metaphoram: si sequimur Simplicium, intelligere debemus motorem per se, contradistinctum a motore ex accidenti; si sequimur expositionem meam, debemus ex eis uerbis elicere sequi ea absurda, de quocumque dixerimus quod moueat se, & agat in se: nam si idem est ferens, & latū, ferens feretur: si idem calefaciens, & calefactum, calefaciēs calefiet; si idem est docēs, & addiscens, docens docebitur, & ideò inquit Aristoteles, vniuersè sequi ea absurda, de quibuscumque dixerimus, quod moueant se, & ita per motorem uniuocum denotat motorem motum eodem motu, indicando sententiam suam esse uniuersalem. Re manet diluenda dubitatio de aqua feruente, refrigerante seipsam, de qua multa dicūtur ab alijs, quæ non refero, sed breuibus dico. Ad refrigerandam aquā multa conspirare, Primò, aqua feruens non est simplex, sed composita ex partibus igneis, & aqueis inuicem agentibus & pugnantibus. Secundò pro eo conducit ambiens, non ita calidum. Tertiò conducit humor aqueus, crassus, igneum calorem extinguens, uel saltem siccum terreum, desunt, ut in ferro feruēte, hoc denotauit Aristoteles in prima parte Probl. 42. inquiens, potum extinguere calorem febris, ut enim ignem hunc uisui manifestum, ita & delitescentem illi naturæ humor extinguit. Quartò etiam conducit, quia calor in aliena materia eget conseruante, & nisi seruetur, marcescit, eget enim cōtinuo restaurante, eius autem interitum sequitur frigus. Demū ad id conspirat propensio aqueæ naturæ ad frigus sibi proprium. Hæ causę ita in ordinem rediguntur. Aqua feruens refrigeratur, uel per causam priuantem, & hæc est ignei vaporis exhalatio, uel per causam producentem, quæ uel est externa, vel interna; si externa, est ambiens; si interna, uel id facit ex accidenti, & est humor aqueus, conspirante conditione caloris egente in aliena materia conseruante, cuius interitū necessariò sequitur frigus, vel id facit per se, & est varietas, & dissimilitudo partium aquæ feruentis, cū propensione aquæ per suam naturam ad frigus, quod est accidens proprium eius: ex horum conspiratione consurgit causa tota & perfecta.

*De aqua feruente.*

## *An simile agat in simile.* *Cap. XIIII.*

CVm apparuerit idem in se sine distinctione agentis & patientis agere non posse, perpendendū est, an saltem possit agere in aliud sibi simile? Philosophus in primo de Ortu, & interitu id negāuit, inquiēs, si simile ageret in simile, etiā ageret in se; tamen quia ex aduerso nonnulla se offerunt, quæ sententiam hanc reddunt obscuram, ideò cōsideranda; & explicanda proponitur. Pro notitia autem difficultatis considerandū primò est, aliquid posse dici simile, uel ex parte materiæ, uel formæ; si formę, uel genere uel specie: si specie, vel cum distinctione graduum, vel sine. Non est dubitatio de consimilibus materia, nec genere, ita enim etiam contraria cōsimilia sunt, quæ per se inuicem agunt: neque etiam de consimilibus specie, cum distinctione graduum, vt tepidum, & calidum, nam remissum obtinet locum alterius contrarij, ideò patitur ab intenso, dubitatio itaque est de consimilibus specie, & gradu, num inuicem agere possint? Accipiendum secundò, difficultatem debere intelligi de agentibus, & patientibus per se, non ex accidenti; regulæ enim dantur de his, quæ per se sunt. Addo tertiò, res propriè dici similes per Qualitates, ut enim per essentiam res dicuntur eędem, uel diuersæ; per Quantitatem æquales, uel inæquales; ita per Qualitatem similes, uel dissimiles. Latè tamen similitudo ad alia quoque extenditur: dubitatio præsertim erit de simili per Qualitates, cumulatioris tamen doctrinæ gratia etiam

*Simile multiplex.*

*De quo sit dubitatio an simile agat in simile.*

etiam de cæteris aliquid dicam. Ea quæ præsertim considerationẽ hanc reddunt obl
*Dubia diluenda.* scurã, hæc sunt. Primò Arist. in 8. Phys. 78. supponit corpus quò fuerit maius, eo diu
*Primum.* tiùs operari, & in primo de Cęlo, eo operari vehementiùs, vt etiam in primo Meteo:
rum; ex quo elicitur partes cõsimiles se mutuò perficere, & propterea inuicem agere.
Veluti etiam tres candelæ splendidiùs medium illustrant, quamuis sint consimiles,
quàm vna sola, & secũda magis illustrat medium, a prima illustratũ, similiter & ter-
tia. Prętereà inquit Aristoteles in prima parte Probl. 56. & 57. maiorem flãmam ad
*Secũdum.* se rapere minorem; quare flãma agit in flammam. Tertiò formatur hæc ratio: efficiẽs
*Tertium.* potest agere vltra proprium gradum; igitur potest agere in simile: cõsequutio patet;
quia cum produxerit sibi simile in gradu, agens pro vlteriore gradu, aget in simile.
Assumptum ostenditur, tum quia hyberno tempore à frigore aeris non summo con-
gelatur aqua, & fit glacies, quæ est excessus frigoris, & æstiuo tempore ab ambiente
aere mediæ regionis, non summè frigido, fit grando: tum insuper quia sæpè inspici
mus flammam exiguam, & debilem, ingentem & potentissimum ignem parere. Quar
*Quartum.* tò, afferuntur exempla varia, id ipsum patefacientia, nam lapis consimilem lapidem
percutiendo frangit, Gladius hebetat Gladium consimilem, oculus agit in oculum,
dum mutuò se vident, simile seruat simile, & corpus densius eodem gradu calidum,
*Pro parte aduersa.* quia vehementiùs operatur, agit in rarum: simile itaque agit in simile. Ex aduerso di
xit Philosophus; si simile ageret in simile, idem ageret in se, cuius oppositũ est osten
sum. Insuper in primo Phys. 43. ait, omne agens agere in contrarium, omne patiens
pati à contrario, & in primo de Ortu inquit, de similibus nulla est ratio, cur vnũ po-
tiùs quam aliud debeat esse agens; Cõfirmatur quia præsente fine desinit mobile mo
ueri; pręsente similitudine præsens est finis; quare tunc desinit moueri, nã finis agen-
tis est reddere patiens sibi simile. Prętereà, omne agens agit ut est actu, patitur vt po
tentia; at similia quatenus similia, consimiliter sunt actu, non autem unum actu, alte-
rum potentia est. Demùm, omne agens in id agit, quod ei repugnat; simile non repu-
gnat, sed consentaneum est simili, quare in id non agit.

## *Resolutio difficultatis, An simile agat in simile.* *Cap. XV.*

PRo resolutione propositę difficultatis, cõsidero primò actionẽ esse du-
plicẽ, vnam spiritalẽ, qua uisibilia agunt in Sẽsum, alterã materiatã,
& corporeã. De vtraque loquar: & quia actio materiata etiam vsur-
patur dupliciter, uel pro sola alteratione, vel pro quauis motione, e-
go de singulis verba faciens, tres profero Cõclusiones. Prima est. Si-
*Prima cõclusio.* mile nõ agere in simile, est uera de actione spiritali. Altera est, eadem
regula uerior adhuc est de omni actione materiata. Tertia, verissima est de alteratio-
*Secunda.* ne, de qua etiam loquitur Arist. in capitulo, de actione, & perpessione. Quod pertinet
*Tertia.* ad primam, multi inficiantur regulam uerã de actione spiritali, ut patet de oculo si
*Explicatio prima.* milem, & se uidente. At conspicuè decipiuntur: nã Aristoteles in 2. de Anima, 71. de
Visu, & alijs Sensibus, eã profert, inquiens susceptiuum colorũ debere esse sine colo-
re, sonorum sine sono, & ita de cęteris. Insuper in 3. de Anima, cont. 4. eandẽ profert
de Mente potestate, recepturã intelligibilia. Ideò rectè Auerr. inquit, regulam esse ue
*Explicatio secũda.* ram de omni receptione, & perpessione cum spiritali, tum materiata. Secunda Cõclu
sio erat, regulam esse ueriorem de actione materiata. Ratio est: quia in ea repetitur
uerior contrarietas, uerior actio, & passio, & uerior oppositio actus, & potentiæ, cũ
uera contrarietas non seruetur sine materia. Dicebatur tertiò, uerissimam esse de
*Explicatio tertia.* alteratione, de qua etiam præsertim Philosophus regulam profert. Et ratio est:

quia uerissima contrarietas in primis Qualitatibus consideratur, attinentibus ad Sensum tactus, & illę etiam sunt origines propriarum alterationum, & permutationum, ut patet ex secundo lib. de Ortu, & interitu. At pro dubitationum resolutione duo occurrunt consideranda. Vnum est, an agens expetat reddere patiens sibi simile in gradu, uel potius in actione, uel in utrisque? Alterum est, cur densius, & maius uehementiùs operetur, quamuis non sit intensius secundum gradum? De prima difficultate Marsilius, & multi Latinorum, iudicant institutum agentis esse reddere patiens sibi simile in actione. Ratio est, quia agens ita expetit reddere patiens simile, ut agit, sed agit actione, quare in ea expetit id reddere simile. Confirmant; quia vnumquodque agens valet reddere patiens sibi simile in gradu; quare cum agens maius, & densius operetur uehementiùs, valebit producere simile, etiam in actione, & propterea, dum reddiderit simile in gradu, adhuc in illud aget, si fuerit rarius, ut reddat illud sibi simile in actione, ac ita simile in gradu, in simile operabitur. Hanc sententiam a uero alienam puto, pro quo ostendendo, suppono duo corpora in gradu summè calida, quorum unum sit densius & maius, alterum rarius, & minus: densius operabitur uehementiùs, neque ob id aget in rarius, quia nullum caloris gradum in eo producere valet. Praetereà agens id per naturam efficere expetit, quod in eius facultate positum est, ex eoque pendere valet: hoc autem id solùm est, quod pertinet ad gradum, non quod pertinet ad actionem auctam per densitatem, uel extensionem, quæ pendet ex alio. Praetereà, generatio ducit ad actum primum, qui est forma, non ad actum secundum, qui est actio prodiens mox ex forma. Praetereà, vis maioris actionis valet producere simile in gradu, quod sit vehementioris actionis, vt palea incensa comburens ligna, & generans carbones maioris actionis, quod non faceret, si expeteret producere simile in actione, immò dum erit simile in actione, adhuc aget in illud, producendo vlteriorem gradum formæ. Quod demùm confirmatur; quia vis agentis est ipsamet forma, quæ ita agit, ut est, esse autem eius in gradu est positum, quare id expetit producere. Quærebatur secundò, cur corpus densius, & maius, supposita paritate graduum, uehementius operetur? Respondeo, id ex eo euenire, quia vbi plus materiæ adest, plus etiam reperitur formæ, nam se habent ut plura indiuidua iuncta; quæ potentiùs operantur, quàm unum. Insuper, id quod est densius, operatur uehementiùs, quia virtus consimilis, & coniunctior, & ab opposito magis seiuncta potentiùs operatur. Sed quæritur, cum omnis forma valeat producere simile in gradu in quo erit posita, & collocata, eritne ea maior actio, quæ densiori, & maiori competit? Respondeo, eam in quatuor esse positam. Primò quatenus citiùs consimile in gradu producit. Secundò, quia diutiùs operatur, quatenus magis aduersis corrumpentibus repugnat. Tertiò, quia operatur in distantius. Quartò, quia semper ualet simile in gradu producere, quod non ita semper ualet efficere corpus rarius, & minus. Colligamus itaque, efficiens non operari ultra suum gradum, & solùm expetere reddere patiens sibi simile in gradu.

*Duo consideranda. Primum. Secundum. Opinio quorundã. Euersio. Cur corp' densius, & maius operetur vehemẽtius. Dubitatio Solutio. Cõclusio.*

## *Diluuntur rationes, quibus ostendebatur simile agere in simile. Cap. XVI.*

Explicata veritate, supersunt diluendæ aduersæ rationes, quarum prima erat, quia partes consimiles iunctæ reddunt totum potentius. Respondeo, non ob id eas inuicem agere, sed iunctas magis unà cõspirare ad agendũ in aliud, & seruandum se, veluti plures homines ad aliquid efficiendũ conspirantes, quamuis inuicem non agant, tamen id valent efficere, quod singuli seorsũ non valent. Afferebatur instantia de cãdelis con-

*Solutio primæ rationis. De lumine cãdelarũ.*

ſimilibus accenſis. De quibus ſimiliter dico, quod non inuicem agunt, ſed vnà conſpirant ad illuſtrandum medium, quod non propterea reddunt ſecundum gradum illuſtrius, quàm ſit lux ſingularum ſeorſum, & pro diſtinctiore ſolutione dico primo, lumen in medio habere eſſe ſpiritale, ut in lib. de Viſu pateſeci, adeò ut in medio nil aliud ſit, niſi repræſentario corporis lucidi. Addo ſecundò, lumina variarũ candelarum in medio non ſecùs ſeruari diſtincta, ac etiã ſeruentur actiones uariorum viſibilium, nec lumen vnius agerę in lumen alterius, & ideò in medio tunc reperiuntur plura lumina, & minus tenebrarum, non autem lumen vnum agere in aliud: ea autem lumina ſeruari in medio diſtincta, indicant & vmbræ variæ, & directio radiorum in loca varia, & repræſentatio uariorum lucidorum, & ſimilia. Propterea cum D. Thom. non ſentio, putante lumen in medio habere eſſe materiatum, & reddi unum. Hinc Ariſtoteles in ſecundo de anima dixit, lumen eſſe præſentiam lucidi, quia eſt actus perſpicui, repræſentans corpus lucidum, nõ ſecùs ac actio uiſibilium.

*Inſtantia.* Et ſi quis inſtat, quia plura accidentia, ſolo numero differentia, in eodem ſubiecto eſſe nequeunt. *Solutio.* Reſpondeo, id eſſe uerum de accidentibus materiatis, non de ſpiritalibus. Ratio differentię eſt: quia ſpiritalia non uerè ſunt accidentia in Subiecto, ſed repræſentationes alterius per medium, & ideò diſtinctionem habent ab illis, quorum ſunt repræſentatio, & actio. Inſtabatur inſuper, quia ſimile trahit ad ſe ſimile, ut flamma flammã, immò multi medicorum aiunt medicamenta trahere humores, ratione ſimilitudinis: ſimiliter inſpicimus Plantam, dictam Valeriana, trahere alteram ſimilem, ſibi loco proximam.

*Solutio alterius inſtantiæ.* De flamma dico, maiorem flammam trahere ad ſe humorem minoris, in illumque agere, non autem in flammam, niſi ex accidenti, ex ſimilitudine ſolùm id habẽt, ut inuicem facillimè connectantur, vt aqua cum aqua, flamma cum flamma, at nõ ob id inuicem agunt, ob eandem quoque rationem aqua per humida loca facilius fluit, quam per arida, ſimile cum ſimili facilè nectitur, quia cuncta per naturam expetunt ſui conſeruationem, ſimile autem conſeruatur ſimili, quia plura ſimilia iuncta, potentiùs corrumpenti reſiſtunt.

*De Plãtis.* De Valeriana, Palmadactilo, & ſimilibus Plantis, quarum una adhæret alteri, uel ab altera permutatur, ſiue perficitur. Reſpondeo, id oriri ex uarietate maris, & fœminæ, & uirtutis earum, una enim ueluti mas habet facultatem, & temperamentũ diſtinctum ab eo alterius, & una eſt apta perficere, altera perfici: ea quę eſt apta perficere emittit ſpiritùs quoſdam, à quibus cum altera perficiatur, per naturam conuertitur ad eam, ut inſpicimus de Heliotropio, cuius flores, & folia conuertuntur ad Solem, adeò quod ſi una agit in alteram, id ortũ ducit ex diſſimilitudine actus, & ſimilitudine potentiæ, nonnumquam autẽ id accidit (vt dixi) quia ſimile ſimili ſeruatur, ideò cum eo nectitur, & contrariũ pro facultate vitat. Quomodo medicamenta trahant humores, a medicis explicatur, qua de re loquitur Ariſt. in prima particula Prob. 40. & 41. nec ait fieri ratione ſimilitudinis, ſolũ inquit calida purgare per ſupera, aquea per vrinã, Terrea per inſera, & id fieri actione, & contrarietate primarum Qualitatũ, uel liquefacientium, vel feruore excrementa turbantium, vel flatus excitantium, & ita ſecum ducentium ea, quæ permutarunt, conducente facultate expultrice uiuentis, per naturã aduerſa expellentis, adeò ut mutua actio ſemper prodeat ex diſſimilitudine. Affetebatur alia inſtantia, quia agens valet vltra gradum operari.

*Agens nõ operari vltra gradũ.* Reſpondeo, id eſſe falſum; oſtendebatur, quia ab aere glacies, & grando frigidiora gignuntur, cũ glacies ſit exceſſus frigoris. Dico primò, nil prohibere quin hiberno tempore aer ambiens ſit ſummè frigidus, quamuis enim glacies ſit exceſſus frigoris, non ob id uice uerſa omnis exceſſus frigoris eſt glacies, quia preter exceſſum frigoris alia requiruntur; Addo ſecũdò, frigus aeris ambientis non eſſe cauſam cõgelationis integrã, nam pro aqua congelanda pręſertim duo conſpirare debent, vnũ agentis, alterum ex parte patientis: ex parte patientis, nempè aquæ, requiritur vt pura nõ ſit, ſed mixta cum halitibus quibuſdam ſiccis, & terreis, quod nobis pateſacit aqua, in quam glacies diſſoluitur, quæ craſſa, & terrea quodãmodo eſt: ex parte agẽtis requi-

ritur

ritur frigus ambiētis,& halituum cum aqua permixtorum,per quod frigus,calor fluē tis aquæ partim extinguitur,partim extruditur, humor verò rennis, partim vnà cum calore extruditur,partim etiam a frigore cōdensatur,ac ita cōsurgit glacies. Hoc nos docuit Arist.in secundo de partibus Animalium,cap.4.inquiens;Sanguis fibris detra ctis non valet congelari, fibrarum enim natura terrea est, quæ si non eximantur,cogi tur,ut Terra humida frigore:cū enim calor exprimitur,humor vnà trahitur,atq; eua porat. Insuper in quinto de Gener.Animalium,cap.3.inquit,Indurat igitur tū calor, tum frigus,nam euenit vt ab vtrisque humor euaporet,scilicet à calore per se à frigo. re ex accidenti, unà enim cum calore humor educitur, nullus enim humor sine calo re est,&c.Philoponus tamen cont.3. primi de Gener.inquit, aut quod verius est fri gus condensans partes aquæ,reddit aquam duram;addo ego(vt dixi) tenuiorem hu. morem educi,remanentem cogi. Ex his colligo,non agere ultra gradum, sed contra ria inuicem pugnare. Afferebantur demùm instantiæ de lapide consimilem fran gente, de gladio consimilem hebetante, de oculo vidente consimilem. Respon deo lapides, & gladios inuicem agere, non ratione similitudinis, sed oppositio nis. Nam primo mouentur oppositis motibus, uel saltem vnus mouetur, quiescit al ter. Secundò considerantur vt actu dura, potentia fragibilia, ac ita ambo sunt actu, & potentia per actum agunt,per potentiam patiuntur.Sed est dubitatio, cum sint pa ria,& actio prodeat ex proportione maioris inequalitatis,quomodo se mutuò supe rant,& franguntur? Respondet Clarissimus Boccaf.id accidere,quia pars percutiens agit uirtute totius.At hoc non satisfacit, tum quia similiter patiens resistit uirtute to tius,hinc maius seruatur diutiùs:tum insuper,quia si fuerint duo plana,æqua,extēsa, & inuicem se percutientia,se frangunt, vt de duobus speculis accidit, etiam si secun dum vniuersam extensionem se tangant. Ideò dicamus, duritiem frangentem supe rare non duritiem alterius,sed facultatem resistendi,ideò frangit id vt potentia fran gibile agit;vtrumque vt actu durum,sic inuicem agunt,quia ambo includunt actum, & potentiam, vt sæpè ait Arist. Ad instantiam de oculo, dico,oculum agere ut colo ratum,pati,& recipere ut perspicuum. Addo insuper cum Alexandro, recipere non totum oculum, sed partem mediam, quæ cum sit perspicua, non habet proprium co lorem,color enim est actus terminati, non interminati perspicui, sed potiùs includit inchoationem quandam omnium colorum,adeò ut ob id omnes recipere valeat tan quam perfectiones eius inchoationis. At de his latiùs in proprio loco.

*Aristot.* *Philoponus.* *Instantiæ postremæ diluuntur.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Lud. Boccaf.* *Euersio.* *Solutio propria.*

## *De resistentia quid sit, opiniones variæ. Cap. XVII.*

QVoniam pro notitia attinentium ad reactionem, necessarium est præ noscere resistentiam, quæ profectò cognitu est difficilis, ideo de ea mihi breuibus differendum propono. Quæritur, quid sit Resisten tia?Qua de re opinationes quatuor sunt: Vna est Petri Pomponatij in tractatu de Reactione, parte secunda, cap.3.dicentis, Resistentiam non esse actionem, neque passionem, sed impedimentum quoddam, ideò inquit, Resistere esse, impedire, vel penitùs, vel in parte actionem a gentis. Hunc sequitur Victor Trincauella in quæstione de Reactione; Inquiunt hi, Resistentiam, & Resistere, congruenter declarari per impedire, quia minus a ctionem denotat, quàm resistere. Hoc confirmant per Aristotelem, qui in octauo Physic.32.inquit; Pilam non moueri a pariete impediente, & ei resistente; simili ter hoc patet, quia paries sine ulla actione impedit transitum uenti, eique resistit. Insuper confirmatur: quia corpus non mouet aliud corpus, nisi moueatur, paries re sistens vento, & Pilæ non mouentur, quare non agit, & mouet. Hanc opinionem apprimè dubiam puto,cum enim dicant Resistere esse impedire,adhuc remanet dubi

*Quid sit resistentia.* *Pomponatius.* *Victor Trincauella.* *Euersio.*

tatio

tatio, quidnam sit Impedire, num actio, vel passio? nam verba vel actionem, uel passionem denotant, nec uerbum datur, quod alterum horum non significet. Præterea, Impedire, uel originem ducit ex materia, uel ex forma, siue quod idem est, uel ortum ducit ex actu, uel ex potentia: si ex forma, & actu, erit actio: si ex potentia & materia, passio erit. Confirmatur, quia Impedire uel est actus primus, vel secundus: non primus, non enim est forma aliqua, & finis alicuius generationis: sed est actus secundus, qui secundus actus, vel passio, vel actio quædam esse debet, præsertim tamen actio. At dicet aliquis, impedire actionē, non est agere, sed actioni obsistere, & eam euertere. Hoc nullius est roboris: quia agendo repellimus actionem aduersam, eique obsistimus, ut vno contrario repellitur alterum. Confirmatur, quia omnis facultas, uel est agens, uel patiens; ea resistentis est facultas quædam, ac potentia; ideò, uel est agens, uel patiens, alia facultas tertia, quæ neutrum sit, non reperitur. At confirmabatur aduersa opinio per Aristotelem in 8. Phys. 32. dicentem, pilam non moueri a pariete resistente. Respondeo, Aristotelem non negare parietem nullo pacto mouere, sed solùm primò, & per se, inquit enim, Qui remouet impedimentum, est ut moueat, est autem ut non, vt qui columnam euulsit, aut qui lapidem remouet ab utre detinentem illum, secundum accidens enim mouet, ut repercussa Pila non a pariete, sed a proijciente mota est, &c. Constat Aristotelem concedere, quòd moueat ex accidenti, nam proijciens pilam, eam mouet, dum repercutitur per intermediũ parietem. Addebatur parietem sine actione prohibere transitum uenti, & non posse mouere, nisi moueatur. Respondeo, id esse uerum de mouente primò, & per se, non de mouente ex accidenti, nam quòd paries agat in pilam, & uentum, ex eo patet, quia si pila fuerit uitrea, frãgitur, insuper agit, quia est principium quietis, remouens transitũ, & actionem alterius.

*Instantia.* *Solutio.* *Diluũtur ratiões aduersæ.*

*Opinio 2.* Altera opinio est, quòd resistere sit pati: nam quod opponitur agenti, ab eo patitur: resistens opponitur agenti, quare patitur. Hæc opinio deterior est priore, quoniam omnis passio ortum ducit ex materia; resistẽtia oritur ex aliquo actu opposito. Præterea, repellere à se passionem, & pati, opponũtur; resistere est repellere a se passionem: non itaque resistere est pati, nã unũquodq; quatenus resistit, eatenus nõ patitur. Demùm si resistere esset pati, id quod maximè esset aptum pati, maximè resisteret, quod falsũ est, materia enim cum maximè sit apta pati, nihil resistit. At dicebatur, quod opponitur agenti, patitur. Dico, quod opponitur agenti recipiendo eius actionem, patitur; at non quod repellit eam.

*Euersio.*

*Opinio 3.* Tertia opinio est quorundam, dicentium resistentiam esse Qualitatem de secunda specie, nam pro secunda specie Qualitatis numeratur potentia & impotentia; resistentia est impotentia ad patiendum, & potentia ad obsistendum. *Euersio.* Quæ opinio etiam non est vera, quia aliud est loqui de actu secũdo, aliud de primo. potentia & impotentia sunt formæ, & primi actus, dubitatio est de actu secundo, prodeunte ex primo, aliud est loqui de principio, ex quo prodit resistentiã, & loqui de actu resistentiæ.

*Opinio 4.* Ideò inquiunt alij, Resistere dupliciter vsurpari, uel pro resistentia Animalium, vel pro ea inanimorum. Resistentia Animalium denotat nixum, conatum, & intentionẽ neruorum, ac musculorum, quæ actio est. Resistentia verò inanimorum nil aliud est nisi potentia vel impotentia ad patiendũ, pertinens ad secundam speciem Qualitatis. *Euersio.* Hæc opinio leuissima est, primò, quia uterque ille resistendi modus, cùm Animalibus, tum inanimis competit. Veluti dum ignis suo calore actionem frigoris repellit, tunc non secus ac Animal intentis neruis suo contrario resistit. Similiter in uiuentibus repellitur potentia, & impotentia ad patiendum, ueluti Animaliũ ea quæ sunt densioris cutis magis lædentibus, & aeri ambienti resistunt. Insuper, vt dixi, dubitatio est de actu secundo, non de facultate, & actu primo.

## *Quid sit resistentia, Opinio propria. Cap. XVIII.*

VT pateat quid sit resistentia, accipiendum primò Resistentiam vel attinere ad animam, vel ad corpora. Resistentia ad animam pertinens, vel attinet ad cognitionem, vel ad actionem; si ad cognitionem, ita aduersis rationib. disputãdo resistimus opinioni alterius; si ad actionẽ, per hanc dicimur & tentationibus, constãtia resistere, & duro cor de inspirationib. Si resistentia attinet ad corpora, ea vel est spiritalis, vel materiata; si spiritalis, ita dicimus opacum resistere radijs lucidi, & actionibus visibilium; si materiata, ea est triplex. Prima est resistentia sumpta pro repugnantia ex natura, & conditione rei, ob quam resistẽtiam dicimus lapidem in vacuo non moueri momento, quia repugnat, vt idem corpus simul sit in locis distinctis, & in eodẽ loco simul sit principium, mediũ, & finis eius; hoc resistentiæ genus a nonnullis conceditur, ab alijs reijcitur, qua de re disserui in consideratione motus grauiũ, & leuiũ: at quia hæc non propriè est resistentia, nec ad rem facit, ideò dimittitur. Altera resistentia competens corporibus natura constantibus, ea est, quæ consurgit ex qualitatibus rectè subiectum disponentibus, pro repellenda actione agentis, veluti durum dicitur resistere secanti; Tertium genus resistentiæ consurgit ex actione qualitatis repellẽtis, vel minuentis contrariũ suum, secunda dici potest resistentia priuatiua, hoc est minuens actionem agentis, vel penitùs illam repellens, altera positiua, hoc est minuens vires agentis. Secunda potest seruari sine eo quod agens repatiatur, tertia nequaquã, ideò secunda locum habet in motu Cœli, non tertia; Secunda magis propriè, tertia minus dicitur resistentia. Exemplum vtriusq; est Miles, lorica, & Clipeo inimico resistit, resistentia secundi generis, ense verò ei resistit, minuendo vires illius, resistentia tertij generis. Et cũ multiplex sit resistentia, hi soli duo postremi modi sunt præsentis considerationis, nam cæteræ sunt resistentiæ per Metaphoram dictæ. Insuper, secundò considerandũ est, reb. per naturã duo competere, primum, vt se pro facultate tueantur; alterũ, vt simile procreent. Ob primũ resistunt aduersis, ob alterum agunt in ea, & quamuis agendo aliquando resistant, & resistendo etiã agant, tamen semper distinguũtur ratione, & instituto. At quæritur, quid primò, & præsertim forma expectat, num resistere & se conseruare, vel agere, & procreare simile? Cui difficultati breuibus respondẽs, dico, institutũ esse duplex, vel vniuersæ naturæ, uel naturæ propriæ; si inspicimus naturã vniuersam, per hãc forma vt directa ab vniuersa natura, & pars eius, primò expetit finem cõmunem, vlteriorem, & præstantiorem, nempè procreare simile, & conseruare speciẽ, at per appetitum, & institutum proprium, expetit finem, & bonum propriũ, nempè salutem, & conseruationem sui. Accipio tertiò, resistentiã, vel secundo, vel tertio modo sumptam, semper ortum ducere ex aliquo actu, id.n. quod penitùs est potestate, & quatenus est potestate, non resistit, vt patet de prima materia, & iure profectò, resistere.n. est pugnare, opponi, aduersari, repellere, quod non ex potestate, sed ex aliquo actu ortum ducit. His præassumptis, dum quæritur quid sit resistentia? Dico resistentiã omnem, vel secundo, vel tertio modo sumptam, pro absoluto esse actionem, differre tamen ab ea ratione, & instituto. Quod sit actio, patet, quoniam id quod prodit ex forma, actio est; resistentia ex actu, & forma prodit; quare, &c. Insuper, resistere, opponi, & pugnare, ad actionem pertinet. Quòd sit distincta ratione, constat ex dictis, dicitur.n. resistentia, vt refertur ad suæ dispositionis conseruationẽ, vt verò refertur ad productionem simpilis, dicitur actio. Resistentia ab alijs vario modo definitur: ego ita definiendum puto. Resistentia est pugna patientis cum agente, ex oppositione prodiens, vt agentis actionem pro facultate repellat, pro suæ cõstitutionis conseruatione. Et considerandum, quòd quamuis omnis resistentia sit actio, non tamẽ contra, omnis actio est resistentia, nam resistentia præsupponit

*Diuisio resistentiæ.*

*Exēplum duplicis resistentiæ.*

*Rebus per naturam duo cōpetunt.*

*Quid primò expetatur.*

*Resistentia oritur ex actu.*

*Resolutio principalis difficultatis.*

*Definitio.*

supponit semper quandam antecedentem actionem, quæ antecedens actio, resistentia non est, adeò ut resistentia sub ratione resistentiæ dicatur posterior origine, non tempore, actione principali, cuius est resistentia.

## *Dubia aduersus ea, quæ de Resistentia dicta sunt. Cap. XIX.*

*Proponuntur dubia.*

VT ea, quę de resistētia dicta sunt, clatiora reddātur, difficultates nõnulle è medio tollēdę sunt. Quęritur primò, cū resistētiā sit actio, nū Qualitates quantū agunt, tantū resistāt? Dubitatur secūdò, quia si resistētia esset actio, tunc vel daretur agens sine patiēte, vel Intelligentiæ mouētes Cęlū, paterentur: cōsequentia deducitur, quia Cęlū cū moueatur certa quadā, & definita velocitate, etiā dicitur resistere, quę resistētia si est actio, vel caret patiente, vel intelligentia patietur, cum aliud pro patiente assignari non possit. Preterea, omnis actio prodit ex potentia agente, potentia agēs est principiū transmutādi aliud; at resistens non permutat aliud, sed impedit, ne permutetur ab alio. Pro solutione harum, & consimilium difficultatum, considerandū primò est, actiones, & resistentias per nouem pręsertim uariari posse. Primò, per varietatem naturæ Qualitatis, veluti calor maximè agit, humor minus, pro sui similis productione. Secundò, variari possunt per varietatem extensionis, nam maius vehemen

*Actiones & resistentias per nouē variari cōtingit, &*

1. tiùs agit, & resistit. Tertiò, per varietatem rari, & densi. Quartò, per varietatem mo
2. ti, & quiescentis, ut aqua calida agitata digito magis calefacit. Quintò per uarieta-
3. tem temporis, nam longiori tempore maior fit actio. Sextò, per coniunctionem vel
4. secretionem partium agentis, partes enim iūctę potētiùs operantur. Septimò, per va-
5. rietatem distantiæ agentis, & patientis. Octauo per varietatem medij. Nonò, per ua-
6.
7. rietatem Qualitatum connexarum. Considerandum secundò, Qualitates quo sunt
8. pręstantiores, magisque præseferentes formā, eo magis agete ꝓ sui similis productio-
9. ne, hoc enim principalissimum est, & naturę maximè consentaneum, minus autem di

*Qualitates præstantiores magis agunt pro sui ꝓpagatione.*

sponunt Subiectum pro sui conseruatione, & hoc patet primò de calido, secundò de frigido. Ex aduerso, Qualitates quo magis sunt materiatę, ut humiditas, & siccitas, quæ relatæ ad reliquas, gerunt materię vices, eo magis agūnt, & disponunt Subiectū pro sui conseruatione. His præassumptis, me conferens ad difficultatum solutionem, quęrebatur primò, num Qualitas quantum agit, tantum resistat? Respondeo, Qualitas quantum agit pro sui conseruatione, tantum resistit, non autem quantū agit pro similis productione, vel quod idem est, Qualitas quantum agit priuatione, tantum resistit, non quantum agit positiue, tantum resistit priuatiuè, ita seruatur Qualitatum quasdam magis agere, quàm resistere, alias minus. Instabatur secundò, quia si resistentia esset actio, uel daretur agens sine patiente, uel intelligentiæ mouentes Cęlum paterentur. Respondeo, ea quæ dixi, præsertim, & propriè debere intelligi de actione primarum Qualitatum, de qua est sermo. Addo secundò, Cœlum esse Corpus actu, & resistere per actum suum, quæ tamen cum non sit per contrarietatem, non est propria resistentia, sed solùm latè sumpta, non enim Cœlum mobile formam includit motori oppositam. Dico tertiò, eam latè sumptam resistentiam, esse actionem quandam priuatiuam, quatenus per eam minuitur uelocitas motus, & cōseruatur resistens in sua constitutione. Instabatur tertiò, quia agens est principium transmutandi aliud. Respondeo, agens definitur per esse principium motus, uel quietis, ita natura terræ est principium efficiens quietis eius. Resistentia Cœli, est actio; primò ut minuens actionem; secundo vt seruans in parte suam dispositionem. Definitio tamen principij efficientis primò, & propriè de principali intelligi debet, de resistentia Cœli non propriè, cum etiam non sit propriè actio.

*Nū Qualitas quantum agit, tantùm resistat.*

*Solutio 2.*

*Solutio 3.*

An

## *An omne agens agendo repatiatur.* Cap. XX.

SÆpè asseritur ab Arist. motores Physicos, quorũ cõmunis est materiã, mouendo moueri, agendo repati, veluti in secundo Phys. 71. & 73. in tertio Phys. 8. in primo de Ortu, & inter. 53. & 54. in quarto de Gen. Anim. c. 3. & alibi. Quę sententia quoniã per varias instantias redditur obscura, ideò pro eius elucidatione ꝓponitur consideranda. Qua de re disputaturus, explicabo primò attinẽtia ad notitiã difficultatis. Referã secũdò opiniones nõnullas. Tertiò opinionẽ meam patefaciã. Demùm dubia soluã. *Ordo seruandus.* Pro notitia propositę difficultatis, accipio primò Actionis nomẽ quadrupliciter vsurpari, *Actionis nomẽ quadrupliciter usurpatur.* primò, vt actio contradistinguitur ab affectione, ex Sexto Moralium Nicomachiorum; secundo, ut dicitur de actione Qualitatum ad tertiam speciem attinentium, constituente alterationem; tertiò, vt extenditur ad omnem materiatum motũ, & mutationem, quartò, ut etiam extenditur ad actiones spiritales, quas Philosophus in secundo de Anima, 57. perfectiones nuncupat. Nomen actionis in hac difficultate non in prima, nec in quarta significatione usurpatur, non enim ad rem faciunt, sed in secunda & tertia, in qua significatione à Philosopho ea sententia profertur: agẽs agẽdo repati. *Aliud moueri & cõtramoueri.* Accipio secundò, aliud esse motorem moueri, & contramoueri, nam motor corporeus non mouet nisi moueatur, non tamen semper contramouetur ab eo qđ mouet, ut patet de Cœlo mouente mortalia. Addo tertiò, motorem esse duplicẽ, vnũ proximum, alterum remotum. *Motor duplex.* Dubitatio est de proximo, qui etiam est duplex, uel secundũ se, vel ex accidenti; Dubitatio est de motore secundũ se, nã ea sunt cõsiderãda, quæ sunt secũdũ se. Dico quartò, motorẽ proximũ & secundum se, vel habere eũ mobili communem materiam, vel non, quod non habet cõmunem materiam non repatitur. *Conclusio.* Dubitatio itaque est, an omne mouens proximum & secundũ se, habens materiam communem, dum mouet motu materiato & corporeo, necessariò contramoueatur? *Dubia.* Ea quæ pręcipuè sententiam hanc reddunt dubiam, hęc sunt. Primò cœlestes orbes communem inter se habent materiam, & tamen superior mouens inferiorẽ nõ contramouetur. Prætereà, si mouens contramoueretur, hęc sequerentur absurda, primò actio prodiret ex proportione minoris inęqualitatis, quod aduersatur Arist. in septimo Phys. & idem relatum ad idem, superaret, & superaretur. Insuper idem moueretur motibus contrarijs, nempè medium, & extremæ partes mouentis. Præterea, agens nunquam posset reddere sibi simile patiens, quia si repateretur, remitteretur, & redderetur debilius; Tertiò experimenta uaria uidentur oppositum patefacere: primò augens nõ augetur; ferens non fertur; proijciens non proijcitur; Lapis Herculeus trahens ferrum, nõ trahitur; interficiens, non interficitur; generans, non gignitur; gutta vini, & scintilla Ignis patiũtur à magna aquæ portione, & nõ agunt. Insuper, agens valens operari per distantiam quattuor pedum, non repatitur ab eo, quod solùm per distantiam duorum pedũ operari valet, dum magis quàm per duos pedes distant. Demùm dubitatur, quia dictum est sententiam non esse veram de agente spiritali, & de eo quod non habet communem materiam; At de actione spiritali inquit Pomponatius, oculus unus videt alterum, & ècontrario, uidetur ab eo, manus una frigida iudicat alteram calidam, & iudicatur ab ea; duo amici mutuò occursu inuicem se lætitia afficiunt; Lupus videns agnum lætatur, & uice uersa, tristatur agnus. Addit Ludou. Boccaf. Per speculum oculus dexter uidet sinistrum, & uice uersa, ab eo uidetur, Addo ego, radios spiritales, necnon spiritale actiones visibilium ab opaco repati, & repercuti. Demùm quòd sit uerum esse de his, quæ non habent communem materiam, ita ostendo: omnis Resistentia est Reactio: omnis motus est cum Resistentia: quare omnis motus est cum Reactione. Maior patet ex declaratis in præcedentibus.

## *An agens repatiatur, Opiniones aliorum.* *Cap. XXI.*

*Opinio Calculatoris.* DE proposita difficultate variæ ſunt opiniones, ego principaliores referam. Calculator, cui veteres accuratam nauabant operam, varijs Concluſionibus difficultati reſpondebat, quarum duæ potiores hæ ſunt; Datur Reactio in Qualitatibus alterantibus, non per eandem contrarietatem, ſed per diſtinctam, vt ignis agens in aquam per calorem, repatitur per humorem. Inſuper, ſi Reactio appareat per eãdem contrarietatem, id vel eſt ex accidenti, vel non per eaſdem partes agentis & patientis: ex accidenti quatenus Ignis agens in Aquam per calorẽ, repatitur per humorem, quem ſequitur remiſſio caloris. *Euerſio.* Hæc opinio aduerſatur experientiæ, rationi, & auctoritati. Primo experientiæ, inſpicimus.n. dum aqua feruens cum frigida miſcetur, quæ ſolo calore, & frigore opponuntur, vtráſq; partes remitti, contẽperari, & ad mediocritatem redigi, quare datur Reactio per eandem contrarietatem, eaſdem partes, & ſecundum ſe. Similiter, dum manus duæ vna frigida, altera calida inuicem agunt, & ſe contemperant. Aduerſatur rationi: quia contrarium per naturam, & ſecundum ſe in ſuum contrarium dum fuerit præſens, operatur, omne.n. agens agit in contrarium, & a contrario patitur. Præterea, quotieſcunq; duo inuicem agunt, non per eandem cõtrarietatem, vel partem, non dicuntur agendo repati, dum.n. dicimus agens repati, indicamus idipſum repati, quod agit, & per eandem formam, & præſertim, quia dum paſſio non eſt a contrario, dicitur ex accidenti, vt patet ex 1. Phyſ. 74. Similiter dum eſt per partem, id autem quod eſt ex accidente, nõ includitur in regulis; Et confirmatur: quia quamuis Cęli (vt ait Simplicius:) mutuo ſibi munera impartiantur, non ob id repati dicuntur. Demum, aduerſatur auctoritati: nam inquit Ariſt. in 4. de Gener. Anim. c. 3. Cauſa vt motus ſoluatur eſt, quia omne agens patitur a patiente, vt quod ſecat, hebetatur ab eo quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur a calefcente, denique omne mouens, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu, vt quod pellit, pellitur quodãmodo, quod premit; premitur; interdum etiam fit, vt quod agit, magis patiatur, quã agat, & refrigeretur quod calefacit, calefcat quod refrigerat, &c. Conſpicue Philoſophus per eandem contrarietatem, & partes concedit Reactionem quod patet in agentibus, & patientibus vna ſola contrarietate oppoſitis, vt aere, & igne, quæ ſecundum omnem partem ſe mutuó remittunt.

*2. Opinio.* Altera opinio Celebris eſt Marſilij, Pauli Veneti, Alberti de Saxonia, Caietani, Iacobi Foroliuienſis, & multorum aliorum, qui inquiunt, quattuor primas Qualitates non æque agere, & reſiſtere, ſed ordinem actionis opponi ordini reſiſtentiæ, calor enim maxime agit. *Diſſenſio.* Secundo, frigus, tertio, humor, quarto, ſiccitas. De reſiſtentia contra ſe habet: nam ſiccitas maxime reſiſtit, ſecundo, humor, tertio, frigus, quarto, calor. Hi de hoc primo fundamento conſentiunt, diſſentiunt autem, quatenus quidam aiunt, Qualitatem omnem magis agere, quam reſiſtere, alij id negant, & inquiunt, duas magis reſiſtere, quam agere, nempe ſiccitatem, & humiditatem, reliquas magis agere, quam reſiſtere, & latitudinem reſiſtentiæ æquari latitudini actionis: addunt id natura factum fuiſſe ob recompenſationem; vt ſi quid cito ageret, & reficeretur, cito etiam ob exiguam reſiſtentiam periret. Hinc aiunt Medici, deterius eſſe, labi in ſiccitatem, quam humiditatem, quia ſiccitas ob reſiſtentiam, cum difficultate vincitur & contemperatur. His iactis fundamentis, reſpondentes difficultati, inquiunt, actionem ſemper prodire ex proportione maioris inæqualitatis uirtutis agentis, ad reſiſtentiã: ita ignis quamuis maxime agat, tamen repatitur, quia parum reſiſtit, at ſi efficiens aliquando ita ſuperat patiens reſiſtẽdó, vt agendo, tunc agendo non repatitur. *Euerſio.* Hæc etiam opinio approbanda non videtur, primo, quia non ſeruat regulam Ariſt. vniuerſalem, quod omne agens proximum habens materiam communem, repatiatur, veluti dum ſuperat actione, & reſiſtentia. Ariſtot. autem

eam profert vniuersalem, & quod ita intelligi debeat ostēditur, quia inquit in quarto de Gen. Animalium, cap. 3. motum ob id solui, quia agens repatitur, at hoc est commune omnibus. Prætereà per eam opinionem passio cum resistentia confunditur, & quod pertinet ad materiam, tribuitur formæ: omnis actio prodit ex forma, passio verò ex materia: ideò si patiens patitur, id non habet ex una, uel altera Qualitate, sed ex materia. Hinc Arist. in cōt. 55. primi de Ortu, & interitu, dixit, Si Qualitates essent a materia solutæ, non paterentur. Et in cōt. 43. asseruit, nisi essent ex uno omnia, hoc est, ni si haberent communem materiam, non inuicem agerent, & paterentur. Prætereà experientia cōstat, sæpè agens non superare resistentiā, & tamen agere pro facultate, ut si niteret euellere columnam, vel prosternere pinum, agerem profectò, at non superarem. Prætereà, asserere omnium quatuor primarum Qualitatum resistentiam esse minorem actione, aduersatur sensibus, multa enim sicca inueniuntur obscurè agentia, & vehementer resistentia, vt ferrum, Adamas, & similia. Si dicimus cum alijs, latitudinem resistentiæ æquari latitudini actionis, præter id quod (vt dixi) experientiæ aduersamur, etiam in maiora labimur absurda. Primò sequetur, quòd cum siccitas sit summè resistens, humiditas non summè agens, siccitas per nullam humiditatē vincetur, neque etiam si esset summè agens, quoniam nunquam superaret resistentiam summā, æqualem summę actionis. Similiter contra, cum humor ex horum sententia magis resistat, quàm agat, & magis agat, quàm siccitas; sequitur, ut magis resistat quàm siccitas, & propterea à sicco nunquam poterit permutari, & pati, quod experientiæ aduersatur. Neque absolutè dicendum, Qualitatum duas magis agere, duas magis resistere, sed considerando actionem pro sui conseruatione, dicendum est, omnes æquè agere, & resistere. Insuper addendum, resistentia priuatiua siccum, & humidum, positiua verò, calidum, & frigidum magis resistere.

## *De Reactione, Opinio propria. Cap. XXII.*

CVm relatæ opiniones apparuerint minus ueræ, prætermissa aliarum opinionum relatione, dico cū Arist. in 3. Phys. 8. nec non in primo de Ortu, & interitu, 77. Composita agentia, & patientia, ex duobus constare, ex forma nimirum & materia, siue ex actu, & potentia, eaque per formam, & actum agere; per materiam, & potentiam pati; nec aliam prænter hanc esse assignandam rationem, cur agantur, & patiantur. *Primum assumptū.* Addo secundò, quòd aliud est agere, aliud uincere, & superare. Similiter, aliud est pati, aliud vinci, & superari, unumquodque per formam aptum est agere, si fuerit forma agens, & per materiam aptum est pati, non tamen unumquodque est aptum aliud uincere, & superare, nisi adsit ratio maioris inæqualitatis; sic etiam formica agit in columnam, quamuis eam non superet, nunquam forma remouet passionem à materia, sed solam ualet remouere uictoriam. *Alterum assumptū.* Pro huius confirmatione locus est pulcherrimus in undecima parte Prob. 28. quærit Philosophus, cur quædam obstrepunt, mouenturque subitò, ut Archæ, quæ nullo mouente, quod sensu percipiatur, crepant? sic Aere insensibili omnia corrumpuntur, quæ tempore pereunt? An simile est hoc guttis, & lapidibus, quas Plantæ emergentes attollunt: nam ab insensibili actio sensibilis prodit, adeò vt fateatur Arist. quoduis forma præditum posse agere in quoduis præditum materia, non tamen semper uincere: ac ita explicatur eius sententia, dum inquit, mouēs debere vincere, ut legitur in secundo Phys. & in quarto Meteorum, cont. 10. *Sententia Aristot.* Confirmatur idipsum per Aristotelem in calce primi de Ortu, & interitu, 89. dicentem: Quando miscibilia potestatib. æquātur quodāmodo, tūc trāsmutatur vtrūq; in dominās sui ipsius natura, nec fit alterum, sed intermedium, & commune, adeò ut quamuis alterum uincat, tamē ipsum quoque patitur ratione suæ materiæ. Accipio tertiò, actionem agentis esse dupli- *Aßumptū tertium.*

cem, vnam primam, alteram secundam, sequentem primam, vt Sol illuminat, & calefacit; Cœlum mouet, & calefacit; Torpedo agitat Rete, & stupore afficit manum piscatoris; Dum dicimus agens non agere in extremum, nisi agat in medium, ac insuper agendo repati, id verum est, & intelligi debet de actione prima, non de sequente primam, quia secunda actio non sequitur primam, nisi in Subiecto apto ad eam recipiendam. Addo insuper, actionem primam semper esse, vel lationem, vel alterationem, nam cæteræ semper has præsupponunt. Ideò Plato in Parmenide, & post Platonem Galenus, duos dixere esse motus, lationem, & alterationem, nam considerantur simplices, & ideò in his consideratur Reactio, non in alijs. Considero demum, quòd cum dicatur siccum maxime resistere resistentia priuatiua, id non omni ex parte verum esse: nam priuatio minus resistit formæ, quàm forma priuationi: siccitas comparata cum humore obtinet locum priuationis, quare minus resistit. Confirmatur experientia, nam linum siccum citò, & facilè mersum in aqua humectatur, non autem ita facilè, cum fuerit humectatum, desiccatur; quod si multa sicca diu seruantur illæsa, id accidit, quia densa, & dura sunt, & maximè resistunt siccantis, non autem humectanti, dum humor meare potest per partes eorum. Instantia de Hectico ad rem non facit; quia non est difficile Hecticum ut siccum humectare, sed difficile est reficere, ac restaurare humorem radicalem, & viuenti consentaneum. Collige itaque, omne agens proximum, per se habens materiam communem, agendo actione corporea, ita repati, ut vel contra moueatur, vel disponatur pro opposita Qualitate, & passione.

*Quomodo duo soli motus.*

*Conclusio.*

## *Diluuntur Rationes aduersæ. Cap. XXIII.*

SVpersunt diluendæ rationes aduersæ, prima instantia sumebatur ex orbib. Cæli cōmunē inter se materiā habentib. & nō repatientibus, diluitur per tria fundamenta. Primū est in Cælo non reperiri uerā materiā, quę origo est passionis, per quā res posśūt esse & nō esse. Alterum est, quod etiā considerādo materiā cōpetente orbib. Cœli, illā non penitùs & vniuocè est eadē, sed solum ordine quodam, & ab vno. Tertiū est, quòd ueram non puto cōmunem sententiam, orbes inferiores duci, & rapi à superiorib. vt loquens de Cęlo patefeci: sed intelligentia probria Orbis, vt cupiens assimilari superiori motori, mouet motu consimili ei, quo mouet superior. Instabatur secundò, ducendo ad uaria absurda, & primò, quia prodiret actio ex proportione minoris inæqualitatis. Respondeo, actio cum uictoria exposcit maiorem inæqualitatem: at sine victoria eā non exposcit. Sat enim est conditio patientis, ex materia, & potentia prodiens. At instatur: quia etiam potentius aliquando à debiliore superatur, ut lapis à gutta. Respondeo, dum id accidit, non esse comparādam guttam vnā cum lapide, sed guttas omnes singulatim cadentes cum eo, ita.n. ex multis modicis fit unum satis. Hoc in loco considerandum est, quòd Galenus in quinto de Simplicium medicamentorum facultat. c. 5. inquit; quæ à frigore pariter, & siccitate induruere, ea excalefacere pariter, & madefacere expedit, nam sicut opus mouētiā, calore, & humiditate secūdum naturam cōtemperatis, sed tanto expedit medicamen esse calidius, quanto exuperauit frigiditas, tantoque humidius, quanto & uicit siccitas: Ita Galenus inquit medelam debere fieri per contrariū æquale secundū gradū; Nonnulli damnant Galenū, dicentes deberi fieri per cōtrariū potētius, quia ab æquali nō prodit actio. Sed errant; quia ab æquali prodit actio cum temperamento, ut dixit Aristoteles in primo de Ortu, & interitu, 89. imò nedum ab æquali, sed etiam à minori actio prodit, ut patuit; Sententia est Auerrois in quarto Meteorum, cont. 10. Si Elementa haberent Qualitates summas, non temperarentur, & admiscerentur, nam si potentiæ essent æquales, non

*De Cælorū actione.*

*Solutio 2.*

*Galenus.*

*Euersio quorundā.*

ageret una in alteram sibi parem. Laborarunt asseclæ Auerrois prò eo defendendo, Dixit Zimara eam sententiam debere intelligi de æqualitate, non in gradu, sed in actione, & resistentia. Quæ explicatio uera non est. Primò, quia etiam dum resistentia est maior, agens repatitur. Secundò, quia Auerroes eo loci non de resistentia, sed de gradu Qualitatum loquitur, nam inquit non inueniri in Elementis duas Qualitates in fine, Qualitas dicitur in fine, dum est in gradu supremo. Confirmatur: quia Auerr. caliditatem aeris negat esse in fine, sed eam ignis, id ipsum de humore aeris, & aquæ, affirmat: similiter, siccitatem ignis negat esse in fine, cum tamen asseclæ eius asserant summè resistere. Quare dicendum absolutè puto, sententiam Auerrois ueram non esse. Addo, errorem prodijsse ex deprauatione sui contextus, cum enim Aristoteles dicat, Nec putrescit id quod congelatum est, nam magis frigidum est, quàm aer calidus, ideò non uincitur, id autem quod mouet, uincit &c. Verba contextus Auerrois hæc sunt. Et frigiditas aquæ est maior quàm calor aeris; & intensior, ideò admiscetur aer cum aqua, & temperatur: at si essent pares; & æquè potentes, ac æquarentur, non admiscerentur, nec temperarentur, &c. ob hæc deprauata uerba fuit coactus Auerroes errare, & id non fecit sine suspicione erroris, ideò in principio sui Com. dixit, & ult dicere ut mihi uidetur, &c. indicãs se dubium. Deducebatur ad aliud absurdum, quia idem moueretur motibus contrarijs, inquiunt nonnulli ea contraria recipi in medio, non intrinsecùs, sed satis extrinsecùs, ideò ut ea quæ spiritaliter deferũtur per mediũ, possunt esse in eadem parte medij, ita & hæc. Quæ solutio est falsa: quia accidentia necessariò sunt in Subiecto; in eodem autẽ Subiecto, nullo modo possunt inesse contraria. Quare dicamus, in Reactione Qualitates contrarias, vel recipi in distincta parte medij, vel si in eadem parte recipiuntur, in ea recipiuntur cum remissione, & de his se habet, ut de aere agitato a contrarijs ventis. Addebatur insuper quòd agens nũquam redderet patiens sibi simile. Respondeo, id non sequi; tum quia agens non semper superatur, & remittitur in gradu, sed frequenter solùm disponitur: tũ insuper, quia quãuis partes proximę patienti remittantur, tamen a distantioribus, & connexis reficiuntur. Instabatur tertiò, quia augens non augetur, ferens non fertur, generans non generatur. Patet responsio, per id quod dixi ueram esse sententiam de motu primo, non de consequente, ferens deferendo & eleuando onus, deprimitur ab onere: generans per Qualitates alterantes, repatitur per eas. Afferebatur instantia de scintilla ignis, & gutta uini in mare proiecta; Philoponus com. 135. primi de Ortu, & interitu, & cum eo Ludouicus Boccaf. aiunt, non agere ob paruitatem. At contra ita non seruant regulam uniuersalẽ; Insuper aduersantur Aristoteli dicenti, etiam ab insensibilibus inferri passionem. Quare dicamus, ea exigua parùm, & insensibiliter agere, & nisi remittant, saltem in parte disponunt partes proximas, quas tangunt. Afferebatur instantia de agente per distantiam quatuor pedum in patiens, ualens agere solùm per distantiam duorum. Respondeo, actionem, & repassionem seruari, & considerari in ea parte medij per quam fit contactus, omne enim agens agit per contactum. Insuper instabatur, quia Lapis Herculeus trahit ferrũ, & nõ repatitur, Ambra similiter trahit paleas. Respondet Lud. Boccaf. eos lapides spiritaliter operari, ideò non repati; Idipsum uidetur dicere Alexander secundo nat. qq. c. 24. inquit. n. Herculeum lapidem ad se trahere ferrum, ut Obiectum optabile. Hęc solutio non est approbanda, tum quia actio spiritalis nõ efficit per se motum corporeũ, qualis. n. est actio, talis est motus ex ea prodiens, tũ insuper, quia nil in eis assignari põt, quod spiritaliter agat, nec apparet, quænam sit ea spiritalis actio. Dicamus itaque, lapidem operari per formam suæ substantiæ, ut per principiũ effectionis, per temperamentũ, & Qualitates alterãtes, ut per instrumentum, quæ cum alterent medium, & ferrum, etiam repatiuntur, & sensim minuũtur: hinc ferrum magnum, uel nimium distans, non ualet trahere, & si alio lapis illiniatur, quia permutatur temperamentum, non trahit ferrum. Instabatur deinde, quia etiam de actione spiritali regula uidetur uera. Pro solutione animaduertendum

*Sententia Auerr. nõ vera.*

*Vitatur aliud absurdum.*

*Aliud absurdum uitatur.*

*Diluitur 3. instantia.*

*Philoponus. Lud. Bocc.*

*Instantia de Lapide Herculeo.*

*De actione spiritali.*

in actione spiritalia tria considerari posse, primò motionē factam ab Obiecto, secundò iudicium Obiecti, tertiò affectionem ex Iudicio prodeuntem. Si consideramus motionem factam ab Obiecto per actionem spiritalem, in ea reperitur nō propria repassio à contrario, sed sola repercussio, ita radij solis, & actiones rerum visibilium à speculo repercutiuntur, hęc solùm ferunt imaginem repassionis, quatenus percutiendo repercutiuntur, vt pila à pariete, non tamen ita repatiuntur, ut lucidum obscuretur, albū denigretur. Secundò, si cōsideramus iudicium, in eo non est repassio, quia est sola perfectio, non transmutatio cum materia. Si consideramus affectiones sequentes iudicium, ita iudicia varia, rerum variarum, vel conuenientium, uel aduersarum, variæ in uarijs sequuntur affectiones sine ulla connexione, & repassione, non.n. lætitia unius agens in aliud, reparitur, & minuitur, & sic de cæteris. Dubitabatur demùm, quia omnis Resistentia est Reactio, omnis motus est cum Resistentia, igitur omnis est cum Reactione;

*Diluitur postrema instantia.* Respondeo, omnem motum esse cum Reactione uel positiua, qua patitur mouens, uel priuatiua, qua minuitur actio eius, & in tempore efficitur: regula est de repassione agentis, non de diminutione actionis.

*Dubitatio de Elementis.* Sed pulchra est dubitatio de Elementis, quæ cum moueantur & agant in medium, nedum agendo non repatiuntur, & minuuntur, uerùm potentia perficiuntur, & crescit eorum uis, ob quam quo diutiùs mouentur, eo feruntur velociùs.

*Solutio.* Respondeo, in motu grauium considerari Reactionē quatenus grauia, & leuia agendo in medium, ita repatiuntur, ut minuatur uelocitas motus, & quo medium fuerit densius, eo magis minuatur, & id quod mouet diuidendo medium, etiam repatitur, quod si eueniat, ut motus reddatur uelocior, idest ex accidenti, uel quia quò magis mouentur grauia, & leuia, eo uehementiùs à tergo repellantur, uel quia per accessum ad suum locum extrinsecùs, modo aliquo perficiuntur.

## *Quomodo per actionem efficientis gignatur compositum, & educatur forma, opiniones aliorum. Cap. XXIIII.*

QVoniam agens propterea agit, vt formam educat, quæ est finis motus, & cōpositum constituat, ideò, ut cōsiderationi actionis cōgruentē imponamus finem, de hoc eius fine tenemur verba facere, de quo non leuis est dubitatio. Pro cuius notitia considerandū primò, quinque præsertim esse modos generationis rerum.

*Quinque modi generationis.*
1. Primus est per cōmunicationē quo dicimus Deū patrē, generare filium, & ambos simul spirare spiri
2. tum sanctum. Alter est per creationem, quo ex nihilo nouum aliquid fit. Tertius per
3. spiritalem propagationem, & imitationē, quo ait Philosophus in 3. de Anima, Homi
4. 5. nem per Animam fieri omnia. Quartus per Physicam generationem. Quintus per generationē artificiosam, & violentam.

De primis tribus non est sermo, non enim sunt præsentis considerationis, sed de reliquis, & præsertim de generatione Physica agendum est.

*De generatione Physica.* De qua opiniones veterum variæ fuerunt, non enim apparet quomodo forma, quæ non præfuit, ex non esse transferatur ad esse, ideò dixere nonnulli, ut Democritus, Leucippus, & Epicurus, generationem, & interitum nil esse aliud, nisi connexionem atomorum & seiunctionem. Vel ut Empedocles existimauit, connexionem & secretionem quatuor Elementorum. Alij asseruerūt, ut Anaxagoras, latere formas rerum in Chao, & materia, & per causam efficientem in apertum deduci, ac latentes manifestari. Tertiò putarunt alij, ut Thales Milesius, Diogenes, Heraclitus, & similes, generationem, & interitum nil esse aliud, nisi condensationem, & rarefactionem eius Elementi, quod commune principium constituerunt. Quæ tres opiniones ut à Platone primò, mox ab Aristotele reiectæ, prætermittantur.

*Opinio Platonis.* Quarta opinio fuit Platonis, qui admirabili quadam serie cuncta ex Deo prodire existimauit, insolubilique catena inuicem ligari, & in Deum redire, constituit enim pro rerum gradibus

sub

sub Deò Mentem, sub Mente Animam, sub Anima Naturam, sub Natura materiam. Menti tribuit Ideas, Animæ Rationes, Naturæ Semina, Materiæ Imitationes, Vmbras, & participationes Idearum, adeò ut agens permutando materiam, munere seminum, imitatione quadam, & quasi vmbra, proprię Ideę materia formetur, ac perficiatur: ita in libro, de Ortu, & interitu inquit Philoponus, formas induci ab Vniuersi opificio, hoc est, à serie communium causarum per causas proprias ad opus proprium contractarum. Hæc non est creatio, quia fit per semina, & cum permutatione materiæ. Cui opinioni in parte similis est opinio Auicennæ, & eorum qui ab Intelligentia infima, quam largitricem formarum appellant, formas infundi asseruerunt, non tamen sine permutatione materiæ, & proprij seminibus, siue dispositionibus. *Opinio Auicennæ.*

Quæ sententiæ dubiæ sunt: nam ordo ille Idearum, & rationum reijcitur ab Aristotele: ea Intelligentia, quæ formas infundat, nullibi ab eo ponitur, quæ si darentur adhuc sententia esset dubia, quia forma, quæ producitur, est distinctæ essentię ab Idea, & ab intelligentia, cum una sit æterna, & abiuncta, altera materiata, & materialis, adeo, ut adhuc remaneat eadem dubitatio quomodo ea forma ex nihilo sui fiat. *Euersio.* Præterea, per huiusmodi opiniones euertitur conditio propriorum efficientium, quæ est, vt simile producant, ita enim nil mortalium generaret, sed solùm pro sui similis productione disponeret, ideò rectè in septimo Metaphysicæ, inquit Auerroes idem esse agens disponens, & inducens formam, ut enim agens per accidentia ualet disponere, ita per formam propriam ualet simile generare. Propterea dixere alij, reperiri in materia inchoationes, & tanquam rudimenta quædam omnium formarum, ne fiant ex nihilo, quæ mox ab agente postrema perfectione donarentur. *Opinio alia.* Quæ etiam opinio est dubia: nam in secundo libro de Materia, inchoationes reieci, & iure profectò, quia inchoatio est quidam gradus formæ, at non omnis forma habet gradus, & recipit magis, & minus. Præterea esto, quòd habeat gradus, illi non possunt esse gradus essentię, omnis enim essentia in indiuisibili est posita, & est ut numerus, quemadmodum in octauo Metaphysicæ, contex. 10. docet Aristoteles, quare erunt gradus existentię, & indiuiduales: in omni autem gradu existentiæ, uniuersa essentia includitur, ac ita non gignetur noua species, & in eadem materiæ parte species oppositę seruabuntur, & seruabitur species sine indiuiduis eius, quæ omnia apertè cum uero pugnant. *Euersio.* Nec defuerunt, qui eas inchoationes nil aliud esse dixerunt, nisi essentiam materiæ, adeò ut natura, & conditio materiæ ea sit, ut sit rudimentũ, & quędam inchoatio omnium formarum, quę mox ab agente perficiatur, & ob id agens ab Auerroe in 12. Metaphysicæ 18. dicitur largiri non multitudinem, sed perfectionem. *Alia aliorum opinio.* Quę sententia etiam est dubia: quia forma, & materia sunt principia adeò distincta, & distantia, necnon conditionis adeò variæ, ut unum non possit censeri inchoatio alterius, inchoatio enim eiusdem est cõditionis cum re, cuius est inchoatio. Præterea, inchoatio non recipit aliud vt Subiectum, nec ex ea cùm perfectione adueniente fit compositum, sed simplex consurgit forma; at materia recipit formam, & ex eis compositum consurgit. *Euersio.*

## *Opinio propria. Cap. XXIIII.*

VT itaque sentẽtiam, quam & veriorẽ, & Principijs Peripateticorũ magis consentaneam iudico, patefaciã, dico, pro Physica rerũ generatione tria requiri: Cõmune efficiens, Cõmune Subiectũ, & Efficiens propriũ, quod per formã propriã, Cõmune efficiens, cõmuneque Subiectum ad opus proprium contrahit; agens itaq; proprium conspirante cõmuni per primas Qualitates, vt per instrumenta permutat Subiectum, quod penitùs est potestate, & facultate, ac uirtute suæ formæ generat sibi simi- *Pro Physica generatiõe tria requiri.*

le, ad quam generationem conspirat Materia, quæ subijcitur, permutatur, & sua potentia inclinat ad formam, Conspirat Forma agentis sua virtute, & conditione, cum enim sit actus, & quædam participatio boni, conditio boni est fœcunditas, & suimet propagatio, ideò generatio dicitur opus naturalissimum, cum prodeat ex conditione naturæ, vt est participatio boni. In hac productione non calor agentis transit impatiens, non enim forma ex materia pendens, ex vna materia transit in aliam, sed calor agentis per contactum patientis, conspirante, patiente, similem generat. Hinc dicitur educi ex potestate materiæ, non quia in ea præfuerit, sed quia ab agente per Subiecti permutationem efficitur. Quod dixi de calore, intelligatur de cæteris Qualitatibus, quæ disponentes subiectum uirtute agentis, sunt tanquam semen futuræ formæ substantialis, quæ gignitur. Ita patet, quomodo generatio distinguatur a creatione, quæ non exposcit permutationem Subiecti, nec facultatem agentis proprij, & dispositionem per accidentia, tanquam per semen, adeò vt uirtute proximi agentis consimilis, educatur forma cum interitu alterius, sed absolutè ab agente primo inducitur: Forma autem per generationem dicitur fieri ex nihilo sui, at non ex nihilo absolutè, quoniam ut contradistinguitur eius generatio à creatione, pro ea requiritur materia, ex cuius potentia modo declarato educatur. Ita soluitur dubitatio, quæ Veteres turbauit, quæ erat, si Ens fit, uel fit ex Ente, uel ex non Ente, ut patet ex primo Phys. & primo de Ortu, & interitu. Ita in parte uera est sententia Philoponi in Disputatione contra Proclum, dicentis: Omne quod fit, ex nihilo fieri, quatenus forma nil sui præsupponit. Similiter in uerum sensum redigi potest sententia asserentium dari inchoationes formarum, non ponendo in materia forma corporis, ei coæternam, quæ sit inchoatio formarum, vt nonnulli existimarunt, neque in ea materia constituendo gradus formarum, sed solùm considerando potentiam materiæ, quatenus mediat, ut dixit Auer. in primo Physic. inter non esse penitùs, & esse actu: ac ita, quatenus magis ad actum accedit, quam non Ens penitùs, dici potest quædam inchoatio. Demùm in parte seruatur induci formas ab Vniuersi opificio, & a largitore formarum, quatenus forma non educitur, non conspirantibus communibus causis, essentialiter ordinatis, & non educitur nisi uirtute formæ operantis, ut est quædam participatio summi boni, & capitis eorum omnium, quæ sunt cui soli Honor & Gloria.

*Distinctio generationis à creatione.*

*Quomodo Ens fiat.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

# DE ELEMENTIS.

## LIBER DVO.

### *De Nomine & Conditionibus Elementi, Cap. I.*

ELEMENTA, ut suo ordine Mundum constituunt, sui conseruatione illum seruant, suaque ordinata partiũ uicissitudine, varietatum innumerarum sunt origo, ita sui cognitione & splendore cætera cuncta ex eis prodeuntia patefaciunt, & illustrant: & quoniam multa includunt, quę difficultatẽ pariunt, ideò in eorum cõsideratione accuratè uersari tenemur. Horũ declaraturus ego Cõditiones, Naturam, numerum, & affectiones, à nominis explicatione ordiar. Elementi nomen ex potentia Aristotelis in decimo Metaphysicæ, cont. 2. absolutum non est, sed relatum, ueluti Ignis prius est Ignis, mox dum refertur ad mixtum, dicitur mixti Elementũ, Quod etiam asseruit Auerroes tertio Cœli, 31. & approbauit Galenus in primo de Elementis, cap. 6. Insuper, cum dicatur alterius Elemẽtum, etiam dicitur prius eo cuius est Elementum, vt asseritur ab Arist. 12. Metaphysicę, cont. 19. Pro Elemẽti constitutione variæ conditiones requiruntur. Et quoniam Elementum tripliciter potest considerari, primò in genere, secundò ut Elementũ Mundi, tertiò ut Elementum mixti, ideo triplici consideratione conditiones eius assignari possunt. Dum Elementũ vniuersè & in genere consideratur, tres puto esse eius Cõditiones. Prima, ut ex eo intrinsecùs aliquid constituatur, quæ elicitur ex eius Definitione tradita ab Aristotele in quinto Metaphysicæ, cont. 4. & 3. Cœli 31. quæ est, ex quo cõponitur, siue quod inest, &c. Est Dubitatio, quia Aristoteles in primo Physicorum inter Elemẽta etiam priuationem numerat, nam in cõt. 48. Contraria constituentia terminos generationis, appellat Elementa, & ait etiam Elementa esse tria includendo priuationem, cum tamen priuatio non sit pars rei. Respondeo, Aristotelem tunc inspexisse principia per se, & nomine eis competente denotasse omnia tria. Insuper priuatio dicitur Elementum, ut partim ad materiam, partim ad formam redigitur: nam dicitur in primo Physicorum 66. eadem numero cum materia, & in secundo Physic. 14. dicitur modo vt quo forma, per se tamen priuatio Elementum non est. Altera Elementi conditio est, ut sit primum. Hanc refert Aristoteles in quarto cont. quinti Metaphysicę, inquiens: id unumquodque est Elementum, quod primum cuique inest. Hanc conditionem approbauit Galenus primo de Elementis, cap. 4. inquiens, non ob id aliquid esse Elementum, quia ex eo fiant alia, sed quia primum, & simplicissimum. Tertia conditio est, vt sit eiusdem generis cum eo cuius est Elementum. Ratio est, quia Elementum est internum principium, rem constituens, principia autem intrinsecus constituentia ad

*De nomine Elementi.*

*Cõditionis pro Elemẽti constitutione.*

*1. Cõditio.*

*Dubitatio*

*Solutio.*

*2. Cõditio.*

*3. Cõditio.*

idem

idem genus cum eo cuius sunt principia, referuntur. Hanc tertiam conditionem authoritate Alexandri 12. Metaphysicæ, cont. 10. approbauit Auerroes, inquiens: Elementum, & id cuius est Elementum, sunt eiusdem Naturæ, sed Elementum in ea natura est simplex, id cuius est Elementum est compositum. Clarius ab Aristotele, & Auerroe idipsum approbatur in eod. 12. Metaphysicæ, particula 19. dicentibus, Elementa Substantiæ esse Substantias, Relationis Relationes. Hæc tertia conditio non in ea significatione debet intelligi, in qua sumebatur a Galeno in primo de Elemētis c. 6. & 8. & in primo, de Natura Humana, c. vltimo, quibus in locis ait, ita debere esse eiusdem generis, ut solùm corpora sint Elementa corporū, & Qualitates Qualitatū, non autem incorporea corporum, adeò ut ex sententia eius materia & forma solùm debeant dici principia Physicorum corporum, non autem Elementa, & sequutus est Galenus sententiam Hippocratis, & vetustiorum Philosophorum. Ex sententia tamen Arist. & Platonis, secus est dicendū, vt patefeci in Lib. de Qualitatibus primis. Hinc Simplicius ex sententia Eudemi in procemio Physicorum, ait Platonem fuisse primum, qui interna prima principia, nuncupauit Elementa. Et Aristoteles sequutus est eum. Hæc itaque tertia conditio ita intelligi debet, vt explicatur ab Aristotele in 12. Metaphysicæ 19. dicente, Elementa Substātiæ esse Substantias, & Relationis Relationes, adeò ut ad idem Prædicamentum referantur, non autem quod cū non sint corpora, non ualeant dici Elementa corporum. Plutarchus in lib. de Placitis Philosophorum, cap. secundo, ponens discrimen inter Principium, & Elementum, ait Principium esse primum & simplex: Elementum uero compositum? Quæ sententia solùm est uera de Elementis corporeis, contradistinctis ab eorum principijs, non autē absolutè? Sed cum Elementum debeat esse eiusdem generis, dubiū est quomodo quatuor Qualitates ab Aristotele in secundo, de Ortu & interitu, cont. 3. & 16. nuncupentur Elementa simplicium corporum? Hoc explicaui in libro de Qualitatibus, ideò nō repeto. Tres Elementi conditiones profectò ueræ sunt, cum de materia prima, tū de forma, & propterea ambo nomine Elementi denotantur, præsertim tamen materia, ut existimauit Eudæmus, & cum eo Alexander, referente Simplicio in primo Physicorū, quę etiam fuit sententia Aristotelis in 7. Metaphysicæ, 6o. dicētis, Elementū esse in quod resoluitur aliquid, vt in materiam. Ratio est, quia materia est prior origine, dicitur tamen etiam de forma, ut intrinsecùs rem constituit, & prima est, & Aristoteles omnia principia prima, rem intrinsecùs constituentia, Elementa nuncupauit. Et quia forma est duplex, vna formans, altera assistēs, nomen Elementi rectè dicitur de forma formante: de assistente autē uel non dicitur, vel minus propriè, solū ad eam extendi potest Elementi nomen, dū consideratur vt pars compositi, veluti Aristoteles in secundo de Gener. Animalium, c. 3. uim seminariam ait porportione respondere Elemento Stellarum. Et Auerroes per Elementum stellarum respondens uirtuti seminariæ censuit denotari Intelligentias, quæ sunt Elementa hoc est formę quędā Cęlorum. Ex dictis elicitur solut. huius difficultatis, quę rectius sint Elementa rerū naturæ constantiū, non simplicia corpora, uel potius principia prima, cōstat .n. quod quāuis Galenus loquens secundum ueteres, neget Principia prima debere dici Elementa corporū, tamen uerè ea sunt Elementa, & rectius eo nomine denotantur, quàm simplicia corpora, cum sint prima absolutè, nam ea ut absolutè sunt prima, ita sunt absolutè Elementa, simplicia uerò corpora, nisi absolutè sunt Elementa, tum quia nō sunt prima, tum quia non sunt pura, sed uocantur Elementa ex sententia putantiū ea esse prima absolutè, ut Empedoclis, uel cum additione corporei, dicendo esse Elementa corporea, quatenus inter corpora prima sunt. Cœlum dicitur Elementum Mundi, & sub initio 3. 1. de Cœlo dicitur Elementum primum, nā Mundus ex eo principalissimè cōflatur, & est purissimū & simplicissimum, & primum omniū corporum, ideò maximè omnium corporum Elementi nomine meretur honestari. Relatis conditionibus Elementi sumpti pro genere, loquens de cōditionibus Elemēti corporei, dico

*Sententia Galeni.* — *Plutarch.* — *Dubitatio.* — *Quæ rectius dicātur Elementa.* — *Cœlū Elementū primum.* — *Cōditiones Elementi.*

*Corporci relati ad Mundum.*

dico corpus simplex duplici ratione posse dici Elementum, uel per relationẽ ad mundum, uel per relationem ad mixtum. Elementum corporeum relatum ad Mundum, quinque conditiones exposcit. Prima est, ut sit primum, & simplex inter corpora, adeò ut ex alio corpore non sit conflatum. Secunda, ut definitum locum in ordine Vniuersi sibi exposcat. Ratio est, quia Mundus ex horum Elementorum ordine consurgit. Tertia, ut inter huiusmodi corpora sit cõgruens ratio uirtutis, & molis, ut seipsa ualent seruare, & unum non adeò superet alterum, ut illud valeat destruere. Quarta, ut prędita sint supremo & ultimo. Ratio est, quia ordo & primum & vltimum exposcit, Elementa autem debent esse ordine prædita, ut Vniuersum constituant. Quinta, ut inter ea detur primũ ex quo facultas prodeat, ordinans, dirigens, & seruans alia, hoc enim requiritur pro cõstitutione uerioris principij cuiuslibet ordinis. Hę conditiones congruenter simplicibus corporibus competunt, & præsertim Cœlo, adeò ut iure Elementũ primum ab Arist. dictum sit.

*Ut referentur ad mixtum.*

Tertiò, si considerantur conditiones Elementorum, ut referuntur ad mixtum, dicimus conditiones huiusmodi Elementorum esse, ut sint prima inter corpora mortalia; ut sint apta seorsum subsistere, vt sint prædita duplici prima Qualitate, per quam inuicem agant, patiantur, & misceantur. Demùm ut non penitùs aboleantur, uel seruentur in mixto, sed in quandam mediocritatem redigantur. At de his conditionibus distinctiùs loquar in libr. de Mixtione.

## *De Diuisionibus & Definitionibus Elementorum. Cap. II.*

Diuiditur Elementum primò in Elementum actu & potestate, tunc Elementum actu est, dum est in eo cuius est Elementum, nam ante cõstitutionem eius solũ dicitur Elementũ potestate.

*2. Diuisio.*

Insuper, Elementum potest dici Elementũ uel absolutè, & est primum absolutè in cõpositione alicuius, uel per cõparationem, ut syllabæ dicuntur Elemẽta dictionem, & carnes, ossa, & nerui; Elementa membrorum.

*3 Diuisio.*

Tertiò Elementum diuiditur, quia vel est compositionis tantùm, ut materia, & forma, vel cõpositionis, & mixtionis, ut quatuor Elementa mixti, vel compositionis & ordinis, ut simplicia corpora suo ordine Mundum constituentia.

*Qua melior sit dispositio Elementi.*

Pulchra hoc in loco se offert diluenda dubitatio, & est, quæ melior sit Elementorum constitutio, & dispositio, an seorsum a mixto: vel potius in mixto? Nonnulli aiunt melius disponi seorsum, quia sic sunt sincera in mixto uerò inueniuntur potestate, & castigata. Academici aiunt oppositũ, nã Elementũ in mixto actu est Elementum, & est propinquius ulteriori fini, in quẽ per Vniuersi naturam dirigitur.

*Solutio.*

Soluitur Dubitatio, quia Elementum consideratur dupliciter, uel pro suo esse absoluto, vel cum reduplicatione, ut Elementũ est: pro suo esse absoluto melius se habet dũ est sincerius, at consideratum ut Elementum, quia in mixto actu est Elemẽtũ, & proximius est fini ulteriori, in eo habet esse perfectius.

*Definitiones Elementi.*

His pręassumptis, Definitiones Elementi considerandæ occurrunt. Duas tradit Arist. Elementi Definitiones,

*Prima.*

unam tertio Cęli, 31. inquiens, Elementũ est id corporũ, in quod alia corpora diuiduntur, inexistens potentia vel actu, quod diuidi nequit in partes distinctę speciei. Hęc definitio cõpetit Elemẽtis corporeis, de quib. in eo libro loquitur Philos. non materiæ & formæ, nã pro genere sumitur corpus, & considerandum, q̃ Arist. definiuit Elementum ut actu est Elementum, nam tunc verius est Elementum & ut tale, est præditum potiore dispositione.

*Dubitatio*

Sed dubium est, an ea definitio competat simplicibus corporibus solùm per relationem ad mixtum, uel etiam ad Mũdi cõstitutionem, adeò ut etiam competat Cęlo.

*Solutio.*

Breuibus dico, Arist. eo loci considerare, Elementa corporea mortalia, eaque definire per relationem ad mixtum, nam diuidi in Elementa non Mundo proptiè cõpetit, sed mixtis mortalibus, & præsertim quia addit,

quod

quòd inexistunt in mixto potestate vel actu, quòd ait adhuc a se nō esse explicatū, id enim fit in primo & secundo de Ortu & interitu. Alteram Elementi definitionē tradit Arist. in quinto Metaphysicæ cont. 4. inquiens: Elementum est, ex quo componitur, primo inexistente, indiuisibile specie in aliam speciem. Dubium est, cui Elemento hæc definitio competat? Putauit Scotus eam definitionem non Elementis corporeis, sed soli primæ materiæ competere, nam ea est, ex qua res primò componuntur. Et opinionem non puto approbandam. Primò, quia officiū Metaphysici est, uoces considerare uniuersè, & secundum commune genus, non cum contractione, quòd præsertim in eo quinto lib. seruauit Arist. Præterea, conspicuè Arist. se exemplis explicans inquit, ut uocis Elementa, ex quibus componitur uox, & in quæ ultima diuiditur, illa uerò non amplius in uarias uoces ab ipsis specie distinctas, sed & si diuidantur, particulæ earū eiusdem speciei sunt, ut aquę particula aqua, similiter etiā corporum Elementa dicunt, ea dicentes ultima, in quæ corpora diuiduntur, illa uerò non amplius in alia, specie differentia corpora, &c. Cōspicuè Philosophus indicat definitionē illā esse cōmunem, & non materiæ propriā. Propterea ex aduerso nonnulli uiri sapiētes, inter quos est Illustrissimus Card. Contarenus, in suo præclaro lib. de Elementis, inquiunt, definitionē illam non primæ materiæ cōpetere, sed solis simplicib. corporib. relatis ad mixtum. Ratio eorū est, quia prima materia non rectè dicitur indiuisibilis specie, & forma, cum forma careat, sed rectè dicitur de simplicibus corporibus. Quæ opinio etiam approbanda non uidetur, quia Philosophus varijs exemplis patefacit se uniuersè & latè definiuisse Elementū, ut uniuersè considerari debet a Metaphysico. Quare dicamus cū Auer. Arist. definiuisse Elementū ut Elementū est, hoc est uniuersè & in genere: quæ definitio vera est, cū de materia & forma, tū de Elemētis corporeis, & de his uera est siue referantur ad mixtū, siue ad Mundi constitutionē. Fundamenta aduersarū opinionum leuia sunt, dicebatur pro opinione Scoti, solam materiam esse eā, ex qua res primò cōponuntur. Dico eam esse primam absolutè, simplicia autē corpora esse prima inter corpora. Dicebatur pro secunda opinione, materiā nō diuidi in partes eiusdem speciei. Respondeo, per duo fundamenta. Primum est, eam particulam definitionis indiuisibile specie, in aliam speciē debere intelligi per negationem, adeò ut in partes distinctæ speciei non possit diuidi, uel quia absolutè diuidi non possit, vel si diuidatur, partes non sint distinctæ speciei, & ita per negationem sumpta, nullo pacto repugnat Materię. Alterum est, quòd etiam partes materiæ dum per molem ei coæuam diuiditur, possunt dici eiusdem speciei, sumendo speciem pro ratione, natura, & essentia, ueluti Arist. in primo Phys. 60. & 66. in hac significatione dixit materiam distingui specie à priuatione, hoc est essentia & ratione. Sed dubitatio est, cūo ea Definitio competat Cœlo, cum in Cęlo reperiātur partes distinctæ naturæ & cōditionis, nam Luna specie distinguitur ab alijs Stellis: & stella ab orbe? Respondeo, dum Cęlum numeratur inter Elementa Mundi, sumitur pro Elemento vno ut contradistinctus a quatuor Elementis, re uera tamen tot sunt Elemēta quot orbes qui quamuis non distinguātur specie uniuocè, sub genere posita, distinguuntur tamē specie ab uno, collocata sub genere ab uno. Dum autē fit comparatio inter Stellā, & Orbem, quamuis adsit aliqua uarietas, essentia tamen est eadem, nam lōge maior uarietas reperitur in partibus mortalium Elementorum, quàm Cęlis sic itaq; rectius orbes quàm Cœlū nomine Elementi denotantur, & Cęlum est diuisibile saltem per designationem, ut ab Astronomis in signa & gradus diuiditur. Philo Iudæus in libro de Vita contemplatiua, Elementa definiens, dixit, Elementū est inanimis materia a seipsa immobilis, subiecta opifici suo, a quo transformatur in omnia Qualitatum genera. In cuius definitionis consideratione morari nolo. Galenus in primo de Elementis cap. primo, dixit Elementum esse rei particulam, sui natura primam, & simplicissimā quę in alias diuidi non possit, eius definitio est similis definitioni traditæ ab Arist. in quinto Metaphysicæ, in qua Galeni definitione, id subintelligi debet, ut sit eiusdem

generis

Marginal notes: 2. Definitio. — Dubitatio — Scotus. — Euersio. — Cardinalis Cōtaren. — Euersio. — Verior opinio. — Dubitatio — Solutio. — Philo Iudæus. — Galenus.

generis cum eo cuius est Elementum, modo ab eo explicato; alioquin ea Definitio competeret materiæ componenti corpora, quod inficiatur Galenus.

## De numero Elementorum. Cap. III.

Explicato Nomine, Conditione, & Definitione Elementi, sequitur ut de Numero agamus, & cum Elementi nomē de varijs dicatur, sermo est de numero corporeorum Elementorum, quæ sub Cœlo collocantur. Qua de re duo se offerunt consideranda; Primū est, an hæc quæ communi voce dicuntur Elemēta, pro suo esse absoluto nota sint vel nō? Alterū, an constet ea esse Elementa, & de quibus constet uel nō constet? A primo ordiens, dum hæc simplicia corpora pro suo esse absoluto cōsiderantur, conspicua & manifestissima sunt, & iure nam ea primò sunt prædita Qualitatibus primis, maximè Sensum primum mouentibus, ideò primò nobis sub Sensum cadūt; hoc indicauit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, cont. 16. inquiens, quatuor connexiones primarum Qualitatum respondere simplicibus manifestis corporibus, manifesta ea dixit Philosophus. Hinc nemo veterū inficiatus est, dari Terram, Aquam, Aerem, Ignē. Hoc optimè nouit Galenus, ideò in primo de Elementis c. sexto, disserens aduersus Athenęū, inquit, constare dari huiusmodi corpora ut Substantiæ sunt, non autē constare ea esse Elementa. Idipsum affirmauit Philoponus in Exp. cont. 43. primi de Ortu & interitu, in quo Aristoteles proponit cōsiderandum de uocatis Elementis siue sint, siue non, hoc est an sint Elementa, uel ne? Sed oritur dubitatio, quia Auerroes in 4. de Cœlo, 32. ait Aristotelem ostendere speciem sui Subiecti, nempè, Ignem esse, at si ex se constaret, non ostenderetur. Respondeo Aristotelem non ostendere dari Ignem, id enim nemo inficiatur, & Aristoteles id supponit vt notum, solùm ostendit esse corpus leuissimum, eminere omnibus sursum latis, ac ita locū proprium in ordine Vniuersi sibi optare, & includere conditionem Elementi, & hoc denotare etiam uoluit Auerroes, ideò dixit, Cætera Elementa apertè inspici in suis locis, Ignem autem solum inspici per partes extra suum locum positas, & hac ratione ex eius opinione Arist. demonstrauit speciem Subiecti, quia in lib. de Cœlo considerantur simplicia corpora, vt Elementa Mundi, quæ in primo de Cœlo cont. 5. dicuntur partes secundum speciem, hoc est partes Mundi, specie distinctæ, & suo ordine Mundi formam constituentes, ac insuper sunt species nō Subiecti proximi librorum de Cœlo, sed remoti, nempè corporis Physici. Cum autem ex se constet hæc simplicia corpora pro suo esse absoluto, apud nos reperiri, perpendamus alterum caput, an constet ea esse Elementa, hoc enim est aliquid posterius, & ignorari potest cognito primo. De quo loquens, dico, non patere, sed latere ea esse Elementa, non enim patet ea esse prima inter corpora, & ex eis cætera fieri. Hinc Democritus, Leucippus, Epicurus, negarunt ea esse Elementa, & dixerunt, ea fieri ex prioribus corporibus, nempè ex Atomis. Anaximander similiter non censuit ea esse Elementa, sed fieri ex priore alio corpore. Anaxagoras non hæc, sed cuncta corpora similium partium dixit Elementa. Empedocles putauit ea esse Elementa, at errauit; quia censuit esse prima, & Elementa absolutè, non constituta ex prioribus principijs & Elementis. Alij philosophi concesserunt quædam eorum esse Elementa, id negantes de alijs, ut Thales, Aquam solam dixit Elementa; Diogenes, Aerem, Heraclitus Ignem. Patet itaque ea esse. At an sint Elementa, & quot, & quæ eorum sint Elementa, apprime latet. Ideò Elementa esse quatuor eget ostensione, & Aristoteles in comprobando eo numero, laborauit, non in ostensione, quòd ea corpora pro suo esse absoluto reperiantur.

*Duo consideranda.* *Galenus.* *Philopon.* *Dubitatio* *Solutio.*

## *Rationes quòd Elementa sint quattuor. Cap. IIII.*

*Rationes quinq; ex Arist.* *Ratio 1.* Corporea Elementa sub Cęli orbe posita esse quattuor, quinque rationibus inuenio Arist. probasse. Prima elicitur ex 2. de Cœlo, cont. 18. & 19. quæ ita formatur. Reperitur in Vniuerso Cœlum, quod sui natura æterno motu in orbem vertitur, quare necessaria est Terra, quæ in medio requiescat, circa quam reuoluatur. Reperitur in ordine primorum corporum Terra, igitur debet reperiri Ignis ei contrarius per Qualitates loco mouentes, ex quibus pendet ordo Elementorum Mundi. Nam si unum contrariorum secundũ naturam reperitur, debet reperiri & alterum; alioquin Vniuersum non esset Vniuersum; Datur Ignis & Terra, igitur dari debet Aer & Aqua, corpora intermedia. Deducitur Consequutio, quia Terræ Aer, Igni Aqua per Qualitates alterantes opponuntur, & posito vno contrariorum, concedi debet & alterũ. Hęc ratio ostendit Elementa esse quattuor, referendo ea ad Mundum, quem suo ordine constituunt; & est consentanea libris de Cęlo, in quibus Elementa ad Mundi constitutionem referuntur. *Ratio 2.* Altera Ratio elicitur ex 4. Cęli, 36. & 37. cont. cuius medium est grauitas & leuitas, quam oppositionem sequuntur motus recti uarij, & loca subordinata uaria, cõstituentia ordinem Vniuersi. Pro formanda ratione suppono Mundũ esse sphęricum, & sub Cœlo duos inueniri extremos terminos motuum rectorũ ex Cœlo pendẽtes, constituentes locum sursum & deorsum. Accipio secũdò, in hos terminos Elementa moueri per grauitatem & leuitatem. His præassumptis, ita argumẽtor. Datur sub Cęlo Corpus vnum in loco sursum per naturam cõstitutum, & leuissimum datur aliud; quod cunctis sua grauitate per naturam substernitur, & hæc duo sunt Ignis & Terra, ideò necesse est dari duo alia media, quę per comparationem grauia, & leuia sunt: nam si dantur extrema, quibus non repugnat medium, etiam dari debent media, & *Instantia.* præsertim quia in ęternis esse, & posse, non distinguuntur: At dicet aliquis, concedo *Simplic.* dari medium, sed assero id esse vnum. Inquit Simplicius media debere esse duo, quia ut datur graue & leue absolutè, ita debet dari graue & leue per comparationẽ. At per hoc non remouetur dubitatio, quia dicam idem medium æquale, esse & graue & leue *Solutio.* per comparationem. Respondeo, id dici non posse. Primò, quia æquè graue & leue non datur, cum sit aliquid indefinitum, forma autem semper ad vnum definita est, Insuper medium unum non replet vniuersam distantiam extremorum, quia in ea latitudine consideratur inclinatio ad unum, & inclinatio ad alterum extremum. Prætereà, vt inter calidum & siccum, & frigidum & siccum non vnicum est mediũ, sed duo, ita inter summè leue, sequens calidum & siccum, & summè graue, sequens frigidum & siccum, duo debent esse media. Hæc quoque secunda ratio ut formatur in libris de Cœlo, ita vim habet ostendendi Elementa esse quattuor per relationem ad ordi- *Ratio 3.* nem Vniuersi. Tertia Ratio elicitur ex secundo de Ortu & interitu, cuius medium est connexio, secundum naturam quattuor primarum Qualitatum, & uim habet pro ostendendo numero Elementorum cum relatione ad mixtum, Elementa enim per quattuor primas Qualitates redduntur inuicem miscibilia, & ita formatur. Tot sunt Elementa, quot sunt complicationes secundũ naturam quattuor primarum qualitatum; sed hæ sunt quattuor; quare & Elementa quattuor sunt. Hęc ratio vim habet ex Regula tradita in tertio Physicorum, trigesimo secundo, quę est; In ęternis ea quę possunt esse, etiam sunt, cuius Regulę fundamentum est perfectio Mundi, & conditio *Ratio 4.* Vniuersi. Quarta Ratio Elici potest ex secundo de Ortu & interitu, quadragesimonono, quę sic formatur. Tot sunt Elementa mixtorum, ex quot perfecta mixta constãt; at ea constant ex quattuor; quare ea quattuor sunt; quod constent ex quattuor, ostenditur; nam mixta propè nos existentia plurimum terrę includunt, & quoniam mixta nectuntur terminosque recipiunt, quod eis non competit sine Aqua; ideò etiam ex

Aqua

Aqua constant. Et quoniam hęc in mixto sunt cum remissione, & remissio pendet ex contrarijs; ideò in mixto Elementa etiā reperiri debēt, quæ contraria eis sunt: huius modi autem sunt Aer contrarius Terræ, & Ignis Aquæ. Et confirmatur per dicta ab Arist. in lib. de Respiratione, quia tot in mixtis reperiuntur Elementa, quot sunt imperia Elementorū in mixtis perfectis; sed in Viuentibus, quæ sunt mixta perfectissima, imperia Elementorum quattuor sunt; quędam enim sunt Terrea, vt Plantæ, quędā Aquea vt Pisces; quædā Aerea, vel Ignea, vt Volatilium & Campestriū iumentū genus. Quinta Ratio elicitur ex 2. c. primi Meteorū, quæ est sumpta ex illa Elementorū Mundi conditione, quæ erat vt includant congruentē rationem ad inuicem, adeò quod vnū, non ita superet aliud, vt valeat illud destruere. Cum itaque in ordine Vniuersi Terra & Aqua nobis proxima conspicua sint, reliquū interuallum vsque ad Cęlum si vel solo Aere, vel solo Igne repleretur, nimium id excederet & destrueret contenta Elementa; quare ut seruetur ratio, & æqualitas facultatis Elementorū, hoc interuallum duobus Elementis repleri putandū est, nempè Igne, & Aere, quæ ratio ostendit Elementa quattuor Mundi. Galenus ratione, ex experientia sumpta, Medicis familiari, Elementa esse quattuor ostendit, vt patet ex 1. de Elementis, c. 3. Nam tot sunt Elementa mixtorū, in quor per interitū mixta resoluuntur: at ea inspiciuntur resolui in quattuor Elementa, dū n. moritur Animal, primò efflatur Spiritus Igneus; mox Vapor Aereus, dum incipit putrescere; tertiò fluit humor; Demum superest Terra, & Cinis. Similiter, qui ex nimia purgatione moritur, non ex vnius tantū, sed ex quattuor humorū, Elementis quattuor respondentiū, nimia purgatione moritur, & in ca. 5. addit in Animali inueniri Frigida, & Sicca, patefacientia Terrā, Humida & Fluentia, Aquā, Calorem Igneum, & spiritū indicantes Ignem & Aerem. Præterea, mixta ex eis conficiuntur & constant, per quæ crescunt, nutriuntur, & seruantur: at hoc habent ex quattuor corporib. quæ in Vniuerso inueniri inspicimus, quare ex eis conficiuntur, & constant, & propterea ea iudicanda sunt Elementa mixtorū. Pythagoras quoque & Academici, eiusdē fuere opinionis; & quoniam Physica per Mathematica explicabant, ideò ratione partim Physica, partim Mathematica vtuntur. Inquiunt .n. Cum Mūdus per Ignem sit visibilis, per Terram verò tangibilis, & ex his Mundus soliditatem, & splendorem habeat; hæc duo manifestissimè in Mundo reperiuntur, quæ cū sint solida, & extrema, & ligari debeant: solida duobus Medijs Geometricis necessariò ligantur, quare dari debent duo alia media Elementa, per quę extrema nectantur. Ita colligunt Elementa esse quattuor. Notissimum est apud Geometras, Numeros, Cubos solidos, duob. medijs ligari; non solidos verò, sed planos, unico, vt 8. & 27. qui sunt primi Cubi, per 12. & 18. ligantur, vt .n. 27. ad 18, ad 12. & 12. ad 8. se habent, semper .n. seruatur ratio sesquialtera. Sic secundus Cubus cū tertio ligatur duobus medijs, ratione sesquitertia: tertius cum quarto ratione sesquiquarta, & similiter de cæteris. Alia Academicorū Ratio sumitur ex numero primarū regularium & circumscriptibilium figurarum, nā patefacit Euclides lib. 13. à Demōstratione 13. vsque ad 17. quinque esse figuras cōstituentes solida regularia, hoc est æquiangula & æquilatera a sphæra, ac ab inuicem apta circumscribi. Vna est duodecim facierum, Mundo Vniuerso congruens. Altera, Pyramis, competens Igni. Tertia, octo facierum. Quarta viginti, respondentes Aeri, & Aquæ. Quinta Cuba respondens Terræ. Vt itaque figuræ primæ circumscriptibiles sunt quinque; ita quinque sunt prima corpora, nempè quattuor Elementa, & Mundus totus ex eis conflatus, quæ Elementa in singulis singula inueniri existimabant, & Cœlum ex eorum eminentijs constare asserebant, & præsertim ex Igne. Prior Ratio erat Arithmetica, hæc secunda magis Geometrica, de quibus Proclus in Timæum, & Marsilius multa dicunt, quæ prætereo. Nam Academici per huiusmodi Mathematica denotabant originales numero, numerorumque rationes, de quibus dicimus cuncta numero

*Confirmatio.*

*Quinta Ratio.*

*Galen' experientia vtitur.*

*Pythagoricis & Academici.*

*Alia Academicorū Ratio.*

& mensura fuisse producta, adeò ut Sensus, Experiẽtia, Ratio Physica, Geometrica, & Arithmetica, mira consensione Elementa esse quattuor nobis ostendant. Propte-
*Pythagorai.* reà Pythagoræi quaternarium numerum asserebant plenitudinem, tum Corporis, tum Animi Mundi, & iureiurando testabatur esse quadruplicem fontẽ Naturæ, per-
*Confirmatio.* petuò fluente, ex quo numerus quaternarius Elementorum flueret, & per quem ser- uaretur. Quod etiam comprobatur, quia pro exacta Mixtorum constitutione, requi- ritur Humor Aereus & Aqueus perfectiones recipiens, Siccum Terreum eas seruãs, Calor Igneus formans, Frigus Aqueum & Terreum contemperans Calorem & coer-
*Postrema Ratio.* cens. Demùm, eandem veritatem patefaciũt quattuor primas Qualitates necessarias pro mixtione, respondentes quattuor Elementis. Similiter quattuor principalia mi- xtorum Temperamenta, quattuor Animalium Humores, quattuor ætates, quattuor Anni Tempora, quattuor principalia Zodiaci pũcta, constituẽtia Solstitia, & Aequi- noctia, Quattuor principales Mundi partes, Oriens, Occidens, Auster, Boreas, quæ cuncta prima capita, ad primas Qualitates, ad simplicia corpora, ad Mixta, ad Mun- dum paruum, & magnum attinentia, tam mira consensione sibi mutuò respondent, vt constanter numerum quaternarium Elementorum nobis indicent & patefaciant.

## *Dubia de Numero Elementorum. Cap. V.*

ADuersus approbatum numerum Elementorum variæ & pulchræ e- mergunt difficultates. Primò, nullum uidetur reperiri sub Cęlo Ele- mentum, quoniam Elementum debet esse Corpus primũ, simplex,
*Non dari Elemẽtũ.* expers figuræ, colorum, saporũ, & odorũ, quod nulli ex enumeratis Elementis comperit, vt conspicuum est. Hinc Plato de eis loquẽs, di- cebat, nedũ non esse Elementa, uerũ neque etiam esse syllabas, hoc
*Quod sit vnum.* est, non esse cõposita prima, ob eorum impuritates. Præterea, conditio Elementi ex quinto Metaphysicę, cont. quarto, est, vt sit primum, & in ratione primi, ut sit vnum; quare conditio Elementi est, vt vnum sit, & inter corpora huiusmodi est solum Cœ-
*Quod duo.* lum, cũ ipsum solum sit inter corpora primũ. Tertiò Elementa videntur tantùm duo, Terra & Ignis, quia Elementũ cum sit simplex, debet esse extremum, nõ mediũ: nam Aqua, & Aer, quæ mediant, partim grauia sunt, partim leuia, partim densa, partim rara, partim tendunt sursum, partim deorsum. Ideo Aristoteles in secundo de Ortu, & interitu, cont. uigesimosecundo, dixit, extrema & sincerissima duo sunt, Ignis, &
*Quod tria.* Terra, media & mixta magis, Aer, & Aqua. Pręterea, Elementa solùm uidentur tria, quia Ignis ex quorundam sententia Elementũ non est, cum sit combustio, & tanquã
*Solutio primæ Rationis.* Forma in aliena Materia. His difficultatibus non est difficile respondere. Soluitur pri- ma: quia aliud est quærere, an Elementa sint quattuor, & quærere, an seorsum since- ra & pura in Vniuerso reperiantur; qua de re, in progressu erit sermo. Nunc itaque di- co: si Elementa apparent impura & permixta, id non euertere conditionem Elemen- ti, sed magis constituere, quia sic sunt Elementa, uel penitùs actu, vt in mixto perfe- cto, uel disposita ad huiusmodi actum, vt in mixto imperfecto; veluti, quamuis mate-
5. ria non reperiatur seorsum a forma, sed solum in composito, non ob id desinit esse
*Solutio secundæ Rationis.* Elementum, & hoc suis verbis indicare voluit Plato. Addebatur secundò, condi- tionem Elementi esse, vt sit primum, & propterea vnum. Respondeo, id esse verum de Elemento absolutè, non in genere corporum. Nam Elementum primum absolu- tè materia est, quæ etiã est una. Insuper Elemẽta proxima possunt esse plura, vt mul- ta sunt Elementa Grammaticę, nam sat est, vt ea plura constituant gradum vnum, adeò vt vnum eorum non componatur ex altero, ut litera vna non componitur ex altera, Cœlum non potest dici Elementa mortalium, quia non ea constituit.

Plato

Plato ita putabat Elementa esse quattuor, vt etiam Cœlum ex eis constitueretur. At
ex sententia Arist. Elementa quattuor solùm sub Cœlo locum habent. Dicebat ter-
tio, Elementa solùm esse Duo, nempè extrema. Respondeo, medium esse multiplex, *Solutio 3.*
& solùm medium per mixtionem & compositionem ex extremis destruit conditio- *Rationis.*
nem Elementi: at Aer & Aqua non sunt media per cōpositionem, sed per cōparatio-
nem, & relationem: Arist. autē per relata verba indicabat extrema in Vniuerso ma-
gis inueniri pura & sincera, quam media, at non ob id esse magis Elementa. Erat po- *Postrema*
strema dubitatio de Igne, qui non rectè uidebatur inter Elemēta numerari, quæ cum *dubitatio.*
egeat exactiore consideratione, seorsum distincto Capite explicabitur.

## *An inter Elementa numerandus sit Ignis. Cap. VI.*

HEraclitus ex Corporibus solum Ignem censuit Elementum. Parmeni *Heraclit⁹.*
des ei addidit Terram, inquiens, Ignem, & Terram Elementa. Arist.
in primo Metaphysicę, Ignem maximè omniū dixit esse Elemētum,
cum sit partium tenuissimarum. At ex aduerso nonnulli uiri docti,
concessis reliquis tribus Elementis, Ignē sustulerunt, & rationib. va-
rijs ex ordine Elementorū illum explodere conati sunt, inquiunt .n.
Si Ignis esset Elementū, & proximè sub Cęlo locum haberet, sub purissimo, & saluta *Ratio 1.*
ri Corpore, id corpus positum esset, quod permutat, turbat, & incendit alia corpora.
Præterea, si Cometæ, Faces, cæteræque Meteorologicæ incensiones, quæ comparatæ *Ratio 2.*
cum Sphæra Ignis, sunt Corpora exigua, tàm vehementer nos calefaciunt, quid acci
deret, si totus superus locus, sub Luna positus, Igne esset plenus, nōne collocati esse-
mus tanquam in medio fornacis? nonne Vniuersus noster Orbis cōbureretur? cū ex-
perientia constet, exiguo igne, vastissimas Siluas, latissimas Regiones, magnasque vr-
bes incendi; Ignis .n. si adsit combustibile, crescit in immensum, & continenter red-
ditur potentior. Tertiò, Si supra Aerem esset Ignis, cur quanto altiùs supra montes *Ratio 3.*
eleuamur, minus à calore turbamur? aerem inuenimus frigidiorē, & in Montibus al-
tissimis, etiam sub Aequatore positis, niues apparent cōgelatæ & perentes? Pręterea, *Ratio 4.*
si Ignis inter Elementa esset numerandus, etiam esset necessarius pro mixtorum con
stitutione, quod tamen verum non est; quia Ignis vel dissipat mixta, vel extinguitur,
& pro constitutione mixtorum sat est Calor Cęlestis unà cū tribus Elemētis, & præ-
sertim quia Corpus leuissimum summè distans à loco mixtionis, ad illum per naturā
non est aptum descendere pro mixto constituendo, quod etiam approbasse visus est
Arist. qui in secundo de Ortu & interitu, 24. & in secundo de Gener. Animalium, c. 3. *Arist.*
inquit ex igne & Glacie nil fieri. Præterea, si ignis esset Elementum, vel hoc cōpetet *Ratio 5.*
Corpori sub Luna posito, vel flammæ propè nos existenti, non Corpori sub Luna
posito, quod ostenditur per Aristotelem in primò Meteorum, capitulo quarto, dicen
tem, quod enim est sursum vsque ad Lunam corpus, alterum est ab Igne & Aere, &
hoc eius purius, id minus sincerum, & addit id incendi aliquando motu Cœli; At
ignis non incenditur, cum sit summè calidus, & post pauca addit, circa aquā autem
& contigua ei, sunt Aer, & quod per consuetudinem uocamus Ignem, non est autem
Ignis, excessus enim calidi, & tanquam feruor est ignis, &c. Cōspicuè Aristoteles ne-
gat collocatum sub Luna esse Ignem. Similiter Flammæ, quibus vtimur, & propè
nos sunt, Elementum Ignis non constituunt, tum quia hic non est Locus Elementi
Ignis, tum quia alimento egent, alioquin extinguuntur; ideò per Plutonem clau-
dum, semper alteri hærentem denotantur, ut ait Philo in Libro de Mundo non in-
terituro; tum quia certam non habent Sedem, Ordinem, Locum, & congruentem
Magnitudinem, & demùm, sunt tanquam forma in aliena Materia, non au-
tem corpus simplex. Prætereà, id quod mixtorum est Elementum, in omni perfecto *Ratio 6.*

mixto debet reperiri, hoc Igni non cōpetit, natura dantur mixta summè frigida summeque grauia, in quibus Ignis qui facillimè extinguitur, & sine calore non seruatur, *Theophrastus.* locum ullo pacto habere non potest. Theophrastus in suo libro de Igne, illum ex numero Elementorum uidetur explodere, & sub initio libri De Proprietatibus Elementorum, legitur, Existimarunt nonnulli Veterum, quod ignis non sit Elementum, sed *Cardanus.* alteratio, & combustio Aeris. Nō itaque iniuria Cardanus in secundo libro De Subtilitate, Ignem inficiatur esse Elementum, & idipsum alij quoque uiri docti existimarunt.

## *Diluuntur Rationes, quibus ostendebatur Ignem non esse numerandum inter Elementa.* *Cap. VII.*

IAm eximia Sapientū consensione, adeoque firmis rationibus ostensum est, Elemēta esse quattuor, ut per rationes aduersas minimè turbari, sententiamque mutare debeamus, & præsertim, quia si uim aliquam habent, id solùm ostendunt, quod Elementum Ignis nō est purum, & quod qui propè nos reperitur, nō est Elemētum Igins. Vt autē ueritas clarior fulgeat, & aduersæ instantiæ exactiùs diluātur, explicandū primò est, quid nomine Elementi Ignis intelligere debeamus. Vsurpatur nomē Ignis nonnunquā pro Luce, ut apud Platonē in Timęo. Nonnumquā pro Spi- *Elementū Ignis quid sit.* ritu calido & sicco, qui facilè incēditur, & dicitur fomes incensionis. Tertiò pro Flāma. Quartò pro Carbonibus. Et profectò, nil horū iudicari debet Elemētum Ignis. *Plato.* Plato Cœlum nuncupabat Ignem, in quo reliqua Elementa in igneam cōditionem essent redacta, Cœloque competere putabat illam Ignis conditionē, quę Lux dici- *Plotinus.* tur, & est Ignis nō urens, sed diē pariens. Similiter Plotinus Cęlum dixit Ignē. Hinc Plato in Appendice Legū, Animalia Cęlestia dixit Ignea, & dicere ex sententia Platonis Cęlum esse Ignem, & constare ex eminentijs Elementorum, nō est pugnantia enunciare, quia cętera in Cęlo eleuata sunt ad conditionem Ignis, qui cęteris pręstat, sub Cęlo ex eius sententia est Aether, quem in Timæo ait esse partē aeris supremam, nitidissimam, purissimam, & agilissimam, & hanc Arist. nomine quarti Elementi appellat, sub qua ponitur aliud Aeris genus, crassius, & turbulentius, in quo plurimi uapores reperiuntur. Ea itaque suprema Aeris purgatissima portio, ut ab Arist. ita a Platone Elementū quartum iudicatur, ueluti dum in Timæo ex quatuor Elementis tria inuicē permutari affirmat; nā Terram ait permutari non posse. Hoc itaque supremū corpus perinde se habet, ac aer nitidissimus, purgatissimus maximè attenuatus, & de- *Fomes incensionis.* siccatus, quod a Platone Aether, ab Arist. Elementū Ignis dicitur, & nonnumquam nuncupatur fomes incensionis, quia in eo plurimi reperiuntur halitus calidi & sicci, apti incēdi, ut Aer apud nos dicitur uapor humidus, & Aqua disgregata; quo nomine præsertim denotatur in 1. Meteorū, quia tunc huiusmodi halitus considerantur, qui sunt materia Meteorologicorū. Ignis autem in hac significatione, ut est corpus tenuissimū, & purgatissimum, non est aptus cōburi, cum nil humoris includat: non eget alimento, cum non sit incensio: non lucet, quia lux incensioni cōpetit; non comburit, quia est tenuissimum & purgatissimum, comburere autem competit incensioni. Insuper, est Cęlo simillimum, est præditum loco supremo, & mole Elemento congruēte, ad hoc uia est ille halitus, qui calidus est & siccus, & per cōbustionem magis attenuatur, purgatur, & in Elementū Ignis transit. Ex hac Elemēti ignis explicatione facilè *Diluūtur rationes aduersæ.* est rationes soluere, quibus ex serie Elemētorū ignis excludebatur, omnes enim prodeunt ex praua assumptione nominis Ignis, inter Elementa numerādi. Hoc Elementum apud nos reperitur commixtum cum cęteris corporibus, & frequenter à Lumine, motu, & incensionibus gignitur, ideò non est necesse, ut dum mixta apud nos

fiunt, descendat ignis ex supero ad inferû hunc locum, & cum Ignis propè nos sit impurus, aptior est ut misceatur, est enim fini proximior. Immo cû conspicuè apud nos Ignis impurus inspiciatur, elicere ualemus dari Elemẽtum Ignis: nam Corpus quod reperitur commixtum cum alio, etiam debet reperiri seorsum, ut aptum est reperiri. Quòd si ascendentes in Montes, Aerem inuenimus frigidiorem, id nil obest; tû, quia ea eleuatio relata ad distantiam à Cœlo, exigua est, & paucorum stadiorum; tum, quia id est ex Accidenti, ob distantiam radiorum Solis à loco repercussionis; tû tertiò, quia id euenit ob maiorem Vaporum copiam a Ventis agitatam, quæ in ea Aeris regione reperitur; tum demum, quia (vt dixi) Elementum Ignis non ualde calefacit, nec comburit. Cometæ & incensiones cum reuera sint incensiones, sint Ignis in materia densiore, & re vera incendantur, iure optimo maximè nos calefaciunt. Quòd si etiam inueniuntur mixta grauissima & frigidissima, adeò vt nil Ignis in eis inueniti appareat, non propterea putandum est, omnino Ignis esse expertia, cum mixta omnia perfecta per coctionem fiant, coctio autem ex ignea facultate pendet. Cicero in secundo de Natura Deorum comparans Ignem ptopè nos existentem cum Elementari, dixit, Hic noster Ignis, quem usus uitæ requirit, confector est, & consumptor, idemque quocumque inuasit, cuncta disturbat & dissipat. Ignis uerò Elemẽtarias corporeus, vitalis, & salutaris, omnia conseruat, alit, auget sustinet, sensuque afficit. Alexander in secundo Nat. quæstionum, capitulo decimoseptimo. Ignem pro Elemento sumptum nuncupauit fomitem incensionis. Quæ sententia absolutè uera non est: nam incensio humorem exposcit, & præsertim quia ὑπέκκαυμα est uapor quidam siue spiritus medius inter Elementa, non Elementum; nisi dicamus, ab eo nuncupari fomitem intensionis, quia in eo quod Elementum Ignis est, magna copia huiusmodi halituum reperitur, ex qua denominationem recipit.

*Cicero.*

*Alexãder.*

## *Distributio Quattuor primarum Qualitatum in quattuor Elementa.* *Cap. VIII.*

VT quattuor apparuere Qualitates primæ, quattuorq; earû secundum naturâ connexiones, ita quattuor apud nos refulsere simplicia corpora, Elementi nomine denotata, quibus singulis singulæ Qualitatum connexiones côpeterent, una tamen primo, altera secundario: nam Ignis primò dicitur calidus, secundò siccus; Aer primò humidus, secundò calidus; Aqua primò frigida, secûdò humida; Terra primò sicca, secundò frigida, ita ab Arist. in secundo de Ortu & interitu, Qualitates in Elementa distributæ fuerunt. Quâ de re duo côsideranda occurrût: primû est, cur singulis Elementis duæ Qualitates primæ côpetant, nôn una tantû? Alterum est, cur primò una, & quæ sit talis? Quod pertinet ad primû, dico ob sex potissimû causas debere Elementa duplici Qualitate esse prędita. Prima elicitur ex côditione oppositionû eorû Qualitatû, quæ cum sint primæ & cômunes, per uniuersam materiam effundi debẽt, adeò ut nulla materiæ portio altera oppositatû Qualitatum denudari ualeat. Secunda Ratio elicitur ex conditione materiæ, quæ cû sit commune principium mortalium, nec Substantiæ compositum constituere ualeat sine pręcurrente aliqua dispositione per huiusmodi Qualitates, est necesse vt in omni eius parte alterâ earum includat. Tertia sumitur ex conditione corporatorum Elementorû, quę ut suo ordine Mundû constituant, & secundû natrâ sint distributa, est necesse ut continentis & côtenti Qualitas una sit communis, ut mutuò seruentur & seruent, non penitùs sint côtraria, & per congruentia media ex extremo in extremû fit trâsitus: ita inspicimus Ignẽ cû Aere commune habere Calorem, Aerem cû Aqua humorẽ, Aquâ cû Terra Frigus, Terram cum Igne Siccitatẽ, adeò ut cû in parte pugnent, simul etiâ felicissimè cônectantur. Quarta

*Cur Elemẽtis duę qualitates côpetant.*

Ratio elicitur ex conditione mixtionis,& mixtorum,quorum hæc sunt Elementa; vt enim ex eis congruenter prodeat mixtum; necesse est singula prædita esse Qualitate una agente,altera patiente:ita enim omnia agunt,omnia patiuntur,omnia terminãt & terminantur,omnia obeunt munera formantis,& formabilis,perficientis & perfe
5 ctibilis. His quinta additur Ratio sumpta ex reliquis Qualitatib. similibus secundis, quæ quattuor Elementis competere debent,& sunt leuitas,grauitas,raritas,dẽsitas, perspicuitas,& opacitas;quæ non Qualitatem unam primam solam sequuntur, sed
6 connexionem duarum. Sexta Ratio Elicitur ex perfectione Vniuersi;nam in eo inueniri debent omnia non pugnantia, & perfectionem aliquam indicantia, & quoniam complicatio quadruplex, duarum primarum Qualitatum pugnam non includit, & perfectionem aliquam donabat;ideò putandum est in Vniuerso reperiri; non autem inueniretur,nisi quattuor primis corporeis Elementis competeret. Et cum duæ Qualitates singulis Elementis competant,quoniam vni non æquè primò plura competere valent,& constituta in Vniuerso, sunt prædita ordine; ideò putandum est,unam competere primò, alteram secundariò. Igni omnium consensione primò competit Calor,& iure profectò,ut enim Calor est suprema Qualitatum mortalium, maximè formam præseferens,ita Ignis supremus est,& maximè formalis omnium Elementorum. Insuper,Calor maximè purgat,ordinem seruat, nectendo similia,proximius ex motu & lumine prodit,Corpus attenuat:ideò primò competere debet Elemento supremo, quod Cœlo sit proximius, Constituto hoc fundamento,Igni scilicet primò Calorem competere,conspicua,& necessaria refulget distributio cæterarum Qualitatum,nam sub Igne est Aer,qui cum sit calidus & humidus,nec calor ualeat ei primò competere,quia primò competit Igni,cogimur dicere,ei primò competere humorẽ. Sub Aere est Aqua,frigida & humida,cui non potest primò tribui humiditas, quia concessa est Aeri, ideò necessariò iudicari debet primò frigida. Sub Aqua est Terra, frigida, & sicca, & quia frigiditas tributa est Aquæ, cogimur ei primò siccitatem tribuere. Sic itaque singulis Elementis duæ competunt Qualitates primæ, singulis una earum primò competit, & quæ primò competit uni, non primò competit alteri.

*Cur Qualitatũ una primo cõpetat.*

## *An Aer sui Natura sit Calidus & Humidus. Cap. IX.*

*Cur Aer Calidus.*

*Ratio 1.*

DIstribuentes quattuor primas Qualitates Elementis, Aeri vnà cũ Aristotele Calorem & humorem tribuimus, quod ostendit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu,ex eo, quod Vapor est Calidus & humidus: Aer autem est tanquã Vapor,& iure Calidus iudicari per naturam debet, quoniã a Calore producitur,eleuatur,& seruatur,à frigore autem densatur,& in Aquã vertitur, vnumquodque autem per

*Ratio 2.*

Naturã tale iudicari debet,quale est id,per quod gignitur & seruatur. Idipsum cõfirmatur a Philopono ratione sumpta ex leuitate:cum enim sui natura sit leuis, etiã sui natura iudicari debet calidus;deducitur consecutio,quoniam ignis est leuis, uel quia siccus,vel quia calidus,non quia siccus,nam terra sicca est & grauissima,quare est leuis,quia calidus,& propterea cũ Aer sui natura sit leuis,etiã sui natura iudicari debet calidus. Eadẽ ratio formari potest,sumendo pro medio raritatem,nam quod sui natura est rarum,sui natura iudicari debet calidum,quia calidi est rarefacere,vt ait Philosophus in secundo de Ortu & interitu,decimoseptimo,frigidi autem condensare, &

*Ratio 3.*

ignis quia calidus rarus est,non quia siccus,cum Terra sit sicca & densa. Tertiò id ipsum elicitur ex loco:nã distãtia a Cęlo dat frigus & grauitatẽ, propinquitas opposita. Prætereà locantis & locati cõmune aliquid per naturã esse debet, Ignis est locus

Aeris quibus communis non est siccitas, quare est caliditas, & cum in cæteris Elemē-
tis contentis, & continētibus id sequetur, etiam putandum est seruari in Aere & Igne. *Ratio 4.*
Præterea, nisi id esset, tunc Aer & Aqua prædita essent eisdem Qualitatib. ambo enim
essent frigida, & humida, & propterea, vel vnicum constituerent Elementum, vel alte
rum eorum esse superuacaneum; Et confirmatur, quia si ambo per naturam essent fri-
gida, & humida, ambo esse deberent consimiliter rara & leuia. Præterea, si id esset, tūc *Ratio 5.*
complicatio calidi cum humido nulli Elemento competeret, quod maximè est absur
dum, cum enim reliquæ connexiōes primarum Qualitatum alicui Elemento compe
tant, non est putandum mortalem orbem hac perfectione carere, vt in eo Elementum
non reperiatur, cui hæc connexio per naturam conueniat. Præterea, cum Elementa *Ratio 6.*
per Qualitates sint mensuræ Tēperamentorum, vt rectè asseruit Galenus, nisi Elemen
tum daretur calidum & humidum, carerent mixta ex ea parte propria mensura, & da
retur mensuratum sine congruente mensura, & natura ex ea parte diminuta penitùs
appareret. Præterea, cum Aer secundum maiorē eius partē, liberè à Cælo reuoluatur *Ratio 7.*
in orbē, quo motu corpora calefiunt, putandū est, Aerē quoq; secūdū naturā calefieri,
& calidum à Cœlo seruari. Insuper, æstiuo tempore & in Regionibus calidis, inspici- *Ratio 8.*
mus Aerem seruari serenum, nitidum, purum, frigore verò turbari verti in nubes, &
pluuiam, quod indicat sui natura esse calidum, & propterea Veri, Pueritiæ, & Sangui
ni respondet, sua natura calidis & humidis. Alexander in secundo de Anima, ad ostē- *Ratio 9.*
dendum idipsum, varijs vtitur rationibus, & hac præsertim: quia quæcunque facilè in-
uicem permutantur, Qualitatem aliquam habent communem; Ignis & Aer facillimè
inuicem permutantur; quare communi Qualitate sunt prædita: hæc non est humor,
igitur calor eis communis est. Iure itaque Pythagoras, Plato, & Arist. Aerem asserue
runt calidum, & humidum. At non defuere, qui varijs rationibus hanc veritatem *Rationes*
conati sint in dubium reuocare, è quorū numero fuerunt Stoici, qui illum sui natura *aduersæ.*
frigidum affirmarunt. Idipsum putandum est existimasse Empedoclem, de quo Arist. *Empedocles.*
in contex. 19. secundi de Ortu & interitu inquit, quòd Elementa in duo diuisit, igni cæ
tera opponens, ignem enim putauit calidum, cætera frigida. Cicero, sequens Stoicos, *Cicero.*
similiter asserit esse frigidum. Galenus, in libro, quòd Animi mores sequantur corpo- *Galenus.*
ris temperaturam, cap. 4. ait, Aerem ex se esse frigidum, calefieri autē ab igne. Carda- *Cardanus.*
nus in secundo de Elementis, singula Elementa asserit frigida, reddi autem calida à cæ
lo, & Stellis, nam ignem ex numero Elementorum eiecit. Potiora fundamenta huius *Ratio 1.*
opinionis hæc sunt: nisi enim aer sui natura maximè frigeret, quomodo sub Septen-
trione continuas niues, grandines, & glacies produceret? nil enim agit vltra suum gra
dum, glacies autem est excessus frigoris, ut in secundo de Ortu & interitu, inquit Ari-
stot. Insuper, vnumquodque Elementum tale est iudicandum, quale est in media sua
Regione, nam in ea maximè seruat conditionem propriam; at Aer in media eius Re- *Ratio 2.*
gione omnium consensione friget, dum in ea gignantur pluuiæ & grandines. Præte- *Ratio 3.*
reà, de frigore aeris frequenter conquerimur, de calore nequaquam, præterquam de
eo qui à Sole producitur tempore æstiuo. Præterea, si Aer sui natura esset calidus, *Ratio 4.*
quomodo sine sui interitu per totam hiemem seruaretur frigidus? quomodo à Bo-
rea vento frigidissimo purgaretur? quomodo hyberno tempore dum est serenior, ma
gis frigeret? Insuper, cætera Elementa cum difficultate propriam Qualitatem exu- *Ratio 5.*
unt, nec sine eorum aliquo interitu: at Aer remoto calefaciente, statim euadit frigi-
dus, & nedum non interit, sed potiùs purior apparet. Demùm, experientia constat, *Ratio 6.*
quòd humorem per naturam sequitur frigus, & propterea, cum Aer sui naturam sit
humidus, etiam videtur iudicandus frigidus. Colligunt itaque nonnulli, Aerem sui
natura frigidum esse, & Arist. in primo de Ortu & interitu, 24. de Aere & Aqua ait,
ambo esse perspicua, & frigida.

Diluuntur

## *Diluuntur Rationes, quibus ostendebatur Aerem sui natura frigidum.* *Cap.* X.

*Primum quod accipitur.* QVoniam firmissimis Rationibus patefeci, Aerē sui natura calidum esse, propterea vt aduersæ Rationes diluantur, nōnulla pręaccipiēda sunt. Primū est, Elemēta in Vniuerso omnia reperiri impura, permixta, & alterata, vt in progressu ostendam, & pręsertim Aerem, qui cū sit medius, tenuis, & facilè alterabilis, facilè alienas Qualitates recipit: hinc Aristoteles in primo Meteorū dicebat, Aerem nobis proximum esse tanquam Vaporem, & Aquam disgregatam; si quis Aerem inuenire uellet puriorem, deberet illam inquirere in parte superiore, uel media, per æquam distantiam à suis extremis; nam ea quæ dicitur media eius Regio, in qua Pluuiæ, Niues, & Grandines gignūtur, Ventisque agitatur, est nobis satis proxima, & absolutè pertinet ad infimam Aeris portionem: & propterea mirum non est, si ex accidenti ob Vapores Aqueos, sui natura frigidos, à repercussis radijs derelictos, frigida apparet, & ea quoque nonnunquam vires sui caloris patefacit; veluti dum æstiuo tempore per *Alterum quod accipitur.* antiperistasim ex ambiente eius calore prodeunte Grando producitur. Aliud fundamentum est, quòd calor apud nos maximè eget communi aliquo conseruante, ideò nisi à Coelo seruetur, facilè euanescit: nam formæ quo sunt pręstantiores, eo maiorem cum Coelo habent connexionem, & magis supero conseruante, egent alioquin *Tertium quod accipitur.* in deterius, ob materiæ conditionem, labuntur. Vltimò addendum est, quod dum Aer fuerit frigidus, minimè est purus, sed alteratus, solùm videtur purus: quia non adeò est crassus, & densus, vt dum per Austrum, Nubes & densi Vapores in eo recipiū*Diluuntur Rationes aduersæ.*tur. His præassūptis, facile est Rationes aduersas diluere. Dicebatur primò, frigore Aeris sub Aquilone gigni glaciem, & Niuem, dico id nō fieri per frigus proprium Aeris, sed per alienum productum in Aere nobis propinquiore à spiritibus frigidis, ex Terra *Ratio 1.* & Aqua eleuatis, qui cum sint tenues, facilè per aliena corpora meant, cum eis miscētur, illaque alterant, & præsertim in Aqua suas vires ostēdunt, cum sit sui natura frigida, & alienum calorem facilè exuat. Hanc veritatem patefecit Arist. in quinto de Gener. Animalium, cap. tertio, inquiens, in congelatione à frigore secerni humorem tenuem: nam per huiusmodi spiritus frigidos & siccos, extinguitur calor alienus Aquæ, & vnà cum eo dissoluitur humor quidam tenuis: hinc Aqua prodiens ex Niue & Glacie, est crassior, & terreum aliquid includit, quod accidit, quia per congelationem humor tenuis vnà cum calore secretus est, & id Terreum quod inerat in spiritu, remanet cū Aqua permixtum: hinc etiam dicimus, Glaciem esse viam ad Terram, & gigni pręsertim uigentibus Ventis Septentrionalibus frigidis & siccis, qualis est Terra, & hoc etiam in congelatione seruandum est, quod ut calor iunctus sicco, ita frigus sicco iun*Solutio 2.*ctū, acutiùs agit & intimius operatur. Addebatur, Aerē in media sui Regione esse frigidum, iam dixi, non esse verum de Regione eius media per æqualem distantiam ab *Ratio 3.* extremis, sed solùm de illa, quæ nobis est valdè proxima. Et conquerimur de frigore *Ratio 4.* non quidem puri, sed impuri Aeris, & de frigore Ventorū & disgregatæ Aquę. Addebatur, seruari tota hyeme Aerē cum summo frigore: dico, nō seruari Aerē purum; sed mixtum cum halitibus, qui dum fuerint frigidi, sunt magis tenues, quàm calidi & humidi humore Aqueo, & seruatur frigidus in Regione infima, non in verè media, & su*Ratio 5.*prema. Dicitur purgari à Borea, quia ab huiusmodi Vēto repelluntur vapores Aquei, & afferūtur halitus sicci, frigidi, & magis tenues, facilius autem ab aere aufertur calor quàm humor, ob conditionē propriā caloris, quę vt dixi maximè eget apud nos conseruante, & maximè ob eius præstantiam ex Cęlo pendet. Addebatur etiam, quòd hu*Ratio 6.*morem sequitur frigus. Respondeo, frigus sequi humorem crassum & Aqueum, non *Instantia.* Aereum & tenuem. At dicet adhuc aliquis, motus purgat corpora, & si quam in ea in-

Ducit Qualitatem, profectò calorem inducit, quare cum motu Aer purgetur, & per motum reddatur frigidior, vt patet, dum agitatur a Ventis: Aer itaque purior frigidus est. Respondeo, Aerem superum, per motum diurnum seruari calidum, & incedi in eo halitus: proximum autem nobis videri reddi frigidum primò, quia tardè mouetur, secundò, quia per Ventum afferuntur halitus frigidi, tertiò, quia per motum & euentationem repellitur a nobis Aer ille, qui nos ambiebat, & a nobismet fuerat præcalefactus. *Solutio.*

## *An rectè dictum sit Aerem esse primò humidum, & Aquam primò frigidam? Cap. XI.*

NON iniuria ambigunt viri docti de eo, quod ab Arist. in 2. de Ortu & interitu dictum est, Aerem primò esse humidum, & aquam primò frigidam: nam quod ad primum pertinet, humor manifestissimè magis competit Aquæ, quàm Aeri; Aqua.n. est quæ nos humectat, non Aer: immò Aer sincerus potiùs humorē desiccat. Augetur dubitatio: quia hac de re Arist. sibi constare non videtur, nam in 4. Meteorum, cont. 29. inquit, siccū maxime proprium esse Terræ, humidum verò Aquæ: Nec alterum minus dubium est, nempè Aquam primò esse frigidam, id enim potiùs terræ competere videtur ob distantiam eius & a Cœlo, & quietem: nam ex distantia pendet frigus. Et confirmatur: quia frigidi est condensare, Terra autem maximè densa & grauis est. Confirmantur adhuc hæ ambiguitates, quia frigus ab Aqua facilè remouetur: humor verò summa cum difficultate, quod nobis indicat, non frigus primò competere Aquæ, sed potiùs humorem. Hæ difficultates profectò leues nō sunt: pro quarum Solutione accipio primo, dum dicimus vnam vel alteram Qualitatem primò vni Elemento cōpetere, non denotari intensionē, uel remissionem, nam vt in progressu patebit Elementa exposcunt ambas Qualitates sinceras, sed denotari ordine, quo Qualitates Elemētis per naturam competunt. Accipio secundò, quòd dum singulis Elementis vnā Qualitatē primò cōpetere patefacere uolumus, supposito ꝙ Igni primò cōpetat Calor, quod cōcedunt oēs, & Sensus patefacit, nō secùs possumus id facere, ac factum sit ab Arist. nam tūc Aeri non amplius Calorem, sed humorem cogimur primò tribuere, & similiter cogimur Aquæ tribuere non humorem iam tributum Aeri, sed frigus, Terræ siccitatem. Accipio tertiò, humorem esse duplicem, unum sumptum absolutè pro facilè terminabili termino alieno, ut definitus fuit in secundo de Ortu & interitu, & hic primò cōpetit Aeri: Alterum, pro humore crasso magis conducēte pro cōstituendis mixtis humidis & connectendis eorū partibus, quo humore maximè humida est Aqua. Distinctio hęc elicitur ex ipsomet Arist. sub initio libri de Sēsu & Sensili, dicēte, Sed tamen inter Aerem & Aquam illud interest, ꝙ humor Aqueus constantiùs quàm Aer impressa vestigia retinet, & faciliùs loco clauditur: & in secundo de Ortu & interitu 49. pro connexione partiū mixti asseruit conducere humorem Aqueum. Hinc rectè dixit Olympiodorus, humorē crassum conducentem pro mixtis, magis competere Aquæ, humorē uerò tenuem, facilè terminabilem alieno termino, primò competere Aeri. Ex his facilè modò est elicere Solutiones difficultatū, nam instātiæ aduersus humorē primò Aeri tributum, qui primò Aquæ videtur competere, solutæ sunt, per ea quę dixi de duplici humido, & similiter ostēsum est, Arist. non secum pugnare. Quod autē pertinet ad frigus, quod potiùs terræ videtur primò cōpetere, iam dixi, quod si gradum inspicimus, in vtrisq; frigus est summum. Insuper, quamuis distantia a Cœlo sit causa frigoris, non tam est causa integra, quoniā frigus non est priuatio, sed forma; ideò pro causa non solā habet distantiam, quæ priuatio est, sed cum sit affectio, sequitur formā, & naturam propriam Elementi. At dicebatur, Terrā maximè

*An aer primo sit humidus.*
*Quod nō.*
*Ratio 1.*
*Ratio 2.*
*An aqua primo frigida sit, q̄d non.*
*Confirmatio.*
*Pro solutione accipitur 1.*
*Accipitur secundo.*
*Accipitur tertio.*
*Olympiodorus.*
*Diluūtur rationes aduersæ.*

ximè grauem & densam esse. Respondeo, grauitatem & densitatem non sequi solùm frigus, sed frigus cum sicco iunctum. hinc durum & densum ad siccum redigitur, & Aqua dum per Glaciem ad Terram inclinat & vergit, sicca redditur & condensatur. Addebatur postremò, ex Aqua facilè extrudi frigus, non ita humorem; Hanc difficultatem nititur soluere Alexander in primo Nat.qq.cap.7. at eo dimisso, dico primo, id accidere ex propria conditione huiusmodi Qualitatum: nam calor & frigus quæ sunt Qualitates magis formam præseferentes, & efficientes, faciliùs ex Subiecto repelluntur quam humor & siccitas, quæ magis naturales sunt & patientes. Addo secundò ex Aqua non abijci frigus superstite ea pura, sed mixta cum Vaporibus Igneis. Dico tertiò, non adeò frigus ab Aqua repelli, quin virtute & facultate seruetur, Aqua enim quousque remanserit humida, facultatem seruat refrigerandi Corpora, & frigus sibi consentaneum facilè recuperat.

*Alexander.*

## *An Elementa ambas Qualitates exposcant summas, Rationes pro vtraque parte. Cap XII.*

Vnicuique Elemento consensione omnium duæ primæ Qualitates competunt, hoc tamen apprimè dubiũ est, de quo Ratio cũ Sensu pugnat, & opiniones sunt variæ, an singula Elementa sincera & pura, Qualitates ambas sibi summas & sinceras exposcãt? Nã vna ex parte Arist. in secundo de ortu & interitu, 23. vnicã singulis videtur tribuere sincerã, inquiẽs, Sed tamẽ simpliciter cũ quattuor sint, vnius vnũquodq; est: Nã Terra sicci magis, quàm frigidi; Aqua frigidi magis, quàm humidi; Aer humidi magis, quàm calidi; Ignis calidi, magis, quàm sicci. Id ipsum patet Sensu, nunquã enim Aer apparet ita calidus vt ignis, & si magis excalefiat, in Ignẽ vertitur. Confirmatur, quia summũ calorẽ sequitur siccitas, aer autẽ est primò humidus. Præterea remotio à Cælo dat frigus, propinquitas calorẽ, quare Ignis maximè debet esse calidus cum sit propinquior, Terra maximè frigida. Insuper, excellentia, & summũ in omni genere vni soli competit, quare eadem Qualitas summa non potest per naturam duobus competere. Præterea, vt se habet de Definitionibus, ita putandum est se habere de rebus Definitis; at Definitiones primarum Qualitatum, traditę ab Arist. & à me relatæ in lib. de Qualitatibus, non æquè competunt Qualitatibus Elementorum, veluti secernere aliena, & nectere similia, magis competit calori Ignis, quàm aëris: terminari termino proprio, magis competit sicco Terreo, quam Igneo, & sic de cæteris Definitionibus. Quare colligendum est, Qualitates quoque definitas, nõ æque summas eis cõpetere. Demùm utor ratione Auerrois in quarto Meteorum, cont. 10. Si Elementa prædita essent Qualitatibus summis, non essent per naturam apta misceri, & propterea non essent Elemẽta. Cõsecutio deducitur, quoniam Qualitates summę sint ęquè potentes, quæ se mutuò superare non valent, & ideò, vel medium per mutuam actionem non constituerent, vel id semper esset æquale, cum Qualitates sint æquè potẽtes. Ex aduerso tamen videtur putandũ, ambas debere esse summas. Primò quia Qualitates simplices sunt summæ, Qualitates simplicium corporum debent esse simplices agi tur & summæ. Maior patet, quoniam remissio est imparitas & connexio cũ cõtrario. Minor etiam est conspicua, quoniam quale est Subiectum, tales debent esse eius affectiones. Præterea, quod est primum, est summum, nam remissio est recessus a primo; Qualitates primorum corporum debent esse primæ, & affectiones eis recta ratione respondẽt: igitur debent esse summæ. Similiter debent esse sinceræ, cũ Elementa sint corpora prima, simplicia, & sincera. Præterea, id quod penitiùs est secundum naturam propriam, debet esse summum & sincerum, nam remissio est recessus a propria natura Qualitates primę secũdum propriam naturam, & primò, competunt simplicibus corporibus,

*Quod non ambæ sinceræ.*

*Pro parte ducit a.*

poribus,ideò ſummæ & ſinceræ eſſe debent. Prætereà, omne quod primò & non per participationem alterius vni competit,ſummũ eſse debet, nã participatio eſt ea quæ fit per gradus:at Qualitates primæ primò competunt ſingulis Elementis, & non vni per participationem alterius prioris;igitur ſummæ eſse debent.Inſuper, menſuræ Tẽperamentorum debent eſse ſummæ & ſimplices: Qualitates primæ Elemẽtorũ ſunt menſuræ Temperamentorum,Temperamenta enim menſurantur per receſsũ ab illis. Pręterea remiſsum non eſt aliquid ſui natura & conditione certum & definitũ,poteſt enim eſse & magis & minus;at cum Elementa ſint corpora prima, ſimplia, & definita,definitas,& certas expoſcunt primas Qualitates,& in indiuiduo poſitas:huiuſmodi autem id ſolùm eſt,quod eſt ſummum,& ſincerum. Præterea,ſi Aqua eſset minus humida,quàm aer,non poſset aerem in ſe conuertere,nam minor humor nõ ſuperat, & minuit maiorem.Præterea,in Elementis,quorum vna Qualitas eſt communis pro mutua eorũ permutatione nõ vna ſola Qualitas mutanda eſset,ſed vna penitùs delẽda,altera minuenda,vel perficienda.Ariſt.autem in ſecundo de Ortu & interitu,vnicam ait eſse mutandam.Inſuper, cum Terra concedatur ſummè ſicca, quia maximè à Cęlo diſtat,ideò etiam ſummè frigida concedi debet. Similiter,cum Aqua concedatur ſummè frigida,& appareat ſummè humida, ideò ſummè frigida & humida concedi debet.Pręterea,cum Ignis ſit ſummè calidus,& calorem Igneum ſequatur conſumptio humoris,etiam concedi debet ſummè ſiccus:quod confirmatur per Ariſt.in ſecũdo de Cęlo,37.dicentem,remiſſionem eſse impotentiam,quæ à puris & ſimplicibus Elementis abeſse debet. Res itaque pro omni parte ſatis dubia, & obſcura eſt.

## *Referuntur Opiniones variæ, & reſoluitur Dubitatio quomodo Elementis Qualitates ſummæ conueniant.*

## *Cap. XIII.*

Qvemaemodum de omni re difficili,ita de hac opiniones uarię ſunt, quæ in quatuor principales rediguntur; Vna earùm eſt Auicennæ in poſttemo cap. ſui libri de Cœlo, dicentis, nonnulla Elementa expoſcere ambas Qualitates ſummas, alia vero non omnes, nam Ignem inquit eſse ſummè calidum,ſummeque ſiccum, Terram ſolum ſummè frigidam, aerem nullam Qualitatem habere ſummã, Aquam non ſummè frigidam,magis tamen humidam aere. Auicennam ſequitur Albertus Magnus in ſecundo de Gener.& interitu,23.& Albertum D.Thom.exponens eundem context. Hoc videntur elicere ex Ariſtot. in conext.22. dicente: Extrema quidem & ſincera Ignis & Terra, media autem & mixta magis, Aqua,& aer,&c. Idipſum poteſt ratione comprobari: Nam Ignis cum ſit Cœlo iunctus,ſummè eſt calidus,cuius calorem ſummum ſequitur ſumma ſiccitas;Terra maximè diſtans, eſt ſummè frigida, ſummum autem frigus non ſequitur euerſio cuiuſlibet humoris.Media Elementa ut loco,ita conditionib.debent cenſeri non ſumma,ſed remiſſa,ut etiã ſunt remiſsè grauia & rara. *Opiniones quattuor. Opinio prima Auicen.*

*Euerſio.* Hanc opinionẽ approbandã non puto; Primò,quia cuncta Elemẽta cũ ſint Elementa & prima,cõſimiliter debent eſſe ſimplicia & sũma,& non vnũ magis quàm alterũ. Præterea, omnis remiſſio eſt imbecillitas, & receſsus à primo,recedere autẽ à primo,eſt recedere a cõditione Elementi. Demùm, conſpicuè aduerſantur Ariſtoteli, qui aerem primò humidum & aquam primò frigidam affirmauit.

*2. Opinio.* Ideò eſt alia opinio quorundam,aſserentium Elementa omnia expoſcere Qualitatem vnam ſummam, alteram verò per ſuum contrarium caſtigatã & remiſsam:hoc aiunt aſseruiſse Ariſtotelem, dũ Elementis ſingulis ſingulas Qualitates primò competere aſseruit,non autem ambas.

*Euerſio.* Que opinio etiam non eſt approbanda; & pręſertim euertitur per rationes quibus oſtendi Elementis Qualitates ambas debere

bere competere summas. Præterea si id esset, tunc Elementis singulis nō duæ solę, sed tres competerent Qualitates, numerata remittente, nec verè essent simplicia, sed cum contrario iūcta, & per contrariū remissa, nā quales sunt affectiones, & differētiæ, tale iudicari debet id cui competunt. Propterea est opinio tertia Alexandri, in secundo
*Opinio 3.* Nat. qq. ca. 17. & in primo Meteorum, com. 13. necnon in libro de Sensu & Sensili, com. 30. asserentis Elementa vnicam habere Qualitatem summam, & de hoc consentit cum illis qui sunt opinionis secundæ: dissentit verò, quia Qualitatem alterā inquit remissam, non per contrariam, sed per naturam propriam & conditionem. Eiusdem opinionis etiam fuit Ammonius, ideò in Prædicamento Substantiæ ait, Qualitatem alteram Elementorum esse remissam, non per contrarium, sed vt vita Animę est diminutior vita Mentis, non per contrariū, & puritas Lunæ est diminutior puritate cęterorum Coelestium orbium, non per contrarium, ita Qualitas altera Elementorum. & hæc est remissio formæ sine contrario. Hæc opinio etiam non videtur approban-
*Euersio.* da, quoniā in his quæ sunt ab vno, potest considerari remissio & recessus à primo per gradus formarum sine contrario, vt in Cœlo, Mente, & Anima: at in vniuocis, non reperitur ordo prioris, & posterioris secundum formam, ideò in eis non seruatur remissio sine contrario, vel gerente uices contrarij, ut sæpè ait Aristoteles, Qualitates autem Vniuocæ sunt; & omnis calor est eiusdem speciei vltimæ, similiter frigus. Præterea, in his oppositis, quorum altero materia nudari non potest, non fit remissio nisi per contrarium; huiusmodi sunt quattuor primę Qualitates; quare nunquā materia exuit vnum gradum vnius, quin induat gradum oppositæ, nam vt totum ad totum, ita pars se habet ad partem, & vice versa: ideò si vno gradu nudaretur subiectū, non recipiendo oppositum, similiter posset nudari omnibus, & pręsertim quia omnes sunt consimilis rationis. Exempla sumpta à vita, & Cęlo, ad rem non faciunt, quia il-
*Opinio quarta verior.* læ non sunt remissiones, sed conditiones ab vno subordinatæ, & nō vniuocæ. Propterea est opinio quarta cæteris præferenda, Elementa sincera & pura exposcere ambas Qualitates summas. Huius opinionis fuit Galenus in primo De Elemētis, cap. sexto. & in lib. De Naturą Humana. Similiter Philosophus in secundo de Ortu & interitu, vigesimotertio. Hinc Auerroes in tertio de Coelo, 77. dixit: Ignis non est Ignis actu,
*Resolutio.* nisi cum calore, & siccitate, quæ sint summæ. Vt autem Resolutio pareat clarior, & aduersæ rationes conspicuè diluātur, quattuor profero tanquam Theses. Primum
*Conclusio 1.* est, dū Mente Elementa vt sincera & pura concipimus, exposcunt ambas Qualitates summas. Alterum est, si considerantur Elementa ut inueniuntur in Vniuerso, in quo
*Cōclusio 2.* impura & permixta inspiciuntur, nō ambas habent Qualitates summas, sed vel nullā,
*Cōclusio 3.* vel alterā tantum. Tertiò dico, cōparatis inuicem Elementis extrema vt inueniūtur in Vniuerso sinceriora, quā media, Ita Qualitatibus prædita sunt sincerioribus, & hoc asseritur ab Arist. in 2. de Ortu & interitu, vigesimosecūdo. Demùm addo, remis-
*Cōclusio 4.* sionem primarum Qualitatum in gradu, non fieri sine permixtione cum contrario, vt patefeciat si remissio fuerit in sola actione, ea potest fieri sine contrario, nam actio potest remitti per uariam connexionem cum distincta Qualitate, & Subiecto magis vel minus raro, & si Alexander & Ammonius hanc remissionē denotassent, rectè sensissent, at ipsis suis exemplis remissionē in gradu visi sunt denotasse. Hæ Cōclusiones ex prius dictis conspicuæ sunt, & comprobabuntur per dicenda de imparitate Elemē-
*Diluuntur vniuersa Rationes.* torum. Ex quibus elicitur Solutio aduersarum Rationum: Nā Arist. dum dixit, singulis Elementis Qualitatē vnam magis cōpetere, denotauit non remissionem in gradu, sed ordinem, quo suo Subiecto competunt. Sensus patefacit Qualitates competentes Elementis nobis occurrentibus non esse summas, tum quia sunt impura, tū quia iudicat actiones potius quā gradus. At dicebatur, summum calorem sequi summam siccitatem; Respondeo, id minimè verum esse, quoniam calor & cum siccitate, & cum humore seruari potest, nos autē decipimur, quia inspicimus calorem Igneum cū sicco iunctum desiccare, at id facit calor non ut calor, sed ut Igneus, hoc est cum sicco iū-

ctus:

citas, nam in Igne puro summũ calorem ita sequitur summa siccitas, vt in puro Aerè summa humiditas. Addebatur, Terram ob distantiam à Cœlo, debere esse frigidiorem Aqua; & Ignem Cęlo propinquiorem, calidiorem Aere. Hæc instãtia iam in pręcedentibus est soluta, cui solutioni addo rationem illam si quam habet uim, solùm ostendere Elementa ita esse affecta, quatenus actu in Vniuerso inueniuntur, non autẽ quatenus absolutè considerantur vt sincera, prima, simplicia, & pura. Addebatur, excellentiam vni soli competere. Respondeo id esse uerum de his quæ sunt ab vno, adeò vt per primum competat alijs, non de Vniuocis. Addo excellentiam vno modo sumptam vni soli competere, vt calor siccus, vni competit, calor humidus alteri. Dico Tertiò eam Sententiam esse ueram de Gradu Formæ, non de Subiecto, ut summa albedo denfinitum exposcit gradum supremum, potest tamen Subiectis uarijs cõpetere. Addo demùm, excellentiam primò uni soli competere, at secundariò posse competere alijs. Instabatur postremò, quia Definitiones earum Qualitatũ ab Aristotele traditæ non æquè competunt omnibus. Respondeo, primò eas competere omnibus æqualiter in suo genere, ut patefeci. Addo, Aristotelem in tradendis Definitionibus præsertim id considerasse, quod eis competit in constitutione mixti.

## *An in Vniuerso inueniantur Elementa sincera, & pura.*
## *Cap. XIIII.*

ASserui Elementa in Vniuerso impura & permixta inueniri, quod an sit uerum, satis est dubium, & dignum ex se ut accuratè cõsideretur: Et quoniam sinceritas considerari potest cùm in Vniuerso Elemẽto, tùm in partib. insuper cùm in Substãtia tũ in Qualitatib. ideò de singulis hoc obseruato ordine uerba faciã. Nã primò, ut exciteamur, rationes afferã pro utraq; parte. Secundò, eligã & approbabo partẽ, quã puto ueriorẽ. Tertiò, diluã Rationes aduersas. *Ordo seruandus.* Dũ Mentis aciẽ in Cœlum uertimus, intuemur illud omni ex parte sincerum & purum, at dum in orbem mortalem conuertimus, contrarietati & uarietati obnoxium, nullum Elementum secundum totum inspicimus sincerum, in omnibus enim conspicuè refulgent impuritates, ideò de hoc consentiunt omnes, nullum apud nos reperiri Elementum, quod secundum totum ab impuritate sit immune. Propterea de hoc solo est dubitatio, an in eis saltem partes aliquæ inueniantur sinceræ. Quod inueniantur, primò ostẽditur, quoniam in Vniuerso nil reperitur, quod toto suo genere sit præter naturam affectum: at impuritas, & remissio est dispositio præter naturam, ut dicitur in secundo de Cœlo, trigesimo septimo; est enim impotentia, & imbecillitas quædam: quare non est tribuenda uniuerso generi Elementorum. *Inueniri partes sinceras in Elementis. Ratio 1.* Et confirmatur, quia dispositio præter naturã est uiolenta; nil autem uiolentum est æternum, nec uniuersæ speciei competit, alioquin daretur posterius sine suo priori, dispositio enim præter naturam est posterior, & est recessus a dispositione secũdum naturam, & potest competere nonnullis particularibus, at non uniuersę speciei. Pręterea, in eo quod perfectum est, nil inuenitur quod sua perfectione sit destitutum: Mundus est corpus absolutè perfectum, quare nil in eo inuenitur quod postrema perfectione careat: & quia Elementa suo ordine mõdum constituunt, & sunt primæ partes Mundi, minimè putandum est saltem in partibus nonnullis, ea non esse prædita sua puritate, & sinceritate. Et confirmatur, quia ut dicitur in tertio Physicorum, 32. In æternis esse & posse, non distinguuntur, & præsertim dũ conducunt pro Vniuersi perfectione. Pręterea, idipsum Inductione redditur notum, nam progrediendo per species singulas, quæ Vniuersum complent, nulla earum inuenitur, quæ aliqua in parte sua postrema perfectione non fruatur, quare id quod in cæteris inspicitur, de Elementis negare non debemus. Insuper experientia nos docet;

quòd cum Elementa præter naturã fuerint affecta, per naturam propriam constitutionem naturalem recuperant, veluti Aqua præcalefacta ex se redditur frigida, constituta extra suum locum ex se in eum fertur; quare cõsimiliter putandum est, quòd dum fuerint in suo loco, & abfuerint contraria, omnem dispositionem præter naturã longè à se repellant, conducente communium causarum fauore, & recta constitutione. Prætereà, omne quod reperitur complicatum cum alio, & ei non repugnat reperiri seorsum a suo contrario, etiam seorsum reperitur: At datur mixtum in quo Elementa impura inueniuntur, & nil repugnat ea inueniri seorsum à cõtrario, igitur etiã inueniuntur. Elicitur hæc ratio ex Auerroe in primo de Cœlo, cont.&c. & confirmatur, quia conditio miscibilium est ut sint apta seorsum reperiri, vt dicitur in primo de Ortu & interitu, cap. de mixtione. Prætereà nisi daretur Elementa pura, nõ daretur motus rectus simplex, nam motus simplex simplicium est, consequens ab Aristotele in primo de Cœlo iudicatur absurdum, quia tunc daretur motus simplex secundum naturam, qui nulli competeret. Insuper comprobatur eadem sententia auctoritate Aristotelis in 3. de Gener. Animal. ca. 11. dicentis, Ignis apud nos est forma in aliena materia; Sed Genus hoc apud Lunam quærendum est, indicans apud Lunam inueniri purum. Et in secundo de Ortu & interitu, 22. ait extrema & sincera Ignis & Terra, indicans extrema inueniri sincera, media verò esse nõ absolutè mixta, sed impuriora extremis, cum sint in medio contrariorum posita. Demum, opera sunt quæ nobis patefaciunt conditionem rerum, sententia est Aristotelis in quarto Meteorum, tunc unumquodque esse perfectum, dum valet simile procreare: at partes variæ Elementorum generant alias sibi similes; quare sunt præditæ postrema perfectione. Hæ sunt præcipuæ Rationes, quæ nobis suadere videntur inueniri in Vniuerso Elementa secundum aliquas partes sincera & pura. Ex aduerso tamen variæ se nobis offerunt rationes, & auctoritates, quæ magis vrgent, & efficacius ostendunt in Vniuerso nullam Elementorũ partem inueniri quæ pura & sincera omnino sint. Hoc conspicuè affirmat Arist. in 2. de Ortu interitu, 20. inquiens, non est autem Ignis & Aer, & vnumquodque dictorum simplex, sed mixtum, simplicia verò huiusmodi quidem sunt, nõ tamen eadẽ, vt quod Igni simile Igneum, non Ignis, & quod Aeri, Aereum, non Aer. Similiter de cæteris, Ignis autem est excessus caloris, ut glacies frigoris, ideò nec ex Glacie, nec ex Igne aliquid fit, &c. Nec dicendum cũ D. Th. quòd Aristoteles non ex propria, sed ex Empedoclis sententia loquatur, conspicuè Philosophus ex propria opinione loquitur, nec id ex sententia Empedoclis proferre valuit, cũ ei tribuat, quòd existimauerit Elementa inuicem permutari non posse, nec vllo pacto remitti. Similiter minus rectè ait Philoponus Arist. per mixta denotasse composita ex materia & forma, nam aliud est mixtum, aliud compositum, Arist. ait ea esse mixta: insuper, ait esse Ignea, non Ignem, Aerea, non Aerem: at sola compositio ex materia & forma nõ destruit, sed constituit naturas Ignis, & Aeris. Simplicius ostendit Elemẽta non esse sincera, quoniam corpus præditum Qualitatib. secundis sequentibus Temperamentũ, minimè purum est; at singulæ partes Elementorum à nobis videntur vt colore, vel perfecto vel imperfecto præditæ, singulæ degustantur vt præditæ aliquo sapore, nulla itaq; earũ est sincera & pura. Præterea, ex Galeno satis pulchræ eliciuntur rationes. Nã ordiendo ab Aqua si daretur pura, vel esset congelata, vel fluens, non congelata, quia Glacies est uia ad Terrã, & proprio termino circũscribitur, quod humido aduersatur, & est aliquid Meteorologicum; Hinc Alexander in 1. Nat. qq. cap. 6. rectè inficiatur Glaciẽ esse aquã, puram, non fluentem, quia non est summè frigida. Glacies enim frigidior est, cum dicatur excessus frigoris. Et confirmatur, quia Aristoteles in 5. de Gener. Animaliũ, cap. 3. inquit, Dum cõgelatur Aqua, vnà cum calore humor secernitur, & nullus reperitur humor tenuis & fluens sine calore. Et hæc Ratio valdè est efficax, & confirmatur, quia si daretur Aqua pura, præsertim ibi reperiretur, vbi maior est Aquæ copia, potentiùs ualens se à contrario incolumem seruare: at in mari est salsa & permixta.

*Rationes pro parte aduersa.*

*Aduersus D. Thom.*

*Aduersus Philoponum.*

*Simplici.*

*Rationes ex Galeno à propr. De aqua.*

Similiter

Similiter loquendo de Igne si daretur Ignis purus; vel esset cum incensione, vel ne? cum incensione non est purus, sed tanquam forma in aliena materia, egens alimento. insuper, incensio non est sine humore, & luce, at Lux in mortalibus est Qualitas secũda, non competens sinceris Elementis, vt rectè dixit Auerroes; Si non fuerit incensio, non erit summè calidus; nam inquit Arist. incensionem esse excessum caloris. Hinc Arist. in secundo de Ortu & interitu, 28. inquit, Maximè flamma Ignis est, hęc autem est fumus ardens, fumus autem ex Aere & terra constat: si itaque flamma ab Aristot. dicitur maximè Ignis, & ea nõ est Ignis purus, igitur sincerus Ignis non datur. Descẽdamus ad Terram. Si daretur Terra pura, ea deberet esse densior Adamante, & grauior quouis alio corpore, cum reliqua ex Terra grauitatem & densitatem recipiant: at portio terræ huius conditionis nusquam, & nunquam inspecta fuit. Nec prodest fuga asserentium huiusmodi Terrã puram propè Centrum inueniri, nam fugere ad Cẽtrum est fugere ad tenebras, & præsertim, quia per innumeras fossiones Terræ nunquam inspecta est: in attinentibus autem ad Sensum tenemur fidem adhibere Sensui. Et confirmatur, quoniam Arist. in lib. de Longitudine & breuitate uitæ, affirmat, cuncta sub Luna posita vbicunque repetiantur, semper iunctum habere contrarium corrumpens; & vbi materia reperitur, etiam adesse cõtrarietatem; quare etiã in Centro terræ contrarium & impuritas locum habent. Et Auerroes in quarto Meteorum, commen. decimo, inquit, Elementa non inueniri in locis suis sincera & pura. Idipsum patet de Aere, nemo enim purum Aerem inspexit, sed vel non summè calidum, vel frigidum, vel cum Vaporibus permixtum. Quòd autem suprema pars, quę fomes incensionis dicitur, non sit Elementum purum, constat: quia est Vapor, & aliquid Meteorologicum, de quo loquẽs Aristoteles in primo Meteorum, dixit: Quem propter consuetudinem nuncupamus Ignem, non est autem Ignis, &c. Demùm hoc confirmatur satis firma & efficaci Ratione. Nam Elementa ita putandum est in Vniuerso reperiri vt melius sunt affecta & disposita, at dum sunt impura, absolutè sunt melius disposita: quod ostendo, quoniam ea quæ in Vniuerso reperiuntur subordinata sunt, ut dicitur in 12. Metaphysicæ, 51. subordinatorum autem vnumquodque eo est melius dispositum, quo proximius fuerit ulteriori fini: Elementum mixti est Elementum, ideò impuritas Elementorum est uia ad ulteriorem finem, & est secundum naturam totius Vniuersi, & secundum naturam Elementi, ut Elementum est. Confirmatur, quia esse Actu, est præstantius quàm esse potestate, Elementum sincerum, solùm est Elementũ potestate, Elementum impurum est Elementum partim actu, partim potestate, ideò quamuis Ignis, & unumquodq; aliorum, ratione propria, ut sincerum, sit magis tale, absolutè tamen præstantius est, dum est impurum & permixtum. His accedit, quòd eorum impuritas varias & insignes Vniuerso præbet utilitates. Ita enim Elementa faciliùs inuicem permutantur, aptiùs miscentur, plura generant, sunt locus aptior, & temperatior Animaliũ, præbent Animalibus alimentum, non adeò inter se pugnant, sed aliqua amicitia ligantur, & omnia in Vniuerso ita sunt constituta, ut magis conducant pro perfectione Vniuersi. Non itaque sunt omni ex parte sincera.

*De Aere.*

## *De sinceritate Elementorum Opiniones variæ & Resolutio difficultatis. Cap. XV.*

VT ardua est quæstio de Elementorum sinceritate, ita sublimia ingenia non consentiunt, sed de ea varia sentiunt, & enunciant. Plurimi interpretum Aristot. existimant reperiri in Vniuerso Elementa secundum partes absolutè sincera, & pura. Alij inquiunt reperiri pura secundum Substantiam, non recipientẽ magis & minus, impura verò secundũ Qualitates. Alij nullo pacto. Alex. vir summę auctoritatis, in 2. de Anima c. 30. concedit dari Elementa pura,

*Opiniones variæ de Elementorum sinceritate.*

*Alexander.*

& in secundo Nat.qq. cap.17. colligit Ignem sub Orbe Lunæ alimento non egere,
*Plato.* & esse sincerum,& purum,cum contrario non mixtum. Ex aduerso tamen Plato,& omnes qui eum sequuutur, inficiantur dari Elementa sincera, ideò in Philebo legitur, vnumquodque Elementorum apud nos esse exiguum, & vile,nec vllo modo sincerum,& integrum,nec vim natura sua dignam seruare. Et in Timæo ait Plato, hæc nedum non esse Elementa,vt sunt materia & forma, immò, nec sillabas, hoc est ex
*Siplicius.* solis primis Elementis composita, sed inuicem permixta. Simplicius Platonem sequens, frequenter negat Elementa inueniri pura, veluti in primo de Cœlo, com.8. & 20. necnon in 4.Physic. in expositione contex. decimi Sententia Alexandri asserentis dari Elementa pura, cumulatè reijcitur per rationes priùs relatas. Plato eatenus minus rectè sensisse visus est, quatenus existimauit Elementa ob id non esse pura,quia sunt prædita Anima, corpus autem viuens includere debet omnia Elementa, ideò dixit omnia Elementa esse in omnibus, sed in Cœlo esse reducta ad conditionem Igneam,& eminentiorem sinceritatem, in Terra ad conditionem Terream, in Aqua ad Aqueã,& sic de cęteris,nam Elementa Animę sunt expertia,nec ita sunt
*Aduersus Simplicium* permixta,vt permixta esse debent viuentia Corpora. Similiter probandam non puto sententiam Simplicij,in 4.Physic.relatam, quod si darentur Elementa pura,non caderent sub nostros Sensus, quoniam cùm eis non conuenirent, cum instrumenta Sensuum mixta sint: hoc inquam verum non puto, quia proculdubio Sensu tactus perciperentur, qui est aptus percipere omnes Qualitates tangibiles, nec requiritur vt Corpus Sensum mouens ita sit mixtum, vt instrumentum eius. Quod patet,quia
*Philoponus.* videmus Cœlũ. Philoponus in secundo de Ortu & interitu, 22. opiniones pugnantes conciliare nititur, inquit enim, Si Ignem per visibile, & Terram per tãgibile vnà cum Platone in Timæo definiuerimus, omnia Elementa erunt in singulis, cum omnia & visibilia,& tangibilia sint. At si cum Aristotele ea definiuerimus per terminari,& nectere similia vel dissimilia,ita poterunt esse sincera, & si poterunt,etiã erunt.
*Euersio.* Hoc concilium dubium est, quia dum sinceritatem Elementorum consideramus, essentiam & Qualitates inspicere tenemur. De his est dubitatio,quæ si erunt impura,etiam Definitiones ab Aristotele traditæ eis competent per magis & minus,non autem consimiliter. Propterea absolutè cum Aristotele dicendum puto, in Vniuerso Elementa sincera non inueniri,veluti etiam existimauit Galenus in lib. Hippocratis de Natura Humana, com. 38. necnon in libro de Elementis, cap.5. & 6. Et pro
*Resolutio.* Resolutione difficultatis dico, Elementa posse dici sincera, & pura duplici consideratione. Primò,id referendo ad illud exactum & purum,mente conceptum,competens Elementis,dum absolutè considerantur, vt prima & simplicissima, necnon tanquam mensuræ temperamentorum,& mixtorum,qua consideratione puto Elementa pura nec secundum Substantiam, nec secundum Qualitates in Vniuerso reperiri, & hoc patefecerunt Rationes supra relatæ. Secundò,referri potest ea puritas ad Elementa,vt includentia eam puriorem dispositionẽ, quę eis seorsum in Vniuerso est aptà competere, qua consideratione concedo dari Elementa pura, quæ est sinceritas non absoluta, sed potior, quæ eis competere valeat, & hoc ostendunt Rationes aduersæ, quam resolutionem veram puto, cùm de Qualitatibus, tum de formis Substantię Elementorum: quia mutuò se consequuntur, & formæ Elementorum intensionem, & remissionem suscipiunt, vt suo loco patefecit.

Diluuntur

## *Diluuntur Rationes, quibus ostendebatur dari Elementa omninò sincera. Cap. XVI.*

Ex resolutione difficultatis facilè modo est elicere solutiones aduersarum Rationum, & Variarum difficultatum. Nam quæri solet, an aqua pura & sincera debeat esse congelata, vel fluens? Respondeo, neutram esse absolutè purã, vt patefeci, sed quatenus valet in Vniuerso reperiri, Aqua fluens est sincerior, cum non sit Meteorologicum aliquod, & tam conspicuè impura ut glacies. Similiter quęritur, num Ignis purus sit incensio, vel potiùs id tenue corpus, quod sub Luna reperitur? Respondeo, absolutè nil eorum esse Ignem purum, ut iam patefeci: facta autem comparatione, & considerãdo Ignem ita purum ut aptus est reperiri, dico id Corpus quod sub Lunę Orbe reperitur, esse Ignẽ purum. Ita diluitur controuersia quæ apparet in Aristotele: nam in primo Meteorum inquit, illum non verè esse Ignem, sed per consuetudinem dici Ignem, indicans ibi Ignem purum non reperiri. At in 3. de Gen. Anim. ca. 11. ait, Genus hoc, nempè veri Ignis, apud Lunam debere quęri, nam est purus, & non purus, distincta consideratione, vt patefeci. Rationes aliç aduersę facilè diluuntur. Dicebatur primò, nil in Vniuerso reperiri, quod toto suo genere sit præter naturam: patet Solutio, nam patefeci Elementa constituta in cursu & fine mixtionis, potiorem dispositionem includere, esse proximiora postremo fini, & esse secundum naturam Vniuersi, præferendam conditioni propriæ: sat est, ut inueniantur eo modo pura, quo inueniri ualent, ac ita Vniuersum erit omni ex parte perfectum. Addebatur, Aquam pręcalefactam ex se reddi frigidam. Respondeo, Elementa ex se recuperare eam potiorem dispositionem, quam assequi apta sunt, pro qua etiam conducunt & conspirant causæ communes & proprię. Dicebatur, quòd ea quę reperiuntur coniuncta, etiam inueniuntur seiuncta. Cõcedo, ut apta sunt inueniri. Ita etiam exponendus est Aristoteles, inquiens Elementa extrema esse sincera, dico esse sincera, facta comparatione, nõ absolutè, & vt apta sunt subsistere. Addebatur, quod non darentur motus recti simplices. Respondeo, sat est, ità esse simplices, vt inueniri possunt. Insuper, sunt simplices, quia non semper est remissio in Qualitatibus loco mouentibus. Demùm, ea impuritas non est talis, ut motũ reddat propriè mixtum, quia semper motus dicitur simplex, quousque ex remissione non consurgit forma mixti, quę sit principium motus mixti. Dicebatur postremò, Elementa esse perfecta, cum ualeãt simile generare. Dico, ita esse perfecta, ut apta sunt esse, in qua dispositione ualent simile generare, nam huiusmodi perfectio latitudine est prædita, ut patet de uiuentibus. Sed pulchra ex dictis emergit Dubitatio. Cum considerentur Elementa pura, & non pura, num eorum nomen dicatur de illis Vniuocè, uel Æquiuocè, ueluti, cum Ignis dicatur de Flamma, Carbone, Igne posito sub orbe Lunæ, & de sincero penitùs, num dicatur Æquiuocè? Alexander in secundo Natur. qq. cap. 17. ait, dici Æquiuocè, quod etiam affirmat Auerroes in secundo de Ortu, & interitu, 21. in primo de Cęlo, 91. & in quarto de Cœlo, 32. Cui difficultati respondens, dico, Elementa posse considerari, uel secundum essentiam, uel secũdum gradus existentiæ: si cõsiderantur secundum essentiam, nomina dicuntur Vniuocè, nam essentia in indiuisibili est posita: at si considerantur secundum gradus existentiæ, & connexionis cum alio, sic dicuntur non quidem Æquiuocè à casu, sed ab uno, quatenus ordine quodam includunt gradus existentiæ alicuius, & definiendo id compositum ex oppositis uario modo definitur ac definiatur simplex & parum.

*Dubitatio de Aqua soluitur.*

*De Igne.*

*Diluũtur aduersæ Rationes.*

*Dubitatio.*

*Alexander.*

*Solutio.*

## *An Qualitates consimiles distinctorum Elementorum sint eiusdem speciei.* Cap. XVII.

*Quod sint eiusdē speciei.*

Competit eadem Qualitas duobus Elementis veluti Humor Aeri, & Aquæ, Siccitas Igni & Terræ. Quæritur an sint eiusdem speciei? Arist. semper videtur supponere esse eiusdem speciei, ideò solus quattuor statuit Qualitates primas, & ait Elemento quibus Qualitas vna communis est, facilius inuicem permutari, quoniam vnica Qualitas est permutanda, & in Cont. 24. primi de Ortu, & interitu, ait, In mutua Elementorū permutatione si qua maneat affectio eadem. Similiter quattuor solas tradit definitiones earū, quæ omnia indicant, humorē omnē esse eiusdē speciei, & ita de cæteris Qualitatibus primis, alioquin Tēperamenta nō ex quattuor, sed ex octo Qualitatib. cōficerētur. Ex aduerso, Qualitates illæ videntur distinctæ, nam Aqua excalefacta quāuis sit calida & humida, tamen non est Aer, quia seruat humorem Aqueum non aereum. Similiter aer refrigeratus non est aqua, quia eius Humor non Aqueus, sed Aereus est: neque etiam Terra summè excalefacta Ignis est, quia seruat siccum Terreum, non Igneum. Insuper, calor Igneus comburit, destruit, quod non efficit calor Aereus. Propterea Auerroes sæpè inter calores discrimen ponit, & præsertim inter cœlestem, & Elementarem, veluti 12. Metaphysicæ, decimoctauo, secundo de Gener. Animal. cap. 3. quarto Cœli 32. & alibi. Simplicius in secundo, de Cœlo cont. 11. ait alteram Terræ, alteram Ignis esse siccitatem, idipsum asserit Philoponus in primo de Ortu & interitu, 72. Cōprobantur hæc omnia: quia calor consumens humorem, non est idem speciei, cum calore humorem seruante, calor Ignis & Aeris ita inuicem se habent. Similiter calor febrilis conspicuè differt à calore proprio, & naturali, ille necat, hic vitā seruat; ille actiones lædit, hic perficit; ille coctionem impedit, putredinemque affert, hic facit opposita. Hinc Auerroes in secundo cap. de Substantia orbis ait, forte non est à ratione alienum, vt calor de Cœlesti & Elementari dicatur Æquiuoce, cum eorum actiones sint variæ, ita calor erit duplex, vnus numeratus inter Qualitates passibiles, alter, qui non est è numero huiusmodi Qualitatū &c. Confirmatur, quia si duo Elementa eandem specie includeret Qualitatem, in principijs rerum inueniretur aliquid redundans, sat enim est, ut vnum sit Corpus calidum, & similiter de cæteris, pro rerū generatione & conditione. Pro resolutione loquar de calido, in quo plures quàm in cæteris apparet varietates, & quod de eo dicam, de cæteris Qualitatibus intelligatur.

*Autr.* *Simplici.* *Quod distinguantur specie.*

*De calido.* Calidum vsurpatur dupliciter, & pro Substantia calida, & pro Qualitate. Pro Substātia non est dubium multiplex dari calidum specie, vt Spiritus, Flamma, & similia. Si sumitur pro Qualitate, vel est calidum virtute, ut Lumen, Motus, Piper, quę specie distinguuntur, ut patet. Vel actu, & hoc uel usurpatur latè pro quouis ad calidum, uel ad aliam Qualitatem reducibili, & hæc etiam specie distinguuntur, ob multas uarietates eorum in secundo de Ortu & interitu ab Aristotele declaratas: Vel demùm, consideratur calor pro Qualitate & propriè sumpto calore, de quo est dubitatio. Et utendum est distinctione speciei, & dicendum, esse distinctæ uel eiusdem speciei, contingere dupliciter, uel absolutè, & secundum propriam essentiam, uel ex accidenti ob coniunctam cum ea: si consideratur absolutè & secundum essentiam propriam, omnis calor est eiusdem speciei specialissimę ex accidenti uerè, & ob id coniuncta distinguitur specie. Quod autem secundum propriam naturam omnis calor sit eiusdem speciei, ostendo, nam Qualitatum iudex est sensus, qui omnem iudicat consimilem, & non decipitur circa proprium Obiectū. Confirmatur ratione cōspicua, quia Calor Ignis agens in Aquam, eam disponit ad formam aeris, & uertit in aerem, quod non efficeret, nisi Calor Ignis & aeris essent eiusdem speciei. Similiter inspicimus sæpè Calorē aeris augeri per Calorem Ignis. Præterea, conspicuè patet, omne frigus oppositum

*Calorem omnē esse eiusdē speciei.*

calori

calori eiusdem esse speciei, quare idipsum de calore est dicendum. Insuper, quòd calor à Cœlo productus non distinguatur specie à calore Elementari, ostenditur per Aristotelem in secundo de Cęlo, 41. & in primo Meteorum, asserentem a Cęlo per motum calefieri mortalia, incendi, & in Ignem verti. Quòd etiã calor vitalis ab Elementari nõ distinguatur specie, elicitur ex Aristotele in 2. de Anima, 41. & secundo de partib. Animalium, cap. 7. asserente, Ignem, nomine Ignis denotando uitalem calorem, non esse causam, sed concausam, hoc est instrumentum nutritionis, indicãdo calorem uitalem à calore Igneo non distingui; & iure profectò, cum calor vitalis in spiritu sit positus, qui ex Elementis producitur. Rationes aduersæ facilè diluuntur. Dicebatur primò, quòd Aqua excalefacta non est Aer. Respondeo, non solus calor & humor constituunt Aerem, sed præsertim propria forma, Aqua excalefacta est uia ad Aerem, & quoddam mixtum, cuius calor in vaporibus cum ea mixtis est collocatus, non autem ei est intimus, hinc facilè euanescit. Id ipsum dicendum de Aere refrigerato, & Terra excalefacta. Addebatur, siccum Igneum distingui a Terreo. Respõdeo, distingui specie ex accidenti: ob connexa opera autem variantur varietate dirigentium, connexorum, & mensurarum, ob quæ dicebatur differre specie ex accidenti, nõ absolutè & secundum propriam essentiam. Ita limitanda est Sentent. Simplic. Philosophi, & Auerrois, alioquin falsa esset. Hinc Auerroes in secundo de Cœlo, 41. ait, Ignem vt ab Igne, ita a Cœlo gigni posse. Neque in Elementis repetitur aliquid frustrà, & reddundãs, quamuis eadem Qualitas duobus Elementis competat, quoniam est necesse singula Elementa unam agentium, alteram patientium Qualitatum includere, vt in præcedentibus patefeci, & hoc varias præbet vtilitates.

*Diluuntur Rationes aduersę.*

## *Quattuor Elementorum, quodnam sit præstantius.* Cap. XVIII.

Elementorum quodlibet pro Mundi ordine & perfectione, pro Mixtorum constitutione, & demùm pro viuẽtium nutritione & conseruatione esse nedum vtile, verùm insuper summopetè necessarium, Ratio Experientia, & Cõsensio Sapientũ patefaciunt: cum quodlibet eorũ proprio perfectionis gradu sit præditũ, tamẽ nõ exigua est, quodnã eorũ dignitate cęteris præstet & antecellat? Quã de re sententiæ sunt uariæ: Nã Philosophi varij varijs Elemẽtis principatũ tribuerunt, ut Thales Milesius Aquæ, Diogenes Aeri, Heraclitus Igni, Hesiodus Terræ, præsertim tamẽ lis vertitur inter Ignẽ & Terrã, hæc .n. sunt quæ sibi maximè principatũ optare videntur. Pro parte Terræ est Hesiodus & Pherecides Chius; Insuper etiã nostri Theologi post Cęlũ Terrã aiunt creatam, in Principio .n. creauit De⁹ Cœlum & Terrã, adeò, vt Terra ea sit, quæ ob eius præstantiã post Cęlum meruerit inter creata corpora numerari. Et quemadmodũ datur Paradisus Cęlestis, ita datur Terrestris, non autem Aeteus vel Aqueus. Plato in Timæo, de Terra loquens ait, Terram autẽ altricem nostram, circa Polum per Vniuersum extensum alligatã, diei noctisque effectricem esse luit, necnon primam, antiquissimamq; Deorum omnium, qui intra Cęlum sunt geniti. Conspicuè Plato Terrã cęteris Elementis uidetur præferre. Auicenna in suo lib. de Cœlo, c. vltimo, eandem sententiam approbans, inquit Naturam inter Elemẽta primo expetere generationem Terrę, cæterorum uerò Elementorum non primò, sed secundò, quia Terra illis egebat ut custodiretur. Confirmatur eadem sententia: quia Cœlum pro suo perenni motu eget Terra in medio quiescente, vt dicitur in 2. de Cęlo, non ita eget alijs. Simplicius in 2. de Cœlo, 47. ait, Pyrhagoreos Terrã nuncupasse Thronum, carcerem, & custodiam Iouis, quæ indicant præstantiam Terræ, quæ comprobatur Rationib. quorum prima sumitur ex loco: nã in loco præstãtissimo corpus præstan-

*De præstãtia Elementorum sententiæ variæ.*

*Pro pręstã tia Terræ.*

*Plato.*

*Auicenna.*

*Pythagorei.*

*Ratio 1.*

præſtantiſſimum poni debet;locus autem præſtãtiſſimus eſt medius,qui etiam eſt tu
*Ratio 2.* tiſſimus.Inſuper,Terra eſt locus & ſedes Hominis,& præſtantiorũ Animaliũ,ut Cœ
*Ratio 3.* lum Dei & ſuperarum Mentium. Præterea, in mortalibus corpora mouentur vt re-
*Ratio 4.* quieſcant,adeò ut eorum quies dignitate præſtet motui,cætera Elementa continẽter
mouentur & agitantur,ſola Terra tanquam Regina, in ſua ſede requieſcit. Inſuper,
Terræ prǽſtantiam & dignitatem patefaciunt Homines,qui Terram colunt, Terram
emunt,Terram ſtatuunt diuitias & delitias ſuas,Terræ cupiunt euadere Domini, de
Terræ finibus & poſſeſsione contendunt; eam ſolam & prodeuntia ex illa, ut Fru-
ctus,Metalla,& Lapillos precioſa appellant,ex Terra alimenta hauriunt,& demùm,
illi ſoli dicuntur Principes,Reges,& diuites,qui non Aeri,vel Aquæ, ſed Terræ præ-
ſunt,eiuſque ſunt Domini.Hinc Terra dicitur Antiqua Mater,nupta Coelo,ut com-
muni patri,dicitur matrix & cuſtos Hominum, adeò ut iure principatum ſibi optare
*Pro parte* videatur.Ex aduerſo tamen Ariſt.Terram ut loco,ita dignitate infimam iudicat,pu-
*aduerſa.* tat enim ordinem præſtantiæ corporum reſpondere ordini locorum,& iure,nam con
tinens eſt tanquam forma,terminus,& perfectio contenti: hinc mobile primũ,quod
dicitur locus Dei, eſt menſura ordinis, & præſtantiæ cæterorum ſimplicium corpo-
rum,adeò ut diſtantiora ab eo,etiam ſint ignobiliora; propinquiora verò,præſtantio
ra. Hinc inſtinctu quodam naturæ, communi voce, dum vile aliquid indicare volu-
mus,dicimus id eſſe fecem,puluerem,& Terram. Quod rationibus oſtẽditur,& pri-
mò.Similiora Cęlo ſunt præſtantiora,Cęlum eſt perſpicuum,& cum eo tria ſuperio
ra Elementa,ſola Terra ſe offert aduerſa Coelo,& adeò opaca,ut ſua opacitate ſit o-
rigo Noctis,Tenebrarũ,& Eclypſis, reliqua Elemẽta ſunt capacia Radiorum & Lu-
minis,Terra cum radijs pugnat,eoſque repellit. Præterea,calor Qualitatum agentiũ
eſt præſtantiſsimus,amicus naturæ,purgans,attenuans, & eleuans, Terræ competit
oppoſitum eius. Similiter Qualitatum patientium Humor eſt præſtantior,cũ ſit tan-
quam forma,& ſundamentum vitæ,cuius oppoſitum cōpetit Terræ. Præterea,Ignis
in actione eſt potens,penetrando in alia acutus,in productione formans,in mixtione
perficiens,in mixtorũ conſtitutione origo ſplendoris & lucis,in uiuẽtiũ productio-
ne ſummè vitalis,partes habet tenuiſsimas,plurimum includit formæ,minimum ma
teriæ,ſua conditione maximè eſt purus,alienas Qualitates reijciens,ſolus nõ eſt ob-
noxius putredini,eſt Coelo vt loco,ita conditionibus ſummè conſimilis,a Coelo mo
tu & lumine primò & præſertim ſeruatur,unà cum Coelo tanquam eius ſocius conti
nenter reuoluitur, figuram extimam proximè à Coelo recipit exquiſitiſsimè rotun-
*Simplici.* dam,quę omnia conſpicuè Ignis præſtantiam nobis patefaciunt. Hinc Simplicius in
*Plotinus.* primo.Phyſicorum,quinquageſimoprimo,ait,Ignis dum manet Ignis,quia ſimilior
eſt formę,non recipit contraria,ut reliqua Elementa, & Plotinus, En.prima lib.ſex-
to,cap.tertio,inquit;Ignis pulcher eſt præter cætera corpora,nam ſi cũ cæteris com-
paretur,formę obtinet locũ,cauſa eſt Lucis,& pulchritudinis cæteris,eis eſt eminen-
tior,ſubtilior,& incorporeæ naturæ propinquior,ſolus non recipiens aliena, cum ea
alia recipiant,calorem primus habet,emicat,fulget tanquam ſpecies,&c. Hinc vete-
res Ignem verebantur extinguere,ne uiderentur naturæ coelitus viuæ, vim inferre.
*Alexãder.* Et Alexander in ſecundo Natur. quæſtionum,capitulo tertio, & cum eo Auerroes
in primo de Ortu & interitu, com. decimooctauo, inquit, mixta quæ
plus Ignis includunt, eſſe præſtantiora. Ita Ignem vt velo-
ciſsimum, ita omnium corporum potentiſsimum
*Concluſio.* iudicamus. Colligamus itaque Ignem vt
loco, ita dignitate cæteris
Elementis ante-
cellere.

Reſolu-

## *Resolutio difficultatis de Præstantia Elementorum.* Cap. XIX.

APparuit Elemento ignis primum dignitatis Locum esse tribuendum: at quia Rationes aduersæ non exiguam afferunt difficultatem, ideo pro resolutione difficultatis, & aduersarum rationum solutione, duo præaccipienda sunt. Primum est, apud nos vt plurimum euenire, ut quæ magis sunt necessaria, etiam sint viliora, & origine primã, quod patet exemplo Materiæ, & multorum aliorum, & nos frequenter pluris facimus ea, quæ magis nobis necessaria sunt, ut pluris facimus panem quam literas. Accipio secundo, præstare alteri, dupliciter contingere, vel conditione propria, uel munere alieno, veluti prima materia quamuis conditione propria sit vilis, tamen vt induta præstantibus formis, plurimum dignitatis includit. His præassumptis, dico Ignem absolute & sua conditione præstare Terræ, Terram tamen maxime nobis esse necessariam, & ob semina, & munera a Cœlo recepta reddi præstantiorem, & preciosiorem. Ex quo aduersarum Rationum Solutiones facile eliciuntur: nam authoritati de promptæ ex Genesi, vbi legitur, In principio creasse Deum Cęlũ & Terram, dico, eã indicare impetfectionem Terræ, fit enim mentio de duplici corporum extrema conditione, nempe pręstantissima, & uilissima, quorum corporum vnum est tanquam forma, alterum tanquam materia, connotando cætera vt contenta inter ea. De sententia Platonis in Timeo, nuncupantis Terram antiquissimam Deorum omnium, infra Cœlum genitorum, Inquit Foxius, Platonem nomine Terræ denotasse Vniuersum mortalem orbem, per Deos uero Homines; Sed errauit: nam Plato conspicue de Terra loquitur, vt contradistincta a cæteris Elementis, hinc illam nuncupat altricem nostram, diei noctisque effectricem, nec per Deos denotauit Homines, primo, quia eos non consueuit nuncupare Deos, cum sint mortales. Respondeo, quia non sunt eiusdem ordinis cum Terra, adeo, ut inter eos & Terram cadat ea comparatio. Tertio, quia ex sententia Platonis in Phedro, mortalis orbis non est Deus unus, sed quattuor, ob quattuor Animas Elementorum, Mentis compotes. Dicamus itaque, Platonem nomine Terræ, proprie Terrã denotasse, & per Deos intra Cœlum genitos, denotasse Cætera Elementa, quæ in Phedro Deos appellauit. Terram dixit antiquissimam, tũ, quia maxime præsefert materiã origine primam, tũ quia maxime est necessaria, tum quia pro Cęli motu primo requiritur tanquam Centrum, tum demũ, quia in eodẽ Timeo, Plato dixit, cuncta Elementa inuicẽ permutari excepta Terra. Ponitur Paradisus Terrestris non Igneus, uel Aereus; primo quia Homo sua corporis conditione est incola terræ. Secundo, quia Terra alienis muneribus maxime est ornata. Auicennæ, dicenti naturã primo expetere Terrã, Respondeo, eã expetere ratione necessitatis, & pro motu Coeli, non absolutè, cętera Elementa dicuntur conducere, pro salute eius, ut Princeps pro salute Populorum, & formę pro perfectione materię, est enim auxilium Regium non seruile. Insuper considerandum, Elementa ad duo referri posse, primo ad motum Coeli, ita dicimus pro Cęli motu necessariã esse quietem Terræ in medio; secundo, ad ordinem conseruationis a Cęlo, ita dicimus Cœlum proxime seruare Ignem, mox per consequutionem cæterã, de sententia Pythagoreorum, dicentium Terram esse Thronum Iouis, carcerem & custodiã. De sententia Pythagoreorum alibi plura dixi, nunc breuibus dico, eos huiusmodi Metaphoris uaria denotare voluisse, Terrã dixere Thronum, quia in ea ab Hominibus colitur Deus, in eaque refulgent varia iudicia Dei, per varias Hominum sortes. Dicitur carcer Iouis, quia uiri vitiosi qui filij Terræ dicuntur, cum uiuant vitam corporis, & sequãtur propensiones eius: apud inferos cruciantur, & dant pęnas suorum delictorum. Dicitur custodia Iouis, tum quia praui in terris sub Iouis custodia quasi carceribus detinẽtur,

*Pro resolutione primũ quod accipitur.*

*Alterum quod accipitur.*

*Resolutio*

*Solutiones aduersariũ Rationũ.*

*Foxius.*

*Explicatur sententia Platonis.*

*De sententia Pythagora.*

tum

tum insuper, quia Cœlum voluitur circa Terram, quasi terræ vt centro sit alligatum. Ratio sumpta ex loco soluitur ab Aristotele in secundo de Cœlo septuagesimoquarto, dicente, medium esse duplex, vnum perfectionis, alterum molis, Cœlum est mediũ perfectionis, ex quo vt ex Corde pendet salus Vniuersi orbis. Terra est medium molis, & in loco medio secundum molem, quod medium non semper est pręstãtius. Insuper, Mundus consideratur dupliciter, primo, secundum orbiculatam eius figuram, ita Terra est in medio: Secundo, inspiciendo motum rectum Elementorum, & ordinem quo cuncta pendent ex primo, qua consideratione Cœlum dicitur supremum, Terra infima, Cęlum sursum. Terra deorsum, reliqua verò media. Addebatur, Terram esse sedem Hominum. Respondeo, id euenire non ex præstantia, sed ex necessitate Terræ; non ex dignitate absoluta, sed aliunde recepta, non ex conditione humanæ Mentis, supera petentis, sed ex conditione corporis mixti in quo dominatur Terra, & alimenta recipit ex ea. Afferebatur ratio sumpta ex quiete, dico ex ea colligi oppositum, nam motu recto mouentur corpora vt quiescunt, hoc est vt assequantur locum suum, quem cũ fuerint assequuta, quo erunt præstantiora, eo magis imitantur Cœlum, & una cum eo reuoluuntur in orbem, non autem ocio torpent.

*Medium duplex.*

*Cur Terra sint quasi mater.* Terra dicitur antiqua, & communis mater, primo, quia plurimum materiæ tribuit Animantibus; secundo, quia ea seruat & nutrit per semina aliunde recepta, est mater corporum non Animorum. Dicebatur, Terram plurimi fieri. Respondeo, plurimi fieri ob munera aliunde recepta, & ob necessitatem, nam Terra pura frigida solum, & sicca; fœcunda non est, & nullius est precij, redditur autem foecunda per mixtionem cum alijs. Et cum Terra absolute Elementorum omnium ut vilissima, non ob id uidetur Ignis præstare cæteris: nam pulchra se offert Dubitatio, quia videtur Aer dignitate præstare Igni, primo, quia Aeri competunt duæ Qualitates præstantiores, nempe Calor & Humor, quæ ambæ formam denotant, siccitas autem Ignis potius priuationem: Et confirmatur: quia Temperamentum Igneum, calidum, & siccum, non est optimum, sed potius Aereum, calidum & humidum, id enim bili, hoc uero sanguini humorum præstantissimo respondet.

*Nũ Ignis præstet.*

*Resolutio.* Pro solutione dico, ordinem dignitatis Elementorum respondere ordini Qualitatum primo eis competentium, vt enim calor humori, humor frigori, & frigus siccitati præfertur, ita ignis, cui primo competit calor, præfertur Aeri, cui primo competit humor, & Aer Aquę cui primò competit frigus, Aqua Terræ, cui primo competit siccitas. Insuper, quamuis siccitas absolute sit uilior humore, tamen iuncta calori illum reddit acutiorem, & aptissimum ad efficiendum, formandum, & penetrandum in alia. Ad instantiam de mixtis, dico, mixta dupliciter considerari, primo, absolute vt mixta, qua consideratione, vt recte ait Auerroes in primo de Ortu, & Interitu, 18. & affirmat Alexander in secundo Nat. quæst. mixta magis ignea sunt præstantiora. Secundo, vt ordinata in aliquem vsum, ita varia mixta præferri possunt, ratione varietatis finium, pro quibus conducunt. Insuper secus se habet de Elementis, quorum officium in mixto est formare, & formari; terminare, & terminari, secus de mixto quod ex formante, & formato, & præsertim ex calido & humido constare debet, absolute enim formantia pręferuntur, quod præsertim competit igni.

*Cõclusio.* Colligamus itaque, ordinem absolutę pręstantię Elementorum respondere ordini eorum in Vniuerso, adeo, ut Terra omnium sit vilissima, & infima.

## *Cur aqua non vndique Terram ambit.* *Cap.* XX.

DVm Simplicium Corporum ordinatissimam seriem intuemur, inspi-
mus superiora vndique ambire continentia, idque seruari in omnibus
praeterquam in Aqua & Terra, non enim Aqua vndique Terrã natura *Dubitatio apponitur.*
te claudit, sed plurimae Terrae partes inspiciuntur aridae, proxime im-
ctae quae Aere non inundatae Aquis, cuius varietatis causa latet, & di-
gna est inquisitione indiget, & praesertim quia ea videtur dispositio praeter naturã,
& violentã, cum aqua sit Locus Terrae secundum naturam, nil autem violentum sit
aeternum; Augetur dubitatio, quia aiunt plurimi viri docti, qui Maria & Terras pera- *Augetur dubitatio.*
grarunt, partes Terrae aridas, esse plures partibus inundatis. De re hac eximiã parien *Opinio 1.*
te admiratione, variae fuit sapientium sententiae: Legitur in lib. de proprietatibus Ele-
mentorum qui falso Arist. adscribitur, existimasse nonnullos Philosophos, Terram
in origine Mundi fuisse exacte rotundam, & vndique Aquis circũtectam, ex commo-
tione autem Aquarum, quae Terrã perfoderunt, ortum duxisse montes, & sinus mari-
um. Quae sententia vera non est: nã quamuis dicatur id non fuisse factũ propter finem, *Euersio.*
sed ex accidenti materiae ductilis, commotionisque, quia ex sententia Arist. Mundus est
aeternus, & aeterna est dispositio haec Elementorum, tum deinde, quia si Mundus fuit
creatus, vt re vera ab principio creatus fuit, non per impetũ Aquae quaerentis sui natu-
ralem situ super Terram, id factum fuit, sed Dei prouidentia constituente Animalibus,
& praesertim Homini sedem. Propterea inquiunt alij, ex siccitate Terrae id ortũ docu- *Opinio 2.*
re, quae in nonnullis partibus humorem aquae consumens, terram reddit ab inunda-
tione inuolutam. Quae ratio etiam approbanda non est, primo, quia Terra vndique *Euersio.*
sui natura est consimiliter sicca, ideo vnde cum pertinet, consimiliter vndique se ha-
bere deberet. Insuper cum Aqua sit locus proprius Terrae, & nullum Elementorum
consumat locum suum, non debet a Terra consumi, & praesertim, quia Aer magis est
contrarius Terrae, quã Aqua Conciliator Differentia 13. & cum eo Astrologorum *Opinio 3. Cõciliatoris.*
nonnulli, aiunt Stellas quasdam Vertici Septentrionali proximas, sub eo Vertice, si-
ue Polo; Aquas detinere, ne fluant, & Vniuersam Terram inundent. Quae opinio lon- *Euersio.*
ge abest a vero. Primo, quia influxus distincti a Lumine & motu suo loco explosi
sunt, Lumen autẽ & motus Celi id minime efficiunt, & praesertim quia sub Polis exi-
guã habent vim. Praeterea experientia docet, nullibi Aquas reperiri quae praeter na-
turã ab alio detineantur ne fluant, sed vbicunque littora, vel ripas superant, necessa-
rio fluunt: Hinc Arist. in 1. Meteorum ait Maria ex Septẽtrione cõtinenter fluere in
Meridiẽ. Ideo alij dixerunt, hoc factũ esse Prouidẽtia Dei pro salute Animaliũ; Sed *Opinio 4.*
hoc nõ remouet difficultatẽ; non est dubitatio de fine & Prouidentia Dei, sed de cau-
sa efficiẽte & proxima, per quã ea dispositio competit Terrae. Dicamus itaque, huius *Sententia propria.*
etiam salutaris & admirabilis constitutionis Terrae & Aquae, non unã, sed varias distin- *Finis.*
cto genere esse causas. Nã si de fine loquimur, consentiunt sapientiores omnes, emi-
nenti prouidentia Dei factum esse, vt Terra in nonnullis partibus esset arida, alio-
quin Mundus non esset omni ex parte perfectus: id n. est necessarium pro generatio-
ne Metallorum, Plantarũ, & praestantiorum Animalium, insuper, pro conseruatione
& nutritione eorundem. Praeterea, id etiam conducit Terrae ut liberius recipiat radios
syderum, exactiusque seruet siccitatem suam, Demum, ita redditur locus mixtioni
magis accõmodatus, cum ea nedũ ab Aqua verum etiam ab Aere tangatur. Missas fa-
cio alias vtilitates, & cum modo sit Dubitatio, dico, id oriri ex nonnullis causis per
se, ex alijs ex accidente: Causae per se, in vario genere sunt variae. De fine iam dictum
est. Forma est ipsamet affectio competẽs Terrae, nempe eleuatio montium, depressio *Forma.*
val-

vallium, & inundatio & ariditas. Assignandæ sint causæ in genere efficientis & materiæ, causa efficiens remota est Cœlum, & præsertim Sol, qui suo lumine & motu excalcfaciēs partes Terræ madidas, vapores gignit, montes eleuat, cauitates, meatusq; varios in Terra parit, adeo vt Cœlum sit causa communis & remota, Lumen & motus, sint instrumenta eius, calor, spiritus, & vapores geniti, proxime & intimius operantur, partes nonnullas Terræ eleuant, cauitates pariunt, sinus & ualles efficiunt, in quas aqua sui natura fluens, effunditur, & partes nonnullas magis eleuatas Terrę deserit aridas. Hoc seruari inspicimus in panis constitutione, dum enim calor in mixtū ex aqua & farina operatur, partes nonnullas eleuat, meatusque varios in eo efficit. Pro hoc etiam conducit causa per priuans, nempe distantia Terræ a Coelo, cū enim Elementa ex se figuræ sint expertia, figuramque a Coelo recipiant, quia Terra ab eo maxime distat, imperfectissime omnium figuram rotundā recipit, & præsertim, quia siccum Terreum cum difficultate figuratur; hinc ob inęqualem partium extremarum

*Materia.* eius a Centro distantiam, non æque mergitur sub Aqua. Vt pertinet ad causam in genere Materiæ, huiusmodi causa est conditio Terræ densa & crassa, quæ iuncta cum humore Aqueo, illum imbibit, & per superuenientem actionem caloris varias recipit figuras, & inde prodeunt varij halitus qui meant per viscera Terræ, & pariunt Terremotus, eleuantes & deprimentes partes Terræ, adeo, vt aqua per sinus & viscera eius fluere valeat: Et enim Terra, sit apprime dissimilis, & sit in medio Mundi, per centrum, non molis, sed grauitatis eius, iure euenit, vt partes a Centro distantiores re

*Causæ ex* maneant aridę. His accedunt ex accidenti impedimenta nonnulla, detinentia fluxū.

*Accidēti.* Exemplo id nobis ostendit Arist. in calce lib. Meteorum, necnon author libri de proprietatibus Elementorum, referunt enim Sesostrem & Darium Reges, destitisse a sectione & fossione cuiusdam portionis Terræ inter duo maria positæ, ne ob id variæ regiones inundarentur, in quas ob impedimentum oblatum per illam Terræ portionem eleuatam, Aquę detinebantur ne fluerent.

## *Colliguntur ex dictis Varia, vtilia cognitu & rationis aduersa diluuntur. Cap. XXI.*

*Primū ꝙ elicitur.* QVoniam ex dictis conspicuum est, Elementū Aquæ in cauitatib. & sinib. Terra recipi, & ob id Vniuersam Terrā non inundare, inde elicio primo Terrā & Aquam non uere duos distinctos orbes constituere, sed ex eis vnum consurgere, ita se habentem, vt portio ad Centrum vergens Terrea sit, portio vero a Cētro distantior, partim Aqua, partim Terra sit. Hinc eorū Sententiam approbandam non puto, qui in Centro Vniuersi Tartarū & ingentem Aquarū copiam inueniri existimarunt, ac inde quattuor principia flumina ortum ducere: nam proculdubio ea esset constitutio omnino præter naturam, cum Terra sit grauior Aqua, & sui natura mediū querat. In

*Alterū ꝙ elicitur.* super elicio, quod dum per Astronomica instrumenta mensuratur ambitus Terrę, nō solius Terræ, sed coniuncti ex Terra & Aqua globum mensurari; Colligo insuper, dū

*Tertiū ꝙ elicitur.* dicimus per vmbram Terræ Eclypsari Lunam, eam esse vmbram non terræ solū, sed coniunctæ ex Terra & Aqua, quod totum per terram redderetur opacum. Præterea,

*Quartum ꝙ elicitur.* colligo, Aquā nulla uiolentia detineri a Stellis ne fluat; nam si ducantur lineæ a Centro Terræ, longiores erunt quæ ducentur ad montes, Terram aridam, quam quę ad

*Quintum ꝙ elicitur.* extimam superficiem Aquæ. Insuper, colligo eam Terrę dispositionem ab inundante Aqua liberam non penitus esse contra naturam, sed esse secundum naturam totius, quatenus conducit pro vlteriore & potiore fine, & quatenus pendet ex principijs &

causis

causis secundum naturam operantibus, Insuper esse secundum naturam propriam, quatenus ad id Terra sua ariditate conspirat, & per id vberiùs recipit actiones Luminis, & munera Cœli, & cumulatiùs redditur Elementum mixti. Et quamuis in parte concedatur non esse secundum propriam naturam, tamen id non competit Vniuersæ Terræ, sed parti, quæ partes etiam variantur, vt variantur loca inundationum, adeò vt nil idem numero uiolentum, nec in Vniuersa specie sit æternum. His demùm addo, quòd quamuis vniuersa Terra non inundetur Aquis; Vniuersa tamen ambiri dicitur vel ab Aqua, vel ab Aqueo, quatenus Aer proximus Terræ est tanquam Vapor & Aqua disgregata, ut dicitur a Pilosopho in primo Meteorum, & etiam partes aridæ Terræ, frequenter pluuijs, fluminum inũdationibus, Rore, & Pruina humectantur. Ex his etiam elicere ualemus, quòd recedentia a Cœlo, ordine quodam priuentur dispositionibus Cœli, nam Ignis secundum extimam superficiẽ exactè est sphæricus, non ita secundum intimam, per quam inclinat ad figuram oui, quia sub polis minus Ignis reperitur, Aer nec secundum extimam, nec secundum intimam est sphęricus, magis tamen est talis, quàm Aqua, Terra demùm minime omnium est Sphærica. Similiter superiora corpora liberiùs & velociùs mouentur, Terra demùm requiescit: superiora sunt Lucida & perspicua, media sunt tantum perspicua. Terra nec Lucida, nec perspicua: Quare si præclaras Cœli dispositiones magnifacimus, terga vertamus Terræ, & properemus ad Cœlum.

*Sextum quod elicitur.*

*Conclusio.*

*Finis Primi Libri de Elementis.*

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

## DE ELEMENTIS.

## LIBER SECVNDVS.

*Proponitur agendum de formis Elementorum & capita opinionum referuntur. Cap. I.*

*De formis Elementorum.*

QVAMVIS plura & varia pro Elementorum notitia in priore libro sint explicata, tria tamen adhuc accurata consideratione digna explicāda supersunt, quorū vnum attinet ad eorum formas, alterum ad mutuam permutationem, tertium ad Lationem. Ordiens a formis, considerandum propono, quæ iudicari debeant Substantiales formæ quattuor simplicium corporum, quæ Elementa nuncupantur? Pro notitia accipio quattuor hæc uocata Elementa tripliciter posse considerari. Primò vt sunt Substantiæ, & corpora naturalia, ex duplici natura constituta. Secundò vt Elementa Mundi. Tertiò ut Elementa mixtorum. Primò enim origine sunt corpora naturalia. Secundò, suo ordine Mundum constituunt. Tertiò, mixta. Sed hoc dignum occurrit inquisitione, quænam earum trium cōsiderationum maiorem simplicium corporum indicet perfectionem? De qua breuibus dico, comparationem dupliciter intelligi posse; Primò, inter esse absolutè & esse relatum, & ita esse absolutum præfertur, cum sit fundamentum relationis, prius natura & dignitate, relatione ei superueniente; Secundò inter fundamentum seorsum à relatione, & illud cum relatione iunctum, secundum quam comparationem, dum relatio præstantiam indicat, & ordinem in ulteriorem finem, complicatum ex fundamento & relatione est præstantius fundamento solo, adeò ut cum Ignis sit & Ignis, & Elementum Mundi, & Elementum mixtorum, dignior est ut Elementum Mundi, quàm vt Elementum mixtorum, quia refertur ad Mundum qui præstantior est, & dignior est dum consideratur, vt Elementum mixti, quàm vt ignis absolutè. Insuper animaduertendum, quòd vt triplex est consideratio simplicium corporum, ita per tria proximè constituuntur, nam sunt Elementa Mundi per grauitatem & leuitatē; sunt Elementa mixtorum per quattuor primas Qualitates, sunt simplicia naturalia corpora, per proprias formas, quæ sunt Naturæ & Substantiæ eorū, de quibus quænam sint, modò considerandum proponitur. Res ardua & obscura est, de qua pręsertim quattuor sunt opiones. Nonnulli, è quorum numero est Auerroes, aiunt huiusmodi formas esse grauitatem, & leuitatem. Alij quattuor Qualitates alterantes; Quidam inquiunt simplicia corpora constitui per cōspirationem Qualitatum loco mo-

*Dubitatio Solutio.*

*Elementa per tria cōstituūtur.*

*De formis Elementorū opiniones quattuor.*

uentium,& alterantium simul, tanquam differentiarum constituentium propriam eorum formam, esse aliquid distinctum à Qualitatibus alterantibus & locomouentibus, quod sit prius illis, & quia Sensum fugit, ideò per illas circumscribitur.

## *Opinio & Fundamenta asserentium grauitatem & leuitatem esse proprias formas simplicium corporum.*

### *Cap. II.*

*Opinio Auerrois.*

EXistimauit Auerroes grauitatem,& leuitatem, vel summas, vel comparatione medias, esse naturas formas Elementorum, ideò in quarto de Cœlo com. primo inquit, manifestum est quòd formæ Elementorum sunt grauitas & leuitas,& com. 1. addit grauitatem & leuitatem esse principia efficientia motum, & asserere ea esse accidentia impossibile est. Idipsum affirmat 3. Cæli, 17. & in primo de Cœlo, 17. inquit,& intelligi debet per descriptionẽ grauis & leuis natura, quę nata est mouere à medio, vel ad mediũ, quamuis ea nomina populariter solũ dicuntur de accidentibus. Clarius idipsum affirmat in secũdo de Anima, com. 108. inquiẽs, Quales solũ Aequiuoce dici de calido & frigido,& de graui & leui, nam graue & leue sunt in Prædicato Substantię,& non percipiuntur tactu, nisi per motũ dum mouetur à graui,& leui, conspicua est sententias Auerrois: nã ex eius opinione dicendum est, Grauitatem & leuitatẽ dupliciter vsurpari, primò, pro vera forma, quæ est principium motus, secundò, pro cõpressione corporis & propensionẽ ad proprium locũ; in prima significatione est uera,& propria forma Elementi, in secunda est accidens. Fundamẽta opinionis huius varia sunt, vnum est, id est forma & natura, quod est internũ principiũ motus, ex definitione Naturæ, tradita in secundo Physi. Grauitas & leuitas sunt huiusmodi, quod patet ex eorũ definitionibus. Nam Aristoteles definiens graue & leue in primo de Cęlo, 17. & quarto, de Cœlo, cont. 2. inquit; esse id quod natum est ferri ad medium, vel à medio,& in quarto de Cœlo, 24. ait, vt sanabile fertur ad sanitatem, quia sanabile, ita graue tendit deorsum, quia graue,& leue sursum, quia leue. Alterũ fundamentũ elicitur ex secundo de Anima, 108. nã grauitas vel est Qualitas, ut multi censent, uel Substantia: non primũ, quia esset sensibile propriũ tertiæ speciei Qualitatis, quod falsum est, non enim percipitur grauitas nisi per motum, ex ea prodeuntẽ, quare est Substantia & uera forma Elementi. Pręterea, si grauitas & leuitas essent Qualitates, quia non sunt primæ, essent posteriores quattuor primis Qualitatibus,& sequerentur eas, quod si esset, tunc errasset Aristoteles qui prius egit in libro de Cęlo de graui & leui, mox in libris de Ortu & interitu de quattuor primis Qualitatib. non itaque sunt accidentia & Qualitates, sed Naturæ & Substantię, de quibus ut priorib. primò fuit agendum. Pręterea, Elementa priùs sunt Elementa Mundi, quã mixti, sed sunt Elementa Mundi per grauitatẽ & leuitatem, Mixti uerò per quattuor primas Qualitates, igitur grauitas & leuitas sunt priores quattuor primis Qualitatibus: prius autẽ Qualitatibus primis nõ potest esse Qualitas, quare sunt Naturę & Substãtiæ. Et confirmatur, quia vt se habet latio ad alterationẽ, ita principium lationis ad principiũ alterationis; sed ex 8. Physicorum latio est prior alteratione, igitur grauitas & leuitas, quæ sunt principia lationis Elementorũ, antecedũt primas Qualitates quæ sunt principia alterationis,& propterea nõ debent iudicari Qualitates, sed Substãtiæ, alioquin daretur Qualitas prior Qualitatibus primis. Hinc Arist. in primo de Cœlo per lationes simplices nos ducit in notitiam naturæ simplicium corporum; lationes autem Elementorum ex grauitate & leuitate pendent,& eas nobis pa-

*Primũ Fundamẽtum.* *Alterũ Fundamẽtum.* *Tertiũ Fundamẽtum.* *Quartum Fundamẽtum.* *Cõfirmatio*

tefaciunt. Ex quia Cęlum non mouetur motu recto, infertur, nec graue, nec leue esse. Cum autem grauitas, & leuitas ex sententia Auerrois sint uerae formae Elementorũ; ideò in 4. de Caelo com. 40. inquit, formas Elementorum esse diminutas; & loca eorum quamuis sint accidentia, tamen esse causas earum, ut etiam quattuor primae qualitates earumdem sunt causę. At de Substantijs praestantioribus inquit contra se habere, nam eorum differentiae non valent esse accidentis, cum tamen differentiae Elementorum ex alio Praedicamento sumantur, nam sumuntur ex loco quod accidens est, cum definiantur per sursum & deorsum.

## *Reijcitur opinio putantium Grauitatem & Leuitatem esse formas Elementorum. Cap. III.*

*Euersio opinionis Auerrois.* *Solutio.*

PVtantes grauitatem & leuitatem esse formas Elementorũ conspicuè pugnant cum uerbis Philosophi, numerantis grauitatẽ & leuitatem; inter Qualitates ad tactum pertinentes, non secus ac calorẽ & frigus vt Incidè patet ex 2. de Anima, c. de tactu. Et 2. de Ortu & interitu, cont. 6. ex 7. Physic. 11. & 15. & ex 2. de partibus Animalium, c. 1. & in quinto Metaphysicę, c. de Qualitate, grauitatẽ & leuitatẽ numerat inter affectiones eorum quę mouentur. At soluunt nonnulli, dicentes Sententiã Aristotelis debere intelligi de grauitate sumpta pro accidente, Auerroem autem de altera fuisse loquutum. *Euersio.* Quae Solutio inanis est. Primò, quia ea grauitas, quã Auerroes inquit esse accidens, nil est aliud nisi propensio; & motus, ideò dixit in 2. de Anima, 108. grauitatem principalem non sentiri nisi mediante motu, at Aristot. locis relatis non de motu loquitur & propensione ad Locum, quae non sunt Qualitates, sed de forma quã sequitur huiusmodi propensio, & eam dicit esse Qualitatem sequentẽ quattuor Qualitates primas, quod de motu dici nõ potest. Praetereà Auerroes quarto Cęli, 40. fatetur locum & Qualitates quattuor esse causas formarum Elementorũ, & differentias Elementorũ sumi ex alio. Praedicamento à Substantia, ex quo patet Auerroem denotasse eam grauitatẽ de qua dixit Arist. quòd sequitur primas Qualitates. Praetereà grauitas & leuitas verè sunt contraria, quae vera contrarietas a Substantia abest. Insuper, si essent propriae formę Elementorũ, Arist. debuisset dicere mixta verè constare ex graui & leui, quae manifestè seruantur in mixto, & tamen in 2. de partib. Animaliũ, c. 1. dixit, componi propriè ex quattuor Qualitatibus. Non itaque putandũ est, grauitatem & leuitatem esse formas Elementorũ. *Diluuntur rationes aduersa.* Rationes aduersae facilè diluuntur. Dicebatur primò, id esse Naturã & Formam, quod est principium internum motus. Respondeo, Naturam esse principiũ internum principale, grauitas & leuitas sunt interna instrumenta principij principalis, circũscribentia illud. Addebatur, grauitatẽ & leuitatem non esse Qualitates, cũ non per se primò percipiantur Sensu. Respondeo, Qualitates quę sunt Sensibilia propria, sentiri per suas actiones, actio grauitatis & leuitatis sunt propẽsio & motus, ideò per haec percipiũtur. *Dubitatio* Sed pulchra emergit Dubitatio, quia Sẽsibile propriũ non sentitur per cõmune, sed vice versa: grauitas & leuitas sunt sensibilia propria, motus verò Sẽsibile cõmune. *Solutio.* Respõdeo, Sensibilia propria non sentiri per cõmunia, nisi ea cõmunia sint actio propriorũ, at motus est actio grauitatis, qui motus etiam cũ sit Sensibile commune, sentitur proximè per aliquod propriũ, nempè per densitatem & resistentiam mobilis. *Alia instãtia.* Sed instatur, quia sic etiã forma Substantialis poterit dici Sensibilis per se, quia per motum quem efficit sentitur. Respondeo, rationẽ non esse parem, nam Animalia diuiduntur verè in motorẽ & mobile, adeò vt Anima per instrumentũ agat in corpus, & per id moueat externa: de graui non sic se habet, nam mouet externa sine alio medio, & ideò grauitas dicitur Sensibilis per se, non autẽ forma Substantialis. *Tertia instantia.* Instabatur adhuc, quia latio est

prior

prior alteratione, Respondeo, esse priorem absolutè, at non in eodem, nam in eodem est postrema. Cur autem Aristoteles priùs egerit de graui & leui, in libro de primis Qualitatibus patefeci. Ex his colligo approbandam non esse sententiam Auerrois in quarto de Cœlo, cont. quadragesimo, dicentes differentias Elementorum sumi ex alio Prædicamento à Substantia, nam differentiæ sunt in Prædicamento à latere, & per reductionem, & semper rediguntur ad id Prædicamentum, cuius sunt differentię.

*Aduersus Auerroë.*

## *Opinio & Fundamenta dicentium quattuor primas Qualitates esse formas Elementorum.*

### *Cap. IIII.*

*Opinio Græcorũ.*

GRæci interpretes ferè omnes de hoc consentiunt, Qualitates primas esse formas Elementorum, at quomodo sint formæ, explicatur vario modo. Nonnulli aiunt, formam Elementi esse Qualitatem illam, quæ primò ei competit, adeò vt calor sit forma Ignis, humor Aeris, & sic de cæteris. Alij aiunt ex duarum Qualitatum concursu tamquã differentiarũ, consurgere formã Elementi. Nonnulli addunt, etiã grauitatem vel leuitatẽ, adeò vt calor, siccitas & leuitas, vnà conspirantes constituant formã Ignis. Galenus in lib. de Elementis, dixit primam materiam & quattuor Qualitates esse principia rerum: præsertim tamẽ modus secundò loco relatus approbatur à Græcis, quamuis Simplicius in 2. Physicorũ com. 1 ✝ tertiũ approbet. Alexander varijs in locis primas quattuor Qualitates dicit formas Elementorum, & præsertim in primo de Anima, c. de tactu, & sub initio eiusdem libri inquit, in Igne calorem & siccitatem formam facimus, & ab ijs, atque in ijs genitam leuitatem.. Idipsum affirmat in secundo Nat. qq. capitulo de Sensu & Sensili, com. 58. Simplicius quoque idipsum sæpè repetit, ut in quinto Physicorũ, com. 11. in 7. Physicorum, 23. in primo de Cœlo, 36. & in Prædicamento Substantiæ, declarans eam proprietatem quòd non recipiat magis & minus. Philoponus eiusdem fuit opinionis, vt elicitur ex Commentarijs librorum de Ortu & interitu, & ex disput. vndecima, contra Proclum, capitulo quinto, quo loci ait, dari Qualitates, & Quantitates ad Substantiam attinentes, & calorem non esse accidens, sed differentiam constituentem Substantiã Ignis. Ammonius, quem Græci interpretes plurimi faciunt, eiusdem fuit opinionis, nam exponens Prædicamentũ Quantitatis inquit, Calor in Igne est Substantialis qualitas, in corpore trina dimensio est Substantialis quantitas. Idipsum sæpè repetit in Prædicamento Substantię, & Qualitatis. Fundamenta huius opinionis varia sunt, principalissimum est hoc, quia operatio patefacit formam, nulla autem operatio Elementorũ est, quæ non prodeat ex primis Qualitatibus, per eas enim inuicem agunt, inuicem permutantur, similia generant, mixtumque constituunt, quòd si loco mouentur, latio quoque ex primis Qualitatibus pendet, cum ex eis pendeat grauitas & leuitas, & ob id à Simplicio & Alexandro, cum primis Qualitatibus nectuntur pro Elementorum cõstitutione. Pręterea, Natura artificiosissima est, superuacaneis non abundans, & quod efficere valet per pauciora, nõ efficit per plura, at per quattuor primas Qualitates perfici possunt omnia attinentia ad Elementa, ideò alia non sunt addenda. Aristoteles frequenter id approbasse visus est: nam in secundo de partibus Animalium, capitulo secundo, ait, sunt enim hęc, vt alio loco exposuimus, initia Elementorum calidum dico, frigidum &c. Et in 2. de Ortu & interitu. cont. 6. ait, primum quidẽ principiũ est potentia Corpus Sensibile, secundũ, Contrarietates, nẽpè calor & frigus. Tertiũ, iã Ignis & Aqua. Cõspicuè inquit Philosophus, Elemẽta cõsurgere ex quattuor

*Galenus.* *Alexãder.* *Simplici⁹.* *Philoponus.* *Ammoni⁹* *Fundamẽtum principale.* *Alterũ.* *Aristot. i*

primis Qualitatibus,& Qualitates primò in materia recipi,& inde prodire Elemẽta, accidens autem non est principium Substantiæ,nec prius ea,sed econtrario. Hinc in cont.16.eiusdem secundi libri,Qualitates appellat Elementa, non diccrentur autem Elementa Substantiæ,nisi essent Substantiæ;Easdem in cont.8. nuncupat Differentias,& in cont.36.inquit:Si primę Qualitates essent infinitæ,Elementa definiri non possent, Quę sententia non esset uera,si essent Accidentia, quoniam Substantię non definiuntur per Accidentia.Id ipsum lucidius affirmat in duodecimo Metaphysicę, vigesimosecundo, inquiens,Num omnium eadem sint Elementa, an est quidem vt sic, est autem vt non,pura forsan Sensibilium Corporum vt forma calidum, & alio modo frigidum,vt priuatio:materia verò quod potentia hoc primum secundum se, Substantia autem & hoc,& quę ex his duorum sunt principijs, vel si aliquid ex calido & frigido fit vnum,&c.Conspicuè Philosophus calorem & frigus statuit principia Substantię,ideò in tertio de Anima,cont.decimo,ait. Sensitiuo calidum & frigidum cognoscit,& quorũ ratio quędam est Caro.Pręterea,in secundo de Anima,117. inquit quatuor Qualitates esse differentias corporis,vt Corpus est;at Corpus est genus Pręedicamenti Substantię, quare primę Qualitates sunt differentię Pręedicamenti Substantię.Auerroes in duodecimo Metaphysicæ, uigesimosecundo ait, calorem esse formam quorundam Elementorum. Et in calce digressionis in quartum Meteororum,conspicuè in hanc sententiam venit,inquiens, constare formas mixtorum, non esse aliud,nisi complexionem,siue Temperamentum medium in vnoquoque eorum, quod sequitur aliquod accidens eorum,quæ numerauimus. Hæc cõprobantur: quoniam ut docet Galenus in libro de Temperamentis, omnes facultates mixtorum, vt mixta sunt,ex Temperamentis prodeunt, non ex alio,& noscentes Temperamenta, noscimus vires,& vice versa, & mutatis Temperamentis,mutantur uires; Temperamenta autem ex Qualitatibus primis prodeunt. Demùm eadem sententia confirmatur ab Alexandro referente Auerroe, octauo Metaphysicæ, cont.5.quia id est Substantia alicuius,quo remoto remouetur eius Substantia: at remotionem primarum Qualitatum sequitur remotio Substantię Elementorum, & remotionem Temperamenti remotio Substantię mixti, quare Temperamenta,& Qualitates sunt Substantia eorum.

*Auerroes.* *Galenus.* *Alexãder.*

## *Ostenditur Qualitates primas non esse Formas Elementorum.* *Cap. V.*

*Qualitates non esse formas Elementorum.*

Quattuor primas Qualitates esse Naturam, & formam propriam Elementorum,cùm rationi,tùm auctoritati conspicuè aduersatur,vbiq; enim ab Aristotele inter Accidentia, & Qualitates Tertię speciei numerantur. Eadem dicuntur principia alterationum ad Qualitatẽ attinentium,dicuntur principia secundarum Qualitatum,adeò vt eiusdẽ ordinis,& generis cum illis statuantur.Insuper uerè sunt contrariæ, sunt Sensibilia propria Sensus ta ctus, Sensus autẽ non percipit Substantiam, nisi ex Accidenti, vt dicitur in secundo de Anima, sexagesimoquinto. Manifestè recipiunt magis & minus,quod Gręci negant competere formę Substantię. Pręterea, hę Qualitates in mixtis sunt Accidentia, adsunt, & absunt sine interitu Subiecti, id autem quod vni est accidens, alteri non valet esse Substantia, cum sit Ens absolutum, non positum in relatione, & per eam variabile. Præterea, inquit Aristoteles sub initio secundi de partibus Animalium, mixtionem non ex Elementis esse, sed ex uirtutibus eorum, calore nimirùm, frigore, & alijs: at si hæ essent formæ,cum mixtio fit ex eis,verè & absolutè dicerentur esse ex Elemẽtis,forma enim ea est, quę rẽ constituit,eique largitur esse.Insuper,in lib.de Sensu & Sensibili inquit:Ignis non

agit, vt Ignis, sed ut calidus, at si calor esset eius forma, agēs per calorem, verè ageret, vt Ignis est. Præterea, 3. Metaphysicæ. 17. inquit, Quæ vero maximè Substantiam significare uidentur, sunt Aqua, Ignis, Terra, ex quibus composita Corpora constant, horum autem calores, frigora, & similes affectiones, non sunt Substātiæ &c. Lucidissimè Philosophus inficiatur, Qualitates primas esse Substātiam & formas Elemētorum. Preterea, in octauo Metaphysicę cont. 5. Qualitates primas ait esse non Substantias, sed affectiones Rerum Sensibiliū, quod clarius affirmat in quinto Metaphysicæ, enumerans ea quæ significantur nomine Qualitatis: nam cum primo dicat Qualitatē dici de differentijs Substantię, ait mox, Qualitates etiam dici affectiones Substātiarum mobiliū, ut calor, frigus, albedo, nigredo, grauitas, & leuitas, manifestè Philosophus quattuor primas Qualitates contradistinguit à differentijs Substātiæ, & inquit eas esse affectiones, non secùs ac calores; & in cont. 6. secundi de Ortu & interitu, aduersus Empedoclem ait, quod si Elementa inuicem non mutarentur, non daretur alteratio; at alteratio ad Prędicamentum Qualitatis pertinet. Pręterea, in primo, de Ortu & interitu, a 4. conspicuè statuit huiusmodi Qualitates Accidētia, inquiens in mutatione Elementorum seruari nonnunquam communes affectiones, vt frigus, & perspicuitatem, Substantiam verò mutari totam. Et in septimo Phys. mutationē huiusmodi Qualitatum ait esse alterationem. Nec dicendum est cum Simplicio, quòd sit alteratio pro via, mutatio autem substantię pro termino, nam in motu via non differt ab eius termino, nisi per magis & minus. Præterea, inquit Philosophus in calce 4. Meteorum, actionem formę Ignis magis latere, actione formæ Carnis & Mixtorum, quæ sentētia esset falsa, si calor esset forma Ignis, cum actio caloris sit manifestissima. Præterea, si quattuor Qualitate, essent formæ Elementorum, Temperamenta ex eis consurgentia essent formæ Mixtorum, quod fatetur Galenus, qui putans Qualitates esse formas Elementorum, etiam censet Temperamenta esse formas Mixtorum, quod tamen est falsum, quia Temperamenta percipiuntur Sensu, & prædita sunt omnibus conditionibus Accidentiū. Immò si quattuor primæ Qualitates essent formę Elemētorū, quia illæ sunt Accidentia, cogeremur cum veteribus Philosophis asserere, solā Materiam esse Substantiam, formas autem omnes esse Accidētia, quoniam in formis subordinatis quales sunt primæ, tales sunt cæterę, quę eas sequuntur: quare si primæ formæ Elementorum sunt quattuor, Qualitates etiam, Temperamenta, & sequentes formæ Mixtorum, erunt Qualitates, & Accidentia. Hinc Galenus sequens principia sua in lib. quòd Animi mores sequantur Tēperamentum, Animam quoque nil aliud esse, nisi Temperamentum existimauit. Insuper, Temperamento non esse formā Mixtorum, ex eo redditur notum, quia mixta frequenter insignibus quibusdā facultatibus inspiciuntur prędita, quæ ex solo Temperamento prodire non possunt, ideò existimandum est, præstantiore aliqua forma ea esse prędita, cui Temperamentum sit instrumentum, vt dum Herculeus Lapis trahit ferrum, Ambra paleas: & pręsertim id fateri cogimur, cum appareat corpora varia, eodem Temperamento prędita, varijs facultatibus esse ornata. Colligamus itaque, Qualitates primas esse Accidentia, & non esse Naturam, & Formā Substantię Elementorum.

*Carpitur Simplici.*

*Conclusio.*

Rejiciuntur

## *Reijciuntur solutiones, quibus Græci vtuntur pro seruanda sua opinione. Cap. VI.*

VT veritas lucidior fulgeat,& fundamenta, eius firmiora reddantur, perpendendi sunt modi quibus Græci vtuntur, vt suam Sententiã tueantur,& aduersis rationibus satisfaciant; Nã dum ostenditur eas Qualitates esse Accidẽtia, & ob id nõ esse Substantias & formas Elemẽtorum. Respondet Ammonius in Prędicamento Substãtię, inquiẽs, eas posse dupliciter considerari. Primò, vt suscipiũtur in Subiecto & materia, Quãta ac ita sunt Accidẽtia. Secundò, vt cõplent naturã Elementorũ,& ita sũt Substãriæ, adeò vt sint mediæ cuiusdã cõditionis. Insuper, inquiunt cõsequutionẽ hãc carere necessitate, sunt Qualitates, igitur non sunt differẽtiæ complẽtens Substãtiã: nam inquit Simplicius in primo de Cœlo, 36. Aristotelem differentias non nũcupare Substantias, vt patet ex prędicamẽto Substantię, & ex 5. Metaphysicæ, dũ differentias numerat inter Qualitates, & in Quale prædicari affirmat. Insuper, addunt alij, passionem dici tum de forma, tum de actione eius, & magis dici de actione, quæ in recipiente est passio: Hoc eliciunt ex Auerr. octauo Metaphysicæ, 5. dicente, & scire debes, quod actio formæ Ignis est calor maximus, & motus ad supera, calor igitur in Igne est sicut sectio gladij ad gladium, & actio manus ad manum, non quasi ablatio in ablato, &c. Conspicuè Auerroes calorem accipit pro actione, ideò inferunt facultatem calefaciendi esse formam Substantiæ, actum verò esse Accidens: nam formæ Elementorum cum sint imperfectissimæ, actionem edunt mouentem Sensum, ita calor alterat per actum qui est Accidens, generat verò per formam Substantiæ, & idem est agens disponens, & inducens formam. Præterea addunt, quia formæ Elementorum imperfectæ & mediæ sunt, ideò sunt Substantiæ Elementorum, Accidentia uerò mixti, quod eis competit ob mixtionem: nam in Elementis inueniũtur summè, in mixtis remissè, & eis competunt tanquam propriæ, his vt aduenæ & alienæ: aiũt etiam Substantiæ, nec secundum materiam, nec secundum formam, nec secundum compositum competere contrarium, sed secundum differentias, quæ à forma differunt, forma enim consurgit ex genere, & differentijs: hoc dicitur à Simplicio in secundo Physicorum vndecimo, in primo de Cœlo, 36. necnon à Philopono in primo de Ortu & interitu exponente contextum 22. & 49. Philoponus tamen per modum loquendi differt à Simplicio, quatenus inquit Substantiæ competere contrarium secundum formam, ut etiam ex sentẽtia Alexandri dixit Auerroes in primo Phys. 52. Ratio differẽtię est, quia Simplicius considerauit formam totius, Philosophus verò & Alexander, differentias & formam partis. Insuper aiunt, Substantiam recipere magis & minus, non secũdum formam consurgentem indiuisibiliter ex differentijs, sed secundũ differẽtias, omnis enim forma in indiuisibili est posita, vt ait Simplicius in 3. de Anima, sexto Phy. & sępè alibi. Ideò in quinto Phys. cont. quinto ait, Si appareat tempus aliquod pro ortu requiri, id non ortus est mensura, sed motus earum formarum, & alteratorum quę sunt in ortu, adeò ut permutatio in calido, & alijs Qualitatibus antequã consurgat ex eis forma, dicatur Alteratio: dum autem subitò forma consurgit, dicitur Generatio. Rationem, qua ostenditur non esse Substantias, quia percipiunt Sensu, vario modo soluunt. Primò aiunt, Sensu percipi differẽtias, non Formam, & Substantiam. Insuper aiũt, percipi nõ eas, sed actiones earũ, vt etiã dixit Auerroes in secundo de Anima, 108. de graui & leui. Præterea aiunt, differentias Substãtię posse accipi ex alio Prædicamento. Hę distinctiones & Solutiones quibus viri docti vtuntur, pro seruanda sua opinione, tamen conspicuè sunt absurdæ, ut potiùs comprobationes aduersæ sententiæ, quàm defensiones propriæ opinionis iudicari mereãtur, Nam primò, asserere eas Qualitates distincta consideratione esse substantias, & Accidentia, absurdũ

*Ammonius.* *Simplicius.* *Philoponus.* *Euersio solutionum.*

est:

est: quia Substantia est Ens absolutum, non sequens nostram considerationem, & qualis est vni, talis est omnibus, id enim quod per se & absolutè est tale, ad quodcunque referatur, semper est tale. Insuper, dicere quòd vni sint Accidentia, alteri sint Substantiæ, & quod differentiæ sint Accidentia, & Substantiam compleant, est pugnantia enunciare: Si enim sunt Accidentia non valent constituere Substantiam, cum nil extendi valeat vltra propriũ gradũ, Hinc Arist. in primo Phys. tanquã absurdum deserit, quòd ex non Substantia fiat Substãtia, & quod non Substantia sit prior quàm Substantia, quod tamen hi tanquam verum enunciant. Et quamuis differentiæ dicantur in Quale, id tamen est Quale ad Essentiale attinens, non Accidens. Et confirmatur per Arist. septimo Metaph. 43. dicentem, differentiam postremam esse totum id quod res est, at accidens non est esse Substantiæ. Præterea, asserere differentias esse contrarias, & recipere magis & minus, non autem formam & Substantiam, est pugnantia proferre: quia quales sunt differentiæ, tale est constitutũ ex eis; nam eius conditio ex constituentibus, & principijs prodit ideò conditiones principiorum etiam seruantur in constituto ex illis; & præsertim, quia differentiæ explicant Essentiã Rei, quare si explicantia sunt Accidentia, etiam id quod explicatur erit Accidens. Hinc rectè Porphyrius dixit, quia differentia constituit Essentiam rei, non recipit magis & minus. His accedit, quod quibuscunque competit contrarietas, semper ea in differentijs est posita, omnis enim contrarietas ex differentijs oritur, diuidentibus genus in opposita, quare si differentijs Substantiæ competit vera contrarietas, eadem dicitur etiam competere Substantiæ. Præterea, asserere actiones esse Accidentia, & Sensu percipi, formas verò ex quibus prodeunt esse Substantias, est in re conspicua conspicuè hallucinari: nam Actiones Sensibilium propriorum, sunt imitationes & repræsentationes earum; ideò, quales sunt actiones, tales sunt formæ, & præsertim dum actiones sunt vniuocæ, & diriguntur ad similis productionem, veluti quales sunt actiones colorum, tales iudicamus colores, quare ut actio Caloris nempè Calefactio est Accidens, ita Calor iudicandus est Accidens. Confirmatur, quia dum Arist. quattuor Qualitates inter Accidentia numerat, non earum actiones considerat, sed formas, vt in Subiecto reperiuntur, hinc eas appellat affectiones Corporum Sensibiliũ, vt patet ex locis relatis. Confirmatur, quia Obiecta nostrorum Sensuum non sunt actiones, sed formæ, quę in Subiecto sunt, & ob id Sensus dicitur recipere species sine materia, & iudicare Qualitates existentes in Subiecto per earum actiones, nõ autem iudicare Substantiam nisi ex Accidenti. Præterea, actio pro forma sumpta, non differt a termino ad quem, qui est forma, nisi per magis & minus, quare ut actio Vniuoca est Accidens, ita Forma quæ est terminus ad quem, consimilis formæ agenti, iudicanda est Accidens. Demùm, aduersus horum sententias conspicuè pugnant verba Philosophi in lib. de Sensu & Sensili, dicentis, res agere, hoc est, in externa proximè operari, non vt tales, hoc est per formam eas constituentem, sed per suas contrarietates: sic Ignis non agit vt Ignis, sed ut Calidus. Et pro notitia clariore eius loci, animaduertendum, quòd Igni uaria valemus tribuere. Primò, quòd generet Ignem, & hoc ei competit ut Ignis. Secundò, quòd calefaciat, & hoc facit vt calidus: hinc omne calidum calefacit, quamuis non sit Ignis. Tertiò, quòd proximè in externum agat, quod similiter ei competit per eius Qualitates. Quartò, operatur pro mixti constitutione, quod ei competit vt Elementum est. Forma itaque Ignis dirigit instrumenta, & generat Ignem, Calor proximè agit in externum calefaciendo illud: at si calor esset forma Ignis, tunc calefaceret vt Ignis, quod negat Arist.

*Porphyrius.*

*Obiecta Sensuũ nõ sunt actiones, sed formæ.*

*Ignis agit vt calidus, ut ignis, & vt Elementum.*

Qua

## *Quæ sint formæ Elementorum Opinio propria:* *Cap. VII.*

*Tres Conclusiones.* EX euersione obliquarum opinionum, facile est rectiorem elicere, vt quod lucidius fiat, tres profero Conclusiones. Prima est: Nec grauitas, nec leuitas cum Auerroe, nec quattuor primę Qualitates cũ Gręcis iudicari debent vel Formæ, vel Differentiæ formam constituentes Elementorum, vt absolutè sunt Corpora Physica. Altera est: dum inuicem comparantur opinio Auerrois, & ea Græcorum, ea Græcorum pręferenda est opinioni Auerrois. Tertia est: Verę formę Elementorum sunt quid distinctum a relatis, quę dum Simplicia Corpora considerantur, vt sunt Elementa Mundi, rectè per graue & leue circumscribuntur: dum verò considerantur vt Elementa mixtorũ, & inuicem permutantur, rectè circumscribuntur per quattuor primas Qualitates.

*1. Cõclus.* Prima Conclusio ex pręcedentibus est conspicua. *2. Conclusio.* Altera ostenditur: quia forma rectiùs circumscribitur per Accidens prius & ei proximius, quàm per distantius: quattuor Qualitates primę sunt priores graui & leui, vt suo loco patefeci: quare per eas rectiùs circumscribuntur formę Elementorũ, quàm per graue & leue. Pręterea, quattuor primę Qualitates omnes sunt extremę, & Elementis competunt summę, graue & leue sunt extrema, in extremis Elementis, media in medijs, ideò illę magis patefaciunt conditionem simplicem Elementorum, quàm hę. Pręterea, id pręsertim patefacit forma, quę est natura Elementorum, quod inseruit pro opere maximè consentaneo naturę; at huiusmodi operatio est generare simile, quod Elementis competit per quattuor primas Qualitates; ideò hæ præsertim patefaciunt & circumscribunt eorum formam. Demùm Elementa priùs loco mouentur per quattuor primas Qualitates, quàm per graue & leue, quoniam quod est causa causæ, est causæ pendentium ex ea: quattuor primæ Qualitates sunt causæ grauitatis & leuitatis: quare & lationis pendentis ex eis. *Quo sententia Auerr. possit præferri.* Ex aduerso tamen sententia Auerrois præferri potest, quatenus latio proximiùs pendet ex graui & leui, per quam lationem simplicia corpora sunt Elementa Mundi, & priora scripeis, ut sunt Elementa mixtorum; hinc iure Aristotelis priùs egit de graui & leui, quàm quattuor primis Qualitatibus. *3. Conclusio.* Dicebatur Tertiò, veras formas Elementorum esse quid distinctum ab enumeratis, quod patet ex priùs dictis: & quoniam commune est omnibus Substantiæ formis vt lateãt, & elucescant per opera, ideò addebam formas Elementorum, vt sunt Elementa Mundi, rectè circumscribi per graue & leue, & quoniam ita considerantur in lib. de Cœlo, propterea in eo libro sermo est de graui & leui, nam propriè & proximè hæc sunt principia lationis, & propensionis Elementorum, per quam suo ordine Mundum constituunt. At dum considerantur vt principia sunt generationis & mixtionis, quod fit in lib. de Ortu & interitu, rectè circumscribuntur per quattuor primas Qualitates, quod seruatur in eo libro. *Conclusio.* Ex his colligo, quod cum Arist. modò per graue & leue, modò per quattuor Qualitates circumscribat formas Elementorum, quia omnes non possunt iudicari formæ, cum vnius vnica sit substantiæ forma, iure putandam esse, nil eorum verè & absolutè esse formam, sed circumscribere id latens, quod re vera est forma absoluta quattuor Elementorum.

## *Solutio aduersarum Rationum.* Cap. VIII.

VT rationes aduersæ facilè diluātur, & illæ præsertim, quæ pro opinione Græcorū relatæ fuerunt, accipiendū primo id, quod in lib. de Qualitatib. primus declaratū fuit, nimirùm quattuor primas Qualitates *Primū qd accipitur.* ob varia earum munera variis nominib. fuisse denotatas, nam cū primò absolutæ sint, Qualitates passibiles nuncupatæ sunt: deinde ab Arist. materiæ mixtorū, Elementa, causę Elementorū, affectiones, & differentiæ: nomen autē differentiæ eis cōpetit. Primò, quia sunt differentiæ corporū tangibilium, vt tangibilia sunt. Secundò, quia circumscribūt formas Elementorū. Tertiò, quia proximè reddunt corpora inuicem permutabilia, & miscibilia, tāquam instrumenta necessaria. Accipiendum secundò, ꝙ cum hæ Qualitates necessariò cum *Alterū ꝙ accipitur.* formis Elementorū connectātur, & supponantur ab illis pro dispositione necessaria materiæ, inde oritur, quod illis demptis, pereunt Elementa, vt etiā destructis Temperamentis, pereunt formæ mixtorū, adeò vt pereant Elementa & mixta ob Qualitatū & Tēperamentorum interitum, non proximè, sed per consecutionem, quatenus illis peremptis abolentur formæ, quarū interitum proximè sequitur interitas compositi, quod rectè explicauit Auerroes 8. Metaphysicæ contex. 5. & 3. Coeli, 67. Ex his *Diluuntur aduersæ rationes.* facilè eliciuntur Solutiones aduersarum Rationum. Dicebatur primò, nullam Elementis competere operationem, pro qua non sunt satis primæ quattuor Qualitates. Respondeo, id assumptum esse falsum, nam generationis consimiliū quattuor Qualitates non valent esse principale principium, quia principale principium generationis Substantiæ debet esse Substantia. Similiter ipsius mixti non valent esse principalia Elementa, quia Elementum Substantiæ debet esse Substantia, & propterea solùm iudicari debent idonea instrumenta, non principalia principia, veluti etiam dixit Arist. in 2. de Anima, & in secundo de partibus Animalium, de calore relato ad Animam: quamuis enim calor videatur efficere opera Animæ nutrientis, non tamē est Anima, nec principale principium, sed instrumentum, hoc est commune omnibus Substantiæ formis, quod in externum non agant; nisi per aliquod Accidens intermedium, tanquam per instrumentum, quare cum quattuor: Qualitates proximè agant in externum, non sunt iudicandæ formę Substantiales, sed Accidentia, ita Natura nec abundat superuacaneis, nec deserit principalia & necessaria principia. Addebatur, Arist. id sensisse, quia Qualitates nuncupat differentias Elementorum, & *Aristot.* Elementa mixtorum, patet solutio ex dictis. Dicebatur Arist. in secundo de Ortu & interitu, statim post materiam numerasse quattuor Qualitates, de formis autem Elementorum nullam fecisse mentionem, Respondeo, Qualitates vt disponentes materiam, antecedere formas Elementorū, vt verò eorum affectiones & instrumenta, sequi. De formis Elementorū non est facta distincta mentio. Primò, quia circūscribuntur per Qualitates. Secundò, quia vt distinctè a Qualitatib. includuntur in tertio gradu, cum n. Philosophus dicat primò dari materiā, secundò contrarietates, tertiò Elementa, per Elementum denotat formam ea constituentem, qua præsente, dicitur adesse Elementū, immò, si Qualitates essent formæ, tertius gradus non distingueretur a secundo. Insuper, Philosophus eo loci numerat principia attinētia ad materiā, Qualitates vt disponētes ad materiam pertinent, formę seorsim nō erant numerandę, sed Elementa cōstituta ex illis, quia hęc sunt materia mixtorum. Afferebatur auctoritas ex 12. Metaphysicę, 22. Respondeo, eo loci ab Aristotele calorem & frigus dici formas, & Substantias, tum quia formam circūscribant, tum insuper, quia veteres putarunt esse formas. Exēpla autem frequenter afferuntur ab Arist. ex opinione aliorum. Addebatur, auctoritas Auerrois ex degressione in quintum Meteorum, asserentis, formas mixtorum nil esse præter Temperamentū. Respondeo, per dicta in lo-

cis pro-

eis proprijs esse explicanda, quę obiter dicuntur in alienis; Sępè Auerroes damnauit opinionem Alexandri, quòd Qualitates primæ sint formę Elementorum, & soluit rationes eius, ut in 8. Metaphisicæ cō. 5. & 3. Cęli, adeò ut minimè suspicari valeamus Auerroem fuisse illius opinionis. Quare vel dicendum, id protulisse ex sententia Alexandri, vel quòd per complexionem & mixtionem denotauerit formam mixti ex mixtione consurgentem, quæ per Temperamentum circunscribitur. Dicebatur, omnem facultatem mixtorum sequi Temperamentū, patefeci oppositum de nonnullis principalibus facultatibus. Insuper dico, sequi Temperamētum ut Dispositionem, ut Instrumentum, & secundum Sensum, non autem primò, & secundum Rationem.

## *An formæ Elementorum recipiant magis, & minus, afferuntur Rationes pro utraque parte. Cap. IX.*

*Formæ Elementorū non intendi et remitti.*

VT distinctiùs fulgeant formæ Elementorū, & pateat quo ex eis prodire valeant formę Mixtorū, necessarium est pręnoscere, an recipiāt magis & minus, quod satis est difficile cognitu, & opiniones sunt variæ; Nā quòd id eis nō cōpetat, primò, enunciatur ab Arist. in Pręedicamēto Substantię, dicente, Substantiā nec intensionis, nec remissionis esse capacē. Id confirmatur, quoniā carēs cōtrario, nō recipit magis & minus, id enim fit per contrarium, vt sæpè ait Philosophus, Substantia caret contrario; quare nec magis, nec minus recipit. Insuper, si formæ Elementorum reciperentur in materiam per gradus & cum successione, tunc ad Substantiam esset motus, quod inficiatur Philosophus in 5. Phys. quarto. Hinc D. Thom. & Græci asserunt, formas Elementorum nec magis, nec minus recipere. Ex aduerso, Sēsus, Ratio, & Auctoritas, nobis patefaciūt oppositum. Sensus hoc nobis indicat, cum inspiciamus inueniri Elemēta non pura, & magis vel minus sincera, inspiciamus Accidentia comitantia formā, & eam circūscribentia, vt quatuor primas Qualitates; & grauitatem ac leuitatem, intēdi & remitti. Insuper id patet Ratione, quoniā formæ ordinatæ pro constitutione sequētiū formarū, debēt recipere magis & minus, alioquin nō possent p variā remissionē multiplex genus aliarum formarū parere; Formæ Elementorū paratæ sunt pro cōstitutione formarū mixtorum, quæ multiplices sunt; quare oportet vt per varias mēsuras & remissiones ad eas producendas conspirent, quod eis nō posset competere, nisi intenderentur & remitterentur, veluti nec medij colores, nec medij sapores consurgere possēt, nisi extremi remitterentur, nam medium conflatur ex extremis, & quia extrema sincera & pura nequeunt seruari simul, ideò necesse est, vt remittantur. Hanc veritatem sæpè Arist. patefacit in lib. de Ortu & interitu, nam in primo lib. cont. 84. inquit, mixtum esse potestate aliquid miscibilium, quæ erant antequam miscerentur, & non destruuntur, nec seruantur actu, &c. His uerbis indicat, seruari cū remissione. Quod confirmat cont. 88. inquiēs, miscibilia mutuò pati, mutari sui natura in dominans; & non fieri alterum, sed medium & commune; & in Epilogo colligit, miscibilia pro mixti constitutione nec debere interire, nec seruari eadem, quæ priùs, & clariùs in secundo lib. cont. 48. inquit, ea quæ miscentur minuere sibi mutuò excellentias, nec manere solam materiam, nec alterum contrariorum actu penitùs, sed fieri medium, & in calce contextus addit, & primò quidem Elementa ita transmutantur, ex his autem carnes, ossa, & similia fiunt, calido facto frigido, frigido autem calido, dum ad medium ueniunt, quod neutrum est: id autem medium est multiplex, & non indiuiduum, &cæt. Hæc dum rectè accipiuntur, & non peruertuntur, conspicuè patefaciunt formas Elementorum intendi & remitti. Nec ualemus dicere, solùm remitti Qualitates, quoniam medium consurgens nedum est temperamētum, & Qua-

*Pro parte aduersa.*

*Arist.*

litas,

litas, verum insuper forma mixti, quæ Substantia est, & præsertim, quia id constituit medium & remittitur, quod est miscibile, huiusmodi autem sunt formæ & Substãtiæ Elementorum: inquit enim Philosophus, miscibile esse aptum seorsum subsistere; Insuper, id confirmatur per Aristotelem in secundo de Ortu & interitu, 22. dicentem, hæc quæ Elementa appellantur, non esse simplicia, sed mixta, nõ esse Aerem, sed Aereum, quod non contingeret, nisi formæ Elementorum remitterentur, veluti nõ dicimus id de Animalibus, quia Animæ non remittuntur. Prętereà, natura nullũ gradum prætermittit inanem, ideo non debet dari transitus ab Accidentibus ad Animas, nisi per formas quasdam medias, participantes conditiones extremarum: huiusmodi sunt formæ Elementorum, & formæ mixtorum consurgentium ex eis, quæ quatenus tradunt esse simpliciter, sunt Substantiæ, ut autem intenduntur & remittuntur, habent aliquid commune cum Qualitatibus primis, & Accidentibus, & adeo sunt illis proximæ, ut Græci interpretes, & Galenus ab eis illas non secreuerint; Hine rectè dixit Auerrois in tertio de Cœlo, 67. Nisi formæ remitterentur, nil gigneretur forma distinctum ab illis, non enim ex formis non aptis remitti, noua forma cõsurgere valet. *Auerr.*

## *Opiniones variæ, & euersiones quarundam. Cap. X.*

DE proposita difficultate tria sunt opinionum Capita, duo extrema, & vnum medium, nonnulli enim absolutè inquiunt nullam Substantiæ formam recipere magis & minus. Alij ex aduerso inquiunt omnem. Quidam se medios constituentes, aiunt, quasdam recipere, alias minime. Primum caput approbatur à D. Tho. putante nullam formam Substantialem recipere magis & minus, ob rationes primò à me relatas. Græci de conclusione consentiunt cum D. Thoma, dissentiunt de modo: nam Gręci considerantes formam totius, consurgentem ex genere & differentijs, inquiunt, quòd quamuis differentiæ recipiant magis & minus, tamen forma consurgens indiuisibilis est, & ideò recipiunt magis, & minus, ut Accidentia sint, non vt sunt Substantiæ, vel Substantiam constituunt; Hoc dicitur ab Ammonio, in prædicamento Substantiæ, à Simplicio in secundo Physicorum commento nono, & in quinto Physicorum undecimo, necnon ab Alexandro septimo Metaphysicę, 17. At D. Thom. id negat, etiam de differentijs: nam differentiæ, formę sunt. Hęc opinio ex parte Conclusionis, nempe quod formę Substantiales nõ recipiãt magis & minus, falsa est, ut declaraui. At adhuc magis est falsa ex parte modi approbati a Græcis: nam dicere differentias recipere magis & minus, non autem formam, est pugnantia proferre, vt enim se habet de differẽtijs, ita de forma consurgente ex eis. Similiter absurdum est asserere, quòd recipiant magis & minus, ut Accidentia, non autem ut Substantiam complent. Si enim sunt Accidentia, non valent complere Substantiam, & cum pro absoluto sint idem, non valemus dicere quòd vno modo sumpta non recipiant; altero recipiant magis & minus. Præterea inquit Simplicius in septimo Physicorum, formam substantiæ in indiuisibili esse positam, quia se habet ut de domo, cuius forma dicitur consurgere in appositione vltimæ tegulæ momento, at si id esset, tunc quęuis exigua mutatio in mensura Qualitatum constituentium Elementa, erit interitus Elementi, & in Vniuerso nullo pacto inuenirentur formę Elementorum, quia (concedente id Simplicio) Elementa sincera non dantur, & ideò non dabitur ea indiuisibilis mensura constituẽs Elemẽti formã, nec poterimus dicere quid sint hęc Elemẽta, quę in Vniuerso inueniũtur, uel uti Aqua, nam ea non erit Aqua, cum careat Aquæ forma, nec erit mixtum, cum

*Tria opinionum capita.*

*D. Thom.*
*Græci.*

*Euertitur sententia Græcorum.*

non prodierit forma mixti ex mixtione, quæ forma mixti ex eius sententia etiam non recipit magis & minus, non itaque approbanda est ea sententia, quòd formæ Elementorum non recipiant magis & minus. Propterea est opinio secunda ei aduersa, quòd omnis forma Substantiæ, quæ in materia recipitur, suscipiat magis & minus. Huius opinionis fuit Antonius Andreas in vndecimo Metaphysicæ, quæstione vnica, & sunt ferè omnes qui sequuntur Scotum, hi aiunt, formam Substantiæ dupliciter considerari, vel secundum se, vel vt recipitur in materia, siue quod idem est, vel secundum gradus essentiæ, vel existentiæ, secundum se, & per gradus essentiæ non recipit magis & minus, sed vt in materia recipitur, & per gradus existentiæ distinctionem eliciunt ex Aristotele in octauo Metaphysicæ, contex. decimo dicentem: Formas & Essentias rerum, esse vt numeros, & in indiuiduo esse positas, sed siquidem quæ cum materia, hoc est recipiunt magis & minus, ut in materia recipiuntur. Confirmatur quia materia & forma sunt ad aliquid, & alterius formæ altera est materia, vt dicitur in secundo Physicorum vigesimosexto, quare cum materia per uarios gradus pareteur pro forma, etiam forma per uarios existentiæ gradus in ea recipietur, quod nobis patefaciunt opera formarum in materia existentium, quæ recipiunt magis, & minus. Hanc opinionem etiam approbandam non puto. Ratio est; quia remissio tributa est formis, ut ex eis formæ aliæ prodire ualeant, uel ad uarias subsequentes disponant, de Anima non sic se habet, nō enim ex Animarum mixtione, debent aliæ formæ prodire, nec debent disponere ad varias subsequentes formas materiatas, cum postremæ sint, & propterea carent ratione, & fine, ob quem debeant recipere magis & minus. Præterea, cum Animæ sint formæ materialium perfectissimę, cuiusdam totius completi conditionem includētes, satis supra materiam eleuatæ, magis cæteris indiuisibiles iudicari debent, nam ut inquit Aristoteles in secundo de Anima, Plantarum Anima ita est una, ut potentia sit multiplex, & diuisa Planta, Anima redditur actu duplex; seruans semper rationem totius, unius, & perfecti, hinc unam in corpore sibi principem sedem exposcit, quod inferioribus formis non competit. Præterea, cum Aristoteles, in Prædicamento Substantiæ dicat, eam non recipere magis, & minus, secundum hanc opinionem ea proprietas nulli Substantiæ competeret. Insuper, Anima non est prædita aliqua opposita forma eiusdem gradus, per quam ualeat remitti, ut prædictæ sunt formæ Elementorum. Demùm non omnis forma Accidētum recipit magis & minus, ut asseritur ab Aristotele de figura, & alijs quare longe minus omnis forma Substantiæ quæ est perfectior, & de qua id negat Aristot. Propterea est opinio tertia & media, quę est Auerrois in 3. de Cœlo, 67. & alibi, dicentis, formas Substantiæ Elementorum recipere magis, & minus, non autem alias, cum enim formæ Elementorum sint infimæ, & medient inter accidentia & formas Substantiæ perfectiores, etiam participant conditiones extremarum. Auerroem mox sequuntur alij multi; Quam opinionem omni ex parte approbandam non puto, nam quod formę Elemētorū recipiāt magis & minus affirmo, & iā est ostensū, sed ad do et formas mixtorum infra Animam positarū tales esse: nam formæ materiatę sunt triū graduū, vel sunt simplices & primę, ut illæ Elementorū, vel cōsurgūt ex earū mixtione, vt formę mixtorū, uel mixto superueniunt, ut Animæ. Quemadmodum formæ Elementorū recipiunt magis & minus, ita id ipsum cōpetere existimo formis mixtorū, & Ratio est cōspicua omnis enim forma cōsurgens ex formis quæ magis & minus recipiunt, necessariò intenditur, & remittitur; huiusmodi sunt formę omnes mixtorū, nam prodiens ex alio, seruat conditionem eius ex quo prodit, & hoc patet inductione de Coloribus, Saporibus, & Odoribus medijs, qui cū cōsurgāt ex extremis recipientibus magis & minus, et id seruāt. Insuper, omnis forma parans pro uarijs subsequentibus formis, debet recipere magis & minus, formæ mixtorū ita se habent, parant enim pro uarijs Animis. De Anima autem secùs se habet, ea enim nec consurgit ex mixtione,

*Opinio 2. Omnē formā intendi.* — *Arist.* — *Confirmatio.* — *Euersio.* — *Opinio 3. & media.* — *Euersio in parte.* — *Materiatę formę triū gradnum.*

ne, ſed mixto per actionem agentis ſuperuenire dicitur, nec parat pro ſubſequentibus materiati formis. Hinc Ariſt. in primo de Anima 65. inquit; ſi Senex reciperet oculũ Iuuenis, videret vt Iuuenis, indicans formas mixtorum remitti, non autem Animas. Hoc patet de Metallis, quę conſpicuè magis & minus recipiunt, & aurum vel purius, & maioris pretij, vel impurius eſt. Hoc tamen verum eſt, quòd formę mixtorum non ita intenduntur, vt formę Elementorum, quę intenduntur & remittuntur per formas oppoſitas: nã formę mixtorum, non ita habent oppoſitas, ſed intenduntur & remittũtur per conſociationem, & per intentionem formarum Elementorum, ex quibus conſurgunt, vt etiam Colores, Sapores, & Odores medij. Præterea, approbandam nõ puto rationem; qua Auen oſtendit formas Elementorum intendi; nam an id accidere, quia mediant, ut retuli; At hæc non eſt potiſſima Ratio, nec neceſſaria; quia non omnes formæ Accidentiũ recipiunt magis & minus, ut Relationes quæ ſunt imperfectiſſimæ; magna ex parte nõ id recipiunt, quare non eſt verum, formas Elementorum remitti, quia inclinant ad cõditionẽ Accidentiũ, ſed potiùs, quia ſunt formę prędite cõtrarijs eiuſdem gradus, paratę pro conſtitutione ſequentium formarum mixtorum.

*De Metallis.*

## *Opinio propria de intenſione & remiſsione formarum Subſtantiæ. Cap. X I.*

*Duæ Concluſiones.*

CVm cæteræ opiniones ſatis dubiæ apparuerint, ideò vt referam quod ſentio, duas profero Cõcluſiones, Prima eſt, Anima non recipit magis & minus. Altera eſt, Formę infra Animã poſitę recipiunt magis & minus. Prima Cõcluſio oſtẽſa eſt per ea quæ dixi aduerſus opinionẽ Antonij And. Secũda, per ea quę dixi aduerſus duas alias opiniones. At pro exactiore notitia conſiderandum, Gradus eſſe duplices, uel eſſentiæ rerum, uel exiſtentiæ. Gradus eſſentiæ, in duob. locum habent, vel in natura ab vno, ut in perſpicuo, vel in vniuoca, vt in corpore Phyſico mortali, & in generibus Prædicamentorũ. Si conſiderantur in natura ab vno, tunc conſtituunt ſpecies varias, de quib. commune dicitur, non Vniuocè, ſed ordine aliquo, ideò nonnunquam dicuntur eſſe eiuſdem ſpeciei, nonnunquam diſtinctæ, vt ſe hẽt de Orbib. Cęli. Si autem conſiderantur in Natura Vniuoca, tũc per omnem gradum eſſentiæ uariatur ſpecies, ſiue ea fuerit eſſentia Subſtantiæ, ſiue Accidẽtis. Hoc denotauit Porphyrius in cap. de Differentia loquens vniuersè de differentia magis propria, & inquiens, eã nõ recipere magis & minus, q̃a eſſentia rei, nec magis nec minus recipit. Hoc docuit Ariſt. in 8. Metaph. cont. 10. inquiens, Et quemadmodũ numerus non habet magis & minus, ita nec quæ ſecundum formam Subſtantia eſt, ſed ſiquidem quæ cum materia &c. Per Subſtantiam ſecundũ formam, denotauit eſſentiã rei, nam in eo cont. de rerum eſſentia loquitur, quæ à Pythagora per numeros explicabatur. In hac ſignificatione uera eſt ſententia Ariſtotelis, quòd Subſtantia nõ recipit magis & minus, & de huiuſmodi gradibus eſſentię vere enunciare valemus, quòd per intenſionem variantur ſpecies. Altera ex parte inueniuntur gradus exiſtentiæ ad indiuidua attinentes, competentes formæ nõ abſolutè, ſed ut in materia recipitur: gradus eſſentiæ, eſſentia inter ſe diſtinguuntur: at gradus exiſtentiæ ad indiuidua attinentes, ſolùm diſtinguuntur ex accidenti, ideò de his rectè dicitur, quod magis non conſtituunt varietatem ſpeciei. Hi gradus nonnullis formis ex propria earũ conditione repugnant, vt Circulo, Quadrato, & ſimilibus, quæ in indiuiſibili ſunt poſitæ: nonnullis non repugnant, hi nuncupãtur gradus indiuiduorum, & exiſtentię, à quibus ſcientię abſtrahunt, hos denotauit Ariſt. in 8. Methaphyſicæ 10. inquiens, Subſtantiã ſecundum formam non recipere magis & minus, ſed ſiquidẽ eam quæ cum materia, loquitur cũ conditione. Primò, quia non omnis forma

*Gradus eſſentiæ.*

*Pulchra dubitatio.* quæ in materia recipitur, intenditur & remittitur. Secundò, vt gradus existentiæ distinguat à gradibus essentiæ, quasi dicat, formę recipientes magis & minus solùm id habent vt sint in materia, hoc est per gradus existentię. Sed hoc dignũ est consideratione. Si commune est omni essentię non recipere magis & minus, & cùm Substãtię, *Solutio.* tùm accedentium; similiter & Substantiæ & Accidentibus id competat, vt in materia recipiantur, cur Aristoteles de Accidentibus concessit, de Substantijs negauit, quòd magis & minus recipiant? Rationem varietatis hanc esse puto: nam forma dicitur intendi vt in materia recipitur, & per eã Subiectum denominatur esse in alio, & per id aliud denominari, propriè Accidentibus competit, quorum esse est alteri inhærere, ideò iure eis tribuitur intensio & remissio: Substantiæ autem id conuenit vt commune aliquid habet cum Accidentibus, nempè vt in alio recipitur. Ex aduerso cuilibet essentiæ repugnat intensio; & quia essentia propriè, & primò dicitur de Substantia, ideò absolutè dicitur Substantiam non intendi & remitti, immò essentia accidentiũ, quæ non intenditur, frequenter ab Aristotele nomine Substantiæ denotatur, adeò ut accidentia quatenus Substantiæ conditionem participant, dicantur non intendi, substantiæ verò dicantur intendi, vt participant conditionem quandam Accidentium, qua de re plura dixi in lib. de Philosophia ciuili, quæ nunc missa facio.

## *Diluuntur aduersa Rationes.* *Cap. XII.*

*Soluitur prima Ratio.* EXplicata sententia quam veriorem puto, superest vt diluam Rationes aduersas. Instabatur per Aristotelem in Prædicamento Substantiæ dicentem, Substantiam non recipere magis & minus. Dicamus Arist. in Predicamentis loqui populariter, non autem exactè de rebus, ut aiunt omnes Græci interpretes. At in 8. Metaphysicæ, context. 10. propriam sententiam explicauit, vt retuli. Addamus, id tribui Substãtię quatenus essentiæ rerũ non cõpetit, quæ essentia primò, & propriè dicitur de Substantia, & quia Substantia non propriè prædicatur per denominationem, accidentib. uero opposita *Soluitur secũda Ratio.* competunt, ut patefeci. Instabatur secundò, quia Substantię non competit contrariũ, ex sententia Aristotelis. Respondeo, Substantiæ non competere contrarietatẽ externam, natam acquiri continuarè in eodem Subiecto, quod actu sit, quæ requiritur pro motu, competere tamen contrarietatem internã, attinentem ad differentias, ut in prima Philosophia sæpè affirmat Aristoteles, redigens oppositionem differentiarum ad contrarietatem, & præsertim competere formis Elementorum, vt propinquiorib. primis Qualitatibus, quibus Materia omnino denudari non potest: formæ autem mixtorum solùm participes sunt huius potioris contrarietatis, quatenus consurgunt ex formis Elementorum, easque modo aliquo includunt, ideò etiam per eas ut dixi, reci- *Soluitur tertia Ratio.* piunt magis & minus. Erat Tertia dubitatio, quia ad Substantiam esset motus. Respondeo cum Aristotele in quinto Physicorum cont. decimo, ad Substantiã non esse motum, quia nil est ei contrarium, hoc est, quia ei non competit cõtrarietas requisita pro motu, quæ est oppositio formarũ apta recipi continuatè in eodem Subiecto actu: nam quod mouetur, debet esse Subiectum actu, quod seruetur idem sub utroque termino; quod enim mouetur, non fit absolutè, sed cum sit fit tale, uel tantùm, ideò quod mouetur, dicitur esse in loco, & motus dicitur transmutatio ex Subiecto in Su- *Instantia.* biectũ, ex 5. Physic. At Elementis hoc competit. Sed instatur, quia si formę Elemẽtorum remittuntur, termini remissionis non erunt esse, & non esse, ut generationis, sed *Solutio.* forma perfectior & imperfectior, vt se habet de motu. Respõdeo, eos non esse terminos postremos trãsmutationis Elemẽtorũ, sed medios, nos aũt tenemur in denominatione motus considerare terminos extremos, & Subiectũ: in Subiecto actu, locũ habent termini secundum formã oppositi: in Subiecto potestate, termini oppositi per priuationem

tionem & habitū, & tales cōpetunt mutationi Elementorū. Insuper dū in eadē specie consideratur motus per magis & minus, ea tunc dicitur alteratio, vt asseritur in 5. Phys. t 9. quia habet aliquid commune cum ea. Quod autem generatio includat continuationem, non est absurdum, immò necessarium, ut elicitur ex definitione motus tradita in tertio Phys. quæ competit etiam ortui, interitui, & clarius ex sexto Physicorum. His accedit, quod esse, & non esse includitur in omnibus terminis motuum, & propterea motus omnis est generatio quædam, ut sæpè docet Philosophus.

## *De mutua Elementorum permutatione. Cap. XIIII.*

ELementa instrumento grauitatis & leuitatis congruentē in Vniuersi ordine sibi locū adipiscuntur & seruant: Instrumento autē quattuor primarū Qualitatū se à contrario defendunt simile, generant, inuicē permutantur, mixta constituunt, & sunt principia proxima generationis Substantiæ Mixtorū. Hinc dicimus, nullā fieri generationē, ad quā non conspiret aliqua Elementorū permutatio. Permutātur inuicē Elemēta; quia prędita sunt contrarietate, & cōmuni Subiecto, de cuius possessione eorū formę contendunt. Expetunt, & pro uiribus nituntur Elemēta sua actione, appetitu quodam proprio; primò seipsa seruare; secundò, per instinctum naturæ uniuersæ species expetunt generare simile, ut successione seruentur æterna; tertiò, ex accidenti expetunt interitum contrarij. Elementa inuicem permutari, Ratione & Experientia constat, & id patet non de quibusdam tantùm, sed de omnibus, nam omnium est cōsimilis Ratio. Hinc iure damnandus est Empedocles, qui Elementa inuicem permutari inficiatus est. Similiter minus rectè Parmenides id negauit de Igne & Terra, Heraclitus de Igne, Diogenes de Aere, Thales Milesius de Aqua, Orpheus, & Hesiodus de Terra. Nam quibus competunt conditiones requisitæ pro mutua permutatione, competit mutua permutatio; Conditiones autem consimiliter cōpetunt singulis Elementis, quod conspicuum est, nam pro mutua permutatione primò requiritur Subiectum commune, secundò triplex: una formæ & priuationis, constituens terminos per se ortus & interitus, altera formarum eiusdem gradus, quæ nequeant simul seruari in eadem materia, nam priuatio semper cum aliqua forma iuncta est, tertiò, pro instrumento requiritur contrarietas extrema Qualitatum alterantium, quarum alteratio est via in generationem; hæc autem singulis Elemētis cōpetunt; quare singula sunt apta inuicem permutari. Permutantur autem non simul secundum totum, sed secundum partes. Ratio est, quia totum deuorat speciem, partes indiuidua, mutatio est inter indiuidua, non inter speciem totam, & speciem. Et iure Elementum totū, in aliud totū simul non permutatur; cum unumquodque comparatum cum alio, eius sit facultatis vt illi uirib. quodāmodo æquetur, non autē id superet, uel superetur ab eo; & ad huiusmodi conseruationē etiā conspirant Cęli suo Lumine & motu. Hinc Elementa dicuntur possunt modo aliquo æqualia, quod dicebatur ab Empedocle, & approbatur ab Aristotele in secundo de Ortu & interitu. At dignū hoc est cōsideratione, quomodo Elemēta inuicem comparata, dici possint æqualia: nam si inspicimus terminatam eorū molem, proculdubio inæqualia sunt, veluti Aer longè maior est Aqua. Ideò dicamus, ea esse æqualia iustitia, mora, facultate, & materia, omnia n. cōgruentibus terminis sunt prædita, omnia sunt æterna, omnia sunt prędita ea facultate, qua se valent seruare, & demùm, dicūtur æqualia secundū materiā, & indefinitā molē, ut elicitur ex 2. de Ortu & interitu 37. quatenus imaginamur communē mortaliū materiā in quattuor æquas partes esse diuisam, & singulis Elementis æqualem portionem fuisse tributam,

*Quid primo optent Elementa.*

*Requisita pro mutua permutatione.*

*Quomodo Elementa sint æqualia.*

ideò in quarto de Cœlo, [illegible] Philosophus quatuor esse materias ob quatuor primas potentias ei competentes, ad quatuor formas Elementorum: [illegible] Elementa terminis inæqualia, ob varietatem [illegible] densitatis [illegible] Aerem, Aerem Aqua: de Aqua autem & Terra est dubitatio: nonnulli n. Aquam putat minorem Terra, vt Philoponus in 2. de Ortu & interitu 37. & cum coalij, quia de re certi esse non valemus, cum non constituant distinctos orbes, sed in [illegible] diganturs Arist. tamen, [illegible] videtur, quod Terra sit minor, cum concedat æqualitatem partium materiæ, & Aqua sit rarior. Et iure profectò, cum.n.simplicia corpora æquè sint Mundi & mixtorum: Elementa, & materia prima æquè se habent ad quatuor primas Elementorum formas: rationi consonum est, vt æquã portionem materiæ includant, & secundum terminatam molem ita inuicem se habeât, vt se habere inspicimus in mutua eorum permutatione, adeò vt quemadmodum in mutua permutatione pars vnius se habet ad partem alterius; ita totum se habeat ad totum, [illegible] Arist. in 2. de Ortu & interitu, 29. & clarius in primo Meteororum, cap. quinquiens: Necesse est eandem rationem habere quam habet exigua portio, ad genitum ex Aqua Aerem, & totam Aquam ad totum Aerem. Et præsertim [illegible] Aqua maior Terra, [illegible] consideratibimus, quod dicitur ab Aristotele in primo Meteororum a Nubibus vsque ad Terram non Aerem esse, sed rarefactam Aquam, & in vapores Aqueos versam. At cum Elementa ambientia maiora sint inclusis, [illegible] est, [illegible] inuicem decupla continua proportione [illegible], adeò vt Aqua decupla sit maior Terra, Aer Aqua, & Ignis Aere, hoc enim Sensui, & Rationi aduersatur, [illegible] in Vniuerso [illegible] Cœlum, solum reponeretur Corpus maius Terrena mole, millies centies, & decies, quod falsum est, quoniam [illegible] includit longè maiorem [illegible], vt patet [illegible] Astronomi. Præterea hoc conspicua experientia patet: nam Aqua, dum per Glaciem & Crystallum [illegible] videtur [illegible], at dum per Vapores in Aerem permutatur apparet reddi maior plusquam [illegible] in vapores & ignem verso. Plato in Timæo, [illegible] in mutua permutatione Elementorum [illegible] illam decuplam seruat, sed dixit, ex Aere duplũ Ignis gigni, ex duplo cum dimidio Aeris vnam Aquæ; de Terra nil dixit, quia illam negauit in alia verti posse, indicans fortè potius difficultatem, quàm quòd omnino mutari nequeat. At secundum sententiam Platonis maiora sequuntur absurda, ita enim non seruabitur ea æqualitas partium materiæ. Colligamus itaque, Elementa omnia inuicem per partes esse apta permutari, & simul dici posse inæqualia secundum molem terminatam; æqualia verò modo declaramus: [illegible] quod triplex terminus consideratur in Elementis. Primus in raro & denso, & hic sequitur formam propriam Elementi, necnon connexionem illarum primarum Qualitatum, Elementorum competentium. Alter terminus consideratur in mole totius Elementi, qui terminus pendet ex causis communibus, ex ordine partium Mundi, & ex definita portione materiæ, & raritate [illegible] naturam & [illegible] propriam Elementi, non autem hæc definita moles totalis Elementi sequitur propriam formam [illegible], quod etiam vt inquit Aristoteles in secundo de Anima 41. Ignis, si adsit combustibile, cresceret in infinitum; sunt enim partes Elementorum tanquam individua specierum, quorum numerus definitus non est. Tertius terminus Elementi est [illegible] quia, quam Elementa a continente recipiunt. Colligamus itaque Elementa omnia esse apta inuicem secundum partes permutari, partim esse æqualia, partim minime, & triplices eis competere terminos.

*Arist.*

*Reijcitur decupla inter Elementa.*

*Plato.*

*Conclusio.*

*Triplex Elementorum terminus.*

*Conclusio.*

## *Elementa non æquè facilè inuicem omnia permutari.*
## *Cap.* XIII.

HOc habent commune Elementa vt omnia sint apta inuicem permutari, difficultatem tamen, quia nonnulla faciliùs, alia difficiliùs inuicem valent; nã Elementa, quæ vna communi Qualitate ligantur, & ordine symbolia, faciliùs inuicẽ permutantur, nã vna sola eorum Qualitas mutanda est, & quemadmodum Elementa in orbem communi Qualitate ligantur, ita in orbem facilè in inuicem permutantur, vt terra in Aquam, hæc in Aerem, hic in Ignem, quæ mutua permutatio, si species Elementorum consideramus, finita est, cum numerus Elementorum sit finitus; at si consideramus partes, quæ sunt tanquam eorum indiuidua, est infinita, sunt enim partes successione infinitæ, & hunc in modũ ea mutua permutatio seruatur æterna. Hæc facilitas mutuæ permutationis non est consimilis: variatur enim ob varietatem densitatis, & Qualitatis permutandæ, vt solùti ignis in Terram ob oppositionem in densitate & grauitate difficilè permutatur; Terra in Aquam difficiliùs permutatur, quàm Aqua in Aerem, quia siccitas Terræ difficiliùs mutatur, quàm frigiditas Aquæ, tamen dum traduntur Regulæ, semper debent intelligi suppositis cæteris parib. Elementa autem contraria, cum difficultate inuicem permutantur, magis enim inuicem distant, & plura mutanda sunt, vt enim mobilia secundum locum faciliùs in proximum, quàm in distantem locum transferuntur, ita quæ secundum propriam Substantiam, & Qualitatem permutantur, faciliùs in id transeunt, quod est similius. Addo tertiò, ex duobus Elementis contrarijs per ea, quæ illis competunt, tertium Elementum gigni posse, veluti ex Igne & Aqua inspicimus gigni Aerem, perempta siccitate Ignis, remanente calore, & perempto frigore Aquæ superstite humore. Hæc permutatio dicitur facilior, quàm ea quæ est in contrariũ. Primò, quia ea est permutatio in Elementum tertium vna communi qualitate ligatum & consimile. Secundò, quia Qualitates Elementi tertij quod gignitur, ambæ præextiterunt in corruptis, nec denuò penitùs vlla earum est producenda. Et animaduertendũ ex duobus contrarijs posse tertium fieri non vnico, sed duobus modis, nempe vel per mutuam actionem contrariorum, vt ex mutua actione Ignis & Aquæ inspicimus gigni Aerem, vel per actionem tertij in eadem contraria, veluti per actionem Ignis in Terram, & Aerem, superstite siccitate Terræ, & calore Aeris, percipimus consurgere Ignem. Ex hactenus dictis quattuor prodeunt difficultates. Prima, an omnia Elementa sine medio inuicem valeant permutari? Altera, an verum sit, quod Elementa, quorum una Qualitas est communis, faciliùs inuicem permutentur? Tertia, an quando ex duobus Elementis contrarijs consurgit Tertium, id Tertium sit vnum numero ex illis genitum, vel potiùs duo numero, vt etiam ex duobus genita sunt? Postremò, cum Elementa sint Substantiæ intrinsecùs constitutæ, non per quattuor Qualitates, sed per propriam Substantiæ formam, minus rectè Aristoteles explicans eorum mutuam permutationem, solùm considerat mutationem Qualitatum, non autem propriæ formæ. Pro harum difficultatum solutione, ordiar à postrema, vt à faciliore, & conducente pro solutione cæterarum. De qua breuibus dico, alterationem esse viam ad mutationẽ Substantiæ, & quod dicitur de via, intelligi debet de termino, & quod est verum de Qualitatibus, est uerum de propria forma: sermo tamen est de Qualitatibus: Primò, quia sunt notiores & circumscribunt formam. Secundò, quia vniuersa facilitas & difficultas in earum actione & permutatione est posita, nam propria forma sequitur eas tanquam disponentes.

*Facilitas mutuæ p-mutatiõis varia est.*

*Ex duob. contrarijs gigni tertium.*

*Quattuor dubia.*

*Solutio postremæ difficult.*

## An omnia Elementa sine medio sint apta inuicem permutari. Cap. XV.

*Quod nulla mutatio careat medio.*

Compertum est, Elementa omnia posse inuicem permutari, dubium tamen est an singulis id cōpetat sine alio medio Elemento. Nā primò apparet, nullam eorum mutationem carere medio, quoniā Elementa ex parte Qualitatum & propriarū formarum, sunt tanquam extrema recipientia magis & minus: quę autē sunt huiusmodi, non valent inuicem sine medio permutari. Id confirmatur, quia experientia constat, Elementa omnia inuicem permutari, per quosdam medios halitus, hinc duo halituum genera constituta sunt communia principia Meteorologicorum, quæ prodeunt ex mutua permutatione Elementorum, uel eorum transitu in mixtū. Prætereà quamuis Ignis & Terra communem habeant siccitatem, tamen sunt adeò in cæteris opposita, adeoque per densum & rarum, leue & graue; perspicuumque & opacum, ab inuicem distant, vt sine medio inuicem mutari posse non uideantur, & præsertim, quia in Terra nil humoris inest, per quod incendatur; Elementa autē uidentur verti in Ignem per incensionem, hinc incensis lignis, superest cinis tanquam Terra, quæ in Ignem uerti non potuit. Propterea Plato inficiatus est, Terram in alia Elementa verti posse, indicans summam difficultatem. Confirmatur, quia si Terra sine medio uerteretur in Ignem, seruaretur forma Ignis cum maiori densitate, quàm sit illa Aëris, quoniā cum densitate Aeris non esset Terra, nimiùm enim esset rara, quare esset Ignis. Si Elementa communi qualitate prædita sine medio non inuicem permutantur, longè minus permutare poterunt contraria, quod ostenditur, quia si Aqua debet in Ignem verti, quia calor potentiùs agit, & frigus faciliùs quàm humor aufertur ab Aqua, ea primò fiet calida, & in Aerem trāsibit, mox destructo humore, uersetur in Ignem. Similiter Ignis non uidetur in Aquam posse verti nisi primò humectetur, & fiat Aer. Hinc Themistius referente Auerroe, in primo de Cęlo, com. decimo censuit Elementa contraria per medium aliquod necessariò permutari, ut etiam Simplicius in primo, de Coelo, vigesimoprimo. Ex aduerso tamen Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, asserit etiā Elementa contra posse sine medio inuicem permutari, quamuis difficiliùs, & iure optimo profectò, nam si materiam inspicimus, ea æquè est apta quamlibet Elementorum formam sine medio recipere: si consideramus formas Elementorum, illæ sunt eiusdē gradus, nec vna vt recipiatur in materia, præsupponit aliam: si tertiò consideramus dispositiones pro forma Elementi ex primis Qualitatibus prodeuntes, quia illæ Qualitates æquè sunt primæ, etiam ęquè primò parare possunt pro qualibet Elementi forma. De Terra, quòd proximè in Ignē vertatur, patet ex fumo, quo exēplo vtitur Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, nā fumus ex Terra & Aere constat, & ut pars Aerea fumi, ita Aerea sine medio in Ignem vertitur. Similiter Fabri ærarij pacefaciunt Aquam igni contrariā sine medio verti in Ignem, dum super incēsos carbones effundunt aquam, quæ proximè in ignem uertitur. Quod etiam Terra sine medio vertatur in Aerem, indicant halitus illi sicci, qui a Sole educuntur ex Terra.

*Conclusio.*

Colligamus itaque Elementa omnia sine medio posse inuicem permutari.

*Medium duplex.*

At pro solutione aduersarum Rationum, accipio medium permutationis Elementorum esse duplex, unum secundum magis & minus, & de hoc non est dubitatio: constat enim huiusmodi medium semper adesse, semper enim Elementa per medios aliquos halitus inuicem permutantur. Aliud est medium distinctum specie, vt inter Aquam, & Ignem mediat Aer, & de hoc est dubitatio, de qua dico, Elementa omnia sine medio inuicem permutari posse. Quod confirmo ratione sumpta ex efficiente, omne agens proximum præditum instrumentis, pro sui generatione est aptum mutare aliud in quod agit, proximè in seipsum; Elementa omnia sunt huiusmodi, qua-

re

re in quodcumque aliud agant, valent illud proximè in se permutare. Animaduertendum tamen, quod Elementa contraria, dupliciter considerari possunt: Primò ut contraria in ordine vniuersi, loco seiuncta in per medium agentia, & ita suum contrarium in se non sine medio permutant, sed in medium aptū faciliùs ex eo fieri, vt Ignis in distantem Aquam agens, eam permutat in Aerem. Vel considerantur vt seorsum ab ordine Vniuersi, partes contrariorum cōnectuntur, vt dum aqua in Carbones effunditur, vel Ignis in Aqua suffocatur, sic potest sine medio unum in alterū verti. His præassumptis facile est aduersas rationes diluere. Prima sumpta ex medio secundum magis & minus soluta est, non enim de eo est dubitatio. Dicebatur secundò, mutatio nem fieri per medios halitus. Respondeo id esse medium per magis & minus, sunt.n. Elementa inuicem permutanda remissa & permixta, vt de fumo dixit Arist. Addebatur instantia de Terra, dico id fieri summa cum difficultate, fieri tamen posse ut patuit de fumo. Et quamuis Terra nil humoris habeat, nil tamen prohibet, quin permutatis cæteris, vertatur in Ignem, vt inspicimus Pyrium puluerem apprimè siccum ob congruentes dispositiones citissimè in Ignem verti. Dicebatur, quòd seruaretur forma Ignis cum maiori densitate, quàm sit illa Aeris. Respondeo, eam seruari, at nō puram sed remissam, in medio, secundum magis & minus. Ostendebatur contraria sine medio non inuicem permutari, ut Ignis maximè agēs per calorem, primò Aquam in Aerem vertit. Respondeo, id contingere vt plurimū, at potest etiam sine medio distinctæ speciei ea permutatio fieri, dum ita sunt iuncta, vt simul inuicem efficacissimè agant, adeò vt medium solùm adsit secundum magis & minus, nam Ignis calefaciēs, id efficit in tempore in quo etiam aliquid siccitatis producere ualet. De Themistio, & Simplicio dico, eos considerasse difficultatem, & id quod accidit ut plurimùm: insuper considerasse Elementa contraria in ordine Vniuersi, loco seiuncta, non partes eorum seorsum ab ordine Elementorum inuicem iunctas. *Diluuntur rōnes aduersæ.*

## *An Elementa communi Qualitate iuncta, faciliùs inuicem permutentur, & quomodo ex duobus contrarijs fiat tertium.* *Cap. XVI.*

Dictū est Elementa communi Qualitate iuncta, faciliùs quæ contraria inuicem permutari. Quæ sententia difficultate non caret: nā uidetur cum Experientia, & cum Ratione pugnare. Cum experientia, quia longè faciliùs Aqua in Ignem transit, quā Terra, nam Aqua suo humore est alimentū Ignis, vt patefaciunt Fabri ærarij, nō Terra. Præterea, varietas difficultatis permutationis ortum ducit ex varietate proportionis inter agens & patiens; nam si proportio fuerit eadem, etiā eadem erit difficultas, at contrarij ad contrariū eadem est proportio, quę similis per vnā Qualitatē ad simile, vt .n. vnum permutans se habet ad vnum permutandū, ita duę Qualitates contrarię permutantes ad duas permutandas, vt elicitur ex Regulis septimi Phy. Præterea, Ratio mutuæ actionis & permutationis est cōtrarietas, quare vbi maior cōtrarietas, ibi maior actio, & facilior permutatio, nam Elemēta similia mutuò se seruant, & vnū est locus alterius, contraria verò mutuo se permutant. Pro solutione difficultatis tria sunt accipiēda. Primū est, Regulas semper debere intelligi per se, cū reduplicatione, & cęteris paribus: sic similia faciliùs inuicē permutantur, quatenus sūt cōsimilia & terminus acquirēdus est vicinior, at ex accidenti vt unū maximè dēsum, alterū maximè rarū, vt virtus permutans est magis uel minus potens, vt Qualitas mutāda faciliùs vel difficiliùs remouetur, & ob alia huius generis, potest secus se habere, ita inspicimus, ꝙ mutatio quę debet fieri à calore (cæteris paribus) citiùs fit, secundò quæ a frigore, tertiò, quę ab humore, postremò, quę a siccitate. Accipiendum secundò, *Experientia.* *Tria præaccipiūtur* *Primū ꝙ præaccipitur.* *Secundum qd præaccipitur.*

dò, transmutationem posse dici difficiliorē vel ex parte operis efficiendi, vel ex parte proportionis agentis ad patiens: nam dum opus efficiendū est maius, quamuis seruetur eadē Ratio agentis ad patiens, absolutè tamen dicitur difficilius, veluti difficilius esse dicimus construere duas domos, quamuis per duos ædificatores cōstruantur, quā construere vnā; & indicamus difficultatem quatenus duæ debent construi à duobus

*Tertiū q̄ præaccipitur.*

ædificatoribus, cum vna ab vnico construatur. Addendum tertiò, vnum maximi ponderis, & est, dū contraria duo simul iuncta à suis oppositis sunt permutanda, ea ob cōiunctionem efficaciùs resistunt, & magis se valent fortare, quā dum vna Qualitas est similis, ob similitudinem enim datur contrario facilior aditus, quia adest tanquā hostis internus inimicum introducens; ideò etiā ex parte agentis & patientis Elementa

*Solutiones instātiarū.*

communi Qualitate iuncta, faciliùs inuicem permutantur. Ex his facilè eliciuntur solutiones. Instātia sumpta ex Aqua, quæ faciliùs in ignē vertitur, quā Terra: Soluitur, dicendo, id contingere ex accidente, ob densitatē Terræ, & alias oppositiones. Addo secundò, Puluerē Pyrium, & Terram in fumo disgregatum, citissimè in ignem verti: id confirmo, quia lignum aridum, & Terreum, faciliùs comburitur, quàm viride, & Aqueū. Ratio sumpta ex similitudine proportionis, soluitur per secundū & tertiū assumptum. Tertia Ratio soluitur: nā vbi maior contrarietas, maior & multiplicior est

*Quomodo ex duobus contrarijs fiat tertiū.*

actio, & ob id opus dicitur effici maiori cū difficultate, non faciliùs. Superest dilucida postrema dubitatio, quæ erat, quo ex duobus contrarijs fiat tertium Elementū, vt ex fumo Aereo & Terreo fit Ignis. Hac de re duo sunt Obiecta. Primum, an tertium perfectum ex illis duobus sit vnum numero, vel potius duo, vt etiā duo sunt illa ex quibus

*An id tertiū sit vnū numero.*

gignitur? Alterum est, an ex duobus contrarijs ita fiat tertium, vt reuera nulla noua Qualitas pro eo tertio constituendo gignatur, sed solùm consurgat ex Qualitatibus

*Alexāder.*

duabus, quæ præfuerunt in corruptis? De primo dicebat Alexander id Tertium esse

*Philopon⁹.*

vnum numero, quod confirmatur exemplo, quo vtitur Aristoteles sumpto ex fumo includente Aerē & Terram, ex quo tamen vnica consurgit flāma. Philoponus è contrario inquit, Tertium genitum esse vnum specie, duo numero, quia duæ sunt materiæ eorum, vnum autem numerò est, cuius materia est vna ex quinto Metaphysic. cont. 12. Respondens dico, Elementū tertium posse fieri ex duob. contrarijs dupliciter: vel

*Solutio.*

permixtis, vt in fumo, ita vera est sententia Alexandri, vel nō permixtis, sed seorsum positis, & tunc dicimus partes quasdam tertij fieri ex vno, alias ex alio Elemēto, qua consideratione vera est sententia Philoponi; Magis tamen consentanea est considerationi Arist. sententia Alexandri, quàm ea Philoponi: quia dum tertium consideratur vt numero distinctū, tunc non propriè cōsideratur generatio vnius Tertij ex duobus contrarijs, sed potius generatio consimilis ex cōsimili, vt partis Ignis ex Aere, & partis Ignis ex Terra. De altera difficultate, an debeant nouæ Qualitates gigni, Arist. id negare videtur, & cum eo Alexander, dicentes, ex seruatis Qualitatibus contrariorū,

*An nouæ Qualitates fiant.*

consurgere Tertium, & ob id generationem aiunt esse faciliorem, quā Elementi contrarij ex contrario. Ex aduerso, Philoponus inquit necessariò in materia Terræ pereunte frigore gigni calorem, & in materia aeris pereunte humore, gigni siccitatem, cum hæ Qualitates ita se habeant, vt nunquam aboleatur vna, quin ei succedat oppo

*Solutio.*

sita. Respondeo, veram esse sententiam Philoponi, nunquam enim vna primarū Qualitatum aboletur, quin ei succedat opposita. Nec est putandum, quòd dum Terra & Aer in ignem trānseunt, siccitas terræ effundatur per Aerem, non enim Accidens migrat ex Subiecto in Subiectū, ideò necessariò noua Qualitas gignitur. Neque hoc negarent Aristot. & Alexander, verùm quia hæc noua Qualitas non ita educitur, quin in parte modo aliquo præextiterit, nec educitur ex vniuersa materia, sed tantū ex parte, in qua non reperiebatur, ideò Alexander unà cum Arist. dixit, ex Qualitatibus re-

*Dubitatio*

manentibus contrariorum Elementorum, consurgere Tertium. At obijciet aliquis; quia tūc hæc generatio nō erit facilior ea, quæ est ex contrario: quia similiter duæ Qua

*Solutio.*

litates erunt corrumpendæ, & duæ gignendæ. Respondeo, non esse corrumpendas &

generan-

generandas in vniuersa materia,sed solum in parte,adeo,vt ad earum generationem ipsa etiam Elementa corrumpenda conspirent,cum eas in parte includant.

## *De Motu secundum locum Elementorum, & vniuersè de motu grauium & leuium. Cap. XVII.*

DEcursis cæteris ad Elementorum notitiam attinentibus, superest demùm,vt de eorum latione loquamur. Latio enim corpori competit absoluto,& formato,vt dicitur in octauo Physicorum,ideò sequens originis ordinẽ,de ea posttemo loco mihi disserẽdũ proposui,quamuis Arist.inspiciens ordinem Vniuersi, recta Ratione prius de ea verba fecerit:nam inspiciendo varia & ratione varia,idipsum modò prius, modò posterius considerari potest.Ego autem hunc ordinem mihi seruandum duxi, quia cõtinuato sermone cuncta attinentia ad Elementa mihi explicanda proposui. Quæritur itaque,a quo,& quomodo grauia & leuia secundũ locum moueantur? Qua de re verba facturus,explicabo primò,voces nonnullas,secundò,considerabo quisnam sit motor eorum,tertio,agam de modo quo mouentur,demùm, perpendam nonnulla attinentia ad resistentiam,& regulas proportionis motus eorũ. Dum quęritur,à quo grauia & leuia moueantur,nomine grauium & leuium,nedum simplicia corpora denoto,verùm mixta quoque quatenus mouentur per Elementum,dominans in eorũ mixtione:nomine verò motus denoto latione,non quidem omnẽ,sed eam quæ illis cõpetit secundum propriam naturam.Insuper,cum inquiratur principium motus, quoniam principium est duplex,efficiens,& patiens,de efficiente est sermo, ex cuius explicatione refulgebit patiens.Præterea,quia motor est duplex,vnus proximus, alter remotus,de proximo & proprio est dubitatio; nam constat cœlum esse motorẽ communem & remotum omnium mobilium per naturam.Et quoniam motor adhuc esse potest duplex,vel per se,vel ex accidente,insuper,vel principalis,vel instrumentarius:Dubitatio est de motore proximo principali,& per se. Demùm, quia potentia ad motum est duplex,una in Subiecto remoto,vt in ligno est potentia ad motũ sursum,quia potest comburi;altera in Subiecto proximo,vt in Igne iam genito: prima potentia dicitur remota,essentialis,& ad actum primum;altera proxima,ex accidenti,& ad actum secundum; quæ distinctio traditur ab Arist.in 8.Physic.32. Dubitatio est,à quo moueantur Elementa non ex potentia essentiali,& prima, proculdubio enim ex ea transferuntur ad actum à generante, sed ex potentia proxima,hoc est cum genita fuerit.Quæritur itaque à quo principali motore, proximè & per se cum Elementa genita fuerit, moueantur in suum locum; qua de re loquitur Philosophus in octauo Physicorum,latiùs tamen in quarto de Cœlo,sed adeò obscurè,vt quæ fuerit eius sententia dubitent viri docti.

*Proponitur dubitatio.*

*Quid nomine grauium denotetur.*

*Conclusio.*

## *De Motu grauium, & leuium opiniones variæ. Cap. XVIII.*

DE motu grauium,& leuium variæ fuerunt Philosophorum sententiæ, Empedocles (referente Arist. in secundo de Cœlo 85.) existimauit Cœli reuolutione repelli grauia ad medium,& per ea grauia,a medio extrudi leuia, non secus,ac dum Aquam in vase reuoluimus, in qua sit mersus lapis, inspicimus per Aquæ reuolutionem lapidem ad medium repelli. Quæ opinio vera non est. Primò, quia expulsio est motus præter

*Empedocles.*

*Euersio.*

ter naturam, grauia autem ad medium feruntur secundum naturam. Insuper, quę per reuolutionem repelluntur ad medium, cum quadam reuolutione & non directè ad illud tendunt, grauia autem & leuia per rectam lineā ascendunt & descendunt. Tertiò in conuallibus & Thalamis, non reperitur reuolutio facta a Cœlo, & tamen etiā in illis locis grauia descendunt. Demùm, tunc grauia magis à Cœlo repellente distātia,
*Academici.* & maiora tardiùs mouerentur, cum tamē inspiciamus fieri oppositū. Propterea Academici, & cum eis Zenarchus, Ptolemęus, & alij multi, dixerūt, Elementa omnia vel per naturam moueri in orbem, vt tria superiora, vel in suo loco requiescere, ut Terrā. Motum rectū dixerunt non secundum naturam, sed reditum in naturam. Nam hi putarunt, Elementa omnia esse prædita Anima, per quam in suo loco Vniuersitates eorū reuoluerentur, vel requiescerent; partes autē ex proprio loco repulsæ, ab Anima totius, in illum traherentur, non secus ac a Lapide Herculeo inspicimus trahi ferrū. De qua opinione multa dicuntur a Plotino, à Marsilio in sua Platonica Theologia,
*Euersio.* lib.4.cap.1. à Simplicio in digressionibus primi de Cęlo, & ab alijs, quæ missa facio. Hęc opinio proculdubio pugnat cū Sententia Arist. ac insuper cū Experientia, & Ratione. Primò enim ea nititur falso fundamento, iam patefeci in lib. de Cęlo simplicia corpora sub Cœlo posita esse Animæ expertia. Præterea, cum natura propria Cœli & mortalium corporum sit distincta, etiam motus ex natura eorum prodeuntes, debent esse distincti, motus autem in orbem Cœlo competit secundum propriam naturam, quare non Elementis. Pręterea, si per imaginationem Terra Vniuersa detineretur sub orbe Lunæ, lapides, & partes seiunctæ ab ea, secundum propriam naturam nō ad Terram Vniuersam, sed ad Centrum tenderent, vt docuit Arist. in secundo de Cęlo. Demū si id esset, tunc maior portio terrę tardiùs, quàm minor descenderet, vt difficiliùs à lapide Herculeo trahitur grauius, & maius ferrū, quàm minus, experien-
*Opinio 3.* tia tamen nobis patefacit oppositum. Ideò est opinio tertia, asserentium Elementa
*Euersio.* moueri à suo loco, cui competat facultas trahendi illa. Sed hoc ad rem non facit, nam Elementa mouentur a loco vt à fine, & tanquam forma seruāte, non vt à proximo efficiente motum, finis .n. non mouet nisi per Metaphoram, locus habet facultatē conseruandi locatum, cū ob definitam eius à Cœlo distantiam, à quo seruantur mortalia, tum ob conditionem corporis ambientis, at hæc non sunt illa, quæ proximè moueant Elementa: motor .n. proximus debet tangere, non distare a mobili, & vt fine præsente absolutus est motus, ita dum Elementa fuerint adepta locum, in eo requiescunt. His accedit, quòd tunc motus ille esset tractio quædā, & reijcitur, vt opiniones
*Opinio 4.* aliæ, cum tractio violentiam includat, & cōditiones eius. Propterea est opinio quarta, asserentium Elementa moueri à medio, per quod feruntur, nam à medio repelluntur à tergo. Hinc in tertio de Cœlo vigesimooctauo, medium dicitur conducere cū pro motu secundum naturam, tum pro violento, & in quarto Physicorum 71. osten-
*Euersio.* ditur Elementa in vacuo non posse moueri. Hæc opinio etiam approbanda non est, nam quamuis medium conducat pro motu Elementorum, tamen non est causa efficiens principalis, & per se ipsius motus: quod ostenditur primò, quia medium est corpus, corpora non mouent, nisi moueantur, ideò vt moueat, debet moueri. Sed tūc eadem emerget dubitatio de motu eius à quo prodeat. Præterea, idem non mouet Physicè, proximè, & per se, motibus contrarijs: at per idem medium grauia & leuia secundum naturam contrarijs motibus mouentur. Deniūm, idem non mouet idem motu naturali & violento; medium autem (vt dixi) vtrique motui conducit; non itaque est
*Opinio 5.* motor ille proprius & proximus, qui quæritur. Ideò est opinio quinta nonnullorum interpretum Aristotelis, vt D. Tho. & quorūdam aliorum, asserentium Elementa moueri à generante. Hoc eliciunt ex Aristotele in octauo Physicorum, 32. asserente, ea à generante moueri, à remouēte autem impedimentum moueri ex accidenti: Id ostendunt, quia dans formam, dat sequētia illam; motus autem Elementorum formā sequitur. Id explicant exemplo affectionum: vt .n. Risibilitas tribuitur Homini a genitore

dante

dante formam, ita motus Elementorum eis tribuitur à generante, qui enim lignum vertit in ignem, dicitur mouere lignum sursum per formam ignis. Aegidius sequens D. Thom. vtitur exemplo sumpto à Vaporibus, qui dicuntur communi consensione à Radijs Solis, à quibus generantur, eleuari sursum. Iauellus in octauo Physicorum, vtitur pro D. Tho. hac Ratione. Si duo ita se habeant, vt remoto impedimento, vnũ necessariò sequatur aliud, dans primũ, dicitur simul & proximè dare alterũ: sed formam Elementorum necessariò sequitur latio in suum locum; igitur dans eis formã, dicitur tradere illum motum, forma autem à generante tribuitur. Confirmatur, quoniam ex Arist. in 4. de Cęlo, tendere in suum locum, est tẽdere ad formam; at motus ad rei formam ex generante prodit. Explicatur exemplo proiectorum: nam proiecta, quamuis recepto principio motus à proijciente non tangantur, tamen semper dicitur mota à proijciente, etiã si statim proijciens, pereat. Similiter, generans Elementa, tribuens formam, quamuis ea non tangat, semper tamen dicitur proprius motor eorũ. Simplicius similiter in 2. de Anima, 39. ait ex sententia Arist. Elementa à generante moueri. In octauo autem Physic. 32. ait, Elementa moueri ab alio. Mox exponens cont. 33. se ancipitem indicat, asserit tamen, à generãte moueri: quia facit formam aptam ita moueri; nã ex sententia Simplicij Natura non est principiũ efficiẽs, sed patiens, & est idoneitas quædã ad formam aliquam, & motum, quam idoneitatẽ mobile à generante recipit. Themistius id ipsum affirmat in 8. Phys. 32. inquiẽs, vt instruens discipulũ est causa vt discipulus ea speculetur, quę didicit, ita generans leue, est causa, vt sursum tendat. Consentiunt itaque hi grauia & leuia à generãte moueri: dissentiunt, de generante, quodnam sit. Nonnulli aiunt esse Cœlũ, cuncta dirigens in suum locũ. Alij asserunt esse generans proprium & proximũ, & hi rectiùs sentiũt: nam Ignis nõ à Cęlo fertur sursum, sed potiùs à cõburente proximo largiẽte formã. Putare motorem proximum & per se, Elementorũ, esse generans, est aduersari Experientiæ, Auctoritati, & Rationi. Primò Experientiæ: quia inspicimus absente generante moueri Elementa, nos quærimus motorẽ proprium & proximũ, qui per contactum moueat, omne. n. proximũ agens agit per contactum, vt legitur in 1. de Ortu & interitu. Præterea, ea Solutio ad rẽ non facit: quia nõ est dubitatio à quo moueantur Elementa ex potentia essentiali, cõstat. n. ita moueri à generante, sed quęritur cũ genita fuerint, à quo proximè moueantur. Pręterea, si generans mouet, vel id facit per aliũ motorem mediũ, vel sine eo: si primum, non erit motor proximus qui quęritur: alterum eligi non potest, quod ostendo pręassumptis quattuor. Primũ, motor, est actus motoris & mobilis, ex 3. Phys. Secundũ oĩs actus exposcit proximum & per se principiũ, ex quo prodeat. Tertiũ, eiusdẽ agentis nõ possunt esse proximè & per se, duo actus. Quartũ, actus generantis proprius & per se, est generare, ex 3. Physicorũ. Ex his conflatur Ostensio. Quod est proximum & per se principiũ generationis, & formæ, non potest statui proximũ & per se principium lationis, ex tertio assumpto; Generans est proximum, & per se principiũ generationis, ex quarto assumpto; ergo non lationis. Quare lationis aliud statui debet principiũ proximũ & per se, ex secundo assumpto, & Cõfirmatur: quia actus primus & secũdus, sunt actus duo subordinati, quare proxima eorũ principia duo subordinata esse debẽt. Pręterea, generãs quod dicitur mouere, vel est Cęlũ, vel generans proximũ; non Cęlum, quia est agens commune & remotũ, & omne corpus ita mouet, vt mouetur; Cęlum autẽ mouetur in orbem, & ita in orbẽ mouet superiora Elemẽta: nunc sermo est de motu recto. Insuper motor secundum naturam, non producit proximè & per se motus contrarios, quales sunt motus recti. Si asseris proprium motorem esse id, quod proximè generat; contra, forma generans, & genita, sunt duo particularia, quæ inuicem ordinantur ex accidenti; ordinata ex accidenti non includunt hoc, vt posterius agat virtute antecedentis; ideò forma moti non potest proximè mouere virtute generantis. His accedit, quòd motor proprius & proximus mouet per tactum, generans non

*Aegidius.* *Iauellus.* *Simplicius.* *Themistius.* *Ostensio.*

tangit Elementa, dum mouentur, Demùm motor corporeus proprius & proximus non mouet nisi eodem motu moueatur.

## *A quo proximè moueantur grauia & leuia, opinio Propria. Cap. XIX.*

*Tres conclusiones.*

CVm relatæ opiniones satis dubiæ apparuerint, vt lucidè patefaciam quod sentio, tres propono Conclusiones. Prima est Grauia & leuia proximè & per se a sua forma mouetur. Altera est, inter putantes ea moueri a generãte, & putantes moueri à propria forma, lis in verbis est posita, cũ de re consentiant. Tertia est, hæc inuicẽ non pugnare, Elementa moueri à generãte, à propria forma, à medio, à loco, & à remouẽte impedimentũ, nam omnia rectè sumpta vera sunt. Quod pertinet ad primum, quod proximè à sua forma moueantur, ostendo Auctoritate Aristotelis in octauo Physicorũ trigesimosecundo, dicentis, leue recepta forma statim operatur, vt sciens speculatur, & ignis comburit, nisi quid impediat. Conspicuè hæc indicant Elementa moueri a forma, cum ea recepta forma, statim moueantur, & operentur. Et id confirmant exẽpla. Insuper 9. Metaphysicæ 18. inquit, grauia & leuia in se habere motũ, & operari semper, ac ita imitari æternos motores. Et in 4. de Cęlo, cõt. 2. inquit, operationibus grauitatis & leuitatis non esse imposita nomina, nisi quis [illegible] hoc est inclinationẽ appellet, quę dicitur [illegible] nã est excitatio quædã ad motum, & quarto Cœli, vigesimoquarto, ait: graue & leue habent principium motus in se, sanabile & ægrotabile, externum, & loquitur vt patet de principio efficiente. Et in primo de Cœlo octuagesimooctauo, legitur: si in infinitũ descenderet graue, in infinitum cresceret velocitas & grauitas. Manifestissimè Arist. affirmat, grauia & leuia proximè moueri a sua forma per grauitatem & leuitatem, quod frequenter affirmat Auerroes, & præsertim secundo Physi. cont. primo, & tertio; quarto Physi. 71. octauo. Phys. 30. & 32. quarto Cœli, 22. 24. & alibi.

*Prima Cõclusio Elementa mouere a sua forma.*

*Ratio 1.* Confirmo id ipsum rationib. Nã grauia & leuia per id proximè mouentur, quod sine medio sequitur, & quo seruatur motus, at sine medio alio principali motore sequitur formam, & per eã seruatur motus, quare per formam proximè mouent, & hoc coguntur fateri etiam illi, qui asserunt moueri à generante, nam inquiunt, dans formam, dare sequentia formam, quare concedunt, motum proximè sequi formam; Et quoniam suam sententiam comprobant exemplo proprietatum, ex eodem elicio comprobationem, quòd proxime moueantur à forma, quia proprietates proximè sequuntur formam, & per eam vt per causam demonstrantur, nõ autẽ per principium generans.

*Ratio 2.* Præterea, forma grauium & leuium est propriè & per se natura, igitur est propriũ & per se principium internum motus, non patiẽs, sed efficiens, quia formæ ut forma, est agere, non pati, id enim habet a materia.

*Ratio 3.* Præterea, Natura conditione res producit, vt simul eis largiatur principium, & facultatem assequendi suam perfectionem, quod principium est propria eorum forma, quare consimiliter Elementa, vt a forma habent vt sint, ita per eam habent facultatem assequendi perfectionem propriam, quæ in eo consistit, vt sint in suo loco.

*Ratio 4.* Confirmatur: quia ea est causa efficiens motus, quæ eadem est principium quietis secundum naturam, mouentur enim Elementa, vt in suo loco requiescant: at quietis Terrę principium statuitur natura Terrę, vt patet ex secũdo de Cęlo, quare eadẽ erit principiũ producens motũ. Hinc Arist. in 2. Phys. 29. causam efficientẽ descripsit per esse principiũ motus vel quietis.

*Ratio 5.* Eadẽ ueritas ex eo elicitur, quia nisi grauia & leuia per suam formã in propriũ locũ tenderent, inanes redderentur ostẽsiones Arist. in 1. de Cęlo pro ostendendo Mundo vno, ex eo, quia omnia grauia per suam naturã in vnũ medium confluunt, & leuia in unum extremũ. Similiter inanes redderentur Regulę sumptæ ex propor-

tionibus grauium & leuium, pro inferendis proportionibus velocitatis & tarditatis: nam Regulæ proportionis motuum, ex virtute motorum & resistentia eliciuntur. Et *Ratio 5.* demum id confirmatur per Arist. in 2. Physic. cont. 5. dicentem, tendere sursum, cõpetere Igni à natura, & secundum naturam. Natura autem Ignis, forma eius est, quare per propriam formam mouetur, & iure, nam motus Elementorum est actus secundus eorum, & tuis secundus ex primo prodit, qui forma est, adeò quòd vt Homo ridet per formam suam, ita Ignis sursum tendit per suam formam; generans non proximè producit huiusmodi opera, sed per formam mediam. Nec asserere valemus, quòd forma mouens sit instrumentum generantis. Primò, quia forma est per se natura, quare per se principium motus. Secundò, quia generans & genitum sunt eiusdem speciei, & forma vnius speciei non operatur ut instrumentum alterius; & si quis dicat, & generans esse Cœlum, tunc formæ erunt causæ secundæ, & propriæ, non autem instrumenta, ut dum Sol & Homo generant Hominem. Sic itaque rectè Scotus in 2. Sét. Dist. *Scotus.* 2. q. 10. & Greg. Arim. in 2. Sent. Dist. 6. q. 1. asserunt grauia & leuia a sua forma moueri. At pro faciliori notitia animaduertendum est, quòd moueri a sua forma, contin- *Moueri à sua forma dupliciter.* git dupliciter, vel ita, vt ea forma cum resistentia interna per propria instrumenta, & ad libitum moueat, uel ita, vt solum resistentia sit externa & formã necessariò sequatur motus. Elementa non mouentur a propria forma primo modo, sed secundo. Hoc ostendit Arist. in 8. Phys. post cont. 28. ubi ostendit, ea non moueri a seipsis, nam eo modo ex se moueri, est proprium uiuentium, vt dicitur in 2. de Coelo, & asseritur à Plat. in Phædro, eo namque modo solùm ex se illa mouentur, quæ prędita sunt instrumentis motui inseruientibus & cognoscunt, hinc mouentur & quiescunt ad libitum; grauia autem & leuia solum ex se mouentur, quia mouentur per suam formam, ita tamen ut eam necessariò sequatur motus, remoto impedimento. Hinc nonnunquã dicuntur habere principium motus solùm patiens, non efficiens, ut in 8. Physic. 32. quatenus ita mouentur, vt per naturam diriguntur, & non ad libitum, nec per instrumenta motus. Ea quæ primo modo se mouent, uerè ex se moueri dicuntur, & absolutè dicuntur prædita principio mouente: ea autem quæ secundò modo per formã mouentur, comparata cum primis, dicuntur moueri ab alio, quia ita mouentur vt per instinctum & impetum, & propensionem naturæ feruntur. Hinc pro distinctione à primis propria eorum forma dicitur ratio, per quam ita mouentur: hoc docuit nos Aristoteles in octauo Physicorum, trigesimo secundo, inquiens, Ratio ob quam grauia feruntur deorsum, est, quia sunt grauia. Nam ait, quare ad suum locum mouentur leuia, & grauia, causa est, quia sui natura apta sunt aliquo, & hoc est ipsi graui & leui esse, hoc quidem ipso sursum, id autem ipso deorsum definitum. Id ipsum enunciat quarto Cęli, 24. Constat itaque grauia & leuia proximè moueri a sua forma, & pro distinctio- *Conclusio.* ne à motore interno magis proprio, eam formam dici rationem, ob quam ita mouentur Ratio autem est forma & causa.

## *Explicatio secundæ Conclusionis quod lis sit posita in verbis.*

## *Cap. XX.*

Quamuis putãtes grauia & leuia moueri a sua forma & a generãte summopere inter se pugnare videantur, tamen sẽtẽ & Sententiã accura- *Cõc. liam.* tè perpẽdimus, facilè inspiciemus vniuersã litẽ positã esse in verbis. Et ꝙ hoc dicere cogamur, patet primò, quia vtrũq; dicitur ab Arist. nam sæpè inquit moueri a propria forma vt retuli: nonnumquam etiam ait moueri à generante, ut in octauo Physicorum. Quare si hęc inuicem pugnarent, Aristoteles pugnantia enunciasset. Pręterea omnes consentiũt,

ea moueri a generante mediante forma, quare omnes concedere coguntur proximè moueri a forma, adeò vt generans & forma ordine aliquo moueantur. Quòd D. Tho. id concedat, patet; quia ille est qui ait, dans formam dat sequentia formam, quare fatetur motum proximè equi formam. *Petr⁹ Vernias.* Hoc luce clarius explicauit Petrus Vernias, qui sequens D. Thom. absoluit expositionem D. Thomę Librorum de Cœlo, & in 4. de Cęlo, 25. inquit: generans est id, quod mouet grauia & leuia, id tamen quod proximè mouet, est grauitas & leuitas, & multa addit per quæ idipsum cõfirmat. *Aegydius.* Ægydius quoq; cogitur idipsum fateri: inquit enim, quod natura grauis est ratio, quâ generãs mouet grauia; At asserere hoc, nil aliud est, nisi dicere, ꝙ proximè a sua forma & natura moueantur, nã Ratio non est instrumentum, uel Materia, sed est rei forma, quæ actionũ est principium, ut ratio quòd Homo rideat, est, quia est capax Rationis. *Simplici⁹.* Simplicius quoque, qui in 8. Phys. ait, Elementa moueri a generante, in 4. de Cœlo, 24. conspicuè fatetur proximè moueri per internam formam, nam ait, quæ secundum locum mouentur in seipsis habere uidentur principium transmutationis, grauitatẽ & leuitatem, nam graue & leue dum mouentur, in seipsis habent principium motus. *Philopon⁹.* Philoponus, 4. Physic. in digress. de uacuo, inquit, grauitatem esse causam efficientem motus deorsum, & leuitatem causam efficientem motus sursum. Similiter hoc manifestauit Themistius, *Themisti⁹* inquiens, generantem se habere ad motum, vt se habet docẽs ad contemplationẽ addiscentis, at docens est causa remota, habitus addiscentis proxima. Fatentur itaque omnes, Elementa ordine quodam a generante & propria forma moueri. *Cõclus. 3.* Ex his colligo comprobationem tertiæ Conclusionis, quæ erat, nil repugnare, quin dicere valeamus, grauia & leuia a varijs moueri, nam vel considerantur in potentia remota & essentiali, vel proxima: si in potẽtia remota, quæ est ad actum primum, sic proximè mouentur a generante. Dum autem fuerint in potentia proxima, uel consideramus motorem per se, uel ex accidenti: motor ex accidenti est remouens impedimenta. Motor per se uel mouet per Metaphoram, vel propriè: per Metaphoram mouet Finis, huiusmodi est locus; Mouens propriè, uel est externũ, uel internum: externum est medium, sine quo grauia & leuia non mouentur, & per quod a tergo repelluntur: internum est propria forma, quæ proximè instrumento grauitatis & leuitatis motũ efficit, quæ ab Arist. dicitur ratio, per quam ita mouentur, ueluti in secundo Posteriorũ medium demonstrationis dicitur ratio, & causa ipsius passionis.

*Dubitatio Solutio.* At iure dubitabit aliquis, si consentiunt, quomodo tam acriter inuicẽ pugnant, & rationib. varijs inter se contendũt. Respondeo, dũ aliquid reperitur, quod mediat, & obscurè, diminutè, ac ambiguè aliquid cõtinet, sine contradictione dicere possumus qđ id cõtineat & nõ contineat, vt ꝙ stirpes animalia sint, & non sint Animalia; quòd diluculũ sit, & non sit dies; similiter se habet de forma grauium & leuium, ea non ita mouet vt Anima Animalia, nec Elementa resistentiam habent internam, nec ex propria cognitione & electione habent, vt ita moueantur, nec mouentur, nisi præcurrat motus aliquis, ideò absolutè non se mouere dicuntur, sed moueri & dirigi ab alio, in re itaque ancipiti, nonnulli inspexere principale dirigens, & antecedens, alij proximè exequens, & inde orta est pugna; cum tamen Arist. inspexerit vtrumque, & vtriq; dederit quod eius est proprium, vnum nuncupauit principium motus, aliud Rationem, per quam proximè ita mouentur; *Statuę Dedali.* Exemplo nobis esse possunt statuæ Dedali, de quibus, ait Plato in Menone, quod nisi fuissent ligatæ, fugiebant, illæ dum fugiebant, dicebantur quidem moueri a Dedalo, qui principium motus inseruerat, proximè tamen ab inserto principio mouebantur. Idipsum dicendum est de generante & forma insita, in motu Elementorum. *Duo dubia.* Sed duo se offerunt dubia, primum est, si vtraque sententia est vera absolutè, qui rectiùs loquantur, num qui dicunt moueri a generante, vel potiùs, qui à propria forma? Alterum est, dum dicimus moueri a generante, nomine generantis quid intelligere

debeamus,

debeamus, num proximum, vel cōmune, quod est Cœlum? De prima difficultate dico, dum interrogatio est multiplex, utendum est distinctione, & quicūque sine distinctione absolutè respondent, aberrant. Cum itaque illi respondeant sine distinctione, non rectè respondent. Aristoteles in 8. Physi. 32. rectè respondet, vtens distinctione potentiæ ad actum primum, & secundum; insuper distinguens absolutum & propriū motorem a ratione, nam propria forma est ratio, per quam ita moueantur; generans est causa prior; at forma est causa proximior & magis propria, cum sit natura; ideò facta cōparatione, illi rectiùs loquuntur, qui aiunt a sua forma moueri. Quærebatur secundo, quid per generans intelligere debeamus. Iauellus censuit denotari Cœlū: Aluernias complens expositionem D. Tho. librorum de Cęlo, putauit denotari proximū generans. Respondeo, sententiam Aristotelis esse ueram de omni generante, ut generans est, & ut est generans, ita est mouens, si fuerit generans cōmune, est moués commune, si generans proprium, mouens proprium. Aristoteles tamen præsertim proximum denotauit, ut ignis mouet lignum seorsum conuertendo illud in ignem. At instabatur in præcedentibus, quia inter particularia eiusdem speciei solùm est ordo secundum accidens, & vnum non operatur uirtute alterius. Respondeo, aliud est operari uirtute alterius, & operari uirtute propria, recepta ab alio, ignis ascendēs sūrsum, cum ascendat per propriam formam, & naturā, dicitur ascēdere uirtute propria, recepta tamen ab alio. Insuper quamuis inter duo definita particularia sit ordo secundum accidens, tamen dum vniuersè & indefinitè sumuntur, ordo est essentialis, ut dicendo cum Aristotele in secundo Physicorum 26. Sol & Homo generant Hominem. Similiter Cœlum & Ignis generant Ignem.

*Qui rectè loquūtur*

*Quid denotetur nomine generantis.*

## *De modo, quo Elementa mouentur.* *Cap. XXI.*

Cum apparuerit Elementa & à generante & à propria forma moueri, de modo, quo à propria forma moueantur, nō leuis est dubitatio, & varij varia dicunt. Cum enim Elementa sint corpora consimilia, instrumentis & interna resistentia destituta, non apparet quomodo per suam formam moueri valeant, & præsertim quia Arist. in 8. Physi. 32. ait, ea non esse prædita interno principio efficiente, sed solum patiente. Auerr. 3. Cœli 28. propè calcem, asserens tūc se modum patefacere a se approbatum inquit; In Elemento, forma ut forma agit & mouet, vt autem est in materia, mouetur, & cum non valeat in se agere quia Elementum, non diuiditur in motorem & mobile ei resistens, ideò consideratur hic ordo. Primò, Elementum ex potentia essentiali mouetur a generante, siue ex potentia accidentali gratię mouetur ab eleuante, aut à remouente impedimentum. Secundò id gratię ita motum mouet medium. Tertiò per motum medij ex accidenti mouetur id graue, adeò vt moueat se ex accidēti, quia non in se agit sed in medio. Cuius diuisionem sequitur descensus grauis, & 4. Cęli 22. vtitur exemplo Nautę, qui se mouet mouendo Nauim. Hinc in uacuo Elementa non possent se mouere, vt ait 4. Cęli, 22. 3. Cœli, 28. 4. Physi. 71. & alibi. Zimara in sua quæst. quæ circūfertur manu scripta, ita retulit sententiam Auerrois, eamque approbat, & defendit, & profectò rectè eam retulit. Quam tamen approbandam non puto, & ratio est: quoniā lapis eleuatur dum incipit descendere, vel primò ipse mouetur, vel primò incipit moueri mediū: non mediū; quia id dimiditur, & mouetur a graui descendēte, corpus autē non mouet nisi moueatur, quare primò id quod mouetur, est corpus graue, quod cū primò origine moueatur quęro a quo proximè moueatur, nō ab alio, quia nō adest alius proximus motor quo a seipso, quare primò origine a se & sua forma mouetur. At inquit Zimara, ꝙ primò incipit moueri ab eleuāte illud, uel a remouente impedimentū, quę solutio nō est vera, quia remouēs impedimentū, siue eleuās, est motor ex accidenti, ut inquit Arist. omnis aūt motor ex accidenti requirit motorē proximū & per se. Prętereà imaginor

*Auerroes.*

*Ordo pro motu.*

*Zimara.*
*Euersio.*

aliquem eadem manu clausa continere lapidem & ignem, dũ manum aperit statim graue descendet, ignis ascendet, quæro a quo proxime ita cõtrarijs motibus moueantur non à manu, quia manus aperta non mouetur, sed derelinquit ea suæ naturæ, nec in ea agit, quare a sua propria natura incipiũt moueri; quod confirmo, quia imaginor lapidem filo suspensum & alligatum, qui progressu tẽporis filum frangat, profectò filum franget sua grauitate, suoque motu deorsum, & tamen tunc abest, & eleuans, & remouens impedimentum, nam eleuans & remouens impedimentum solùm disponunt lapidem, vt valeat moueri, non autem mouent agendo in mobile, hoc ipsum patet exemplo ignis in medio Aeris geniti, qui statim per suam leuitatem mouetur sursum, & lapidis proiecti sursum, qui euanescente violentia per suam formã incipit descendere. Hoc confirmo exemplo Nautæ, quo vtitur Auerroes, qui mouendo nauim mouet se, at nauta ita mouet nauim, vt ipse sit qui primò moueatur, quare etiã graue ita ex accidenti mouetur per diuisionem medij ab eo factam, vt primò origine ex se moueatur. Præterea, si Elementa solùm se mouerent ex accidenti, tunc formis eorum non competeret definitio naturæ, definitur enim natura, quòd sit internum principium motus, non ex accidenti, vt Medicus se curans, sed secundum se, vt dicitur ab Aristotele in secundo Physicorum. Præterea, si Elementa se mouerent solùm ex accidenti, tunc eorum motus non esset secundum naturam, sed violentus, quoniam pendens necessario & essentialiter à violento, violentum est, vt quod pendet a facto à casu, dicitur casu fieri 2. Physic. com. 44. at ex Auerrois sententia motus Elementorum necessariò & essentialiter pendet ex motu violento, nempè ex diuisione Aeris, quæ violenta est, quare motus inde prodiens violẽtus erit.

*Conclusio. Elementa primo ex se moueri.*

Colligamus itaq; dum grauia, vel leuia extra suum locum ablato impedimento incipiunt moueri, quòd primò origine eamet Elementa sint, quæ proxima per suam formam moueri incipiant, & ob id moueatur medium & diuidatur, adeò ut nisi medium resistens adesset, vt pertinet ad resistentiam medij nullum posset assignari tempus in quo mouerentur, vt dicitur ab Arist. in 4. Physico. 71. dico autem primò origine incipere moueri ex se, quoniam si tempus inspicimus, simul tempore mouetur graue, & scinditur mediũ, at non scissio medij est causa motus grauis, sed vice versa.

*Quomodo ex se moueantur.*

Verùm cum primo Elementa ex se moueantur, hoc apprimè dubium est, quomodo id eis cõpetere valeat, nil enim mouet se nisi diuidatur in motorem & mobile, vt ostenditur in 8. Physic. Elementa non ita diuiduntur, quia carent instrumentis, & materia cum sit potestate, nõ est ea, quæ possit resistere formę mouenti.

*Scotus.*

Scotus in 2. Sent. Dist. 2. q. 10. inquit, sat esse, vt inter motorem & motum sit distinctio rationis, & hæc seruatur in Elemento, quod primò ex se mouetur, nam totum mouet totũ per formam, mouetur quia formatũ, veluti etiam Angeli per solam distinctionem rationis ex se mouentur. Vtitur etiam Scotus distinctione efficientis in vniuocum & equiuocum: agens vniuocum necessario agit in aliud, vt calidum calefacit non se, verùm aliud, similiter frigus & humor. At agens æquiuocum valet in se agere, vt intellectus intelligens, sensus sentiens, in se producunt actũ intelligendi & sentiendi. Ratio est, quoniã actus virtutis producendi, & potentia ad formam producendam, non inuicem pugnãt, ita aqua calida semetipsam refrigerat. Et hac distinctione etiam vtuntur Gandauensis, & alij multi.

*Euersio.*

Verùm hæc opinio & Aristoteli & rationi aduersatur; Aristoteli primò, qui in octauo Physicorũ, post cont. quadragesimũ, latissimè ostendit hoc solo modo aliquid ex se moueri, vt cõstet ex parte mouente & parte mobili, adeò ut non solam cõstituat distinctionem rationis, sed absolutam, & ex natura rei. Præterea, nisi repugnaret dari motũ, in quo motor à mobili sola ratione distingueretur, vt de motu Angelorum & Elementorũ inquit Scotus, tunc Aristoteles in octauo Physicorum suis rationibus non assequeretur id quod cupit, nam sibi ostendendum proposuit in mouentibus & mobilibus esse deueniendũ ad primum, quod ita ex se moueatur, vt constet ex motore immobili & parte mobili, at si aliquid sola distinctione rationis posset ex se moueri, dicerem Cælum æternum,

& ingenitum ita ex se moueri, sine alio immobili motore, & præsertim quia mouens motu locali, est motor æquiuocus. At respondet Scotus, & cum eo Gandauensis *Solutio.* sat esse Philosopho manifestare motum Elementorum necessariò præsupponere motum alium, nam ex potentia essentiali mouentur ab alio. Verùm hæc solutio non *Euersio.* satisfacit, quoniam si aliquid ita posset ex se moueri, tunc non præsupponeret necessariò motum alium, & præsertim, quia dicerem primum mobile esse Cœlum æternum, quod semper ita motum est. Præterea hoc patet considerando ostensiones Aristotelis: nam ostendit nil mouere se, alioquin sequeretur, quod idem relatum ad idem, esset actu & potentia, haberet id & non haberet, & idem alterabit, & alterabitur, docebit, & docebitur, sanabit, & sanabitur, quæ dereliquit ut conspicuè absurda. At respondent Scotus & cum eo Gregorius Arim. in secundo Sentent. *Solutio.* distinct. 6. q. 1. artic. 3. Aristotelem loqui de motore uniuoco, non de æquiuoco, quod colligunt ex Aristotele in octauo Physicorum, cont. 40. dicente, quod si aliquid se moueret, idem erit calidum, & non calidum, similiter de alijs quorum necesse est motorem esse vniuocum, &c. Contrahit itaque Philosophus suam sentẽtiam ad motorem vniuocum, motor autem Elementorum dum ex se mouentur est æquiuocus. Hæc ... sio inanis est. Primò, quia si sententia Aristotelis esset vera solùm de motore vi... co, quia mouens secundum locum est motor æquiuocus, non esset vera de lation... tamen Aristoteles etiam de latione mentionem facit, inquiens: si idem moueret se, tunc idem feret & feretur eadem latione. Immò tunc inanis redderetur vniuersus progressus Arist. in octauo Physicorum: nam Aristoteles nos deducit ad motorem imm... bilẽ loquendo de latione, at nisi etiam de latione esset verum quod nil valeat mouere se, & quod solum sit satis distinctio secundum rationem, profectò Arist. nil necessariò colligeret, quia semper dicerem cum Scoto in latione esse satis distinctionem rationis. Præterea est conspicua sententia Arist. in primo de Ortu & interitu 73. quo loci disputans contra Democritum asserentem Atomos descendere, inquit: uel diuiduntur in motorem & mobile, & ita non erunt Atomi, uel secundum idem contraria ipsis inerunt, quæ ratio inanis esset, si sat esset distinctio secundum rationem. Præterea, motor æquiuocus corporeus non in se, sed in aliud formam producit, ut Piper, & Zinziber non se calefaciunt, sed aliud, de Aqua quomodo excalefacta refrigeretur, alibi patefeci, & præsertim in lib. de Actione & passione.

## *Quomodo Elementa primò origine cum genita fuerint ex se moueantur, opinio propria. Cap. XXII.*

CVm apparuerit Sententia Scoti, Gregorij Arim. & Gandauensi de modo quo Elementa ex se incipiunt moueri satis dubia, ideò dico Elementa *Opinio propria.* ex potentia accidentali proximè per propriam formam moueri, & de hoc consentio cum Auerroe. Addo secundo, ea primò origine ex se moueri, & per eorum motum diuidi medium, de hoc dissentio ab Auerroe, consentio cum Scoto, & Gregorio. Dico tertio, Elementa non ex se moueri per solam distinctionem rationis, sed per essentialem distinctionem originis actionis & passionis, nam corpus graue totum mouet, totum mouetur, ita tamen ut orgines & primæ rationes agendi & patiendi sint distinctæ: nam quamuis sola forma, non moueat, est tamen prima & integra ratio agendi. Similiter quamuis sola materia non moueatur, est tamen integra ratio patiendi, & ita non sequitur absurdum, quod idem relatum ad idem, sit actu & potentia. Hoc non valuit dicere Scotus: quia capiebat seruare pro motu Angelorum, quòd etiã simplex posset mouere se, at si Arist. nouisset Angelos mutare locum, dixisset ut de Humana Mente, & de non aptis moueri, quod sint & non sint alicubi sine motu, & transmutatione, ut etiam in primo de Cœlo de non

aptis

aptis gigni & interire dixit, quòd sunt, & non sunt sine Ortu & interitu. Addamus demùm Elementa dum habent requisita pro motu, semper moueri, ac ita imitari separatas substantias, quæ semper agunt, vt dixit Arist. Requisita autem pro motu eorum quattuor sunt, propria forma, medium congruens, distantia à proprio loco, & absentia impedimenti. His explicatis, duo supersunt diluenda dubia. Primum, cur Aristot. in octauo Physic. dicens omne moueri ab aliquo, suam sententiam per motorem uniuocum contaxit? Altera dubitatio est, cum motus Elementorum sit secundum naturam, per quod principium dicitur esse secundum naturam, num per agens, vel per patiens? De prima difficultate loquutus sum in libro de Actione, & passione, ideò nunc breuibus dico à varijs vario modo Sententiam illam explicari. Auerr. ait denotari motum vniuocum idest propriè sumptum, non æquiuocum, vt est actus intelligendi, de quo nomen motus æquiuocè dicitur, & idem ualet se intelligere. Simplicius dixit denotari motum per se, pro excludendo motu secundum accidens, quo aliquid se mouere valet; hæc quàmuis sint vera, non tamen uidentur præsertim conducere pro instituto Arist. eo in loco. Ideò dico Aristotelem id addidisse, quorum necesse est motorem esse vniuocum, ut indicaret suam sententia vniuersè esse veram de mouentibus se: nam dum idem est mouens, & motum ferens, & latum, calefaciens & calefactum, motor est vniuocus, ideò Aristot. reddens rationem suam uniuersalem, ait eam vim habere, & ea absurda sequi de omni prædito motore vniuoco, hoc est de omni mouente se, non autem id dicit ut velit concedere motorem æquiuocum mouere se, ut putarunt Scotus, Gregorius, Gandau. & alij multi. De alia difficultate inquit Scotus secundo sent. dist. 2. quamuis Elemēta a sua forma moueantur, tamen in 8. Phys. 32. dicuntur habere initium motus in se non actiuum, sed passiuum, quia motus solùm per principium passiuum debet dici naturalis. Hæc sententia non est approbanda. Primò, quia Arist. in octauo Physic. 32. non inquirit per quid motus Elementorum dicatur naturalis, de hoc enim uerbum non facit, sed à quo moueātur. Prætereà, si Elementa mouentur per propriam formam, profectò per originem actionis erit naturalis, nempè per formam, quæ est natura eorum non per originem passionis, quæ est materia, & ex se ad eum motum non habet propensionem. Præterea conspicua est sententia Aristotelis in octauo Physicorum, 27. asserentis totum Animal, quia ab Anima interno principio mouetur, moueri secundum naturam, quamuis corpus contra propriam naturam moueatur, ait Philosophus motum Animaliū esse Physicum ratione motoris. Dicamus itaque motum Elementorum præsertim dici secundum naturam: quia prodit ex propria eorum forma, quæ natura est, & internum principium principale motus.

*Requisita pro motu Elementorum.* — *Cur Arist. contraxit suam sententiā per motorē vniuocum.* — *Per quid motus secūdum naturam.* — *Scotus.* — *Euersio.* — *Conclusio.*

## *Quæ sit resistentia in motu Elementorum, per quam mouentur definito tempore.* *Cap. XXIII.*

DEcursis cæteris attinentibus ad notitiam motus Elementorum, superest, vt id explicemus de quo in parte postrema disserendum proposui, nēpe vnde oriatur resistētia. Duplex cōsideratur resistētia, vna interna, altera externa. In motu Elemētorū Auer. Achillinus, Zim. Gād. & alij multi: solùm aiunt reperiri resistentiam externam, quæ attēditur penes densitatem, & raritatē medij, non autem internam, & Arist. de nulla alia vl libi mentionem fecit, & regulas velocitatis tradens, solam inspexit resistentiā medij, nunquam aliā; quod præsertim patet ex quarto Phys. 71. 72. & 73. Confirmatur, quia intrinsecus in Elemēto nil repugnare motui potest, nō forma, quia nil sibi repugnat; non materia contradistincta à forma, quia est penitùs potentia, quæ non resistit; nec pars vna resistit alteri, vt in animali, quia partes Elementorum sunt consimiles, quare vni-

*Resistentia duplex.* — *Opinio quorundā.*

*Euersio.*

vniuersa resistentia ex medio pendet. Hæc opinio aduerатur rationi, & experientię. Rationi primò, quia dempta per imaginationem omni resistentia medij, veluti cõtingeret in uacuo, adhuc motus deberet fieri in tẽpore, non momẽto, alioquin simul tempore initium, medium, & finis rei mobilis essent in eodẽ loco, & ita initium esset cum fine mobilis, quod conspicuam includit pugnam. Præterea, si imaginemur cum Prolemęo & Zenarcho, quòd Elementa per naturam moueantur in orbem, proculdubio tunc non haberent medium impediens, nec propterea sine tempore mouerẽtur, veluti etiam Cęlum quamuis sit procliue ad motum in orbem, & careat resistẽtia medij, tamen mouetur in tempore. Pręterea, utor alia ratione, qua utebatur Auempaces, & refertur ab Auerroe in 4. Phys. 71. & est, quoniam si continuatio motus Elemẽtorum solùm prodiret ex resistentia medij, tunc motus eorum solùm esset in tempore, & esset motus per impedimentum ex medio prodiens, & esset motus eorũ ex accidẽti, cum tẽpus sit de requisitis pro motu, quod apprimè est absurdum, ita enim motus eorum non constitueretur per attinentia ad motorem & mobile, nec posset dixi secũdum naturã.

*Solutio.*

At Respõdit Auerroes, falsum esse, quòd medium impediet, nam mediũ constituit non impedit motum, & dicitur cõducere tribuendo ei successionem, & addit quod si medium impediret, & Elementa sine resistentia medij possent moueri secundum naturam sine impedimento, sequeretur quòd darentur motus naturales qui nunquam reperirentur in Vniuerso, cum nõ detur uacuum.

*Euersio.*

Solutio Auerrois nõ satisfacit. Primò, quoniam requisita pro motu relata ab Arist. in quinto Phys. sunt quinq; nempe mobile, motor, terminus a quo, ad quem, & tempus: medium autem resistens non numeratur inter requisita pro motu, sed cum prima quinque cõstituant motum, resistentia medij solùm uidetur impedire. Præterea, si medium requiritur pro constitutione motus naturalis, quia per motũ naturalem appetunt grauia citissimè assequi finem, ideò solùm medium rarissimum cõstitueret motum naturalem, id autem quod densius erit, sua maiori densitate nõ necessaria, solùm impediet motũ naturalẽ. Instãtia Auerrois diluitur, quia solùm Cœlum est immune ab omni impedimento, & uiolentia, Elementa semper dum mouentur, iunctã habent uiolentiã aliquam, & dispositionem præter naturam, ideò ut non inueniũtur in uniuerso sincera & pura, ita eorum motus non inuenitur sine aliqua uiolentia, & præsertim quia repugnat dari uacuum ratione ordinis Vniuersi, ideò repugnat dari eorum motum aliquem sine impedimento medij.

*Non omnẽ resistentiã prodire ex medio.*

Præterea, ad principale redeundo, ea opinio, quòd omnis resistentia pendeat ex medio, aduersatur experientiæ, nam tũc velocitas motus absolutè sequeretur rationem grauis ad resistentiam medij, adeò ut corpus qua ratione esset grauius, ea moueretur in eodem medio uelocius, quod experientię aduersatur: nam si duę formẽtur pilę eiusdem molis, vna ex ligno, altera ex Plumbo, plumbea erit grauior ratione plus quàm quadrupla, & tamen in descensu nedum nõ erit quadruplo uelocior, immo nec duplo ut experientia patefacit & innumeræ consimiles instãtiæ possent afferri.

*Sententia propria.*

Propterea dicamus, resistentiam in motu secundum naturam esse duplicẽ, unã externam & aduentitiã, prodeuntẽ ex medio, quã concedunt omnes, alterã internã. Quæ interna resistentia est duplex. Vel prodiẽs ex corpore mixto, prædito alia propensione, & hæc competit animalibus nõ autem simplicibus corporibus: Vel prodit ex cõmunibus internis requisitis pro omni motu, & sunt mobile, & duo termini, nẽpè locus quem deserit, & locus quem acquirit. Hæc tria cum sint continua, non possunt sine continuatione & tempore uariari, alioquin idem mobile simul esset in locis distinctis & distantibus, & principiũ mobilis esset simul cum fine. Ideò hæc repugnãtia & conditio requisitorum pro motu, parit continuationem, & dicitur resistentia interna, quã cogitur etiam concedere Arist. cum in secundo de Ortu & interitu, 62. dicat: cõtinuus autem est motus, utrum quia quod mouetur, continuum est, an in quo mouetur, veluti locum dico, aut passionem? Manifestum, quia id quod mouetur continuum est, quomodo enim continua est affectio, nisi uia res cui accidit cõtinua est: si autem

*Arist.*

motus

motus est continuus, quia id in quo est continuè, soli loco hoc conuenit, magnitudinem enim aliquam habet, &c. conspicuè Philosophus ait motum esse continuum ratione mobilis; quòd autem sit continuus etiam ratione eius ad quod tendit, solum competit motui secundum locum, quia locus continuus est, non autem ait esse continuum necessariò ob resistentiam medij. Similiter in sexto Phys. dixit motum esse cõtinuum, quia mobile dum mouetur, partim est in termino à quo, partim ad quem. Sic itaque in motu grauium, etiam resistentia interna est concedenda. Nonnulli hic addunt pro causa successionis motus limitationem agentis naturalis, & finiti, ut motor finitus limitatus est ad definitum gradum uelocitatis, ut dicitur in calce octaui Phys. & hæc causa etiam à Philosopho in digressione de vacuo assignatur. At hoc ad rem non facit, quia modò sermo est de resistentia, agens autem non est resistentia. Præterea, limitatio agentis potius constituit definitum terminum formæ acquirendæ, quàm definitum tempus assequendi siue producendi illum, ut tertius gradus caloris limitat actionem, ut ultra tertium gradum agere non ualeat; sed tempus non constituit, & nisi contrarium pugnaret, sine tempore illum produceret, ut Sol sine tempore illuminat, quia Lumini contrarium non competit. Resistentia itaque in motu Elementorum partim externa est, ad medium pertinens, partim interna, prodiens ex continuatione & diuisibilitate rei mobilis loci. Hanc internam resistentiam approbauit Auempaces, referente Auer. in quarto Phys. 71. approbauit Scotus in 2. sent. dist. 2. q. 9. Necnon Philoponus in quarto Phys. in digress. de uacuo. Ut pertinet ad hanc internam resistentiam, dicendum est, quòd omnia Elementa remota resistentia medij mouerentur in tempore, & mouerentur omnia æquè citò, nam resistentia consimilis esset, ideò dum consideratur proportio inter mobilia grauia, uel leuia, & motum, semper supponenda est successio consimilis prodiens ex interna resistentia, mox ultra definitam illam remissionem uelocitatis, omnis alia remissio maior uel minor, ortum ducit ex medio & ex uarietate densitatis eius, & proportionis diuidentis, & diuisi, adeò quòd si in vacuo essent simplicia corpora, & in eo mouerentur, æquè citò mouerentur, quia resistentia interna consimiliter se habet; & de hoc minus rectè puto sensisse alios, nam Democritus referente Simplicio quarto Physic. 74. putauit Atomos in uacuo nõ æquè citò moueri; similiter Auemp. Scotus, & Philoponus, à maiori uirtute & grauiore mobili putarũt velociùs pertransiri id spatium, quamuis fuerit inane. Hinc non ualuerunt uarias difficultates soluere, quas mox referam & dissoluam.

## *Proponuntur uariæ difficultates attinentes ad resistentiam, & proportiones motuum.* Cap. XXIIII.

Res ardua quo exactiùs discutitur, & intimiùs cõsideratur, eo apparet obscurior & difficilior, hoc euenit in re de qua agitur, nam primò occurrit hæc dubitatio: si in motu grauiũ & leuiũ præter resistentiã medij et adesset resistentia interna, diminutus esset Arist. qui cum ambitũ præsertim in quarto Phys. 71. uniuersã resistentiã tribuit medio, & de interna nõ loquitur. Insuper tunc Elementa in vacuo moueri possent, quoniã adessent requisita pro motu, quod tamẽ reijcitur in quarto Phys. Tertiò si daretur resistẽtia interna, tunc corpus finitum à uirtute infinita definito tẽpore moueretur ob internã resistentiam, & pugnam, ne simul sit in locis distinctis. At Arist. in calce octaui Phys. 79. oppositũ asserit. Quartò dubitatur, quia si resistentia in vacuo penderet ex distãtia partium mobilis, & terminorum, tunc mobile in vacuo infinitè velociter deberet mouere, quoniam ea pugna posset uitari cũ duplo gradu velocitatis, cũ triplo, & sic in infinitum, adeò ut ea successio & tempus sub sensum nõ caderet. Insuper sequeretur, quòd eadẽ ratione illuminatio nõ posset esse in instanti simul, Lumen

enim

enim transiens per mediū nō posset simul esse in principio, medio, & fine interualli. Dubitatur quintò vtrū forma rei grauis vel leuis possit resistere ī motu illius rei. Sextò dubitatur, quoniam de motu grauium & leuium Arist. varia enūciauit, quæ sensui, & experientiæ aduersantur, & regulas proportionis velocitatis, & tarditatis motuū, tradidit, quæ apertè videntur falsę, nā dixit corpus graue eiusdem naturę qua ratione fuerit maius, ea ferri velociùs, ꝙ experintiæ aduersatur, non.n. lapis duplo maior duplo est velocior, nec quadruplo maior quadruplo est velocior, sed ęquè citò maior, & minor lapis per aerē descendit, & qua velocitate quattuor quartæ lapidis descēdunt seiunctæ, eadē descendunt coniunctæ. Insuper inquit Arist. corpus quo fuerit grauius eo fertur velocius, hoc aduersatur experientiæ: Nam si duæ formentur pilæ æquales, vna plumbea, altera lignea, quamuis plumbea sit longè grauior, nō tamen eadē proportione est velocior, sed ferè æquè velociter videntur descēdere, similiter inquit Philosophus, in primo de Cęlo, si in infinitum cresceret grauitas, in infinitū cresceret uelocitas, & in 8. Phys. 79. ait si vis infinita esset in magnitudine finita, nō posset assignari tempus in quo moueret, hoc esse falsum ex eo constat, quia corpus maius dū fuerit consimile, non mouetur velocius quàm minus, quare si in infinitum cresceret corpus, & grauitas, non in infinitum cresceret velocitas. Septimò damnandus videtur Arist. quoniam huiusmodi regulas & proportiones velocitatis motuum prodeuntes ex magnitudine & paruitate mobilis, transtulit etiam ad Cęlum, nam in cont. 46. secūdi de Cęlo ait celeriorem esse maioris circuli velocitatem, rationi est consentaneum, circa idem cētrum cōstituti, vt enim in alijs maius corpus velocius fertur, propria latione, ita in his quæ mouentur in orbem, &c. Hæc cum dicat Philosophus uidetur confundere ea, quæ per suam propensionem & formā mouentur, cum his quæ mouentur a motore separato, quorum tamen distincta est ratio, cum grauia, & leuia moueantur cum resistentia externa, non autem Cęlum, imo cum Cęlum solùm habeat resistentiā internam, & moueatur ab externo motore, quo fuerit maius, eo deberet moueri difficiliùs & tardiùs, veluti etiam fatetur ipsemet Arist. in eodem secūdo de Cęlo, s. loquēs de motu Cęlorum, nā difficilius esse dixit mouere plura quàm pauciora, at de grauibus & leuibus secus se habet, similiter in cont. 70. ait maioris esse uirtutes orbem mouere pluribus Stellis præditū, quo loci inq̄t Auer. si orbis plures haberet Stellas, vel non moueretur, vel non eadem velocitate: at hæc conspicuè pugnant cum relatis ex cont. 46. Octauo inquit Arist. qua ratione medium fuerit densius, eadem motū eiusdem mobilis esse tardiorem, quæ regula sensu recipitur falsa, quamuis enim aqua sit plusquā decuplo densior aere, non ob id pila plumbea per aerē decuplo est velocior, vt patet mensurando pondus eius pilæ in aere & in aqua. Demùm nōnulli Mathematici Arist. damnant, quia videtur errasse nedū in principijs resistentiæ, & proportionis motuum, verùm insuper in cōmutatione proportionum, nā inquit Philosophus in quarto Phys. quod eadem est proportio velocitatis motuum eiusdem corporis mobilis per distincta media, quę est inter densitates eorum mediorū, vt si aer est decuplo rarior aqua, motus in eo erit decuplo velocior; at id esse falsum ita ostēdunt si Lapis 20. librarum mouetur per medium resistens decē gradibus resistentiæ tempore vnius horæ, si minuitur resistentia & sit quinque graduum velocitas per regulas Arist. erit duplo maior, verùm hoc proportioni non respondet, quia duplum excedit dimidium vt viginti, decem per medietatem sui, excedit autem quinque, hoc est quartam partē non per duas partes sui, adeò vt consurgere debeat motus duplo velocior, sed per tres quartas, & proportione quadrupla, quare motus deberet esse nō duplo, sed triplo velocior, quoniam ex excessu consurgit velocitas. Hęc profectò adeò sunt ardua, & tam conspicuè patefaciunt regulas Arist. esse falsas, vt valdè sit arduum Arist. a calumnia vendicare: & origo errorum id esse videtur, quia Arist. solam in motu grauiū & leuiū assignauit resistentiam externam, ex medio sumptam D. Th. cupiens Arist. defendere in attinentibus ad resistentiā, dixit, quòd Arist. in quarto Phys. nō absolutè nis omnē

*In dubiū vertuntur regulę motuum, traditę ab Aristotele.*

*Damnatur Arist. a nonnullis.*

*Ardua dubitatio, D. Thom.*

resistentiam prodire ex medio,& sine ea moueri grauia sine tempore, sed solum euertit sententiam veterum asserentium adæquatam causam motuum esse vacuum, & sine eo non posse dari motum,& idipsum dicitur a Scoto in 2. Sent. distinc. 2. q. 9. Verum hæc defensio est inanis? Primò, quia non putabant veteres vacuum esse adæquatam causam velocitatis, sed eam prodire ex varietate Atomorum, quarum nonnullæ magis, aliæ minus essent motui accommodatæ, ut refert Simplicius; hinc Animam dicebāt constare ex Atomis valdè mobilibus, insuper Arist. in 4. Phys. 71. conspicuè ex propria sententia ait velocitatem, & tarditatem oriri, vel ex varietate medij, vel ex varietate mobilium, magis, & minus grauium. Et confirmatur, quia vbiq; Arist. dum hac de re loquitur, idipsum enunciat, vt in 1. de Cęlo, 51. & 52. inquit, maiora ferri velociùs, & vt crescit grauitas, ita velocitas. *Scotus.* Propterea Scotus addit Arist. per resistentiam medij denotasse omnia, quæ conducunt pro resistentia, & antecedunt adeptionem formæ, & termini motus. *Euersio.* At errat, quoniam Arist. seipsum declarat, inquiens in vacuo non inuenire aliquid quod resistat, & sit causa successionis motus, adeò vt contra veteres inducentes vacuum pro motu, dixerit, si daretur vacuum, non daretur motus, & in cont. 71. & 74. se declarans, quid denotet per medium resistens, solum hoc retulit ad densitatem, & raritatem eius, adeò vt per horum dicta Arist. a calumnia non vendicetur.

## *Explicatur sententia propria pro diluendis instantijs aduersus sententias Aristotelis, de proportionibus motuum.*

## *Cap. XXV.*

PRofectò qui diceret Aristotelem nunquam errâsse Aristotelem redderet non Aristotelem, sed Deum, Homo enim omnis est mendax, nec proprijs viribus valet semper veritatem intueri, sat est pro Arist. præstantia affirmare, illum inter Mundi sapientes summoperè refulsisse. Ac vt pertinet ad proposita difficultates, vt partim Aristot. tueamur, partim ea seruemus, quæ sensu & experientia constant, *Dari duplicem resistētiam.* dico primò, præter resistentiam medij dari in motu grauium, etiam resistentiam internam, a me explicatam, per quam mobilia consimiliter moueantur, adeò vt varietas superadditæ tarditatis ex sola resistentia medij prodeat, & Arist. ex resistentijs hanc solam externam inspexit, & eam inspiciens regulas tradidit, & iure profectò. Primò, quia ea est sensu notior; secundò, quia ea sola variatur, non autem interna; tertiò, quia nunquam fit motus in vacuo, adeò vt apparere valeat, quæ sit velocitas ex sola interna resistentia consurgens; quartò, quia Arist. interuallum distinctum a corpore medio non concessit: ideò considerando diuisionem & partes interualli, per sua fundamenta nil considerare valuit nisi attinentia ad corpus intermedium. *Quomodo Arist. regulas dederit.* Hoc præassumpto. Addo secundò Arist. dedisse regulas more Mathematicorum, qui vnum sępè considerant, non consideratis alijs, cū eo iunctis: ita Arist. regulas dedit prodeuntes ex proportione externæ resistentiæ, & grauitatis, cęteris imaginatione seiunctis, & quoniam dum ad actum rediguntur, connectuntur cum alijs, per quæ variantur; hine oritur, ꝙ quamuis illæ regulæ ex se, vt traduntur, sint verę, tamen dum ad actum rediguntur, ob nexum cum materia, & alijs, apparent falsæ, vt patet de sphæra quam Mathematici dicunt tangere planum in puncto. *Ex regulis Arist. veras elici.* Dico tertiò, ex regulis ab Arist. traditis, depromptis ex gradibus facultatis motoris, & externæ resistentiæ, posse elici regulas omnes rectas velocitatis motiuæ, pertinentis ad alia, adeò ut Aristoteles breuibus virtute & facultate cuncta dixerit ad huiusmodi proportiones pertinentia, nam consimiliter assignari possunt regulæ attinētes ad omnia, per quæ variatur velocitas. Addo quarto loco, velocitates motuum per multa variari posse, nam cum per solam

resi-

resistentiam internam sint consimiles, variantur tamen primò per resistentiam exter
nam medij secundum densius, & rarius. Deinde per figurã mobilis, nam corpus Plũ- *Velocitas*
beum si fuerit sphęricum velociùs descendit, quàm si fuerit planum & latum. Insuper *per multa*
variatur per consimilitudinẽ, & dissimilitudinem, quam mobile habet cum medio, ve *variatur.*
luti plumbum aqueum velociùs descendit per Aquam, quã aliud corpus non Aqueũ;
& Lignum per Aerẽ descendẽs non minus videtur velox, quàm ferrum, vel Lapis, si-
militer carbones extincti. Et ratio duplex assignari põt. Prima est, quia ligna sunt Ae
rea & grauia: vt grauia descendunt, vt Aerea ob familiaritatem quam habent cũ Ae-
re velociter in eo descendunt, vt etiam spiritus velocissimè sumpto principio motus
mouentur per Aerem Altera ratio est, quia pro velocitate motus conducit propulsio
mobilis à tergo per Aerem facta, cum itaque Lignum ex se satis velociter descendat,
Aer à tergo propellens, & insitum Aerem sequens, faciliùs, & vehementiùs lignũ im
pellit minus resistens, & magis Aereum, quàm ferrum & plumbum. Ex his modo eli- *Diluũtur*
ciuntur solutiones omnium aduersarum rationũ. Dubitabatur, & carpebatur primò *aduersę ra*
Arist. quia de sola externa resistẽtia verba fecit. Patet respõsio, nam quòd dixit de ex- *tiones.*
terna, vt nobis notiore, indicauit debere dici de alijs, & præsertim quia alibi eã teti- *Solutio 1.*
git, inquiens motum secundum locum esse continuum ob continuationẽ mobilis, &
loci. Dubitabatur secundò: quia concessa resistentia externa; Elementa possent in tẽ-
pore moueri in vacuo, quod negat Arist. Pro re sponsione tria dico. Primũ est, suppo- *Solutio 2.*
sito vacuo & conseruatione mobilis in eo Elementa absolutè non mouerentur, tum
quia in eo non seruatur sursum & deorsum, tum insuper quia non seruatur conspira-
tio communis causæ nempè Coeli per eius motum. Dico secundò, supposito, quòd
cętera non impedient, & possent moueri, non mouerentur sine tẽpore ob resistentiã
internam. Addò tertiò, quòd inspiciendo solam resistentiam externam, quam solam
Arist. inspexit, dum regulas dedit; nullum posset assignari tempus in quo mouerẽtur,
vt dixit Philosophus. Tertiò dubitabatur, quia si daretur interna pugna & resistẽtia,
corpus finitum à uirtute infinita non moueretur sine tempore, quoniam ob internam
resistentiam includit pugnantia. Respondeo, si solam resistentiã externã inspicimus; *Solutio 3.*
rectè dixit Arist. quòd nullũ tempus assignari posset, in quo moueretur, quia infiniti
ad infinitum nulla est proportio, at posita resistẽtia interna; per eam posset tẽpus assi
gnari; quoniam includentia contradictionem sub nullam potentiam cadunt, nam im
plicat ut corpus paruum simul sit per vniuersum locũ maiorem. Dico tamen quòd si
vis mouens est interna, ut grauitas in graui; sic ut crescit corpus, ita crescit uirtus, &
seruatur eadem proportio & proptereà non citiùs mouetur maius, quàm minus cor-
pus; supposito tamen quòd corpus sit finitum, & in eo sit virtus materiata infinita; ut
supponit Arist. in 8. Phys. 79. tunc ut ad externam resistentiam pertinet, quam consi-
derauit Arist. nullum posset assignari tempus, quod tamen assignandum esset ob resi-
stentiam internam. At si motor fuerit externus, potest crescere virtus non aucto cor-
pore, & seruata eadem resistẽtia corporis, quo virtus mouens est maior, eo motus est
velocior, seruata tamen semper definita uelocitate, & tẽpore, quod requiritur ob resi
stentiam internam. Hinc approbandam non puto sententiam Scoti secundo Sent. d.
2. q. 9. dicentis, virtutem infinitam posse statim & sine tempore cõstituere mobile in
termino ad quem, nam uis, nec finita, nec infinita valet ea efficere, quæ contradictio-
nem includunt. Dubitabatur quartò, quia in vacuo resistentia illa interna posset ser-
uari per motum velocem in infinitum, & eadem deberet seruari in illuminationem
Respondeo, quamuis per rationem progredi valeamus in infinitum, seruandos attinẽ *Solutio 4.*
tia ad pugnam terminorum, & partium mobilis, tamẽ in natura omnia sunt definita,
& terminata, adeò ut definitum tempus requiratur pro constituendo motu, & ui-
tanda ea pugna, & adeò definitum debet esse tempus, ut semper motus primi
mobilis, qui est mensura cęterorum, & minimus sit velocior. Ad instantiam de Lu-
mine dico esse inanem, tum quia Lumen in medio habet esse spiritale, tum insuper

quia locum non occupat, ideò satis est præsentia Lucidi. Dubitatur quintò, vtrum forma Elementi, quod mouetur, valeat pro eo motu resistere? Respondeo, eam nō resistere reddendo mobile procliue in oppositum, nulla.n.forma ubimet & suæ actioni resistit, conducit tamen pro resistentia interna prodeunte ex pugna partium mobilis, ut sint simul in distinctis locis, nam quamuis origo eius resistentiæ sit materia quanta, non forma, tamen non fit sine forma, quoniam quod mouetur est corpus actu, & terminatum, termini autem ex forma prodeunt. Sexta instantia versabatur circa regulas proportionum motus, nā dixit Arist. corpus quo fuerit maius, vel grauius, eo ferri uelocius, quod experientiæ aduersatur. Respondeo, Aristotelem solum cōsiderasse graue, ut motorem medium ut resistens, & ex hoc sumpsisse regulas: at quia lapis nedum diuidit medium, sed etiam est ipsum mobile, & adest insuper resistentia interna, ideò regula materiæ iuncta apparet fallax, vt enim quattuor quartę lapidis mouētur seorsum, ita simul iunctę: crescit.n. & resistentia interna & interuallum medij diuidendi. Similiter de altera regula dicendū est, quæ erat, corpus quo fuerit grauius, eo ferri uelocius, nam Aristoteles solùm inspexit resistentiā externam & more Geometrico dedit regulas supposita cæterorū paritate, & cæteris imaginatione secretis, id ipsum est dicendum de cæteris regulis. Erat septima dubitatio, quia minus rectè illæ regulæ extendebatur ad Cœlum. Respondeo, quamuis inter motum Cœli & grauium siue leuium sit aliqua varietas, attamen hoc habent commune, ut ambo includant propēsionem ad suum motum. Pręterea vt in maiori corpore graui maior est grauitas, ita maiori circulo Cœli maior & latior iuncta est vis mouens, hine præsertim motor dicitur esse in circulo maiori & velociori in 8. Physic. 84. ob hanc similitudinem Arist.

*Solutio 5.* *Solutio 6.* *Solutio 7.*

8. suas regulas etiam iunxit Cœlo. Octaua instantia pertinebat ad medium, non enim eadem proportione motus est tardior, qua medium est densius. Hæc soluta est per sæpè dicta, nam vera est solùm inspiciendo resistentiam externam & considerando graue, ut diuidens medium ut diuisibile.

9. Instabatur postremò, quia Aristoteles errare uidetur in commutatione proportionum. Respondeo eam instantiam esse inanem, quoniam dum consideratur uelocitas motus consurgens ex proportione motoris ad mobile, totum mouens & totum resistens considerari debet, quia totum est, quod mouet, & totum quod resistit, hinc quamuis uiginti superent per vnam medietatem & sui partem, superent autem quinque per tres partes, tamen illæ partes non sunt æquales, non enim sunt medietates, vt prima, sed quartæ. Insuper regula Aristotelis ita debet intelligi, quòd qua proportione motor superat resistentiam, eadem proportione consurgit velocitas, adeò ut si agens ad patiens includit proportionem maioris inæqualitatis duplam, consurgit definita velocitas, si fuerit tripla, triplo erit maior, si quadrupla, quadruplo: ratio autem quadrupla est duplo maior dupla. Immò ostendo, quòd si consideraremus solum excessum ut illi considerandum aiunt, secus res se haberet, ut illi dicunt, nam uiginti superant decem per decem, superant quinque per quindecim, & totum hunc excessum considerantes, inueniemus non esse duplum ipsorum decem, sed sexquialterum. Dicamus itaque considerandum esse totum agens, & totam resistentiam, & ut uiginti ad decem est ratio dupla, ad quinque, est quadrupla duplo maior, ita, ut pertinet ad solam externam resistentiam erit duplo uelocior. At grauia sua propensione inclinantur ad Centrum, nos autem propensione Cœlestis animi properemus ad Cœlum, & in eo requiescamus. Deo Laus.

FRAN-

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS, DE MIXTIONE LIBER VNVS.

## *Proponitur de Mixtione agendum, & nomina nonnulla explicantur.* Cap. I.

QVONIAM natura intrinsecus, latenter, ac diuina quadam Arte Mixta constituit, & ex Mixtione formas varias, & præclaras educit, quæ mortalem hunc Orbem reddunt insignem, & formosum. Propterea Mixtionis consideratio utilis simul, ardua, & sublimis est. De qua cum mihi differendum proposuerim, vt ordine utar, explicabo primò uoces nonnullas; secundò perpendam an sit; tertiò quid sit; mox quomodo fiat, & qualis sit; demùm, dubia nonnulla potiora dissoluã. *Ordo seruandus.*

Varia sunt nomina cum Mixtione iuncta & complicata, quorum tria sunt principalia, nempè Compositio, Mixtio, & Temperamentum: adsunt deinde, & alia ut Confusio, Iuxtapositio, Accumulatio, Esse simul, & similia, quæ uel denotant modos quosdam compositionis, uel conspicuè a Mixtione secernuntur. Compositionis nomen dupliciter usurpatur, primò latè, & est tanquam genus mixtionis, cuius quinque sunt gradus. Nam prima Compositio est ex potentia, & actu, siue ex materia & forma. Secunda ex quattuor primis Simplicibus corporibus, simulque ex eorum Qualitatibus, pro Mixti, & Temperamenti constitutione. Tertia ex Mixtis similium partium pro compositione membrorum. Quarta ex membris pro constitutione totius corporis viuentis. Quinta ex gradibus rerum prò Mundi constitutione. Hi sunt gradus compositionis attinentes ad naturam, præter quos inueniuntur compositiones nonnullæ ad Artem pertinentes, ut ex granis componitur cumulus, & ex literis syllaba. Hi omnes relati gradus in duo prima capita rediguntur, vel enim est compositio cum alteratione aliqua compositorum, vel sine, insuper, vel est cum ordine, uel Sine. Secundò usurpatur nomen compositionis pressiùs, ut compositio contradistinguitur a Mixtione, in qua significatione ea dicitur compositio, in qua componentia uel sincera seruantur, ut materia cum forma componitur, uel unam tertiam naturam non constituunt, sed alterantur solùm, ut aqua, & uinum componi dicuntur, & grana uaria in constitutione farinæ. Mixtio uerò est, dum per alterationes unum tertium consurgit, in qua significatione Aristot. in primo de Ortu & interitu 84. & 90. dixit, Mixtionem non esse Compositionem, & ab ea distingui. Insuper Alexander in suo li- *Compositio quincuplex.* *Mixtio.*

bro de Mixtione, secernens Mixtionem a compositione, dixit, Mixtionem solùm esse corporum dissimilium; Compositionem uerò etiam esse eorum, quæ similia sunt, & eiusdem speciei, ut compositio granorum frumenti in cumulo, hinc non omni ex parte uera est sententia Philoponi in 1. Phys. 47. dicentis, Compositionem ex eis constare, quę sint distinctę naturę & speciei: nam ea etiam componuntur quę sunt eiusdem speciei. Mixtionis autem nomen tripliciter usurpatur. Primò pro iuxtapositione & confusione minimorum distincti generis, uel conditionis, sine alteratione, ut milites duorum inuicem pugnantium exercituum misceri dicuntur, & similiter grana uaria hordei, tritici, & milij. De hac mixtione dixit Aristot. in libro de Sensu & Sensili, ea ad sensum misceri, quę contingit ad minima diuidi, ut equi uarij, semina uaria, & homines, hominum enim homo singulus, & equorum equus, minimus est. Secundò usurpatur pro iuxtapositione cum alteratione, sine consurgente temperamento, & noua forma, ut frequenter miscentur Pharmaca, & aqua cum uino. Tertiò usurpatur pro perfecta, & propria Mixtione; quæ est miscibilium cum alteratione & citra interitum vnitio. Primæ sunt Mixtiones secundum sensum. Hæc tertia est vera Mixtio, & secundum rationem, ex qua temperamentum, & noua forma consurgit, de qua nos sumus verba facturi. Quicunq; primas quattuor qualitates statuunt formas Elementorum vt Alexander, & Galenus, Temperamentum à forma Mixti non secernunt. At qui id inficiantur, etiam hæc duo distinguunt, nam Temperamentum consurgit ex Qualitatibus, forma vero Mixti ex formis Elementorum. Aristot. autem vt qualitates à propria forma secreuit, ita temperamentum a forma Mixti, ideò in primo, de Ortu, & interitu 86. dixit, iuxtapositionem non esse Temperamentum, neque mixtionem, constituens Mixtionem à Temperamento distinctam. Quæ quamuis secernantur, tamen ita se habent, vt nulla fiat Mixtio sine ... sine Temperamento; hinc etiam Aristot. dixit affectiones non misceri, illæ enim contemperantur inuicem, non miscetur; Mixtio autem substantiatum est.

*Temperamentū, & forma Mixti distinguuntur.*

## *Conditiones Mixtionis, & miscibilium.* *Cap. II.*

*Quattuor in Mixtione considerantur.*

*Conditiones miscibilium.*

VT exactiùs ꝑ Mixtionis notitia paremur, cōditiones cùm Mixtionis tum miscibiliū prænoscere tenemur, quæ accurratè ab Arist. referuntur in capitulo de Mixtione, & in ordinē ita redigi possunt. Nā quattuor considerare valemus. Primò cōditiones miscibiliū. Secundò requisita pro actu Mixtionis. Tertiò, quæ Mixtionē reddunt facilem. Quartò attinentia ad Mixtionē ipsam, & Mixtū. Cōditiones miscibilium quinque sunt. Prima, vt communem habeant materiam. Secunda, vt sint contraria. Tertia, vt vicissim agant, & patiantur. Quarta, vt sint apta secerni, & seorsum subsistere. Quinta, vt molem aliquam tribuant Mixto, non autē Qualitatem tātùm, Hinc ait Aristoteles, Stannū cum cęteris metallis non misceri: quia dissoluitur in halitus, & solùm colorem derelinquit. Hæ conditiones & ex verbis Philosophi eliciūtur, & rationi sunt consentaneæ, ut consideranti redditur notum. Pro actu verò Mixtionis tria requiruntur. Primò vt miscibilia modo quodam æquentur viribus, adeò vt prius desinant posse inuicem agere, quàm vnum eorum alterum destruat, Secundò vt nec ambo, nec alterum penitùs aboleatur. Tertiò ne sincera seruentur, sed ad medium quoddam redigantur. Dum aūt consideramus ea, quæ Mixtionē reddunt facilē, & miscibilia, exactè & facilè miscibilia, inuenienius esse tria; primùm vt sint humida; secūdò vt nō sint tenacia, & lētore prædita, sed facilè apta diuidi; tertiò ut nō citò & facilè resoluātur, ut diximus de Stāno. Demùm pro Mixti, & Mixtionis cōstitutione quattuor requirūtur; primò miscibilium alteratio; secundò eorum vnitio; tertiò ut

*Pro actu Mixtionis.*

*Quæ facilè reddant Mixtionem.*

*Pro Mixti constitutione.*

seruentur

ſeruentur modo aliquo vires miſcibilium, quarto ut quæuis pars Mixti ſit Mixta. Ex
cõditionibus relatis facilè modo eſt definitiones elicere. Nam Miſcibilia ſunt corpo- *Miſcibile*
ra, communi materia prædita, inuicem agentia & patiẽtia, apta ſeorſum ſubſiſtere & *quidquid*
ex eis unum fieri. Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnitio. Ex his cõſtat Mixtionẽ *Mixtio.*
differre à Cõpoſitione, ab Ortu & Interitu, ab Alteratione, ab Accretione & Latiõe,
ita tamẽ, ut ſine cõſpiratione aliqua harum omnium mutationum fieri nequeat. Sed
dignum eſt conſideratione, ſi Mixtio eſt quędam motio, quomodo dicitur differre ab
omni genere mutationum? Inſuper cum ſit quædam motio, ad quod genus mutatio- *Dubita-*
nis redigitur? Reſpondẽs dico, Mixtionem præſertim eſſe complicationem ex altera *tio.*
tione, & generatione, & quia terminus ad quem eſt forma Mixti, quæ eſt ſubſtãtia, iõ *Solutio.*
ad generationem redigitur tanquam modus eius, dicitur tamen differre à generatio-
ne, quæ eſt vnius ex vno penitùs corrupto. His decurſis, conſiderans ea quæ propriè *Propriè*
miſcibilia ſunt, dico eſſe quattuor Elementa, munere quattuor primarum qualitatũ; *miſcibilia.*
ea enim verè ſunt prædita conditionibus miſcibilium, & cætera que miſcentur, ut
miſceri uidentur Mixta quędam, munere & facultate quattuor incluſorum Elemen-
torum miſcentur. Ideò ego de eorum Mixtione mihi differendum propono, inde
enim refulgebit conditio cuiuslibet alterius Mixtionis.

## *An detur Mixtio ex quattuor Elementis. Cap. III.*

QVæritur an quattuor prima Simplicia corpora, quæ Elementa dicuntur, re *Elementa*
vera ſint Elementa, adeò vt per naturam ſint apta miſceri, id enim uide- *non poſſe*
tur eis non competere. Primò per regulam communem, ut totum ſe ha- *miſceri.*
bet ad totum, ita pars ad partem, qua utitur Ariſtot. in primò de Hiſtoria *Ratio 1.*
Animalium; at Elementum totum non eſt aptum miſceri; alioquin Mundus in
Chaos rediret: quare nec partes. Præterea, Terra & Ignis non ſunt miſcibilia; igi- 2
tur nec Aer, nec Aqua, cum ſint eiuſdem ordinis. Aſſumptum oſtenditur: quia vna
conditio miſcibilium erat, vt ſint humida, ea autem ſicca ſunt. Deducitur conſe-
quentia per Ariſtotelem, in primo de Ortu, & interitu, 90. dicentem, miſcibile referri
ad miſcibile, quare ſi Terra & Ignis non ſunt miſcibilia, nec alia Elementa cum eis
miſceri poterunt. Confirmatur per eundẽ Philoſophũ dicentem, Stannũ nõ miſceri,
quia Aereũ; quare longè minus miſcebitur Aer. Præterea, ſi Elementa miſcentur, vel 3
miſcẽtur a ſe, vel a Cęlo, vel ab Arte; nõ a ſe, quia Mixtio eſt cõtra naturã propriã eo
rum, cum ſit remiſſio; non a Cœlo, quia eſt mouens commune, æquè reſpiciens uni-
uerſitates Elementorũ, ideò vel miſceret vniuerſitates eorum, uel nullã partem: non
Arte, quia Elementa, nõ ſubijciuntur Arti, & Mixtum non conſtaret natura. Quartò 4
ita argumentor Elementa per naturã expoſcunt ambas Qualitates ſummas, ideò per
naturam non ſunt apta miſceri: deducitur conſecutio per Auer. in 4. Meteorum com.
10. dicentem, ſi Elementa haberent ambas Qualitates ſummas, non poſſent miſceri.
Confirmatur, quia Elementa, vel æquantur virib. in Mixtione, uel unum ſuperat alte
rum; ſi vnum ſuperat, deſtruet aliud, non miſcebitur; ſi æquantur virib. vel nil conſti-
tuent, vel ęquale; at Mixtum æquale magna ex parte nõ cõceditur. Præterea, Elemen 5
ta cum ſint imperfectiora Mixto, non valent ſui cõditione, & uirib. Mixtum cõſtitue-
re, non. n. vilius valet ſuis uirib. conſtituere præſtantius, & vltra gradum ſuæ cõditio-
nis agere. Præterea, utor ratione relata ab Ariſtotele, Elementa in Mixto, uel ambo 6
pereunt, & erit interitus, vel ambo ſeruãtur, & erit cõpoſitio contradiſtincta Mixtio
ne, vel unũ perit ſuperſtite altero, & erit interitus vnius, ortus alterius, Mixtio ãt nul
lius. Demũ q̃uo putare valemus dari Mixtionẽ ſecundũ naturã, cũ Mixtio pręſertim 7
dicatur fieri propè Terram, in quem locum Ignis, non niſi violentia deſcendit, nec
conſtat a quo uiolentia ei inferatur, vt pro Mixtione deſcendat. Hæc ea ſunt quæ

præſertim Mixtionem reddunt dubiam, Ex aduerſo tamen ratione, experientia, &
*Oſtēditur dari Mixtionem.* conſenſione conſtat dari Mixtionem. Nam dantur cauſæ & principia omnia requiſi-
ta pro Mixtione, quare datur & Mixtio. Aſſumptum conſtat primò ex parte materię,
nam Elementa ſunt materia Mixtorum includentia conditiones, & inſtrumenta pro
*Ratio* 1. Mixtione accommodata, & ob id Elementa nuncupātur, Elementum enim propriè
2. Mixti eſſe Elementū. Dein Oſtenditur ex parte formę, nā opera, ꝓprietates, & actio-
nes variorū corporū præſtantiores actionibus, & facultatibus Elementorū, indicant
3. nobis formam Mixti eminentiorem formis Elementorum. Tertiò oſtēditur ex parte
efficientis, quod duplex eſt, vnum commune, alterum proprium, commune eſt Cœ-
lum per motum & lumen, proprium & proximum eſt oppoſitio Elementorum, per
quam inuicem agunt, & medium conſtituunt. Hęc duo efficientia vna conſpirantia,
ita ſe habent, ut commune vlteriorem finem, nempè formam Mixti præſertim ex-
petat, proximum verò, finem proprium, hoc eſt cui conſeruationem, & ſimilis pro-
ductionem, communem verò vt a communi dirigitur, & dum aſſequi nō valet finem
4. proprium, ſaltem conſequitur communem & abſolutè potiorem. Quartò oſtenditur
ratione finis, & quia finis eſt duplex, vnus generationis, alter rei genitæ, & finis rei ge
nitæ eſt duplex, cuius, & cui, ex his omnibus elicitur neceſſitas Mixtionis. Finis ge-
nerationis ſunt variæ Mixtorum formæ, quæ formoſum reddunt mortalē orbē, finis
cuius gratia, ſiue ſcopus eſt bonū propriū, quo fruūtur ſpecies Mixtorū & innumeræ
vtilitates quas Mundo & homini Mixta præbent; inſuper eſt pax litium Naturæ, cū
enim omnia pendeant ex uno, omnia in pacem & vnitionem diriguntur, ut ipſo uno
pro facultate fruantur. finis cui Mixta inſeruiunt eſt triplex. Vnus cōmunis & eſt ab
ſolutio vniuerſi. Alter minus communis magisque proprius, & eſt diſpoſitio pro ani-
ma mortalium, & præſertim hominis, cui cætera mortalia ſubijciuntur. Tertius eſt fi-
nis poſtremus cuius gloriam enarrant, & eſt Deus, cui omnia ſeruiunt, adeò ut cūcta
munere Mixtionis per orbem reuoluantur in Deum. Nam Cœlum lumine & motu
Elementa gignit & ſeruat; Elemēta Mixtum conſtituunt; Mixtorum poſtremum eſt
corpus hominis, quod cum ſit anima ſublimi præditū, eaque ſit Mentis particeps, ver
*Munere Mixtionis cuncta reuoluuntur ī Deū.* titur in Deum, & cum eo proximè & feliciſſimè nectitur. Pro Mixti conſtitutione nō
miſcētur Elementorū uniuerſitates, ſed ſolùm partes. Ratio eſt, quia id aduerſatur &
propriæ eorum Naturæ, & cōmuni propriæ, quia id eſt quidam interitus eorum: con-
muni, quia periret ordo uniuerſi. Hinc ne Elementa uniuerſa miſceantur, detinentur
*Cur non miſcentur uniuerſitates Elemētorum.* à ſeipſis cum contrario pugnantibus, & à Cœlo ordinem & ſecretionē ſeruante, hoc
tamen includunt vniuerſitates quod impuræ ſunt, ut partes magis ad Mixtionē ſint
paratæ. Prætereà, pro Mixtione neceſſaria eſt diuiſio miſcibilium in partes, & partiū
iuxta poſitio, quòd vniuerſitatibus competere non valet ſine mundi confuſione. Lo-
*Neceſſaria eſt diuiſio.* quens de loco Mixtionis dico miſceri Elemēta & in uiſceribus Terrę, & in Terræ am
bitu, & in Aqua, & in Aere: præſertim tamē, in ambitu Terræ, nempe in mutuo cōta-
ctu trium Elementorū Terræ, Aquæ, & Aeris, in quo lumē uires ſuas præſertim pate
*Locus mixtionis.* facit. In igne non conficitur Mixtum, quia officium ignis eſt connectere conſimilia, &
diſſimilia ſecernere. Inſuper ignis nimiùm eſt in actione efficax, adeò ut cætera cōbu-
rat potius, & ī ſe cōuertat, quàm miſceat, & ſphæra ignis eſt ſecretior ab alijs cęteriſ-
que ſincerior, adeò ut Mixtioni locum non præbeat. Demùm Mixta ut plurimùm ſer
uant imperium molis Terræ vel Aquæ, hæc autem in ſphæra ignis non inueniuntur.
*Dubitatio.* Sed oritur dubitatio de vermibus Pyralibus, quos Ariſt. in 5. de Hiſtoria Animalium
*Solutiō.* cap. 19. ait gigni in fornacibus Cypri, & in flamma uiuere, & uolitare. De his dico pri
mò dubium eſſe an id ſit uerum, multa enim profert Ariſt. in lib. de Hiſtoria Anima-
lium ex relatione aliorum, non ex propria ſententia: hinc in ſecundo de Gen. animal.
cap. 3. & in ſecūdo de Ortu & interitu, ait, ex igne & Glacie nullū gigni animal: & cō
firmatur: quia ignis non putreſcit, ex quarto Meteorū. & conceſſo id eſſe uerum, dico
eos uermes nō gigni in ſphæra ignis, ſed in fornacibus ex materia aliqua putri lapidū
vel

vel lignorum, Proptius itaque locus est ambitus Terræ. Hinc expedit, quod vniuersa non sit inundata aquis, vt etiã cum aere nectatur, & cumulatiùs recipiat vires Luminis. Ignis aũt debuit longiùs abesse à loco mixtionis, vt ad mixtionẽ cõtemperatior accederet, & qui ꝓ mixtione est necessarius, magna ex parte subministratur à radijs Solis, & motu. Hinc pro efficienda mixtione, debuit Cęlum esse Lucidum. Terra opaca. Intermedium, perspicuum, vt Lumen ex Cęlo effunderetur in Terrã, ita enim Solis & stellarum radij repercutiuntur à Terra, geminantur, redduntur que potẽtiores, & cum in Terræ antris & cauitatibus tanquam in Naturæ ollis recipiantur, gignunt fossilia, Metalla, & alia consimilia: ad efficiendum idipsum conducit motus Cęli, pro quo necessarium fuit, vt corpora intermedia facilè essent mobilia, ita enim cumulatiùs motu Cęli agitantur. Terra verò tanquã sedes mixtionis debuit requiescere, vt facultates infusas accõmodatiùs reciperet, easque tanquam in sinu seruaret & foueret, calor tamen solis operatur intimiùs, & ignis potiùs vt Faber, quàm vt materia mixtionis conspirat. Hinc Plato in Philebo Vulcano & Dionysio tanquã opificibus miscendi officiũ tribuit. Et quoniã pro fine felicius assequendo, media congruentia requiruntur, ideò Natura de cunctis solicita, pro mixtione aptissima media parauit, q̃ sunt impuritas Elementorum, & duo halituum genera, in quæ Elementa primò mutantur, dum ex propria natura, & conditione recedunt, quæ duo halituum genera sunt mixta imperfecta, ex quib. proximè prodeunt Meteorologica, mox mixta perfecta, tanquã finis eorum. Constat itaque dari mixtionem, & cuncta optimè pro mixtione esse parata. Hinc putandum est nedum mixtum vnum gigni ex altero, veluti carnem ex sanguine, quod solùm fieri posse putarunt nonnulli, verũ insuper ex Elementis mixta noua ex integro gigni, & hoc nobis patefaciunt noui vapores, qui quotidie gignuntur, & sunt via ad mixtionem, ac insuper id ipsum redditur notum, quia quotidie mixta varia in Elementa resoluuntur, & nisi denuò vice versa ex Elemẽtis noua gignerentur mixta, iam mixta omnia in Elementa resoluta fuissent: est itaque necesse vt vice versa denuo ex Elementis noua mixta gignantur.

*Dispositio Vniuersi, pro Mixtionis constitutione.*

*Plato.*

*Etiam ex integro mixta gigni.*

## *Diluuntur rationes, quibus euertebatur Mixtio.* *Cap. IIII.*

QVoniam experientia & ratione compertum est, dari mixtionem, propterea putandum est, rationes aduersas solùm extrinsecùs probabilitatem quandam præseferre, absolutè tamen necessitate carere. Instabatur primò, quia totum Elementum non est aptum misceri. Respondeo, Elementum totum dupliciter posse considerari, vel separatim, vel simul; separatim est miscibile, non autem totum simul, ob rationes relatas, & impedimenta? Et ad formã 1.
argumenti, vt totum ad totum &c. Respondeo rationes ex proportione sumptas in Mathematicis includere necessitatem, dum solùm considerantur attinentia ad rationem & proportionem; in Physicis verò ob connexionem cum materia, & varietatum causis, carere frequenter necessitate, vt in re proposita, quia adsunt causæ repugnantes pro toto, & non pro partibus, ideò solùm dicere valemus, vt totum ad totũ diuisim sumptum, ita pars ad partẽ. Dicebatur secundò, Terram & Ignẽ non esse miscibilia, quia sicca, aerem quia resoluitur. Respondeo, non humida non posse misceri 2.
sine humido, at sicca cum humidis optimè misceri, vt dicitur in secundo, de Ortu & interitu, 49. Similiter Aerea iuncta cũ valdè calidis, & solidis non miscentur, vt stannum cum ære, sed per actionem caloris in halitus resoluuntur, at vnà cum illis quæ congruenter eis respondent, vt Aer cum Aqua & reliquis Elementis optimè misceri valent. Dicebatur tertiò, Elementa non misceri nec à se, nec à Cęlo, nec ab Arte. Re- 3.
spondeo,

*Diluũtur aduersæ rationes*

spondeo, misceri a Cœlo per lumen & motũ, ut a causa cõmuni, & præsertim a Sole producente calorem, a Luna excitãte humorẽ, conspirantibus etiam cæteris Stellis per aspectus varios. Dico secundo misceri a se proximè per actionem quattuor Qualitatum prædictarum definita quadam mensura, pro constitutione variorũ Mixtorum requisita, quæ actio ad varios refertur fines, vel proximos, vel remotos, vt explicaui. Demùm nonnunquam tanquam a ministra naturæ producuntur per Artem, nec tamen per Magiam Physicam agẽria cum patientibus. 4\. Instabatur quartò, quia Elementa exposcunt ambas Qualitates summas, ideò non sunt miscibilia. Respõdeo, inanẽ esse illam consecutionẽ. Primò, quia in Vniuerso Elementa nõ inueniuntur sincera, nec prædita qualitatibus summis. Secundò, quia se valent superare magnitudine partium, corpus. n. maius, cæteris paribus, est operosius. Tertiò, quia Qualitatum quædam potentiùs, aliæ debiliùs operantur. Quartò, quia etiam æqualia in gradu valent inuicem agere & ad mediocritatem redigi, ut in libro de Actione & passione patefeci. Quintò, quia ea sententia Auerrois sumpsit occasionem ex deprauatione sui contextus, vt alibi declaraui. Instabatur, quia Elementa inuicem agentia si fuerint æqualia producent mixtum æquale, si vnũ superat alterum, destruet illud, non autẽ miscebitur cum eo. Respondeo, vt miscibilia misceantur, debere æquari non absolutè, sed modo aliquo, adeò vt prius desinant posse inuicem agere, quàm vnum conuertere aliud in se, & illud destruere. Præterea, quãuis æquentur gradibus, non ob id æquantur actione. Insuper instabatur, quia non videntur Elementa posse mixtũ constituere, cum eo sint imperfectiora. Philoponus, in primo de Ortu & interitu, 18. inquit, formas Mixtorum ex sententia Medicorum esse effecta temperamẽtorum, re vera tamen ab vniuersali opificio extrinsecùs induci in materiam Temperamento paratam.

*Philopon.* — *Euersio.* At errat, Primò, quia Medici nõ dicunt formas mixtorũ esse effecta Temperamentorum, sed vel esse ipsamet Temperamenta, vt Hippocrates, & Galenus, vel consurgere ex Mixtione & temperamento, vt inquiunt alij, vel ab Intelligentia distributrice formarum infundi, vt existimauit Auicenna. Secundò errat, referens suam sententiam, quia formæ per naturam nõ valent infundi, sed educi: ea enim est creatio: hæc generatio. Tertiò, quia videtur innuere id fieri per seriem idearũ & rationum, ut elicitur ex com. 86. quas ideas frequenter reiecit Aristoteles. *Simplici.* Simplicius non longè ab eo recedens, putans Vniuersum & Elemẽta esse prædita anima, existimauit ex anima vniuersi prodire semina, eaq; tribui materiæ, quarum beneficio gignerentur mixta, insignibus uirtutibus prædita: at cum hoc dicat, ut seruat principia Academicorum, ita euertit ea Peripateticorũ. *Alexãder.* Alexander in secundo Nat. qq. cap. 3. inquit, mixta & præsertim viuentia gradũ præstantiæ recipere à Cœlo, utente natura Elementorũ tanquam materia, cuius sententia verior est, ex Cœlo. n. maior ea perfectio prodit, & præsertim quia (vt attinet ad Elemẽnta) id quod non valet efficere Elementum unum, efficit conspiratio multorum, vt ex varijs uocibus consurgit harmonia eis præstãtior.

6\. Afferebatur sexto loco ratiò ab Aristotele relata, nam Elementa, uel seruantur, uel pereunt. Dico nec omninò seruari, nec interire penitùs, sed fieri medium, & commune, ut patebit, quomodo autẽ pro Mixtione concurrat, uel descendat ignis iam patefeci.

7\. *Dubitatio* Sed pulchra emergit dubitatio, nam dictum est Elementa proximè per contrarias qualitates efficere mixta, quod uidetur dubium, quia materia & efficiens non ueniunt in idem: Elementa autem & qualitates in secundo de partibus Animalium capit. primo, dicuntur materia mixti. Confirmatur, quia instrumentum generationis non est pars rei genitæ: Qualitates autem Elementorum sunt pars temperamenti mixti. Augetur dubitatio, quia mixta cum non expetantur ab Elementis, etiam longè minus uidentur experi a causa communi, cum ea sit nobilior, & nobilius nõ operatur ob uilius, tanquam ob finem. *Solutio.* Respondeo, proximũ Fabrum mixtionis & generationis mixtorum esse calorem, præsertim a Cœlo productum, eleuantem uapores, purgantem, & formãtem, qui non est pars Temperamenti mixti, sed externus, præter

quem

quem tamen etiam Qualitates Elementorum inuicem agentes, & se mutuò contépe rantes mixtum constituunt, eiusque Temperamenti sunt partes. Et ad instantiā, quia materia & efficiens non veniunt in idem, & instrumentum non est pars rei, quæ producitur. Respondeo, materiam primam non efficere, at materias proximas per earū Qualitates posse efficere, & distincta ratione dici materias, & efficientes. Nā Qualitates Elementorū sunt materia, vt sunt partes Temperamenti, & tanquam dispositiones parant materiā pro forma mixti: sunt efficientia, quia sunt instrumenta proxima agentia & se contemperantia pro educenda forma mixti. Instrumenta Artificiosa & externa non sunt pars rei, quæ gignitur, at interna naturæ, quæ etiā sunt dispositiones materiæ seruari possunt in re genita, cuius tamē non sunt partes principales; agēs autem commune, & nobilius, quāuis non ex primo instituto, & principaliter, tamen secundario potest operari pro minus nobili & opem ferre Regiam, non seruilem.

## *Quid sit Mixtio.* *Cap. V.*

Apparuit Mixtionem esse, sequitur vt declaremus quid sit, id autem ex definitione refulget, pro cuius notitia considerandum tria posse definiri, Mixtionem vniuersè sumptam, Mixtionem ex quattuor Elementis, & Temperamentum. Mixtionem vniuersè sumptam definiuit Aristoteles in calce primi de Ortu & interitu, quòd sit miscibilium alteratorum vnitio. Quæ definitio dupliciter potest explicari. Primò, vt constet ex sola materia & forma, nā miscibilia alterata sunt materia proxima, vnitio verò forma. Secundò explicatur ab Alexandro, quem sequitur Philoponus, quòd constet ex materia, forma, & efficiente, nam afferunt quod sit vnitio miscibilium per alterationem, inquit enim Alexander in cap. de Mixtione, Mixtio est intercedente actione & passione corporum, iuxta se positorum, per transmutationem, citraque interitum vnitio; quæ est latior quædā explicatio definitionis ab Arist. traditæ includens tria genera causarum. Prima tamen explicatio magis videtur consona verbis Aristotelis quin aliud est dicere mixtionem fieri per alterationem, vt ait Alexander, & esse alteratorum vnitionē, vt ait Aristoteles; primum denotat efficiētem, alterum verò materiam proximā. Et supervacaneum puto addere citra interitum, quoniā quę penitùs abolentur, vniri non valent, non enim vnum redduntur, quæ non sunt. Aristoteles itaque solū explicare voluit quid sit Mixtio, quod fit per causas internas, nā causam efficientem prius declarauerat, dum dixerat, quæ miscentur debere esse contraria inuicē agentia, finis quis sit in præcedentibus patefeci, ex quibus si definitionem explicantē quid, & propter quid, elicere volumus, competentem omni Mixtioni, dicemus, Mixtio est miscibiliū alteratorum vnitio ex eorum mutua actione & passione cōsurgens, vt inde varia mixta prodeant, pro vniuersi perfectione. Hęc definitio vera est de omni Mixtione, siue Qualitatum, siue corporum: propriè tamen Mixtio corporū est, & pręsertim simpliciūm, ideò eam definientes dicere valemus, Mixtio est quattuor corporatorum Elementorum alteratorum vnitio, ex mutua eorū per primas Qualitates actione & passione consurgens, pro Mixtorū corporū constitutione, vt Vniuersum omni ex parte sit perfectū. Hæc definitio cum sit per omne genus causæ, explicat quid, & propter quid, & est vniuersa demonstratio sola partium positione differens, vt cōspicuū est. Tertiò definiri potest non Mixtio ad substantiam Elementorum pertinens, sed Tēperamentum consurgens ex qualitatibus. Hoc definitum fuit ab Auicenna in cap. de complexionibus dicente, Cōplexio est Qualitas ex mutua actione & passione cōtrariarum Qualitatum Elementis cōpetentium consurgens, quarum partes in eam paruitatem rediguntur, vt plurimū vnius, tangat plurimum alterius. Rectè nouit Auicēna Temperamentum non ad substantiam, vt putauit Galenus, sed ad Qualitatē pertinere,

*Definitio Mixtionis.*

*Definitio integra.*

*Mixtio elemētorū.*

*Quid Tēperamentum.*

tinere, vt etiam rectè nouit formas Elementorum non esse qualitates primas, ideò Temperamentum definiens pro genere sumpsit qualitatē. At id quod vltimò additur quorum partes &c. minùs rectè in definitione Temperamenti accipitur, nam per ea verba vel vult explicare Temperamentum, vel viam & modum quo fit; si Temperamentū, non rectè ait partem vnam Temperamentorū tangere alterum, quoniā Temperamentum est vnum per continuationem non per solum contactum; cum quauis pars mixti sit mixta & consimilis; si modum & viam explicat, magis errat, quia quāuis pro mixtione conducat, diuisio miscibilium in exiguas partes, tamen non semper est necesse vt in minima diuidantur, sed fortè ita loquutus est Auicenna: quia censuit Elementorum formas in mixto sinceras seruari. At eo prætermisso ex sententia Aristotelis Temperamentum, ita definiendum puto, Temperamentum est vnitio per remissionem quattuor primatum qualitatū, ex mutua earum actione prodiens, parans pro forma mixtorū, eique inseruiens. Quæ definitio, vt consideranti est notū, constat ex omni genere causæ, & ex se est conspicua, vt etiam satis est conspicua definitio mixtionis ex Elementis, præter id quod attinet ad genus, & dicitur vnitio, quæ est forma communis mixtionis. Nam quæ sit hæc vnitio, quomodo fiat, difficile est videre; & explicari non potest, nisi primò appareat, quomodo Elementa seruentur in mixto, & in hoc collocata est ferè vniuersa difficultas attinentium ad mixtionem; propterea accuratè id considerare & explicare tenemur.

## *Quomodo Elementa seruentur in Mixto, opinio prima. Cap. VI.*

*Empedocles.* Empedocles qui quattuor Elementa existimauit esse prima principia rerum, etiam existimauit eā inuicem permutari nō posse, sed ex eis cætera omnia fieri, & propterea generationem omnem esse mixtionem: Et cum Elementa, nec secundū qualitates, nec secundū substantiam permutari posse putauerit, coactus fuit dicere, ea in mixto omni ex parte seruari sincera, & mixtionē fieri per eorū in partes diuisionē, & iuxta positionē, vt refert Aristoteles in primo & secūdo libro de Ortu & interitu. Nec non Galenus in lib. de Humana Natura com. 2. *Stoici.* Stoici quoque cum Empedocle in parte consenserunt, illi n. & præsertim Chrysippus (referente Alexādro in c. de mixtione) tres putarunt dari mixtionis modos, quorū principalior esset, dū ignis & Aer rariora Elementa per reliqua duo densiora meatent & coextenderentur, ita tamen, vt vnà cū eis seruarentur illesa & sincera: quæ miscibilia dicebant eōi spiritu per omnia meante necti ac seruari. Hi consentiunt cū Empedocle, quatenus aiunt Elementa seruare sincera; dissentiunt aūt de duobus; primò, quia Empedocles Spiritum illum eōem non excogitauit; secundò quia Stoici Elementa coextendi putarūt, *Fernelius.* Empedocles non coextendi, sed per exiguas partes iuxtaponi. Fernelius Vir doctus lib. 3. Physiologię, cap. 3. eiusdem fuit opinionis, dixit enim in mixto substantiam & accidentia seruari sincera. Auicenna in primo suæ Sufficientiæ, c. 10. & modo aliquo in quinto Metaphysicæ, quē sequitur Magnus Albertus, eiusque sententias explicar, cum illis in parte consentit, putat enim substantias Elementorū seruari sinceras; differt, putans qualitates castigari & remitti, nam Auicenna qualitates à forma Elemētorum secreuit, quod non fecerunt Empedocles, & Stoici. Et quoniā Aristoteles di- *Auicēna.* xit in primo de Ortu & interitu, inquit ex sententia Auicennæ, quia potēria dupliciter vsurpatur, vel pro essentia quę potest, vel pro dispositione & affectione; id debere intelligi de essentia; insuper (vt inquiunt alij) dicuntur seruari potentia, quia nō libera & soluta, sed ligata & iuncta seruantur. In mixto Qualitates seruari sinceras, experientia

rientia & exemplis varijs nitebantur ostendere Stoici, nam Thus, Storax, Castoreũ, & similia, resoluta in vapores, illęsas seruant eorum facultates. Aurum tenuissimè extenditur sine lęsione suæ naturæ. Ignis sincerus per vniuersum ferrum meat. Medicamenta varia contemperantur sine vlla eorum læsione. Id ipsum patet de odorib. varijs per aerem effusis, de luminibus per vniuersum perspicuum extensis, & similibus. Seruari aũt sine læsione substantiam ostendebatur à Chrysippo, quia Elementa eliciuntur ex mixto illæsa. Insuper quia in mixto seruantur facultates Elementorũ validissimæ, facultas autẽ comitatur essentiam. Id ipsum ostendebatur ab Auic. quia substantia non recipit magis & minus, quare vel penitùs aboletur, vel integra seruatur, non primũ, quia esset interitus, & ortus; igitur alterũ est approbandũ. Aduersum opinionem Auicẽnæ disputat Auerroes in 3. de Cęlo 67. nam proculdubio ea opinio & præsertim illa Empedoclis & Stoicorũ, aduersatur materiæ, formæ, conditione mixtionis, rationi, & sensibus. Quod ostendo, nã primò absurdum est putare, seruari substantias & qualitates sinceras, id enim vel fieret cũ penetratione corporum, vel per solam iuxtapositionem minimarum partium; non primum; non enim eã datur vt in quarto Phys. ostenditur; si eligitur alterũ, tunc ea non erit verè mixtio, sed solùm cõpositio, erit mixtio secundũ sensum, non secundũ rationem, vt aduersus Democritũ, ex Empedoclem argumentatur Philos. & cõspicuè ab Auicenna indicatur iuxtapositio, cum in definitione complexionis dicat, plurimum vnius tangere plurimũ alterius, tunc.n. se maximè tangunt corpora, dũ per minima iuxta ponuntur. Præterea, per eã opinionẽ varia euertuntur, quæ recta ratione mixtioni competunt, & pręsertim quòd quæuis pars mixti sit mixta, & ex quauis exigua parte singula possint secerni. At soluunt nonnulli dicẽtes in mixtione iungi & cõfundi materias miscibiliũ, formas verò coextendi, & ita quãuis partem esse mixtã. Verùm qui hoc dicunt, primò aduersantur principijs Empedoclis, statuentis Elementa simplicia & nõ apta permutari. Secũdò labuntur in hoc absurdum, q formæ ex subiecto proprio in alienum transeant. Tertiò, quòd formæ eiusdẽ gradus inuicẽ oppositæ simul in eadem materiæ parte seruentur: quod si cõtingeret, tunc generatio vnius Elemẽti posset esse sine interitu alterius. Et forma mixti posset seruari cum sua opposita priuatione, quia cũ forma vna semper est iuncta priuatio formę oppositę, cum tamẽ Arist. in primo Phy. dicat, adueniente forma perire priuationẽ eius. Præterea, dũ loquimur de sensibilibus proprijs credendũ est sensui, qui in eorum iudicio non decipitur: Sensus hominis exactissimus est tactus, sensibilia propria eius sunt primæ qualitates, tactu aũt iudicamus eas in mixto non reperiri sinceras. At respondet Magnus Alb. tract. 6. c. 6. inquiens, Si quæris an tãta sit caliditas mixti, quanta simplicis corporis, dico de quãtitate essentiæ nil prohibere tantã esse, sed est effusa in variam materiam, ideò nõ est tanta in actione, cum sit remissa per contrariũ, verùm cum dicat esse ęqualem secundum essentiam, quia secundum essentiã nil recipit magis & minus, ad rem non facit; nos enim consideramus gradus existentię & indiuiduales, per quos formę in materia secundũ magis & minus recipiuntur, vt dicitur in 8. Metaphysicę, cont. 10. Pręterea, quæcunque vicissim agunt & patiuntur, manifestè se mutuò remittunt, & eorũ actio & passio est cum interitu, non autẽ esset cum interitu, si qualitates seruarentur illęsę & sincerę. Insuper, nisi remitterẽtur, ex eis non cõsurgeret noua forma vt ex remissione extremorũ colorum consurgunt medij; & nisi extremi remitterentur, nõ possent medij consurgere. Pręterea experientia constat, in vino vehementem & magnã flãmam statim extingui, quare non est putandum in eo exiguas & sinceras ignis partes seruari sinceras. Demùm si in mixtis sincera seruarentur Elemẽta, etiã sincerę seruarentur eorũ facultates; quæ tamen valdè refractæ & diminutæ seruari videntur. Quare putare Elementa seruari sincera, secundũ Essentiã, & Qualitates, est euertere materiam mixtorum, quæ non erit potestate, est euertere nouã formam mixti, quæ non valet consurgere nisi antecedentes remittantur; est euertere conditionẽ mixtionis

*Auerroes aduersus Auicennam.*

*Solutio.*

*Euersio.*

*Solutio.*

*Euersio.*

nis,quæ eſt vt miſcibilia non ſincera ſeruentur,eſt euertere prima fundamenta naturalis ſcientiæ,& ſenſibus aduerſari. Nec ſententia Auicennæ approbanda eſt,aſſerentis ſeruari ſubſtantias ſinceras, refrangi Qualitates, quia tunc inde conſurgeret ſolũ Temperamentum,non aũt forma mixti. Inſuper Ariſtoteles ait,non ſeruari nec alterum,nec ambo;dum abſolutè dicimus aliquid ſeruari,vel non ſeruari,id denotamus quod nomine & definitione explicatur,id aũt ſubſtantia eſt,non accidens. His accedit,quod ea erit compoſitio,non mixtio. Prætereà affectiones & opera ea ſunt, quæ nobis patefaciunt ſubſtantiam, nec eam ſecùs cognoſcere valemus; affectiones autẽ & opera ſenſib. iudicantur remiſſa. Inſuper Ariſtoteles inquit,in mixto ſeruari miſcibilia non actu,ſed poteſtate. Dicebat Auerroes ex ſententia Auicẽnæ Ariſtotelẽ denotaſſe eſſentiã Elementi,quę poteſt; At ea explicatio aduerſatur Ariſtoteli diuidenti eo loci ea quæ ſunt per actum & poteſtatem,& aſſerenti ſeruari poteſtate nõ actu, adeò vt potentiam accipiat tanquam contradiſtinctam ab actu;huiuſmodi autem nõ eſt potentia ſumpta pro eſſentia,quæ põt,ea enim eſt potentia agendi,quæ actus eſt. Inſuper errare videtur Auerroes minus rectè referendo ſententiam Auicennæ,nam *Contra Auerroem.* Auicenna dixit ſeruari poteſtate,quia ſeruantur ligata,nõ libera & ſoluta,vt rectiùs ait Albertus. Verùm ita ligata non mixta, ſed compoſita & iuxtapoſita iudicari debent. Inſuper etiã ex ſententia Anaxagoræ,Democriti,& Empedoclis miſcibilia ſeruabantur ligata,& ſeruabatur potẽtia ſumpta pro facultate & eſſentia,quæ põt: tamen ab Ariſtotele reijcitur dicente eam non eſſe mixtionẽ, quia ſecundum eſſentiã integra & ſincera ſeruari putabant. Prætereà,natura nil facit inane, & formã in vniuerſa aliqua ſpecie non derelinquit ſine inſtrumentis ſuis proprijs: inſtrumẽta miſcibilium ſunt quattuor primæ Qualitates; quare nõ eſt putandum in genere mixtorũ ſeruari formas ſinceras,& Qualitates,quæ ſunt inſtrumenta caſtigandi & remittẽdi. Hinc Ariſtoteles in ſecundo de Gen. Anim. c. 3. ait facultatis & inſtrumentorũ eius, *Diluũtur rõnes aduerſa.* eandem eſſe rationẽ. Rationes aduerſæ facilè diluuntur;vtebatur Stoici exẽplo Thuris & ſimilium: Dico non miſceri eos odores cũ ſuo contrario,ſed per aliquod tẽpus ſeruari ſpiritus Thuris,in quibus inſunt odores, & per quorum euaporationẽ ſenſum mouent;at dum miſcentur cum contrarijs,remittuntur,& ſenſim pereunt. Quod aurum poſſit reddi ob ſui puritatem tenuiſſimũ,verum eſt;at non ob id ſine remiſſione poteſt cum contrario aliquo miſceri, & ſincerum cum eo ſeruari. Inſtantia de Ferro candenti eſt maioris roboris,in eo enim & calor ignis,& Temperamentum Ferri,& ſubſtantia vtriuſq; ſine lęſione ſeruari videtur. At dico non meare ſubſtantiam ignis per eam ferri,ſed in Ferri meatibus recipi ſpiritus igneos,qui prius erant pleni aere, in ferro aũt ſolum recipi Qualitatem igneã,per quam ferrum diſponitur ad formam ignis,vt etiã ſe habet de aqua feruente: Temperamentum ferri alteratur,non ita tamen,vt nil proprij frigoris in eo ſeruetur,quod ſi maximè calefacit,& paleas incẽdit id facit per ſpiritus igneos in eo receptos & per ſui denſitatem. Venena meare videntur per viuentium corpora ob acumen facultatis eorum,& ob tenuitatem ſpirituum ex eis prodeuntium;nec miſcentur cum corporibus,ſed meant per poros, & ſpiritus inficiunt,& dum miſcentur cũ aliquo contrario, vt cum antidotis, conſpicuè remittuntur. Lumen per aerem ſpiritaliter effunditur,non autẽ miſcetur,nec cum perſpicuo,nec Lumen cum Lumine,quia contraria nõ ſunt,& ob id non remittitur. Medicamenta tranſeunt per meatus varios ob tenues eorum partes,& ſeruant vires ſinceras quouſq; cum contrario non miſcentur; at dum miſcentur cum moderantibus,& cũ oppoſitis,remittuntur,& vires amittunt. Ratio Chryſippi, quia Elemẽta educuntur ex mixto,ſoluitur: quia educuntur recuperando gradus,quos per remiſſionẽ perdiderant. Similiter ſi aqua educitur ex vino,cũ quo erat mixta,vel linteo aqua madefacto,vel lino Menthę ſucco inſperſo, vel vt inquit Alexander ſpongia in eo diluto vino merſa,vel alio inſtrumento,dicendum id accidere,quia aqua nõ verè eſt mixta, cum vino,adeò vt noua forma prodierit,ſed eſt confuſa,veluti vrget ſub eſſe de apparente

parente mixtione multorum simplicium medicamentorum. Quòd autem Elementorum formæ valeant refrangi & remitti iam, cumulatè suo loco ostensum est.

## *Opinio secunda quomodo Elementa seruentur in mixto, eiusdemque euersio. Cap. VII.*

OPinio altera aduersa primæ est D.Tho. Ægidij, Gregorij Arim. Scoti in secundo Sent.d.15. Conciliatoris differentia 16. Marsi. Inguē. Lud. Boccas. & plurimorum virorum, sapientia illustrium. Hi de hoc consentiunt formas Elementorū in mixti constitutione penitùs aboleri, & nouam mixti formam, è materia educi. Dissentiunt tamen, quoniam D.Thom. putat etiam Elementorum Qualitates omninò perire, nouasque gigni. Aliorum multi aiunt eas non perire penitùs, sed remitti & in parte seruari. Fundamenta huius opinionis varia sunt, veluti ex sententia D.Tho. quia formæ Substantiæ non remittuntur, & in eodem vnica est forma, non multæ; ideò superueniente forma mixti, cæteræ penitùs abolentur. Ex sententia Scoti, quia terminus à quo perit, & non seruatur cum termino ad quem, mixtione autem formæ Elementorum sunt terminus a quo, forma mixti ad quem, quare hac superueniente, illæ necessariò abolentur. Insuper in eodem nequeunt reperiri & seruari varia supposita substantiæ; & variæ quantitates, quæ tamen reperirentur si in eodem variæ formæ Elementorū seruarentur, nam quæuis forma cōstituit compositū substantiæ, & dant ei ut sit corpus. Addunt rationes alias, quarum potiores in progressu patebunt. Inquient hi, in mixto seruari Elemēta potestate, quia seruantur in forma mixti eminentiore, & seruari eorum uirtutem, ut seruatur facultas Animæ nutrientis in sentiente, vel saltem in Qualitate consimili, vt ait D.Th. vel eadem remissa vt inquiunt alij, & addunt mixtum dici medium, non per compositionem extremorum in eo, sed per consimilitudinem cum vtrisque. Hæc opinio approbanda nō videtur, nemo enim veterum existimauit miscibilia per mixtionem penitùs aboleri, nam dicere esse mixta, & esse destructa, est pugnantia dicere, id enim quod non est, non potest esse mixtū. Insuper ea sententia aduersatur naturæ & conditioni Elementi: conditio Elementi est, vt seruetur, vt sit pars rei, vt intrinsecùs eam constituat, quemadmodū per Definitionem explicatur, nam Aristot. in 5. Metaph.cont.4. Elementum definiens, inquit, esse id, ex quo cōponitur primo inexistente indiuisibili specie, in aliam speciē; conditio itaque Elementi est, ut inexistat, & ex eo aliud cōponatur. Nec satisfacit euasio Scoti, dicētis Aristotelē tunc definire Elementū sumptum pro materia, non pro simplici corpore, iam.n. in li. 1. de Elementis patefeci definitionem illam esse cōmunem omnib. quib. cōpetit, ut sint Elementa. Præterea in 3. de Cęlo, 31. inquit Philosophus, Elementū est id corporū, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia uel actu, &c. Non dicerentur mixta resolui in Elemēta, si penitùs perijssent, sed solū denuò ex mixto Elementa gigni. Clarius idipsum elicitur ex eodē tertio de Cęlo, 31. & 32: cum Philosophus asserat in ligno, carne, & similib. mixtis, inesse potestate Ignē, & Terrā; quia ex illis secernuntur, in Igne aūt, carnē aut lignū non inesse, nec potestate, nec actu, secernerentur nāq; &c. Cōspicuè Philosophus asserit conditionē Elementi esse, vt inexistat. Ideò Simplicius eo loci inquit, oēs.n. Elementū dicebant, in quod inexistens diuidūtur corpora. Præterea, qui ita sentiūt, euertunt conditionē Materiæ, quæ est, vt maneat, & sit pars; nam definitur in 1. & 2. Physic. 9 sit id, ex quo fit aliquid inexistente. Elementa autē sunt materia proxima mixti, & numerantur in 2. Physic. 31. inter ea, quib. competit materiæ Definitio. Præterea euertunt cōditionē mixtionis & miscibilium, inquit.n. Philosophus in 1. de Ortu & inter. necnō in secundo, miscibile nō penitùs aboleri, at dū forma perit, totū perit, forma.n. est totū id quod res est, ut dicitur in secūdo Phys. 11. & alibi. Similiter

*D.Thom.* *Ægidius.*

*Fundamenta.*

*Euersio.*

*Simplicius.*

miſcibile debet eſſe aptum ex quauis parte mixti ſecerni, ut dicitur in ſecundo de Ortu & interitu, id autem quod non eſt, ſecerni non poteſt. Similiter euertunt definitionem Mixtionis, quæ eſt, vt ſit alteratorum vnitio, non corruptorum, ideò dicebat Alexander, citra interitum vnitio. Similiter, non ſeruant mixtionem ab ortu & interitu diſtinctam; verè enim erit interitus Elemētorum, ortus autem mixti. Præthereà, euertunt verba Philoſophi in ſecūdo de Ortu, 48. dicentis, ea quæ miſcentur deſtruere ſibi mutuò excellentias, & ſeruari non materiam ſolam, neque alterum contrariorum, ſed fieri medium, vt ex horum ſententia non ſolæ excellentiæ caſtigantur, ſed abolentur penitùs, & ſola materia remanet. Inſuper, in eodem contextu addit Philoſophus, & primò quidem, Elementa ita tranſmutantur, ex his autem carnes, & oſſa, & ſimilia fiunt, calido facto frigido, frigido autem calido, cum ad medium venerint, quod neutrum eſt, mediū autem eſt multiplex, & non indiuiſibile, &c. conſtanter Philoſophus affirmat miſcibilia refrangi & ſeruari caſtigata, non autem interire: hinc in 2. de Anima, 52. dubitat, cur Senſus non ſentiunt Elementa, ex quib. eorum inſtrumenta conſtant; Et in ſecundo de Cœlo, 22. necnon in tertiò de Cœlo, 68. inquit, Elementa carere propria figura, alioquin non poſſent mixta ex eis fieri, cum in mixtis figuras varias ſuſcipere debeant; Et in primo de Generat. Animalium, c. 18. inquit, ſemen non decidere ex omnibus corporis partibus, alioquin decideret ex Elementis, quæ omnia conſpicuè ſupponunt Elementa ſeruari in mixto. Neque dicendū eſt, perire formas Elementorum, ſeruari autem Qualitates remiſſas ut nonnulli aiūt, quia mixtio ad Subſtantiam propriè pertinet, non ad Qualitates, niſi ſecundariò: ideò Ariſt. loquens de miſcibilibus, præſertim Subſtantiam conſiderauit. Præthereà, Ariſt. formas Elementorum per Qualitates circumſcribit, quare id quod profert de Qualitatibus, etiam de formis debet intelligi, & præſertim, quia propriarum affectionum, & formæ eadem ratio eſt: hoc patefecit Philoſophus in ſecundo de Ortu & interitu, 48. dum Qualitates ad medium redactas, dixit conſtituere carnes, & alia mixta. Et in 3. de Anima, cont. 10. inquiens, Senſitiuo igitur calidum & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam eſt caro, nam caro eſt ratio primarum Qualitatum per circumſcriptionem formarum Elementorum. Confirmatur idipſum per Ariſtotelem in ſecundo de Anima 113. dicentem, humidum non reperiri in mixtis ſine Aqua. Prætereà, ſi ſolæ ſeruarentur Qualitates refractæ, non formæ, tunc mixtio eſſet vnitio, & medium non formatum Subſtantiæ, ſed Accidentium, cum tamen id mediū non mixtum, ſed Temperamentū ſit. Confirmatur, quia dum inferior forma ſeruatur facultate in eminentiore, ut nutriens in ſentiente, ea nequaquam dicitur mixtio, quare ut ſit mixtio formæ Elementorum ſecùs ſeruari debent. Et confirmatur, quia inferior non ſeruatur in ſuperiori cum remiſſione & mediocritate; Elementa autem cum remiſſione ſeruantur, & medium cōſtituunt. Rationes aduerſæ in progreſſu diluentur.

*Mixtio ad Subſtantiā pertinet. Non ſeruari Qualitates ſolas.*

## *Opinio tertia de modo, quo Elementa ſeruantur in Mixto. Cap. VIII.*

*Opinio 3.*

CVm opiniones extremæ ſatis dubiæ apparuerint, proptereà adeſt opinio media Auerrois, & multorum qui eum ſequuntur. Hi dicunt in mixto ſeruari formas Elementorum aduerſus D. Tho. & Scotum: addunt ſeruari refractas contra Auic. Empedoclem, & Stoicos: inſuper inquiunt, hoc eſſe uerum, cùm de formis, tùm de Qualitatibus Elementorum aduerſus eos, qui id concedunt de Qualitatibus, negant de formis. Sententiam ſuam præſertim eliciunt ex Ariſtotele ſæpè repetente Elementa non aboleri penitùs, nec ſeruari ſincera, ſed interire excellentias, & fieri medium commune; Et cum de hoc conſentiant, diſſentiunt mox de modo, quo formæ Elementorum re-

*De quo diſſentiāt.*

fractæ

fractæ seruentur in mixto. Nonnulli enim, vt Alexander Achillinus, in secundo de Elementis, articulo tertio, & cum eo alij, inquiunt, Elementa primò diuidi in partes minimas, eas partes iuxtà se poni, earum Qualitates & formas refrangi, & inde cōsurgere Temperamentum, & formam mixti; adeò vt forma mixti effundatur per omnes particulas, & in qualibet reperiatur vna cū forma Elementi cuius est portio, & cū sit forma superueniens prohibet particulam illam nominari per formā Elementi. Hanc opinionem alienissimam à vero existimo, ita enim mixtio esset minimarum partium iuxtapositio, reiecta ab Aristotele in primo de Ortu & interitu, necnon in secundo, & in libro de Sensu & Sensili, & erit mixtio secundum Sensum, non secundum Rationem, & absolutè. Præterea, inquit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, 47. aduersus Empedoclem, Contingit itaque non ex quauis parte carnis elici ignem, & aquam, cum tamen debeat ex qualibet parte posse elici. Hæc instantia consimilem habet vim aduersus hos, quoniam aiunt ex minimo Aquæ non posse elici Terrā, neque ècontratio. Præterea, cum formæ earum partium sint remissæ, & remissio fiat per oppositū, necesse est, vt in eis inueniantur formæ remittentes, non igitur seruabitur forma vnius particulæ remissa, seorsum ab alijs. Præterea, forma semper respondet materiæ, quare si in vniuersa materia reperitur forma consimilis mixti, vt carnis, auri, & similiū, oportet vt etiā materia sit consimilis; non autē talis esset, si una exigua portio esset Terra, alia Aqua, & sic de cæteris; & præsertim, quia forma omninò consimilis, non valet educi nisi ex materia omninò consimili. Insuper, hi conspicuè aduersantur Auerroi, quem nituntur sequi: nam Auerroes tertio Cęli, sexagesimoseptimo vult consimilem esse rationem Qualitatum & formarum substantię; Cum itaque in illis exiguis partibus inueniuntur Qualitates remissæ cum suis oppositis, etiam est necesse, vt in eis consimiliter inueniantur formæ Elementorum. Præterea, Auerroes in eodē com. disputans aduersus Auicennam, inquit accideret ei, ut quælibet portio vnius Elementi esset distincta à portione alterius; at hoc ipsum accidit his, qui sunt huius opinionis. Demū, sequentur hæc absurda: primò, nulla particula mixti erit mixta, cum non constet ex omnibus Elementis; secundò, in mixto quantum esset vnius Elementi, tantum èsset alterius, quoniā minima Elementorum sunt æqualia. Propterea Pōponatius, Suessanus, & alij nonnulli probabiliùs inquiūt pro mixtione necessariā esse iuxtapositionem partium Elementorum, mutuam actionem & passionem, quam mox sequitur coextensio formarum cum remissione, adeò ut in quouis minimo insint omnes quattuor formæ Elementorū, vt etiam cum remissione insunt quattuor Qualitates, quib. quattuor formis nōnulli aiunt superuenire quantam, nempe formā mixti. Alij id negantes, inquiunt mixtum esse has quattuor formas contēperatas definitaque proportione ligatas, nō secùs, ac harmonia sit mutua ratio, congruensque proportio variarum vocū, vt existimauit Aureolus: quā sententiam Greg. Arim. 2. Sent. Dist. 15. ait fuisse celebrē. Neque etiam desunt, qui dicunt formam mixti esse formā Elementi dominantis, & ob id mixtum moueri per Elementū dominans, & hoc existimauit Cardanus. Hæ opiniones apprimè sunt dubiæ, & cum uero pugnare uidentur. Nam primò, dicere formam mixti esse formam Elementi dominantis, omninò est absurdum. Primò quia nulla forma remissa est absolutè forma alcuius speciei, alioquin ea species ex sui conditione non esset aliquid perfectum, sed refractum. Secundò, quia sic mixtum esset imperfectius Elemento simplici & intenso, nam forma remissa est imperfectior, quàm sincera. Tertiò, tunc mixtum non differret specie ab Elemento dominante, remissio enim non constituit uarietatē speciei. Similiter, mixtum vnum non differret specie ab alio, in quo Elementum dominaretur. Neque etiam dicere valemus formam mixti esse congruentem proportionem quattuor formarum Elementorum. Nam ea proportio uel sumitur secundum formam, & ita est accidens, est enim quædam consonantia earum. Vel sumitur pro fudamento, nempè pro formis Elementorū proportione præditis, & ita non erit forma una, & vna simplex

*Achillin'* *Euersio.* *Pomponatius.* *Suessanus.* *Aureolus* *Cardanus.* *Euersiões*

plex essentia, cum illæ formæ sint multæ. Prætereà, si aderit ea multitudo formarum Elementorum, quæro, quid detinebit eas, ne secernantur, ne vicissim continenter agant, & pugnent: ita argumentatur Aristoteles in secundo, de Anima, 39. aduersus Empedoclem, inquiens, quid est quod continet, quæ in contraria feruntur Ignem & Terram? distrahentur enim nisi adsit aliquid prohibens, &c. nam quousque formæ seruantur distincta, etiam seruantur facultates & propensiones earum, Prætereà, in omnibus inspicere licet, quòd dum formæ remittuntur, non ob aliud remittuntur, nisi vt ex eis noua forma consurgat, vt patet de albo & nigro, dulci & amaro, & reliquis, & ea forma consurgens, simplex quædam essentia est, non autem proportio extremarum. Quod confirmo, quia si manerent quattuor formæ Elementorum, & noua non consurgeret, quæro, Mixtum per quid in specie constituetur? non per formā consurgentem, quia eam non concedunt; non per formam Elementi dominantis, vt iam patefeci, & præterea quia tunc ferè omnia Mixta essent eiusdem speciei, cū in plurimis dominetur Terra; non per omnes simul, quia plures formæ conspirantes nō constituunt speciem vnam, non enim ex varijs specieb. conficitur vna species: non per proportionem, quia est accidens. Præterea, si seruantur in Mixto quattuor formæ Elementorum, & noua ex eis non consurgit, necessariò tribuēt esse remissum, omnis enim forma, vt est forma, ita dat esse, nisi vlterior forma superueniat, quare Mixtum erit quater substantia, quater corpus. Neque demùm putare valemus in quouis Mixto quinque reperiri formas, quattuor Elementorum & quintam Mixti, quia Mixtū semper erit coaceruatio, & confusio, quousque formæ Elementorum seruabuntur distinctæ, & semper inuicem pugnabunt, donec distinctæ seruabuntur, vt enim seruantur formæ, ita seruantur facultates, & propensiones. Præterea, Mixti forma superueniens cum sit Natura, debet esse principium alicuius motus, quæro, vel est principiū eius motus cuius est principium Elementum dominans, vel distincti; non distincti, quia Mixta inanima vno mouentur motu; vel eiusdem, & ita in Mixto vnius motus, duo erunt principia efficientia, quod est absurdum, & præsertim, quia Aristoteles solùm inquit Mixta moueri per Elementum dominans. Insuper, si Mixtum inanimum præditum esset duplici gradu formarum, verè posset diuidi in motorem & mobile, & poterit ex se moueri, quia forma Mixti erit principium agens congregatum ex alijs, erit patiens & resistens, quod tamen verum non est, cum de motu eorum non secus se habeat, ac de motu Elementorum, solùm enim mouentur vt grauia & leuia.

*In mixto nō esse formas quinque.*

## *De modo, quo Elementa seruantur in Mixto, Opinio propria: Cap. IX.*

Dubiæ satis apparuerunt relatæ opiniones, propterea illis prætermissis, rationem, & Aristotelem sequens, pro lucida resolutione difficultatis, duas profero Conclusiones. Prima est, in quouis Mixto inanimo, quod est confirmatum partium, vnica forma reperitur constituens illud in specie. De hoc consentio cum Diuo Thoma, & Scoto; dissentio ab alijs. Altera est, ea forma consurgit ex formis Elementorum remissis, non tamquam ex terminis à quo, sed tamquam ex partibus, non secus ac colores medij & sapores consurgunt ex extremis, adeò vt forma consurgens sit essentia vna, & simplex, veluti est forma omnis, ita tamen, vt qui fuerunt gradus formarum Elementorum, euadant gradus formæ Mixti, & hoc pacto Mixtum & medium fient ex extremis, non tanquam ex terminis à quo tantùm, sed modo aliquo tanquam ex partib. & de hoc dissentio a Scoto, & per hoc seruo Elementa magis in Mixto seruari ac faciē illi. Vt autē hæc resolutio appareat clarior, præaccipio id, quod iam patefeci, formas Elemen-

*1. Cōclus.*

*Altera.*

*Primum quod accipitur.*

Elementorum intendi & remitti. Accipio secundò, ob id Dei prouidentia paratam esse intensionem & remissionem formarum, vt ex eis remissis, noue formæ consurgerent, quam si formæ mediæ ex extremis solùm consurgerent, tanquam ex terminis, & non tanquam ex partibus, non fuisset necessarium formas extremas remitti. Ex quo colligo, ex Elementorum formis formã mixti consurgere. Addo insuper, formam illam consurgentem absolutè esse vnam, & simplicem essentiam, facultate verò & participatione tot esse, quot sunt illæ, ex quibus consurgit, secundum magis & minus, ut magis vel minus remissæ sunt: sic rectè Auerroes tertio Cœli 67. affirmat, vt ex coloribus extremis consurgunt medij, ita ex Elementis consurgere mixta, & eorum formas; hoc ordine Natura sequatur fœcundior, & antecedentes formæ sunt tanquam inchoatio, & semen sequentium. Forma mixti consurgens, absolutè dicitur vna, quia vnius vna est forma per quam est, & in specie constituitur; facultate tamen & participatione dicitur totuplex, quot sunt formæ ex quibus consurgit; nam cum fiat ex eis, & ita fiat, vt gradus formarum Elementorum euadant gradus formę mixti, iure etiam seruant facultates earum, & illæ omnes participationem sic seruatur sententia Aristoteles in primo Physicorum, dum extrema fiunt ex medijs, fieri ex contrario quatenus in medio cum remissione & per participationem insunt contraria. Hoc confirmatur, quia natura superuacaneis non abundat, & cum illi gradus formarum remissarum non aduersentur nouæ formæ, una cum ea seruantur complentes essentiam eius. Sic etiam in intensione formarum, dũ aduenit vlterior gradus, antecedens non perit, sed in subsequente tanquam præstantiore & latiore seruatur. Hæc forma mixti sine controuersia dici potest forma una, quia absolutè est una essentia consimilis, forma quanta, vt ex quattuor Antecedentibus cõsurgit, forma quadruplex, vt includeos gradus & vires quattuor formarum. Ita seruatur sententia Auerrois in primo de Cœlo com. octauo, dicentis, in mixto plura esse principia motus, quam sunt plura per participationem, redacta tamen in unum. Similiter rectè seruantur omnia, quę ab Aristotele de mixtione dicta leguntur, & præsertim quomodo miscibilia non penitùs pereant, sed fiat medium. Elucescit etiam quomodo mixta moueantur per Elementum dominans, nam mouentur per formã mixti, quatenus vnius vel alterius Elementi maiorem portionem includit, vt colores medij uel magis, vel minus congregãt, uel disgregant visum, quatenus vel vnius, vel alterius extremi maiorem portionem includunt. Insuper explicat Definitio mixtionis, quod sit alteratorum unitio, dicitur alteratorum, tum quia fit per actionem primarum Qualitatum, & alteratio uia est, tũ insuper quia mutatio in eadem specie per magis & minus dicitur alteratio, ut asseritur in quinto Physicorum decimonono. Additur, quod sit unitio: quia ex remissione una forma consurgit, & est unitio Qualitatũ in Temperamento, ut parantium, formarum vero in forma mixti, ut perficientium. Insuper seruatur id quod dicitur in primo de Ortu & interitu 84. miscibilia seruari potestate, non actu; pro cuius notitia considerandum, formam aliquã reperiri in alio potestate, sex modis posse intelligi; Primò, quia sint iunctæ & ligatæ, non liberæ, vt dicebat Auicenna, & hoc iam reiectũ est. Secundò, vt sint potestate ad actum primum, ueluti formę generãdæ dicuntur includi in materia potestate, qui modus etiã non competit formis Elementorum, alioquin solùm in mixto seruaretur materia, & miscibile periret, quod reijcit Aristoteles. Tertiò, ut sit potestate ad actũ secundum, ueluti habitus Geometrę dormientis, & obid non speculantis, qui modus etiam non est approbandus, quoniam formæ inanimorum semper pro facultate operantur. Quartò, ut facultas eius includatur in forma eminentiore, ut facultas Animę nutrientis in sentientem, qui modus etiam mixtioni non congruit, quoniam ea est facultas non remissa, sed eminentior, nec est opposita actui, sed est actus eminentior, non prodiens ex mixtione. Quintò, forma potest dici potestate, quia refracta est, vt inquit Philoponus, sed hoc quoque non est satis: nam forma refracta, antequam noua forma consurgat, semper dicitur actu esse in aliquo,

*Alterum.*

*Primum quod colligitur.*

*Alterum.*

*Forma mixti & una & multiplex.*

*Definitio mixtionis.*

*Quo formę Elemẽtorum seruentur potestate.*

& ſubiectum denominatur per eam, ſecundum magis & minus, non ſic ſe habet de mixto, non enim caro dicitur terra. Ideò addamus modum ſextum, & dicamus formas Elementorum eſſe in mixto, & ſeruari potentia, non actu, quia præter id quod remittuntur, noua forma conſurgit, in qua, poteſtate dicuntur includi, quatenus redduntur pars, & gradus quidam illius, nec amplius dant eſſe proprium. Hæc eſt potentia ad actum primum integrum, ad actum ſecundum perfectum, ad eſſe abſolutum & liberum, non ſolùm tanquam partem alterius. *Confirmatio.* Confirmantur hæc omnia per Ariſtotelem in primo de Ortu & interitu, octuageſimoquarto, dicentem, miſcibilia in mixto modo aliquo ſeruari, alio non, actu quidem altero exiſtente quod factum eſt ex ipſis, poteſtate autem aliquid vtriuſque, &c. Cum dixit aliquid vtriuſque, cõſpicuè indicat, formas miſcibilium refractas ſeruari tanquam gradus & modos formæ mixti; *Alexander.* Hæc ut puto fuit ſententia Græcorum interpretum. Nam Alexander in capitulo de mixtione inquit, Temperamentum ab Ortu & interitu, ſeiungitur quod in his tantum alterum in alterum tranſeat, in Temperamento verò plura corpora viciſſim agentia in idem coeant, donec abiecta contrarietatum excellentia, ob quas diuerſa erant, & contraria unicam ex omnibus illis poteſtatibus Qualitatem effecerint, vnita ſimul eorum materia, & fit vnum quoddam corpus, & quatenus ad Subiectum, & quatenus ad Qualitatem attinet, (inſuper addit) ſecerni Elementa ex mixto adiectione aliqua ad perfectionem, non generatione penitùs, ideò ſi ea quæ ad huiuſmodi perfectionem conducere poſſunt, illis adhibeantur, facilè in ſuam naturam recurrunt, non tamen ut eadem ſit Aqua, aut idem vinum quod prius erat, id quod denuò ſecernitur, neque enim prius in mixtione ſecernebantur, alioquin iuxta poſitio, non Temperamentum fuiſſet, &c. maniſeſtiſſimè Alexander in mixto unicam conſtituit formam conſurgentem ex formis refractis miſcibilium, & ſeparationem fieri reſtituendo eis id, quod per remiſſionem fuerat ademptum, & quia quod ſuperadditur non eſt idem numero cum adempto, ideò quod ſeparatur, non dicitur numero idem cum præcedente, quamuis ſeruetur idem gradus, qui præfuerat in mixto, & præſertim quia ſeruatur non amplius, vt gradus formæ mixti, ſed ut gradus formæ Elementi. *Simplici⁹.* Simplicius quoque manifeſtè affirmat Elementa in mixto caſtigata ſeruari, & ex formis Elementorum mixti formam conſurgere, ideò in tertio, de Cœlo, contexttrigeſimo, & trigeſimoprimo, ait, Elementa ſeruari remiſſa, idque confirmat per Definitionem Elementi ab Ariſtotele traditam, & auctoritate Theophraſti dicentis, ex oculis nõnunquam flammas ſecerni, nec non Negotij Alexandrini Medici, id ipſum aſſerentis. Cum autem Simplicius dicat Elementa in mixto ſeruari, ex fundamentis eius elicimus ex ſeruatis formis conſurgere formam mixti, vt etiam in ſecundo Phyſicorum ait, ex caliditate, ſiccitate, & leuitate tanquam ex differentijs conſurgere formam Ignis, ideò in tertiò de Anima vigeſimoſexto, ait colores medios, quamuis ſimplices, conſtare tamen ex extremis, ob communicationem & participationem eorum. *Plato.* Plato in Timæo eiuſdem uiſus eſt fuiſſe ſententiæ, ideò de mixtione loquens ait, non deſinunt Elementa agitata diſſolui priuſquàm aut omninò cum diſſolubilia ſint depulſa, ad cognatum refugiant, aut expugnata in vnum quiddam ex multis ſuperanti ſimile tandem euadant, familiariterque cum victore permaneant. & in Conuiuio in Oratione Eryximachi, inquit, in harmonia non amplius contrariari graue cum acuto, nec in Temperamento Qualitates. *Conclusio.* Colligamus itaque in mixto formas & Qualitates mutuò ſe refrangere, coextendi, & ex eis vnam conſurgere formam, adeò ut qui fuerunt gradus formarum Elementorum, euaſerint gradus formæ Mixti.

## *Proponuntur dubia varia ad Mixtionem pertinentia.*

### *Cap. X.*

CVm modum patefecerim, quo puto ex sententia Arist. Elementa seruari in Mixto, superest, vt pro clariore veritatis elucidatione dubia varia diluam, quæ explicatæ sententiæ aduersari videntur. Primò diluendæ occurrunt rationes pro opinione Scoti, & D.T. relatæ. Nam dicebatur pro D.T. formas Substantiæ non recipere magis & minus, & nil eorum quæ præfuerunt in re corrupta posse in re denuò genita seruari præter materiam: quæ assumpta non esse approbanda iam cumulatè suo loco patefeci. Dicebatur pro Scoto, Elementorum formas esse terminum à quo Mixtionis, qui nō seruatur cum termino ad quem. Respondeo, eas nō seruari eo modo, quo sunt termini a quo, nam sunt termini a quo, dum considerantur ut sinceræ, & superstites gradus considerantur ut gradus formarum Elementorum, non autem formæ Mixtorum, quo pacto minimè seruantur, sed solùm seruantur ut remissæ, & ut gradus formæ Mixti cōsurgentis. Addebatur, quòd ita Mixtum esset quattuor supposita, & quater corpus. Hęc ratio vim non habet aduersus opinionem meam, sed aduersus eam Auicennæ, cum enim ex quattuor formis vnica forma consurgat, nil absurdi sequitur, & præsertim, quia sola forma Mixti dicitur dare esse, non autem gradus formarum Elementorum, qui non seruantur ut gradus eorum. Sed aliæ adhuc se offerunt ambiguitates obscuriores, quarum una est, quia non apparet, quomodo per ea quæ dixi, seruetur sententia Arist. in secundo de partibus Animalium, cap. primo dicentis, Cum itaque triplex sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordijs conficitur ijs, quæ Elementa appellantur, Terram dico, Aquam, Aerem, & Ignem: sed melius fortasse dici potest, ex uirtutibus confici Elementorum, ijsque non omnibus, sed vt antea expositum est: humiditas enim, siccitas, frigiditas, & caliditas, materia sunt compositorum, cæterę autem differentiæ eas sequuntur, &c. His verbis indicat Philosophus, non verè misceri, & seruari formas, sed Qualitates tantum, ideò ex eis deprompsit Galenus id, quod Aristoteli tribuit in primo de Natura Humana, in expositione secundæ particulæ, inquiens, Quidā solas primas Qualitates per se totas inuicē temperari affirmant, vt Peripatetici, alij & substātias, ut Stoici. Huic difficultati respōdens dico, ob quinque causas pręsertim Arist. ita fuisse loquutum, & Mixtionem qualitatibus tribuisse. Prima est, quia cōsiderauit virtutes Elementorum, ut contradistinctas à Subiecto, & materia, nam uirtutes miscentur & coextenduntur, materia cū sit consimilis solùm per partes iuxtaponitur. Altera est, quia Elementa redduntur miscibilia proximè per quattuor primas Qualitates, inuicem agentes. Tertia, quia proxima materia formæ Mixti est Temperamentum consurgens ex quattuor Qualitatibus. Quarta quia Arist. per Qualitates circumscribit formas Elementorum, & Qualitates primas considerat ut cōtradistinctas à sequētibus, nempè a grauitate, leuitate, dēsitate, raritate, perspicuitate, & opacitate, ex quibus non propriè fit mixtio, & hoc Arist. indicauit inquiens, cæteræ autē differentiæ eas sequuntur, & hæc est ratio potissima. Quinta ratio est, quia quattuor primæ Qualitates, cum sint in mixto, etiam seruant nomen proprium, non autem formæ Elemētorum. Ex his colligo primò minus rectè Galenum ex illis uerbis sumpsisse ex sententia Arist. solas Qualitates misceri, non substantias, nam ea uerba protulit ob relatas causas; In secundo autem de Ortu & Interitu conspicuè manifestat Substātias Elemētorum misceri, & consurgere Substantiam mediā, immò potius id elicitur ex principijs Galeni, putantis eas Qualitates esse formas Elementorum, & Temperamentum formam Mixti. Colligo secundò, minus rectè putasse Stoicos misceri Qualitates, & Substantias, quia ex eorū sententia, vt substātia erat sola materia & corpus, corpora autem ut corpora, & portiones materiæ cum dimensionibus misceri non possunt, sed

*Diluūtur rationes p D.T. relatæ.*

*Dubitat. 1.*

*Galenus.*

*Solutio.*

*Quid primo colligatur.*

*Quid secundo colligatur.*

componi tantum, necti, & iuxtaponi, portiones enim materiæ non sunt contrariæ: mixtio consideratur inter contraria inuicem agentia & patientia, miscentur itaque ex sententia Aristotelis Elementa per formas & Qualitates primas, adeò vt ob re- *Conclusio.* missionem quæ fit per contrarium, formæ coextendi dicantur, quod non ita est intelligendum, vt putemus formas ex vno Subiecto effundi in aliud, id enim falsum esset, non enim forma ex materia pendens, ex Subiecto in Subiectum transit, sed per mutuam actionem similem formam in alia materia produci putandum est, remittendo formam antecedentem illius.

## Agitur de interno termino ad quem Mixtionis. Cap. XI.

QVoniam Mixtio est transmutatio quædã, & omnis transmutatio prædita est proprio interno termino à quo, & ad quẽ; ideò iure optimo quæritur quinã sit terminus ad quem proprius & internus eius, quod præsertim est dubium, quia ex Mixtione duo consurgunt, vnum est Temperamentum consurgens ex Qualitatibus, alterũ forma Mixti consurgens ex formis Elementorũ, ideò dubium est, cui nam horum id sit tribuendum. *Dubitatio de termino ad quẽ mixtionis.* Quicunque Qualitates, & Temperamenta a formis substantię non distinguunt, quorum numero est Galenus, de hoc ambigere non tenentur, at cum re vera distinguantur, ideò id considerãdum proponitur, *Opinio. Lud. Boc.* Qua de re duæ sunt opiniones: nonnulli enim vni, alij alteri id tribuunt. Ludouicus Boccaf. id tribuebat Tẽperamẽto ex quattuor Qualitatibus, quod parat pro forma Mixti, veluti etiam id facit Alexander, in c. de Mixtione, at Alexander Temperamentum cum forma Mixti confundebat. *Comprobatio.* Cõprobatur hæc opinio primò per definitionem Mixtionis, quæ dicitur alteratorum vnitio, nam ille statuẽdus est terminus internus Mixtionis, qui est terminus alterationis; at alterationis Elementorũ terminus est Temperamentũ, alteratio enim ad Qualitatem pertinet; quare ẽt id erit terminus Mixtionis, terminus namque debet respondere viæ, quæ dicitur alteratio, Præterea si terminus esset forma Mixti, tũc Mixtio esset generatio Mixti; at Arist. ait Mixtionem à generatione secerni. Insuper, Arist. de generatione Mixti seorsum verba facit, nempe in principio quarti Meteorum; quare aliud est Mixtio, aliud generatio Mixti, alioquin Arist. fuisset rediũdãs; & confirmatur hoc per opposita, Mixtioni enim opponitur resolutio, generationi verò Mixti putredo; vt itaq; resolutio differt à putredine, ita Mixtio à generatione Mixti. Demùm hoc confirmatur per Arist. prelem in secundo de partibus Animæ. primo, dicentem, Mixtionem esse ex virtutibus, hoc est ex primis Qualitatib. Elementorum, transmutationis autem earum interius finis & terminus, nõ substantia, sed qualitas est, veluti est Temperamẽtum, non itaque iniuria varij viri celebres huius fuere opi- *Euersio.* nionis. Quam ego minimè approbandam puto, sed existimo proprium & internum terminum esse formam Mixti, Temperamẽtum verò esse postremam dispositionem pro forma Mixti; quod ostendo, nam qualia sunt Elementa Mixtionis, talis est terminus proprius eius, Elemẽta corporea, vt talia sunt substãtiæ, quare & terminus. Quòd sint substantię patet ex definitione Elemẽti, quæ est ex quo fit aliquid cum insit, cum aũt id quod fit ex eis sit substantia, etiam illa vt eius Elementa substantiæ sunt. Confirmatur per definitionem Mixtionis, nã dicitur vnitio miscibilium, vnitio autẽ variarum substantiarum substantia esse debet, forma enim propria ea est, per quam aliquid redditur vnum, non autẽ accidens. Præterea ille est proprius finis & terminus, quo solo præsente, Mixtio est absoluta; fine enim præsente desinit res moueri, vt dicitur in primo de Ortu, & interitu; At hoc soli formę Mixti competit, quousque ea nõ

adest,

adest, mixtio non est completa, ea præsente, absoluta, & completa iudicatur. Præterea, mixtum vt mixtū, differt specie ab Elemento miscibili; differentia specifica substantiarum ad substantiam pertinet; quare mixtum per formam substantiæ dicitur mixtum, & ea sola est proprius terminus mixtionis. Insuper, qualis est via, talis est terminus; via mixtionis nedum est remissio Qualitatum, verùm insuper formarū substantiæ, vt apparuit; ideò terminus & Qualitatem & Substantiam debet includere: Qualitatem quidem vt parantem, Substantiam verò vt perficientem. Hoc manifestè affirmat Arist. in secundo de Ortu & interitu, 48. inquiens: & primò quidem Elementa ita transmutantur, ex his autem caro, ossa, & consimilia fiunt, & c. Conspicuè Arist. ait, quæ fiunt per mixtionem esse Substantias, & propterea terminum mixtionis constituit Substantiam. Hoc affirmauit Auer. in primo Phys. 57. inquiens, Aristotelem in lib. de Ortu & interitu loqui de generatione vnius ex multis, hæc autem mixtio est, quæ non diceretur generatio, nisi terminus proprius eius esset substantia, nā datur generatio vnius ex vno, & vnius ex multis, qualis est generatio mixti ex Elementis, & est modus quidam generationis. Quare dicendum puto, finem mixtionis internum esse duplicem, vnum disponentem, alterum proprium & perficientem, nā mixtio est complicatum quoddam ex alteratione & generatione, ex parte alterationis pro termino habet Temperamentum, ex parte mutationis Substantiæ recipientis magis & minus, pro termino habet formam mixti, & hic est terminus proprius & principalis. Rationes aduersæ facilè diluuntur; Fundamentum sumptum ex definitione mixtionis, quæ dicitur vnitio alteratorum, iam est euersum per ea quæ dixi, & præsertim, quia alteratio vt in principalem finem, dirigitur in formam Substantiæ. Addebatur, quòd tunc mixtio esset generatio. Respondeo, mixtionem non esse generationem vnius ex vno, tanquam contrarij ex contrario, vt Aeris ex Aqua, cum vniuerso interitu antecedentis, in qua significatione Arist. ait mixtionem à generatione distingui, dico tamen cum Auerroe, in primo Phys. 57. esse generationē vnius ex multis modo aliquo seruatis, ita tamen vt noua forma consurgat. Dicebatur tertiò, quòd Arist. de Generatione mixti seorsum loquitur, nempè in principio quarti Meteorum. Respondeo, generationem mixtorum similium partium dupliciter considerari posse. Primò vt proximè consurgit ex conspiratione quattuor Elementorū inuicem agentium, & se mutuo remittentium, adeò vt medium consurgat, & ita dicitur mixtio, cui opponitur resolutio. Secundo, vt mixti forma consurgit, & ex actione caloris contemperati a frigore, & passione humoris contemperati à sicco, & terminati à calore proprio, præcurrente coctione, cui generationi mixti opponitur putredo, secundum quam cōsiderationem de ea loquitur Aristoteles, in quarto Meteorum. Prima consideratione mixtum solùm gignitur proximè ex Elementis, ex quorum remissione fit caro, os, & vnumquodque aliorum mixtorum, vt ait Arist. in secundo de Ortu & interitu, 48. Secunda consideratione magna ex parte mixtum vnum fit ex alio, vt caro ex sanguine, sanguis ex Chylo. Ea prima consideratio antecedit secundam, ideò Arist. prius de mixtione, mox de mixti generatione loquutus est: Opposita horum, nempè resolutio & putredo, manifestant varietatem eorum modorum generationis mixti. Addebatur demùm, mixtionem fieri per Qualitates, & ex Qualitatibus. Respondeo, fieri per eas vt per instrumenta, & ex eis vt ordinatis ad formam mixti. Quomodo autem intelligenda sit sententia Aristot. prolata in 2. de partibus Animalium, in præcedentibus patefeci.

*Opinio propria.*

*Diluuntur rationes aduersæ.*

Quo-

## *Quomodo ex varijs formis Elementorum, & ex variis actionibus gigni possit noua Mixti forma. Cap. XII.*

*Quomodo ex varijs formis cõsurgat forma vna.* NOn exigua est dubitatio, quomodo ex varijs Elementorũ formis consurgere valeat forma vna,& ex varijs actibus actus vnus,cum tertium semper dicatur consurgere ex actu,& potentia, non ex potentia & potẽtia, nec ex actu,& actu.Et præsertim id difficultatem parit,quod dictum est, gradus formarum Elementorum,euadere gradus formæ mixti, nam illi vel sunt gradus essentiæ,vel gradus existentiæ:non essentię,quoniam omnis forma in indiuisibili est posita,& se habet perinde ac species numeri,vt dicitur in 8. Metaph. cont. 10. Neque dici possunt gradus existentiæ,quia illi sunt gradus indiuiduales, non distinctę specie, varietas autem inter Elementum & mixtum non est varietas secundũ numerum & indiuiduum,sed secundum speciem. *Solutio.* Respondeo, minimè esse absurdũ dicere ex formis Elementorum nouam formam consurgere, cum earum remissio in vlteriorem formam diligatur,& dum id fit,non omnia obtinent locum actus,sed semper aliquid gerit vicem actus,aliud potentię: & loquendo de formis hoc contingere potest quattuor modis.Primò,in formis subordinatis,quarum antecedens parat pro subsequente,vt Temperamentum pro forma Mixti,& hæc pro Anima,nã antecedẽs seruat conditionem potentię. Secundò, facta comparatione inter duas cõtrarietates pro constitutione vnius Temperamenti,nam calor & frigus sunt tanquam actus,humor & siccitas tanquam potentia,vt patet ex quarto Meteorũ.Tertiò,inter duo cõtraria se remittentia,nam remittẽs vt remittens,dicitur actus,vt remittitur, potẽtia. Quartò,inter Elementũ dominans,& alia,Elementũ enim quod dominatur,est tanquam actus,reliqua vt potentia. Qui modi omnes locum habent & apparent in Mixtione, pręsertim tamen tertius & quartus ad rẽ faciunt, vt cõsideranti redditur notum. *Instantia.* Sed quęrebatur, quinã sint illi gradus? Respondeo, eos esse gradus existentiæ includentes essentiam,non enim datur gradus existentię seorsum ab essentia,adeò vt ex illis varijs essentijs Elementorum,includentibus conditiones actus & potentię vt dixi, coniunctis cum proprijs gradibus existentię eorum, consurgat essentia vna, & vna existentia Mixti. *Solutio.* At instabit aliquis,quoniam sic forma consurgens non erit simplex.Respondeo,formã consurgentem esse & simplicem & Mixtã, simplex est, quia est vna consimilis essentia, vt forma domus quamuis ex partium varietate cõsurgat, tamẽ vt forma,per quam domus est domus,dicitur essentia simplex; ex formis varijs non recipientib.magis & minus,non consurgit tertiũ simplex,ideò dicimus,ex duabus speciebus non consurgere tertiam: at dum recipiunt magis & minus,deserendo propriũ esse,valent tertium constituere.Ex aduerso,forma Mixti dicitur Mixta,quia non est forma prima alias non sequens,ex alijs non cõsurgens,vt formę Elementorũ: hinc motus ex Mixti forma prodiẽs,dicitur Mixtus,quia fit cũ aliqua remissione. *Dubitatio* At adhuc ambiget aliquis,quomodo contingere possit,quod in vino & consimilib. Mixtis seruari possint gradus ignis impotentes & remissi, cũ in vino carbones & flammę efficacissimę,statim extingui inspiciuntur. *Solutio.* Respondeo, seruari eos gradus non distinctos,sed inclusos in forma & Tẽperamento Mixti,& seruari, nõ vt gradus Ignis, sed vt formę vini,seorsum ab oĩ pugna & contrarietate,nec amplius agunt variorum Elementorũ gradus adinuicem,sed redacti in vnam formam, conspirant ad agẽdum cum alijs,& seruandũ se. *Dubitatio* Verum alia adhuc occurrit dubitatio;Si forma Mixti cõsurgit ex formis Elementorum,quomodo ex conspiratione earum,tot varia Mixtorum genera,quę penè sunt innumera,prodire valent? Nã ex coloribus extremis, pariter ex saporibus,pauca media consurgunt, at Mixtorũ formæ quę dicuntur mediate inter eas Elementorũ, penè innumeræ sunt. *Solutio.* Respondeo ex duobus contrarijs vt ex albo & nigro,pauciora consurgere posse; at ex conspiratione quattuor Qualitatũ, vel

quattuor formarum Elementorũ, longè plura : quoniam proportiones consurgentes ex conspiratione graduum quattuor formarũ sunt longè plures, cum per singulorum varietates variati possint, & presertim plurimę formę ex eis valent consurgere, quia essentiæ rerum sunt, vt numeri in indiuisibili constitutæ, & facilè variabiles.

## *An mixtum omne fieri debeat ex quattuor Elementis? & num mixta misceri valeant? Cap. XIII.*

CVm Mixtio sit vnitio miscibilium, & forma Mixti ex formis eorum consurgat, iurę optimo quæritur, an ex vno vel duobus Elementis Mixtum fieri valeat, aut potiùs sit necessarium pro Mixti constitutione oĩa quattuor Elementa conspirare? Qua de re opiniones sunt varię. Affirmauit Cardanus in lib. de Mixtione, Mixtũ non constare ex Igne, nec ex Aere, sed tantũ ex Terra, Aqua, & Cęlesti calore; sed errat, tũ quia reliqua non essent Elementa Mixti, tũ quia Mixta in Elementa quattuor videntur resolui, tum insuper, quia calor Cęlestis distinctus specię à calore Elementorũ non reperitur, cũ Cęlum tantum facultate sit calidum, & omnis calor sit eiusdem speciei. *Opinio Cardani. Euertitur*

Scotus in 2. Sent. dist. 15. q. vnica, inquit, Mixtum ẽt ex vnico Elemento per passionẽ ab alijs Elementis illatam posse gigni: ex quo inferebat Elementa, in Mixto non seruari, alioquin ex omnibus necessariò conficeretur. Respondens itaque dico, Mixtum posse confici ex vnico, vel ex duobus Elementis, dupliciter intelligi posse. Vel ꝓximè, & hoc non contingit, quoniã ea quę sunt secundũ essentiam & ex se ordinata, ita se habent, vt sequentia necessariò presupponant omnia antecedẽtia; Elemẽta & Mixta, necnon eorũ formæ, sunt ordinatæ secundũ essentiam; quare forma Mixti proximè presupponit omnes formas Elementorũ. Confirmatur per Arist. dicentẽ, Mixtũ esse medium, esse cõmune, esse vnitionem miscibilium, & esse tale, vt ex singulis eius partib. elici possint omnia Elementa. Et in secundo de Ortu & interitu, 49. inquit, oĩa Mixta corpora, quę in loco medio sunt, ex omnib. constare Elementis, sic mediũ etiã dicitur ex vtrisque extremis constare, & hoc patet: quia remissio fit per oppositum, in Mixto autẽ Elementa remissa sunt. Secundò dico, id intelligi posse non ꝓximè, sed per medias mutationes, & remissiones factas à contrarijs, adeò vt aqua gr. ex. per varias passiones illatas à contrarijs recipiat gradus aliorũ Elementorum, ac ita proximè ex singulis fiat id Mixtũ, quod ex Aqua sola genitum esse videtur. Sic inspicimus ex vaporib. eleuatis ex aqua, Mixta varia gigni, & propterea ex eo quod illa Mixta gignuntur ex Aqua, non valemus inferre cum Scoto, Elementa in Mixto non seruari. *Opinio Scoti. Sol. propria.*

Sed alia adhuc se nobis offert dubitatio soluenda, & est, an quẽadmodum ex quattuor Elementis & eorũ formis gignitur Mixtũ, & noua Mixti forma consurgit, ita mox ex primis Mixtorũ formis, subsequẽtes alię gigni possint, & noua Mixta fieri? Ex vna parte id fieri posse exẽpla varia patefaciũt, nã Medici ex varijs simplicib. medicamentis, iubent Mixta confici. Pharmacopolę cõponũt Theriacã, Mithridatũ, & alia plura, miscendo Mixta varia. Coqui ꝓ epulis parãdis varia Mixta permiscẽt, ignique pro perficienda Mixtione apponunt. Confirmatur, quia remissio formarum ordinatur in productionẽ sequentis formæ, dictum autem est etiam formas Mixtorũ remitti, quare ex eis quoque nouę formę prodire valent. Pręterea, id confirmant alij, quia Qualitates cõpetentes Mixto conflato ex varijs Mixtis, efficiunt opera præstantiora, quàm competentes conflato ex solis Elementis, vt patet de Theriaca, & similibus. Quod aiunt cõtingere: quia operantur virtute formarũ Mixtorum, quæ sunt prestãtiores formis Elemẽtorũ. Insuper, inquit Aris. in Cap. de Mixtione, guttã vini non misceri cũ magna aquę portione, quia deperditur, & stãnũ non misceri, quia in halitus vertitur, quare ea Mixta, q̃ non deperduntur, nec in halitus transeũt, poterũt misceri, *An mixta misceri valeant. Pro affirmatione.*

ſcēri,per regulam ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis.negario erit cauſa negationis, & è contrario.Ex aduerſo tamen exiſtimo minimè id eſſe concedendū.Primò,quia ſi èx Mixtis noua Mixta fierent Arte,ēt fierent natura. Ars enim Mixta efficit ęmulando naturā,& tanquā Maga & miniſtra eius;at per Naturam ea ſequentia Mixta nequaq̄ inſpicimus gigni,niſi antecedar reſolutio Mixti in Elemenra,vel fiat in eis per mutatio Qualitarū,& graduum formarū Elementorū,adeò vt proximè ea ſequentia Mixta non ſecus ac prima,ex proportione formarū Elementorum cōſurgant,veluti inſpicimus in ventriculo ex varijs cibis in eo cogeſtis, gigni Chylū, nā calor coquēs & excrementa ſecernens,permutat propria eorum tēperamenta, vnum cōmune tēperamentum inducens, quod mox ſequitur forma Chyli, non ſecus ac ſi ꝓximè ex Elementis fieret.Cōfirmatur,quia ſi id eſſer,tunc in formis Mixrorū darentur ꝓgreſſus in infinitū,quod renuitur à natura.Deducitur conſequenria,quia pari ratione ex ſequentib.Mixtis alia gigni poſſent in infinitum. Prętereà , vt omne temperamentū proximè conſurgit ex qualitatib. Elementorū,ita omnis forma Mixti pręſupponens temperamentum,proximè ex formis Elementorum conſurgere debet, nam vt tēperamentum ſe habet ad qualitates Elementorū, ita forma Mixti ad formas Elemētorum.Et confirmatur,quia vt ex antecedentibus temperamentis non fiunt tēperamēta ſequentia,ſed omne tēperamentum eſt ex quattuor primis qualitatibus,ita ex formis Mixrorū non eſt putandum conſurgere nouam aliam ſequentem formam. Quare difficultatem ſoluens dico Mixtionē eſſe duplicē. Vnam ſecundum ſenſum,& hāc concedo fieri poſſe ex varijs Mixtorum formis,ea tamen non Mixtio eſt,ſed cōpoſitio,confuſio,& iuxtapoſitio,vel cum aliqua alteratione vel ſine. Alterā ſecundum rationem & verā,de qua loquens adhuc dico eam fieri ex formis Mixtorum dupliciter intelligi poſſe,vel ita vt proximè ex formis antecedentiū Mixtorum ſequens forma conſurgat,& hoc parefeci non eſſe concedendum; vel ita per actionē caloris permutentur tēperamenta, & gradus formarum Elementorum,& per interitum praecedentium formarum Mixtorum,noua forma conſurgat,ſequens proximè tēperamentum & gradus formarum Elementorum,& hoc concedendum eſt. Hunc in modū dico ex varijs alimentis gigni chylum;ex varijs herbis per ſublimationē gigni humorem aliquem Mixtum,adeò vt proximè illud quoque ex Elemētis gigni dicatur. Ex hoc elicitur ſolutio alterius difficultatis,nā quęri ſolet,an Arte poſſint Mixta gigni? Quā, ſoluens dico,eā confici Arte poſſe dupliciter intelligi;vel ea vt agente principali;vel vt Maga & miniſtra Naturę:ab Arte vt ab agente principali,nec Mixtū,nec vlla ſubſtantia gigni poteſt. Ars.n.eſt habitus Mentis,& accidens;at nullum accidens ꝓpria facultate valet efficere ſubſtantiā. Ab Arte autem vt miniſtra Naturę,nectente agentia cum patientibus,& Mixta,& ſubſtantiæ varię effici poſſunt;ita tamē eſt,ſi ex mixtis alia Mixta producat,id ſolùm faciat modo iam explicato,nō ſecus. Rationes aūt aduerſę facilè diluuntur,afferebātur inſtantię ſumptę ex medicamētis , ex Theriaca, Mithridato & Epulis. De quib. dico,eas non eſſe Mixtiones,ſed cōpoſitiones,& iuxtapoſitiones cum aliqua alteratione. Addebatur remiſſionē formarum ordinari in ſequentem formā,& formas Mixtorum remitti. Reſpondeo id eſſe verum de prima remiſſione,quę eſt ea Elementorum, non de ſequente prima, vt patet etiam de coloribus.nam quāuis ex extremis conſurgant medij colores, qui etiā recipiunt magis , & minus,non propterea ex Mixtione mediorū mox alij producantur. Ratio varietatis eſt,quia prima remiſſio verè fit à principali contrario:vt albi a nigro; ſequēs verò remiſſio Mixtorum non fit à forma Mixti cōtraria,ſed à prima cōtrarietate, vt ſi remittitur color viridis,id accidit,q̄a remittitur vel albedo vel nigredo in ea incluſa;ſimiliter ſi remittitur forma argēti,vel carnis,ideò remittitur,quia remittitur cōditio alicuius Elementi in eis incluſi,adeò vt vniuerſa intēſio & remiſſio Mixtorū in formis Elementorū vt in origine ſit collocata,& proprereà ex ſola Elementorum remiſſione noua Mixti forma conſurgit. Confirmabatur aduerſa ſentētia per opera pręſtatio

*Pro parte aduerſa.*

*Reſolutio difficultat.*

*An arte poſſint gigni mixta.*

*Diluūtur aduerſę rationes.*

*Ratio varietatis.*

ra,

ra, ex sequentibus Mixtis prodeuntia. Respondeo, ea opera prodire ex compositione, iuxtapositione, & congruente proportione formarum Mixtorum in composito inclusarum, id enim, quod vna seorsum efficere non valet, perficiunt multæ simul, vt patet de harmonia ex varijs vocibus consurgente. Afferebantur etiam instantiæ de vino & stanno, quæ dicebantur non misceri, quia pereunt, quare si non perirent, & seruarentur, possent misceri, cum tamen ea quoque Mixta sint. Respondeo, possent misceri secundum sensum, non verè; & si propriè miscerentur, id fieret modo in præcedentibus explicato.

## *An dentur Mixta grauiora vel frigidiora Elementis? & cur quædam cum difficultate miscentur?*
## *Cap. XIIII.*

CVm Mixta ex Elementis consurgant; & id omne, quod habent, ex eis recipiant; iure optimo quæritur, quomodo dari possint Mixta grauiora Terra, vt dari inspicimus nonnulla, veluti aurum & plumbum? Insuper quomodo inueniantur Mixta, quæ suo frigore stupefaciunt, & necant, quod non facit Aqua, & Elementum vllum, veluti venena, Opium, Maudragora, & similia? Inquiunt nonnulli, hoc eis competere per formam Mixti potentiorem Elementis. Quod non videtur dicendum, quia grauitas sequitur densitatem; Terra autem densissima est omnium. Insuper sequitur Qualitates primas, quæ Elementis competunt summæ, non Mixtis. Ideò alij dicunt, Mixta nonnulla esse grauiora Terra nobis proxima, at non ea quæ proxima est Centro. Quod etiam non videtur dicendum, quia nunquam per profundissimas Terræ fossiones huiusmodi Terra grauior est inspecta. Propterea, respondens dico, Terram puram non dari, & ea quæ à nobis inspicitur, impura est, prædita poris Aere plenis, & à calore solis rarefacta; metalla autem loco Aeris includunt Aquam, ac insuper congelationem & condensationem, & ob id videri grauiora non Terra absolutè pura, sed ea, quæ inuenitur. De venenis frigore necantibus, dico, ea præsertim non operari per gradus formæ Qualitatum, sed virtutis; nam operantur per formam Mixti, vt per agens principale; per Temperamentum, vt instrumentum eius; instrumenta autem vario modo directa, & virtute variorum dirigentium varia producunt. Insuper, Mixtum familiariùs, & intimiùs agit in Mixtum, quàm Elementum: hinc Mixta nutriunt, non Elementa; & frigus cum aliquo deferente iunctum intimiùs refrigerat, vt intimiùs refrigerat Aqua aliquantulum præcalefacta, quàm actu frigida. Addo tertiò contrarietatem versari inter ea, quæ sunt eiusdem gradus, & sub eodem genere, ideo iure vnum Mixtum magis est contrarium alteri Mixto, quã Elementum Mixto, & ita magis propriè id destruit. Hinc oritur, quòd venenum vni, non est venenum alteri, vt Sturnus nutritur Napello, quod alijs est venenum. Ob id etiam remedia aduersus venena non sunt simplicia corpora, sed Mixta, & animal prędìtum veneno, etiam includit Antidotum ne sibi obsit, quod Mixtum est. Sed quęritur adhuc, cur tenacia & lentore prædita, vt pix, oleum, & similia difficilè misceantur? Respondeo, Mixta non propriè misceri, sed componi, & iuxtaponi, nisi fiat permutatio in gradibus Elementorum inclusis, & pręcedat interitus eorum, cũ difficultate aũt componuntur, quia per lentorem & tenuitatem cũ difficultate in exiguas partes diuiduntur; ea tamen inuicem dum liquescunt, exactiùs nectuntur, q̃ cũ alio, q͠ sunt consimilia, & per lentorẽ mutuò se detinẽt, ita cera cũ pice facilè cõponitur,

*Euersio sententia quorundam.*

*Alia opinio.*

*Solutio propria.*

*Cur tenacia non miscentur.*

*Dubitatio de vase pleno cinere. Solutio.*

& secundum sensum miscetur: Oleum quãuis non misceatur cum Aqua, sed supernatet, miscetur tamen secundum sensum cum lixiuio. Ratio est, quia lixiuium includit facultatẽ cineris sicci, qua incidit lẽtorem olei; ac insuper quia lixiuium per cinerem redditum est magis Aereum, quã Aqua, & ob id similius oleo. Sed adhuc alia occurrit dubitatio, vnde oritur quod cinis, & Aqua, similiter calx & Aqua non ita misceantur, vt maiorem constituant molem; nam patet experientia, & affirmat Aristoteles in quarto Physicorum, Vas plenum cinere tantum Aquæ recipere, quantum si nil cineris in eo esset: idipsum inspicimus de gypso & calce. Respondeo, id ortum ducere ex facultate cineris & calcis calefaciendi, & desiccandi, derelicta in eis post combustionem ab Igne, qua facultate contraria Aquæ, plurimum humoris Aquæ in halitus vertunt, vt sensu constat: insuper ex aduerso, à frigore & humore Aquæ plurimi halitus sicci inclusi in cinere, & calce, excitendimtur: his tertiò accedit, quòd id Aquæ, & cineris terrei, quod superest, condensatur, ex quorum trium conspiratione, id euenire putandum est, ideò inquit Aristoteles in primo de Ortu, & interitu, 90. ea quæ sunt huiusmodi, non misceri vt stannum cum ære, sed balbutire, hoc est diminutè, & imperfectè seruare attinentia ad mixtionem.

## An detur mixtum æquale penitùs. Cap. XV.

*An detur mixtum æquale.*

SAtis celebris & ardua est dubitatio ac inter viros doctos frequenter agitata, an detur mixtum, quod æquale ad pondus nuncupant, hoc est absolutè æquale, adeo vt æquas partes cùm Qualitatum, tùm formarum Elementorum includat? Nam lis adhuc est sub indice, & pro omni parte extant rationes, & opiniones; de qua vt proferam, quod sentio, præaccipio vulgatam distinctionem Temperamenti æqualis, in æquale ad iustitiam, & æquale ad pondus. Æquale ad iustitiam est id Temperamentum, quod tale est, quale congruit illi rei, cui competit, & est simile Iustitiæ distributiuæ, per quam vnicuique tribuimus; quod seruata Geometrica proportione ei congruit. Æquale ad pondus est id, quod absolutè, & exactè æquale est, & dicitur ad pondus sumpta Metaphora à ponderibus omni ex parte æqualibus, nobis notioribus. Posset tamen ea distinctio per verba magis propria tradi, dicendo vna cum Aristotele in quinto Moralium Nicomachiorum, & cum Academicis, medium, siue æquale esse duplex, vel Geometricũ, vel Arithmeticum: Medium Geometricum in consimili ratione est positum, vt sex mediant inter nouem, & quattuor, & est id quod dicebatur æquale secundum Iustitiam: Medium Arithmeticum & positum in æqualitate absoluta Quantitatis, vt sex mediant inter nouem & tria. Primum medium pertinet ad Iustitiam distributiuam: hoc autem ad eam in commutatione positam, & hoc est id quod nuncupant æquale ad pondus. Cum itaque consideretur æquale Geometricum & Arithmeticum: de æquali secundum Iustitiam Geometricam & distributiuam, non est dubitatio, omnes enim consentiunt id dari, quoniam Natura distribuens Temperamenta, singulis speciebus illud tribuit, quod eis congruit, & dum indiuiduum aliquod preditum fuerit Temperamento medio, quod suæ speciei respondet, optimè per naturam dicitur constitutum.

*Aequale Geometricũ, & Arithmeticũ.*

*Dubitatio est de medio Arithmetico.*

Dubitatio est de medio & ęquali Arithmetico, quod ad pōdus dicitur, hoc autem considerari potest & in Qualitatibus, & in Substantia; in Qualitatib. potest considerari vel in vna solù contrarietate, vel in ambabus, & de omnibus est dubitatio. Quæritur itaque an in Temperamento, & forma mixti, detur æquale Arithmeticum, siue ad pondus, & absolutè. De hac difficultate sunt opiniones, & rationes pro vtraque parte.

*Opinio concedentium*

Putantes dari, his & similibus vtuntur rationibus, & primò, quibuscunque competit & magis & minus, cōpetit etiam ęquale & inęquale: Tempera-

mento ex contrarijs omnium consensione competit magis & minus, vt magis calidum & minus calidum: quare etiam competit æquale & inæquale. Præterea, non fit transitus ex extremo vno ad aliud, nisi per medium: at in constitutione Temperamentorum fit transitus ex magis ad minus calidum; similiter ex magis ad minus humidum; quare fit per medium æquale. Et quoniam in transmutationibus, omne per quod fit transitus, potest esse terminus ad quem transmutationis; Igitur etiam medium, & æquale poterit esse terminus ad quem, & ita dabitur id æquale. Insuper, Natura fœcundissima est, & efficit omnia quæ fieri possunt, & pro Vniuersi perfectione conducunt, & in æternis esse & posse non distinguuntur, quare cum nil repugnet dari medium, idque conducat pro Vniuersi perfectione, inferendum est necessariò dari, & reperiri. Et præsertim, quia Temperamentum est præstantius intemperato, medium declinantibus à medio, quare cum dentur intemperata & declinantia, longè magis putandum est dari Temperamentum, & medium. Præterea, dum datur vnum relatorum, debet dari & alterum: mensura, & mensuratum inuicem referuntur, inclinantia ad extrema mensurantur per medium; quare cum dentur inclinantia, & mensuranda, est necesse, vt detur medium, quod dicitur mensura eorum. Confirmatur auctoritate Aristote. qui in secunda parte prob. 22. quærit, cur corpora Temperata facilè labuntur in morbos, facileque curantur? quod cum quærat, vt notum supponit dari temperata. Et in secundo de Anima instrumentum tactus in medio esse positum affirmat, vt per illud valent sensus extrema iudicare. Hinc iure Galenus inter Temperamenta etiam æquale enumerat. Ex aduerso Auerroes in primo de Cœlo, com. septimo, in secundo de Ortu & interitu, 48. in quarto Meteorum decimo, in secundo suarum Collectionum capitulo postremo, & decimo Metaphysicæ, com. 32. Temperamentũ & Mixtum æquale reijcit. Rationes potiores pro hac parte hæ sunt; Si datetur Mixtum exactè æquale, euerteretur Aristotelis sententia in primo de Cęlo dicentis, Mixta moueri, sibique locum optare per Elementum, quod dominatur in eis; quare si daretur Mixtum ęquale, id & proprio motu, & proprio loco careret, quod naturæ corporum aduersatur. Propterea inquit Auerroes in primo de Cęlo, com. 7. si daretur Mixtum ęquale, id vel non moueretur, sed vbiq; quiesceret; vel moueretur in alijs locis, & quiesceret in medio grauiũ & leuium, quod corpus ita se habens non reperitur. Præterea in Mixtione semper aliquid reperiri debet, quod obtineat locum formantis & actus, cuius facultate forma Mixti educatur: at si cuncta fuerint æqualia, nulla aderit ratio, ob quam vna potiùs quàm altera forma educatur, & in eo medio nil reperietur, quod actus & formantis valeat obtinere conditionem. Confirmatur, quia ab æqualibus non prodit actio cum Imperio, adeò vt aliquid noui constitui valeat, id enim quod constituitur est vnum, & ideò ab aliquo vno, definito, & determinato constitui debet, plura autem & ęqualia penitùs, nil definitum & vnum constituere valent. Insuper, Mixta omnia gignuntur in loco alicuius Elementi, quo in loco pro Mixti constitutione plus illius Elemẽti reperiretur, cuius est locus; & hoc enunciatur ab Arist. in secundo de Ortu & interitu, 49. dicẽtis, Terra inest in omnib. Mixtis, sed vnumquodque maximè est in suo loco; Mixta autẽ præsertim fiunt in loco Terræ. Præterea, sententia est Arist. in principio quarti Meteorũ, tunc gigni Mixta, dum Qualitates efficientes superabunt patientes, & calor terminum tribuerit humori, quare pro Mixti constitutione requiritur Imperiũ alicuius. Insuper Arist. in primo de Ortu & interitu, 89. ait, misceri Elementa, dum eorũ facultates adęquantur quodã modo: addebat quodã modo, indicãs nõ penitùs ęquari. Clariùs 10. Metaphysicę, 23. inquit, media constare ex extremis, & includere vnius extremi magis, alterius minus. Plato in Timęo idipsum affirmauit, inquiens, tunc misceri Elementa, dum fit vnum ex multis superanti simile, adeò vt familiariter cum victore cætera permaneant. Inquiunt itaque Aristoteles, Plato, & Auerroes, in Mixtis semper Elementum aliquod dominari. Idipsum affirmant

*Galenus.*
*Pro parte aduersa Auerroes.*
*Arist.*
*Plato.*

Auicenna, Algazel, & multi viri celebres. Non desunt tertiò nonnulli, qui partes has conciliare nituntur, & præsertim Auicennam cum Galeno, vt Conciliator Differentia 18. dicentes. Galenum concessisse æquale exactè, solùm secundum imaginatione, & in transitu; non autem quòd species aliqua Mixti id sibi exposcat, & seruet, insuper id concessisse facta comparatione cum reliquis Temperamentis, non autem absolutè, vt vola manus Hominis dicitur prædita æquali Temperamento, quia ad id magis accedit, quàm Temperamentum aliarum partium.

## *Resolutio difficultatis de Mixto æquali.* *Cap. XVI.*

*Triplex Temperamentum.* APparuit valdè dubium, an detur Mixtum exactè æquale. Pro cuius resolutione accipio primò, quòd vt ex sententia Arist. in principio secundi de partibus Animalium, triplex est compositio; ita triplex cōsiderari potest Temperamentum: vnum consurgens ex Elementis, eorumque Qualitatibus: alterum ex Mixtis consimilib. constituentibus membra; tertium ex membris constituentibus animal, quod Tertium dicitur Temperamentum totius Animalis, præsertim vigens in Corde, eiusque spiritibus, & de omnibus dubitatio est, an detur æquale penitùs, præsertim tamē dubitatio est de primo, tanquam de origine, & fundamento cæterorum Temperamētorum. *Alterum quod accipitur.* Accipio secundò Temperamentum ex primis Qualitatibus consurgens considerari posse dupliciter; secundam vnicam contrarietatem, veluti calidi & frigidi, tantùm; vel secundum vtranque simul: primum est Temperamentum æquale in parte; alterum absolutè, faciliùs est dari Temperamentum æquale in parte, quàm absolutè, nam id potest esse sine hoc, non contra, non enim Temperamentū compositum erit æquale, nisi ambo simplicia id constituentia fuerint æqualia. Accipio tertiò, (& hoc *Tertium quod accipitur.* dignum est consideratione,) quòd loquendo de Temperamento simplici, vera est regula non dari transitum ex vno extremo in aliud, nisi per omnia media. Ratio est, quia via inter duo contraria vnica est, & simplex: at loquendo de Tēperamento composito ex vtrisque contrarietatibus, vera non est; quia via non est vna & simplex, sed duplex, vt duæ sunt contrarietates, ideò in transitu potest adesse æqualitas inter duo contraria, & non inter reliqua duo. Et quoniam Qualitates secundæ, vt colores, sapores, & odores, prodeunt ex Temperamento composito primarum Qualitatum, ideò vt in Temperamento composito non est necesse transire per omnia media compositorum Temperamentorum, ita in mutatione inter contraria secundarum Qualitatum, non est necesse per omnia media transire, uiæ enim principiorum ex quibus pendent, non sunt simplices. Demùm, accipio æqualitatem contrariorum in
4. duobus posse considerari, uel in gradu eorum, uel in actione: dubitatio est de gradu, non de actione, nam actio per multa connexa uariari potest. His præassumptis, dico, nil repugnare dari Mixtum exactè æquale, ne dum in parte, uerùm etiam absolutè, & cum nil repugnet, dico etiam dari & reperiri cùm in attinentibus ad Vniuersi perfectionem, & in æternis, ut sunt species rerum, quod potest esse, etiam sit, & huiusmodi Mixtum propria Mixti forma etiam erit præditum. Quod *Ostēditur dari mixtū æquale.* ita ostendo, quia si quid pugnaret dari, uel esset, quia aduersaretur Naturæ communi, uel propriæ: non communi, ea enim expetit Vniuersi perfectionem, & graduum omnium plenitudinem: non propriæ, quia si calor gr. ex. seruatur cum intensiore, & remissiore frigore, etiam seruari potest cum æquali, & similiter de humido cum sicco. Præterea, si aliquid huiusmodi æqualitati aduersaretur, id potissimum esset, quia in Mixto alterum contrariorum semper obtinere debet locum formantis, & actus, quod soli dominanti competit; at hoc minimè obest, nec æqualitatem euerti. Primò, quia ut dicitur in primo Phys. cōtrariorum semper unum obtinet locum

locum actu, & excessus alterum priuationis & defectus, & id quod actus locum obtinet formare dicitur, hoc enunciatur ab Arist. 10. Metaphysi. cont. 7. dicente, colores medios ex albo confici & per album vt per actum mẽsurari, sic in omni mixto calor est qui format, & terminum imponit humori, vt dicitur in quarto Meteorum, & quãuis mixtum secundum gradum fuerit frigidius, vel ęquè frigidum, tamẽ facultas formandi & terminandi, calori cõpetit: quare si calor infra medium terminare & formare valet, longè magis poterit id efficere constitutus in medio. Secundò, id non obest; quia contrarietatum semper vna obtinet locũ formantis, nempè calor & frigus, altera materiæ & formati. Tertiò, quia quamuis adsit ęqualitas graduum, tamen adest varietas virtutis & facultatis agendi, nil itaque pugnat dari Temperamentum ęquale. Et proptereà Arist. nunquam tale medium renuit, nec aliquis Gręcorum interpretum, imò addo, nedum exactè ęquale in mixtorum genere reperiri, verum insuper id eius esse facultatis, vt qui id destruunt, simul construãt, nam qui id medium renuit, inquit Temperamenta esse inæqualia, quæ cum sint inæqualia recedunt à medio, ideò præsupponunt medium, ita argumentatur Arist. in 2. Phys. aduersus eos qui dicunt cuncta fieri casu, nam cum casus sit recessus ab eo quod est per se, & non detur posterius sine priori, est necesse vt præsupponant causam per se efficientem. Nec sat est dicere pro mensura recessus satis esse mente concipere medium, nam mensura rei secundum naturam existentis, in rerum natura, non in sola mente, reperiri debet, alioquin mensuratum non responderet mensuræ, & natura constituisset propriè mensurabile sine propria mensura; & mensura non esset primum illius generis, & daretur in rerum natura posterius sine suo priore.

*Euertentes, æquale, id construunt.*

## *Diluuntur Rationes aduersæ.* *Cap. XVII.*

*Signum recta explicationis.*

Signum rectæ explicationis singularum difficultatum id præsertim est, vt per eam rationes aduersæ facilè diluantur, hoc conspicuè cõpetit relatæ explicationi, per eam enim instantię omnes facillimè diluuntur. Afferebatur auctoritas Auerrois, Algazelis, & Auicennæ, quibus ego obijcio Galenum, rationes validiores, & leges Naturæ non itaque hac de re cõsentio cũ Auerroe. Addebatur, quòd tunc mixta non mouerentur per Elementũ dominans. Respondeo, mixta vt & Elementa moueri per graue, & leue, Horũ imperium est duplex, vel absolutum, vt in mixto inęquali, vel in relatione & cõparatione positũ, vt in mixto ęquali, hoc enim in Igne & Aere graue est, ideò descendit; in Terra & Aqua est leue, & ideò ascendit; in medio aũt secundum naturam quiescit, adeò vt in Aqua partim mergi, partim supernatare debeat, quod nonnullis lignis in parte competere inspicimus. Addebatur, in mixto semper vnum contrariorum debere obtinere locum actus & formæ, qua ratione vtitur Auerroes 10. Metaphysicæ, vigesimotertio. Ad hoc autem iam in præcedenti cap. responsum est. Instabatur insuper, quia vnũ debet gigni & consurgere facultate vnius, non quattuor ęqualium. Respondeo, id vnum esse calidum coquens terminans, suaq; actione superans, quamuis non semper gradu. Insuper dicebatur, mixtum maiorem portionem illius Elementi includere, in cuius locu gignitur. Respondeo, hoc esse verum vt plurimum, non autem esse necessarium, nam etiam in Aere gignitur Aqua, & ob id in ea etiam mixtum Aqueum gigni posset; imò non desunt, qui in Aere putent lapides nonnullos gigni posse, vt sagittarum, fulguris, qui tamen Terrei sunt. Prętereà, si aderit imperium molis, non proptereà aderit imperium graduum & facultatis. His accedit, quòd mixtio vt plurimùm fit in contactu, & medio grauium & leuium. At adhuc instatur, quia dum dicimus mixtum esse ęquale, ea ęqualitas vel est posita

*Instantia in mole,uel in gradu formæ: si in mole, adeò ut æqua Ignis & Terræ moles sit in mixto, tūc mixtū non erit Temperatum, quia æqua moles ignis potentiùs agit, & ob id reddet mixtum calidius, & magis igneum. Præterea, si imaginamur quattuor æquas portiones Elementorum, ita conspirare pro gignendo mixto, quia aër & ignis facilè dissoluunt, & magis dissoluentur, quàm Aqua, & Terra, & ita mixtū Terreum & Aqueum remanebit: si dicimus æqualitatem seruare in gradu formarū, quia nonnullæ operantur potentiùs, ideò similiter constituent mediū inæquale. Respondeo, mediū debere considerari in gradibus formarum, ut se habet de medio colorum, & saporū, hoc medium potest consurgere ex actione unius contrarij potentioris in aliud minus potens, ueluti dum Ignis potentior Aqua, agit in Aquam, ualet in ea calorem usque ad Temperamentum æquale producere, mox desinere agere, & ita agēs potentius ualet medium efficere rerum. Affert Auer. uerba Arist. in 10. Metaphysicæ 23. dicentis, Medium erit magis minusue tale, quale est vtrumq; extremorum, quare & hoc contrariorum medium erit. Et cętera media composita sunt, quod n. minus quàm hoc est tale, id ex hisce modo quodam constat, respectu quorum eo dicitur modo, &c. his verbis conspicuè videtur Arist. affirmare, media plus unius extremorum includere, quàm alterius. Respondeo, contextum Auerrois esse deprauatum; nam in eo legitur medium constare ex uno magis, ex altero minus: at si uerba Philosophi perpendātur non deprauata, solùm ex eis elicitur media uel magis uel minus distare ab extremis, ac ita per ea non euertitur ęquale. Insuper addo Aris. & eo in loco, & in primo de Ortu & interitu, octuagesimonono, nec non Platonem inspicere id quod frequentiùs accidit, & inspicere facultatem actionis, at si æquantur in gradu, non ob id ęquantur facultate & actione.

Margin notes: *Instantia una.* — *Altera.* — *Solutio.* — *Aristot.* — *Solutio.*

## *An temperamentum sit qualitas vna, & forma vna?*
## *Cap. XVIII.*

APparuit ex quattuor Elementorum formis consurgere formam unam mixti, quę sit natura & principiū motus illius. Dubitatio est de Temperamento ex Qualitatib. cōsurgente, an sit reuera qualitas una, uel potiùs multę? Dubitatio non est leuis, & de ea opiniones sunt uarię. Inquiunt nonnulli ex quattuor primis qualitatibus, constituentibus duas contrarietas, non unā, sed duas consurgere formas medias, unā ex calidi & frigidi remissione prodeuntē, alteram ex remissione humidi & sicci. Ratio est, quia duarū contrarietatum non unū, sed duplex est medium. Cum itaq; illæ sint contrarietates duę, etiā media iudicanda sunt duo. Huius opinionis fuit Conciliator Diff. 16. quam tamen approbandam non puto, quia mixtio definitur, 9 sit unitio alteratorū, non autem esset unitio, nisi ut ex formis consurgit forma una mixti, ita ex Qualitatibus cōsurgeret Temperamentū, quod esset Qualitas una. Hinc Arist. in primo & secundo de Ortu & interitu inquit, per mixtionē fieri medium, & cōmune, non aūt esse unum cōmune medium Qualitatum, nisi ex eis una forma prodiret. Ratio aduersa facilè diluitur: nam ut ex duabus Qualitatib. contrarijs consurgit una media Qualitas, ita ex oppositione efficientiū & patientiū tanquam ex actu & potētia, absolutè forma una, quæ Tēperamentum dicitur consurgit. Propterea, est alia opinio quorundam, putantium ex quattuor Qualitatibus in mixto non unam simplicem prodire formam, quę eas facultate contineat, sed dictas seruari distinctas, adeò ut Temperamentum nil sit præter rationē mutuam, & harmoniā earum Qualitatum uicissim: Et horū nonnulli inquiūt, Qualitates illas seruari sinceras, ut Empedocles, Stoici, & Fernelius, non secus, ac in harmonia percipiuntur uoces oēs seruari sinceras; Alij dicunt seruari remis-

Margin notes: *An Tēperamentum sit Qualitas una.* — *Opinio q̄d sint duæ.* — *Euersio.* — *Opinio altera.*

fas, qui etiam in duas classes sunt distributi; vel n. inquiunt seruari easdem numero, quæ præfuerunt in elementis, vt Marsarius Inguen. q. 32. vel numero distinctas, vt D. Tho. & alij, qui in interitum putant semper fieri resolutionem vsque in primam materiam. Hæc opinio minus quàm prima approbanda videtur. Tum quia dum forma vna per oppositam remittitur, remittens & remissa non seruantur distinctæ. Tum quia nisi adsit vnitio, non dicitur absoluta mixtio; vnitio nō adest, nisi forma sit vna. Tum tertiò, quia si illæ formæ seruantur distinctæ, semper seruabunt oppositionem inter se, & inuicem agent & patientur, mixtum autem similium partium non agit in se. Tum demùm, quia Arist. in 2. de Ortu & interitu, 48. conspicuè inquit ex qualitatibus medium vnum constitui, quòd nullum extremorum sit actu, facultate autem vtrumque. Confirmatur, quia finis vnius motus debet esse forma vna; & finis remissionis formarum est, vt ex eis forma noua consurgat. De harmonia ex vocibus consurgente non est par ratio, quoniam harmonia nō consurgit ex mutua actione & remissione vocum, vt temperamentum, sed ex sola vocum compositione, vt aptæ sunt voces componi. Et si quis quærat, an harmonia sit forma vna, vel ne? Breuibus & lucidè respondeo, voces ex quibus consurgit dupliciter posse considerari; vel pro earum esse absoluto, & ita sunt formæ & voces variæ; vel considerantur pro mutua ratione & esse relato, & ita vna est proportio, vnaque forma, vt pulchritudo consurgens ex congruente ratione variorum colorum. Ideò est opinio tertia Auic. in cap. de Temperamentis, & multorum aliorum dicentium ex quatuor Qualitatibus Temperamentum consurgere, quod sit Qualitas vna secunda, & forma vna simplicis essentiæ, vt sunt colores medij, & sapores. Hinc Auicenna definiens Temperamentum, dixit esse Qualitatem, quæ ex mutua actione & passione primarum qualitatum Elementorum consurgeret, quorum partes ad eam paruitatem sint redactæ, vt plurimum vnius tangat plurimum alterius, hoc est, vt quatenus fieri potest, per singulas partes mutuò se tangant, & connectantur. Hæc opinio præstat cæteris, quia seruat formam mixtionis, nempè vnitionem tum Qualitatum, tum formarum. Confirmatur, quia Arist. per Qualitates circumscribit, & explicat attinentia ad formas Elementorum, quare putat vt de vno se habet, ita se habere de altero: at ex formis consurgit vnica mixti forma; quare & ex Qualitatibus Temperamētum consurgere debet, quod sit forma & qualitas vna. Pro resolutione difficultatis & magis conspicua elucidatione accipio Temperamentum esse duplex, vnum mixtorum similium partiū, vt carnis, nerui, & similium, aliud mixtorum dissimilium partium, vt membrorum, & totius animalis. Si loquimur de temperamento mixtorum similium partium, dico Temperamentum esse Qualitatem & formam unam simplicis essentiæ, mediam & communem, consurgentem non secus ex gradibus primarum Qualitatum, ac ex gradibus formarum Elementorum consurgat forma mixti, quæ simul sit forma vna actu, multiplex verò facultate. Hoc comprobatur sensu, nam tangentes huiusmodi mixta, iudicio vno iudicamus eorum Temperamentum, iudicium autem vnum vnius formæ esse debet, quia iudicium est res iudicata per imitationem. At si loquimur de Temperamento dissimilium, hoc est membrorum, & totius Animalis, tunc id quatenus est dissimilium partium, non inuicem mixtarum, sed compositarū, non est Qualitas vna absolutè, sed tot, quot sunt partes dissimiles: & non secus de eo se habet, ac patefecerim se habere de harmonia, adeò vt Temperamentum manus, & totius Animalis, sit quædam congruens ratio variorum Temperamentorum. Verùm si id consideretur, vt commune aliquid habet, & communi aliquo fundamento nititur, vt Temperamentum totius Animalis positū dicitur in Corde & spiritibus eius, sic quia spiritus sunt mixtum consimile, etiam Temperamentum totius uiuentis hac consideratione dicitur esse Qualitas vna. Est itaq; temperamentum mixti consimilium partium, de quo præsertim est dubitatio, Qualitas una, & forma una, quod in c. de Mixtione

*Euersio.* *De harmonia, an forma una.* *Opinio 3.* *Resolutio.* *Conclusio.*

mixtione conspicuè enunciauit Alexander, inquiens, Elementa inuicem agentia, & patientia, eo vsque progredi, donec abiecta contrariorum excellentia, ob quam diuersa erant, & contraria, unicam ex omnibus illis potestatibus, Qualitatem effecerint, &c. Id ipsum quoque fateri coguntur illi, qui existimant Temperamentum esse formam mixti, cum vnius unica debeat esse forma: Nam cum omnia pendeant ex uno, cuncta in vnum tendunt, ut ipso uno pro facultate fruantur; in unum ueniunt corpora constituentia uniuersum; in unum ueniunt miscibilia contraria, constituendo mixtum; in unum ueniunt inanimorum formæ, quæ diriguntur ad Animam; in unum eleuantur Animæ, dum nectuntur cum Mente; in vnum demùm ueniunt Mentes, dum eleuantur in Deum caput unicum omnium, & finem postremum, quo nil magis unum excogitari potest, cui soli honor,

FRAN-

# FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

## CONSIDERATIO MULTITUDINIS *Formarum, in eadem indiuidua substantia, rationes pro parte, quòd vnica sit. Cap. I.*

VT exactè refulgeant attinentia ad Mixta, & præsertim ad viuentia
corpora necessarium est noscere, num in eodem indiuiduo variæ
formæ ad substantiam attinentes seruari valeant, vel ne? Et quo- *Ordo seruandus.*
niam opiniones sunt variæ, propterea referam primò rationes
putantium id fieri non posse; Patefaciam secundò, opinionem
aduersam magis esse rationi consentaneam; Perpendam tertiò,
numerum eorum, quæ simul seruari possunt. Demùm diluam
rationes cum approbata sententia pugnantes. Quæritur itaque, num eiusdem indi- *Qua de re sit dubit.*
uidui valeant esse plures formæ, dubitatio est non de corporeis Elementis, quibus
omnium cõsensione vnica competit forma, sed de mixtis, & præsertim uiuentibus.
Insuper, dubitatio est non de formis accidentium, quæ plures esse possunt, sed sub-
stantiæ. Demùm dubitatio est, non de formis assistentibus, sed formantibus. Quòd *Unius unicã esse formam.*
vnius numero substantiæ vnica sit forma, his præsertim rationibus ostendi potest.
Primo, vnius rei vnica est natura essentia, & definitio, quare vnica forma, id enim *Ratio 1.*
quod res est, ex forma pendet. Præterea, ex multis quæ actu sint, vel actus, non *Altera.*
consurgit unum, sed vnum consurgit ex actu & potentia, vt legitur in 8. Metaphy- 3.
sicæ 16. forma autem omnis actus est. Insuper, adueniens enti quod actu sit, dicitur
accidens, & transmutatio ea dicitur accidentis, vt docet Aristot. in primo context.
primi libri de Ortu, & interitu, necnon in 31. secundi libri, & id ipsum approbat A-
uerroes in primo Physi. 63. disputans contra Auicennam tribuentem materię formã
corporis coęuam, quarę eã forma quæ antecedenti adueniret accidens esset non sub-
stãntia. Præterea, multitudinẽ formarum hæc sequuntur absurda. Primò, euerteretur 4.
definitio Ortus, & interitus, quę dicitur transmutatio totius in totũ. Secundò, vnius
Ortus non semper esset interitùs alterius, nec vice versa, dum enim educeretur secun-
da forma & seruaretur antecedẽs, esset Ortus sine interitu, & dũ periret superstite an
tecedẽte, esset interitus sine Ortu. Tertiò, idem numero pluries esset substantia & cor
pus, quoniam per omnem formã substantia & corpus constituitur. Quartò, generatio
subsequentis formę esset motus, quoniam ei competeret subiectum actu, quod aduer-
satur sententię Arist. in quinto Phys. cont. 8. Prętereà, Natura superuacaneis nõ abun 5.
dat, propterea, cum omnia seruari possint ad substantias attinentia, statuendo formã
vnicam, vt seruant illi qui sunt huius opinionis, frustrà statui videntur plures. Insup 6.
termini à quo, & ad quem transmutationis, cũ sint oppositi, non valent simul seruari,
forma antecedens est terminus à quo in eductione sequentis, quare nõ seruatur simul
cum ea. Demùm, si in viuente, de quo magis videtur, quod sit prẹditum multitudine 7.
formarum, multę formę repetirentur, veluti carnis, nerui, & anima, tunc pereunte vi-
uente, deberent cum sua forma seruari; at Arist. oppositũ enunciat, inquit enim & in

calce

calce quarti. Meteororum, & in primo de partibus Animalium, recedente Anima, non seruari carnes, & ossa nisi æquiuocè. Et in secundo de Anima inquit, facultatem vegetandi includi in sentiente, vt figuram trium laterum in quadrato, quadratorum autē est forma vna, non duæ. Insuper, in septimo Metaphysicæ cont. 43, ait in substantia rerū non esse ordinem, qui tamen adesset, si multæ in eodem essent formæ. Et Auerroes, in lib. de Substantia orbis cap. primo ait, fieri non posse ut subiectum vnum habeat plures formas, & propterea si materia prædita esset propria forma, aliam formam non reciperet. Iure itaque D.T. in prima parte Summæ q. 76. Artic. 3. & secundo contra Gentes cap. 58. & frequenter alibi, constanter huic parti adhæret, quem sequuntur etiam alij multi viri sapientes.

## *Rationes pro Multitudine formarum.* Cap. II.

*Pro multitudine. Ratio prima.* MVltitudo formarum substantiæ in eodem composito, sensu, ratione, & auctoritate satis conspicuè redditur nota: Et vt pertinet ad sensum, quia formę per accidentia noscuntur, in eodem cōposito, & viuente, refulgent accidentia distinctorum graduum, sequentia formas distinctas quare etiā distinctę formę in eis reperiri debent, veluti in homine insunt colores attinentes ad formā mixti, perturbationes attinentes ad animā sentientē, & habitus Mentis attinentes ad Mentē. *Secunda.* Insuper in eodē viuēte inspicimus varia Tēperamenta partiū, veluti carnis, ossiū, & neruorū indicantia varias eorum mixtorum formas. Similiter inspicimus partes varias per naturā moueri motibus varijs, vel sursum, uel deorsum ut grauiores sunt vel leuiores, motus autē sequentes naturam patefaciunt formam, quę natura est, ex qua pendent. *Tertia.* Præterea, omne quod ex se ad libitum mouetur, distiguitur in motorem & mobile, in principium mouens, & corpus resistens, nil enim sibimet resistit; Animalia ex se & ad libitum mouentur; quare constant ex anima mouente, & corpore moto, quod cum resistat, est necesse vt sit actū per formam alteram, ab anima distinctam. *Quarta.* Præterea, efficaciùs id confirmatur: nam principia distinctorum motuū debent esse distincta: Animalia sunt prędita principijs distinctorum motuū; quare sunt prædita distinctis formis, quæ motuū sunt principia. Minor enunciatur ab Arist. in octauo Phys. 27. dicēte, Animal totū Natura ipsum ex se moueri, corpus autem contingit & natura & præter Naturam moueri, refert enim & quali motu moueatur, & ex quo Elemento constet, conspicuè Philosophus vniuerso Animali, & corpori distinctū tribuit principiū motus Physici, quod principium natura, forma, & substantia est, ideò inspicimus Animalia per naturā corporis ruere & ictdere deorsum, per Animā ambulare, volare, & natare, & ob aduersā naturæ corporis propēsionē inspicimus ea laxari, & debiliora reddi, dum per Animā mouentur, & præsertim dum ascendunt, quæ non euenirent nisi distinctis formis, & principijs motus essent prædita. *Solutio.* Verū qui sunt aduersæ opinionis soluendo inquiūt, formam superiorem eminenter, & virtute includere cuncta pertinentia ad inferiores, adeò vt Anima ne dum fungatur officijs proprijs Animæ, sed etiam cōstituat corpus cui competunt grauitas, & aliæ affectiones, per quas ruit, rendit deorsum, & resistit Animæ, secùs mouēti. *Euersio.* Hęc solutio inanis est penitùs. Primò, quia ab eadem forma non prodeunt pugnantia, & ei formę resistentia, alioquin idem sibimet aduersaretur. Insuper, facultas, vt alibi patefeci, ab essentia siue fundamento pro suo esse absoluto non distinguitur, ideò non seruatur facultas antecedentis formæ nisi seruetur essentia nec facultas formæ pugnat cum forma cuius est facultas. Insuper forma, quamuis sit eminentior, tamen simplex est, & cum sit vna, vnico operandi modo est prędita, non varijs, & pugnantibus, quales apparent in animalibus. Et confirmatur, quia forma siue facultas formæ inferioris includitur in superiore, dum fuerint eiusdē conditionis,

veluti

veluti formæ Elementorum in forma mixti quæ ex eis consurgit, & gradus inferior Animę materiatæ in gradu superiori; at forma Elementi, siue mixti in Anima includi non potest, quia sunt distinctæ conditionis, quatenus forma mixti ex antecedentibus cõsurgit, Anima verò corpori temperato superuenire dicitur; similiter gradus formæ mortalis non includitur in æterno, vt cœlorum motores nec uidere, nec audire dicuntur. Insuper, ad principale redeundo, una forma quæ per opposita differentias cum altera non pugnat, sed parat pro ea, non debet interire, adueniente illa: formã Temperamenti parat pro Anima, nec pugnat cũ ea per differentias oppositas, ut pugnant variæ formæ Temperamentorum ad inuicem, & uariæ Animæ, quare non debet forma Temperamenti interire, adueniente Anima, & pręsertim, quia natura salutem quęrit, nec interimit nisi coacta. Insuper, varij gradus interitus attinentium ad vnum animal nobis conspicuè patefaciunt distinctos gradus formarum eius. Nã moritur primò animal per interitum animæ, superest cadauer, cuius partes seruant formam mixti, mox illæ per putredinem intereunt, & nunc perit forma mixti, qui gradus etiam apparent in ortu. Confirmatur, quia dũ pereunte animali supersũt ossa & neruí, si propriæ eorum formæ non seruantur, sed nouæ gignuntur, à quo producuntur? nil potest afferri, quod eas generet, & præsertim cum gignãtur per coctionem, ut dicitur in quarto Meteorum. Prætereà, ex uarijs Philosophi uerbis ea multitudo formarum elici potest, legitur in primo de Anima, 90. Animam continere corpus, & in secundo, de Anima trigesimonono, aduersus Empedoclem dicitur, animam continere partes corporis, nè secernantur ab inuicem, per varias earum propensiones. Insuper in primo de Anima quinquagesimooctauo legitur, animam non posse esse formã, & rationem mixtionis, quia uariæ sunt huiusmodi rationes, quibus caro, os, & similes partes præditę sunt. Et in calce quarti Meteorum habemus, extrema ita esse constituta, vt extrema materia, solùm sit materia, extrema forma, solùm sit forma; intermedia verò, distincta ratione, & formæ sint, & materiæ, & addit ex corporibus similium partium, vt ex materia fieri uiuentia. & in secundo de Anima cont. 10. dicitur, ex anima & corpore ut ex oculo & facultate videndi constitui animal: cùm itáque caro, & corpus dicantur materia animæ, non est putandum ea recipere esse ab anima, alioquin idem esset materia simet. Præterea, in primo Physicorum uigesimooctauo, aduersus Parmenidem Philosophus ex multitudine partium definitionis, vt ex eo quòd homo est Animal & bipes, colligit ea, quę sunt esse multa & lucidiùs in octauo Metaphysicæ, cont. vndecimo, approbat in materia ordinẽ formarũ, inquiens quædam fieri cum progressu ad ulteriora, alia cum resolutione. Et in primo Physicorum, cont. octuagesimosecũdo, inquit materiam primam esse ultimũ, in quod ea quæ pereunt, resoluuntur: at nõ daretur progressus ad ulteriora, nec darentur gradus resolutionis & productio remanentium per resolutionem, nisi daretur multitudo formarũ. Et præsertim, quia datur & materia prima, & materia proxima, & vtraq; ab Arist. in quinto Metaphysicæ cont. quinto, dicitur Natura, non autem materia proxima esset natura distincta à prima, nisi formam includeret, natura enim est substantia, non accidens. Ex relatis uerbis rectè consideratis lucidè elicitur in animali uarias inueniri formas, adeò ut colligere valeamus, ut Mundum magnum, ita paruum, nimirum animal, includere formas plures, & ex eis constare. Hinc Alexander in secundo Nat. q. c. tertio, inquit Cœlum uti Elementis tanquam materia in productione Animæ, adeò ut materia eius per aliquam antecedentem formam actu sit. Simplicius quoque affirmans in secundo Phy. in animali reperiri naturam & animam distinctã à natura, cogitur fateri in eo uarias formas reperiri, cum natura sit forma. Insuper, in primo de Anima 94. in animali gradum facultatis vegetandi statuit distinctum ab eo sentiendi, & in secundo de Anima 21. in homine hunc ordinem considerat, primam statuit formam corporis mixti; secundam Animam mortalem; tertiam, rationis compotem; quartam Mentem participatam. Philoponus conspicuè concedit multitu-

*Ratio 5.* *6.* *Confirmatio.* *Aristot.* *Alex.* *Simplicius.* *Philopon.*

Auerroes. multitudinem formarum. De Auerroe quoque ambigere non debemus, nam varijs in locis in eodem concedit varios gradus formarũ, & præſertim tertio Cœli.67. quo lo-
Galenus. ci rationes diluit multudini formarum aduerſas. Galenus in libro, quod animi mores ſequantur corporis Temperaturam, conſpicuè concedit multitudinem formarũ
Platonici. animalis, cum principalium membrorum eius varia ſint Temperamenta. Platonici, omnes eandem multitudinem concedunt, cum in viuente conſiderent naturam infra animam poſitam, mox animam diuidant in formantem, & vtentem; Ac inſuper, Mentem participatam addant. Adeò, vt iure optimo colligere valeamus, in eodẽ viuente mortali, plures reperiri ſubſtantiæ formas.

## *De numero graduum formarum, quæ in eodem ſeruari valent.* Cap. III.

OStenſa multitudine formarum in eodem indiuiduo, ſequitur vt de earum numero loquamur, nam in eodem plures reperiri poſſe conſentiunt mul-
De numero formarũ ti, qui tamen de numero diſſentiunt, & opiniones ſunt quattuor. Nonnulli enim putant, in eodem tot formarum inueniri gradus, quot eius
Opiniones quattuor. ſunt prædicata per ſe primis modis. Alij aiunt eſſe quattuor: Quidam tres. Nonnulli duas tantùm. Primæ opinionis fuit Ioannes Gandauenſis in ſecundo Metaphy-
Opinio 1. ſicæ q.10. dicentis, in eodem indiuiduo tot eſſe formas, quot ſunt prædicata vniuoca, quæ de eo dicuntur in primo modo dicendi per ſe, adeò ut in Alcibiade, tum Alcibiadis, tum hominis, tum Animalis, tum intermediorum, ac generis ſupremi inueniantur formæ: formam tamen Alcibiadis non aiunt ſubſtantiam, ſed accidentia propria, quæ indiuiduum conſtituunt. Nititur hoc colligere ex Ariſt. qui in ſecundo Metaphyſicæ cont.10. oſtendens in formis non dari progreſſum in infinitum, loquitur de prædicatis & partibus definitionis, magis vel minus communibus, in quibus cum non datur progreſſus in infinitum, colligit nō dari progreſſum in infinitum in formis, quod inaniter feciſſet, niſi putaſſet ſingulis prædicatis, proprias reſpondere formas. Id ipſum colligitur ex primo Phyſ. cont.28. necnon ex ſecundo de Gen. Animalium cap. tertio, quo loci inquit, non ſimul gigni animal & equum, quod verum non eſſet, niſi eis diſtincta forma reſponderet, & pro hoc comprobando varias affert
Euerſio. rationes, quas vnicuique apud eum legere licet. Hanc opinionem minimè approbandam puto, nam quamuis nonnunquam diſtinctis prædicatis reſpondeant formæ uariæ, id tamen non eſt ſemper; frequenter enim ex eadem forma pér varios abſtractionis gradus, varia eliciuntur prædicata, quæ uera ſunt de multis, & ſunt natura unà, non numero, nec ſpecie, ſed genere, vel minus vel magis communi. Nam ſi prædicatis ſingulis per ſe in eodem indiuiduo formæ variæ reſponderent, tunc cum ignis, ſit & ignis, & corpus inanimum, & corpus, & ſubſtantia, non eſſet ſimplex, ſed compoſitus ex formis varijs. Similiter, albedo non eſſet forma ſimplex, ſed & albedinis & coloris, & qualitatis patibilis, & qualitatis formas includeret. Id ipſum contingeret de quattuor primis qualitatibus, quæ tamen, & primæ, & ſimpliciſſimæ ſtatuuntur, & Ariſt. ſub initio ſecundi libri de Ortu, & interitu, conſtituens ordinem inter principia, pro conſtitutione Elementorum, ait primam eſſe materiam, eam ſequi qualitates, tertiò ſuccedere Elementa, eam intermediam formarum multitudinem nunquam excogitauit. Præterea, omnis forma ſubſtantiæ, eſt Natura; omnis Natura eſt principium motus; ſi itaque Elementa ſunt prædita pluribus formis, etiam erunt prædita multiplici Natura, & multiplici principio motus, quæ ſi quis inficiatur eſſe abſurda, neſcio quid erit illud, quod ei abſurdum uideri valeat, ſolum frequenter dixit Philoſophus, media contrariorum conſtare ex extremis, at extrema ut albedinem & nigredinem conſtare ex varijs formis nunquam enunciauit, nec indicauit. Et

confirmatur, quia illæ subordinatæ formæ in albedine & nigredine, vel cadũt sub sen sum, vel ne; si non, nec mente percipientur, nil enim sensilium appræhenditur mente, quod non cadat sub sensum; dicere autẽ quòd sensum moueant, aduersatur experien tiæ, dum enim intuemur albedinem, nil in ea inspicimus nisi formam eius; de attinẽti bus aũt ad sensũ, sensui adhibenda est fides. Nec difficile est aduersa fundamẽta euer tere. Et pro notitia cõsiderãdũ, quod in accidentib. semper, in substantijs vt plurimũ prædicata eiusdẽ cõmuniora, & minus cõmunia, eliciũtur per rationẽ ex eadẽ forma, cõmunius & minus cõmuniter cõsiderata, nã artifficiosissima est natura, quæ nũquam superuacaneis abundat: at Mens est quæ constituit uniuersitatem in reb. eliciẽdo ex minus communibus communiora, vt ait Auerroes 12. Metaphysice, com. 4. nec ob id ea communiora iudicanda sunt entia rationis, cum ex forma eliciantur eique respon deant, hoc indicauit Arist. in septimo Metaphysicæ, cont. 43. inquiens, Si genus non est præter eius species, aut si equidẽ fuerit, est, vt materia, vox enim generis materiã denotat, differentię verò species & Elementa ex hac faciunt, &c. Conspicuè affirmat Philosophus genus nonnũquam non esse præter species, & non indicare formam di stinctam, nonnunquam verò indicare formam antecedentẽ, se habentem perinde ac materiam vltimæ formæ. Idipsum indicare voluit Arist. in primo Phys. 28. disputans aduersus Parmenidẽ, & ex multitudine partiũ definitiõis colligẽs multitudinẽ eorũ quę sunt, nõnunquã.n. genus & differẽtia ex distincta forma eliciuntur, & quãuis fre quẽter ex eadẽ forma, semper tamẽ multitudinẽ indicãt, quoniã Genus non esset Ge nus, nisi rebus forma distinctis competeret. Nec differentia contraheret & distingue ret, nisi daretur res variæ, quę Genus habent commune, & per differentias distinguũ tur; ex quo etiam patet nostrę sententiæ minimè id aduersari, quod dicitur in secũdo Metaphysicæ cont. 10. quo loci ostensurus Philosophus in formis non dari progressũ in infinitum, transfert sermonem ad prædicata per se in primo modo, nam iure id effi cit, ut ratione a maiori ad minus ostendat in formis non dari progressum in infinitũ: si enim non datur in prædicatis per se, longè minus dabitur in formis, quæ pauciores sunt; insuper id facit, quoniam prędicata primi modi, quamuis nõ sumantur ex distin cta forma, denotant tamen formã ratione, & modo concipiendi distinctam, ita osten dit nedum in formis omninò distinctis, verùm neque etiam in distincto earum conci piendi modo dari progressum in infinitum, in qua significatione etiam Auer. in secũ do Phys. 28. ait, cùm genus, tùm differentias esse formas.

*Diluũtur rationes ad uersa.*

*Aristoteles.*

## *De numero Formarum in eodem indiuiduo opiniones aliæ Cap. IIII.*

Decursis attinentibus ad primam opinionem, occurrunt alij, qui in homi ne quattuor statuunt formarum gradus; primò enim inueniri aiunt gra dum formarum mixtorum, vt carnis, neruorum, & ossium; secundò ani mam nutrientẽ, essentia distinctã a sentiente tertiò ipsã sentientẽ; quar tò Mentẽ. Quod autem anima nutriens distinguatur à sentiente ostenditur; tum quia Fœtus prius incipit nutriri, quàm sentiat; tum quia modus operãdi eius est ualdè di stinctus, operatur enim per naturam, sentiens verò per cognitionem; tum demùm, quia prodit ex principio vario, inquit enim Arist. in secundo de Gen. Animaliũ c. 4. necnon libro tertio ca. 7. vim nutriendi produci à fœmina, vim autẽ sentiendi a solo mare; hinc Plantæ quamuis non distinguantur in marem & fęminã, tamen generant, cũ solùm producant facultatẽ nutriẽdi. Hanc opinionẽ quamuis iudicem probabilio rem prima, non tamen approbandam existimo. Ratio est, quoniam alibi patefeci for mam disponentem pro subsequente materiata forma suscipere magis & minus, quod animæ nutrienti non cõpetit, non.n. potest remitti per aduersam formã nutriendi, ut

*Opinio 2.*

*Euersio.*

formę Elementorũ,cũ ei huiusmodi oppositũ non cõpetat,neque per formas antecedentes ex quibus consurgat, vt formæ mixtorum consimilium per formas Elementorum ex quibus consurgunt, non.n.anima nutriens ex antecedentibus mixtorum formis consurgit,sed eis supetuenire dicitur.Insuper, inquit Arist.in secundo de Anima 31.vegetalem esse in sentiente,ut figuram trium laterũ in quadrata;at quadrata non sunt duę distinctę formę,sed vna. Insuper, in primo de Anima 58.absurdum iudicat Arist.in eodem multas esse animas, ideò inquit similiter etiam absurdum est Animã esse rationẽ mixtionis; non.n. eadẽ est ratio per quã caro & per quas os efficitur eueniet igitur corpus totum multis animis esse præditum, &c. Præterea, in secundo de Anima loquens de anima mortali apta diuidi ob extensionem, ait esse unam actu in toto uiuente, potestate verò multas, nec multas esse animas, sed partes, ut patet ex context.20.solùm de Mente inquit aliã esse rationem. Demùm,quod maioris momenti esse iudico, est, quia nisi in animali nutriens, & sentiens essent forma vna, non valeret nutriens esse principium generationis animalium, nil enim agit vltra proprium gradum,& propterea nutriens non posset producere formam sentientem, quod tamen rectè seruatur statuendo earum unicam essentiam. Rationes aduersæ facilè diluuntur.dicebatur primo,fœtũ prius incipere nutriri,quàm sentiat. Respondeo, tunc vel nutriri per animam & instrumenta animæ matris, uel cum primò producatur gradus nutrientis confusus, & inchoatus, deinde absoluitur, & perficitur per eductionem gradus sentientis, in quo præcedens includitur facultate, & virtute,ut lumen diminutius in clariore. Addebatur,earum facultatum distinctum esse modum operandi.Respondeo, id euenire ob instrumenta varia, & quia materiatarũ formarum sequens valet efficere id, quod antecedens, & eminentiore modo, ueluti forma mixti dicitur mouere per Elementum præpotens.Dicebatur tertiò,eos animę gradus gigni per varia principia.Respondeò, quamuis fœmina in productione valeat extendi usque ad productionem virtutis nutrientis, ut patet de Plantis, tamen dũ in eodem etiam inuenitur vis sentiens, vterque gradus ex sentiente prodit, includente facultate & virtute etiam nutrientem, & hoc patet, quia Arist. negat fœminæ cõpetere semen prolificum,& solùm ait fœminam præbere materiam, & eam posse concipere sine effusione sui inchoati seminis.Propterea,est opinio tertia, quod in homine solùm duo formarum gradus inueniantur,nimirùm gradus formæ mixtorum,vt carnis, & ossium,& gradus animæ, quæ sit essentia vna uarijs facultatibus prædita; quæ opinio ut pertinet ad animã verissima est,unica enim in homine est Animæ essentia, creata & infusa à Deo in ortu singulorũ, at Arist.hanc veritatem non cognouit, sed duplicem in homine excogitauit animæ essentiam,unam ex materia prodeuntem,& mortalem,alteram,nimirùm Mentem immortalẽ, & æternam, quæ sola extrinsecùs adueniret,ut dixit in secundo de Gen.Animalium c.3.ideò in secundo de Anima 21. eam nuncupauit genus aliud animæ,& solam dixit segiungi posse,vt æternũ à mortalis;& eiusdem sententię etiam fuit Plato, qui caput dixit sedem partis æternæ, pectus verò mortalis.Propterea præsupposita sẽper veritate absoluta, cui constanter adhæreo,dicendum puto,in homine tres inueniri formarum gradus,primus est formarum mixtorũ,secundus animæ egentis organis,tertius Mentis. Gradus primus est principium constitutionis Hominis,alter mediũ;tertius finis,& postrema perfectio.Gradus primus est multitudine præditus,vt carniũ,ossium, neruorum & similium; secundus præditus est non multitudine in eodẽ, sed extẽsione, est enim anima ex materia educta pars in parte & tota in toto,tertia vbi est,tota est,& extẽsione caret. Primus gradus est formarũ,quæ sunt infra instrumenta;alter formarum agentium organo, tertius est formæ formarũ supra instrumenta collocatæ, cuius imperio cæterę subijciuntur.Primus ab altero mouetur;medius mouetur,& mouet;Mens solùm mouet & dirigit.Primus operatur per Temperamentum;alter per instrumenta; Mens sua sola cõditione & essentia.Primus solùm inseruit;medius percipit,& inseruit;Mens solũ im

*Diluũtur rationes aduersæ.*

*Opinio 3.*

*Sententia absolute vera.*

*Opinio 4. Arist.*

perat

perat & libertate eſt prædita, adeò vt quemadmodũ Natura plurima abſoluit numero ternario, vt enunciauit Ariſtoteles in tertio Meteorum, loquens de Iride; in primo de Celo, cont. 3. loquens de trina dimenſione, necnõ in ſecundo de partib. Animaliũ cap. 1. loquens de trina corporum compoſitione; ita pro hominis abſolutione tres formarum gradus conſpirant, hominemq́ue omni ex parte perfectum conſtituunt. Cõfirmatur idem ternarius numerus ex trino ordine Qualitatum, nimirùm corporis, ut colores; animi, vt virtutes in more poſitæ; & Mentis, ut habitus eius. Inſuper ex ordine motuum; nam corpus ſua grauitate deſcendit; Animus mouet illud ad omnem differentiam poſitionis; Mens conſtituit motum artificioſum. Sic in Elementis tanquam in principijs cæterorum corporum, vnica eſt forma; in viuentibus omni ex parte mortalibus tanquam in medio eſt forma duplex; in homine, vt in fine collocatorum ſub Cœlo reperitur finis ternarij numeri. Primus gradus conſurgit ex mixtione; alter ex ſemine; tertiùs extrinſecùs accedit. Primus gradus interit per putredinem; ſecundus per mortem; tertius ab interitu eſt immunis. Hanc ego puto fuiſſe opinionem Ariſtotelis de numero formarum in eodem indiuiduo.

## *Proponuntur, & diluuntur tria dubia, ad ea quæ dicta ſunt pertinentia. Cap. V.*

DEclarata de numero formarum in eodem indiuiduo opinione Ariſtotelis, pro variarum difficultatum reſolutione, tria declaranda ſuperſunt. Primum quomodo ex varijs formis unum conſtituatur? Alterum quid ſit dicendum de formis partium? Tertium quomodo forma inferior in ſuperiore includatur, vt principium nutriendi in eo ſentiendi? Ordiens à primo, inquiunt nonnulli viri docti ex ſubordinatis formis tanquam ex partibus unam conſurgere formam, vt dum ſenario additur unitas, abſoluitur una cum alijs ſeptenarij forma, ſic totũ & ſuæ partes ſimul ſumptæ, & forma in indiuido eſt poſita, quia conſurgit ex ea indiuiduorũ connexione; nec ſit, quia in eo indiuiduo eſt conſtituta, quod ex productione poſtremæ formę cõſurgit. Ideò Simplicius in 2. Phyſ. 11. inquit formã ignis in aggregatiõe coloris, ſiccitatis, & leuitatis eſſe poſitã, & dũ additur ultima regula, dicitur cõſurgere forma domus. & in 5. Phyſ. cõ. 9. inquit, formã momẽto fieri. Hanc opinionẽ approbandã nõ puto. Nã forma omnis eſt ſimplex eſſentia: variæ ſubordinatæ formę nõ ſunt ſimplex eſſentia: nõ itaq; ſunt una forma. Præterea, ſi forma una ex eis varijs cõſurgit, vel ea forma una ſunt illęmet formę varię, vel eſt aliud eis ſuperueniẽs ut forma ſeptenarij eſt alia ab vnitatib. Nõ hoc ſecundũ dici põt, qa vnitates illę sũt materia numeri ſeptenarij, ſubordinatę aũt illę formę nequeũt dici materia ſuperuenientis, ſed poſtrema differentia & forma dicitur totũ id quod res eſt, ut patet ex 7. Metaphyſ. 43. Nec põt dici primũ, quia formę illæ non ſunt vna natura, uno modo mouẽs & operans, ſed diſtinctę. Inſuper, tũc in ſubſtãtia propriè eſſet ordo, quod rejicitur ab Ariſt. in 7. Meta. 43. Præterea, ſi id eſſet tũc explicaturi quid ſit homo, teneremur explicare cũctas ſubordinatas formas, ex quib. forma hominis cõſurgit, alioquin uniuerſam eius eſſentiã nõ explicarẹmus, qđ tamẽ definiẽtes nõ facimus. Pręterea Ariſt. ſolũ manifeſtauit cõſurgere formã unã, uel ex uarijs gradib. eiuſdẽ tõnis, vel ex formis oppoſitis dũ remittũtur, ut in mixti cõſtitutione, at ex ſobordinatis formis nunq̃. Cõfirmatur, qa ſi una cõſurgeret forma, antecedẽs nõ reſiſteret ſubſequẽti, nec moueret diſtincto motu, ut reſiſtere, & mouere percipimus formas carniũ, & oſſiũ, antecedẽtiũ. Pręterea, ſi vna cõſurgit forma, quid eſt nectẽs eas diſtinctas formas? nõ aliud quid ab eis, cũ nil aliud adſit, ſi nectũtur ex ſe, igitur una erit tãquã potẽtia & materia, altera ut actus & forma, ex qbus nõ una forma cõſurgit, ſed ea poſtrema dicitur abſolutè forma. Exẽplũ de numeris nõ eſt ſimile, qa illę unitates nõ sũt uarię ſubordinatę formæ, ſed ſunt materia intelligibilis numerorũ. Sentẽtia ẽt Simplicij nõ eſt approbãda, nõ

*Quomodo variæ formæ in eodem connectantur.*

*Opinio 1. Simplicij.*

*Euerſio.*

enim ex affectionibus ignis consurgit forma eius vt in lib. de Elementis patefeci. Nō itaque dicendum puto ex subordinatis formis formam vnam cousurgere, sed rationi magis consentaneū iudico, existimare formas antecedentes disponere & constituere materiam proximam sequentis, quæ sola absolutè forma dici meretur. Nam quāuis materia sit apta recipere formas omnes, nō tamen æquè primò & proximè, & requiritur ordo nedum ex parte formarum, ut multi censent, verùm insuper ex parte materię, cum enim materia & forma sint ad aliquid, & alterius formæ altera sit materia, vt dicitur in secundo Physicorum vigesimosexto, est necesse, vt ordo requiratur ex parte vtriusque. Hinc ab Aristotele in quartò de Cœlo trigesimoseptimo, materia dicitur quadruplex, quatenus primò dicitur prædita quatuor facultatibus respicientib. quattuor formas Elementorū, quas solas est apta primò recipere: nec educūtur sequētes formæ, nisi materia antecedentibus fuerit prædita & parata Forma; itaque postrema ea est, quæ absolutè est rei forma, de his loquendo, quæ formant, & hæc per differentiam ultimam explicatur, dum non latet, ex cōposito autem antecedente elicitur genus proximū, quòd materiam significat.

*Opinio propria.*

*Quomodo forma antecedēs includatur ī sequente.*

Ex primæ difficultatis resolutione facilè elicitur, quid de tertia sit dicendū, quomodo inquā forma prior in subsequente contineatur, nam quadruplex potest fieri cōparatio.

*Quadruplex comparatio.* *Prima.*

Prima inter formas Elementorum, & eam mixti, & quoniā ex illis hæc consurgit, quæ seruat facultates earum, ideò Aristoteles in primo de Ortu & interitu ait seruari & contineri potestate.

*Secunda.*

Altera cōparatio fieri potest inter formas mixtorū, nempè carniū, ossium, & similiū, & animam, & hæ non dicuntur includi in anima, quia seruantur distinctæ, & solū parant pro anima, quibus cum superueniat anima, dicitur actus corporis, & recipi in proprio & definito subiecto, ut dicitur in secundo de Anima, vigesimosexto.

*Tertia.*

Tertia comparatio uertitur inter animam nutrientem & sentientem, de qua Aristoteles in secundo de Anima trigesimoprimo, ait vegetatiuum esse in sensitiuo, vt triangulum in quadrato, quadratū autem est figura vna includens facultate triangulū, quare similiter gradus vegetandi est in sensitiuo vt in essentia prętantiore, in qua includatur imperfectior, de qua dicere valemus, quòd sit in eminētiore, vt senarius in septenario, cum tamen septenarius sit forma simplex.

*Quarta comparatio.*

Quarta comparatio versatur inter Phantasiam siue sensum, & Mētem, de qua ex sententia Aristotelis dicendum est, perinde se habere, ac de perspicuo relato a lumine, à quo perficitur, & seruatur ab eo distinctum.

*De formis partium.*

Declaratis cæteris supe rest considerandum, quid sit dicendū de formis varijs partium eiusdem animalis. Et quia partes sunt duplices, quædā consimiles, vt caro, ossa, & nerui; aliæ dissimiles, quæ mēbra dicuntur, vt pes, manus, & oculi; partes huius secundi generis non cōstituuntur per formam aliquā substantiæ propriam, distinctā ab anima, sed constituuntur per connexionem variarum partium consimilium, & superuenientem animam, ideò iure in obitu omninò æquiuocè seruari dicuntur, longè magis quàm partes consimiles, ut dixit Aristoteles in calce quarti Meteororum. Pro notitia autem partium consimiliū animaduertendum est, in animali duplex considerari Temperamentum, unum totius, vigens in corde, cui anima superuenire dicitur in corde residens. Alterum est Temperamentum consimilium partium, quod variarum uarium est, ut carnis, ossis, & neruorū, cui respondet propria forma mixti, & in animali tot sunt huiusmodi formę, quod sunt partes consimiles, quæ postremam perfectionem recipiunt ab anima, per quam omnes nectuntur, redduntur unum, & in specie constituuntur, in specie enim constituitur id quod totum, & perfectum est. Huiusmodi igitur partes cōsideratę secundum ultimam formam, unum sunt, & specie non distinguuntur; consideratæ uerò secundum formā propriam, sunt variæ & distinctæ speciei, at minus propriè. In obitu animalis seruari valent huiusmodi formæ, & tunc in propria speciei cōstituuntur, sunt enim unaquęque totum aliquid, seiunctum ab altero, non enim interitui animæ succedit forma aliqua, eas partes nectens, ideò Aristoteles ī calce primi de Anima dixit magis animam continere corpus, quàm vice uersa, recedente enim anima, corpus

dissoluitur, dicitur autem interitus animalis, ortus alterius, quatenus variatur totum, & formę, quę prius rem in specie non propriè constituebant, re vera constituunt, quæ partes seruatæ per formas proprias sunt eadem vniuocè, at per formam postremam æquiuocè, & potiùs dicuntur seruari æquiuocè, quàm vniuocè, quia postremam perfectionem recipiunt ab anima, minus tamen seruantur æquiuocè, quàm membra ob formam propriam mixti, quæ vt dixi, non ita competit membris.

## *Diluuntur rationes cum multitudine formarum pugnantes. Cap. VI.*

OStendebatur in eodem seruari non posse plures formas, quia vnius rei vnica est natura, & essentia. Soluitur per Aristotelem in septimo Metaphysicę, dicentem postremam differentiam esse id totum quod res est, cæteras parare ad eam, adeò vt postrema natura & essentia vnica sit. *Diluitur ratio prima.* Dicebatur secundò, ex multis, quæ sunt actu, non fieri vnum. *Secunda.* Respondeo, cum Aristotele in calce quarti Meteorum dicente, solā postremam formam esse absolutè formam, & actum; intermedias verò esse formas, & materias: nam quatenus ad sequentem parant dicuntur potestate & materię. Adebatur tertiò, aduenientia ei quod actu sit, esse accidentia. *Tertia.* Respondeo, id esse verū, dum absolutè fuerit actu, at non dum fuerit partim actu, partim potestate: Aristoteles id obijcit veteribus Philosophis sub initio primi de Ortu & interitu, quia pro materia statuebant vnum quattuor Elementorum, forma enim vnius Elementi non parat pro altera, sed pugnat cum ea, quia sunt eiusdem gradus in ordine formarum. Similiter forma corporis coæterna materiæ non recipiens magis, & minus, non disponit ad formam mortalem, ideò Auerroes in primo Physicorum, id obijcit approbantibus formam illam corporis, at de formis mixtorum in tertio de Cœlo septuagesimoseptimo, secus se habere affirmat, quo loci multitudinem formarum cócedit. Dicebatur quartò, multitudinem formarum varia sequi absurda: primum erat, quia euerteretur definitio generationis, non enim esset mutatio totius. *Quarta.* At hoc non sequitur, quia variata postrema forma, vt sæpè dixi, variatur totum, & subiectum proximum accidentium sub sensum cadens non seruatur idem. Nec sequitur aliud absurdum, quòd vnius ortus non sit alterius interitus, quia semper variatur species rei, vt dixi; His accedit, quòd dum Aristoteles definit generationem, non resolutionem, & compositionem considerat, sed mutationem vnius eiusdem gradus in alterum, vt ignis in aerem, sanguinis in carnem, & similium. Addebatur, quòd idem numero pluries esset substantia, & corpus. *Quinta.* Hoc non sequitur, quia per antecedentes est substantia & corpus, per formam postremam est substantia talis, & tale corpus, eius speciei quod patefecit Aristoteles in secundo de Anima, cont. 10. inquiens, ex Pupilla & virtute videndi constitui oculum, ex corpore autem & anima animal. Neque etiam sequitur, quod eductio sequentis formæ sit motus, quia non fit in subiecto, quod maneat actu idem sub vtroque termino, sed totum variatur, nec amplius eadem definitio & nomen ei competit. Quòd autem cuncta sine multitudine formarum seruari nequeant, iam patefeci, dum necessitatem huiusmodi Formarum manifestaui. Instabatur sextò, quia termini à quo, & ad quem, simul seruari nequeunt. *Diluitur Sexta.* Respondeo, terminum à quo, non esse formam antecedentem, sed priuationem ei iunctam, quæ perit adueniente forma. Instabatur septimò, quia si in viuēte seruaretur multitudo formarum partium consimilium, tunc pereunte, vel recedente anima, partes illæ seruarentur eodem vniuocè, cum tamen Aristoteles dicat solùm seruari æquiuocè. *Septima.* Hoc solutum est per ea quæ dixi in calce præcedentis capitis. Similiter patefactū est quomodo figura trium laterum includatur in quadrato, & facultas nutriens in sentiēte.

Insuper

Insuper est declaratum essentiam in indiuiduo esse positam, non autem in ea seruari ordinem, cum forma postremò formans sit totum id quod res est, vt in eo cont. 43. enunciat Aristoteles. Prætereà dum Auerroes in cap. de Substantia orbis, ait vnius rei vnicam esse formam, se declarat in tertio de Cœlo, 67. manifestans id esse verum de forma postrema, quæ est essentia rei, per quam in specie constituitur. At vrget adhuc D. Thom. ratio, prima Summæ q. 76. secundo contra Gentes c. 58. Opusc. 3. cap. 91, 92. & sæpè alibi, quia data formarum multitudine, adeò vt genus & differentia non ex eadem, sed ex distincta forma sumantur, vt corpus & sensitiuum, siue animal. Tunc superius non per se in primo modo diceretur de inferiore, vna enim forma non dicitur de altera per se primo modo, sed huiusmodi prædicata sunt eadem cum subiecto, vt dicitur in septimo Metaphysicæ, cont. 20. Respondeo, in prædicatione per se primi modi accipi pro subiecto, inferius constitutum per formam postremam, præ supponentē formas alias modo declarato, de quo postremo non per se dicuntur formę, vel formata formis partium, non enim dicimus hominem esse carnem, sed solùm prædicantur, vt seruant conditionem totius, nimirùm vt omnes constituunt substantiam & corpus, adeò vt animal dicatur corpus, quatenus ad eius constitutionem, & corpus & anima conspirat & prædicatur, non vna forma de altera, sed subordinatæ formæ, cum conditione totius, de constituto ex eis, & hac ratione dicuntur non distingui à subiecto, quia includuntur in eo, de quo dicuntur. Sed vna superest diluēda difficultas in am egò dixi in animali duos solùm reperiri gradus formarum mortaliū, partium scilicet, & Animæ. Aristoteles in secundo de Gen. Animalium cap. 3. videtur concedere plures, inquit enim non simul gigni Animal & equum, quare in equo cùm animalis, tùm equi inueniuntur formæ, quæ animæ mortales sunt. Respondeo, Aristotelem tunc præsertim considerasse attinentia ad hominem, cuius dedit exemplum, quod tamen in Græco codice deest, & ob id statim de mente loquitur, ac insuper attinentia ad actum secundum animæ, ea enim primò communia quædam opera exercet, vt nutrire, & confuse sentire, mox verò propria suæ speciei, ea tamen communia ex eadem essentia prodeunt, at minus distincta & dearticulata, qua consideratione in primo de Anima vigesimoquarto, dixit Mentem non competere singulis hominibus. Hanc ego puto de numero formarum fuisse opinionem Aristotelis, quę eatenus solùm à me approbatur, quatenus decretis Theologorum non aduersatur.

FINIS.